BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
D
43
NAPOLI

L. 99. 66.

17

Digitized by Google



Ingenui, radiat mera queis Pietasq; Fidesq;
Præsulis en oculos! Cætera clausa tenet.

f. cum deb. venerat.
Filius
M. Andreas David Carolus,

C. B. D.

MEMORABILIA ECCLESIASTICA

SECULI à NATO CHRISTO *DECIMI SEPTIMI*,

JUXTA ANNORUM SERIEM NOTATA,

ET CONVENIENTI ORDINE DIGESTA

PER

ANDREAM CAROLUM,

ABBATEM SAN-GEORGIANUM IN DUCATU WIRTEMBERGICO.

TOMUS PRIMUS, OPERIS DIMIDIUM ANTERIUS EXHIBENS,

CUI ACCEDUNT INDICES NECESSARII.



TUBINGÆ,

Sumptibus JOHANNIS GEORGII COTTÆ, Acad. Bibl.

Typis JOHANN. CUNRADI REISII,

ANNO M DC XCVII.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III - NAPOLI

Digitized by Google

EPISTOLA DEDICATO-RIA.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO,

DN. EBERHARDO LUDOVICO,

DUCI WIRTENBERGIÆ ATQUE TECCIÆ,

COMITI MONTISPELIGARDI,

DYNASTÆ HEIDENHEMII,

&c.

Principi Clavum Regiminis Hæreditaria ſucceſſione tenenti,

Domino meo Clementiſſimo:

Digitized by Google

SERENISSIMO item PRINCIPI

AC DOMINO,

DN. FRIDERICO CAROLO,

DUCI WIRTENBERGIÆ ATQUE TECCIÆ,

COMITI MONTISPELIGARDI,

DYNASTÆ HEIDENHEMII,

&c.

S. Cæſ. Maj. Generali Campi-Mareſchallo,

&c.

Ducatus antehac Adminiſtratori ac Tutori Supremo,

Domino meo quoque Clementiſſimo.

SERENISSIMI PRINCIPES,

DOMINI CLEMENTISSIMI.

VT primùm Res potiores exacti jam ferè SECULI à nato Mundi Redemptore, JESU, DECIMI SEPTIMI congeſtas notare, &, quæ intra ejus decurſum per univerſam Eccleſiam Chriſtianam emerſerunt, memoratu maximè digna, recenſione luculenta æquè ac ſuccincta comprehendere, mihi nihil minùs cogitanti clementiſſimè injunctum fuit, provinciam, fateor, ſum arbitratus eam, quam

ſuſci-

ſuſcipere vires meæ, tum per ſeniu incumbens admodum infirmæ, tum jam ante plus ſatis attritæ, non eſſent permiſſuræ. Quæ enim compluribus, & apparatu omni affatim inſtructis, & operas fideliter jungentibus, negotii plurimum exhibitura judicavi ſemper, ea à me, ſubſidiorum oppidò pauca, & qualia in cenſum venire vix mererentur, explorata habente, uno præterea atq; ſolo, expedienda ſolicitè perpendi. At verò ſanctius viciſſim erat Mandatum Clementiſſimum, quàm ut ſuſtlaminare obſequii promptitudinem omninò debitam difficultas rei potuerit, pronamq; parendi voluntatem demonſtrare ipſæ pietatis leges exigebant. Animo itaque ad faciendum imperata parato, Divina ope fretus, curam operi ac induſtriam omnem applicui, ſudoriq; & vigiliis, ſumptibus item, haudquaquam parcens, quicquid ſcriptorum, inſtituto convenientium, obtinere licuit, conquiſivi, atque ſedulo excuſſi. Utut autem deſideratorum, quod inprimis doleo, monumentorum

de-

deſtituerint me multa, abundè tamen rerum, quas obſervaſſe juverit, colligere datum; ac licet operam quoq; impedire calamitates, quà publicæ, quà domeſticæ, non deſtiterint, telam nihilominus, quam Bono cum DEO exorſus ſum, ejusdem Gratia, humilimè celebrandâ, ad marginem propè deduxi, ut extrema jam, petenda ſcilicet ex iis, quæ DEUS reſervavit Seculi reſiduo, ſola reſtent.

Hunc laborem, cujus dimidium anterius nunc luci expono, uti Veſtro, PRINCIPES CLEMENTISSIMI, mandato, auſpiciis Veſtris, ad poſteritatem, ſi qua futura, transmittere inſtitui, ita Celſiſſimis etiam Nominibus Veſtris eum ſubjectiſſima reverentia nuncupare ſuſtineo; haud facilè id quidem auſurus, niſi eò vel maxime vinculorum, quibus multifariam VOBIS obſtrictus teneor, conſcientia me adigeret. TIBI namque, quod eſt, Nutritio meo Clementiſſimo, Sereniſſime EBERHARDE LUDOVICE, Ducalis Gratiæ, à Glorioſæ re-

cor-

cordationis Avo, EBERHARDO Magno, ubertim collatæ, & à Mitiſſimo Parente GUILIELMO LUDOVICO continuatæ, uſuram hucusque productam; TIBI, Sereniſſime FRIDERICE CAROLE, comparis Gratiæ ſenſum, ipſo de exhibenda ejusmodi Enarratione juſſo, quod propria manu Celſitudo Tua ſignavit, auctum, fomentumq; ſesqui decennale, Tutoria Autoritate clementiſſimè indultum, deberi à me, quotidianam in pectore meo rememorationem ſubit. Religio proinde mihi, committere, ut niſi conſecratum VOBIS, quod Veſtrum tamen omni jure eſſe adeò probè teneo, publicè compareat. Patimini modò, DOMINI CLEMENTISSIMI, quicquid id eſt operis, Veſtrum porro palàm prædicari, animique demiſſiſſimè grati documentum qualecunque extare; nec minus illud contra adverſantium quorumvis dentes & ungues tutum, ac me meosque de perennante Gratia Veſtra ſecuros, ſupplici prece rogati, clementiſſimè præſtate.

DEUM O. M. feriæ orationes meæ ſolicitare non ceſſabunt, Celſitudines Veſtras, unà cum Sereniſſima Domo Wirtenbergica univerſa, infinitæ Suæ Potentiæ clypeo protegere, Benedictione omni, ſpirituali potiſſimũ, cumulare, & Vitæ ad ſaturitatem longævæ aſſerere, propitius dignetur. Cumprimis verò id etiam felicitatis obtingere VOBIS propter Filii Sui Sanguinem pretioſiſſimum ſtatuat, ut ætate Veſtra, ſique fas petere, ſub articulum ejus pro-

pio-

piorem, ſanatis Patriæ vulneribus, periodus temporum exulcerata in ſalubriorem deſinat; Eccleſia orthodoxa, tum alibi quaqua verſum, tum præſertim & in Inclyto hoc Ducatu, nobili ſuo hoſpitio, opportunitatem incrementa ſubinde majora capiendi, doctrinæque ſalvificæ Depoſitum illibatum facilius cum aliis latiusque communicandi, lucretur; Et, Veſtro ac totius Orbis emolumento incomparabili, de funeſtiſſimo Bello PAX, optima rerum, de variantibus Diſſenſionum peſtilentiſſimarum chiliadibus COELO NATA SPIRITUS UNITAS, ET AMOR VERI RECTIQUE IDEM, de Vitæ ratione Chriſtianis probroſa SEVERIORIS DISCIPLINÆ VIGOR, de novitia, quæ nullos movere Limites veretur, Temeritate ANTIQUA FIDES AC VIRTUS, de ingenioſa Malitia artibusque ſceleſtis CANDIDA SIMPLICITAS, ſanctiſſimum triumphum agant. FIAT! Exarabam Tubingæ, Calend. Mart. Anno M DC XCVII.

SERENISSIMIS VESTRIS CELSITUDINIBUS

Subjectiſſimo cultu & interceſſionibus apud DEUM indefeſſis addictiſſimus

ANDREAS CAROLUS, Monaſterii San-Georgiani Abbas.

C. B. D.

MEMORABILIUM ECCLESIASTICORUM

Seculi

A NATO CHRISTO

DECIMI SEPTIMI,

PROOEMIUM.

SEculi à ſalutifero partu Virgineo decimi ſeptimi *Memorabilia Eccleſiaſtica*, quæ noſſe juvat, exhibere *potiora* conſtituimus; nullo ſcribendi pruritu ducti, ſpe lucri nullâ, ſed voluntate & juſſu, cui refragari nefas viſum. Dicavimus autem heic ſtudium ac laborem noſtrum imprimis Eccleſiæ Chriſtianæ in Imperio Romano-Germanico, & in reliquis Europæ Regnis, Principatibus ac Rebus-

publicis, tùm proximè adſitis, tùm longulè diſſitis, militanti. Intra tamen prædictum Imperium Romanum Orbemque Europæum ita contineri, quin ſolum vertentes nonnunquam in Aſiam, Africam, & Americam usque extremam exſpatiemur, haud ſuſtinemus.

Ne verò Benevolus Lector in tanto variarum rerum cumulo confundatur, taliter libet progredi, ut in decem Libros dividatur integrum Opus, totque Librorum Capitibus conſtet, quot habenda materiarum ratio requirit.

Liber primus comprehendet notabilia, ſub Imperatore Rudolpho ſecundo, à Seculi hujus Anno primo ad uſque duodecimum, obſervata. *Secundus* producet memoratu digna, quæ ſub Imperio Cæſaris Matthiæ, nimirum ab Anno hujus Centenarii duodecimo ad nonum ſupra decimum, evenére. *Tertius* res continebit ſub Imperatore Ferdinando ſecundo geſtas, nempe ab Anno decimo nono ad usque trigeſimum, quô Sueciæ Rex, Guſtavus Adolphus, aperto bello Ferdinandum & Ligiſtas petiit. *Quartus* Liber exhibebit acta & facta ex imperantis Ferdinandi II. periodo poſteriori, nimirum ab Anno 1630. incluſivè ad 1637. quô Ferdinan-

nandus tertius in Thronum fuit evectus. *Quintus* dabit ea, quæ contigére ſub Ferdinando III. ab anno 1638. ad reſtitutam uſque & publicatam Germaniæ Pacem Oſnabrugo-Monaſterienſem. *Sextus* proponet recenſenda ab anno 1650. ad 1660. ultima ferè ſub Ferdinando Pacifico, & prima ſub Imperatore Leopoldo Magno. *Septimus* decennium ſeptimum ſibi vendicabit abſolvendum. *Octavus* occupabitur circa decennium octavum. *Nonus* Liber nonum decennium tractabit. *Decimus* decennium Seculi hujus decimum perluſtrabit, DEOque annuente, Operis finem faciet.

Specialior tractandi modus erit, ut omnia diſponantur ſecundum juſtam annorum ſeriem, per *Capita* ritè diſtincta, perque convenientes Capitum ſectiones, hoc ordine, quoad fieri poteſt, continuo, ut *primùm* de Lutheranis, vulgo ſic dictis, ſoliciti ſimus; annexis hîc & ibi nonnullis, quæ ad Eccleſiam Græcorum, ſtatumve Rei Chriſtianæ præcisè, ſpectant: *Poſteà* de Romano-Catholicis, vel potiùs Pontificiis, agamus: *Tertiò* de Calviniano-Reformatis: *Quartò* de Novatoribus & Singulariſtis, Schiſmaticis, Hæreticis, Idololatris, Barbaris, ac Atheis: *Quintò* de Colloquiis ac Synodis, Controverſiis i-

tem ac Diſputationibus Eruditorum, Scriptiſque præcipuis: *Sextò*, de rebus Politicis, præſertim affinitatem quandam habentibus cum Eccleſiaſticis & uſum in iis non contemnendum: *Septimò* tandem de Miſcellaneis.

Cùmque cor & anima Hiſtoriarum ſit alma *Veritas*, huic unicè firmiter adhærebimus, favori nihil, nihil odio daturi. Nihil proinde falſi fingentes, nec veri quicquam hujus aut illius gratiâ ſupprimentes ullibi, ſimpliciter ac bona fide Hon. Lectori communicabimus ea, quæ vel publicis clarorum Virorum aliorumque hominum ſcriptis, aut conſimilibus horundem enarrationibus ac teſtimoniis diſcere licuit exquiſitiùs, vel experimentis propriis noſſe penitiùs. Quia tamen Fides Magnorum etiam Nominum quandoque fallax, Fama ſæpè mendax, Memoria non ſemper ſatis firma, ac errare humanum eſt, ſicubi nobis inſciis, & aliud intendentibus, deviatum à vero, *culpam ſubreptitiam* ultrò deprecamur. Atque iſta quidem vel paucis præmiſiſſe ſufficiat. Pluribus præfari inſtituti ratio non permittit. Quod ergò DEUS benè vertat, *Placentiâ miſſâ, rectâ Veronam tendentes*, rem ipſam aggredimur.

ME-

I. Θ.

MEMORABILIUM ECCLESIASTICORUM

Seculi æræ Chriſtianæ Decimi Septimi,

LIBER PRIMUS,

Continens potiora, quæ contigerunt ſub Imperatore Rom. Rudolpho II. ab initio hujus Centuriæ ad annum usque duodecimum.

CAPUT I.

Summaria.

Res purioris Eccleſiæ inclinari occipiunt.

Status Religionis in Wirtembergia, Saxonia, Stiria, Carinthia, Carniolia, & Suecia, qualis?

Lojolitæ, Sacra Biblia per Lutherum tranſlata, furentibus flammis injiciunt comburenda; libris impietate & vanitate plenis favorem indulgent.

Moritur Baro David Ungnadius, ob ſingularem promovendæ Religionis Evangelicæ ſtudium omni laude dignus.

Ex Theologis, obdormiunt in Domino Samuel Fiſcherus, & Johannes Andreæ.

Imperatore Rudolpho in ſenectam, ac ejus regimine paulatim ad finem vergente, *res* quoque *purioris Eccleſiæ*, ſuperioribus annis haud malè per Dei gratiam conſtitutæ, nimio plus *inclinari cœperunt;* Adverſariis nil magis, quam ferale Lutheranorum exterminium, à dextra & ſiniſtra, opertè & apertè molientibus. Adeò ſeſe verum exeruit, quod olim *Johannes Wigandus*, Epiſcopus Pomezanienſis, in Dedicatione Tractatûs de Perſecutionibus & Exiliis Piorum ſcripſit: Hiſtoriæ omnium

„ mnium temporum teſtantur, quando Evangelii lux alicubi mira„ biliter accenſa eſt, & præclarè luxit aliquandiu, tandem creſcen„ tibus perſecutionibus, ac fanaticis dogmatibus Eccleſiam Chriſti „ ſecurè turbantibus, eam ipſam Evangelii lucem paulatim homi„ nibus parùm attendentibus, obfuſcatam, tandemque extinctam „ eſſe. Non veretur *Amsdorfius*, in præfatione in Poſtillam Lutheri „ Domeſticam, palàm aſſeverare, ultra *quinquaginta annos* lucem E„ vangelii, uno quidem in loco, vix perſeveraſſe inoffenſam ac inte„ meratam; Sed ingruiſſe errorum picturas & palliationes, ac ty„ rannides, opprimentes miniſterii verbi divini curſum. Nos qui„ dem, pergit Wigandus, in Germania, ac finitimis regionibus, pas„ ſim annos quinquaginta, & quod excurrit, lucem Evangelii tantam „ habuimus, quantam poſt Apoſtolorum tempora non ſcimus ullo „ in loco terrarum orbis fulſiſſe; Nunc autem ob oculos videmus, „ proh! dolor, in maxima eam lucem inclinatione.

Equidem feliciſſimo in ſtatu *Palæſtina Wirtembergica* tùm temporis fuit, ſub FRIDERICO Duce, LUDOVICI cognomento Pii Succeſſore, ut legitimo in Regione, ita ſincero in Religione, quam pro virili adjuvit ac promovit inclytus Princeps, ad amplexus R. Thaidis ſemel atque iterum allectus fruſtrà, non minùs largiſſimis beneficiorum pollicitationibus, ac verborum blanditiis mellitiſſimis; Id quod *Anonymus* autor pontificius, in *Actione* ſic dicta *perduellionis adverſus Jeſuitas*, diſſimulare non potuit, lit. G. 2. his formalibus verbis: Pabſt Clemens der VIII. hat Hertzog Fridrichen von Würtemberg/ durch Andream, Cardinalen von Oeſterreich/ verſichern laſſen/ wann Er die Catholiſche Religion annehme / welt Er ihm über alle ſeines Lands geiſtliche Guter das Jus Patronatûs verleihen/ alſo daß einer/ zween/ oder drey/ ſeiner Söhne oder Vettern/ alle die Clöſter in Commendam hätten/ den andern/ ſo weltlich bliben / jährliche penſiones davon bezahlten/ und noch darzu bey Straßburg / Cölln/ Maintz / und andern Fürſtlichen Stifften/ auffgenommen würden/ Gerh. Conf. Cathol. part. generali p. 916. ſed ſurdo Jupiter Tyberinus narrabat fabulas.

In *Saxonia* & *Miſnia*, ſub novo regimine CHRISTIANI II. *Orthodoxia Lutherana*, cui ante proximum decennium Calviniani propemodum funus paraverant, priſtino vigori *reſtituta*; poſtquam FRIDERICUS WILHELMUS, Dux Altenburgenſis, Adminiſtratorio nomine veritatem Evangelicam γνησίως ita dictam, egregiè vindicaſſet, *Calviniſmi ſectatoribus Electoratu exire juſſis* per anticam, qui per

po-

poſticam intraverant, eòque rem deduxerant, ut parùm abeſſet, quin de Electoratu iſto verè diceret nonnemo, quod Hieronymus contra Luciferianos tempore graſſantis Arianiſmi, de toto Orbe ſcripſit: Eũ ingemuiſſe &, Arianum ſe eſſe, miratũ fuiſſe! Ita, de Saxonico tractu: ingemuiſſe totam Saxoniam, ac tantùm non Calvinianam ſe factam, miratam eſſe! Spen. Syll. Geneal. 122. 132. Wagn. Act. Henot. 4.

Sed per *Stiriam, Carinthiam & Carnioliam ſeverè admodùm Evangelii Confeſſores habiti*, ſacris interdicti, ſpoliati opibus, proſcripti, ejectique tanto numero, ut ſæpiùs inſtar exercituum in aliis provinciis appellerent Fr. Arn. Inquiſ. de Tract. Hæret. ded. 3. Ferdinandus enim, Archidux Auſtriæ, Carolo (Rudolphi patruo) genitus, initio ſtatim ſuſcepti reg minis, ab Ignatiana ſodalitate excitatus, Auguſtanæ Confeſſionis exercitium ſubditis interdixit, fruſtrà his obtendentibus, ac demonſtrantibus, idcircò ſe patri ejus vicies centena aureorum millia mutuò dediſſe, quibus acceſſerint ab eo tempore octies centena florenorum Rhenenſium mill. Hofm. Lex. voce Stiria, Spen Syll. gen. 30. Mox iisdem in totum libertatem ademit, expulſis non modò verbi Doctoribus & Ludimagiſtris, ſed etiam omnibus aliis, cultibus atque dogmatis papiſticis contradicentibus; poſtquam Romæ præſertim in eam rem ſolenni ſeſe juramento Pontifici obſtrinxiſſet, Princeps cætera laudatiſſimus. Cluv. Hiſtor. 754. Micræl. lib. 3. 402. 654

Nec ſilentio involvendum, quod *Polycarpus Lyſerus* alicubi memorat, nempe *Lojolitas* in Reformatione iſtarum provinciarum, *Biblia Germanica per Lutherum translata, in publico furentibus flammis injeciſſe comburenda.* D. Müller. contra Eſav. Creutz in defenſ. Luth. def. 400. Rectiſſimè verò *Bembellon.* in *Suſcitabulo Tempeſt.* A. 76. calentes illos infernalis Vulcani miniſtros perſtringit, hiſce verbis: Bilem & „ flammas iræ ſuæ Inquiſitores & Lojolitæ potiùs effundere debe„ rent in monumenta iſta papyracea, publicè Atheiſmum, Magiam, „ Sodomiam, amoresque deteſtandos, & cæteras mundi vanitates „ apertè profitentia, atque impunè laudantia; quales ſunt libri Joh. „ de la Caſa, Epiſcopi Beneventani, Cornelii Agrippæ, Machiavelli, „ *Boccazii*, Ronſardi, & aliorum autorum de fabulis Meluſinæ, Tri„ ſtrantis, Amadiſii, & id genus alii, qui hodiè quidem adhuc, ne„ mine prohibente, in pretio ſunt, licet maximo cum ſcandalo ac „ damno, imò cum æterno aliquando luctu ſuſtinendo. leguntur; „ fruſtrà ſe ex regula ſeptima Concilii Tridentini Epiſcopis & Inquiſito-

„ ſitoribus vulgo excuſantibus, quòd antiqui libri, res laſcivas ſeu „ obſcœnas tractantes, propter ſermonis elegantiam, quæ præpri- „ mis in Amadiſio Gallico commendatur, permiſſi ſint &c. Aliàs de Perſecutione iſthac tota legi meretur Tractatus & Relatio *D. Davidis Rungii*, Profeſſoris Theol. Wittembergenſis, anno 1601. publicata, alleg. *Bembell.* d. l. pag. 80.

Quò ſalutarem religionem, verbo Dei & A. C. conformem, ſartam tectam conſervarent *Sueci*, *Regem declarant CAROLUM Sudermanniæ Ducem*, cujus facti cauſa & occaſio ſic ſe habet: JOHANNES III. Suec. Rex, Lutheri fidem profeſſus equidem, Catharinam Jagellanicam, ſacris Pontificiis addictiſſimam, conthoralem ſibi ſociavit, ex eaque filium ac hæredem unicum ſuſcepit, Sigiſmundum. Is, ut Coronâ Poloniæ facilius potiretur, à matre & Jeſuitis, Romanenſium placitis, patre connivente, imbutus eſt, ac deinceps anno 1587. Polonorum Rex creatus, aliquandò, nimirum Genitore mortuô, regnum Suecicum Polonico adjuncturus. Poſtquam ergo fatis conceſſiſſet JOHANNES, regnum Sueciæ tanquam hæreditatem paternam adiit anno 1593. præſtito priùs juramento ſolenni, de privilegiis & immunitatibus Suecorum inviolatè conſervandis; ad officiorum dignitates exteris non applicandis; peregrinis quoque militibus non inducendis; potiſſimùm, nullo in loco regni ullius Religionis, quàm Lutheranæ, exercitiis concedendis, excepto tantùm regio ſacello, in quo Romana Sacra celebrari deberent, ſi quidem Rex præſens eſſet; Hisque ita diſpoſitis, & Regni adminiſtratione vicaria, Carolo Patruo commiſſâ, in Poloniam reverſus eſt Sigiſmundus III. Quùm verò ſanctiones iſtas nequaquam attenderent Lojolitæ, ſed multa iis contraria patrarent, ipſeque Rex promiſſis non ſatisfaceret, eum Suecici Ordines juramenti & pacti palàm violati reum proclamârunt, ſeſe viciſſim ſolutos à ſubmiſſione & obſequio ulteriori reputantes, niſi auſibus ac attentatis, ut injuſtiſſimis, ita periculoſiſſimis, debitus imponatur modus & finis. Regi, vim & arma pro medelis oſtentanti, proceres tandem imperium abrogârunt; non tamen à ſpe ſucceſſionis excluſo Ladislao, filio, ſi pater illum in Sueciam venire juberet; inque religione & Legibus Suecorum informari pateretur. Id cùm neutiquam admitterent Poloni, Sudermaniæ Dux Carolus, & ipſe regio ſanguine prognatus, hucusque regni Gubernator, publicè Rex proclamatus eſt. Horn. orb. pol. 122. orb. imp. 370. 398. Boxh. Chronol. 141. ſeq. 144.

Hoc

Hoc anno mortalitatem explevit laudatiſſimus *Davides Ungnadius*; quis ille, qualis & quantus fuerit, D. Hafenrefferus expoſuit in „Orat. fun. Gerlachian. pag. 24. ſeq. Nos hic non poſſumus non „ſtrenuiſſimi viri memoriam bonis omnibus de meliori commen„dare, ob ejus flagrantiſſimum promovendæ religionis Evangelicæ „ſtudium, in primis per divulgationem Aug. C. apud remotiſſima„rum provinciarum incolas, ad usque mare Caſpium, & quod for„ſitan excurrit. Cùm etenim anno Chriſti 1576. duo fratres, *Geor„gianorum Principes*, parte ditionum ſuarum per Muſtapham Baſ„ſam Turcicum occupatâ, recuperandi regni causâ Conſtantinopo„lim, cum ſplendido comitatu, ad Sultanum Amurathen profecti „eſſent, ac minor quidem natu ſubjectione promiſſa fideque Chri„ſti ejurata, regnum ex voto impetraſſet, alter autem *Quarquare „Artabas*, cui ob naſcendi ſortem Regio debebatur, ſpe recuperan„dæ dominationis excidiſſet, eò quod nollet in Turcarum tranſire „ritus & religionem, factum eſt, mirè ſic diſponente DEO, ut pius „hic Princeps, fructus tamen ſuæ peregrinationis non pœnitendos, „aut potiùs præmia conſtantiæ ampliſſima ferret, &, qui regno Ter„reno à Turca excluſus, regni divini communione bearetur ube„riùs, inque propagatorum veritatis à Chriſto aſciſceretur conſor„tium. Nam providentia divina ſingulari venit in notitiam Ora„toris Cæſarei R. Baronis Ungnadii, ex eoque per interpretes comi„ter ſalutato, Eccleſiarum Germanicarum Statum ſciſcitatus eſt; „amanter illum reſalutavit Baro, interprete Wenceslao Budovicio, „aulæ ſuæ tum temporis Magiſtro, deque noſtris Eccleſiis edo„ctum, ut in Chriſtiana fide conſtanter perſeveraret, monuit. Ad„hæc *exemplar Græcum Aug. Confeſſ.* Principi communicavit, quod „ipſe ſerenâ fronte acceptans, *in ſermonem Ibericum* illicò per inter„pretes *transferri juſſit*, & exemplar utrumque in patriam transmi„ſit. Gerh. Conf. Cat. lib. 2. 1172. LL. Comm. T. 5. 960. Hilar. ad Chronic. Cyprii 425. Imhof. Not. Procer. 1280.

Ad meliorem quoque vitam abiit *Samuel Fiſcher*, Theol. D. primùm in Valle Joachimica Paſtor, deinde Profeſſor & Superintendens Jenenſis, de Republica Chriſtiana tùm Eccleſiaſtica, tùm Scholaſtica benè meritus. Micræl. Syntagm. hiſt. part. III. 488.

Nec minùs *Johannes Andreæ*, Abbas Regiofontanus, D. Jacobi Andreæ filius, D. Joh. Valent. Andreæ Parens. Ejus cenotaphium „ſic habet: Johannes, Jacobi Andreæ Filius, amœni ingenii, & mo-

„ rum facillimorum Vir, Conſil. Wirtemb. & Regii Pontis Abbas, „ Mechanicarum artium impendiò ſtudioſus, homo comis munisque; cum morbis totâ ferè vitâ conflictatus, tympanitide extinguitur, cùm vixiſſet liberaliter annos 47. menſ. 5. dies 7. ſepultus „ Regiofonti, ingenti ſui deſiderio relicto, nat. ann. 1554. 2. Mart. „ ob. an. 1601. 9. Aug.

Avum habuit maternum, qui *centum ac tres annos* complevit in hac mortali vita, civemque Tubingenſem, & militem in arce præſidiarium egit, nomine *Johannes Entringer*, duorum filiorum ſacris deſtinatorum pater, triumque celeberrimorum Theologorum ſocer. *Intra centum annos etiam ab ipſo deſcendère*, quod miraberis B. L. *Trecentæ perſonæ in officiis Eccleſiaſticis & politicis meritiſſimæ, interque has, Doctores numero ſeptuaginta*, teſt. Tabb. geneal. Andr. pag. præf. a 7. ſeqq.

LIB. I. CAP. II.

Summaria.

Paparum gubernat Clemens Octavus.

Domus Auſtriaca, executionem ſacri fœderis papani, per Cardinalem Dietrichſteinium promittit.

Finito Jubilæo Romano, Gallicum in Aureliana S. Crucis æde incipit.

Raymundus Rupifortius, ſanctis Cœlicolis à Pontifice R. annumeratur.

Henrici IV. Galliæ Regis, ad Apologeticum ſocietatis Lojolicæ ſcriptum, pro reditu in regnum impetrando, reſponſum.

Sententia Curiæ Pariſienſis, adverſus Ignatianos A. 1594. lata, typis exprimitur, addito veteri Societatis encomio.

Clerici è Seminario nationis Anglicæ, Romà in patriam delati, ſecretam ibi Hierarchiam autoritate Pontificis conſtituunt.

Petrus Scharga, Jeſuita Vilnenſis, infenſiſſimus Proteſtantium adverſarius, Lutheranum conſpuens, dignis modis excipitur.

Johann Imbertus, impudentiſſimus Monachus, apud Arelatenſes cauſa magnarum turbarum exiſtit.

Gebhardus, Comes Truchſeſſius à Waldburg, olim Archiepiſcopus Colonienſis, tenuem conditionem unà cum vita hoc anno finit.

Vivis etiam excedit Wolffgangus à Dalberg, Elector Moguntinus, inter cujus majores Dietericus à Dalberg omnino memorabilis.

Ha-

HActenus de rebus Lutheranis egimus, jam ſequuntur *Pontificiæ*, quibus in Cathedra Rom. ut Moderator primus & ſummus præfuit *Clemens* hujus nominis *octavus*, Hippolytus Aldobrandinus anteà nominatus, ex Cardinale S. Pancratii & ſummo pœnitentiario Pontifex renunciatus tertio Calend. Febr. anno Redemtoris noſtri 1592. Platin. contin. hiſtor. 504. Is eſt, qui *Henricum IV. Galliæ Regem, tertium excommunicavit*, regnô excuſſurus eum; at cùm prævalere Navarræum, conſiliaque de Patriarchatu in Gallia erigendo vigere animadverteret, anathemata exſolvit, Hofm Lex. 453. A. Idem *Fœdus inſtituit ſanctum, ſcilicet*, inter Monarchas & Principes Europæos, ad extirpandos Evangelicos, cui omnes, excepto Rege Gallicano & Florentino (aliâs magnæ Hetruriæ) Duce, nomen dederunt. Hofm. ibid. *Autor fuit Congregationis de propaganda fide*, conſtantis ex aliquot Cardinalibus, aliisque Conſiliariis frequenter coituris, ad invenienda & exequenda conſilia ſtatuminandi ac amplificandi Papatus per totum terrarum orbem. Heidegg hiſt. pap. 284. *In Collegium Cardinalium, è Societate Lojolitica primum cooptavit*, nempè *Franciſcum Toletum*, natione Hiſpanum, præconiô Poſſevini magnis ingenii dotibus, ſolidâ doctrinâ, & perſpicuitate præſtantem. Lanſ. Conſ. 257. Gerh. in Matth. pag. 308. *Sixti V. editionem latinæ verſionis Bibliorum vulgatæ, emendatæ*, totique Reipubl. Chriſtianæ pro authentica & immutabili commendatæ, *ſub correctionis incudem*, abolitâ Sixti Bullâ, *revocavit*, eoque nutantis infallibilitatis Pontificiæ, ſpiritûsque vertiginis, quo ſe Pontifices corruptos non ſemel prodiderunt, notorium ſpecimen exhibuit. Heideg. hiſt. pap. 277. *Ferrariam*, cùm Adolphus II. Dux Ferrariæ ac Mutinæ diem ſuum obiret ſine liberis, tanquam vacuam *patrimonio Petri adjunxit*. Micr. Syntagm. hiſt lib. 3. 586. pag. *Perſuaſum habuit, ſplendidam legationem illam, quæ*, quarto ſui Pontificatus anno Romæ appulit, à neſcio quo *Gabriele miſſa*, ſubmiſſionemque & confeſſionem ad placitum aulæ Papalis edidit, *ab Alexandrino Patriarcha veniſſe adornatam*; ſed quàm falſa & conficta fuerint omnia, magni nominis viri ex ipſis Pontificiis, non ſine rubore teſtati ſunt. Hott. H. E. Sec. XVI, 85. Hornb. ſum. Contr. 976. 982. J. E. Gerh. diſp. de Eccleſ. Copt. præf. confer. Hæc obiter attingere voluimus, quia, licet ad præteriti acta ſeculi ſpectent, in agendis tamen ſubſeq. occurrunt alleganda ſæpiùs.

Anno 1601. Cæſar, vel ejus nomine Archidux Auſtriæ *Ferdinandus II.* à Clero cuculligero inductus, Cardinale Dietrichſteinio

Romam ablegato, *Executionem ſacri fœderis*, à papanis Regibus & Principibus initi, *promiſit*, ſimulque in Stiria, Carinthia, Carniolia, nec non aliis Auſtriacæ Domus provinciis, jam initium eſſe factum renunciavit. Heideg. H. p. 285.

Quùm interim annus *Jubilæo Romano* deſtinatus, ad finem decurriſſet (cui etiam Fridericus Wirtemb. Dux ſpectandarum, non emendarum, nundinarum papalium causâ adfuit) *Pontifex* iterum ſuas merces cenſuit recondendas. *Auream* igitur *portam*, è qua largiter emanarant Indulgentiæ, *clauſit*, ne videlicet omnibus proſtarent ſemper, ac inde vileſcerent. Ipſe autem Papa in occludenda porta, ut vocant, aureâ, primum lapidem, additis magni pretii numiſmatibus aureis & argenteis, poſuit, ultimâque ad Jubilæum ſpectante Miſsâ ſolenniſſimè celebratâ, die Concordiæ in loco quodam ſpatioſo Papalem benedictionem impertiit omnibus, qui devotè anni Jubilæi gratiam quæſiverant, petentibus etiam liberas Indulgentiales, pro certo pretio conceſſit. Oſ. hiſt. Eccl. ult. 1142.

Sed *in Aureliana S. Crucis æde novum Jubilæum Gallis indixit*. Etenim Fanum illud Auguſtiſſimum, cum aliis plurimis in ſuperiorum annorum turbis, ab Hugonotis funditus exciſum fuit; quod ut rurſus inſtauraretur, Jubilæum Gallicanum ſingulari gratia publicavit Papa, ut collatis muneribus ac eleemoſynis totius regni, votivis præcipuè Regis, Reginæ, ac procerum oblatis, novum opus (cujus fundamenta Rex ipſe poſuit) omni conatu poſſibili promoveretur. vid. Lundorp. hiſtor. T. 3. 307. pl.

Eodem anno, *Raymundus Penafortius*, vel *Rupifortius*, olim Dominicanus Barcinoënſis, JC. eximius, qui fatis conceſſit anno 1275. à Clem. VIII. *Sanctis annumeratus eſt*; non tàm, ut acutè conjicit D. G. Calixtus, Helmſtadienſis Theologus, in proœmio ad lectorem libris Auguſtini de Doctrina Chriſtiana præmiſſo pag. 64. quòd Gregorii IX. juſſu quinque Decretalium libb. conſarcinavit, quàm, quòd poteſtatem ſecularem Eccleſiæ, conſequenter Pontifici, tanquam ejus capiti, & vicario ſummi Regis Chriſti, liberaliter adſcripſerit. Is enim in ſua Summa, cùm docuiſſet poteſtatem ſecularem, quatenus penes Reges ac Principes Mundi eſt, non ſolùm propter hæreſin propriam, ſed etiam ob negligentiam in extirpanda hæreſi, ab Eccleſia (reſolutivè à Papa) tùm excommunicari, tùm „ deponi poſſe: Hanc pœnam extende, inquit, & Eccleſiæ poteſta„ tem, quandocunque Princeps aliquis ſecularis fuerit inutilis, diſ-

ſolutus

„ ſolutùs & negligens circa regimen ac juſtitiam obſervandam. Hæc Raymundus, quem noſtrâ memoriâ Divorum catalogo, ob iſta credo (Calixtus) merita, Clem. VIII. adſcripſit. Confer. Hofm. Lex. 245 B.

Ordinis Ignatiani Sodales, oblato Gall. Regi *Henrico IV.* Societatis Apologetico quodam ſcripto, pro reditu in regnum impetrando, Regium & egregium ab ipſius Majeſtate reſponſum acceperunt, hunc in modum: Sententiam ſemel antehàc latam, ſe non mutaturum, nec pragmaticam ſanctionem abrogaturum eſſe. Totus, „ inquit, in hoc ſum, ut regnum meum, bellis civilibus attritum, „ viribus opibusque exhauſtum, recens cum Hiſpano inita pace, „ priſtino nitori reſtituam, legibus firmem, humanitate recreem. „ Id alia ratione fieri non poteſt, niſi ut æquali jure ac benevolen„ tiâ, tàm Catholicos, quàm Hugonotas ita appellatos, tùm in Ec„ cleſiaſticis, tùm in politicis complectar. Novi ego vos, novi do„ ctos ac diſcretos, novi zelo Catholicæ R. doctrinæ inflammatos, „ novi vos acerrimo Hugonotarum odiô flagrare, novi vos ſacro„ rum reliquias, cereos divini Agni orbiculos, & aliud quippiam à „ R. Papa conſecratum venerari, quod omne tanquam ridiculum „ Hugonotæ aſpernantur, utque idololatricum rejiciunt; Metuo „ igitur, ne vehementiâ (vobis in concionando ſolita) condemna„ tionum, ſæpiùs iteratarum, etiam imprudentes turbarum autores „ ſitis. Vos ergò magis tranquillitati totius regni, quàm veſtræ u„ tilitati conſuletis; dixi, abite & valete. Bembonel. ſuſcitab. 2. 117.

Eadem tempeſtate, *ſententia Pariſienſis Curiæ* anno 1594. *adverſus Ignatianos fratres* lata, per Johannem Clericum typis expreſſa eſt, veterique ornata encomio: Eos tanquam corruptores juventutis, perturbatores publicæ tranquillitatis, inimicos regis & regni, procul abeſſe Luteriâ debere, procul ab aliis urbibus, procul à Galliæ Collegiis, atque locis omnibus. Rivet. Cathol. Orthod. Tr. 2. 279. Gerh. Conf. Cath. A. 903.

Sacerdotes è ſeminario nationis Anglicæ, quod Wilhelmi Alani ſuaſu à Gregorio XIII. Romæ fundatum fuit, adulto ferè ſuperiori ſeculo *in Angliam delati*, re cum Jeſuitis communicatâ, *ſecretam Hierarchiam* ordine ſubſidiario conſtituerant, in eoque principatum tanquam delegati à Pontifice ſibi ſumſerant. Sed ob Imperium affectatæ illius Hierarchiæ diſſentientes in acerbiſſimas contentiones ruebant, gravibus probris & aculeatis libellis invicem ſe onerantes.

Hiſce diſſidiis modum, ſi non finem, ut imponeret Clemens VIII. ad Georgium Blacwellum, Archipresbyterum Angliæ putatitium, qui potiſſimam hiſce turbis occaſionem dederat, Nov. 5. diploma miſit, quo injunctum ei, ut nulla negotia poſthàc, ad ſuam adminiſtrationem pertinentia, cum provinciali Societatis Jeſuiticæ, aut cum viris religioſis ejusdem ſodalitii, per literas aut coràm communicet, ſed de iis omnibus ad Pontificem & Sedem Romanam, aut ad Protectorem referat. Satis enim agnoviſſe Papam infructuoſos in iſto regno conatus, & nimiam pertinaciam ad rei pontificiæ perniciem certiſſimè vergentem, ex Thuano Heideg. H. P. 287. teſtatur.

Petrus Scharga, Vilnenſis Jeſuita, in expeditione Polonica, contra Carolum Sueciæ Regentem, anno 1601. ſuſcepta, publicam concionem habuit, qua perſuadere voluit Regi tale *conſilium:* In exercitu, quem duceret Sigismundus, multos eſſe Lutheranos Hæreticos, Suecos hoſtes itidem hæreticos eſſe; ſuadere igitur ſe, ut hæretici hæreticis committerentur, & pòſt exercitûs reliqua pars utrosque in poſtico invaderet, ac obrueret. Eckh. Chriſt. religioſ. 240. Hic, à Jeſu alieniſſimus, *adeò* fuit *infenſus Lutheranis, ut erga hos tale odium docuerit ſuos, quo conſpuerent obvios;* Ipſe tamen, cum exemplum hujus doctrinæ aliis imitandum aliquando ederet, impudicum os, manu cujusdam Nobilis probè contuſum, domum retulit, referente Mich. Siric. in Tr. de Religione Moſcovitica, pag. 24.

Anno 1601. *Johannes Imbertus*, Sacerdos Arelatenſis, puerum ſexennem raptu & ſtupro contaminavit; Cùm à Regio Magiſtratu ad ſupplicium duceretur, Archiepiſcopus *Paulus Huraltus* interpellatus, exautorare eum noluit, & Magiſtratum, nulla contumaciæ ſuæ ratione habita in propoſito pergentem, excommunicavit. Nimirum iſtis hominibus ſpurci ſunt, qui ſpurca arguunt, qui faciunt, non ſunt. Sed magnâ ſui nominis ignominiâ brutum iſtud fulmen, imprudenter ac impudenter ejaculatum, Archiepiſcopus expiare habuit; Etenim à Senatu regio coactus eſt, ut rigidam adverſus judices Cenſuram, tanquam abuſivam, coram iisdem Sacerdotibus, coram quibus eam publicaſſet, revocaret, eaque de re intra triduum, Inſtrumentum apud acta Curiæ deponeret; quo facto, Magiſtratus litem ampliùs movit nullam, & populi offenſio ac tumultus, ex hac occaſione per totam provinciam exortus, conquievit D. Nicol. in Symb. Luth. vind. 42. Thuan. hiſt l. 126.

Geb-

Gebhardus Comes Truchſeſſius à Waldpurg, Archiepiſcopo Colonienſi Saladino Iſenburgio *ſuffectus* eſt anno 1577. Cùm verò paucos poſt annos Agneti Comitiſſæ Mansfeldenſi fidem dediſſet matrimonialem, nihilo tamen ſecius Archiepiſcopatum retinere, liberumque religionis Evangelicæ, cui ſe addixit, exercitium in Diœceſin introducere contendiſſet, Pontificio fulmine percuſſus, ac ſede deturbatus eſt, electo in ejus locum Erneſto, Duce Bavariæ; cùmque obniteretur ille, ingentes etiam turbæ ſunt ortæ, quas ſcitè Thuanus recenſuit. Depulſus tandem dignitate, vi hoſtium & ſuorum perfidia, Gebhardus, in tenui conditione vitam primo ſeculi hujus an- [illegible] Cent. 16. pag. 862. 948. 952. ſeq. Act. Erud. Lipſ. 1691. 156.

Hoc ipſo anno vivis exceſſit quoque *Wolfgangus à Dalberg, Archiepiſcopus & Elector Moguntinus*, eique ſurrogatus eſt Johannes Adamus à Biken. Calviſ. 956. Hofm. part. 2. Lex. 581. Ad majorem æſtimationem familiæ defuncti Electoris videtur ſpectare teſtimonium Wolffii Tom. 2. Memorabil. pag. 139. ſcribentis de *Diethero à Dalburg*, Germano, Ordinis equeſtris, ſolidæ ſanctæque pacis ſtudioſiſſimo: Quotieſcunque illo præſente ſermo fuit de calamitatibus Eccleſiæ. & ipſius Reformatione, quòdque ad eam rem opus eſſet Conciliô generali, dicere ſolitus eſt: Sibi quoque videri conſultum eſſe, ut maturè Eccleſiæ afflictæ ſuccurratur Concilio generali, Chriſtiano, & legitimo; Cui neceſſariò præficiendi quatuor judices minimè corrupti, minimè partiales, aut ſuſpecti: Biblia Hebraica, Biblia Græca, Biblia Latina, Biblia Germanica. Et illud Lanſianum in Conſultat. p. m. 106. Conſiderate *Dalburgiam*, genere nobilem, *quæ in ſexto gradu deſcendente poſteros vidit*, unde nati verſus:

(1.) Mater ait (2.) natæ; dic (3.) natæ, filia (4.) nata
Ut moneat, (5.) natæ plangere (6.) filiolam.
Ein Mutter zu ihrer Tochter ſprach:
Sag deiner Tochter/ ihr Tochter ginach
Erſchall/ daß ihr Tochter rein/
Kleines Kindlein in der Wiegen wein.

LIB. I. CAP. III.

Summaria.

Calviniſmus hoc tempore paſſim invaleſcens, Marchionatum Badenſem, Lignicii ac Brigiæ Ducatus, aliasque Sileſiæ partes complures tentat.

Idem

Idem in Hungaria ſuperiori atque Tranſylvania, poſt Alberti Graueri diſceſſum, altiores agere radices incipit.
Sed Juſtus Kahl, relicta communione Calvinianorum, Pontificiis accedit.

ORdo nos ad eos jam deducit, *qui ſibi Calviniſmum elegêre ſequendum;* Idque dum agitur, haud minùs ad initium ſeculi noſtri (ſervatis tamen gradibus) quàm ad ejus progreſſum quadrare non nemo arbitratur, quod olim *Fridericus Balduinus* Theol. D. & Profeſſor Wittebergenſis, in oratione panegyrica de habenda Synodo „ Evangelicorum Generali pag. 4. dicere non eſt veritus: Videmus „ Calviniſmum, h. e. eam doctrinam, quæ juſtitiam miſericordiam- „ que Dei, quæ omnipotentiam Filii Dei, quæ gloriam & majeſta- „ tem Filii hominis, quæ unitatem totius Chriſti, integritatem & „ virtutem Sacramentorum, certitudinemque ſalutis noſtræ con- „ vellit, tantumque non ex imis fundamentis evertit, jam non am- „ plius ſerpere, ſed ſuperbo quodam gradu per regna, per Electo- „ ratus, per Principatus, per provincias, per civitates paſſim ince- „ dere, ut, qui iſtis ſive erroribus, ſive blaſphemiis addicti ſunt, „ haud abs re hodie cum Pontificiis de nomine Eccleſiæ videantur „ certare poſſe; Exultantes in rebus peſſimis, & cum Paſtoribus illis „ apud Jeremiam clamantes: Benedictus Dominus divites facti ſu- „ mus! Dicunt ſcribuntque, veritatem caput aureum extuliſſe, De- „ umque tonitruo verbi ſui dediſſe virtutem iſtam: Quaſi verò nuſ- „ piam legantur in Scriptura comminationes Dei de auferendo cul- „ tu & movendo candelabro è loco ſuo, propter ingratitudinem E- „ vangelii ac impœnitentiam populi; aut quaſi nulla unquam hæ- „ reſis vel clandeſtino greſſu, vel aperta vi, regna integra totasque „ provincias invaſerit. Hæc *Balduinus*, ipſi *Nicolao Arnoldo*, Doctori Calviniano, ſolidus & pius Theologus, præfat. refut. Catech. Racov.

Poſtquam adeò in chariſſima *Germania* noſtra potiores provincias & urbes, Calviniſmus clanculùm perreptaſſet, ergà finem elapſi ſeculi caput erexit in altum: inchoato autem hoc ſeculo, tàm inſolenter ſe effert, ut Proteſtantibus inſultet, ſuos autem ſectatores mirum in modum ſuſtollat, reformatæ fidei & Auguſtanæ Confeſſionis hæredes hos, expulſis à legitima ejus ſucceſſione & poſſeſſione Lutheranis, violentia quadam conſtituat; Imò Electorem *Palatinum* (Calvinianorum dogmatum Principem tenaciſſimum) Religionis Antipapalis *ſupremum Patronum* faciat, *inque cauſis fidei Directorem ac*

alti-

ultimam ei deciſionem vendicet; Pontificiis autem, vulgò Catholicorum nomen obtinentibus, nihil niſi bella minetur, damna, cædes & exitium. confer. Cudſem. deſperat. Calvin. cauſa, pag. 55. Bembell. ſuſcitab. B. 88. &c.

Marchio Badenſis, Erneſtus Fridericus, Religionem, à fratre Jacobo (ab Apoſtata Piſtorio ad Pontificiorum caſtra ſeducto, & anno 1590. rebus humanis exempto) turbatam, ſummo ſtudio reſtituit, mortuôque patruele res omnes benè ac ſapienter curavit, Formulæ concordiæ ſuo etiam nomine ſubſcripto; Tandem verò ad Calviniſtarum partes inclinare, iisque ſe adjungere cœpit, &, ut ſuum ad exemplum ſubditi ſe componerent poſtulavit, eapropter publicis edictis mandans Eccleſiæ miniſtris territorii ſui, poſthàc ſecundum formulam *libri Staffordenſis* docerent; nec minùs politicis officialibus præcipiens, curarent, ne Ipſius mandatum negligeretur aut violaretur. Id quùm innotuiſſet principibus Evangelicis, Marchionem dehortati quidem ſunt, ne reformationem Calviniſticam, cum proprio ſuo & ſuorum detrimento, ſuſciperet; neve ſubditos adigeret ad amplectendam religionem, quæ cum Auguſtana Confeſſione invariata, cum pace religionis, & cum diſpoſitione paterni Teſtamenti pugnaret; ſed nil obtinuere; Quin potius Marchio Commiſſarios Pforzhemium, ditionis primariam civitatem, abire juſſit, ac introducere concionatores Calviniſticos in Urbis templa, addito mandato valdè ſerio, cives ut admitterent eos, docentesque audirent; Pforzhemenſes autem reſtitére fortiter & conſtanter, nec ullum admiſere Calvinianum, ad mortem uſque Marchionis, omnia dirimentem. ImHof. notit. proc. 578. Oſiand. Cent. ult. 1143. Joh. Valent. Andr. Hiſt. Eccleſ. Ep. 405. ad ann. 1601.

Sub idem tempus Calviniſmo promovendo in *Ducatibus Lignitii & Brigiæ*, princeps *Joachimus Fridericus* intenſam navavit operam, velut ex Edicto ad omnes docentes in Eccleſiis & ſcholis iſtarum ditionum, ſub 19. Decembris anno 1601. publicato, ſatis ſuperque patuit; quo Lutheranæ concordiæ librum ejusque autores perquàm falsè & ignominiosè (ad exemplum Parentis provocando) perſtrinxit; declarationes ac diſſertationes de perſona Chriſti, communicatione Idiomatum, Cœna Dominica, & quæ ſunt conſimilia, ſecundum tenorem F. C. concepta, PERNITIOSISSIMA DISPUTATA, NOVAS AC FICTAS GLOSSAS Auguſtanæ Confeſſionis, nocentiſſimarum diſſenſionum, atque turbarum Eccleſiaſticarum incentiva, nominavit;

vit; ac eapropter Miniſtris Eccleſ. & ſchol. injunxit, ut ab ejusmodi phraſibus, placitis, & doctrinis abſtinerent, aut ſi nollent, è finibus Ducatuum exirent. Sed ipſummét opinione citiùs exire juſſit mors, deſtinataque ſufflaminavit, fortaſſe nunquam attentata à principe, niſi *uxoriis perſvaſionibus Annæ Mariæ Anhaltinæ* adactus eò fuiſſet, ut ſecretis molitionibus Calviniſtarum ſuccumberet. Forer. Augapſ. überſchl. 260. Hutter. Calvin. Aulico-polit. ſalt. 170. Etenim Calvinianorum Doctorum philotechnema haud minimum eſt, muliercularũ animos prehenſare & ineſcare primùm, quoties principũ virorum favorem ambiunt, ac ſeſe in eorundem aulis & provinciis inſinuare cupiunt. Scitè hoc innuit Geſnerus, diſput. de papiſmis Calvinianorum practicis, theſi 84. talibus verbis: „Quàm inſidiosè in principum „ac regum Gynæcea irrepant Jeſuitæ; quàm ſubdolè libellos, ima„gunculas, & ſimiles ejus generis reculas fœminis ſuggerant; ani„mos illarum contrà nefariè in Confeſſionis examine, vel tortura „potiùs, de arcanis conjugum colloquiis excutiant; quàm denique „fraudulenter infirmum ſexum in contubernium Romanæ Thaidis „pelliciant, non opus eſt ex hiſtoriis comprobare, cùm exempla o„mnium in oculis verſentur, ipſique Calviniani minimè negent. Poſt longulam narrationem de Conſtantia, ſorore Conſtantini Magni, Arianorum patrona, puriori Eccleſiæ valdè nocivâ, pergit Geſnerus: „Hæc ſi ad noſtra tempora accommodare, ac de Calvi„nianis molitionibus, in medium prolatis perſonis, hiſtoriis, nu„ptiis, affinitatibus, cognationibus, quæ per Calvinianas copu„lationes coiére, palàm diſſerere liberet, abſque omni difficultate, „modò abs offenſione & ſcandalo, facere poſſemus. Cùm haud ob„ſcurum ſit, quâ fraude libellos illi ſuos in Principum Gynæcea ſub„mittere, quibus technis imbecillum ſexum irretire, perque mu„liercularum blanditias virus ſuum virorum animis infundere con„ſueverint.

Alibi quoque *paſſim in Sileſia* ſe diffundere Calviniſmus non acquievit, multum cooperante famigerabili Doctore Heidelbergenſi, *Davide Pareo*, cui Frankenſtenium Sileſiorum natale ſolum dedit. Motus inde *Salomon Geſnerus*, Doctor Theol. & Profeſſor Wittenbergenſis celeberrimus, *iſtarum Regionum Status, Urbes, atque Communitates, de fugiendo Calviniſmo fideliter præmonuit* peculiari libello, ſincerè Theologico, quem verò Antonius Bembellona, juris Doctor Anhaltino-ſerveſtanus nullo jure, ac temerè indignans, FAMOSUM

ET POLYPRAGMONICUM appellavit. Conſil. Witteb. A. 525. Tempeſtiv. ſuſcitab. n. 80. Nimirum, ut *Bartholdus Krakevviz*, Theologus Citerioris Pomeraniæ & ſuperintendens generalis, alicubi ad Ducem Megapolitanum Adolphum Fridericum ſcripit: „ Spiritui „ Calviniſtico familiare eſt, Allotriepiſcopias eos promiſcuè accuſa„re, qui de doctrina aut factis Eccleſiarum alibi ſitarum, ex oraculorum divinorum præſcripto judicium facere, ac de technis & cona„tibus Sacramentariorum exteras quandoque Eccleſias fideliter præ„monere ſolent. e. g. in regione N. nobis contermina, quando ea „ hodie fidi aliarum Eccleſiarum Ephori tentari animadvertunt, quæ „ Eccleſiæ Luth. non poſſunt non eſſe maximè nociva, horumque „ causâ lupum Calviniſticum, impetentem ovile Chriſti, animosè in„clamant, Polypragmones audire, & calumniam ſatis atrocem, „ quod falcem in alienam meſſem mittant, quòdq; propria ſua ne„gligant, ſuſtinere coguntur &c. pluſculis interjectis, argutè concluſit: „ Cùm ipſi ſacramentarii, intra ſuorum congreſſuum limites ſeſe „haudquaquam contineant; ſed hinc inde Magnatũ aulas perreptent, „ & fidei atque ceremoniarum noſtrarum plusquàm Magiſtralem „ cenſuram ſibi ſæpiſſimè ſumant; quis furor eſt, nobis id vitio ver„tere, quod ipſi toto die peragunt, & ſine quo ſi eſſet, ſacramentarii dogmatis virus non ita latè ſerperet. vid. Calovii judicium Theolo„gicum ſuper Chriſtiani Drejeri orationem, Regiomonti de ſyncre„tiſmo ſuo habitam, lit. E 4. F. 1.

Nec minùs *in Hungaria ſuperiori atque Tranſſylvania*, poſt Alberti Graueri diſceſſum, Calvinianiſmus firmiores radices agere cœpit, ab Anhaltinis & Palatinis haud modicùm adjutus; Accurante tamen præcipuè, *Sebaſtiano Lamio*, qui ſe falsò *Sebaſtianum Ambroſium*, à prænomine Parentis ſui vocitabat, corpore & anima claudicans, homo verſutus ac verſipellis. præfat. Apologet. in abſurda abſurdorum abſurdiſſima, Calviniſtica abſurda, pag. 1. 2. 4 pl.

At *juſtus Kahl*, cujus mentionem facit Gerh. in L. C. Tom. 6. 1101. hactenus nomine & profeſſione *Calvinianus*, non infimæ ſortis, *ad papatum defecit*. Hunc, ut ex editis ejus Moguntiæ *Epiſtolis Catholicis* manifeſtò apparet, antequam ad P. transfugeret, ſibi de honoribus aliisque muneribus amplè ſatis proſpexiſſe, vel in vulgus manavit. Plurimas enim literas tùm ad Baronium, & Bellarminum, Cardinales iſtius temporis præcipuos, tùm ad ipſum Pontificem ſcripſit, magnam ſibi meſſem calamitatum illâ ſuâ transmigratione

præparatam eſſe, aliaque multa prætendit multo tempore; donec ſacerrimi Papæ Clementis VIII. ſpiritu, ex fulvo irradiante ac renitente auro, afflatus & recreatus eſt. Sic enim conſolabatur eum dictiſſimus Pater, verbis Jan. 17. 1601 Româ ſcriptis: „Fuge, dilecte „fili, de medio Babylonis, veni ad nos, veni ad urbem Romam &c. „uſque ad humilitatem noſtram. Nos ſtudiis tuis ſuffragabimur, „eaque ut expetis ſuſtentabimus, neque patiemur, ut quæ ad vitam „& victum neceſſaria ſunt, deſideres; ea enim tibi ſubminiſtrari ju-„bebimus, tuisque commodis benignè conſulemus, omni deni-„que amoris ſignificatione proſequemur. Tandem ipſe Kahl (qui ſe aliàs *Calvinum Veteracaſſrenſium* nominat.) ut ſorex 22. Maji. an. 1601. ſe prodidit, his verbis ad Papam: „Sanctitatis tuæ erga me „incredibilia merita muneraque, nulla unquam temporis oblivio „ex animo meo delebit. Stipatus ergò talibus tantisque promiſſionibus, literis & muneribus, Babylonem ingreſſus eſt, cum qua fornicati ſunt reges terræ. Hæc Bembellona de Gaudentiis, in ſuſcitab. A. 222. parte II. verò pag. 21. addidit: „Juſtus Kahl, vel Cal-„vinus, ut paulò antè, quam transfugeret, *unicè delectatus eſt lectio-„ne libelli de vanitate Religionum*, (in quo vaniſſimus ille ſcriptor, „maximos impoſtores, Moſen, Chriſtum & Mahometem appellat, „aliasque plures blaſphemias aſpergit) Ita, procul dubio, nunc in „regno tenebrarum viventi, ea ſemel concepta impietas adeò aucta „eſt, ut irriſor ſit omnis religionis, licet egregiè diſſimulet, foris q; ſanctitatis quandam ſpeciem oſtendat.

LIB I. CAP. IV.

Summaria.

Incidit hunc in annum Colloquium Ratiſponenſe, inter Pontificios & Lutheranos habitum.

De Occaſione, Materia, Forma, Exituque ejus paulò fuſiùs agitur; de poſt-Colloquio contractiùs.

MIſſis hac vice Fanaticis, ſchiſmaticis, hæreſiarchis, & ejus generis hominibus aliis, aliòque reſervatis, *ne acta unius anni prolixiora fiant, quàm noſtra fert intentio*; de *colloquiis* nonnihil annotabimus. Inprimis verò memorabilem hunc annum facit, habitum *Ratisponæ* tertium de religione Colloquium, autoritate Maximiliani Bavariæ Ducis, & Philippi Ludovici Comitis Palatini, partes inter Pontificias & Lutheranas; ex illa, & ordine quidem Jeſuitarum, Alberto

berto Hungero, Jacobo Grezero, Adamo Tannero; ex hac autem Ægidio Hunnio, Jacobo Heilbrunnero, Andrea Oſiandro, ac aliis utrinque deputatis, eò ire juſſis.

OCCASIONEM dedit colloquio *Thraſonica Lojolitarum arrogantia*, quam exprimere liceat verbis D. Leonhardi Hutteri, Witt. Theol. in Threnodia ſuper obitum Ægidii Hunii pag. 48. dicentis: „Incredi„bile, quam fuerit frequens, quanquam inſolens apud Adverſarios „ſermo de futuro Colloquio, quantoperè ſermonibus juxta & publi„cis ſcriptis celebratum illud colloquendi inſtitutum, tanquam o„mnium convenientiſſimum medium ad extirpandam Lutheranam „hæreſin; ita ut prope nihil aliud Eſavitis in ore & calamo eſſet, quàm „*colloquium, colloquium, diſputatio, diſputatio.* Hinc immanes illæ „provocationes, quòd ſcriptitabant, ſi noſtrates cordati ſint viri, con„grediantur & pedem conferant. Jactare quoque ſolebant, non „tantum eſſe noſtris vel animi vel fiduciæ, ut inire diſputationem pu„blicam audeant. Minitabantur etiam, quibus modis noſtrates „excipere velint? velle ſe illos tanquam rudes ex inferiore aliqua „claſſe ſcholaſticos, primo ſtatim congreſſu, totis quod ajunt ca„ſtris exuere, adeoque vivos capere. Ut igitur intolerabilis hujusmo„di jactantia aliquando retunderetur, & alia, quæ ex denegatâ collocu„tione poterant emergere, præſcinderentur, Hunnius (patriâ Wirtem„bergico Winnendenſis) Theologiæ Profeſſor Lutheranus, in Acade„mia Wittebergenſi, hoc ipſo anno Jul. 10. diſputationẽ publicam pro„poſuit, ad quæſtiones diſcutiendas, An, & quomodo, quibusve „conditionibus ejusmodi colloquium inire, æquum ac integrum „eſſet? factâ demum declaratione, Noſtrates lucem & congreſſum „non defugere, ſed paratos eſſe de quibuslibet articulis legitimam inire diſquiſitionem. Inde prædicti principes, conſentiente Saxo„nico Electore Chriſtianô II. poſt iteratas deliberationes, inter „quoſdam utriuſque partis Theologos, apertam ſententiarum col„lationem, diu agitatam undecimo anni menſe circa finem, ipſis„met præſentibus, in curia Ratisponenſi, permiſére. vid. Dan. Cram. Tr. Germ. de Coll. Rat. A. 4. ſeq.

MATERIA diſquiſitionis, *de Norma Doctrinæ & controverſiarum Judice* fuit. Hîc Papicolarum nomine Gretſerus primò Theſin, quam Bavarici Theologi probandam ac defendendam ſuſceperunt, hoc modo propoſuit: „Scriptura S. non eſt judex omnium controverſia„rum fidei & religionis Chriſtianæ. Eſt equidem Norma infallibilis,

„ lis, verùm nec ſola nec unica; ſed præter hanc neceſſariò admitti „ debent Traditiones & Eccleſiæ definitiones, Doctorumque orthodoxorum conſenſus. Ad petitionem Heilbrunneri ſæpius repetitam, ut affirmativè, quemnam ſtatuerent judicem Romano,Catholici, proponens indicaret, nec minùs palàm & in ſpecie ſignificaret, quæ ſint illæ Traditiones & Eccleſiæ definitiones, Normæ verbi divini ſcripti adjungendæ? Juſſus à ſeren. Pr. Maximil. priori petitionis membro ceſſit,poſteriori recuſato conſtantiſſimè: „Judex Gene„ralis, inquiens, judex legitimus, & ordinarius omnium contro„verſiarum, quæcunque poſſunt oriri in religionis negotio, eſt Pon„tifex Romanus; ſive ſolus definiat aliquid, ſive definiat cum ge„nerali Concilio. Iſte judex ſemper eſt infallibilis, quandò ex Ca„thedra definit, ut Pontifex, nulli errori obnoxius. Et ſperamus, „hoc die & hac ipſa hora, hoc munere judiciario fungi, ſanctiſſi„mum Dn. noſtrum Clementem VIII. Pontificem Opt. Max. Act. „Colloq. 18. 35. 168. edit. Laving.

Contra, Theologi A. C. taliter ſuam expreſſére ſententiam: „ Verbum Dei, Prophetarum, Evangeliſtarum,& Apoſtolorum ſcri„ptis comprehenſum, doctrinæ, cultûs ac fidei Chriſtianæ unicam, „ certam, & infallibilem Normam, regulam ac menſuram, cui pro„pter ipſum Deum autorem, per ſe, fides habenda ſit, indubitanter „agnoſcimus. Idque ipſum controverſiarum religionis omnium, „ inter nos præſertim, qui Chriſtianorum nomen ſibi vendicant, ju„dicem, aut ſanè vocem judicis ſupremi, quem omnes agnoſcere, „ timere ac venerari tenemur, conſtituimus. Quod cum hoc Dei verbo concordat, recipiendum & approbandum; quod verò diſcor„dat, ſimpliciter, & ſine omni exceptione, repudiandum ac da„mnandum eſſe cenſemus. ſeſs. 1. pag. 19. ſeq. Hac unica ſuper materia conſumptæ ſunt *ſeſſiones quatuordecim*, in octo primis pugnantibus Lutheranis pro aſſertione ſua; in reliquis pro altera, pontificiis. Diſputatum acriter utrinque, ſed nullo, poſt multos magnosque niſus, effectu ſalutari; quoniam utraque pars in ſententia ſua perſtitit; quo jure, quave injuriâ? ex actis, quæ proſtant, publicis æquus ac eruditus lector facilè perſpiciet.

Non nemo fortaſſe mirabitur, *quâ inducti causâ prænominati principes* præſertim Evangelici, *de materia jam allegata ſententias conferri, colloquio ad id peculiariter inſtituto, ſuſtinuerint?* Hactenus enim pii cenſebant omnes, debere punctum de ScripturaS.tanquam principio

dog-

dogmatico & Normâ religionis, inter Chriſtianos extra diſceptationis aleam ita manere poſitum, ut, qui negat S. ſcripturam eſſe Normam doctrinæ ſalvificæ, religioſarumque controverſiarum judicem, eum jam principia negare, & Chriſticolarum acropolim invadere non dubitandum ſit, nec etiam cum ejuſmodi homine, quà Chriſtianus audire cupit, liberè diſputandum. Idque ipſiſſima ſocietas Lojolæ, inprimis Bavarica (tacitè dicam, an expreſſe?) profeſſa eſt, quandò ſe de controverſis articulis omnibus, è ſola ſcriptura S. cum Evangelicis diſceptaturos, plenis ubique buccis jactaverunt. Veruntamen quùm Ducem Neoburgicum ſerias de Colloquio promovendo curas agere animadverterent, ac petere diſputationem inſtitui de juſtificatione, bonis operibus, votis, jejuniis, ſatisfactionibus, dubitatione, pœnitentia, purgatorio, indulgentiis, Miſſa, invocatione ſanctorum, Eccleſia, Papa, vocatione Miniſtrorum, eorum conjugio, mutilatione S. cœnæ, &c. ſolamque ſcripturam S. indubitatô Canonicam, tanquam vocem judicis Spiritûs S pro norma haberi; Sibi verò non ſatis præſidii in Scr. S. viderent mox illi methodias agere cœperunt, contra ipſam ſcripturam ſtylum vertere, totisque nervis eò contendere, quò de articulis Papatui propriis nunquam ſibi diſceptandum fiet, ſcripturâ judice ac Norma. Negârunt itaque de articulis nunc recenſitis diſputationem inſtitui poſſe, ni priùs controverſia de autoritate ipſius ſcripturæ ſit explicata; Hanc enim unicam & ſolam pro Norma ac judice Religionis agnitam, omnium hæreſeon & Confuſionis Babylonicæ cauſam dicere non veriti ſunt. Licet ergò Lutherani unicam hanc ob cauſam, jure meritòque omnem cum Pontificiis de iſto themate actionem detrectare potuiſſent; noluere tamen; in juſtæ gloriationi adverſariorum nequidquam conceſſiſſe, aut juſtæ vindicationi autoritatis verbi theopnevſti defuiſſe viderentur. Jacob. Heilbr. papat. acathol. præfat.):(111. ſeqq. Gorg. Sophiſt. Dannhau. pag. 13.

FORMAM collocutionis, qualiter ea ſe habuerit ex utraque parte, *Georgius Zeaman* ſcitè omninò & facetè ad reprimendam Lojolitarum jactantiam, expreſſit hoc modo: „Jactet ſe Suitica natio „in ſua informi forma, quantum & quamdiu volet; Ex lectione protocolli certè quivis, non deploratè ſtupidus liquidò intelligit, „formam illam nil aliud eſſe, quàm merum fucum atque præſtigias, „i. e. ſophiſticam illam, graviſſima S. Pauli cenſurâ damnatam pri„dem, & ex agro Eccleſiæ DEI proſcriptam, quandò ait: ô Timo-

thee,

„ thee, depoſitum ſerva, devitans profanas vocum inanitates, & „ oppoſitiones falsò nominatæ ſcientiæ, quam nonnulli profitentes, circa fidem aberrârunt. In materia certè ſive rebus, quæ omne „ punctum ſibi meritiſſimè vendicant, ſeſe victos norunt exactè & „ memoriter, dictante hoc illis & occinente intùs propria conſcien- „ tia. Quòd ſi omninò ſua ſibi formâ (ſuitica.) tantoperè placent, „ ſi quidem & ſimiis catuli placent ſui, fruantur ſanè hac laude, quòd „ victi ſint non ſine quodam formæ artificio: perinde ac ſi duo qui „ dam in arenam deſcendant, dimicaturi: ubi alter quidem ante con- „ greſſum ſuas geſticulationes in multa oſtentatione (phantaſtica) „ expediat, ac ut pöetæ verbis utar:

„ Liber nexu latèque in terga ſolutus
„ Emicet, ac cœli jactet per inane lacertos.
„ Poplite nunc varo fidens, nunc ludicra forti
„ Corpora collidens ſaltu, geminetque rotatas,
„ Multiplicetque manus & verberet ictibus auras.

„ Alter verò hujus Antagoniſta, nil horum agat, ſed geſticulantem „ quieto corpore atque animô expectet; in ipſo autem conflictu, nul- „ lâ uſquam circuitione, protinùs adverſarium humi ſternat, vulne- „ ra infligat, totumque caput tuber efficiat: Jam ſi prior ille, licet „ præ ſanguine defluente vix os aperire poſſit, glorietur nihilominus, „ ſe geſtuum FORMA & apparatu eſſe ſuperiorem; ideòque ſibi „ victoriæ laudem ac brabeum deberi; nonne ſpectatores effusè ride- „ bunt ſtultitiam hominis, collatiſque ſuffragiis victoriam ei adſcri- „ bent, qui ſine geſticulationum pompa vicit, ut ſic dicam, in ma- teria, non äera feriens, ſed corpus atque caput Antagoniſtæ pul- „ ſans egregiè, totâque illum arenâ depellens. In Rel. Theol. & ſchol. de colloq. ratiſp. adverſ. Tann. præf. ad lector.

De *Tannero* autem, Joannes Himmelius Theologus Jenenſis, in dedicat. Tract. de Invocat. ver. & religios. B. 3. „ Pompoſus „ Tannerus, infit, *Formam*, *Formam*, *Formam dialecticam* toties inge- „ minans, turpiter impegit in *Grammaticam*, cum ſuo ceccyſmo & „ ſoloeciſmo ἀδάσκαλε, ἀδάσκαλε; qua una voculâ prodidit, ſe non Græ- „ culum, ſed Graculum eſſe. Huic Dn. Balduinus tali gratulaba- tur epigrammate:

Jam nova Grammatici vis facta, ἀδάσκαλε dicit,
Peccat & in forma tam gravis ille Pater.

Dico

Dico ἀδιάκριτως, dico ἀδιάκριτως, ſæpiùs inſit
Hic tantus Doctor, nec tamen erubuit.
O bone! quis judex fuerit? ſanctiſſime Clemens,
Si pote, Grammaticam Theiologo affer opem.
Exeſt auxilium; cunctas Componere lites
Papa poteſt; iſti non ſatis eſſe poteſt.

Sycophantam egit Heidelbergenſis Ephorus in Collegio Sapientiæ, ſic dicto, *Davides Parens*, quando in comment. Epiſt. Col. 2. de Theologis Lutheranis enarravit, Eos in colloquio Ratisbonenſi, cùm à Jeſuitis ad formam ſyllogiſmorum adſtringerentur, contra ſtimulum calcitraſſe, atque ita, in optima quamvis cauſa, turpiſſimè convictos eſſe. „Ita perpetuò, addens, homines iſti quoties „de rebus fidei ſalvificæ in S. Theologia agendum eſt, nil niſi ſtul„tas & ineruditas quæſtiones, quas Apoſtolus acriter damnat, ne„ctere ſolent, omnem philoſophandi & ratiocinandi rationem ma„litiosè faſtidientes. Scilicet, (pergit) neſciunt bliteі illi ſophiſtæ „diſtinguere habitum fidei, ab habitu Theologiæ! ſcilicet malitiosè mentitus eſt Calvinicola faſtuoſus, bliteorum ſuæ ſectæ Doctor atque ductor, Ludimagiſter Palatinus, qui ſapientiam devoravit omnem, & optimè novit omnia ſolus. vid. oper. Theol. Exeget. Tom. 2. 853. ſeq.

EXITUM Colloquii quod concernit, is expectatione citiùs & inopinatò contigit, ex petito Maximiliani Bavariæ Ducis, hac ad Philippum Ludovicum Neob. Principem prætenſa cauſâ, quòd nudius tertius collocutores A. C. Papam R. appellaſſent Antichriſtum, adeòque ſanctiſſimi Patris exiſtimationi (quantum in ipſis) plus nimiô detraxiſſent; Jam ſi porrò diſputaretur, ac principaliter de Eccleſia Catholica, & judice controverſiarum ſummò Pontifice, certò certiùs duros ejusmodi ſermones recurſuros eſſe, ſibi ut Principi Catholico, & obedienti Catholicæ Eccleſiæ filio intolerabiles; quippe injurioſos non modò Pontifici R. ſed ſimul omnibus addictis Pontificiæ Religioni Statibus; Inde magis conſultum videri, colloquio finem imponere, quàm ulteriùs idem protendere. Adhæc Palatinus equidem regeſſit, ſi P. D. intentiùs conſiderare velit, quas Pontificii collocutores primùm adverſus judicem Spiritum S. ab altera parte deſignatum, & infinities R. P. majorem, indignas & omnino blaſphemas voces effuderint, (per Gretſerum publicè clamando ſæpius:

Jam adſit Spiritus S. jam me condemnet; jam, jam non poteſt dicere ſententiam condemnatoriam per Script. S. librum, ita ut evidenter conſtet, quæ ſit ejus ſententia; Ergò non poteſt eſſe judex.) quàmque in ipſa Bavaria, teſte Aventino, nil rari fuerit olim ac inſoliti, Papam dicere Antichriſtum, ſine ullius prætenſa injuria? ſanè celſitudinem ejus non habituram Indignationis erga Theologos A.C. & ſolvendi colloquii cauſam; cùm ob id etiam inſtitutus fuerit præſens conventus, ut, quid habendum de Papa, ejuſdemque deciſionibus in negotio religionis planum omnibus evaderet. Nihilo tamen minùs in data declaratione perſtitit Maximilianus, qui exemplo planè novo, vocem hanc, Papa eſt Antichriſtus, ceu injurioſam ſibi ad animum revocavit, contrà proteſtatus publicè; à quo tempore occaſionem captarunt Jeſuitæ, hoc politico ſchemate noſtram confeſſionem premendi. Sed *veram diſſolutionis cauſam ſolenniſſimi conventus illius Ratisbonenſis*, ordo Materiarum, de quibus inibi diſputatum, ac diſputandum fuiſſet, ſatis evidenter docet. Seſſione undecima occaſionaliter facta mentio Antichriſti, in Pontifice R. exhibiti, quia is mandata ſua extollat ſupra mandata omnipotentis DEI. Argumentum Hungero atque Tannero declinantibus, ad alia ſe convertit Hunnius, ita tamen ut reſervaretur hoc, ultimo membro, quòd Pontificii probandùm ſumpſerant, nempe, nullam Eccleſiam rectè ac infallibiliter de controverſiis religionis judicare poſſe, præter Romanam ac in ea (reſolutivè) Papam. Quoniam ergò receptui canere Pontificii voluerunt, & abrumpere Colloquium, eo ipſo tempore, quo ſanctiſſimi Patris Domini Clementis octavi aſſertam infallibilitatem judicandi evincere debebant; Lutherani verò paratiſſimi ſtabant, Pontifici R. hoc etiam nomine, quòd Antichriſtus eſſet, autoritatem officiumque judicis denegandi; firmiter inde colligitur, ſibi diffiſos Papicolas Eſaviticæ Societatis, maluiſſe arenâ opportunè cedere, quàm ibi ſtare turpiter! Daniel Cram. extract. Colloq. Ratisb. Fii uſque ad G. (Wilhelm Lyſer Neceſs. depuls. duar. quæſt. 27. Acta Colloquii Ratisb. 342. 383. pl.

Eodem tempore *habitum Ratisbonæ poſt Colloquium*, non in Curia, ſed in aula Epiſcopi Ratisbonenſis, inter duos Heilbronneros fratres, Philippum nempe & Jacobum ex una; Conradum Vetter/ & Johannem Hylin, Jeſuitas, ex altera parte; ubi præſentibus quatuor Principibus, & magnis aliquot aulicis, malus ille Vetterus, qui

qui tredecim libellis Lutherum ſub nomine *M. Conradi Andreæ*, ceu fratris D. Jacobi Andreæ, horribiliter infamaverat, multorum criminum falſi accuſatus, & convictus eſt. Egregiè tamen excuſavit eum Hylinus, concludens à conditione S. Bibliorum, ad rationem ſcriptorum Lutheri. *Horundem ſors (blaterabat) non debet eſſe melior, quàm illorum; Ergo ſi S. Bibliorum textus, varias patiuntur explicationes & applicationes*; cur non etiam Lutheri? q. d. Satanas pro lubitu dicta S. Script. torquet, allegatque modo ac ſenſu ſibi accomodo; quare igitur Domino Collegæ Vettero nō licuiſſet veteratoriè ſcripta Lutheri verſare iiſdēque uti ad inſtitutū ſuum pro lubitu? Contēdebat equidem ex adverſo Vetterus, comparis criminis reū agere Heilbronnerum; ſed, quæ falsò Jeſuitis imputata quærebatur, e. gr. doctrina, fornicationem & concubinatum in Clerico minoris reatûs, ac matrimonium, arguens; fabricatio Indicis expurgatorii, &c. teſtimoniis nullam contradictionem admittentibus, ipſi & imprudenter & impudenter poſcenti, probabantur. Jacob. Heilbronner. præfat. papat. Acathol.):(iiij Dannhauer. ſalv. Reform. pag. 871. *ſed jam pergimus ad alia; de nonnullis diſputationibus Academicis, & ſcriptis notatu dignis, quædam allaturi.*

LIB. I. CAP. V.

Summaria.

Daniel Hofmannus, Helmſtadienſis, errorem ſuum de pugna inter philoſophiam ac Theologiam agnoſcit, publiceque retractat.

Jacobus Rampotius Theſes de Carmelitis, paucos tantùm dies in purgatorio permanentibus defendit.

Libri Apocryphi, quomodo ſecundùm Piſcatorem Herbornenſem ad Codicem Biblicùm pertineant?

Cæſaris Baronii Annales Eccleſiaſtici Moguntiæ in lucem prodeunt.

Philippus Mornæus librum ſuum de Euchariſtia tueri contendit.

Apographa literarum, quas Meletius patriarcha Alexandrinus, dicitur ad Sigiſmundum III. Pol. R. dediſſe, circum feruntur.

ANte quadriennium, in Academia *Helmſtadiana* graviſſimum certamen exortum eſt inter philoſophos, ac *D. Danielem Hofmannum* Theologum, qui publicè conabatur defendere paradoxum iſtud, *quòd philoſophia per ſe & in vero ſuo uſu cùm Theologia pugnet.* Acriter hac de re per aliquot annos cùm diſputatum eſſet, Hofmannus causâ cecidit, errorem ſuum agnovit, & 7. Martii 1601. publicè revocavit; Idque ex decreto Seren. Pr. Henrici Julii, Ducis

Brunsvicenſis, de quo Grauerus in libello de unica veritate, pag. 1. 50. 91. ſeq. confer. Calovii Syſt. T. I. 68. pl.

Carmelitas, ex peculiari privilegio, non manere in purgatorio, niſi uſque ad proximam diem ſabbathi poſt obitum, impreſſis theſibus defendit Pariſiis anno 1601 octobr. 8. *Jacobus de Ramport*, Carmelitarum præſentatus & Metenſis Carmeli alumnus, auſpicio ſapientiſſimi D. N. Bartholi Girart Navarrici. Dorſcheus in Theologia Zachar. P. I. 71.

In ſchola *Herbornenſi* præſes diſputationis de S. Scriptura, reſpondente Joh Damaſceno Volxheimer, palatino, cùm opponentium aliquis contenderet *libros Tobiæ, Sapientiæ, Eccleſiaſtici,* non poſſe ita contumeliosè ex corpore biblico eliminari, tanquam Apocryphos, *Piſcator* ſcitè & breviter ex cathedra judicialem ſententiam pronunciavit: Sie gehören zur Bibel / wie ein Schwalben-Neſt zum Hauß; quo factum, ut in poſterum diſcipuli biblia coëmentes, illa compingi curarent ſibi, ejectis ac evulſis illis, quos Apocryphos appellant. Petrus Cudſemius, in deſperata Calvini cauſa, pag. 98.

In publicam lucem prodiére, *Cæſaris Baronii* Sorani ex Congregat. orator. S. R. E. presbyteri Cardinalis & Apoſtolicæ ſedis Bibliothecarii, ANNALES ECCLESIASTICI, in Tomos 12. diviſi, Moguntiæ, ſumptibus Johannis Gymnici & Antonii Hierati Colonienſis, anno 1601. Müller. Hamb. in beantw. Päbſtlicher Einwürff / poſt præfat. Sed quid in ſuo hoc opere Annalium egit Baronius (vir quidem Caſauboni judicio eruditiſſimus, at parùm fidelis hiſtoricus) niſi ut hactenus uſurpatam Pontificis poteſtatem magno, licet irrito, propugnaret conatu? Dum antiquitatem, reluctantem & renitentem, hodiernis R. Eccleſiæ moribus aptare, & ſtellis nebulam ſpargere candidis, palmarium ſibi ſemper putavit; ut non immerito Petrus Pythœus, ſingulare Galliarum lumen, dum viveret, inſpectis primis Baronii Tomis, dixerit: Non *Annales Eccleſiaſtici*, ſed *de poteſtate Papæ*, verum nomen iſtis Baronii lucubrationibus futurum. J. C. Rumetſch in Collatione concilii Niceni primi ac Tridentini, pag. 17. ex Caſaub,

Philippus Mornæus, Nobilis Gallus, librum à ſe Gallicè ſcriptum *de Euchariſtia*, ob quem ſuperiori anno Colloquium Fontis-bellaquenſe inter ipſum & Jacobum Perronium, in præſentia Regis Henrici IV. inſtitutum fuerat, prolixâ jam reſponſione adverſus Perronium defendere annititur. Hofm. Lex. B. 154. Cujus propterea

mea-

mentionem facimus, quòd *Anonymus Calviniſta* nominatum librum Pleſſiaci de Eucharistia Lutheranis, in articulis de Nativitate, reſurrectione, aſcenſione in Cœlum, veritate corporis circumſcripti, ſeſſione ad dextram Chriſti hominis, aliiſque pluribus, directè adverſari ait, miratus, quòd nemo tamen illorum aggreſſus eundem hactenus fuerit; quaſi diceret, ſcriptum tantæ ſoliditatis eſſe, ut contrà ne hiſcere Lutherani audeant. Ita *ſcilicet*! In diſſertatione admonitoria ad Matthiam Höe Theol. Sax pag. 140.

Hoc etiam tempore circumferebantur *apographa literarum, quas Alexandrinus Patriarcha Meletius*, anno proximè præterito *ad Sigiſmundum III. Poloniæ Regem, ex Ægypto miſit*: ubi quid Orientales Eccleſiæ, Confeſſionis Græcanicæ, de primatu Petri, deque paſtoratu Pontificis R. hucusque ſentiant, juxta S. Scripturæ ductum, doctè ac perſpicuè declarat. Infra cap. XII. communicabimus de his nonnulla. Nunc ad politica properamus,

LIB. I. CAP. VI.

Summaria.

Wirtembergiam, Fridericus Dux in priſtinum habitum redigit.
Caniſiam, Ferdinandus Archi Dux Auſtriæ, fruſtrà obſidet; Albam autem Regalem, Ruſvvormius Turcis eripit.
In Livonia bellum Polono-Suecicum oritur; in Dacia Battoriano-Auſtriacum; in Belgio Oſtendano-Hiſpanicum
Nicolaus Crellius, ultimum ſupplicium luit; Comes item Eſſexius.
Perſonatus Portugalliæ Rex, ab Hiſpanis captus & Neapolin abductus, omnium ludibrio exponitur.
Tayko, in ſimæ ſortis miles, vaſtum Japoniæ Regnum ſumma expeditionum celeritate & impetu ad ſe transfert.

ANno 1601. *Ducatum Wirtembergicum*, FRIDERICUS Dux in priſtinum habitum reduxit, ſubfeudi Auſtriaci jugo exemit, & *illum in feudi Imperialis naturam plene redegit.* Plenè dico, quia declaratio ſuper hac re, ab Imperatore Rudolpho II. jam anno 1599. Jan 24 cæteris Auſtriacis conſentientibus, facta, hoc anno demum interveniente haud mediocri pecuniæ ſumma, fieri cœpit ex omni parte valida; Equidem *Auſtriacis reſervata ſucceſſione, in caſum deficientis Maſculæ ſobolis*; in quem tamen viciſſim Evangelicæ religioni benè cautum, iterumque Cadamicæ transactioni derogatum. J. h. Valens. Andreæ ſelen. Auguſtal. 57; & Burgoldenſ. in *Iuſtrum pacis*, pag. 494. a.

Archidux Auſtriæ Ferdinandus *Caniſiam* Hungariæ urbem propè confinia Stiriæ munitiſſimam, ingentibus copiis Romano Catholicis innixus repetere geſtiit & manibus Turcarum eripere; ſed re infecta, diſceſſit inglorius, amiſſa copiarum parte non contemnenda, nec machinarum impedimentorumque minima. Sed *Alba Regalis* adempta Muſelmannis, per Imperatoris Chriſtiani Ducem Generalem Mercurium, accedente Ruſsvvurmio, qui Turcas, cum eam recuperare vellent, fortiſſimè profligavit, *quinquaginta millibus hoſtium, non ultra ſeptem oppoſitis.* Cluver. Epiſt. hiſt. 754. Wagner. limin. genealog. 352. ed. 8.

Novo Suecorum Regi, Carolo Sudermanno, *bellum in Livonia* denunciant Poloni, ſed nullo ſuorum commodô. Sigismundus Battorius, ex Moldavia *in Tranſſylvaniam*, principatum recuperaturus, revertitur, arma movens adverſus Auſtriacam Domum, conatu tamen majori, quàm ſucceſſu. Nec minùs in Belgio Mars novùm canit Claſſicum, ad ſigna concitans militaria quosvis aptos, inprimis autem ad *Oſtendam* Hiſpanica tentoria figens, per Ambroſium Spinolam. Arthus Merc. Gall. lib. 4. 479. Turſell. Jeſ. hiſt. 257.

Nicolaus Crellius J. U D. Cancellarius Electoralis in Saxonia quòd, inſigni uſus perfidiâ, molitus talia fuerat, quæ viſa ſunt Electoribus intolerabilia, & religioni fraudem fecerat, Dresdæ *ultimo ſupplicio affectus eſt*, poſtquam actio decennium duraſſet, ſæpiùs viſa & reviſa in aula Cæſarea; vid. ſermon. funebr. à Nicolao Blumio habitum, typis excuſum Tubingæ, ubi pag. 64. memoratur, *Siberum*, Scholæ Grimmenſis Rectorem, Crellio, cùm ejus adhuc diſcipulus eſſet, prædixiſſe, Tu eris aliquando peſtis Patriæ! confer. ſpen. ſyllog. geneal. 133. Hutt. Conc Conc. 1258.

Eundem vitæ finem habuit in Anglia *Comes Eſſexius*; qui conjurationis reus fuit habitus, rumores de Regina, & iis, quorum operâ in adminiſtrando regno utebatur Eliſabetha, parùm honeſtos ſpargi curavit, populum ad ſeditionem quovis modo concitare conatus; apud quem (populum) tamen plus fides, & Reginæ amor, quàm incerta ſpes à conjuratis oſtenſa, valuit. „Hic fuit „Eſſexii exitus, omni genere virtutum, quæ homines hominibus „commendant, cumulatiſſimi, ſi modum ſervaſſet in iis, neque au„licæ gratiæ fumis, nimiisque ſucceſſibus corrupto ingenio, ſe per „vaſtas ſpes in exitium raptari paſſus eſſet; verba ſunt J. A. Thua„ni lib. 125. 935. Nempe optimè Poëta monuit.

Uſi-

Uſibus edocto ſiquicquam credis amico,
Vive Tibi, & longè nomina magna fuge.
Vive Tibi, quantumque potes prælustria vita;
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.

Perſonatus ille *Sebaſtianus Portugalliæ Rex*, poſtquam ſatis diu ludibrio habuiſſet Luſitanos, magnisque motibus cauſam dediſſet, ipſe tandem ab Hiſpanis captus, & Neapolin abductus, ibi omnibus ludibrio fuit, aſino inſidens per Urbem circumductus; deinde raſus, & ad Triremes damnatus, tandemque in Hiſpaniam delatus, ibidem in vinculis periit, fruſtrà regem ſuum Luſitanis repetentibus. Hofm. Lex. B. 328. Lundorp. contin. Sleid. 3. 317. ſeq. confer. Wolfii Memorabil. B. 1025.

Tayko, antehac infimæ ſortis miles, *Imperium totius Japoniæ* (ſumma expeditionum celeritate & impetu, fortunæque adjutus benignitate) *ad ſe tranſtulit*, novamque Monarchiam condidit; ſinens Dayrum, cum tota ejus familia, in conſveta dignitate, excepto regimine ac regni adminiſtratione, quam ſibi ſervabat. Varen. in deſcr. regni Jap. 27. Horn. orb. pol. 444.

LIB. I. CAP. VII.

Summaria.

Elias Putſchius, vir uti doctiſſimus, ita jam celebris, Lipſiæ demum Depoſitionis ritum ſubire adigitur.

Daniel Burghammer, miles filiam pariens, androgynus deprehenditur.

Admiralis Oliverius, quomodo navigando totum Orbem intra triennium circuiſſe dicatur?

Wirtembergiam horribilis Terræ motus pervadit; ut & Helvetiam.

Fame, Peſte, & innumeris calamitatibus, Indiæ Regnum Pegu inaudito modo devaſtatur.

Tycho Brahe, ad ſuperius hemiſphærium tendit.

HElias Putſchius, qui Lugduni Batavorum non tantùm familiaritate Scaligeri, Douſæ, & aliorum ibi virorum Illuſtr. ſed etiam editis præſtantibus acris ingenii monumentis, celebritatem fuerat conſecutus, cùm inde Lipſiam veniſſet, & eò loci vulgaretur, quòd *Academico ritu* initiatus ille nunq. fuiſſet, ab æmulis & rigidis conſvetudinis exactoribus, *ad perpeſſionem ſolitarum vexatiuncularum il-*

luſio-

luſionumque adactus eſt; tanquam abſque hiſce hactenus Studioſi nomen nec profiteri debuiſſet, nec tueri potuiſſet. Tanta ſcil. eſt vis vetuſtatis, ut Chryſoſtomus cenſuerit, in humanis rebus nil tam firmum eſſe, quàm veteris conſvetudinis tyrannidem. Lanſ. Mantiſs. conſultat. 678.

Daniel Burghammer, ſartor & miles, poſtquam propria cum uxore ſeptem annos conſummâſſet, in Hungariam iturus ad obſidionem Caniſianam, Piadenæ in Italia *filiam peperit*, cui in actu Baptiſationis nomen Eliſabethæ impoſitum; in habito pôſt examine compertum, quòd Androgynus eſſet, antehac in Belgio, ex conſvetudine cum Hiſpano quodam imprægnatus. Schad. hiſt. 3. part. 1093. Zeiler. Trag. 632. ubi ſimul alia hujusmodi exempla allegantur. *Platonis Androgynus*, ex hiſtoria Moſis efformatus, merè commentitius eſt; quo de in Tractatu præ Adamitico Dannhaueri vid. pag. 11.

Circuitionem totius orbis, ab Admirali Oliverio navigatione factam triennii tempore, & hoc anno abſolutam, non pauci credidêre; Cujus facti laudem *Franciſcus Draco* jam anno 1580. conſecutus eſt; unde Ovvenus lib. 2. Epigr. ad Henr. Princip. Cambriæ cecinit, num 63.

Ambitio Draki nullo reticebitur ævo,
Ambivit terras, per mare, Drakus anas.

At benè Licent. Fellerus notâ 186. ad Hornii orbem Imperantem, ſcribit: *Hoc de ſola orbis longitudine, ſecundum ductum Æquatoris ab occaſu in ortum; & hinc rurſus ad occaſum, inter polos orbis progrediendo, accipiendum; non quoad latitudinem ejus in Meridiano computatam &c.*

Horribilis *terræ motus, totam Wirtembergiam pervaſit*, eamque tanto impetu quaſſavit, ut præſentiſſima metueretur panoletria; quapropter nomen obtinuit Magni terræ Motus, deß groſſen Erdbidems / geſchehen den 8. Sept. anno 1601. Chronic. Suelini, pag. 355. Balth. Raith. in triplici conſideratione vene rab. an. 1655. pag. 5. Ejusmodi concuſſiones tum temporis etiam *in Helvetia*, locisque circumjacentibus, obſervatæ ſunt, cum timore ac tremore hominum Calviſ 955.

Eadem tempeſtate, vel circiter, ingruentibus undique innumeris calamitatibus, fame, peſte, bello, ita *deſtructum fuit Indiæ regnum Pegu*, ut per multa milliaria, nil niſi continua hominum cadavera, ſpectantibus cum horrore occurrerent. *Nunquam accidit* (*ſic*

(*ſic refert Hornius in Orb. Imp. 449.*) *ſimilis integræ gentis internecio; Et, quæ de Judæorum ſub Romanis, Hungarorum ſub Tartaris, excidio leguntur, præ his levia ſunt.*

Tycho Brahe, nobilis Danus, Aſtronomus totius Europæ celeberrimus, in aula Rudolphi II. pro miraculo habitus, migravit è vita ſublunari Pragæ, octobr. 24. die, ætat. 54. menſ. 9. Zeil. Epiſt. T. 2. 710. Hofm. Lex. B. 505. ſeq.

LIB. I. CAP. VIII.

Summaria.

Miniſterio Danielis Hizleri, Reformatio Reichenbacenſis benè ſuccedit.

Structura item novi Templi Mompelgartenſis; & Collegii pro ſtudioſa juventute, Ducis Friderici auſpiciis.

In Sylva Hercynia Freudenſtadium, pro exulibus è Stiria & Carinthia, eodem temporis tractu excitatur.

Freudenſtadianum templum, propter pulchritudinem inter ſingularia Germaniæ numeratur.

In Saxonia celebratur primum Academiæ Wittenbergenſis Jubilæum.

Joachimus Fridericus E. B. literis Reverſalibus ſanctè promittit, ſe ab invariata Confeſſione Auguſtana, & F. C. non receſſurum.

Chriſtianus IV. Daniæ Rex ob fidam pro ſubditis curam laudari meretur.

Mortem oppetit F. W. Dux Altenburgicus, ob merita in Eccleſiam perinclutus.

Supremum quoque diem ſuum obit Sebaſtianus Artomedes.

OPtatum hoc tempore ſucceſſum habuit *Reformatio Prioratûs Reichenbacenſis*, poſtquam in manus Inclytorum Wirtembergiæ Ducum veniſſet; eaque potiſſimùm facta *Miniſterio Danielis Hizleri.* Sic enim D. Tobias Wagner in ejus parentatione pag 20. *Abſoluto curſu Academico, diaconatus Waiblingenſis Hizlero noſtro, anno 1600 Miniſterii januam primùm aperuit, cujus limen vix tetigerat, cùm Prioratus Reichenbacenſis, ut eum Evangelicè reformaret, ejus fidei committeretur; tum equidem vacuus Monachis, non autem vacuus ruditate in religione, tanta, quanta vix præſumeretur, ubi nulla priùs viguit religio, poſtquam ultra quingentos annos infelix Papatûs lolium in agello illius Eccleſiæ fuerat diſſeminatum.*

FRIDERICUS Wirt. Dux, velut in ſtructura ſacrarum ædium, pro exercendo cultu publico ſuperiori anno cœptarum, inque locum fani Martino quondam dicati poſitarum, ſtrenuè perrexit Montis peligardi, omniaque nullis parcendo ſumptibus egregiè confici curavit, Ita hoc anno 1602. primum *Collegii Mompelgarten,is* lapidem fundamento immiſit propria manu, opus dein feliciter abſolvit, ac in uſum ſtudioſæ juventutis formandæ deſtinavit. Schvvelin. Chron. 355. 357.

Cùmque per aliquot jam annos in Stiria & alibi, in innocentes puriſſimæ ſanctiſſimæque religionis cultores truculenter ſævitum eſſet; *nec eorum conſtantia carcere, tormentis, bonorum confiſcatione, exilio expugnari poſſet; Idem laudatiſſimus Princeps, exules paterno animo, quaſi infantes expoſititios, omni beneficentia excepit & charitate, iisdemque novam urbem in amœniſſimo loco ſylvæ Martianæ*, Freudenſtadium, *i. e. gaudii locum, incredibili condidit impenſa, privilegiis ac immunitatibus bene multis nec vulgaribus dotavit; eaque pauperculis iſtis extorribus obtulit, ac donavit liberaliſſimè, quanta vix unquam poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum, à quoquam ſperare debuiſſent.* Hæc Lanſius in Mantiſſa Conſultationum, pag. 314. addens: *Dare ſtipem oſtiatim petentibus pium eſt & naturali æquitati conveniens; ſed profugis, nudis, miſerè animo & corpore excarnificatis, domos, alimenta, ſecuritatem, & incolumitatem dare, labantibus eorum conſcientiis ſuccurrere; id verò ſupra communem hominum charitatem heroicum quid, & prorſus divinum ſapit ac ſpirat. Si ergò navis Magiſtro plus debere ſe credit ex mercatoribus ille, qui ſericum, purpuras, odores, aurum, uniones vexit, quàm qui viliſſima quæque, & ſaburræ loco futura congeſſit; Quid Freudenſtadiani cives debebunt Friderico Duci, qui vitam eorum & conſcientiam è turbulentiſſima perſecutionis tempeſtate in portum deduxit, &, quam in patria ſortunarum jacturam fecerunt, nova ac inaudita benignitate reſarſit?*

Ab eo tempore *Freudenſtadii elegantiſſimum templum* extitit, propter pulchritudinem à D. Lanſio inter Germaniæ ſingularia numeratum, Conſultat. pag. 56 ita quidem conſtructum, ut è Cathedra concionatoria ſuos auditores præco conſpicere omnes, & ab omnibus utriuſque ſexus probè conſpici poſſit; Ex diſtinctis vero partibus marium & foeminarum neutra in alteram oculos conjicere. Schvvelin Chron. 356. Sed *apud orientales Chriſtianos*, ejusmodi ſexuum diſcretio rara non eſt: Etenim Græcæ mulieres, in templis aulas habent ſeparatas, quibus objiciuntur cancelli, ne à viris

viris conſpici poſſint. Kromajer. in ſcrutinio religionum, pag: 275. ſcribit.

In Saxonia *primum Academiæ Wittenbergenſis Jubileum*, ſolennitatibus condignis decimo anni menſe celebratum. Anno enim 1502. à Saxonico Electore *Friderico*, qui *Sapientis* cognomen obtinuit, fundata eſt, ac in perniciem hæreſeos Antichriſtianæ bonô omine introducta, die octobris decima octava; primis Profeſſoribus ex Academia Tubingenſi deſumptis; ita ut *Wittenberga ſit quaſi Colonia ex Academia Tubingenſi*, ceu verba D. Oſiandri habent, in Cent. hiſt. Eccleſ: XVI. pag. 12. Micræl. ſyntagm. lib. 3. 170. Confer. Evangeliſches Danckopffer Benedicti Carpzovii, Lipſiæ anno 1655. abgelegt/ am Gedächtnuß-Feſt des hundert jährigen Religion-Friedens im R. R. ubi refert Clariſſimus Theologus D. Flekium in illa feſtivitate Academica verè dixiſſe pro Cathedra, *ex albo hoc monte veram ſapientiam in totum orbem ſublunarem ſparſum iri*; Daß von diſem Weiſenberg die rechte Weißheit in alle Welt ſolle außgebreitet werden/ pag. 7.

Anno 1602. *Joachimus Fridericus, Elector Brandenburgicus*, literis *Reverſalibus*, ut vocant, Martii die 14. conſignatis, nunquam ſe ab invariata Confeſſione Auguſtana, Imperatori Carolo V. à Statibus Evangelicis tradita, receſſurum, nec adverſus eam & librum Chriſtianæ Concordiæ, aliorumque piorum Doctorum cum Luthero Megalandro in Doctrina ac ceremoniis purè conſentientium ſcripta, quicquam introduci aut proponi paſſurum, adeòque ſancta Parentis Dn. Joannis Georgii veſtigia in puncto religionis fideliter preſſurum, ſanctè promiſit. Quin etiam in majorem fidem, ordinandis Eccleſiæ Miniſtris, peculiarem *formulam obligationis* ex aſſe præſtandam præſcripſit, hunc in modum: *Ego N. ſanctè promitto, me à doctrina Prophetica & Apoſtolica, cujus ſumma capita in A. C. continentur, in Formula Concordiæ, ac ſcripto Eccleſiaſtico Principis & Electoris noſtri explicata habentur, àque doctrina noſtrarum Eccleſiarum, potiſſimum agente de viribus humanis, Juſtificatione, Cœna Domini, Baptiſmo, perſona Chriſti, & aliis ejus Capitibus non diſceſſurum; his contrarium non traditurum, corruptelis, ſectis, opinionibus ac erroribus tàm* Sacramentariorum, *quàm aliorum, non aſſenſurum, nihil novi in his inſtituturum, neque mutaturum quicquam &c.* Hutter. in Concordia concorde, pag. 1443. ſeq. Wittenberg. facultät. gründl. Beweiß contra Calvinianos, in fundam. errantes, & ſyncretiſtas Rintelenſes, append. pag. 200. 204.

Sub idem tempus per ſeptentrionem *Chriſtiani quarti, Danorum Regis*, fida ſubditorum cura eluxit; ſic, ut extremos Norvvegiæ fines ipſe inviſeret, atque ſincerioris doctrinæ depoſitum conſervari, ſeverè juberet. Joh. Cluv. in Epit. hiſt. totius Mundi p. 758.

Mortalitatem explevit FRIDERICUS WILHELMUS, *Dux Altenburgica-Saxonicus*, de tota Eccleſia Lutherana, præprimis autem ea, quæ intra Saxoniæ fines continetur, optimè meritus. Cùm enim Elector Chriſtianus I. fatis conceſſiſſet, is cùm Joh. Georgio Brandeb. tutelæ Chriſtiani II. præfectus, prudentiſſimè per integrum decennium, adminiſtravit Electoratum; ac in eo puriorem doctrinam, à Calviniſequis labefactatam, magno zelo reduxit, evocatô ad id opus è Marpurgenſi Academia Egidio Hunnio, & univerſali viſitatione Eccleſiaſticâ inſtitutâ. Nonnullos Doctores dimiſſit, Calviniſantes; *Nicolaum Crellium*, non tam ob religionem per ſe, quàm alia ſcelera, capite truncavit; propterea, quaſi cum Cæſare & Pontificiis adverſus Calvini ſectatores conſpirâſſet, vulgò, ſed immeritò traductus eſt. Feliciter depoſita Adminiſtratione, deceſſit anno 1602. *Theologorum ſummus Fautor*. Spener in ſylloge Genealogico-hiſtorica, p. 123 confer Matth. Theatr. pl.

Ad meliorem quoque vitam abiit *Sebaſtianus Artomedes*, Langenſalzenſis Francus, Regiomontanorum in Boruſſia paſtor Kniphuſanus, vernaculâ linguâ in ſacris homiliis, magnam partem typo vulgatis, elegantiſſimus & probè notus. Micræl. ſyntagm hiſt. lib. 3. 461.

Circa hæc tempora, *Neophytus Athenarum*, patriarcha Eccleſiæ Græcæ Conſtantinopolitanus, poſt unius anni gubernationem, à Sultano Mahomete tertio in exilium pulſus; tertiumque revocatus eſt *Matthæus*, qui verò cùm paucos dies præfuiſſet, vitâ deceſſit; locum relinquens *Raphaëli Methymnæ*. Philippi Cyprii chronic Eccleſ. Conſtantinop. commentar. Henrici Hilarii illuſtrat. p. 436.

LIB. I. CAP. IX.

Summaria.

Declarationem edit P. R. contra abſentis per literas confeſſionem, ejuſdemque abſolutionem.

Atrox mandatum ſenatus Cæſareo-Aulicus, adverſus Argentinenſes Capitulares Evangelicos, concipit.

Motus ingentes oriuntur Kaufbyræ, inter cives pontificios & Evangelicos, at brevi ſedantur.

Colo-

Colonienſium Proteſtantium, ob ſevera pontificii ſenatus decreta, dura conditio.

Neque ſors melior Evangelicorum ſub ditionibus Archiducis Ferdinandi.

Poſnaniæ in Polonia, papicolæ adverſus purioris fidei aſſeclas furioſè tumultuantur.

Sed & Burdigalæ in Aquitaniâ, inter ſenatum urbis, & Cardinalem Surdiſium, loci præſulem, acerrima eſt contentio.

Neapoli in Italia, de nullis poſthac P. R. erogandis decimis, regium publicatur mandatum.

Principis Iſabellæ Claræ Eugeniæ votum, ob Oſtendam emiſſum.

Declaravit Clemens VIII. in generali congregatione Romanæ & univerſalis Inquiſitionis, habita die Junii 20 in monte Quirinali, *non licere per literas, ſeu internuntium, Confeſſionario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente, abſolutionem obtinere;* prohibuitque hanc propoſitionem docere, defendere, imprimere, prout ſequitur diſtinctè: *Clemens Papa VIII. auditis votis Theologorum, & re cum Cardinalibus maturè ac diligenter conſiderata. §. 1. Hanc propoſitionem, ſcilicet licere per literas, ſeu internuntium, Confeſſionario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus ut falſam, temerariam, & ſcandaloſam, damnavit ac probibuit. §. 2. præcepitque ne deinceps iſta propoſitio publicis privatiſque lectionibus, concionibus & progreſſibus doceatur, neve tanquam aliquo caſu probabilis unquam defendatur, imprimatur, aut ad praxin quovis modo deducatur. Quodſi quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiam diſputativè tractaverit (niſi forſan impugnando) vel ad praxin directè, ſeu indirectè deduxerit; præter excommunicationem latæ ſententiæ, quàm ipſo facto incurrat, & à qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente R. Pontifice abſolvi, aliis etiam pœnis arbitrio infligendis, ſubjaceat.* Platina de vitis R. Pontificum, uſque ad Urbanum VIII. continuata hiſtoriâ, p. m. 508. Confer omninò Conſilia Theologico-Wittebergenſia, part. 3. pag. 122. Ubi decretum hoc, additis rationibus approbatur; non tamen ſubticendo, *Suarezium* Clementinam declarationem puerilibus & ſummuliſticis explicationibus eludere auſum fuiſſe; ſed à *Nunguo Cabe-Zudo* refutatum, nec non cum eo *Valentiam, Reginaldum, Filliuccium, Laymannum, Toletum, &c.*

Anno 1601. in *turbis Argentoratenſibus*, *Aulico-Cæſareus ſenatus*, mandatis atrocibus, atque ſub ſevera Banni pœna, Capitulares Evangelicos jure ſuo deſtituere auſus eſt. Unde pateſcit, quàm in ſtatu periculoſo res Proteſtantium R. J. verſari tum oportuerit? Imperatore in cauſis Religioni connexis, cum Conſilio ſuo Aulico ſibi ſumente arbitrium. Sanè proteſtantes ea re non parum ſe gravatos, probè intellexerunt, cordatè obloquuti: ſe Nemini, in præjudicium poſteritatis, tantum concedere, quoties inter ſtatus Imperii de cauſis Religionis oriantur Controverſiæ, ut Imperator cum ſuis Aulicis & Conſiliariis præcisè, cognitionem, declarationem, extenſionem, reſtrictionem, quæque ſunt ejuſmodi alia, ſuſcipere & expedire debeat; veluti profeſſus eſt Princeps Anhaltinus in publica quadam propoſitione, Unitorum nomine Cæſari factâ Pragæ, Jul. 8. an. 1609. Burgoldenſ. diſcurſ. ad Inſtrum. pacis Weſtphal. parte 2. pag. 161. edit. for-quart.

Motus ingentes t. t. incentoribus Monachis quibusdam, orti ſunt *Kaufbyræ*, Religionis ergò, inter cives Pontificios ac Lutheranos; brevi tamen, fideli cura & prudentia Magiſtratûs, iterum ſedati, referente Schadeo, hiſtoriographo Argentinenſi. Eſt autem *Kaufbyra* oppidum Imperiale ſvevicum, in Algoja, ubi auram vitalem primùm hauſit *Victorinus* ille *Strigelius*, quondam Philoſopho-Theologus Jenenſis, Lipſienſis, ac tandem Heidelbergenſis, ex certamine cum Flacio Illyrico notus; homo varius & verſipellis; tùm Synergiſtis tùm Cinglianis addictus; Heidelbergæ rebus humanis exemptus, anno 1569. orat. funer. Chriſtoph. Binderi Abbatis Adelb. pag. 23. Micræl. hiſt. lib. 3. 547. De viri obitu, notatu digna D. Gerlachius recenſet, eapropter paulò pòſt communicanda cap. XIV. de Miſcell.

Coloniæ Agrippinæ, multis jam annis continuata Civium A. C. addictorum perſecutio, adeò nihil remiſit hactenus, ut vel intenſius ferveat. Repetuntur enim *ſeveriſſima Pontificii ſenatûs decreta*, quibus purioris fidei amantibus non tantùm omnes conventus, in Urbe religionis exercendæ cauſa habendi, ſub atrocibus pœnis in ære & corpore, penitùs prohibentur; ſed inſuper quivis aditus ad communionem ſacrorum Evangelicorum in vicinia, omnis denique uſus Miniſterii à Papicolis alieni, prorſum intercluditur, & abrogatur. Ad quid ergò pragmatica illa ſanctiò de pace religionis, inſtar legis fundamentalis Imperii Romano-Germanici habenda?

ſævus

ſævus iſte proceſſus, & Coloniæ impeditum Evangelicæ religionis exercitium, inter præcipua Statuum Proteſtantium gravamina jure meritòque relata ſunt, nullo autem, hactenus deſiderato ſucceſſu. Oſeas Schadius, & Philip. Andreas Burgoldenſis P. I. p. 59. confer.

Eâdem Severitate ſuis in ditionibus, erga Lutheranos adhuc reliquos, uſus eſt *Ferdinandus Archidux Auſtriæ*, Caroli filius, Evangelicæ veritatis juratus hoſtis. Qui, cùm infelix fuiſſet oppugnatio Caniſiæ, culpam hæreticis (confeſſoribus cœlo delapſæ veritatis Chriſtianæ) continuò imputavit, & quotquot in toto provinciarum ſuarum tractu horundem ſupereſſent, cito citius exire juſſit; renovata *declaratione publica*, firmam fixamque animi ſui ſtare ſententiam, de nulla, nulla religione alia, præter ſolam Pontificiam, toleranda. Poſt ſpatium ſex hebdomadum deprehenſos acatholicos, cujuscunque ſint ſexus, ſtatus, & conditionis, carceribus includendos, infamiâ notandos, imo truculenta morte perimendos eſſe. Mandatum eapropter ſubditis Romana ſacra profitentibus, ne ulli hæretico habitaculum concedant, aut, ſi conceſſuri, confiſcationem bonorum omnium expectent. Clerici domeſticatim eant, ſingulas perſonas accuratè inquirant, inquiſitas ac obſervatas nominetenus conſignent, conſignatas provincialibus Eccleſiaſticis tradant. Judices verò & officiales politici, quoslibet à Clero ſibi traditos cuſtodiant, condignis pœnis afficiendos, aut ipſi pro ſingulis neglectis mille ducatorum, ſine mora & confeſtim ſolvant. Schad.

Poſnaniæ in Polonia Inferiori papicolæ, ex Lojolitica præſertim gente, inopinatò tumultuantur furibundi; ſacras ædes quas habebant ſuo cultui deſtinatas Evangelici, violenter aggrediuntur; ſibique, priſtinis poſſeſſoribus expulſis, vendicant. Ipſe Rex, Johannes Sigismundus III. in Livonia proteſtantes religionis libertate privat, eosque ſibi hoc modo alieniores facit, contrà vero Suecis faventiores. Thuan. lib. 127 961.

Sed & *Burdigalæ in Aquitania*, inter ſenatum Urbis & Cardinalem *Surdiſium*, loci Præſulem, qui altare inconſultis Collegii ſacri ſodalibus, demoliri aggreſſus, acerrima oritur contentio. Cardinalis primarium præſidem, & ab eo miſſos, excommunicationis fulmine ferit; ſed ipſe ad revocationem publicam, per ſubſtitutum ſacerdotem præſtandam ocyùs adigitur. *Epiſcopi* quoque *Andegavienſis*

vienſis conatus, in abolendo Miſſalis recepti uſu, retunditur, Thuan. L.129. 989 ſeq.

Neapoli publicatum mandatum Hiſpano Regium, de nullis poſthàc (pro Pontifice Romano) *erogandis decimis*, quod ibi locorum oppidò rarum, imò inauditum habetur; mandato ad parendum obſtrictis, tàm Clericis, quàm Laicis. Latet equidem certa inſoliti hujus attentati cauſa; prudentiores tamen ſuſpicantur, *occaſionem ei dediſſe Cardinalem Baronium, undecimo Annalium tomo*, cujus mentionem Σ. Θ. faciemus in memorabilibus ad annum X. communicandis.

Iſabellam Claram Eugeniam, Belgarum Principem, à Philippo II. Hiſpaniarum Rege prognatam, in obſidione Oſtendana nuper cœpta, *votum* feciſſe, ajunt, *non ſe priùs interulam mutaturam, quàm capta foret Oſtenda;* Capta quidem hæc eſt, ſed nonniſi poſt tertium Obſidionis annum; an verò Illuſtriſſima Princeps, triennium continuè eodem induſio ſit uſa, credat qui volet. Burgolt. diſc. A. 102.

LIB I. CAP. X.

Summaria.

Agitatur ſpinoſa quæſtio, an h. t. Lutheranis cum Pontificiis potius, quàm Calvinianis, ſocietas colenda?
Pro deciſione quæſtionis, Lyſeriana adducitur ſententia.
Adverſus Pikhardos, Pragæ ſeverum publicatur Edictum.
Caſparus Peucerus moritur
Fato etiam funguntur, Daniel Toſſanus: Franciſcus Junius: & Guilielmus Perkinſus.

CUm ſatis ſuperque conſtaret, ſuperiori ſeculo, nec Sacramentariis, nec ullis ſectis aliis, ſed Pontificiæ tantùm ac Lutheranæ doctrinæ addictis, pacem in Imperio publicam fuiſſe conceſſam, & nihilominùs Calvinianum virus, multos Imperii proceres infeciſſe, ; haud importunè quæſitum: An rebus in Imperio R. ſic ſtantibus, Lutheranis cum Papiſtis potiùs, quàm Calviniſtis, ſocietas colenda, familiariter converſandum, pluſque Papiſtis, quàm Calviniſtis fidendum ſit? *Ardua ſanè quæſtio*, (*celebris Theologi verba ſunt*) *ac iis qui Calvini dogma ſequuntur, admodum exoſa, at hoc ſeculo planè exulcerato maximè neceſſaria, quando ex utraque parte varia pangi fœdera, & ſocietates iniri videmus. Hic Lutheranis, qui intra ſcyllam & charybdim verè navigant, vigilandum, prudenter agendum, ne vel ad dextram vel ad ſiniſtram nimium declinando, Deum offendant, contra fidem imperio datam agant, indelebiles vulnus conſcientiæ infligant, & ſalutem ac proſperitatem*

tàm

tàm temporalem, quàm æternam amittant. Sed benè habet; exempla pariter, & conſilia ſummorum virorum extant, ex quibus quid faciendum, quidve omittendum ſit, piis ac religioni magis quàm regioni addictis, facilè cognoſcere licet. Quorum veſtigia ſecutus *D. Polycarpus Lyſerus*, Concionator Aulicus Dreſdenſis, quùm Sereen. Elect. Sax. Chriſtianus II. ſceptrum regiminis jam tenere cœpiſſet, in præfatione quadam, explicationibus catecheticis præmiſſa, quid ipſius Celſitud. in converſatione politica, ſive cum Pontificiis, ſive cum Calvinianis obſervandum, fideliter admonuit, factâque diſtinctione inter ea, quæ Chriſti regnum ſpectant, regnumque Cæſaris; Inter ſocietatem & familiaritatem ſpiritualem atque civilem; In reſolutione quæſtionis, Pontificiorum (intuitu pragmaticæ ſanctionis illius) potiorem quàm Calvinianorum rationem habendam eſſe pronunciavit) v. Wittemb. Beweiß contra Calvin. errant. in fundam. & Rintel. Syncret. app. 436. 441.

Rei ſummam dilucidè *Polycarpus Junior* expreſſit, in vindiciis contra Pareum pag. 5. 22. 56. hoc modo: *Caput noſtri Imperii Pontificiæ religioni addictum eſt. Ut verò in corpore humano caput & membra amicè cohærent, & conſentiunt; ita in Imperio R. inter Cæſarem & Ordines, pax & concordia, ſummaque amicitia* in civilibus & externis *vigere debet. Et, ſicuti neque caput ſine membris, nec membra ſine capite eſſe poſſunt; Ita nec Imperium Rom. ſalvum eſſe poteſt, niſi caput & membra cohæreant conſentiantque. Quæ autem membra Capiti Imperii, amicitiæ arctiori vinculo annectuntur, iis etiam Lutherani* ſalvâ religione *magis ſe ſociare debent. Jam ſi Pontificios & Calvinianos* conferas, *iſtos (non diffitentibus his) cum Capite Imperii, amicitiam firmiorem & pacem exoptatiſſimam colere, palàm eſt. Non ergò nobis jure Calviniani ſuccenſebunt, ſi in gratiam Capitis noſtri Imperii, cujus nutum ductumque ſequi oportet, Pontificiis magis nos aſſociamus, & cum illis autoritatem Cæſareæ Majeſtatis, contra quosdam ſciolos, ſartam tectam conſervare ſtudeamus; Interim* pacem politicam & communem Calvinianis non invidentes, *modò ipſi ſint pacis ſtudioſi, atque publicam tranquillitatem temerè non turbent. Et, ſi quod res eſt dicendum*, Calviniani unicè noſtris acceptum referre debent, quòd in Imperio R. ipſis vivere, & in pace ſua poſſidere hactenus permiſſum fuit. *Si enim Lutherani frigidam tantùm ſuffundere, ac in Comitiis Imperii anno 1566. habitis in cruentam Calvinianorum perſecutionem conſentire voluiſſent, (licet ſe Pontificiis nunquam junxiſſent) actum tamen de illorum ſalute fuiſſet. Quam verò nobis gratiam pro hoc be-*

neficio referant, peſſimam ſcilicet, experientia teſtatur &c. Si quis autem perluſtrabit ea, quæ tredecim pòſt annis *Pareus* capiti vigeſimo quarto Irenici ſui abundè infarſit, & cum dicta præfatione Lyſeriana conferet; is facili negotio deprehendet, Calviniſtam nec verum ſcopum attingere, nec legitimum quæſtionis ſtatum formare; ſed diſtinctas ac diverſiſſimas quæſtiones in unum chaos commiſcere, clara & perſpicua obſcurare, propriique cerebri figmentum oppugnare. Conf. Sigw. admon pag. 275. ſeq.

Anno 1602. die Lunæ poſt Mar. Magdal. adverſus *Calviniſantes Pikhardos*, qui aliàs *Fratres Bohemici* nuncupantur, nomine Regis & Imperatoris Rudolphi II. *Edictum* valdè ſeverum publicabatur Pragæ, per literas atque Præcones, de occludendis eorum templis omnibus ac ſingulis; tollendis (nec ullibi poſthac tolerandis) conventibus tàm privatis, quàm publicis; abolendis etiam beneficiis jurium, privilegiorum & immunitatum politicis, hactenus uſu perceptis; niſi accedere velint ad communionem regnicolarum approbatis confeſſionibus ex aſſe aſtipulantium, & ad harum normam omnia dogmata, cultuumque ſacrorum exercitia unanimiter dirigentium; Annexis pariter gravibus pœnis, delinquentibus & contravenientibus Regio Edicto, certiſſimè infligendis. Ex Apologia Bohemica ſecunda, pag. 15. & Num. 15. allegat. plur. Equidem initiô Imperii Rudolphiani, cùm orthodoxi Ordines Bohemiæ Confeſſionem ſuam Regi offerrent, Pickardi, ſeu Fratres, eam ſe quoque animitus amplecti aſſeverârunt, propriam Confeſſionem quaſi ſepultam habentes, ut libertate religionis cum prioribus illis fruerentur: poſtquàm verò ſub hoc pallio latibula & receptacula tuta in regno acquiſivére, mox *confeſſionem propriam* typis publicis in Germania excudi curarunt, & coram tota Eccleſia Chriſtiana, quòd ſymbolo illo communi ordinum *ſub utraque* ſincerorum non ſint contenti, luculenter ſignificarunt; Separatos inſuper cœtus continuè, peculiari ſub Miniſterio & Conſiſtorio agentes, dogmata Sacramentariorum paſſim prodiderunt ac diſſeminarunt. Inde motus Rex Rudolphus, juſſit eos meliorem informationem accipere, ad alterutram partem, ſive Romano-Catholicorum, ſive γνησίως Evangelicorum accedere, aut, ab utriusque conceſſis juribus & privilegiis abſtinere. confer. Calov. Syſt. Theol. A. 116. 226. Hutter. ad Iren. Par. cap. tot. 18.

Hoc anno, juxta Calviſium, viam ivit ſuam *Caſparus Peucerus*,

Me-

Medicus & Mathematicus Germanus inſignis, gener Melanchtho-
nis. Chronicum Carionis edidit anno 1565. deque divinationibus
librum; vir hactenus laude dignus; qui talis fortè manſiſſet perpe-
tim, niſi turbarum Tragœdiarumque in Academiâ Wittebergenſi
ſub Auguſto Electore datarum, præcipuus actor extitiſſet; quod Jo-
hannes Hornbek. Summ. Controv. pag. 656. diſſimulare nequit:
Caſpar Peucerus, inquiens, *gener Melanchthonis, Medicinæ in Academia
Wittembergenſi Profeſſor, fidus ſemper ſocero, & doctrinæ ejus religioſus
ſupra reliquos, ut oportuit, ſectator erat. Quare ei, præ aliis, adſcripta A-
cademiæ Wittebergenſis in meliorem ſententiam, i. e. uti vulgo dicebant,
CALVINISMUM MUTATIO.* An ergò decennali carcere ſub Aug. E-
lect. Sax. *ob veritatem* CLARUS evaſerit Peucerus, penes lectorem
judicatu facillimum, ſi cum Hofmanni Lex. A. 685. B 138. & Horn-
bekii ſum. contr. cit. loc. contulerit Conſilia Witteb. A. 260. 283.
ſeqq. & Schlüſſelburgii libr. quart. Theologiæ Calviniſtarum, pag.
402. ſeqq.

Fato etiam functus eſt, *Daniel Toſſanus*, Theologus & Profeſ-
ſor Heidelbergenſis, eò delatus Mompelgardô, Parei Anteceſſor
vid. Oper. hujus Exeget. Theol. part. I. Prolegom. c. Toſſanus ille,
vir ingenioſus & eloquens, inſinuaverat ſe Mompelgardi in Eccle-
ſiæ Miniſterium; perſonam, quam gerebat, callidè diſſimulando te-
gere noverat; Verbis equidem præ ſe ferebat, ac ſi à Calvino diſſen-
tiret, ſeque Calviniſtam nominari ægrè ferebat; Cùm interim do-
gma ipſius (Calvini) non in ſinu tantùm foveret, ſed & pro con-
cione, tectè tamen, ſpargeret, ac privatim in domos irrependo diſ-
ſeminaret. Nimirum Nota hæc eſt hæreticorum, aliud verbis præ-
tendere, & aliud in pectore clauſum habere, neque videri velle,
eſſe, quod ſunt. Re comperta & examinata, per D. Andreæ, & Bin-
derum, Theologos ex Wirtembergia vocatos, dimiſſus eſt. Orat.
funebr. Chriſtoph. Binderi, Abbat. Adelb. pag. 25. pl. Dictionarium
ſcripſit in Pſalmos, prælectiones in Pſalm. 2. in Prophetiam Jere-
miæ, atque Threnos paraphraſin, volum. in Nov. Teſt. quart.

Nec minùs è Gallia oriundus *Franciſcus Junius*, in Academia
Lugdunenſi Batavica, Theologiæ Calvinianæ Profeſſor celeberri-
mus, Ebrææ linguæ peritiſſimus Hofm. Lex. univerſal. Ann. 873.
Thuan. lib. 127. hiſt. fin. Cum Immanuele Tremellio (qui origine
Judæus, profeſſione Chriſtianus) obſervatâ linguæ ſanctæ proprie-
tate, ac idiotiſmis ſedulò expenſis, eam Verſionem V. T. latinam
con-

concinnavit, quæ ſe doctis oppidò probavit, maximè ſermonis puritate, & proprietate linguæ accommodata, quantum fieri potuit, ad rerum Majeſtatem; quod idem à Theodoro Beza in N. Teſtam. verſione obſervatum eſſe, plerisque perſuaſum. Hofm. Lex. B. 485.

Et, *Guilielmus Perkinſus*, Theologus Anglo-Britannus Cantabrigiæ exercitatiſſimus, Theologicis ſcriptis, quæ Chriſtianam praxin ſapiunt inprimis, clariſſimus; natus anno primo Eliſabethæ Reginæ, obiit iſtius anno ferè ultimo. Ejus opera latinè reddita ab Abrahamo van der Myle, Genevæ 2. Tom. fol. in alias etiam linguas translata ſunt. Hofm. Lex. A. 724.

LIB. I. CAP. XI.

Summaria.

Valentinus Wigelius, ſcripris fanatica dogmata ſpargit.
Hincmannus Chevalier, errorem Origenis incruſtat.
Franciſcus Johnſon, Amſtelodami novam Eccleſiam Separatiſticam inſtituit.

IN Orbis theatro verſari cœpit *Valentinus Weigelius*, ex variis hujus ſeculi & Eccleſiæ Turbonibus ferè primus. Fuit is paſtor quondam Tzſcopenſis, propè Chemnitium in Miſnia, ubi Formulæ Concordiæ ſubſcripſit, poſteà Fanaticorum Coryphæus. Natum ferunt in oppido Comitatus Mansfeldici, Artern/ tribus milliaribus ab Islebio, anno æræ Chriſtianæ 1533. parente iſtius loci Paſtore ac Decano, praxin ſimul medicam exercente; Unde Doctoris titulo à rerum imperitis fuit ſalutatus. Literarum prima fundamenta fanaticus iſte jecit Neoſtadii ad Ovilam, apud affinem ſuum Andream Mergethum, Eccleſiæ Paſtorem; à puero μισοιεροθεωπος, conciones ſacras audire detrectans, & nonniſi Hermetis Trismegiſti, Sibyllarum, Agrippæ, Cardani, præprimis Theophraſti Paracelſi ſcripta, nocturnâ diurnâque manu volvens & revolvens. Ab officio Paſtoratus Tzſcopenſis remotus, ac feneſtram ad ſpargendas opiniones fanaticas apertam ſibi ſentiens, ſcripta deinde non pauca vagabundus erro in lucem emiſit. Hornbek S. C. 397. Hieronymus Kromajer. Theol. poſ. Pol. 939. confer annum 1612.

Hincmannus Chevalier, errores Origenis, de Dæmonum pœnitentia, & receptione in gratiam, ſub idem tempus, voce calamoque

quæ incruſtavit in Anglia. Joh. Jac. Hofm, Prof. Baſileenſ. in Lex. univerſ. A 774.

Anno 1602. *Franciſcus Johnſon*, ex Anglia in Belgium Fœderatum trajiciens, cum Brovvnio-Barrovviſtis Amſtelodami novam Eccleſiam ſeparatiſticam inſtituit; IndependentiſmiAnglicani ſive Matrem, ſive Materteram. Utriuſque, tum *ſeparatiſmi* tum *Independentiſmi Natales*; paulò altiùs ut repetamus, ita ſe res habet breviter. Vergente ſuperiore ſeculo, cum Zelotes Britanniæ in Eccleſiaſtico ſuæ Nationis corpore nævos haud contemnendos obſervarent, præprimis autem quotidiana faſtûs ac dominationis Epiſcopalis incrementa viderent, eò prorupére, ut Eccleſiam Anglicanam, velut Antichriſtianum cœtum, averſarentur, condemnarent, & ab ea ſeceſſionem facerent. Schiſmatis hujus, ex quo innumera fluxere mala, primus autor fuit *Boltonus* quidam, ſegreges agens cœtus, brevi tamen ceu temerarius ad palinodiam adactus. In ſchiſmate propagando ſucceſſit ei *Robertus Brovvnius*, vel Brovvne, à quo Browniſtarum nomen; Is cum ſequacibus Middelburgum Zelandiæ ſe contulit, ibique vexillum ſeparatiſmi erexit. Aſt obortà inter ſocios gravi diſſenſione ac diſſolutione, rediit in Angliam, revocatóque ibi errore, ab Epiſcopis beneficium impetravit. Schiſma nihilominùs continuatum ab *Henrico Barrovio*, Brunonis ſocio, Eccleſiarumque Anglico-Epiſcopalium virulentiſſimo detractore ac adverſario; verùm inſtigantibus Epiſcopis miſellus poſt ſexennalem incarcerationem, anno 1593. furcâ fixus eſt. Aſſeclas his exemplis territos, & fugâ ſibi conſulentes, dictus Franciſcus Johnſon Amſtelodamum duxit, ibique ſeparatum cœtum adornavit, & cùm Henrico Ainsworth, edita confeſſione, ſectam Bruniſtarum renovavit, ſeu ſeparatiſtarum, qui multis pòſt annis in Anglia ſuperbo *Independentum* nomine appellati ſunt. Schwarmgeiſter Brut in præf. lit. 62. Horn. hiſtor. Eccl. pag. 396. ſeq. *Præcipua* horum *dogmata* fuére. Quamlibet Eccleſiam particularem, etiam paucarum perſonarum, habere plenam ac independentem à Claſſibus, Synodiſque poteſtatem & juriſdictionem; Neque presbyteria, ſed totam Eccleſiam, omnia nimirum atque ſingula ejus membra, viros pariter ac fœminas, poteſtatem clavium, juſque vocandi Miniſtros habere: Divinum cultum non exercendum eſſe in templis Antichriſti: Catechiſmum alioſque ſymbolicos libros in Eccleſia legendos & explicandos non eſſe: Neque preces fundendas ad præſcriptum

formularum conſvetarum, ne quidem orationis dominicæ; quia data hæc ſit, non ut precandi formula, quâ nos uteremur, ſed ſolùm ut exemplar, quo modo & ordine preces noſtras componere & inſtituere debeamus. Hornb. S. C. 781. 793. pl. & Hartnak. in contin. ſyntagm. Micræl. 1029. ſeqq. pl. confer. an. 1644.

LIB. I. CAP. XII.

Summaria.

Colloquium Lutetianum, inter Molinæum, & Cayerum.

Eleutherii, & Cuykii diſceptatio, de clericorum Concubinis.

Index pontificius librorum prohibitorum, Laicis lectionem Bibliorum in vernacula penitùs auferens.

Pontificale Damaſi, ſub nomine Anaſtaſii Bibliothecarii, vulgatum.

Libri Staffortenſis Confutatio Saxonica.

Ex literis patriarchæ Alexandrini quædam notanda.

PArisiis ex Regiæ ſororis voluntate habitum fuit *Colloquium*, inter *Molinæum* & *Cayerum*, hunc Pontificiæ, illum Calvinianæ religioni addictum. Propoſita pòtiſſimùm themata de ſacrificio Miſſæ, adoratione Papæ, & ſanctarum imaginum veneratione. Vocem *adorationis* papalis, in ipſo diſputationis exordio adhiberi, ægrè ferebat Carmelita quidam; Cayerus tamen, atque Doctor Sorbonicus, quem paraſtatam elegerat, ut bonam retinebant. Actum de his & aliis articulis diu multumque; ſed re ad ſummum deductâ, pars pontificia miniſtros regios inſtruxit, ut pro autoritate Colloquium diſſolverent, quaſi ex metu ſeditionis. Hornb. S. C. lib. 4. de papiſmo 274.

Tum temporis duo præcipui Doctores Pontificii Belgico-Hiſpani, diſceptârunt invicem: *An ſacerdotibus Concubinæ poſſint concedi?* Georgius Eleutherius N. N. affirmantem tenebat; ſed Henricus Cuykius Epiſcopus Ruremundenſis, non leviter caſtigabat illum, per Epiſtolam paræneticam Coloniæ typis excuſam anno 1602. Contradict. Pontif. Botſacci, prolegom pag. 39 Confeſs. Cathol. Gerhardi Tom. ult. 331. qui conferri vult *ſpeculum Concubinariorum* anno 1599. ibi loci quoque editum. Videtur Eleutherius in *opinione Monachorum papalium in Galata ſeu Pera* (ſuburbio Conſtantinopolitano) fuiſſe, de quibus in Itinerario Gerlachiano pag. 486. re-

recenſetur, quod palàm dicere ſoliti ſint: Hebdomadatim ſemel atque iterum ſcortari, haud illicitum, quemadmodum enim è naribus ejicere & excreare, non ſit peccatum; ita quoque ſeminis excrementa in fœminam projicere non eſſe peccatum; quia ſit naturale, & naturalia maneant immutabilia.

Anno 1602. Index librorum prohibitorum ſub Sixto V. & Clemente VIII. Coloniæ, ſumptibus Bernh. Gualtheri, typis expreſſus eſt; in quo *S. Scripturarum lectio*, quæ Laicis *in vernacula lingua* ſub quibuſdam conditionibus à Pio IV. ex regula quarta Concilii Tridentini videbatur conceſſa, *penitus ablata* eſt, quando negatur: Per illam Pii Papæ regulam, ullam de novo tribui facultatem Epiſcopis vel Inquiſitoribus, aut regularium ſuperioribus concedendi licentiam, emendi, legendi, aut retinendi Biblia, vulgari lingua edita; Cùm hactenus mandato & uſu S. Romanæ & univerſalis Inquiſitionis, ſublata eis fuerit facultas concedendi hujuſmodi licentias, legendi vel retinendi Biblia vulgaria, aut alias ſcripturæ partes tàm Novi quàm veteris Teſtamenti, quavis vulgari lingua editas; ac inſuper ſummaria & Compendia hiſtorica eorundem bibliorum ſeu librorum ſacræ ſcripturæ, quocunque idiomate conſcripta; quod quidem inviolatè ſervandum. Unde meridiana luce clarius eſt, juxta Pontif. Sixt. V. & Clem. VIII. in nullius Epiſcopi aut ſuperioris poteſtate poſitum eſſe, Laico concedere, vel etiam Clerico regulari, Lectionem S. Scripturæ in lingua vernacula, & excommunicationi obnoxios eſſe omnes, qui id ſibi uſurpent. Andreas Rivet. in Cathol. orthodox. tract. 1. pag. 90. Confeſs. Cathol. Gerh. tom. B. 309.

Sub idem tempus *Pontificale Damaſi* Moguntiæ vulgatum, ſub nomine *Anaſtaſii Bibliothecarii*; Notatque D. Hülſemannus, ex Riveto & Salmaſio, *inſignem fraudem*, quàm *Jeſuitæ* in hujus editione procurata commiſére, lectu dignam. Scilicet cùm ex manuſcriptis Marquardi Freheri, in quibus hiſtoria Johannæ Papiſſæ extabat, editio hæc tranſcriberetur, Curatores eandem hiſtoriam duobus impreſſis exemplaribus (quæ Commodatori Manuſcriptorum pro gratiarum actione miſerunt) inſeruiſſe, in omnibus verò cæteris exemplaribus eandem hiſtoriam omiſiſſe. Hülſem. vindic. S. S. per loca claſs. ſyſtem. & patrol. 1033.

Sequitur, quæ primum debebat obtinuiſſe locum, *Refutatio libri Stapletonis*, de quo ſupra cap. III. anno 1599, ſub aſcititio nomine

mine Marchionis ERNESTI FRIDERICI à genteCalviniana compoſiti, & in lucem protruſi, ſub hoc titulo: Chriſtliches Bedencken und erhebliche motiven ꝛc. HErrn Ernſt Friderichs/ Marggraffen zu Baden ꝛc. Welche denſelben von der ſubſcription F. C. abgehalten. Dictus liber ab arce haud procul Durlaco ſita, & in qua conſarcinatus fuit, nomen habet, uti ex actis Erud. Lips. de an. 1688. pag. 18. patet. „Nihil aliud eſt, inquit Leonhardus Hutterus, quàm ſen„tina, & quædam quaſi confluentia omnium abominationum, quas „quidem ſacramentarii unquam & uſquam contra primam minimè„que invariatam AuguſtanamConfeſſionem, contra catechiſmos Lu„theri, Formulam Concordiæ, orthodoxam denique doctrinam de „perſona Chriſti, Baptiſmo, cœna Domini, prædeſtinatione filio„rum Dei, libero arbitrio &c. evomuerunt; ita, ut *Epitome abo„minationis ſacramentariæ*, nominari haud malè poſſit. Quod animadvertentes Fridericus Wilhelmus t. t. Pro-Elector Saxoniæ, & Fridericus Wirtenbergiæ Dux, in mandatis dedére ſuis Theologis, ut illius libri Staffortenſis, refutationem ſolidam & nervoſam adornarent; qui dicto audientes, fideliſſimè præſtiterunt, quòd juſſi erant. Prodit ergò *gemina Refutatio*, una ſub nomine Theologorum Wittembergenſium, anno 1601. altera ſub nomine Theol. Electoral. Saxonicorum anno 1602. qua cavillationes, calumniæ, ſophiſmata, & impoſturæ, ſatis detectæ ſunt, autori remiſſæ, ac in ejus (Concipiſtæ) jugulum regeſtæ. Hutt. Conc. Conc. 1448. pl. Oſiand. Cent. XVI. 1133. 1142.

Supra Cap. V. mentionem fecimus *literarum Patriarchæ Alexandrini*, nomine *Meletii*, facta promiſſione, nos hîc nonnulla communicaturos. Totum Apographum illarum exhibet Henricus Hilarius, in appendice ad Chron. Eccleſ. Græcan. Philippi Cyprii, lit. d. ſeq. Nos tantùm *obſervamus primò*, quòd ſcripſit Meletius, non ignorare ſe, fideique ſuæ ſocios, Pontificem Romanum, ſcil. qua Romanus eſt, veluti & Conſtantinopolitanum, Pontificem Conſtantinopolitanum; qui non unus omnium, ſed inter omnes (Eccleſiarum Antiſtites) & ipſe unus legatione Domini J. C. fungatur, dum Jeſu Chriſti veſtigiis inſiſtat, Evangelioque. *Secundò*, quod Petrus ipſe non unicus fuerit Apoſtolus, ſed unus cum cæteris Apoſtolus, etiamſi primus, etiamſi præcipuus, etiamſi Coryphæus Apoſtolorum, in ordine; Frater Apoſtolorum, non Pater; Apoſtolus, non Dominus; Condiſcipulus J. C. & compresbyter, non

Magi-

Magiſter. *Tertiò*, quòd unum agnoſcant (orientales Eccleſiæ Chriſtiano-Græcæ) ovile, ſub uno paſtore; uniusque univerſalis Eccleſiæ, UNUM Univerſale CAPUT; quòd, ſi Dominus J. C. ſit, alius eſſe non poſſit; niſi biceps aliquod corpus, aut potiùs Monſtrum corporis, fingere cui allubeſcat. Hæc Meletius. Unde pateſcit, falſa & conficta fuiſſe omnia, quæ de legatione ſplendida, tanquam ab Alexandrino Eccleſiarcha ad Clem. VIII. miſſa, gloriati ſunt Pontificii. Confer. ſup. cap. II. Extant quoque, recenſente Hilario, *Meletii literæ* ad Protothronum totius Ruſſiæ, *Hypatium Pociey*. anno 1599. pariter ex Ægypto ſcriptæ, in quibus conqueſtus eſt Meletius, craſſo mendaciô & impoſturâ confictum atque divulgatum eſſe typis, quaſi per Legatos poteſtati ſeſe R. Pontificis ſubjeciſſet, ac orientalis Eccleſiæ, cum Occidentalibus (Papanis) coaluiſſent; allegat in fidem Hilarius, Chronicon Eccleſiarum Sclavicarum Adriani Regen-Volſci, lib 3.

LIB I. CAP. XIII.

Summaria.

Alba Regaſis in manus Turcarum redit: Moſes Zeklerorum Dux Daciam turbat: Battorius cum Auſtriacis amicitiam recolit.

Splendidam Legationem Rudolphus ad Perſas mittit, ſed minimè fortunatam.

Albertus Archidux Oſtendanam obſidionem continuat; Mauritius Fœderatorum Archiſtrategus interim Graviam occupat.

In Livonia quoque bellum flagrat: Sabaudiæ Dux Genevam adoritur.

Fœderati Belgæ, civitati Embdanæ auxilia mittunt.

Iidem Societatem, navigandi in Indiam Orientalem, inſtituunt.

Lamoraldus de Ligne, fit Imperii Princeps.

At mortem obeunt, Johannes, Daniæ Regis frater: Joachimus Fridericus, Lignicenſis & Brigienſis Dux: nec non Johannes Erneſtus Anhaltinus.

Carolus Gontaldus, Bironiæ Dux, capite plectitur.

A*lba regalis* in Hungaria, per Serdarem Baſſam capta, in manus Turcarum rediit, amiſſo Chriſtianorum univerſo præſidio, *cum ipſo* Comite Iſolano; ſed expugnatio decem millibus hoſtium *conſtitit*. In Tranſſylvania, *Moſes Zeklerorum Dux* Batorio favens,

novos excitans motus, à *Baſta* profligatur; *Sigiſmundus Batorius* ad Baſtam veniens, Auſtriacis, mediante Rom. Pontifice, reconciliatur. Wagn. limin. Geneal. pag. 352. hiſtor. Gottfrid. anno 1602.

Ea tempeſtate *Rudolphus* Imperator Germanorum, *ad Regem Perſarum legationem* ſatis ſplendidam adornavit, at minùs fortunatam; totus enim comitatus (uno excepto, qui rediit,) in itinere periit, ipſo etiam ductore in vili pago Lenkeran, provinciæ Kilan, mortem oppetente. Adam Olearius in Moſcow. & Perſ. Reyſbeſchr. 705. edit. 3. Schleſwicenſ.

Oſtendanam obſidionem Albertus Auſtriæ Dux fervidè continuat equidem; ſed magno ſumptu, exiguo autem emolumento: Cùm intereà Mauritius, fœderatorum Belgarum Archiſtrategus, *Graviam* cingeret, fruſtràque Mendoza renitente, ſuæ poteſtati per deditionem ſubjiceret. Cluver. & Calviſius.

In *Livonia* quoque flagrabant Martis opera, Suecos inter & Polonos, majore tamen horum, quam illorum fortuna; Zamoiskius enim Polonorum Dux Veteranus Wiſenſteinium, Volmariam, aliaque loca expugnat; Suecis *Rigam* fruſtrà tentantibus, aliquot millium internecione ſuorum. Cluver. & Gottfrid.

Genevam Sabaudiæ Dux Carolus Emanuel I. inſidiis nocturnis bello minimè indictô derepentè adortus eſt, eamque procul dubio ſuam feciſſet, niſi quidam puer tranſiens per plateas, profugus periculum indicâſſet. Jam enim ducenti bellatores muros tranſcenderant, qui, cæſis excubatoribus urbis, alios quàm plurimos expectabant, mox inſecuturos; At conciti cives, illis ad unum captis, depulére reliquos, Lundorp. contin. Sleid. Hofm. Lex. in vocabulo Geneva. Ob Scalas Cannabinas artificioſiſſimè confectas, quibus admotis intrârunt hoſtes, ab iſto tempore *ſcalarum feſtum* Urbi ſolenne.

Enno, Comes Orientalis Friſiæ, abſolutam dominationem affectans, *Embdanis* navigationem impedire conatus, omni propemodum ditione pulſus eſt; à Fœderatis nempe Belgarum Ordinibus, per hos in auxilium vocatos Hæc origo & cauſa habetur militarium præſidiorum, eorundem ordinum nomine in iſta civitate Embdana diſpoſitorum, Zuerio Boxhorn. in Chronol. teſt.

Ex fœderatis quoque Belgis in unam ſocietatem t. t. coaluére, qui hactenus diverſi. ſua quisque ſtudia ſecuti, in Orientalem Indiam navigarunt. Hæc *origo* eſt *Societatis Indiæ Orientalis*, poſtmodùm

dùm in toto terrarum orbe celebris; Initium *novæ Bataviæ*, ſub alio ſole præter expectationem excitatæ, aliquot etiam regnorum in ordinum poteſtatem ſubactorum. Idem Boxh. & Pufendorff. in Introduct. ad cogn. Stat. Europ. 508. ubi clariſſimus vir, quomodo ad Navigationes in Indiam fœderati Belgæ ab Hiſpanis & Portugallenſibus, horum inenarrabili damno, compulſi fuerint, ſimul edocet.

Lamoraldus, Baro de Ligne, Johannis filius, *Ligniaci & Rom. Imp. Princeps* creatus eſt. Vivis autem exceſſit *Johannes*, *Chriſtiani IV. Daniæ Regis frater*, à Magno Moſchorum Duce Boris Gudenow evocatus, & gener in filia Arſenica delectus. Notit. Procer. Imhofii pag. 741. 611. Nec minùs Naturæ debitum hoc anno exſolverunt, *Joachimus Fridericus*, *Dux Lignicenſis & Brigenſis* in Sileſia, è ſtudio introducendi Calviniſmi notus. vide ſuprà cap. III. an. 1601. Atque *Johannes Erneſtus Anhaldinus*, rebus bellicis in Gallia, Belgio & Hungaria geſtis, celebritatem nominis meritus. Calviſ.

Carolus Gontaldus Bironiæ Dux, Galliæ Regi Henrico IV. ob audaciam bellicam & intrepidum in periculis animum, hucusque percharus, cùm res appetiiſſet, juſtô majores, & in Regis caput occultè conſpiraſſet, *capite plexus eſt*, menſe Auguſto, an. 1602. Lundorp. 369. tom. hiſt. 3. Talem Bironio mortem *prædixiſſe* fertur *Mathematicus* la Broſſe, ob id plagis exceptus. Zeil. Epiſt. T. I. 31.

LIB. I. CAP. XIV.

Summaria.

Johannes Paſſeratius cavet, ne manes ſui malis carminibus onerentur.

Moſcoviæ Dux, quendam Germanum Ipſe Doctorem creat, pronunciatque.

Horrenda Fames graſſatur in Livonia.

In Gallia, & alibi nonnullæ Virgines, aliquot annorum inediam prodigioſa ægritudine tolerant.

Studioſus Wittenbergenſis, à Cacodæmone obſeſſus, Piræ liberatur.

Franciſcus Trovilluvius, adhuedum in Gallia pro Satyro circumducitur.

Incidit hunc in annum Victorini Strigelii obitus, valdè memorabilis.

J*Ohannes Paſſeratius*, latinæ Eloquentiæ Profeſſor Pariſinus, qui felicitate verſûs pangendi & ſoluta oratione ſcribendi, bonosque

autores interpretandi, magnam diu laudem in Academia meruit; Ultimo eloquio vovit, ne manes ſui malis carminibus onerarentur; Itaque *pauci mortuum laudarunt*, dum vererentur, ne voto ejus reſponderent minùs. Thuan lib. 127 Hofm. Lex. B. 107.

Boriſius Gudeno, humiliter à *Germano*, quem in ſervitiis habebat, rogatus, ut veniam daret adeundi Academiam quandam Germ. ad acquirendos honores Doctorales in arte Medica, quæſivit: quid eſſet fieri Doctorem in Germania, quibusque modis acquireretur iſte honoris gradus? acceptoque reſponſo: Medicinæ Studioſum probè explorari, quantum in arte profecerit? ſufficientique ſcientia inſtructum, pronunciari Doctorem ſolenniter ac publicè, additis literis teſtimonialibus Academico ſigillo munitis; ſubridens exclamavit Boriſius: Ohe non opus eſt, ut abeas in Germaniam; Tuam artem ipſemet exploravi; placet; *Ego Te Doctorem artis medicæ pronuncio, talem etiam ab omnibus haberi volo;* & in teſtimonium rei, diplomate in majori ac meliori forma te ornabo: Dictum, ſine mora factum. Olear. in Moſcow. Reyß-Beſchr.

In Livonia bello vaſtatis undique agris, inedia & calamitate multa hominum interiére millia; *famem* in terra ſuſtentantibus aliis muſcô de paludibus, contuſis ac friatis arborum corticibus, variorum animalium cadaveribus, elixatis rebus coriaceis, & quæ ſunt ejusmodi plura; nonnullis etiam humanis carnibus minimè parcentibus, vel propriorum liberorum, parentum, conjugum. Oſeas Schadius ad ann 1602. Zeil. Epiſt. B. 2 4

Sed iisdem temporibus *virgines aliquot* in Gallia, Helvetia, & alibi, *trium pluriumque annorum inediam prodigioſâ ægritudine tolerarunt;* ex quibus nominamus *Johannem Balanam*, Conſolantenſem in Poictu; & *Appolloniam Schreierinam* Galzenſem in ditione Bernenſi. videatur Eraſmi Franciſci Schaubühne Tom. 2. 916. & 919. plur. Stoker. & Cluver.

Anno 1602. *Studioſus Wittebergenſis* haud ignobilis familiæ, poſtquam cum Diabolo pactum inierat, ab eo *corporaliter obſeſſus eſt*, & aliquandiu miſerè vexatus; Wittenbergâ verò Pirnam delatus, & à Conſiſtorio Dresdenſi Myſtis loci, Eccleſiæque Dohnavienſis Miniſtris probè commendatus, intra ſpatium duodecim dierum, commoda verbi divini applicatione ac frequenti piarum precum uſu, *liberatus eſt*; quo in opere præprimis multum contuliſſe fertur *Nicolaus Blumius*; obſervatum enim eâ horâ, qua Blumius, ad manifeſta-

tio-

tionem gloriæ DEI, pro liberatione obſeſſi ſub dio calidas effudit preces, Cacodæmonem in forma candentis ac fumantis grani hordeacei exiviſſe. Nicolai Brand. Wſp. 719. Creidius, in Noſſe me, & Noſſe te, pag. 301.

Circa hoc tempus ad Henricum IV. ductus eſt *Franciſcus Trovillnvins*, prodigium hominis, qui *cornu e ſyncipite enatum* poſt ſeptimum ætatis annum, invitiſſimus oſtendit Pariſiis; exinde pro Satyro circumductus per aliquot annos ob curioſæ plebis nummos eliciendos. Cluver. Ep. hiſt. 754. Lanſ. mantiſſ. Conſultat. 576. pl.

Memores promiſſi cap. ſup. IX. *de obitu Strigelii* nonnihil epiſagmatis loco addimus. Hiſtoria ſic habet: Cùm ſuperiori ſeculo Victorinus Strigelius Heidelbergæ Calviniſticam Doctrinam juventuti miris technis aliquandiu inſtillâſſet, fortè compellavit eum in compito, hoc fere modo, Studioſus nobilis: Domine, Tu ante paucos annos non crediditi, ſanè non docuiſti, quæ jam credis & credenda proponis. Quî ſic? ajebat Victorinus; cui nobilis repoſuit: Ego Jenæ Tuus fui diſcipulus, at aliter me. meosque ſodales tùm inſtruxiſti. Ad hæc Strigelius obmuteſcens, domum abiit, gravique morbo correptus, ſupplex petiit, ut Sereniſſimus Elector (Fridericus III.) inviſendi gratiam, licet indigno ſibi conferret; habere enim dicenda, utriusque & plurimarum animarum ſalutem ſpectantia! Comparuit ergò Elector, comitante Georgio, Comite Palatino vom Hundsrucken; cui Strigelius lecto inſidens, liberè faſſus eſt; Quæ hactenus, in favorem Calviniſequarum, Heidelbergæ docuerit, non ex omni parte verbo DEI conſentanea eſſe; ſed quæ hactenus Lutherani profeſſi ſint, veriſſima; quibus auditis, Elector indignans abiit; Mox autem ægrotans Victorinus, animam (inconſtantem dicam, an infelicem?) gemebundus exhalavit. Ex itiner. Gerlach. Conſtantinopol. in act. ann. 1575. Nov. 25.

LIB. I. CAP. XV.

Summaria.

Diſſidium inter Canonicos Argentoratenſes, quod ante novennium videbatur ſopitum, recrudeſcit.

Evangelicis è Carinthia, Stiria, aliisque locis, ob fidei confeſſionem expulſis, Elector Saxonicus omnia Chriſtianæ pietatis & benevolentiæ officia defert

In Bohemiæ Regno purioris fidei Confeſſoribus, paulatìm eadem Tragœdia paratur, qualis agebatur hactenus in Carinthia.

Caſſoviæ, repentina religionis fit mutatio, poſtquam urbis Præfectus Pontificius, cives Evangelicos opprimere decreviſſet.

Georgius Fridericus, Marchio Anſpacenſis moritur, ob fundationem Gymnaſii Heilsbronnenſis laude dignus.

Fatis quoque concedit Ulricus, Dux Megapolitanus, qui fratri Alberto in ſtabilienda religione fidam navavit operam.

Nec minus vivis excedunt: Ægidius Hunnius, Wittenb. Theol. Roſtochienſis item, David Lobechius; & Johannes Hofmannus, Juriscons. Tubinganus.

D*iſſidium inter Canonicos Argentoratenſes*, ſuperiori ſeculo ad finem vergente ortum, & armis agitatum, recrudeſcit, quod ante novennium videbatur ſopitum. Etenim cùm anno 1592. Johannes Manderſcheid, Epiſcopus Argentinenſis, vivis exceſſiſſet, *Johannes Georgius*, Joachimi Friderici Adminiſtratoris primatûs Magdeburgici filius, Marchio *Brandenburgenſis*, à Canonicis Evangelicam religionem amplectentibus, conſentiente Senatu, in locum ejus electus eſt; verùm Canonici Pontificiæ partis *Carolum Lotharingum*, Cardinalem & Epiſcopum Metenſem, pro ſucceſſore deſignabant. Alter alteri dum cedere nollet, bellum inde ortum eſt, quod inter Joannem Georgium & Carolum, in nonum usque menſem geſtum; ſub initium ſequentis anni, à Commiſſariis Imperatoris Rudolphi ſedatum, arma depoſita, milesque dimiſſus eſt, ac diviſus Epiſcopatus in duas partes, primariâ litis causâ deciſioni ſex Principum relicta. His quidem conditionibus pax t. t. facta, & per novem annos conſervata eſt. Sed jam, anno nimirum 1603. lis renovata, Lotharingio invaſore, qui pagos & alia loca, ſumma vi Brandeburgico abſenti, erepta occupavit: In quibus turbis mandatis Imperatoriis Evangelici Capitulares jure ſuo deſtitui cœperunt. Burgold. diſc. 1. in Inſtr. pacis, pag. 60. A. edit. 4. Arthus, Merc. Gallo-Belg. Tom. 5. lib. 1. 37.

Quoniam *Evangelici* adhuc plurimi *ex Carinthia, Stiria, & aliis locis*, ob confeſſionem puræ fidei ferociter *expulſi*, certas quærebant ſedes, ut alibi, ſic etiam in Saxonia; Sereniſſimus Elector *Chriſtianus II.* pro ſe, ac nomine tutorio, pro Johanne Georgio & Auguſto fratribus, *edictum* promulgavit gratioſiſſimum, quô omnibus ad ſuas regiones venientibus *exulibus*, qui facultatem ibi peterent commorandi, omnia Chriſtianæ pietatis & benevolentiæ officia deferens, univerſis ſuis ſubditis ſeverè imperabat, ut omnes ob Auguſtanæ Con-

Confeſſionis profeſſionem ejectos, dummodò ſufficienti teſtimonio id probare poſſent, Chriſtianæ pietatis ac fraternitatis memores, propter DEUM ac divini ejus verbi honorem, ex Chriſtiano & verè pio benevoloque cordis affectu, omnibus humanitatis ac benevolentiæ officiis complectantur. Magiſtratibus verò & opificum omnis generis per civitates & oppida omnia tribubus mandabat, ſi opifices religionis cauſâ exulantes, ad eos venire, & vel civibus annumerari, vel tribubus accenſeri velint, petantque, ac duorum vel trium teſtimoniô docere poſſint, ſe opificia ſua ante hæc tempora honeſtè exercuiſſe, eos ſine ulla tergiverſatione, ad jus civitatis, pro tolerabili pretio admittant, ac tribubus annumerent. Hac addita comminatione, ſi forſitan querelæ de exulibus iſtis rigore aliquo oneratis & gravatis, deferantur, inultas eas ſeſe, cùm præſertim id etiam beneficii hominibus iſtis præſtiterit, ut in civitatibus metallicis per annos quatuor, in aliis verò per biennium, ab omnibus publicis oneribus immunes & liberi habitare, augendisque ſuis facultatibus operam dare tranquillè poſſint, haudquaquam habiturum. Exulanten-Tractat. Johannis Buri ex Hungaria, pag. 114.

Sub idem tempus in *Bohemiæ* regno, dura ſanè conditio erat eorum, qui à Papicolis in forma & norma ſacrorum diſſentiebant; his eandem planè tragœdiam ibi parantibus, qualem in Carinthia, Stiria, iſtiusque tractûs aliis locis, per aliquot abhinc annos egerant; ex voto (inter lacrymas quidem & ſingultus Evangelicorum) ingeminantes, *plaudite*! primi conatus tendebant adverſus *Pikhardos*; quos cùm putarent ferè victos & ſuppreſſos; animum induxerunt firmiter, etiam reliquos adoriri, modò quolibet poſſibili, ut eos vel ad ſua ſacra demum adigant, vel abigant ab officiis, honoribus, bonis, ædibus, privilegiis, juribus, beneficiis, immunitatibus, ipſis denique regni civitatibus, pagis, arcibus, vicis, & limitibus univerſis. Præcipui Actores erant, Archiepiſcopus Pragenſis, nomine *Sbinko Berka*, & Abbas Brunavienſis N. N. conſilia ſuggerentibus, oleumque igni affundentibus, *Melchiore Glöſelio*, & P. *Lanoyo*, Ignatiano ſpiritu inflammatis. Apolog. Bohemor. alter. pag. 15. ſeq. & additament. F & G pl. Yy 2. Zz

Anno 1603. ſub finem Decembris, *Caſſoviæ in Hungaria*, religionis mutatio præter expectationem ſubitò facta, poſtquam præfectus Urbis, pontificiæ religioni addictus, cum vicinis Epiſcopis

re

re diu deliberata, cives Evangelicos vi opprimere decreviſſet. Vocatos equites, ad mandatum ſuum cum Valonibus præſtò eſſe jubet, peregrè abiturum ſe ſimulans. Parent milites, armatique probè cum explicatis vexillis adſunt. Intereà firmatis Germano milite portis, tranſitus ut nemini pateret, & multis per plateas (ubi præcipui cives habitabant) diſpoſitis, cùm onerata globis tormenta aliquot ænea, in forum protrahi dirigique adverſus templum juſſiſſet, accerſito ad ſe Prætore, cum primariis civibus, mandatum de aperiendo templo, ejusque ſibi clavibus tradendis, ac mutanda religione, proponit. Cives ergò cùm aliud evitandi præſentiſſimi, & non expectati mali remedium nullum viderent, vi ſumma coacti, mandatum acceptarunt, ac voluntati ejus acquieverunt. Acceptis clavibus, edictô ſtatim prohibet præfectus, ne quis in ædibus ſuis vel Baptiſmo, vel S. Synaxi, vel ſacris concionibus vacaret; Cùmque *Georgius Saba*, domi ſuæ concionem ab Hungarico Prædicante haberi permiſiſſet, mulctam ei decem millium Joachimicorum irrogavit. Arthus in Mercur. Tom.9. L. 1. 251.

Mortalitatis legem explevit, *Georgius Fridericus*, *Marchio Onoldinus*, cùm regimini præfuiſſet annis 47. Is eſt, qui anno 1582. die ſuo natali *Gymnaſium* in Monaſterio *Heilsbronnenſi* aperuit, in quo centum alumni, cardinalium linguarum, artiumque liberalium Studioſi, ſuſtententur. D. Tob. Wagn. in limin. Genealog. 82.

Nec minùs *Dux Megapolitanus, Udalricus*, Comes & Adminiſtrator Suerinenſis, Roſtochii & Stargardii Dominus, qui Johanni Alberto fratri primogenito in ſtabilienda Evangelica religione, conſtituendis judiciis, & omnibus, quæ dilapſa jam diffluxerant, ſeveris legibus vinciendis, operam navârat ſtrenuam Imhof. Notit. Procer. 490.

Ad meliorem vitam abiit *Ægidius Hunnius*, Winnendâ-Wirtembergicus, Theologiæ Doctor & Profeſſor Wittembergæ primarius, veritatis adverſus hæreticos vindex acerrimus. Marpurgi primùm docuit, inde Wittenbergam vocatus, quam altera vice Crypto-Calviniani, ſub Chriſtiano I. Elect. turbaverant; ibique, Friderico Wilhelmo Adminiſtratore, reformationis opus feliciter confecit; Ornamentum & firmamentum veræ DEI Eccleſiæ, quod gravidæ matri per ſomnium fuerat indicatum. Hæc enim uterum adhuc geſtans, videbatur ſibi ſedere in templo, ſuo loco, & manu dextra quippiam humo attollere, ſimile culmo ſtramineo; Idque cùm

teneret inter anteriores digitos, cœpit ita creſcere, mater autem ſub mole ſic angi, ſic laborare, ſic affliꝰtari, ac ſi penitùs eſſet ſuccubitura; dumque jam videretur actum, & planè ſe putaret interituram ſub onere, derepente idem vidit in Templi columnam verſum, ac ſe onere liberatam. Quùm variis, vir DEI, ſcriptis Eccleſiæ ſalutariter profuiſſet, in Ducatibus etiam Lignicenſium atque Brigenſium, Calvinianas technas diſſolviſſet, ac in colloquio cum Pontificiis Ratisbonenſi, non ſine immortali nominis laude, pro S. Script. perfectione dimicaſſet, obiit anno 1603. April. 4. ætat. 53. Threnolog. Hutteri de ob. Hunn. pag. 17. Micræl. Syntagm. lib. 3. 504. Morbo correptus ultimo, fertur præſagio quodam, divinitus ſuggeſto, dixiſſe: Quia curſum Epiſtolarum Paulinarum, pro lectionibus publicis abſolviſſet, cum valedictoria D. Apoſtoli, concionibus hebdomadariis explicatâ, ſibi omninò videri, tempus adeſſe valedictionis propriæ, quod eventus probatum dedit. Johann Kisling in Chriſtl. Lebens und Sterbens-Kunſt/ pag. 702.

Hunnium Wittebergenſem, hoc etiam anno ſequutus eſt Roſtochienſis ille Theologus, *D. David Lobechius*, diſpp. in Auguſtanam Confeſſionem; hypomnematibus in Catecheſin, tractatu de prædeſtinatione, & Cœna Domini, clarus. Micrel. l. c. 510.

Juxta communem Naturæ (heu! corruptæ) legem, jure quodam ſuô diſceſſit quoque *Johannes Hochmannus*, Biberacenſis, U. J. D. & in Academiâ Tubingenſi Profeſſor celeberrimus, optimèque meritus. *Fundator* novi *Stipendii* ſeu Collegii, cui propriam, & ampliſſimam & accommodiſſimam domum non procul à porta Luſtenavienſi, adhuc ſuperſtes deſtinavit, eandemque ita ædificari curavit, ut alumni diſtinctis Muſæis & cubiculis habitare, uno autem refectorio cibum capere poſſint; de aliis etiam inſignibus commoditatibus culinæ, arearum, cellæ, balnei &c. prudenter providit. Hujus Stipendii Alumnos conſtituit conſanguineos, ut ſui ipſius, ita etiam conjugis familiæ, & ex utraque promanantes. Quia etiam noverat, non omnibus Studioſis eadem eſſe ingenia, nec ad quodvis ſtudium quemlibet idoneum eſſe; Studia facultatum liberè permiſit, ut quisque pro ſuis donis vel Philoſophiæ, vel Theologiæ, vel Jurisprudentiæ, vel Medicinæ operam navaret. Schopper. in orat. funebr. 14. & ſeq. 18.

LIB. I. CAP. XVI.

Summaria.

Largiſſimæ Indulgentiæ Joh. XXII. & Clem. VIII. calceum Virginis Deiparæ exoſculaturis, conceſſæ.

Literæ ſupplices Imperatori Rudolpho, ab Archiepiſcopo Pragenſi inſinuatæ, contra fideles A. C. addictos.

Abbatis Brunavienſis, adverſus eosdem, & alios à Romanenſibus diſſentientes, attentata quàm ferocia.

Claudiopoli, per Baſtam Lojolitarum non ita pridem ejectorum reſtitutio, laqueis eorum expulſoribus enecatis, ſolenniter facta.

Ad Jeſuitarum, pro receptione in Galliam, ſupplices literas denuò traditas, Regis reſponſio.

Papicolarum in Anglia, religionis cauſa petitio; eorumque adverſus Regem non gratificantem conſpiratio.

Hiſpanenſium, pro felici ſucceſſu oppugnationis & expugnationis Oſtendæ, vota devota.

Perſequutionis Chriſtianorum in Japonia, pridem cœptæ, atrociſſima continuatio.

Obitus Johann Petri Maffæi, è Societate Lojolica, viri græcè & latinè doctiſſimi, in poliendis ſcriptis diligentiſſimi.

Et, Johann Adami à Biken, Archiepiſcopi Moguntinenſis.

FErunt in Hiſpaniæ Cœnobio N. ex *Virginis Deiparæ calceis* unum aſſervari magna veneratione; quam ut auctiorem redderet *Johannes XXII.* olim Papa Romanus, largiſſimas conceſſit *indulgentias*, & quidem ſeptingentorum annorum, omnibus & ſingulis, calceum iſtum devotè exoſculaturis, addita ſalutatione Angelica, Ave Maria &c. tertiùm repetitâ. Easdem indulgentias *Clementem VIII.* confirmaſſe, didicimus ex inſcriptione Anonymi ſuper menſuram prædicti calcei, cujus longitudinem & latitudinem ipſe delineavit in charta.

Regi & Imperatori Rudolpho, die 6. Jun. 1603. ſupplices literas, acerbis & aſperis querimoniis plenas, inſinuavit *Archiepiſcopus Pragenſis*, adverſus *Adamum Berka* & uxorem *Eliſabetham à Wartenberg*, eò quod in civitate Leypa (ipſis hæreditaria) genuinum DEI cultum, abolitis ritibus Romanis inſtaurârunt; peregrinam, Inquiens, & Incognitam Fidem, quam nominarent Augustanam Confessionem, à deſignatis perſonis introductam, Romano-Catholicis adverſam, injurioſam, noxiam, omnigenæ confuſionis ac impietatis cauſam; Inde per & propter DEUM, omniaque ſacra rogitans,

gitans, ut Regia Majeſtas ejusmodi conatus hæreticorum absque mora ſufflaminare velit, ac retundere. Conſimili ratione, libertatem exercendæ religionis Antipapanæ arietavit, in ditione *Wilhelmi Lobkowizii*, quem toties violatæ jurisdictionis Archiepiſcopalis inſimulavit, quoties Lobkowiziani prædicantes aliquem ex Romano-Catholicis, Evangelii luce colluſtratum, ad communionem ſacrorum ſuorum admiſerunt. Apolog. Bohem. alt. F. ult. & G. pl.

Sed magis acer & ferox in Confeſſores Evangelicæ veritatis fuit *Abbas Brunavienſis*; qui publicis proclamationibus & edictis, omnes inhabitatores Diœceſanos, tempore paſchali ad Confeſſionem pontificio more edendam, adque Communionem S. C. ſub una, compellere anniſus eſt; ea ſeveritate, ut obnitentibus graviſſimas minitaretur pœnas, in ære & corpore ſuſtinendas; remotionem præprimis ab omnibus honeſtis officiis atque ſocietatibus, excluſionem à participatione actuum baptiſmalium & ſolennitatum nuptialium, imò (ſi morituri ſint inobedientes) privationem Chriſtianæ ſepulturæ. Apolog. 2. G 2.

Claudiopoli, Daciæ civitas celebris & ampla eſt, *Baſta*, Dux Auſtriacæ militiæ generalis, *Jeſuitas* non ita pridem ejectos *reſtituens*, per Senatorem nudatô capite, binos & binos, ad locum deſolatum, ubi templum anteà & Collegium ſuum habuerant, autoresque ſeditionis laqueô ſuffocati cernebantur, deduci juſſit; utque rurſus religionis & pietatis exercitiis eò commodiùs vacare poſſent, Arianorum ipſis ædificium ſatis & ſplendidum & ſpatioſum, cum templo Cathedrali, tributum eſt. Arthus Mercur. Tom. 5. lib. 2. 44.

In *Gallia*, Jeſuitæ iterum ſupplices facti *Henrico IV.* Regi, pro ſodalitio ſuo in Galliis rurſum recipiendo, inter alia dixére: Nil magis adverſari Eccleſiaſtico ordini, quàm immiſcére ſe rebus ſecularibus, à quibus ipſi ſint (quàm verè, totus novit orbis) animô longè alieniſſimi. Rex reſpondit: Jeſuitas odio non habeo, & malum, „ quod ulli mortalium dare diſcupiam, in me autore cudatur; ſed „ Senatus Pariſienſis, initâ, ſubductâque ratione, de vobis tulit ſententiam. Inſtanti præſertim Laurentio Majo, ſocietatis primipilo, Regique ſæpiùs per jocum exprobranti, *ſegniorem eum eſſe mulieribus, per menſes novem uterum geſtantes*, facetè Henricus repoſuit: *Reges diutiùs, quàm fœminas, parturire*. Thuan. & Lundorp.

Papicolæ partim exules, partim in *Angliæ* regno adhuc ſuperſtites, novo regi *ſupplicem libellum* quoque obtulerunt, *pro impetrando*

 libero

libero religionis Romano-Catholicæ exercitio, quatuordecim ſectionibus conſtantem. Rex, acceptum Proteſtantibus exhibuit, horum de eo judicium exploraturus, qui conſimili forma alium, paucis duntaxat mutatis, ac totidem ſectionibus conſtantem, oppoſuére. Nondum tamen contenti Proteſtantes (Calviniſtæ Anglicani) *examen* inſuper inſtituére *rationum*, ob quas Romanenſes libertatem religionis permittendam ſibi arbitrarentur; Tandem huic examini ſuas *concluſiones*, cur exercitium cultus Pontificii non ferendum cenſerent, adjunxére. Cùm igitur proteſtantium petitionem plus, quàm papicolarum, apud ſe ponderis habere Rex paſſus fuiſſet, inaudita ſtatim adverſus novum Regem Jacobum facta *conſpiratio*, conſciis & aſſentientibus non paucis regni proceribus, aliisque nobiliſſimis & clariſſimis Viris, qui *Antonio* cuidam *Copleo* executionem conſilii demandârunt. Hic *ſclopeto* in Regem directo, alterum ejus humerum percuſſit, peractoque facinore, ex populi ſe conſpectu ſubduxit. Inveniri aliquandiu & erui non potuit; exploratus tamen & comprehenſus paulò poſt, ſe conductum eſſe à pluribus, *Comite Cobhamio, fratre Grajo, Raleo, Gortſio, Saphotſio, Markano*, & aliis, confeſſus eſt. Complicibus dein examinatis, patuit, propoſitum fuiſſe, ut ſublatô Rege Jacobo, Infantem Hiſpaniæ *Iſabellam Claram Eugeniam* in Belgio commorantem, Reginam Angliæ declararent, quæ inſtar Eliſabethæ regnans, pontificiam religionem inſtauraret. Unum & alterum ergò ſecuri percutere, reliquis (conſimiliter lethalem ictum expectantibus) parcere Rex juſſit; eoque juſtitiæ ac miſericordiæ temperamento, multorum ſibi animos alieniores, faventiores fecit. Arthus in Mercurio. pag. 116. ſeqq. Tom. 5. lib. 1. Lundorp. continuat. Sleidan. part. 3. 473. pl.

Pro felici ſucceſſu continuantis oppugnationis Oſtendanæ, à multis paſſim *Albertinis vota* ſuſcipiebantur anno 1603. Nam & ipſa conjunx Archiducis, *Hiſpan. Infans*, nudis pedibus, cum ſumma devotione per duo milliaria Tinas ire, & coram inventa non ita pridem ſanctiſſimæ Matris Chriſti effigie, *preces pro hærede victoriaque impetrandis* ardentiſſimas fundere viſa eſt; Cùm præſertim ad iſtam effigiem, MARIAM QUERCEAM, à quercu, in qua reperta, vocant, miracula fieri quotidiè plurima dicerentur. Arthus Tom. 5. lib. 2. 97.

Erga finem elapſi ſeculi, atrociſſima *Chriſtianorum in Japonia* degentium orta *perſecutio*, hactenus continuata legitur. Nihilominùs

hoc

hoc ipſo anno 1603. *centum & novem Jeſuitæ*, & inter hos *quinquaginta tres aliorum ordinum Sacerdotes*, in variis regni provinciis delituerunt adhuc, ibi Chriſtianis incolis occultè operam præſtantes, ad ſummam tamen inopiam redacti, poſt interceptam à Batavis onerariam Luſitanam, qua ſubſidia ad alendos illos, atque pauperes ex plebe, mittebantur. Inter Japones autem in aula Imperatoris, Illuſtres multi ſupplicium paſſi ſunt, cum Chriſtianiſmo renunciare nollent; quos inter magnis laudibus extollitur *Simon* quidam *Giffiojus*, ſtrenuus belli Dux. Nobiles etiam fœminæ Martyrii gloriam reportarunt, ſuoque exemplo multos ad conſtantiam invitarunt. Act. Erud. Lipſ. 1690. 241.

Obiit hac tempeſtate *Johannes Petrus Maffæus*, Bergomas, Græcæ & Latinæ linguæ egregiè doctus. Romam primò profectus eſt, ubi omnes in ſui admirationem rapuit; Genuam hinc delatus, Rhetoricam ibi profeſſus eſt. Jeſuita deinde factus, vitam Ignatii ſcripſit, & hiſtoriam Indicam compoſiturus, in Luſitaniam ac Hiſpaniam tranſiit, ubi à Philippo II. honorificè exceptus eſt; Juſſus à Gregorio XIII. hiſtoriam ſui papatus condere. At neque hoc, neque alia quædam ejus opera lucem viderunt. Vir dicitur fuiſſe *vel minime moleſtiæ impatiens*, in poliendis autem ſcriptis ſuis diligentiſſimus. Hofm. Lex. part. 1. 967.

Johannes Adamus à Biken, Archiepiſcopus & *Elector Moguntinus*, inſperata morte ſublatus eſt; Eique ſurrogatus, anno inſequente, Johannes Suicardus à Cronberg. Calviſ.

LIB. I. CAP. XVII.

Summaria.

Diſſidium inter Academiam Heidelbergenſem, ac Miniſterium Palatinatus Eccleſiaſticum, grave & notabile, de præſentia Corporis & Sanguinis Chriſti in S. C. reali.

Acrior tamen Syrrhaxis inter Epiſcopos & Presbyteros Anglicanos, de Hierarchia Eccleſiaſtica, cujus narratio altius repetitur.

Britanniæ Regis Jacob. I. circa pietatem atque religionem, publica confeſſione facta declaratio.

Status Eccleſiaſticus Hugonottorum in Gallia, beneficio Edicti Nannetenſis, florentiſſimus.

Grande periculum imminens, à Bernenſibus, aliisque Calvino-Reformatis in Helvetia, declinatum feliciter.

Mors Thomæ Cartwrigthii, Cantabrigienſis Academiæ Profeſſoris, tam pietate quàm eruditione celebris.

DEcurrente anno 1603. acre *diſſidium* fuit *inter Academiam Heidelbergenſem,& Miniſterium Palatinatûs Eccleſiaſticum.* Prædicantes enim conſpirârunt in novam doctrinæ formulam, contra Profeſſores, in negotio de Sacramento Cœnæ, paucisque locis aliis; Eſtque „ ſententiæ & argumentorum hæc ferè ſumma: Commune & ha„ctenus uſu potius, ajebant, quàm veritate receptum tritumque „ dogma de vera & reali corporis Chriſti communione, & præſen„tia, quod Academici Doctores noſtri in ſcholis tradunt, atque de„fendunt, licet Fidei Solius Medio, et Instrumento habeatur, „ non modò periculoſum eſt, ſed planè etiam falſum. Nobis ita„que viſum eſt, certas conſcribere concionandi formulas & phraſes, „ quibus in poſterum ſit utendum, & quibus voculis ac terminis „ abſtinendum; ut falsò hactenus tradita corporis præſentia, quæ „ tantùm in cœlis eſt, à cœna exterminetur. Multas afferunt ſententiæ ſuæ rationes & argumenta, quibus hocce concludunt; adduntque ſub finem, ſententiæ prioris de fidei præſentia autorem, eumque in agone mortis conſtitutum, deſperatè ſuper illa multis præſentibus conqueſtum, ac proteſtatum fuiſſe, ſe pacis & concordiæ cum Lutheranis gratiâ, rem falſam docuiſſe; Ideò *Urſinum* dicere ſolitum: *Utinam nunquam auditum eſſet vocabulum* præſentiæ *in hoc negotio.* Clam admodùm prædicantes hanc rem egerunt, & communi Miniſtrorum omnium per Palatinatum conſenſu, conſilio, & opera imprimi ſub ſilentio mandarunt. Monſtro jam in lucem edito graviter indignantur Doctores Academici, prædicantes coram Senatu Eccleſiaſtico accuſant, erroris damnant, & impreſſos libellos ad unum omnes ſupprimi, & igne comburi poſtulant. Autor hujus tragœdiæ primarius fuit *M. Abrahamus Scultetus*: nam ille omnium primus ſubſcripſit, ac dein *Bartholomæus Pitiſcus*, Concionator aulicus, & ſuo quilibet ordine reliqui. Verba ſunt Petri Cudſemii, in deſperata Calvini cauſa, pag. 93. ſeq.

Grandiorem tamen Syrrhaxin, *Epiſcopos* inter & *Presbyteros* t. t. experta eſt *Anglia,* ſuper *Hierarchia Eccleſiaſtica*; cujus narrationem paulò altiùs repetemus. ELISABETHA Regina, quæ hoc ipſo anno fatis conceſſit, initiô regiminis Papiſmum totâ Angliâ profligavit, ac Evangelium (licet non undique purum) reſtituit; ſed ple-

ras-

raſque Pontificiorum ceremonias & ritus reliquit, contenta purgâſſe doctrinam, & craſſiores è medio ſuſtuliſſe ſuperſtitiones. Hinc etiam retenti Epiſcopi, cum omnibus dependentiis; Miſſa quoque potiùs translata in linguam Anglicam, quam ſublata. Id multis quidem diſplicuit Anglo-Reformatis, at ſine graviori offenſa; Cùm & Eliſabethæ Imperium eſſet moderatiſſimum, & ejus temporis Epiſcopi devotè pii, hoſtes impietatis & ſuperſtitionis aperti, ab ambitu ac dominatione alieni, multò minùs ullam affectantes in quempiam tyrannidem. Ea quoque tempora erant, in quibus difficillimum, aliquid in Eccleſia mutare, propter perpetua bella contra Hiſpanos, Pontificem R. & Gallos. Sub extrema ſaltem Eliſabethæ, factioſa nomina emerſerunt, reſque à verbis & ſcriptis paulatim ad odia & animorum diviſionem deducta fuit. Georg. Horn. Orb.Imp. 336. Hiſt. Eccleſ. 394. edit. 1687.

Sed quamprimum *Jacobus* in regnum ſucceſſit, jam apertè in duas partes diverſas itum eſt; Presbyteris graves adverſus Epiſcopos querelas moventibus ob faſtuoſum dominium, ac dominantem faſtum intolerabilem. JACOBUS, Rex novus è Scotia (Epiſcopis carente tum temporis & improbante Hierarchiam Anglorum) vocatus, *Hamptecurti congregatione inſtituta*, utramque partem audire voluit, ac publica diſputatione inquiri, RETINENDUSNE ESSET EPISCOPATUS, an ABOLENDUS? Diſputatum acriter, ſed eo eventu, ut *Rex Epiſcoporum partes amplecteretur*; memor dubio procul, quòd ante vocationem ipſis luculentam ſpem feciſſet, ſibi quoque non omninò improbari Epiſcopatum; aliàs non tanto applauſu in thronum Anglicanum evectus fuiſſet. Principis ergò gratia & favore, ſuperiores Epiſcopi, audentiùs erexerunt criſtas, diverſum ſentientes non tantum improbarunt, verùm etiam odiô ſunt proſecuti, tanquam malitioſos & Regis & Monarchiæ hoſtes; Canones condiderunt quaſi pro lubitu, ac majorem, quàm antè, tyrannidem exercuerunt, obloquentibus illicò ſilere juſſis, imò ſuſpenſis & ejectis; unde poſtmodum lerna malorum, de quibus alibi dicendum. Schwartzgbr. præf. b v. Horn. O. J. 337.

Ut autem omnibus conſtaret, quæ *novi Britanniæ Regis mens & ſententia circa pietatem & religionem* eſſet, peculiari confeſſione publici juris facta id ſatis declaravit, provocando ſummatim ad fidei formulam, quæ præviâ DEI veritate, in ſanctiſſimo J. C. Evangelio patefacta, hoc in regno jam diu recepta ſit, conſtituta, & confirmata

ta diverſis Parlamenti actionibus, longoque tempore in aula Majeſtatis regiæ, ac toto regni corpore approbata & rati habita, tàm in civitatibus quàm in pagis & oppidis variis, cumque iſta confesſione & religionis formula per omnia in corde & conſcientia ſe conſentire aſſerendo, tanquam cum indubitata veritate divina, in ſolo DEI verbo ſcripto fundata. Deteſtari ergo & rejicere, omnem contrariam religionem atque Doctrinam, inprimis verò Pontificiam ſeu Papiſticam generatim & ſpeciatim &c. Merc. Gallo-Belg. Tom. 5. lib. 1. 88, 90. ſeqq. confer inf. cap. XIX. de Synodo Londinenſi.

In *Gallia* tum temporis *Hugonottorum Status Eccleſiaſticus*, beneficiô Edicti Nannetenſis, quo ipſis adulto ſuperiori ſeculo de libertate religionis ab Henrico IV. egregiè cautum, florentiſſimus fuit. Rei documentum ſufficiens vel unicè poteſt exhibere celeberrima *Synodus, Vapingi habita*, quo non tantùm ex toto hoc regno ſacrorum cœtuum antiſtites, nullo impediente, confluxerunt, ſed etiam ab extraneis plurimi advolarunt, de rebus fidei & Eccleſiæ admodùm liberè pronunciantes. Hofm. Lex. Univerſ. B. 521.

Sed *Helvetiis* à *Romano-Catholicis* diſſentientibus, ob religionem ingens imminere *periculum*, eâdem tempeſtate viſum eſt, inprimis autem *Bernenſibus*. Etenim Pontificii decreverant opprimere, omnes ſecum facere recuſantes. Itaque *Bernenſium* quidem civitas potentiſſima, immiſſô igne ſubvertenda; At *Vallifii* gladio extirpandi fuerant; quo fine & Rhetis Alpeſtribus, per comitem Fuentium, tranſitus omnis intercludebatur. Sed, conſultationibus hiſce mirabiliter detectis, periculum à cervicibus exitio deſtinati facilè depulerunt. Mercur. Gallo-Belg. Tom. 5. lib. 2. 122.

Hoc anno temporalibus valedixit Academiæ Cantabrigienſis Profeſſor, *Thomas Cartwrigthus*, Theologus celebris inter Calvinianos, omnibus doctis amabilis. Extant ejus in proverbia Salomonis commentarii ſuccincti, Metaphraſis in Eccleſiaſten, in Evangelia lucubrationes practicæ, Harmonia Evangelica, &c. in quibus, judiciô Læti, non acumen ſolùm viri, ſed & vitæ ſanctitas mirè elucet. vid. Joh. Jacob. Hofm. Lex. A. 388. B. 457.

LIB. I. CAP. XVIII.

Summaria.

Erroris Kargiani, de obedientia Chriſti Activa, tanquam ad juſtificationem haud requiſitæ, per Piſcatorem Herbornenſem reproductio.

Jacobi

Jacobi Arminii, ad Profeſſionem Theologicam in Academia Leidenſi, poſt mortem Franciſci Junii, vocatio.

Bullæ, adverſus negantes S. S. Trinitatem à Clemente VIII. P. R. facta editio, ſeu veteris Pauli IV. renovatio.

Ibrahimi Baſſæ Turcici notabile juramentum, non modò per Deum cœli ac terræ, ſed etiam per ſcripta Moſis, Pſalmosque Davidis, imò per S. Evangelium.

Exemplum veteris formulæ jurandi, Turcis uſitatæ, quo ſe Solymannus olim, Johanni Hungarorum Regi obſtrinxit.

JOhannes Parſimonius, aliàs Kargius, Georgii Friderici, Marchionis Onoldini Theologus, negavit olim, *obedientiam Chriſti*, quam dicimus *activam*, ad juſtificationem noſtram requiri. Is anno 1570. à Principe ſuo Wittenbergam, ut ſententiæ ſuæ rationes Theologis exponeret, miſſus, & in Præceptorum ſuorum doctrinâ juſſus fuit acquieſcere. Refutavit hominem D. Brentius, eumque ad palinodiam adegit, & ſic in ipſa favilla, quod ajunt, error viſus eſt extinctus. At ex Calvinianis hanc ſententiam *Zacharias Urſinus*, & ejus quidam diſcipuli, *Caſpar Olevianus*, & *Johannes Piſcator*, Scholæ Herbornenſis Rector, probarunt. *Hic* præprimis erroneum dogma paſſim in ſuis ſcriptis diſſeminare cœpit initio hujus ſeculi, novisque ratiunculis incruſtatum acriter propugnavit, illius autor à multis proinde creditus. Refutatus autem eſt Piſcator, non tantùm à Theologis privatis Calvin. v. g. *Amando Polano*, Baſileenſi; *Guilielmo Bucano*, Loſannenſi, *Johanne Scarpio*, Scoto-Dienenſi; ſed & cùm Galliam turbaſſet hic error, anno 1603. à Gallicana Reformatorum *Synodo Vapingenſi* (aliis Gapenſi, à civitate Gap in Delphinatu) atro carbone notatus eſt; licet interim non deeſſent, qui Piſcatoris veſtigia premerent, e. g. *Altingius*, *Pareus*, *Scultetus*, *Goclenius &c.* vid. D. Jac. Weller in annotat. ad Epiſt. Rom. 215. Witteb. Gründl. Beweiß. contra Calvin. & Rintel. pag. 17. 249.

Cùm anno 1602. *Franciſcus Junius*, (de quo Joſephus Scaliger, quòd poſt Apoſtolorum tempora talis Theologus non extiterit, pronunciare ſolebat) Academiæ Leidenſi ereptus eſſet; Utenbogardus magno ſtudiô Curatoribus Academicis commendavit ſurrogandum *Jacobum Arminium*, Concionatorem Amſtelodamenſem, quem per anagramma *vani orbis amicum* nonnulli dixerunt. Eccleſiarum Deputati cùm id intelligerent, veriti, ne viri de Heterodoxia valdè ſuſpecti vocatio, contentionum & ſchiſmatum cauſam aliquandò præberet, rogarunt, ne temerè Eccleſias iſtis exponerent

periculis, ſed de adſciſcendo potiùs alio viro idoneo, qui ab hac ſuſpicione immunis eſſet, cogitarent; Utenbogardum quoque monuerunt, ut à commendatione hac deſiſteret. Qui tamen contemptis monitionibus, non deſtitit, vocationem eò usque urgere, donec iſtam tandem obtinuiſſet anno 1603. eâ quidem conditione, ut Arminius inſtitutâ prius cum *Franciſco Gomaro* de præcipuis doctrinæ capitibus collatione, omnem ſuſpicionem heterodoxias, rotundâ ſententiæ ſuæ declaratione à ſe amoliretur; conteſtatione ſolenni addita, ſe opiniones, ſi quas fortè haberet, non diſſeminaturum. Inſtituta collatione, coram Curatoribus, in præſentia quoque Deputatorum Synodi, talem exhibuit ſe, ut heterodoxias abſolveretur. Doctoris ergò gradum prius, Fr. Gomaro eum conferente, conſequutus eſt, ac *Theologiæ Profeſſor Leidenſis* evaſit; poſtmodùm ſchiſmatis inter Calvinianos, & novæ ſectæ, Arminianorum ac Remonſtrantium, autor. Hieron. Krom. ſcrut relig. 188. præfat. actor. Synod. Dordracen. b. 2.

Adverſus *negantes Trinitatem*, & multis in locis repullulantes, Papa *Clemens Octavus Bullam* edidit, vel præteritam *Pauli quarti* Pontificis Romani, renovavit; quæ legitur in Bullario Stephani Quarantæ, titulo *Hæretici*. Johann Hornbek in ſum, Controv. cap. 7. de Socinianiſmo, p. 567.

Ex Receſſu Imperii de anno 1603. obſervavit *Fridericus Ulricus Calixtus*, Profeſſor Theol. Helmſtadienſis, Veſierum Turcicum, IBRAHIM Baſſam, anno 1600. per aliquot Epiſtolas, nomine Sultani Turcici ſcriptas, teſtatum feciſſe Chriſtianis Imperii Romano-Germanici, negotium pacis candidè ſeriòque agi ex parte *Muhamedanorum*, eaque propter *juraſſe* non modò per DEUM cœli ac terræ, ſed etiam (ut ibi extet, contra morem Turcarum) *per ſcripta Moſis, Pſalmosque Davidis, imò per S. Evangelium.* Probat exinde Calixtus, *Muſulmannos etiam Scripturam Canonicam*, ſive Teſtamentum & Evangelium, ut ipſi loquuntur, *magnifacere ac venerari, licet magis in ſpeciem ac verbotenus, quàm reapſe.* diſſertation. de veritate unicæ religionis Chriſtianæ pag. 55. 56. confer Leidek. not. ad Horn. Hiſt. Eccleſ. 240. 242. qui dicit: Muhammedem ipſum non rejicere Moſen, & laudare Pſalmos, at fabulis omnem hiſtoriam S. corrupiſſe, & Chronologiam Veteris Teſtamenti; nec Jeſum, inquit, Muhamedani rejiciunt, ſed infra Muhamedem deprimunt; nec volunt ipſum crucifixum, ſed alium ejus loco; Chriſtus enim ſe ſub-

,, ſubduxerat, fabulantur: Legi meretur inprimis de hac materia, *Chriſtianus Hofmann*, in tractatu de conſenſu ac diſſenſu religionum profanatum cum veritate Chriſtiana, diſput. Jen. ſub. Joh. Erneſt. Gerhard. præſidio. lit. D.

In gratiam curioſi Lectoris adſcribimus exemplum *veteris formulæ jurandi, Turcis uſitatæ*, & à Solymanno editæ, cùm olim Johanni, Hungarorum Regi ſe obſtringeret; quæ præmiſſis aliis, in princi-
,, pali ſic erat concepta: Vobis Sereniſſimo JOHANNI, DEI gratiâ
,, Regi Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ, &c. Ego Sultanus Solyman-
,, nus Schvak, Imperator Turcarum invictiſſimus, juro ad omni-
,, potentiam DEI altiſſimi omnipotentis, ſanctitatem, ſplendorem,
,, & bonitatem Divinitatis ſuæ, ad firmamentum Cœli, Solem, Lu-
,, nam, Stellas, Terram & ſuperficiem Terræ, ac ad regnum & ſan-
,, ctiſſimum Mahometem; proavum, avum, patrem, matrem, ac
,, panem meum, gladium, animam & vitam meam, ac omnem Bo-
,, zermannorum circumciſorum ſalutem, quod Te fratrem meum
,, juratum Johannem videlicet Regem, quaque neceſſitate non de-
,, relinquam, ſi etiam omnia Imperia, regna & poteſtates meæ peſ-
,, ſundarentur, annihilarenturque ac remanerem ſolus, vel unico
,, ſaltem circumciſo Bozerman vocato, ſive cum duobus, tribus, aut
,, ad ſummum quatuor perſonis, & ſaltem cum iſtis obliger ac te-
,, near Te requirere, Tibique dicam, hîc adſum ego paratus, ſi quid
,, me velis, præſto ſum, ad omnia Tibi gratificari. Et, ſi promiſ-
,, ſioni meæ non ſatisfacerem, ex tunc ira ſummi DEI, & ejus juſti-
,, tia, ſupra meum veniat caput, & me totum diſperdat: Et quic-
,, quid corpus meum attingeret, altiſſimus DEUS omnia in petram
,, convertat, ac firmamentum terræ me ambulantem non ſufferat;
,, ſed terra ipſa in duas partes dividatur, ac me totum corpore &
,, anima mea dehiſcat atque abſorbeat! Ex tract. de Turcarum artibus & armis, quibus Tranſſylvaniam, ac totam penè Hungariam ſubegére, lit. C. 2.

LIB. I. CAP. XIX.

Summaria.

Oratio Jacobi Pr. Britan. Reg. de Religione, momentoſa valdè, in Synodo Londinenſi habita.

Confirmatio veteris Anglicanæ Confeſſionis, olim ſub Eliſabetha Regina conceptæ & publicatæ.

Synodus Hugonotorum Vapingenſis, renovat quoque priſcam confeſſionem, cum auctione per articulum de Anti-Chriſto.

Ramiſtica docendi ratio, in Academia Wittenbergenſi & olim, & nunc, ſeriò proſcripta.

Agendorum Eccleſiaſticorum publicatio Argentinenſis, cui ſe Philippus Michael Beuter, Calviniſta oppoſuit.

Sanguinariæ deliberationis Joh. Pauli Windecci, de hæreſibus extirpandis, facta evulgatio.

Jeſuitæ Riccii, de Chriſtiana Religione, in Aula Chinenſi editus liber, & avidè, ſi credere licet, ibi exceptus.

Doron Baſilicon, ſeu libellus de Regia Inſtitutione, Reg. Angl. ad filium primogenitum.

ANno 1603. habita eſt in Anglia celebris illa *Synodus Londinenſis*, cui novus Rex *Jacobus I.* ipſe adfuit & præfuit, in *oratione* ſua valdè momentoſa *de Religione*, inter plura hæc proferens: Licet in „ regnum ingreſſus unam tantùm, cujus quidem exercitium legi„ bus eſſet permiſſum, religionem invenerit, præter hanc tamen & „ alterius cujusdam, itemque tertiæ indicia deprehendiſſe. Prima „ eſt, ajebat, orthodoxa, quam ego profiteor, quæque legibus hu„ jus regni eſt recepta, & uſu approbata. Secunda, illa eſt, quam „ Sectatores Catholicam, alii Pontificiam appellant. Tertia, *Purita*„ *norum* eſt, ſive Novantium, quorum dogmata non ita multùm à „ noſtris diverſa ſunt, ſed conſilia & inſtituta reipublicæ pernicio„ ſa; quippe qui præſentium rerum pertæſi, novis ſemper ſtudent, „ ac inviti admodùm leges ſibi patiuntur præſcribi, eamque ob cau„ ſam in benè conſtitutis rebuspublicis ferendi non ſunt. *Catho*„ *licos*, quod attinet, Romanam Eccleſiam cæterarum eſſe Matrem, „ libenter agnoſco, pergebat, ſed multis jam erroribus contamina„ tam, inſtar Judæorum Synagogæ, eo tempore, quô Chriſtum Sal„ vatorem noſtrum adjudicârunt morti, & crucifixerunt. Quem„ admodum verò eum quis odiſſe non poteſt, quem vitioſis & cor„ ruptis humoribus purgatum cupit; Ita noſtrum in eam odium „ ulteriùs non procedit, quàm quòd eam à quibus poteſt & debet, „ reformari ac emendari optamus, ſine ipſius Templi deſtructione; „ quâ enim fronte nos audeant invitare, domô nondum purgatâ? „ Hac in re quidem ut nullus honor, aut commodum externum „ tanti apud me eſt, ut propterea conſcientiæ vim facturus ſim; ita „ nunquam commiſerim, ut invitos & reluctantes ſubditorum ani„ mos, vi adhibitâ, noſtræ ſententiæ ſubſcribere, & aſſentiri cogam.

Neque

„ Neque enim unquam mihi animus fuit, diverſa ſentientes per-
„ ſequi & exagitare, aut in conſcientias inquirere ac dominari. Sed
„ cùm ſubditorum aliqui, pontificiæ religioni addicti. ſint partim
„ *Clerici*, partim *Laici*; *Hos* ego præ illis quodammodo excuſatos
„ (ob diſſenſum à nobis) habendos ſemper dixi, quippe qui ſimpli-
„ citer iis, quæ à Doctoribus ſuis accipiunt, fidem habendam pu-
„ tant. *Illorum* quoque duplex genus, *alii* enim ſedati ſunt, pacis
„ atque tranquillitatis ſtudioſi; hos ob errorem ad pœnam trahere,
„ inhumanum exiſtimo; ſiquidem vera converſio & ſpiritus verax,
„ merum ſolius DEI donum ſunt. Sed *alii* novarum rerum, tur-
„ barum ac ſeditionum inveniuntur cupidi, quorum conſilia, dicta
„ & facta, accuratiùs inveſtigandi & obſervandi, contumaciamque
„ puniendi, mihi tanquam Regi, neceſſitas incumbit. De Clericis
„ ſive Eccleſiaſticis hoc dicam, quamdiu in doctrina quædam non
„ mutaverint, me ferre eos nec velle, nec poſſe. Hujus doctrinæ
„ pars (non minima) eſt de *Pontificis R. primatu*, qui non in omnes
„ tantùm Eccleſias, ſed etiam Reges ac Principes Imperium ſibi ar-
„ rogat, eorumque regna & ditiones pro lubitu diſpenſat; improba
„ quidem, ſed illa multò improbior, doctrina, quâ contra Reges ac
„ Principes, ſubditos armant, eisque à Rom. Pontifice anathemate
„ percuſſis, non modò obedientiam denegari, ſed regnum quoque
„ eripi, imò vim & necem impunè afferri poſſe, præ ſe ferunt. Ex
Merc. Arth. Tom. 5. lib. 2. 324.

In hac Synodo iterum *confirmata eſt vetus Anglicana confeſſio*; non ea, quæ ex operibus Johannis Ivalli deprompta circumfertur; ſed quæ anno 1562. in Synodo Londinenſi, ad opinionum diſſenſionem tollendam concepta, & publicata fuit, pòſt anno 1571. ſub Eliſabetha Regina, communibus procerum ſuffragiis repetita. Hofm. Lex. univerſ. 928. Micræl. Synt. hiſt. c. 601.

Nec minùs *Hugonotæ* ſub idem tempus, Vapingi ſive Vapinci, (urbs eſt in Gallia Narbonenſi, nunc in Delphinatu, vulgò *Gap*) Confeſſionem ſuam renovârunt, ejusque capitibus prælectis addiderunt, *Pontificem Rom. eſſe AntiChriſtum*, quippe cui notæ à Daniele Propheta & Apoſtolo Paulo deſignatæ conveniant. Actum quoque de *diſciplina* commodè inſtituenda & conſervanda; porrò de *ſciſſura inter Lutheranos & Calviniſtas tollenda*; Tandem de *modo concionandi*, ut parciùs adhibitis *Patrum dictis* ac *Scholaſticorum teſtimoniis*, purum DEI verbum prædicetur. Hofm. Lex. B. 521. Calviſ. 957.

Quod punctum de *AntiChriſto* attinet, *Jeſuitæ Moguntinenſes* in animadverſionibus ad Joh. Crocii Anti-Becanum pag. 229 hæc inſeruere: Cùm anno 1603. Vapinci & anno 1607. Rupellæ, fidei ſuæ hunc articulum, Papam R. eſſe AntiChriſtum, publicâſſent, Henricus IV. edixit ſeveriſſimè, ne quis ita è ſuggeſtu loqueretur, aut typis infandum illud acroama propalaret, Henrico Spondano teſte. Reſpondit *Crocius* in Vindiciis Anti-Becani ſui A. pag. 735. *Spondanum*, ut Apoſtatam, & perſecutorem ſui ordinis, cui primùm adhæſerit, fuiſſe virum ſublestæ fidei, nec rem pro eo, ac verè geſta ſit, narrare; Teſtimonium igitur leviſſimi hominis, & hoſtis manifeſti, „ non attendendum eſſe. Fatetur tamen, Regi diſplicuiſſe id, quod „ Hugonotæ ſuæ confeſſioni de Papa inſeruiſſent Vapinci; non „ quaſi neſciret, qui inter ipſos vixerat, eam fuiſſe ſemper illorum „ ſententiam, de qua liberum fuiſſet ſentire, ac loqui; Sed, quòd „ novus fidei articulus conditus fuiſſet, & confeſſioni, quæ hactenus „ eo carebat, inſertus, ad exulcerandos Romanenſium animos &c.

Quemadmodum per publica Sereniſſimorum Saxoniæ Septemvirûm edicta, ipſis Collegii philoſophici ſtatutis inſerta, jam ante *à Wittebergenſi Lycéo prohibita* fuit Ramistica Docendi Ratio; ſic eandem denuò hoc anno proſcriptam legimus; ſeverioris pœnæ addita comminatione, in eos, qui miſſa methodo Ariſtotelicâ, in Scholis hactenus uſitatâ, Ramiſticam introducere porrò auſuri ſint. D. Hülſem. Dialyſ. apologet. problem. Calixt. de Trinit. Myſter. præf. B. 3.

Poſtquam nobilis *Argentinenſium* Reſpublica, tempore Reformationis fermento Zwingliano imbuta, puriorem deinceps & minimè variatam confeſſionem Auguſtanam aſſeruiſſet, eandemque anno 1598. publicatione *Agendorum Eccleſiaſticorum* verè Lutheranorum & Orthodoxorum confirmâſſet, *Philippus Michaël Beuter*, Calviniſta Bipontinus, corraſis & in unum quaſi faſcem colligatis quisquiliis Zanchianis ac Sturmianis, tanquam civis ingratus, patriæ ſuæ opprobrium dicere non eſt veritus; edita in lucem anno 1603. *Agendæ Eccleſiaſticæ* (ſic dicta) *declaratione invectiva*, manifeſtis & palpabilibus criminibus falſi, impoſturis, mendaciis, convitiis, calumniis refertâ. Sed ſolidam ei & accuratam Refutationem, nomine Miniſterii Argentoratenſis D. Johannes Pappus oppoſuit, impenſis Lederzianis impreſſam. Hutter. in Conc. Conc. 1417. ſeqq. D. Johann Schmid im Samuelsrecht/ pag. 171.

Orbem

Orbem etiam oneravit *Joh. Paulus Windek*, ſanguinaria ſua deliberatione de hæreſibus extirpandis, in prolixo libro cum privilegio Cæſareo Coloniæ impreſſo, cui titulum fecit: *Prognoſticon futuri ſtatus Eccleſiæ*; ubi tituli illuſtrandi gratiâ addit, quòd in hoc libro 42. rationibus apodicticis demonſtretur, *Lutheranorum ſectam, Calvinianis & aliis annumerandam, brevi perituram.* Sed eventus vatem votô ſuo deſtituit; licet is omni modo ſuaſerit: Hæreticos uſtionibus, ſectionibus, bellorum vi & impetu ſine mora opprimendos, & exſcindendos eſſe; adductis etiam exemplis Hiſpanicæ Inquiſitionis, quam maximoperè commendabat, ac ad imitationem Chriſtianos Magiſtratus vehementer extimulabat. Meiſner. in philoſ. ſobr. 3. part. præf. B. 7. & pag. 400. D. Wagner, in ſepten. ſpecimin. Stellionatuum Wagnereccii, in AntiDorſcheo præſtitis, pag. 40.

Anno 1603. *Matthæus Riccius*, ex Lojolæ ſodalitio, opus de Chriſtiana Religione, duobus conſtans voluminibus, & ſub titulo: *Tien bioxey*, id eſt, *cœleſtis doctrinæ vera ratio*, typis evulgavit in Imperii *Chinenſis* aula, quod magno applauſu, à Sinenſibus exceptum fertur, in actis Eruditorum Lipſienſibus, de anno 1688. confer quæ notavimus ad annum 1610.

Jacobus, Angliæ Rex, ne hoc omittamus, Δῶρον βασιλικὸν, i. e. *libellum de regia inſtitutione* ſcripſit eodem tempore, ad Henricum Principem primogenitum. De hoc libro *Lundorp.* in contin. Sleid. part. „ 3. ſic infit: Eum pubi ſuæ tantùm Regiæ uſui, quaſi notas obſcu„ tas, & ſecretum nuntium inter duos mutuô nexu devinctos eſſe „ voluit; ratus ſubditos à notitia qualitatum Principi ſuo neceſſaria„ rum diſtrahendos eſſe, ne ea, quæ vitio in educanda pube regia „ duci aut verti poſſent, publicè innoteſcerent. *A typographo jusju„ randum exegit, ne ultra ſeptem exemplaria prelo divulgaret*, quæ inter „ confidentiſſimos ſuos ipſe diſtribuit, filio, ſi opus, inculcanda, ſed „ ille Theſaurus, ruptis cuſtodiæ repagulis, in vulgus exiit, dignus, „ qui heroum filiis, non ſingulis duntaxat annis, ſed ſingulis quo„ que diebus & horis proponeretur. Hinc Owenus ad Autorem, Epigr. libro tertio, num. 8.

Nil opus autorem hunc; nil hunc laudare libellum:
Hoc opus autorem laudat, hic autor opus.

LIB.

LIB. I. CAP. XX.

Summaria.

Comitia Ratisponæ habita, præſide Imperatoris fratre, ubi de votis in cauſis fidei & Religionis aliquid notatu dignum.

Juramentum ab Hamburgenſibus, Chriſtiano IV. Daniæ Regi præſtitum, quale, diverſis Scriptoribus?

Aliquot nebulonum, in Electoris Chriſtiani II. Saxoniæ Ducis necem, conſpiratio, periculoſa quidem, ſed fruſtranea.

Mors Eliſabethæ, Anglorum Reginæ, cui Scotorum Rex Jacobus, tanquam proximus hæres, continuò ſuccedit.

Status belli in Hungaria, ex utraque belligerantium parte, qualis? Turcarum inclinatio ad pacem, qua de cauſa?

Mahometis, qui Turcico Imperio præerat, primariæ uxoris in aqua ſuffocatio, & filii primogeniti ſtrangulatio.

Periculum Chriſtianorum Græcæ Religionis, de Templis, Conſtantinopoli præſertim, in Moſcheas convertendis.

Obitus Barnimi, Ducis Pomeraniæ ſubitaneus, cujus ſepultura prodigiis famigerata legitur.

COmitia Imperii, habita ſunt *Ratisbonæ*, Imperatoris fratre *Matthia* Præſide & Moderatore, ad comparandum contra Turcas auxilium. Ubi notatu dignum occurrit, licet omnium ferè gentium conſenſu probatum ſit, ut pars major habeat rationem integri, & majora vota concludant; ab hac tamen regula *de pluralitate votorum*, Proteſtantes religioſas cauſas exceperint. Unde pars adverſa, quoad puncta de Pace Religioſa tum occurrentia, non per collectionem ſuffragiorum, ſed per declarationem tanquam ex uno ore, ſua propoſuit ac indicavit. Hinc deinceps anno 1613. cùm non tàm ponderari, quàm numerari vellent vota, Proteſtantium Legati, non minimum gravamen id exiſtimârunt. Burgold. in Inſtr. Pac. B. diſcurſ. XIX. pag. 174.

Hamburgum, florentiſſima non Stormarorum tantùm, ſed & omnium Saxonum civitas (Amſtelodami æmula) *Daniæ Regi Chriſtiano quarto*, ut Holſatiæ Duci, *homagium* præſtitit, maximo apparatu, ſic enarrante Johanne Cluvero; ſed referente Calviſio, *juramentum fidelitatis*, quod ab *Homagio* Feudiſtis differt, Hamburgi cives Regi depoſuére. Hos conſtanter negare præſtationem Homagii, quamvis eam Rex urſerit, Burgoldenſis edocet part. 3. Diſcurſ. XIII. pag. 105. ſeq. ſemperque Cæſari & Imperio ſervatum Jus planè ſalvum, ac libertatibus civitatis, ab Imperiali culmine obtentis, pariter proſpectum.

Dresdæ

Dreſdæ ſub initium Menſis Maji, *tres peſſimi nebulones* detecti ſunt, qui conſpiraverant in optimi Electoris Chriſtiani II. necem. Horum unus venator extitit, qui ſclopetum in Principem directum diſplodens, eum globulô trajicere voluit; ſed glande mirabiliter averſa, propoſito nequam ſuo fruſtratus, & in carcerem compactus eſt. Cauſas tanti ſceleris, & in quem potiſſimùm autorem id redundârit, explorare nobis non fuit integrum. Arch. Mercur.

Hunc annum emortualem habuit *ELISABETHA, Angliæ Regina*, cui D. Lanſius hoc parentavit Elogio: „Credat olim ſera poſteritas, & fidem adhibeat; ELISABETHAM Virginem 44. annos ita ſceptrum ſine ullo vel vetuſtorum vel præſentium temporũ Exemplo tractâſſe; ut illam ſubditi amaverint tanquam Matrem benigniſſimam; vicini Principes coluerint velut Reginam ſapientiſſimam; hoſtes metuerint ut ultricem juſtiſſimam; ac totus Chriſtianus orbis cum admiratione ſuſpexerit, ut pacis & tranquillitatis publicæ conſervatricem; quippe quæ heroina & honoraria arbitra, inter Hiſpanos, Gallos atque Belgas ſederit. In orat. pro Britan. pag. m. 508.

Extincta igitur Anglorum familiâ regia, ſucceſſit ELISABETHÆ, *JACOBUS*, *ſextus* ejus nominis *Scotorum Rex*, *Angliæ* vero *primus*, tanquam proximus hæres Roſæ albæ & rubræ; Ac ita ſub eodem Principe, Scotia & Anglia conjunctæ ſunt; Regnumque novo nomine *Magnæ Britanniæ* vocatum. Hinc ſcitè OWenus Epigr. lib. 3. num. 4.

Scotia nobiſcum gentem concreſcit in unam;
  Iſte tuæ (Eliſab.) *partus Virginitatis* erat.
Eſt unire magis, quàm multiplicare beatum;
  Tuque magis felix *non pariendo* parens.

Colonitius Chriſtianorum res in Hungaria ſtrenuè quidem egit adverſus Turcas, aliquot millibus horum internecioni datis; At exiguô inſtructus exercitu, ad ſummam rei parum ſua induſtriâ profecit, præſertim Tartaris in Tranſylvaniam irruentibus. Quia tamen *Sultanus Ottomannicus* aliunde fortiores adverſantis fortunæ impetus expertus eſt, in tantis difficultatibus non modo ad *pacis cogitationes*, cum Chriſtianis ineundæ, ſe compoſuit, ſed etiam *ferias eſuriales* & precatorias, per univerſum ſuum regnum indixit; duoſque ſacerdotes Mecham, ubi Mahumetis reliquiæ aſſervari

 dicun-

dicuntur, nudis pedibus ſucceſſum proſperiorem à Deo ſuo exoratum dimiſit. Mercur.

Intereà *Mahometes uxorem in aquis juſſit ſuffocari, ſtrangulatô ſimul ſuo ex ea nato primogenito*, quòd mater, ſciſcitata ex Aſtrologo de Filii ſucceſſione, ſuſpicionem inſidiarum ipſi ſtructarum incurrerit. Brevi pòſt, menſe ſeptembri, peſte abreptus obiit, cùm annos ferè novem regnaſſet, relicto novem annorum filio. Inſtaurando Chriſtianorum Imperio tum ſanè tempus opportunum fuiſſet, ſi priùs rectam fidem inſtaurare ipſi, ſeque ſincero invicem amore complecti voluiſſent, ſed *malitiâ hominum armatur ſæpiùs, alioqui imbellis, hoſtis.* Wagner. in limin. genealog. & Cluver in Epit. hiſt.

Mahometes ille tertius, fuit *Filius* & ſucceſſor *Amuratis III.* Cujus tempore parum abfuit, quò minùs omnia *Chriſtianorum templa Conſtantinopoli* verterentur in Moſcheas. cumque Græci, Armeni, aliæque gentes Chriſtiani nominis deprecarentur iſtam calamitatem, & Mahometis II. ſequentiumque Imperatorum privilegia, Chriſtianis de libero religionis exercitio conceſſa, allegarent, reſponſum eſt: Eo tempore propter urbis ſolitudinem, & Muſulmannorum paucitatem indultum eſſe; Nunc autem cùm tanta Mahometicæ religionis cultorum in Urbe frequentia ſit, ut pluribus templis indigeant, æquum eſſe, Chriſtianos cedere; duobus tamen t. t. contenti Chriſticolarum ſacris ædificiis, Turcæ tandem acquievére. Henr. Hilar. in Cyprii Chronicum Eccleſiæ Græcæ pag. 427. & append. a. 3.

Vitam cum morte commutavit *Barnimus Dux Pomeranus*, qui ægrotantem Rugevvaldi Fratrem viſitaturus, in itinere correptus infirmitate ſubitaneâ, illum quidem inviſit, Caſimirum nomine; ſed reverſus domum Barnimus, biduo poſt expiravit. Adeò verum eſt: *ſæpiùs ante lectum ſtantes ægrotantium, prævertere fata decumbentium.* Prodigiis famigerata fuit Barnimiana ſepultura, de quibus mentionem fecit Martinus Zeiler. Epiſt. pag. 279. Tom. 2.

LIB. I. CAP. XXI.

Summaria.

Ornamentorum & inſignium Ordinis Periſcelidis, ab Eliſabetha R. Angliæ deſtinatio, & à Jacobo R. facta collatio, in Frid. Wirtemb. ducem.

Mira vis fulminis, duobus exemplis confirmata. Suevicæ mulieris polytokia ſimultanea.

Fons in pago Sueiga, prope Trevirim ſalutaris: Oſtendana lues: Anglicana peſtis.

Sæva tempeſtas Hiſpalenſis; & Maris exundatio, multis millibus hominum pecorumque exitioſa.

Fatalis hic annus Franciſco Vietæ, inſigni Mathematico.

FRiderico Wirtembergiæ Duci, ab Angliæ Regina Eliſabetha honores *Equitis* (ut vocant) *periſcelidis* deputati erant, non tamen collati. Cùm ergo Jacobus Rex in locum ſucceſſiſſet, ipſe, quod inchoatum fuerat, perficiendum & confirmandum ratus, non modò Fridericum Principem ordinis hujus Equitem declaravit; ſed & miſsâ Stuttgardiam inſigni legatione, quam undecimo anni menſe Robertus Spencerus, Baro, ſuſtinebat, ornamenta & inſignia ordinis ei clementiſſime obtulit, ſolennibus ac ſplendidis ceremoniis. Joh. Val. Andr. in ſelen. Auguſtal. pag. 573. Svvelin Chron. 359.

In turre campeſtri non procul à Lauffen / agri Wirtembergici, *fulminis ictu* tactus fuit publicanus, ita ut percuſſo pectore cordis palpitationes apertè conſpicerentur; nihilominus per DEI gratiam vitâ ſervatus eſt, & in integrum reſtitutus, Svvelino atteſtante in Chronico. Inter miros etiam fulminis (vel ſi mavis) providentiæ divinæ effectus, præprimis referendum, quod Hafnienſis Medicus & Philoſophus, Thomas Bartholinus, in act. Med. vol. IV. obj. IX. pag. 35. habet, his expreſſum verbis: „Id omnium vincit „admirationem, quod in *Bibliorum S. volumine*, ligneo involucro „corioque tecto, benè compacto & firmiter aliis pellibus incluſo, viſæ „fuerunt *margines foliorum à litteris, vi fulminis diſſectæ, illæſo planè „textu*, nempè omnes, ab Epiſtola Pauli ad Corinthios primà uſque „ad finem. Quandò tamen & ubi hoc factum authori hujus operis, non comperire licuit, quippe qui tractatum Bartholini non vidit ipſe, ſed hoc ex relatione filii, Theodori Caroli, communicatum accepit.

Ingens eo tempore *Varadini* factus *terræ motus*, ita ut tota civitas cum omnibus ædificiis inde concuſſa intremuerit. Mulier autem natione ſveva, ibidem *octo infantes vivos uno partu* enixa. Et, ab ove *agnus*, parte media porcellum, altera vero agnum referens, in lucem editus eſt. Mercur. Arth. Tom. 5. lib. 1.

Prope *Sueigam*, pagum non procul à Treviri in aperto campo ſeſe *fons* quidam *ſalutaris* admodùm & mirabilis aperuit. Ejus autem virtus & efficacia vernô tempore, per Stephanum Petri, pedi-

bus, multis annis graviter laborantem, & uſu hujus aquæ ſanitati reſtitutum, detecta eſt. Hinc fama ſtatim ad loca vicina emanavit, quâ excitati ægroti & malè affecti quamplurimi ad fontem iſtum impetrandæ valetudinis gratiâ confluxerunt. Compertum eſt igitur, multis tùm internis, tum externis corporalibus morbis eam aquam probè mederi. Mercur. Gallo-Belg. Tom. 5. lib. 2.

Sed *Oſtendæ* obſidionis tempore ingens *lues & peſtis* inopinatò exorta, quâ infecti vel ſubitò inter eundum exanimati conciderunt, vel in furorem acti, ſemet in aquas tanquam vertigine correpti, præcipites dederunt. Cauſam hujus mali ab æſtu canicularium pendére, multi arbitrabantur; intereà non pauci ex loco cives diſceſſére, ac diſſipatio militum non exigua facta eſt; omnibus queis equidem ſalvis hinc evadere conceſſum, quaſi jam renati reviviſcerent, lætantibus. Arthus. ibid.

Angliam quoque t. t. affixit *peſtifera lues*, per univerſum equidem regnum, Londini tamen maximam ſtragem edens; inde *Rex* mandavit, ut omnia *ſolennia*, quæ non ad eſſentiam quaſi *Coronationis* propriè pertinerent, *intermitterentur*, omniſque pompa & feſtivitas ab Anteceſſoribus in ejuſmodi actibus uſurpata, tàm in templo, quàm in ſuo ad Urbem ingreſſu præcideretur. Ovvenus miſeriam Anglico Londinenſem, his expreſſit verſiculis Epigr. lib. 2. num. 115.

Conſumptis tot peſte viris, tot peſte puellis;
Vix habet in nobis jam nova plaga locum.

Sed Hiſpania menſe Decembri *horrendam tempeſtatem* experta eſt, præcipuè circa *Hiſpalin*, ubi tantus tonitruum fulgurumque & procellarum impetus extitit, ut oppida paſſim & pagi, disjectis ædibus, arboribusque terrâ erutis atque proſtratis, damna maxima fecerint. *Mare* verò agitatum adeò intumuit, ut in ſolis mercatorum ædificiis ac bonis, vel vicies centena millia floren. perierint; hominum octingenti, & pecorum penè quinquaginta millia, fluctibus aquarum ſuffocata ſint, naves verò ſexaginta variis onuſtæ bonis, maximam partem diſſipatæ ac ſubmerſæ interierint. Mercur.

Hoc anno ultimum diem ſuum obiit *Franciſcus Vieta*, Mathematicus inſignis, quem D. Lanſius profundis meditationibus, & inventionum acumine, inter primores iſtius ordinis numerat, in oratione pro Gallia. Harmonicum cœleſte, Chronologiam, Geometriam

triam &c. ſcripſit. In Calendario Gregoriano magnos defectus notavit, ac proinde novum compoſuit, ſed nullô ſucceſſu. Hiſpanorum ſecretas literas feliciter interpretatus eſt. Hofm. Lex. A. 658. Thuanus hiſtor. lib. 129.

LIB. I. CAP. XXII.

Summaria.

Inter æmulos Argentinenſes Epiſcopos panguntur induciæ, & prolongantur, minus tamen fideliter ſervatæ.

Evangelici Paderbornenſes, à Theodoro Fürſtenbergio Præſule, & Johanne Rittbergenſi Comite, malè tractantur.

In Pannonia, Daciaque, Auguſtanæ & Helvet. Confeſſ. addicti, durius habentur, donec ipſis auxilium fert Stephanus Botskajus.

Botskajus, brevi tempore cum exercitu Tranſylvaniam Hungariamque pervadit, & preſſis exercitium Religionis reſtituit.

Patriarcham Conſtantinopolitano-Græcum h. t. fertur egiſſe Raphaël Methymnæ.

Raphaelem iſtum Pontificiis faviſſe, proque Romana Eccleſia laboraſſe plurimum, Leo Allatius dicit.

Fatis conceſſit Ludovicus IV. Haſſiæ Landgravius, magno Eccleſiæ Lutheranæ damno.

Ex Theologis Lutheranis mortem obierunt: Lucas Oſiander; Davides Rungius; Zacharias Schilterus; Cyriacus Spangenbergius.

INter *æmulos Argentinenſes Epiſcopos*, cùm ſuperiore anno ad bellum inclinare omnia viderentur, & magnus inde motus per univerſam Germaniam timeretur, allaboratum eſt ſingulari Regis Galliæ prudentiſſimi interventu, ut, quoniam in novas pacis conditiones utrinque propoſitas, conſentire partes nollent, *induciæ* tamen ad menſes tredecim conſtituerentur, quo tempore vera pax firmari & conſtitui, utraque parte de voluntate aliquid remittente, poſſet, militaribus copiis interim dimiſſis, præter centum viros, præſidio in Dachſtein conſtituendo, relictos. Iſtis ferè finitis induciis, certâ pecuniæ ſummâ Brandeburgici ceſſatio comparata eſt; Induciæ verò prolongatæ quidem in annos quindecim, ſed non fideliter ſervatæ. Arthus. tom. 5. lib. 1. Burgoldenſ. in diſcurſu in Inſtrum. pacis primo, p. m. 60.

Paderborna, Weſtphaliæ oppidum, ab Epiſcopo ejus loci, *Theo-*

doro Fürſtenbergio, capta. Impiam Præſuli locavit operam, *Johannes Rittbergenſis Comes*, qui civitatem Evangelicis repleram incolis, oppreſſit ex improviſo, Conſulem & primarios quosdam, nil minùs cogitantes comprehendit, & ſuæ poteſtati, poſt habitas anteà ſimultates, omnia ſubjecit. Fama hujus rei cùm ad vicinas civitates deferretur, Mauritius Haſſiæ Landgravius auxiliô civitati cum aliquot vexillis paulò pòſt venturus dicebatur, itaque Comes Rittbergam repetiit equidem; ſed Epiſcopus maturè ſuis rebus proſpiciens, firmo civitatem præſidio munivit, & Conſulem *Liborium Wichordum*, ut aliis terrori eſſet, in quatuor partes diſſecari juſſit; qui, certus de ſalute ac portione ſua cœleſti, magno animo mortem immeritam ſuſtinuit. Merc. Gallo-Belg. & Epit. hiſtor. Cluver.

Eadem tempeſtate in *Pannonia*, *Daciaque*, purioris fidei Confeſſores magis magisque afflicti ſunt; præſertim *Caſſòviæ*; Epiſcopô ſimiliter & Urbis Præfectô mutuas jungentibus operas, ac jubentibus, ut illi omnes omninò ſacrorum ſuorum Antiſtites & Miniſtros penitus removerent ab omnibus & ſingulis Miniſterii partibus, atque doctrinam papanam, cum ceremoniis Romano-Catholicis amplecterentur ocyſſimè, aut media compulſorialia expectarent rigidiſſima. Cives igitur Antipapani, quùm nec prece, nec pretio gratiam impetrare poſſent, vim vi repellendam rati, reſtitére fortiter & conſtanter, donec repentino motu *Stephanus Botskajus* exurgeret, Heiduccos ad ſuas partes traheret, ac ſinceræ religionis exercitium (licet ipſe Calvinianis addictus) reſtitueret. Calviſ. & Arthus.

Utrum regionis novandæ, an vindicandæ religonis ergò, ad arma venerit *Botskàjus*, fuére, qui dubitarent. Hoc planè certum eſt, quòd proclamari voluerit, juſſeritque religionis id causâ fieri, contra pontificiam tyrannidem; quam qui ſecum defendere velit, ad ipſum veniat, ſtipendia non defutura: dicique non poteſt, quàm brevi tempore, collecto exercitu non contemnendô, Tranſſylvaniam & Hungariam is pervaſerit. Arthus Tom. 5. Gottfrid. pl.

Patriarcham Conſtantinopolitanum, Eccleſiarum Græcanicarum Antiſtitem primarium illius temporis egiſſe fertur, & quidem poſt Matthæi obitum, *Raphael Methymnæ*. *Sedes* enim *Patriarchales*, quæ olim præter Romanam, in Romano Imperio fuerunt, adhuc hodie ſingulari beneficio DEI ſuperſunt, licet jugo Turcico ſubactæ. Nimirum Conſtantinopolitana, cum adhærente tota Græcia, multisque regionibus aliis; Alexandrina, cui Æthiopica ſubeſt inſimul

Ec-

Eccleſia; Antiochena cum Syriaca; & Hieroſolymitana, cum tractu Cæſarienſi ac Scythopolitano, Becerenſi & Rabbenſi. Calixtus, proœm. ad Auguſtini libros de Doctrina Chriſtiana, pag. 31. Miræus in Tract. de Epiſcopat. lib. 1. cap. 8. & lib. 2. pag. 83. ſeq.

Dictum *Raphaëlem* Pontificiis faventiſſimum fuiſſe, haud negandum eſſet, ſi vera quæ *Allatius* in libro de utriusque Eccleſiæ „ (ficta) conſenſione ſcripſit: *Ignatius*, inquiens, *Mindonius*, Romà „ reverſus in Græciam, per multos annos literarum ludum, non ſine „ Chriſtianorum commodis aperuit. Inde profectus Trapezuntem, „ ſua cura & induſtria efferatam illam gentem ac barbaram „ ad manſuetiores mores redegit, apud quos in veneratione, veluti „ Propheta habitus, adeò, ut Imperator Turcarum ejus opera uteretur ad ſubditos in obedientia retinendos. Advocatus poſt à „ Raphaële, Patriarcha Conſtantinopolitano, Eccleſiæ Patriarchalis, „ cui Chryſopegæ nomen eſt, in Pera Rector conſtitutus eſt, in qua „ pro Romana Eccleſia ſummoperè laboravit. Sic *Leo Allatius*, obſervante *Hilario*, in commentation. ad Chron. Cyprii, pag. 437. qui ſtatim addit: *rem ego non credo, etſi Allatio commentum placeat*.

Anno 1604. menſe Octobri fatis conceſſit *Ludovicus IV*. Haſſ. Landgrav. Philippi Magnanimi filius tertiò genitus, qui *Marpurgi* habitavit, nulloſque liberos reliquit, *magnô rei Eccleſiaſticæ Lutheranæ damnô*; licet enim optimus ac pientiſſimus Princeps religioni ſinceræ ſummô ſtudiô cavere anniſus fuerit; iſtis diras imprecatus, qui aliquid in ea mutaturi eſſent; Secuta nihilominùs proximô ſtatim annô triſtis illa Marpurgenſis & Eccleſiæ & Academiæ Reformatio, quâ per Calviniſequas ejecti ſunt orthodoxi Theologi, diſſipatus nobilis Studioſorum cœtus, turbatæ plerorumque civium conſcientiæ, adulteratum doctrinæ γνησίως Lutheranæ depoſitum ſacroſanctum, profligata Haſſorum antiqua fides & religio Auguſtanæ Confeſſioni, nunquam variatæ, conſona, proſtituta hæreditas Domini, ac importunitati falſorum fratrum ovile Jeſu Chriſti vaſtandum perdendumque ceſſit. Hofm. Lex. univerſ. A. 945. Hutt. Concord. Conc. ult.

Ad meliorem vitam evocatus eſt *Lucas Oſiander*, Andreæ Bavari filius, Theologus Lutheranus de Eccleſia Chriſti optimè meritus, Sereniſſimi Ducis Wirtembergiæ Conſiliarius & Eccleſiaſtes Aulicus, poſtmodùm (ſatur vanitatum, queis repleta ſunt Principum palatia) paſtor Eſslingenſis; ex Epitome hiſtoriarum Eccle-

ſia-

ſiaſticarum, Chriſtianæ religionis inſtitutione, & commentariis in univerſa Biblia interlinearibus apprimè clarus; *parens* paris egregii filiorum *Lucæ & Andreæ, Cancellariorum Tubingenſium*, de quibus anno 1617. & 1638. debita mentio facienda. Cluver. Epit. hiſtor. 769. & Calviſ.

Nec minùs *Davides Rungius*, natione Pomeranus, Ebraicæ linguæ in Academia Gryphiswaldenſi primùm Profeſſor, deinceps Theologiæ Doctor Wittebergenſis, commentariô in Geneſin, Exodum, Epiſtolas Pauli ad Romanos & Corinthios celeberrimus. Interfuit colloquio Ratisbonenſi, de quo ſupra. Davidis Chytræi ſtationem, ut ſucceſſor deſideratus, adire in Academia Roſtochienſi debuit, ſed morte præventus, *nondum quadragenarius*, Wittebergæ oppetiit. Conſil. Wittenb. præfix. Catalog. Profeſſ. Catecheſ. Dieter. Catal. autorum c. 3.

Eandem calcavit ſemitam *Zacharias Schilterus*, Theologus Lipſienſis, Ephorus & Vice-Cancellarius Academiæ contra Crypto-Calvinianos conſtitutus. Exegeſin Catecheſeos, defenſionem Libri Concordiæ, Commentarium in Prophetam Haggæum, & librum de poteſtate Calviniſtarum edidit. Dieter. cit. loc. Micrælius Epit. hiſt. c. 541.

Et Mansfeldenſis Antiſtes Eccleſiæ, *Cyriacus Spangenbergius*, Johannis filius, Theologus & Chronologus Eruditus; *juxta Matthiam* in Theatro hiſtorico exul factus, cùm in *Flacii* caſtra tranſiiſſet, Argentinæ diem ſuum clauſit extremum. Sed, *juxta Micrælium*, bonus Vir, quia Interimiſtis & Adiaphoriſtis cedere nolebat, abiit exulatum, & Argentorati anno 1604. ætatis 76. obiit. Interpretatione Epiſtolarum Paulinarum, Catechiſmi & Pſalmorum, Saxoniæ & Mansfeldiæ Annalibus, aliiſque ſcriptis, ac homiliis probè notus. Micræl. lib. 3. hiſtor. 545.

LIB. I. CAP. XXIII.

Summaria.

Carolus Borromæus, à Papa Sanctorum in Cœlis cum Chriſto regnantium numero adſcribitur; Ignatius Lojola nondum.

Academia Salmaticenſis in Caſtilia, privilegiis, reditibus, & Profeſſoribus augetur, ubi Melchior Canus quondam docuit.

Societas Lojolitarum, intercedente pro ea Pontifice Rom. recipitur in Galliam, certis tamen legibus.

Circa

Circa idem ferè tempus, Peram, Byzantio proximam, ſodales Ignatiani repetunt, ad petitionem Henrici IV. à Sultano Turc. reſtituri.

Ab Hadriana Fraxinea, puella dæmoniaca, Petrus Cotton, Jeſuita, quærendo multa diſcit.

Clemens VIII. propter Franc-Armenos, Fridonium Ord. Domin. Monach. Nexivanienſem Archiepiſcopum conſtituit.

Arnoldus oſſatus, E. R. Cardinalis moritur, qui res Gallicas cum Clemente VIII. ſtabiliverat.

De aperto Gualteri Brugenſis ſepulchro, acerrima lis inter fratres cuculligeros oritur.

CLemens VIII. *Carolo Borromeo*, quondam Cardinali, *Sanctorum* in Cœlis cum Chriſto regnantium *honores* deſtinat; Mediolanenſibus id à Pontifice R. depoſcentibus, ac prædicantibus, quantis virtutibus ille vivus, & mortuus inclaruerit, indiesque inclareſcat. Agitur etiam de *Ignatio* Lojola, Societatis Jeſuiticæ famoſo conditore, pari ornando gloriâ, ſed res hac vice effectu caret. Lundorp. contin. Sleid. 3. 534. confer Plat. continuat. pag. m. 514. ac Thuan.

Anno 1604. juxta Micrælium, conſtituta eſt *Academia Salmaticenſis* in Caſtilia, quam alio nomine Salamancenſem nominant ab Urbe Salmati & Salamanca. Micræl. cap. 173. Hofm. Lex. A. 296. Sed videtur non tàm conſtituta t. t. quàm privilegiis, reditibus, ac numero Profeſſorum aucta Salmaticenſis Academia; Cùm ibi, teſte Hülſemanno, *Melchior Canus*, Canarienſis Epiſcopus, primariæ Cathedræ præfectus fuerit, habitus in Concilio Tridentino Theologus celeberrimus, quo nemo (Pontificiorum) ſacras literas pleniùs ac planiùs docuerit; Dedication. Tr. de auxiliis grat. a. 3. Hinc etiam à Dominico Gravina, in Apologetico pro ſacro fidei Catholicæ & Apoſtolicæ depoſito, SAPIENTISSIMUS MAGISTER noſter, dictus, vid. David Chriſtiani Diſput. Inaugural. pro acquirend. hon. Doctoral. de Romani Pontificis infallibilitate, primatu, & SS. Canoniſatione. pag. 1.

Hoc tempore Societas Lojolitica, ſub finem anni 1594. propter *parricidium* à Johanne Chaſtello ſodalitatis diſcipulo in Regem tentatum, Lutetiâ, aliisque regni Gallicani civitatibus ejecta, intercedente pro ea Pontifice Rom. *ab Henrico IV.* in Mariæ Mediceæ conjugis gratiam, licet multùm reſiſtente Parlamento, *recipitur*, & *in quatuordecim* civitates introducitur; *certis* tamen ac hiſce *conditionibus*. „ *Primò* ne ulla Collegia in Civitatibus regni, aut provinciis

L regno

„ regno ſubjectis inſtituant, ſine Regis expreſsâ permiſſione, aliàs „ iterum privandi omnibus privilegiis ab beneficiis, ex mera gratia „ conceſſis. *Deinde,* ut omnes natione Galli ſint, nec alterius na- „ tionis quenquam in Collegia admittant aut recipiant ſua, ſine „ Regis indultu peculiari; &, ſi quos inter ſe peregrinos jam habeant „ (exceptis tantùm Avignionenſibus) eos properè dimittant. *Por-* „ *rò* ſemper aliquem ſiſtant Gallum, qui Regi à ſacris concionibus „ eſſe, deque negotiis omnibus rationem reddere, ſocietatis nomi- „ ne poſſit. *Quartò,* ut omnes vel jam admiſſi, vel in poſterum ad- „ mittendi, purum præſtent juramentum, ſe nil molituros, quod in „ perniciem Regis, vel regni, ſalutisque publicæ vergere poſſit; o- „ mnibus, qui jusjurandum illud recuſaverint rejectis. *Quintò,* ne „ quid bonorum immobilium ſive emptionis ſive dationis titulo, „ ad ſe transferant, nec ab illis etiam accipiant, qui tranſitum ad ſo- „ cietatem ſuam fecerint; Sed legitimis hæredibus id omne relin- „ quant, & legibus ac ſtatutis regni politicis, ut ordines reliqui o- „ mnes, libenter ſe ſubmittant. *Sextò,* ne quid vel Eccleſiaſtico- „ rum vel politicorum negotiorum ſuſcipiant ullibi tractentque in „ præjudicium Epiſcoporum, Capitulorum, & Univerſitatum regni; „ ſed ordinariis conſtitutionibus per omnia ſe conformes gerant. „ *Septimò,* ut nulla Sacramenta, & ne pœnitentiæ quidem, aliis quàm „ ſui ordinis hominibus adminiſtrent, ſine permiſſu ArchiEpiſco- „ porum, & Curiarum, quibus illorum ſinguli ſint ſubjecti. *Cæte-* „ *rùm,* ut habeant, unde vivere ac ſe ſuſtentare poſſint, non modò „ permiſſum ipſis à Rege, uti fruique reditibus, quorum ante hæc „ tempora participes fuére, abs ullo impedimento, ſed etiam de an- „ nuo proventu mille coronatorum, ad viginti annos in Urbe Pari- „ ſienſi, liberaliſſimè ipſis proſpectum eſt, literis hac de re ſcriptis, „ & ſigillo regio munitis. Turſellin. Epit. hiſt. 258. Auth. Mercur. Tom. V. lib. IV.

Circa idem ferè tempus, ut quidem conjectura nos ducit, precibus Galliæ Regis datum eſt in aula Turcica, ut *Peram,* Byzantio proximam, *Ignatiani ſodales repeterent.* Non enim in Occidente tantùm omnia perreptarunt regna Jeſuitæ, ſed & orientales plagas jam dudum tentârunt, ipſamque Imperatoris Turcici ſedem Conſtantinopolin penetrarunt. Sic enim de ipſis Allatius: „ Je- „ ſuitæ Byzantii multos ante annos fixére ſedem; amplas Collegii „ ædes extruxere, Bibliothecam comparâre numeroſam, ſuaque

non

non parùm promoverunt commoda, & multos ex plebe in ſuas partes „ pellexerunt. Cùmque abſque ullo ſtipendio pueros erudirent, ac „ alia exercerent ſacra miniſteria, magnam ſibi auram captârunt; Hæc Allatius. Notare tamen debet B. L. Jeſuitas non in ipſa Conſtantinopoli publicè tolerari, ſed Peræ ſeu Galatæ, loco è regione Byzantii ſito, ipſos habitare. Antehàc edoctus aliquandò Sultanus, pacis & quietis ipſos perturbatores, regnisque ac Imperiis parùm fidos eſſe, indignans (priùs in carceres conjectos) expulit, & ſub vitæ periculo in Galliam, plerique enim Galli erant, ipſos navigare juſſit. Poſteà verò ad petitionem Henrici quarti, Regis, reſtituti ſunt. Hilarius in Chronicon Eccleſ. Gr. Cyprii, pag. 460. ſeq.

Cùm anno 1604. *Hadriana Fraxinea* puella, tanquam à maligno ſpiritu poſſeſſa circumduceretur, ac Lutetiæ Pariſiorum præcipuè oſtentaretur, *Petrus Cottonus*, Gallicus Eſavita, magni nominis inter ſuos, qui excantandi Spiritûs fiduciâ fretus, ad energumenam acceſſerat, anſam arripuit ab Hadriana, ſive Cacodæmone miſellam inhabitante, ſciſcitandi multa, quibus aliunde cognoſcendis nulla ſpes erat. Quærebat enim non tantùm Theologica pluſcula circa vota, caſus conſcientiæ, converſionem animarum, confeſſionem, Canoniſationem: his nonnulla immiſcens erudita, cupidus iſta doceri, an ſcilicet linguæ ſint à DEO? *quis evidentiſſimus ſcripturæ locus ad probandum purgatorium, & invocationem ſanctorum?* Quomodò in Arca Noæ tot animalia capi potuerint? quî filias hominum, Filii DEI dilexerint? pedibusne inceſſerit ſerpens ante lapſum Adami? quamdiu primi parentes in paradiſo fuerint? qui ſint ſpiritus illi ſeptem ante thronum DEI? quota pars Angelorum conciderit? quæ adoratio DEI in Cherubim? quomodò Inſulæ animalia acceperint, eòque homines poſt Adamum venerint? Quid utiliſſimum ad converſionem omnium hæreticorum? quando Calvini extirpanda hæreſis? Qua ratione Rex Angliæ, Regina & Regnum maximè ac faciliùs converti queant? pluraque id genus alia; verùm etiam curioſiſſimus mortalium de Comite Lavallo, de Lediguierio, de pace cum Hiſpanis firmanda, de conſervatione Genevæ, ac multis aliis diligentiſſimè percontabatur. Et licet in Aula tunc, alibique, pauci quidam Cottoni factum per inconſideratum pietatis ſtudium excuſare voluerint, plerique tamen damnabant illud, ac Eſavitam ingentium criminum reum faciebant.

Rex ipſe, qui indicem à maligno ſpiritu quærendorum propriâ Cottoni manu exaratum Marchionis Ronii ſolertiâ acceperat, in occulto minimè rem probabat; quia tamen viri operâ & induſtriâ ut ipſi viſum, in multis rebus percommodè utebatur; quò aulicorum os obſtrueret, factum elevabat verbis, quantum poterat, ac de eo aliter, quàm reverà ſentiebat, ſentire præ ſe ferebat. Thomas Lanſius in oratione contra Hiſpaniam, p. m. 376. conferre Mantiſſam pag. 125. haud pigebit.

Ut *Franc-Armenos* arctiùs devinciret ſibi Clemens VIII. *Azariam Fridonium*, iſtius nationis hominem, Ordinis Dominicani Monachum, qui t. t. Romam veniſſe ſcribitur, *ArchiEpiſcopum Nexivanienſem* conſtituit. Multis Armenorum, præſertim in provincia Neceven ſeu Nexivan, jam olim perſuaſiſſe Bartholomæum Parrium Bononienſem, Ordinis Dominicani ſodalem, ut more Romano ſacra peragerent, certius eſt, quàm ut negari meritò queat; fuitque Bartholomæus iſte primus Nexivanenſis ArchiEpiſcopus, qui non ſine ſanctitatis opinione defunctus, quieſcit in Carna, oppido ac monaſterio ſuæ ſocietatis. Abinde, quam doctrinam hauſerunt incolæ Pontificiam, hactenus etiam retinuére, nuncupati propterea *Franc-Armeni*. Turcæ enim, Perſæ, aliique orientis populi, Europæos vulgò *Francos* nominant. Suntque Franc-Armenorum hodie multa millia, qui in ipſa Perſia latino Catholicoque ritu vivunt, prædicto ſub ArchiEpiſcopo Nexivanenſi. Quia tamen Baſilica ArchiEpiſcopalis Nexivani, per Mahometanos medio tempore in Moſcheam converſa eſt, ideò nunc ſedem habet ſacrorum Antiſtes primarius in æde ac monaſterio Abbacanenſi, quod unius diei ſpatio à Nexivano diſtat. Aubertus Miræus in notitia Epiſcopatuum, lib. 1. cap. XX. confer Hofm. Lex. A. 185.

Arnoldus Oſſatus, obſcuriſſimis natalibus in tractu Armeniacenſi ortus, operam navavit Juri ſub Cujacio. Secretarius dein legationis ArchiEpiſcopi Tholoſani, Romam ab Henrico III. miſſi, munere ita functus eſt, ut mortuo Legato ipſimet ſucceſſerit. Epiſcopus hinc Rhedonenſis, dein Bajocenſis, tandemque Cardinalis; Eruditionis laude clarus obiit. Is eſt, qui Perronio conſors glorioſi operis, res Gallicas cum Clemente VIII ſtabilivit, claves cum liliis copulavit, cum Auguſta Medicæa nuptias conciliavit Henrico IV. Margaretæ Valeſiæ, ut quæ ab initio nullæ fuerint, irritas pronunciari curavit. Idem eſt, qui ſcripſit ad Villeroyum: Hunc Pontifi-

cem

cem urſiſſe Regem Galliæ Henr. IV. ut in Angliæ occupatione Hiſpano ſe jungeret; regerentique inter alia Cardinali, Henricum Angliæ Reginæ juramento teneri, reſpondiſſe, juramentum fuiſſe præſtitum hæreticæ, ſed alio juramento illum DEO & Papæ teneri. Addidiſſe dein, Reges, alioſque ſupremos Principes omnia ſibi permittere, quæ ad emolumentum ſuum redundarent, ac eò rem proceſſiſſe, ut id non imputaretur eis, aut vitio verteretur; allegatô inſuper dictô Franciſci Mariæ, Ducis Urbini: Ab unoquoque quidem nobilem virum, vel etiam Magnatem, qui ſupremus non eſſet, culpari, & infamem haberi, qui fidem non ſervaret; ſed poſſe ſupremos Principes fœdera ſancire, & ab iiſdem reſilire ſine famæ periculo, mentiri, prodere, ac alia ſimilia patrare. Hofm. Lex. A. 186. Lanſ. Conſult. p. m. 179. Heideg. hiſt. pap. §. CCX.

De *ſepulchro Gualteri Brugenſis aperto*, lis tum inter fratres cucculligeros orta, quam accurate deſcripſit J. A. Thuanus, ad hunc annum. Fuit Brugenſis ille, Pictavienſis Epiſcopus, acer Hierarchiæ Eccleſiaſticæ defenſor, à Clem. V. Pontif. R. depoſitus, præ mœrore vitam finiit, intra digitos ſchedam tenens, qua à Papa ad Concilium proximum provocavit, indeque ad judicium ultimum, circa annum 1304. aperto hoc tempore viri ſepulcro, ejus oſſa balſamum redolere dicebantur. Thuan. lib. 131. Hofm. Lex. A. 719.

LIB. I. CAP. XXIV.

Summaria.

Heidelbergæ fit initium famoſæ illius UNIONIS, quam non immeritò dixeris fundum publicæ calamitatis in Germania.

Londini veteris Anglicanæ Confeſſionis publicatio ratihabetur; Suprema poteſtas Eccleſiaſtica Regi vendicatur; Liturgiæ modus præſcribitur.

Jeſuitæ & Sacrificuli, ex univerſa Anglia, Scotia, Hiberniaque, gravibus ex cauſis diſcedere jubentur.

De Piſcatoris opinionibus, Naſſoviæ Comes Dillenburgenſis, judicium Theologorum Heidelbergenſium requirit.

Ob eaſdem, Johannes Reinoldus à Synodo Vapingenſi, ex Gallia mittitur in Germaniam.

Johannes I. Dux Bipontinus, Calvinianis accedit; quomodo ad hanc religionis mutationem pervenerit?

Erneſtus Fridericus, Marchio Durlacenſis, morte ſubitanea præventus, Calviniſmum introducere nequit.

Moritur Catharina Navarræa, Regis Galliæ ſoror, Hugonotis addictiſſima; de ea quid Nuntius Pontificis?
Viam quoque ſuam abit Chriſtophorus Pezelius, unus quondam ex Crypto-Calvinianis Wittenbergenſibus.

ANno 1604. in Palatinatu Rheni, primo & primario motore, Friderico IV. Electore Calviniano; *initia* famoſæ illius *UNIONIS* facta ſunt, addita ratione concluſiva: Ut in comitiis, de religione, aut rebus ſecularibus habendis, adverſus Papam ejusque adhærentes ſimul ſtarent fœderati. Quid autem intenderit illa UNIO, Germania, cum rebus-publicis vicinis, ſerò nimis non intelligere tantùm, ſed & inenarrabili damno perſentiſcere habuit. *Fundus* erat *calamitatis publicæ*, juxta Hülſemannum, in Calviniſmo irreconciliabili, pag. 205. ſeq. quocum facit Samuel Pufendorff. Introduct. in cognit. Statuum potiorum Europæ, pag. 599.

In *Synodo Londinenſi* continuata, publicatio repetitæ veteris Anglicanæ Confeſſionis ratihabita; Suprema poteſtas in Eccleſiam Anglicanam Regi vendicata; Liturgiæ modus quoque præſcriptus; Genuflexio in uſu S. Cœnæ approbata, Crucis item Ceremonia; ſed qui Hierarchiam oderunt, *Puritani*, non illam ſolùm, ſed & ceremonias Pontificiis non diſſimiles, dudum abrogari cupientes, Synodo Londinenſi contradixerunt, præprimis, quia declaratum ſit in ea, librum liturgicum nil continere, quod verbo DEI repugnet. Ac licet eorum aliqui, ut ſibi conſulerent, Synodo ſubſcripſerint, *Conformiſtæ* propterea nuncupati, quùm cæteri *Non-Conformiſtæ*, *Separatiſtæ*, aut *Bruniſtæ* dicerentur; nihilominùs tamen deſiderium Reformationis, ad modum Eccleſiarum transmarinarum, præſertim Genevenſis, non amiſere. Thuanus hiſtor. lib. 131. hiſtoriaque Gothana, edit. 1666. pag. 810.

Ad amolienda proditionis & ſeductionis pericula *Jacobus I. Angliæ Rex*, die 22. Febr. mandatum edidit, quo *Jeſuitas* cum *ſacrificulis* & *Romanæ religionis propugnatoribus* univerſis, *proſcriptos*, ante 19. Martii, ex toto Angliæ, Scotiæ, & Hyberniæ regno, diſcedere juſſit; additâ hac interminatione, omnes, qui poſt præfixum terminum, in quibuscunque regnorum ſuorum partibus inventi, aut reverſi deinceps fuerint, judicio ſtare, ac pœnam legibus perſolvere debere, ſine ulla ſpe veniæ & remiſſionis conſequendæ. ArchiEpiſcopis etiam, Epiſcopis, Judicibus ac aliis juſtitiæ Miniſtris præcepit, ut elapſô terminô, diligentiſſimè in omnes, qui fortè ſuperfuerint,

rint, inquirant, eosque judicio ſiſtant. Ne verò ſpeciem rigoris alicujus habere videatur conſtitutio hæc, adverſus eos, qui per Clericos Pontificios vafrè ſeducti ſemetipſos nominant Catholicos, *rationes proſcriptionis* publicavit, illud inprimis periculum exaggerans, in quo non ipſe tantùm, ſed univerſum quoque regnum nuper fuerit, ob conſpirationem, quæ ab iſto hominum genere primùm exorta ſit; quò igitur ejusmodi periculum caveri poſthàc & evitari meliùs poſſit, aliter ſe facere non potuiſſe, propalam aſſeruit, cùm aliâ ratione illud avertere haud potuerit; Siquidem Eſavitæ & cuculligeri quilibet, ejus poteſtati ſe addictos agnoſcant, qui diſpenſationem in cauſa arctiſſimi Regem inter & ſubditos exiſtentis fœderis, apertè ſibi vendicet. Boxhorn. in Chron. & Arthus Tom. 5. lib. 2 pl.

Accepto nuntio, quòd *Hugonottæ* in Gallia, *Johannis Piſcatoris* opiniones de juſtitia & ſatisfactione Chriſti monſtroſas & hæreticas eſſe, non ſemel jam affirmaſſent, & autorem anathemate dignum publicâ ſententiâ declaraſſent, vel declarandum judicaſſent, JOHANNES, Naſſoviæ Dillenbergenſis Comes, attonitus tàm probroſa in ſe, ſuosque, ſententiâ, *Heidelbergam* ad Facultatem Theologicam, Doctorem Crocium & Martinium Theologos, Legatione miſit anno 1604. Februario menſe, ut Piſcatoris cauſa examinaretur. Facta diſquiſitione, Legati quidem ab Heidelbergenſibus excommunicati Piſcatoris ab anathematiſmo abſolutionem impetravere, ſed opinionum (expreſſam) approbationem obtinere non potuerunt; Sic referente Petro Cudſemio, in deſper. Calvini cauſa pag. 90. & 96 qui ſimul addit, ſe *Anglorum* etiam Cantabrigiæ ſcrutatum eſſe judicium de Piſcatore, reſponſumque tuliſſe, *Hæreticum extare virum, & hominem Naſutum.*

Sub idem tempus *ex Gallia* miſſus venit in Germaniam, puncto Piſcatorianæ controverſiæ, *Johannes Reinoldus*, eò quòd Galli utramque Chriſti Salvatoris juſtitiam, juſtificationis materiam agnoſcerent, Germanorum verò nonnulli ſolam admitterent paſſivam, Acceſſit is Heidelbergam quoque, Theologorum ejus loci animos exploraturus; Inde Tillebergam profectus *cum Johanne Piſcatore*, præſentibus Comitibus ditionum Senioribus, Ludovico Wittgenſteinio, & Johanne Naſſovio, ſuper ea re *contulit*. Cùm verò Piſcatorem ſententiam ſuam mordicùs tueri ſentiret, Heidelbergam re infecta rediit, & quod à Sereniſſimo *Electore Palatino* ad Synodum (Vapin-

gen-

genſem) *reſponſum* petiit, impetravit. Summa iſtius à *Sculteto* con-
„ fecta fuit: Quia Galli & Germani, ſalutis ſuæ Cardinem, in Jeſu
„ Chriſti ſanguine ac morte verti, corde credant & ore profiteantur,
„ cauſam nullam eſſe, cur de cætero ſibimet moleſti ſint. Hieron. Kromajer. Theol. Poſit. polem. 640.

Anno 1604. ſublunaribus valedixit *Johannes I. Dux Bipontinus*, Wolfgangi filius, qui deſertis Lutheranorum caſtris, ad partes Calvinianorum tranſiit, horumque erroribus totum Ducatum fœdavit, à *Pantaleone Candido* & *Henrico Swebelio* ſeductus. Aliàs optimus Princeps, ſtudiorum, inprimis hiſtoricorum, cultor egregius, qui *Palatinæ ſtirpis deductionem* per annos 2273. multa diligentiâ hinc ab *Antenore* adornavit. Aſt operæ pretium videtur, innuere, *quomodo* ad hanc *Religionis mutationem*, Lutherani parentis Lutheranus filius *devenerit*, & cum ipſo ſubditi in eandem ſagenam tracti ſint? Doctrinam Aug. Confeſſ. invariatæ aliquandiu & purè & publicè prædicari curavit, aulicô concionatore orthodoxotato uſus Jacobo Heilbronnero; nec minùs Formulæ Chriſtianæ Concordiæ, ab Auguſto Saxon. Elect. ſibi transmiſſæ, prona voluntate ſubſcripſit, idemque à Theologis ac Miniſtris Eccleſiarum ſuæ ditionis factum vidit libentiſſimè anno 1577. Cùm verò ſubſignationes citra omnem exceptionem jam eſſent expeditæ, cenſuras Calviniſantium quorundam Principum ac Theologorum, libro Concordiæ Lutheranæ oppoſitas, accepit horâ planè infauſta, earumque Autoritate & Lectione faſcinatus, ac mutatus in alium virum, ſubſcriptiones non modo retraxit, ſed & placitis adverſantium favere in tantum cœpit, ut mox iiſdem totum ſe dederet. Fuitque præcipua defectionis hujus cauſa, quòd impuras illas cenſuras ipſe Princeps legit, REMOTO HEILBRONNERO, & adhibitis duntaxat Conſiliariis politicis, partim Calviniſmo clam faventibus, partim Theologicarum rerum non probè gnaris. Et, quamvis Doctor Heilbronnerus ſolidum deinceps atque nervoſum reſponſum ad omnes & ſingulas cenſuras heterodoxas exhiberet, nullis tamen admonitionibus locum invenit; quin potiùs ipſe Monitor fidiſſimus poſt biennium dimiſſus, conſequenter Ducatus ubique Calviniſmo infectus eſt. Etenim anno 1588. novelli Eccleſiarum Bipontinarum turbatores, exploſo Lutheri Catechiſmo, novum quendam conſcripſerunt, in eo publicando ac intrudendo inſigni fraude uſi. Quippe non de nova Catecheſi, ſed veteris explicatione, quæ adultioribus utilis eſſe poſſet,

Prin-

Principi primùm, deinde populo (non facilè in Calvinianum conſenſuro) verba dedére fallacia, usque dum obtinerent, quod multis abhinc annis quæſivére. Certiores de omnibus facti JOHANNIS fratres Illuſtriſſimi, Philippus Ludovicus, Otto Henricus, Fridericus, & Carolus, omnem adhibuére diligentiam, errantem & ſeductum ut in viam planam reducerent, eaque propter Colloquium Neoburgi ad Danubium anno 1593. inſtituerunt, ſed in caſſum penitùs laborarunt. Spener. Syllog. Genealog. p. m. 86. Hutter. Conc. Concord. 698. 1277.

Fatis quoque conceſſit *Erneſtus Fridericus, Marchio Durlacenſis*, libri Staffortenſis Patronus, de quo ſupra an. 1601. cap. III. Quùm anno 1590. *Jacobus* Marchio Badenſis ad Pontificios defeciſſet, omnibusque Evangelicis Miniſtris mandaſſet, ut intra præfixum terminum è ſua ditione diſcederent, ipſe priusquam conſtitutus dies advenit, ſubitanea dyſenteria & morte correptus eſt, atque extinctus; hinc Evangelii doctrina t. t. inibi locorum divinitus conſervata manſit, allegante Matthia hiſt. ex Chytræo. Idem ferè contigit *Erneſto Fr.* Durlacenſi, poſtquam ad Calvinianos tranſiit, ac in eo totus fuit, ut Lutheranos brevi ejiceret; Mors enim omnia dirimens, non opinantem anno 1604. abſtulit, ac deſtinata impedivit. Imhofius, notit. procer. 578.

Neq minùs terrenis valedixit *Catharina Navarræa*, Regis Galliæ ſoror, Duciſſa Lotharingiæ, Hugonottis addictiſſima. Statim ergò poſt ejus mortem Jeſuitæ, aliique partis pontificiæ Clerici Regem acceſſére, monentes; cùm anni pacificationis ratione civitatum ipſis conceſſarum præſtituti finem ſuum aſſecuti eſſent, maturè de his recuperandis cogitaret, easque, ſi cedere recuſarent hæretici, armis repeteret. Sed inclytus Rex, pacis, quàm belli, ſtudioſior, terminum clementiſſimè prorogavit. Arthus Tom. 5. lib. 4. Nominatam verò Catharinam, ſcribunt, odore *chirothecarum venenatarum* ictô cerebrô, extinctam fuiſſe, quæ inſcia odores illos hauſerit; ita Noldius in libello de legibus diſtinguendi pag. 445. Cùmque ob ejus mortem tota Regia in luctu eſſet, ſimulque omnes exterorum Principum legati; *Pontificis Nuntius*, quid ageret, aliquandiu incertus, tandem & ipſe pullatus coram Rege comparuit, dicens: Majores ſe *habere luctûs* cauſas, quàm reliquos; ſuum enim Dominum & ſe *lugere interitum animæ*, cùm reliqui tantùm corporis jacturam deflerent,

rent. Cui Rex reſpondit: Minimè ſe de animæ ſororis ſalute dubitare &c. Hofmann. Lex. A. 400.

Chriſtophorus Pezelius, Crypto-Calvinianus Wittembergenſis, quia Formulæ Concordiæ ſubſcriptionem recuſavit, cum Caſparo Crucigero juniore, Henrico Mollero, & Friderico Widebrando, primùm arreſto Torgæ aliquandiu retentus, juſſu Electoris Auguſti, anno 1576. deinde Lipſiam abductus eſt in cuſtodiam; pòſt extra fines Electorales dimiſſus, Bremam devenit, ibique docuit, & naturæ debitum ſolvit anno 1604. Hofm. Lex. B. 139. Conſil. Witteberg. in præfixo Catalogo.

LIB. I. CAP. XXV.

Summaria.

Samuel Huberus, portentoſa placita ſua denuò incruſtare conatur, & ſpargere, non nihil tamen colorata.

In Thuringia Eſaias Stifelius, inter fanaticos nulli ſecundus, ſuos etiam errores diſſeminare incipit.

Idem facit in Anglia Familiſtarum, ſeu domeſticorum charitatis Secta; Confeſſionem ſuam Regi tradit.

Moritur infauſtus hominum generi, Fauſtus ille Socinus, novæ hæreſeos & peſtilentiſſimæ conditor.

Diſcipuli ejus præcipui, quinam? Synchronus autem Seidelius, de quo ſuo loco plura.

QUales quantasque turbas Eccleſiis orthodoxis dederit ſuperioribus annis, novo phantaſmate ſuo de Univerſali Prædeſtinatione, *Samuel Huberus*, multis edocuit Lucas Oſiander in Cent. Hiſt. Eccleſ. XVI. pag. 1090. & ſeqq. ac eatenus ſic ferias nobis paravit. Quoniam verò nondum ad quietem animum componere ſuum, ſchiſmatico Erroni libitum eſt; ſed portentoſa placita denuò incruſtare conatur, & ſpargere, non poſſumus non ejus quoque mentionem aliquam, ſed breviorem facere. Fuit Huberus in initio certaminis craſſior & inconſideratior; deinceps nonnulla vel correxit, vel emolliit, vel coloravit & incruſtavit, verba ſunt D. Danielis Crameri, in tractatu de Prædeſtinatione, pag. 284. inter colorationes autem, pergit Cramerus, illa omnium ſplendidiſſima eſt, quam Halæ Saxonum anno 1604. germanicè edidit, ſub hoc titulo: Declaratio ſuper hac propoſitione: *Quòd DEUS in Chriſto Jeſu omnes homines ad vitam ordinaverit & elegerit.* Cui ſcripto paulò pòſt eodem anno,

anno, ſubjecit appellationem & provocationem ad omnes & ſingulos A. C. Theologos, Superintendentes, Paſtores atque Diaconos, ut ſententiam ſuper hac ſua declaratione ferrent. In quo ſcripto ſuo, nî fallor ultimo, hanc propoſitionem: Deus elegit omnes homines in Chriſto, per *æquipollentes* declarat, nimirum: Deſtinavit omnes homines ad vitam. Deus elegit omnes in Chriſto, i. e. neminem ſimpliciter rejecit. Deus in Chriſto non tantùm quoſdam, ſed omnes homines deſtinavit & elegit ad vitam. Deus elegit omnes homines in Chriſto, ut credant, &c. Cujus ultimæ fœturæ *Cenſura* tùm etiam à *Pomeranicis Eccleſiis* per literas Electorales petita eſt, ad quas reſponſum in ſumma: „ Non equidem negandum, quemlibet „ eſſe optimum interpretem verborum ſuorum; hoc autem verum „ quoque manere, ſic Theologo competere hanc regulam, ut ſui „ interpretamenti ſemper hyperaſpiſten faciat S. Scripturam, & for- „ mam ſanorum verborum teneat; itaque hoc debuiſſe primum „ Huberi ſtudium eſſe, ut in hac ultima declaratione diceret: Sic lo- „ quitur *Scriptura;* Sic extat in *verbo DEI* vocabulum *eligere;* De eo „ autem verbum nullum habetur apud Huberum, ſed ejus locô: „ *Ego* per vocabulum Electionis nil aliud intelligo, *ego* hanc propo- „ ſitionem ſic & æquipollenter accipio, i e. ſic fulcio, ſano, &c. Huic ſcil. tanto apparatui verborum occurri poteſt, juxta Cramerum, vel hoc unico: „ Non quæri, quid per hoc vocabulum Hube- „ rus intelligat, & quomodò is cauſam ſuam ſanet; ſed quomodò „ per autoritatem S. Scripturæ uſurpari debeat? Plura vide in citato tractatu, pag. 288. confer Theologorum Mansfeldicorum Refutationem Keckianam, pag. 8. 170.

Inter ſeculi hujus fanaticos non poſtremum occupat locum *Eſaias Stifelius.* Hic ſuos errores primùm ſpargere cœpit in Thuringia, circa annum Chriſti 1604. Poſtquam ſemel atque iterum de placitis heterodoxis contuliſſet Salzæ cum Eccleſiæ Miniſtris, & à præconceptis opinionibus diſcedere nollet, in Conſiſtorio Lipſienſi citatus comparuit, ad reddendam dogmatum rationem. Ibi, ſpretis admonitionibus, eandem cantans cantilenam, in carcerem abduci juſſus eſt, ne pluribus turbas daret, inque cuſtodia per annuum ferè tempus, donec revocatione facta, & juramento confirmatâ, dimitteretur. Poſteà tamen ad ingenium rediit, errores reproduxit (nunquam bona fide depoſitos) ac eosdem ſtudioſè, quà

voce, quà calamo diſſeminavit. Micræl. in ſyntagm. hiſt. part. 3. p. 669. Kromajer. hiſt. Eccleſ. pag. 657. plura videantur an. 1623.

In Anglia *Familiſtarum* ſecta, ſeu *domeſticorum Charitatis*, ut vocari amant, Confeſſionem ſuam anno 1575. editam, unà cum libello ſupplice offerunt Jacobo Regi, quô ſe ſingulariter ſeparant à Bruniſtis, uti ab aliorum quoque cœtuum ſequiorum communione. Natales ſuos debent *Henrico Nicolai*, aſſeclæ famoſiſſimi *Davidis Georgii*, poſt cujus mortem, circa medium ferè ſuperioris ſeculi, nova ſua themata & paradoxa ſpargere cœpit; revelationes Angelicas jactans, ab Angelo Gabriele ſibi infuſas; ac ſymbolo, *Charitas extorſit*, ſuperbiens, primum ſeſe illuminatum familiæ charitatis Seniorem appellavit. Hæc Familiſtarum Secta, in varios abiit greges, e g. *Gaſtalianorum, Grindletonianorum, Montenſium, Vallenſium*, &c. „ Externam religionis profeſſionem ajunt non eſſe neceſſariam; „ Nec opus, ut vitam ad regulam, vel verbum DEI, aut aliquam „ diſciplinam componamus, id enim pædagogicum & ſervile nimis; „ Scripturam S tantùm pro Novitiis in Eccleſia traditam eſſe; O- „ mnia ex charitate, quantumcunque parva ſint, interpretanda eſſe „ bona; Ex quo Amoris divini certior quis redditus, non indigere, „ ut remiſſionem peccatorum petat; Impios, charitate deſtitutos, „ inevitabili neceſſitate peccare &c. Hornbek. ſumm. controverſ. lib. VI. de Enthuſ. & Libertin. p. m. 393. 395. ſeq. Hartnak. in contin. Micræl. pag. 1041.

Viam ſuam ivit, ut vereor, infauſtam, *Fauſtus* ille *Socinus*, novæ hæreſeos & quidem peſtilentiſſimæ conditor. Fuit is natione Italus, ex familia celebri, quam plures non obſcuri nominis viri cognatione attigerunt. Patruum habuit Lælium Socinum, qui ſeculo proximè dilapſo, Photini hæreſin reſuſcitavit, eamque Fauſto defendendam reliquit. Hic ergò Patrui ſcriptis curioſè perluſtratis, errores erroribus horrendum in modum auctos, longè latèque diſſeminavit, non modò per Germaniam hinc inde, ſed & inprimis per Poloniam, Lithvaniam, Tranſſylvaniam; libris eô fine multis Racoviæ, Albæ Juliæ, Gerapoli & Eleutheropoli editis. Dogmata novatoris perniciosiſſimi, ac *totam ejus Theologiam*, breviter & nervoſè complexus eſt Hornbekius, hiſce verbis: „ Non ſubſtitit Socinus „ in uno vel altero adverſus Eccleſiam dogmate, non in oppugnan- „ da ſola S. Trinitate, & Chriſto, ſed ſuo ex ingenio totam aliam „ religionis novamque formam introduxit per ſingula Theologiæ

capita,

„ capita, in quibus proponendis non æquè ſemper ei à ſuis aſſen- „ ſum; quare omninò ab iſto autore nova Antitrinitariorum hodi- „ ernorum ſecta, & non per antiquas tantùm vel Samoſatenorum, „ vel Arianorum nomenclaturas, ſupra quos innumera alia adver- „ ſus fidem ille docuit, appellanda eſt. Animam & fundamenta „ Chriſtianæ religionis concutit iſthæc hæreſis, ac evertit. Secun- „ dum hanc enim Chriſtus nil eſt niſi Doctor aliquis, aut Martyr „ egregius; Hujus officium docere duntaxat, non verò redimere; „ Evangelium altera lex; Juſtificatio propter opera contingit; pro- „ bitas ethica ſolummodò; infernus & animæ plurimorum hominū „ poſt hanc vitam, nihil; quodque primo loco dicendum fuerat, S. „ in DEO TRINITAS, ludibrium & Idolum. Quæ omnia, iisque „ annexa capita & errores, quantoperè veram Theologiam & Chri- „ ſtianam religionem infeſtent atque corrumpant, nemo intelligen- „ tium eſt, qui neſciat. *Diſcipulos* præcipuos, in Miſnia potiſſimùm *Johannem Sommerum*, Pirnenſem, & *Johannem Volkelium*, Grimmenſem; In Thuringia *Valentinum Smalzium*, Gothanum, Catechiſmi Racovienſis autorem; In inferiore Saxonia *Chriſtophorum Oſtorodum*, Goslarienſem; in Franconia *Johannem Crellium*; In Polonia *Jonam Schlichtingium*: in Transſylvania *Georgium Enjedinum*, & alibi plures alios (è quibus *Daniel Zwikerus* in Boruſſia) ſcriptis celebres, vel vivus, vel mutus Præceptor, reliquit. Philip. Henr. Fridlieb. in auctario Hiſtorico Theologiæ Exegeticæ, Tom. 2. pag. 128. Hieron. Krom. ſcrut. relig. 162. pl.

Synchronum habuit, ſed & adverſarium eundem expertus eſt Socinus, *Martinum* quendam *Seidelium*, Oslavienſem Sileſium, qui negavit *Meſſiam* veniſſe, & venturum eſſe; Hunc enim finxit *Judæis promiſſum, ſub conditione probitatis*, quam ipſi nunquam impleverint. Aliàs *Decalogum* eſſe, ex quo uno ſperanda ſalus, blateravit, eumq; pro forma & norma ſui cultus, & probatæ religionis habuit. Micræl. lib. 3. hiſtor. 673. Jacobus Martini libro 3. de tribus Elohim, pag. 337.

LIB. I. CAP. XXVI.

Summaria.

Occaſionale Colloquium, inter Albertum Grawerum, & Wolfgangum Amlingum, Lutheranum illum, hunc verò Calviniſtam.

Piſcatoris, ad objectam Polani & Witakeri, Theologorum à ſe diſſentientium autoritatem, inſolens reſponſum.

Theſes aliquot Jeſuiticæ, ingenti animorum commotioni, tum Romæ, tum alibi, materiam præbentes.

Nova Jeſuitica, antehac Ingolſtadii publicata, jam Islebii prodeunt, cum Cenſura Baruchi Molithoræi.

Reginaldi, & Giffordi Calvino-Turciſmus, à Sutlivio (nomen quidem diſſimulante) compenſatur oppoſito Turco-Papiſmo.

Gabriel Pomelus, Anglo-Britannus, magnâ confidentiâ Pontificem Rom. eſſe AntiChriſtum, aſſerit.

De Raymundo Lullio olim fuere, & nunc ſunt, Pontificiorum diverſiſſima judicia.

VIceſimo quarto Februarii anno 1604. habebatur occaſionale *Colloquium* in arce *Schochwicenſi* Schulenburgia, Comitatûs Mansfeldici, *Albertum inter Grawerum*, Lutheranæ, & *Wolffgangum Amlingum*, Calvinianæ religioni addictos; privatum equidem, præſentibus tamen honoratis aliquot perſonis decoratum. Conferebatur de quibusdam Scripturæ dictis, à Calvino minùs rectè explicatis & applicatis; de fide infantum, communicatione Majeſtatis Chriſti, & quæ ſunt alia nonnulla. Per Grawerum primò amicis quibusdam, ad privatam lectionem communicata *conſignatio*, ſed per Studioſum Theologiæ N. N. typis dein evulgata fuit. Conſignationi huic privati Colloquii (convivalis tantùm) Anonymus aliquis terræ filius *ſpongiam*, qua ſe maculas Amlingio aſperſas abſtergere voluiſſe dicebat, paulò pòſt oppoſuit. Sed Grawerus brevem confutationem adornavit properè, ſpongiamque, ſatis eliquatam, in Autorem rejecit, ut legere eſt in præfatione ad abſurda Calviniſtarum abſurdiſſima, pag. 8. & ſeqq. Strateman. theatr. hiſt. 1101. Iſte *Amlingus* is eſt, quem deſcripſit Lucas Oſiander in Cent. H. E. XVI. 965. ex Actis Colloquii Herzbergenſis, inter ipſum & Saxonicos Theologos, libri Concordiæ Defenſores, habiti, quò impia Amlingo excidiſſe dicitur aſſertio, Chriſtum etiam ſecundum Divinitatem eſſe minorem Patre; Cui Chemnitius: *Audio ſic Arium loquentem!* reſponderit. Iſte nihilominùs, Joachimo Erneſto, Principi Anhaltino, hujusque Theologis, circa ann. 1578. perſuaſit, ut ſubſcriptionem Libri Concordiæ recuſarent; Imò *Amlingus præcipuè Calvini doctrinâ principatum Anhaltinum infecit*; quem ſubſequentibus temporibus Marcus Fridericus Wendelinus maximo conatu ibi locorum propugnavit, & propagavit. Liebhart. in ſuccincta hiſtoria Calvino-reformata, pag. 17.

Cùm

Cùm *Johannes Piſcator* Herbornenſis de Juſtificatione diſputationem haberet, illique contra particularem, quam de hac materia fovebat, opinionem D. Haloinus Gottofredus, autoritatem clariſſimi Polani, Profeſſoris Baſileenſis, opponeret, atque Cantabrigienſis, Wittakeri, diſſentientium ab eo; indignabundè quæſivit: *Quis ille clariſſimus Polanus? valeat!* ac mox dein ſubdidit: *Wittakerus negat, Piſcator affirmat, contendant hi duo Heroës inter ſe!* Inſolenter ac imperioſè ſatis! Cudſemius, in deſper. Calvin. cauſa. pag. 99.

Sub idem tempus *Lojolitæ*, fiduciâ ſeu doctrinæ, quam ſomniabant ſingularem, ſeu, qua plurimum pollebant, autoritatis, *Theſes* aliquot propoſuerunt, quæ magnæ animorum commotioni, non ſolùm Romæ, ſed quacunque Religionis Romanæ ditio patebat materiam præbuére. Inter alia enim aſſertum ab iis, „ 1. Credere, „ Clementem VIII. tunc Romæ ſedentem, legitimum Petri Succeſ- „ ſorem, non eſſe ex articulis fidei. 2. Confeſſionem, quæ inter „ Sacramenta Eccleſiæ habetur, per Epiſtolas & Curſores peragi „ poſſe. 3. Gratiam DEI, cum libero arbitrio, in nobis, ad ſalutem „ cooperari. Duæ priores, jugulum Pontificis petere, & culinæ nidorem pertentare viſæ, in ortu ſuo, magno conſenſu rejectæ, ac prudentiſſimè ſtatim in herba extinctæ ſunt. Ultima verò diutiùs ac pertinaciùs Doctorum ingenia torſit, acerbiſſimarumque contentionum, inter Lojolitas ac Dominicanos, occaſionem dedit; quas reſervamus alibi memorandas. Joh. Valentin. Andreæ hiſt. Eccleſ. Epit. 408. Lanſii Mantiſſ. Conſult. 124. Heideg. hiſt. papat. CCVII.

Nova Jeſuitica, per Lojolitam Græcenſem conſignata, & primùm Ingolſtadii publicata, quarto ſeculi hujus annô Islebii typis Groſianis recuſa ſunt, cum cenſura Baruchi Molithoræi. Lojolæ ſodalis ibi cauſas viginti conſignarat, ob quas multa millia Lutheranorum & Calvinianorum ad Papiſticam Eccleſiam ſe contulerint, idque factum inter alia dixerat ob Miracula, doctrinam Pontificiam ſæpiculè confirmantia, quibus Lutheranorum aliorumque, quos vocat, Acatholicorum doctrina & religio careat. Molithoræus autem poſt ſufficientes datas reſponſiones, tandem quæſivit: „ quam „ doctrinam *Georgius Schærer* confirmarit, cùm Viennæ peſſimo cui- „ dam homini perſuaſiſſet, ut ſeſe mortuum ſimularet, ac à Schæ- „ rero excitatum jactaret; quem dum Jeſuita patrandi causâ mira- „ culi accederet, verè mortuum deprehenderit, non autem reſuſci- „ tarit? perquàm ſcitè falſitatem & nullitatem arguens miraculorum

à pa-

à papanis, Lojolæ præſertim ſociis, allegari ſolitorum. vid. Joh. Crocii AntiBecan. B. 576. & in Vindiciis B. 551. plur. confer. etiam an. 1625.

Anno 1597. *Wilhelmus Reginaldus*, Anglus, in opprobrium tàm Lutheranorum, quàm Calvinianorum, Antwerpiæ tractatum integrum & malignum expoſuit, cui *Calvino-Turciſmi* titulum dedit, ac Evangelicorum cum Turcis conſenſum calumnioſè conatus eſt oſtendere; hujus etiam veſtigia legit anno proximè præterito *Wilhelmus Giffordus*, Anglicæ nationis homo pontificius. Ejuſdem verò gentis Anonymus, qui creditur eſſe *Sutlivius*, utrumque tractatum hoc ipſo anno 1604. abundè compenſavit editione *Turco-Papiſmi*. Legat librum, cui eſt integrum, & apparebit, annon majori jure Pontificii Mahometanis conferendi ſint, quàm Evangelici? Chriſtian. Chemnit. contra Scheffleri Apoſtatæ Türckenſchrifft / lit. K. Vejelius in defenſione Exercitationis de Eccleſ. Græcan. pag. 82. Gerhard. in Annotat. ad Matthæum. pag. 367.

Pontificem R. eſſe Antichriſtum Magnum, nemo Evangelicorum, (ut quidem Wendelinus ait) majori unquam fiduciâ, quàm *Gabriel Pomelus*, Ordovices Britannus, aſſeruit, cujus in primo limine tractatûs, ad lectorem Chriſtianum hæc ſunt verba: „DEUM „ſanctè teſtor, me tam certò ſcire, Pontificem R. eſſe magnum „illum Antichriſtum, & Eccleſiam Pontificiam Antichriſti ſynago„gam, quàm Deum ipſum eſſe in cœlis, creatorem viſibilium ac „inviſibilium, & JESUM Chriſtum eſſe verum illum Meſſiam, „patribus olim promiſſum. Typis deſcriptus eſt liber anno 1604. Marc. Frid. Wendel. in ſyſtem. majori Theolog. pag. 1316. Lanſ. conſult. p. m. 828.

De *Raymundo Lullio* (qui tempore Philippi Francorum regis, circa A. C. 1290. vixiſſe ſcribitur) jam olim Romæ inſignis publicaque apud Cardinales Inquiſitores excitata fuit controverſia. Pro hujus pietate, Martyrio, ſanctitate, cultu, ſcriptorumque orthodoxia præcipuè diſputavit copioſè *Hieronymus Cavellus*, Franciſcanus, contra Abrahamum Bzovium, docuitque, Lullium à Balearibus ut Martyrem coli, imò ab aliis multis populis ut ſanctum adorari; à JEſu Chriſto, in crucifixi forma ipſi apparente, & ſuam ei doctrinam dictante, cœlitùs imbutum fuiſſe. Aſt Lullium alii graviter perſtrinxére, illumque hiſtrionem vocâre, Eremitam vagum & erroneum, à Dæmone illuſum transformante ſe in Angelum

lum Lucis, omnem etiam ejus artem fuiſſe Phantaſticam ac inutilem, libros denique ejus magiæ plurimorumque errorum inſimulârunt, ex orco deductorum. Ita ſensére *Bzovius, Mendoza, Genebrardus, Aymericus.* De tota hac re liber editus anno 1604. cùm inſcriptione: ſententia definitiva, in favorem Lullianæ doctrinæ, juris ordine, ac Apoſtolica Authoritate lata, & in Veritatis triumphum, inque glorioſæ vindicationis memoriam denuò impreſſa, & principalibus reſcriptis munita. Nondum tamen videtur definitum è Cathedra, aut à ſede Romana, quid hîc tenendum ſit, quia tàm *Directorium Aymerici*, quàm liber illi oppoſitus, publicè ac ſine prohibitione legitur. David Chriſtiani diſp. inaugural. de R. Pontif. & Canoniſatione ſanctorum, pag. 57. 58.

LIB. I. CAP. XXVII.

Summaria.

Tandem Oſtenda, triennali obſidione fatigata, Hiſpanis deditione cedit, totis interim exercitibus in tabem atque cineres diffluentibus.

Oſtendæ jacturam, Sluſa Hiſpanis erepta, compenſaſſe dicitur abundè, teſtantibus id foederatarum Provinciarum nummis.

Regnum Sueciæ, Sigiſmundo Polonorum Regi denuo abrogatum, Carolo Sudermanniæ Duci confirmatur.

Sigiſmundus Bathorius, Tranſylvaniæ Princeps, Pragam veniens, Ordinibus Bohemiæ annumeratur.

Baſilowizius, Baſilidis filium ſeſe jactans, Moſcoviam turbare geſtit, & occupare, ſed nihil obtinet.

Mahometi 3. Turcarum Tyranno, ſuccedit filiolus Achmetes. Saxoniæ Dux Joh. Georg. 1. Sibyllam Eliſabetham Wirtembergiam, tori ſociam ſibi adjungit. Petrus Erneſtus Comes Mansfeldicus, mortem obit.

TAndem *Oſtenda* (maritima urbs Flandriæ munitiſſima, ſchola militiæ & altera Troja) ab anno 1601. pertinaci obſidione fatigata, *Hiſpanis deditione ceſſit;* intereà fluminibus humani ſanguinis exundantibus, totis exercitibus in tabem atque cineres diffluentibus: Urbis & caſtrorum fundo in immane ſepulchrum degenerante. Centum enim & quadraginta, aut qui minimum ſcribunt, centum viginti millia bellatorum, utrinque variâ ignis, ferri, morborumque peſte cecidiſſe ferunt. J. A. Oſiander in ſtella Magorum inſolita C. 2. Thomas Lans. Conſult. p. m. 713. Adeò verum eſt, quod

quod Galliæ M. Admiralis Chaſtillon dicere ſolitus: Diuturnæ magnarum Urbium obſidiones, magnorum caſtrorum cœmeteria ſunt & ſepulturæ.

Sed quia durante adhuc Oſtendana obſidione, fœderati Belgæ, Mauritio Duce, *Sluſam* Hiſpanis eripuére, jacturam Oſtendæ ſatis compenſatam, nummo cum inſcriptione: Jehova plus dedit, quàm amiſimus, teſtati ſunt. Temerariam autem vocem emiſit Sluſæ præfectus, *Matthæus* nempe Serranus (antequam fortalitium plenè cingeretur) ad Marchionem Spinolam dicens: Hoſtis, ſi vel quinquaginta diabolorum millia huc ducat, me tamen non ejiciet. Hofm. Lex B. 369. Lanſius Conſult. 397. Sed faſtus & vanitas Serrani, Sluſam perdidére!

Sigiſmundo Poloniæ regi, denuò *regnum Sueciæ* abrogatur, & *Carolo IX.* Sudermanniæ Duci, de quo ſupra an. 1601. omnibusque ab ipſo legitimè deſcendentibus, etiam fœmellis, ut *hæreditarium* confirmatur. Inde poſtmodum Chriſtina, Guſtavi Adolphi Filia, licet minorennis adhuc, ſe principiſſam Sveciæ hæreditariam, ſtatim à morte Parentis, in ſubſcriptionibus nominavit. Hofm. Lex. A. 383. Feller. ad Horn. orb. Imper. not. 140.

Sub finem februarii *Sigiſmundus Bathorius*, Transſylvaniæ Princeps, Pragam veniens, honorificè exceptus eſt ab Imperatore & Rege Rudolpho, dein ad palatium provinciale majus, Cæſareo inſidens ciſio, deductus, *Bohemiæ ordinibus annumerari ſeſe petiit*; Cùmq; Ordines, regis & Imperatoris à Wallſteinio prolatam Interceſſionem vidiſſent, petentem voti ſui compotem fecerunt. Merc. Gallobelg. Tom. 5. lib. 2. Turſell. Epit. hiſt. continuat. 257.

Moſcoviam tum temporis turbare geſtiit *quidam Baſilovvizius*, in Lithuania hactenus latitans, & filium Baſilidis, Magni adeòque Ducatûs legitimum hæredem, ſe jactitans. Rumor fuit, eum à Tyrannico parente morti deſtinatum olim, ſubſtitutô ab amicis in locum aliô, mirabiliter conſervatum, ereptum, & apud Wagiswaſcium clàm educatum eſſe. Cùm igitur à Moſcis nonnullis expeteretur, profectus ad Poloniæ Regem, aliquot mille Coſſacos in auxilium requiſivit, ad occupandas ditiones hæreditarias; at nil obtinere potuit, quia Rex ad alias expeditiones, contra Svecos inprimis, opus ipſemet habuit militaribus copiis. Arthus Tom. 5. l. 2. p. m. 138.

Mahometi tertio, Turcarum Sultano, vivis nuper erepto, ſuc-

ſucceſſit *Achmetes* hujus nominis *primus*, novem annorum puer. Hic, vitandi tumultus cauſa, Janitſaros primum, antequam coronaretur ſibi conciliandos cenſuit; Magna igitur pecuniæ ſummâ inter eos diſtributa, pretioſiſſimo curru, quo ab omnibus conſpiceretur, per univerſam civitatem Conſtantinopolin ſe duci curavit, ac diadema ſuſcepit. Poſt coronationem verò, cùm de Perſici Regis bello, quo parenti ſuo non parum negotii faceſſens, Tauriſium (Ecbatanam) nuper expugnaſſet, edoceretur; non modò legatum Regis, hactenus parentis juſſu captivum, dimiſit, ſed & Baſſam, Alepenſem ad componendam pacem eò ablegavit. Wagner. in limin. Genealog. 353. Arthus cit. loco pag. 148.

Anno 1604. Sept. 16. *Elector Saxoniæ Joannes Georgius*, legitimi thori ſociam ſibi adjunxit *Sibyllam Eliſabetham*, Ducis *Wirtembergiæ*, FRIDERICI, gnatam, ſed elapſis anno uno & octodecim hebdomadibus, mors conjugium aliàs feliciſſimum, diremit. Sigmund von Bircken im Churfürſtl. Sächſiſchen Helden-Saal / pag. 633. Wagn. limin. Genealog. 68.

Naturæ debitum ſolvit, *PETRUS ERNESTUS, comes Mansfeldicus Heldrungenſis*, qui præclaris virtutibus promeruit, ut ab Imperatore Maximiliano ad principale faſtigium eveheretur, deceſſit octogenario major; Cum filium ejus CAROLUM fata præripuiſſent, exercitus Cæſareani Ducem Generalem adverſus Turcas egregium, inque ſervanda militari diſciplina incomparabilem. De utroque legi meretur Imhofius, Not. procer. 1009. & Lanſius Conſult. pro Germ. pag. 955. ſeq.

LIB. I. CAP. XXVIII.

Summaria.

Rumor de Judæo immortali, ob injuriam Chriſto crucifigendo factam, perpetuæ uſque ad Mundi finem, oberrationis damnato.

Fimala, Ceilani Rex, poſtquam Chriſtianæ Religionis principia hauſiſſet, ac Idolo ſuæ gentis illuſiſſet, ſubitò territus à Cacodæmone, ad priora relabitur.

Præter Chaſmata & parelios in cœlo viſos, nova ſtella inſignis magnitudinis apparet, per integrum annum conſpicienda.

Peſtifera lues variis in locis; annonæ caritas; ut & incendia graſſantur, in hominum pecorumque exitium.

Mortalia explent, Jacobus Majer Theologus Baſilienſis;
Et, Janus Douſa Hiſtoricus & Poëta Lugduno-Batavus.

„ HAbebant anno 1604. Saxones in ſermonibus rem plerisque
„ incredibilem; Nimirum commeare per Urbes *Judeum* quen-
„ dam *immortalem*, qui ob injuriam olim Chriſto crucifigendo fa-
„ ctam perpetuæ usque ad extremum diem oberrationis damnatus
„ eſſet. Johannes Cluverus in Epitome hiſtoriarum ſcribit pag. m.
„ 759. Addens: viſa nobis res portentoſo mendacio affinis, quan-
„ quam ille à quibusdam eruditis examinatus, penè fidem miracu-
„ lo fecerit: Id verò conſtare porrò ait, ex *Matthæo Pariſio*, ante qua-
„ dringentos annos eundem ſermonem ferè toto orbe frequenta-
„ tum; Ac fuiſſe in Anglia Epiſcopos Armeniorum, qui interpoſitô
„ jurejurando, rem ſibi exploratam, virumque (in Armenia ple-
„ rumque verſantem) familiarem eſſe confirmarint. Limnæus, Dannhauerus, & alii, quicquid ejus eſt, pro *fabula* potiùs, quàm hiſtoria habent. Videatur Danhauerus in Chriſteide. pag. 872. ſeq. Fechtius in disquiſitione de Eccleſia Judaica, 89. ſeq. Zeiler. Epiſt. Tom. 2. 700. pl.

De *Fimala* Ceilani Rege, quocum fœderati Belgæ amicitiam ac ſocietatem circa annum 1600. inivére, Mercurius Gallo-Belgicus refert, eum, poſtquam Chriſtianæ religionis principia ex Europæis hauſerit, Idolo Ceilano, quod inter Gallicum promontorium & Matacalonem extat, non ſemel illuſiſſe, tanquam inani numini. Eſt autem in delubro ingenti, Coloſſus, viri effigie gladium erecta & velut ictum minitante manu tenens. Quid fit? Ingreſſo Fimalâ delubrum aliquando, Coloſſus dextram movet, gladiumque criſpanti ac fibranti ſimilis, Fimalam vehementer terret! Hisque præſtigiis, autor inquit, Fimalam ſibi rurſus devincit aſtutiſſimus Cacodæmon. Aliàs Ceilani perſuaſum habent, eundem hujus Idoli, quem Mundi, finem fore. Horn. orb. Imp. 457. Arthus Tom. 5. lib. 2. poſter. edit.

Præter chaſmata & parelios in cœlo viſos, menſe Octobr. an. 1604. *Nova ſtella* penè Veneris magnitudine, in pede Serpentarii, ac Trigono ut vocant igneo, conjunctione nimirum Saturni, Jovis & Martis apparuit, ac per menſes 12. conſpiciendam ſe præbuit, malorum Iliada miſeris mortalibus portendens; edocentibus id Johanne Keplero, celebri Mathematico, in peculiari de iſta face tra-

ctatu,

ſtatu, Pragæ publicato; & acutiſſimo Johanne Franciſco de Spina, in Cataſtrophe Mundi. vid. Stell. Magorum Oſiandri pag. 20. Item Türcken-Trutz und Gottes-Schutz. Anon. anno 1661. edit. lit. D. ult. & H. 2. pl.

Eadem tempeſtate in Boruſſia, inferiori Saxonia, civitate Amſtelodamenſi, Londinenſi, aliisque locis quàm plurimis, *peſtifera lue* multa millia hominum abrepta ſunt. In Transſylvania verò propter continua bella quibus omnia vaſtabantur, tanta jam *annonæ caritas* omniumque rerum penuria exiſtere cœpit, ut ruricolæ paſſim in pagis habitantes equorum, aliorumque pecorum fame extinctorum cadavera in cibum aſſumerent, feleſque & canes devorarent, imo ab humana carne non abſtinerent. Weinheimeri Cometen-Pred. pag. 87. Arthi Mercur. Tom. 5. lib. 4.

Annaberga, Miſniæ oppidum, inter metallicas urbes non poſtremum, tredecim horarum *incendio*, die 28. Aprilis funditus *delebatur*, ita, ut præter tria tuguria, nil domorum remaneret, igne in fabri cujusdam ferarii ædibus, ex incuria mulieris juſculum coquentis, & accenſo in ſartagine lardo aquam affundentis, initium ſumente, magnaque celeritate obvia quævis corripiente ac depaſcente. Idem, loc. citat. plur.

Jacobus Majer, Baſileenſis Theologus Calvinianus, in ſummo templo concionem funebrem habiturus, cùm vix eſſet exorſus præclaram Eccleſiaſtis de ſubitò ruente arbore ſententiam, apoplexiâ tactus, coram facie frequentiſſimi cœtus, obdormivit anno 1604. ætat. an. 80. Hofm. Lex. 1022.

Mortalitatem explevit quoque *Janus Douſa*, inſignis Poëta & Hiſtoricus, urbis Lugduni Batavorum præfectus, condendæ ibi Academiæ Wilhelmo Uranienſi Principi celeberrimo autor, primus Rector ejusdem Scholæ & Curator; vir tanta doctrinâ celebris, ut Bataviæ Varro haberetur, & commune oraculum Academiæ. Pater Jani, & Georgii, quorum ille juvenis excellentis ingenii doctrinæque, Eruditorum ſummæ expectationi ereptus anno 1596. Hic autem Conſtantinopolitano itinere celebris, anno 1599. in expeditione Batavorum ad Canarias, extinctus eſt. Hofmann. Lex. A. 567. & 805. plur.

LIB. I. CAP. XXIX.

Summaria.

Prima Gieſſenſis Academiæ fundamenta ponuntur.

Inſtituti cauſa & occaſio, Calviniſtica Reformatio Marpurgica.

Saynenſis Comitatûs partem Archiepiſcopus Trevirenſis, partem Colonienſis, neſcio quo juris prætextu, ſibi vendicat.

Frauenſtadienſibus, à Papanis proximo ante Nativitatis Chriſti Feſtum, eripitur Templum, quo hactenus uſi fuerant Evangelici.

Ex Cleri papalis decreto, de diſſentientibus à ſe vel igne cremandis, vel ex Hungariæ finibus exterminandis, Ilias malorum ſequitur.

Julius Conradus Otto, Judæus, ad Chriſtianiſmum convertitur, mox factus Hebr. L. Profeſſor Altorfinus.

Ad beatiorem vitam abit D. Salomon Geſnerus, Theol. Profeſſor Wittenb.

ANNO 1605. *Academia Gieſeno-Haſſiaca* natales debet ſuos. Cùm enim Eccleſiæ Seminaria ſint Scholæ benè conſtitutæ, in quibus vera de DEO doctrina traditur, & præcepta benè vivendi proponuntur (tradi certè ac proponi debent) neutiquam dubitari poteſt, officium DEO gratiſſimum & Chriſtiano nomine digniſſimum eos facere, quibus cordi curæque eſt, ædificare Gymnaſia & Academias, vel ædificata conſervare, exornare. Hinc ea in re gloriam ingentem ac æternum nomen inter alios conſequutus eſt LUDOVICUS, Haſſiæ Landgravius (Philippi Magnanimi nepos, Georgii Darmſtadienſis filius) dum inclytam in civitate Gieſſena Scholam fundavit & aperuit hôc tempore, ſub nomine *Gymnaſii*, quod verò dein privilegiis Cæſareis dotatum, & Academiæ ſeu *Univerſitatis* titulo indigitatum eſt. Micræl. Syntagm. hiſt. cap. 173. Orat. funer. Chriſtophori Helvici, lit. B.

Occaſionem huic dedit inſtituto, triſtis illa *Marpurgenſis* Eccleſiæ Academiæque *Reformatio*, acerbis deploranda lacrymis. Quùm enim LUDOVICUS Philippi Magnanimi tertio-genitus fatis conceſſiſſet, ac ſuperioris Haſſiæ pars dimidia, præprimis Marpurgi oppidum, *Mauritio* Haſſiæ Landgravio, Wilhelmi filio, obtigiſſet, nihil inexpertum reliquére Calviniani, quò profligata Lutheri doctrinâ, ſuam introducerent, Ad hoc obtinendum orthodoxos Theo-

logos

logos Marpurgenſes ad ſynodalis conſtitutionis anno 1577. & 1578. (aſtutiâ quorundam Crypto-Calvinianorum factæ, licet antiquatæ) obſervationem viſum fuit adſtringere. Urgebantur ergò iſti Theologi, ut vi hujus, ac ſimilium conſtitutionum ſynodalium, quæ puriori doctrinæ de Chriſti hominis Majeſtate compedes injicerent, omiſſis diſputationibus de Perſona Chriſti, de hujus omnipræſentiâ, & reliquis attributis, *in concreto* docerent, à phraſibus autem *abſtractivis*, utpote *humana Chriſti natura eſt omnipotens, omniſcia, omnipræſens, &c.* prorſus abſtinerent. Ad conceptam Reformationem plauſibiliorem reddendam, pro more huic genti uſitato, proponebantur & alia capita, in quæ conſentire deberent Lutherani; nimirum in *Decalogi diviſionem* Cinglio-Calvinianam, qua ſecundi præcepti locum impleret conſtitutio de imaginibus, nonum verò ac decimum conjungerentur; deinceps in *panis Eucharistici fractionem*, ut ſub Adminiſtratione Cœnæ Dominicæ panis frangeretur, ſive diviſio minutiores in partes adhiberetur; Tandem, ut *imagines & ſtatuæ* quælibet è templis ejicerentur. Cùm autem Theologi ſinceri, & ex his v. gr. D. *Henricus Leuchterus*, Superintendens; D. *Johannes Winkelmannus*, atque D. *Balthaſar Menzerus*, Theol. Profeſſores, in ejusmodi capita conſentire nec poſſent, nec vellent, iis de cauſis, quas tùm verbis oretenus prolatis, tùm etiam ſcriptis accuratè & nervosè expediverunt, functionibus Eccleſiaſticis pariter & Academicis exuti, emigrare juſſi ſunt; Subſtitutis in eorundem locum *Georgio Schönfeldio, Valentino Schonero, Caſparo Sturmio*, aliisque. His ita geſtis, *plebs concitata* ſub tempus concionis in templum irruit, & Concionatores Calvinianos tàm immaniter tractavit, ut morti, quàm vitæ, viciniores eſſent, vociferantibus indomitis civibus: Exite nebulones, templum hoc noſtrum eſt. Mauritius tamen armatâ manu tumultum ſine mora repreſſit, atque cives ad officium reduxit. Hutter. in Conc. Conc. 1455. ſeq. Rettung und Außführung der Motiven/ beurlaubter Theologen zu Marpurg ꝛc. pag. 4. 20. ſeqq. per tot.

Poſtquam *Saynenſis* Comes Henricus anno 1605. mortem oppetiit, abſque maſcula prole decedens; Wilhelmus *Wittgenſteinenſis*, Ludovici filius, tanquam proximus agnatus (& cui paucis menſibus ante mortem, Henricus ipſe comitatum ceſſit) iſtius ditionis Dominus eſſe debuit, uti videbatur, legitimus. Verùm enimverò, dum Wilhelmus territorii poſſeſſionem ſibi vendicatum iret, ei mul-

multum negotii Electores *Trevirenſis* & *Colonienſis* exhibuêre; quorum ille caſtrum Sayn cum quatuor parœciis, Fiſchbach/ Kirchen/ Sóbersheim/ ac Daden/ vicoque Sendorff; Hic autem & arcem & præfecturam Hachenburg/ ex capite dominii directi, quod ſibi hæc in loca competere dictitabant, impugnarunt; idque tanta contentione, ut *Electori Palatino*, qui hucusque Saynenſes de ditionibus illis inveſtire ſolitus erat, dicam in Camera Spirenſi ſcriberent; Evangelicæ religionis damnô haud exiguo. vid. Imhof. Notit. Procer. Germ. pag. 1116. ſeq. confer an. 1636.

Animorum quoque magna perturbatio *Frauenſtadii* Cives A. Conf. addictos, regnoque Poloniæ ſubjectos, in annorum 1604. & 1605. confinio exercuit, Pontificiis *templum*, quo hactenus uſi fuerant *Lutherani* ad cultum DEI publico-ſacrum, derepentè & præter ullam expectationem occupantibus; die proximo ante Sacratiſſimum Nativitatis J. C. Feſtum. Hinc piorum utriusque ſexûs, & cujusvis ordinis lacrymæ, ſingultus, querimoniæ, lamentationes, ploratus, per totam, quà patuit urbem; & hæc ante meridiem. Sed paucis pòſt horis, per gratiam DEI flexicordiam levamen aliquod mœroris caſusque ſequebatur ex eo, quòd officiales Regii *majorem domum civicam* querulantibus aſſignarent, ubi rurſus vacare ſacris quietè poſſent; Hanc igitur grato acceptam animo, ſtatim adibant bono ordine, pſallentes hymnos & ſpirituales cantiones, additis devotis precibus, pro ulteriori aſſiſtentia & benedictione divina, proxima deinceps nocte domum, quoad fieri poterat per temporis brevitatem, commodè diſponebant, ut locando fidelium cœtui ſatis capax eſſet, aptaque religioſis ibidem habendis exercitiis. Et, quia primum thema ſacrarum concionum de Salvatore mundi poſt nativitatem in præſepio Bethlehemitano jacente, fuit, ad perpetuam rei memoriam iſtud receptaculum *præſepe Chriſti Frauenſtadianum* vocabant; Primario ejus Antiſtite *Valerio Herbergero*, qui plurimis concionibus patheticis, & Magnalium DEI libro de Jeſu, Scripturæ nucleo, ſe commendavit; parens *Zachariæ*, qui tædas Nuptiales, & Calendarium Chriſtianum typis divulgavit. Valer. Herberg. Hertz Poſt. pag. 45. 54. 62. Micrælius in Syntagm. hiſt. c. 499. ſeq.

Cùm ſuperiori anno in *Comitiis Poſonienſibus*, Clérici Papales inter ſe conveniſſent, abſque Ordinum Procerumque reliquorum præſcitu, & inter alios, articulum de Hæreticis Auguſtanæ Helveticæque Confeſſionibus addictis vel igne cremandis, vel perpetuâ pro-

proſcriptione ex Hungariæ finibus exterminandis, promulgaſſent; Ordines (Antipapales) Regni Proteſtantes mox affirmârunt publicè, ſi ob religionis exercitium ſibi moleſtia crearetur, factô ſeſe, quod vulnere vireſcat virtus, probaturos. Nihil autem commoti cuculligeri, cùm per *Belgioſam* Acatholicis, quos vocabant, graves eſſe pergerent, hi fractis legum diſciplinæque repagulis, ad *ſeditionem* verſi, limites regionis egrediebantur, & proximas quasque Moraviam præprimis invadebant, eam incendiis cædibusque horribiliter deformantes, abductis ultra quatuor mille captivis. *Botskajus* etiam accenſus irâ, Heiduccorum ſe Ducem profeſſus, ac Belgioſam acriter perſecutus eſt. Secutæ hinc urbium ac provinciarum calamitates, & Clericorum Papalium vexationes variæ, non in Hungariâ modò, ſed etiam in Stiriâ, Auſtriâ, viciniisque aliis provinciis. Calviſ. ad hunc an. Turſell. Epit. hiſt. contin. 257.

Julius Conradus Otto, *Judæorum* hujus temporis omnium ferè doctiſſimus, Sacra lotus undâ Chriſtianam religionem ſeriò amplexus eſt, factusque Profeſſor Altorffinus, Judaicam refutare cœpit feliciter, ex ipſis recutitorum ſcriptis, & *excipe* dedit ad illa *Dannhaueri* verba: „Tria, ſcribentis, aquarum genera malè perire adagio „circumfertur; Aquam nempe dulcem in mare influentem, aquam „vino mixtam, & Baptiſmi aquam in Judæum effuſam; Adagio „toties vero, quoties veteratoriè ſe Chriſtianorum ſacris immiſcent „verpi, ac Religionem noſtram ſimulant, baptiſmum quæſtui habentes; Æthiopem igitur dealbat, & aquam perdit, qui Judæum „hujusmodi ſacra luſtrare aquâ, & mollire aut convertere cor ferreum ſtudet. Müller. Hamb. Judaiſmi præfat. & præfat. Dannh. ad Fechtii diſquiſitionem de Eccleſia Judaica confer.

Ad beatiorem vitam abiit *Salomon Gesnerus*, Boleslavia-Sileſius, è ſumma paupertate eluctatus, Rector primùm in Schola patria; deinde Stetinenſis Pædagogii moderator; Hinc Wittebergam vocatus anno 1593. Doctor Theologiæ creatus eſt, numeroque Profeſſorum additus, Commentario in Geneſin, Pſalmos, & aliquot Prophetas, libris de Conciliis, & Labyrintho Papiſtico, diſputationibus in Formulam Concordiæ, ac aliis, fidelem ſe Chriſti ſervum præſtitit, fato functus, menſe Februar. an. 1605. ætat. 46. Johann. Schmidii Argentin. Allmoſen-Pred. Vorred. lit. b. ult. Catalog. Profeſſ. Theol. Conſil. Witteb. præfixo. Nec involvendum ſilentio, quod Micrælius habet in Syntagm. 3. lib. pag. 494. ſcribens, Gesnerum

nerum Stetini agentem, *Conrado Bergio*, & *Joachimo Stichio*, in *Sacramentariorum* partes inclinantibus, de orthodoxia in diſputationibus publicis nihil ceſſiſſe, variiſque propterea modis vexatum eſſe; Et, *Stichium* ei ad ſacram ſynaxin accedenti, conſecratum panem *ſiniſtra* porrexiſſe, *omiſſis verbis*, quæ ex inſtituto Eccleſiæ addi ſolent.

LIB. I. CAP. XXX.

Summaria.

Rebus humanis eximitur Clemens octavus, controverſiis diu agitatis, in ſuſpenſo relictis.

Leo XI. quidem ſuccedit, ſed poſt 25. dies thronum papalem iterum vacantem facit, Papa Scenicus.

Hunc Paulus V. excipit, publicè ſalutatus Vice-Deus, inde nonnullis Papa characteriſatus, cur?

Is initio Pontificatûs, poſt ſubactam ex voluntate Luccam, & Genuam, Venetorum Rempublicam laceſſit, non tamen pari ſucceſſu.

Jeſuitæ, ab Henrico IV. everſionem Columnæ in peſſimi facinoris Chaſtelliani memoriam poſitæ, impetrant, reclamante licet Parlamento.

Watſonus & Clercus, in Regis Angliæ necem conſpirantes, quid communicata re cum Lojolitis, reſponſi acceperint?

Detegitur Bonifacii VIII. ſepulchrum; cujus Papæ ingreſſus, progreſſus, & egreſſus, breviter deſcribuntur.

MEmorabilem faſtis fecerunt hunc annum Pontifices Romani; duo quidem deceſſione ſua, ſucceſſione tertius. Etenim *Clemens VIII.* de quo ſupra lib. 1. cap. 2. videatur, cùm in Pontificatu Romano tredecim annos conſumpſiſſet, ineunte Martii menſe *vitam finiit; Controverſias* tum de *Catharinæ Senenſis* ſtigmatibus pingendis, motas inter Franciſcanos ac Dominicanos; tùm de *auxiliis gratiæ* inter Jeſuitas & Prædicatores Dominicanos, *in ſuſpenſo relinquens;* Experientiâ rerum inclytus, at faſtu & perfidia infamis. Hofman. Lex. A. 453. Heideg. hiſt. pap. pag. 286. Hottinger. hiſt. Eccleſ. Tom. V. pag. 439. 583. Aliàs de *Catharina Senenſi* nonnemo „ fabulatur: Quòd Chriſtus eidem aliquando viſibiliter apparuerit, „ è templi ſacello egredienti, & cor ſuum aperto ejus pectori pro- „ tinùs indiderit, cum his verbis: Ecce, filia mea, habes pro corde „ tuo, cor meum. Johann. Henr. Urſinus in analect. lib. 4 §. 7. pag. 218.

Quò

Quò minùs tunc in ſedem Pontificiam eveheretur *Cæſar Baronius*, celebris Annalium conditor, Hiſpanorum invidia obfuit, quòd ille Annalium Tomo undecimo negaſſet, Hiſpanorum Regum in Siciliam talia eſſe jura, qualia ſibi arrogarent. *Bellarminus* quoque Montaltana factione excluſus eſt. Unde contigit, ut *Alexander Medicæus*, annorum ſeptuaginta ſenex, fuerit electus, qui *Leonis undecimi* nomen aſſumpſit, & paſſus eſt, in coronatione ſua inſcribi à Florentinis arcui triumphali verba: *Dignus eſt Leo, in virtute Agni accipere librum, & ſolvere ſeptem ſignacula ejus.* Hiſtoria Gothana edit. an. 1666. Hotting. H.E. Tom. V. pag. 585. Mox verò cùm ad Johann. Lateran. Poſſeſſionis capiendæ causâ, de more, celeberrimo comitatu ſe contuliſſet, à maximis continuò ſudoribus refrigeratus, in graviſſimum incidit morbum, ex quo vigeſimo ſeptimo Aprilis, poſtquam 25. dies officio præfuiſſet, in humanis eſſe deſiit, unde nominatus à nonnullis, *Papa Scenicus*, quo de propemodum dici poſſet, quod olim de *Mario* dictum: Una die factus Imperator, altera die viſus eſt imperare, tertia die interemptus. Platin. contin. 208. *Dannh.* Catechiſmus-Milch. part. ſept. pag. 243.

Leoni XI. ſucceſſit *Camillus Burgeſius*, è familia nobilium Senenſium ortus, nomen in Baptiſmo acceptum Paulino mutavit, voluitque nominari *Paulus V.* Ab adulatoribus autem ſuis, prurientibus, non invitis auribus audiit: *Vice-Deus, Chriſtianæ Reipublicæ Monarcha inviĉtiſſimus, & omnipotentiæ Pontificiæ conſervator accerrimus*; Et hiſce titulis illius nomen frontiſpiciis librorum, Romæ, Bononiæ, ac Neapoli publicatorum, præfixum eſt. *Marta*, Doctor Neapolitanus, Romæ Advocatus, cùm ei dein tractatum de Jurisdictione inſcriberet, hiſce verbis Homuncio-Deum compellavit: „ Vicarius „ DEI tu es in terris, à quo emanat omnis jurisdictio; Unicus in „ orbe Pontifex, Imperator, & Rex, omnium ſuperior Principum, „ rerumque & perſonarum ſupremus ac Dominus. Quin & hic *Marta Bellarminum oppugnavit*, quòd is paulò modeſtior, Papæ ſummam quidem in temporalia poteſtatem competere dixerit, ſed indirectè. Hoc enim quùm abſolutam illam omnipotentiam imminuere, eique neſcio quid detrahere videretur, ipſe (Marta) Pontificem non in temporalibus minùs, quàm ſpiritualibus, poteſtatem ſummam, directè, naturaliter ac temporaliter obtinere dixit. Imò ex poteſtate *Domini*, poteſtatem *Vicarii* metitus, (mentitus) diſertè adſeverarit, Eandem esse Potestatem Papæ, et Christi Hominis,

nis, data eſt, inquientis, mihi poteſtas omnis in cœlo & in terra. Contin. Platin. 509. Georg. Calixtus orat. de AntiChriſto Pontifice Rom. pag. 8. & 69. ſeq. pl. Hinc autor *Apiarii Romani* (deß Bienen-Korbs) Dominus de *Adelgonde*, juxta Benbellonam de Gaudentiis in ſuſcitabulo A. 160. ex titulo hujus Pontificis, nempe: *paVLo V. VICe Deo, Numerum 666. Beſtiæ Apocalypticæ attributum* collegit, & Papæ tanquam AntiChriſto characteriſato, non immeritò applicuiſſe viſus eſt. Röm. Bienen-Korb im drit. St. pag. 180. Fellerus ſ. 88. ad Orbem Imper. Hornii, modò allegatum autorem ita commendat: Obiter nota, *Philippum Marnixium de Adelgonde*, autorem eſſe „ Apiarii R. quem librum Berneggerus non minus acutum, quàm „ facetum dicit, plusque ad ſubruendum Papæ regnum contuliſſe, „ quàm ſerios aliquot commentarios de Religione.

Paulus iſte *quintus*, alio ſpiritu, quàm Apoſtolus ejusdem nominis, ductus, initiô ſtatim Pontificatûs, Majeſtatem ſedis Rom. ad amplitudinem, quam ſperare vix erat auſus Anteceſſorum quisquam, provehere conſtituerat. Quô conatu ut faciliùs fungeretur, cùm Reges, quàm Reſpublicas, metueret potiùs, illis tantisper misſis, cum his periculum facere decrevit. Civitates itaque *Luccam* & *Genuam* primùm aggreſſus eſt, ſibique obedientes reddidit. *Venetorum* deinde Rempubl. laceſſere propoſuit, eò quòd ſedes Rom. multis retrò lapſis annis oſtendiſſet, ſibi à Venetis, circa duo præcipuè puncta, nondum ſatisfactionem obveniſſe, quòd nimirum à regimine Eccleſiaſticos excluderent omnes, & Curiæ R. penſionem nullam exhiberent. Occaſionem plauſibilem, quæ commodè conceptam bilem effundere permitteret, ſtudiosè quæſivit; Ea verò ad nutum quaſi hoc anno ſe obtulit, *Abbate* quodam & *Canonico*, enormium ſcandalorum reis, Venetias abductis, ibidemque *Carceri* mancipatis; renovatis inſuper in territorio Venetorum antiquis aliquot *Statutis*, queis cavebatur, *ne quid immobilium bonorum in poſſeſſionem Clericorum transferretur*, aut quis ullam domum religioſam, ſine ſpeciali Senatûs indultu, fundandi poteſtatem ſibi ſumeret. *Paulus* ita juſtam indignandi cauſam habere ratus, prætendit, ſe permittere non poſſe, Clericos, quantumcunque horum fuerit delictum, per Magiſtratum ſecularem judicari, ſuarumque tantùm eſſe partium, illos pro lubitu aut condemnare, aut abſolvere; allegata verò Statuta, tanquam Conciliis & Imperialibus Conſtitutionibus adverſa, nullo robore gaudere. At *Veneti*, re ſatis expenſa, reſponderunt:

runt: Se non poſſe Clericos, legitimo juris tramite in carcerem datos, mittere aut extradere; nec leges, prægnantibus de cauſis latas, citra præjudicium libertatis à DEO ipſis conceſſæ, ac tot Majorum ſanguine conſervatæ, de medio tollere; cætera Pontificis dignitatem ſe magnifacere, decentemque reverentiam nullo modo detrectare. Georg. Hornius in orbe pol. pag. 140. & Rohanius in Trutina Statuum Europ. pag. m. 50. ſeqq. conferantur.

Cùm poſt intentatum in Galliæ Regem Henricum IV. à *Johanne Chaſtello* Lojolitarum diſcipulo, *Ignatianæ ſodalitatis fratres* ex univerſo Galliæ regno *proſcripti* fuiſſent anno 1595. 4. Non. Januar. *pyramis* pretioſiſſima è ſolido marmore extructa, & eo loco, quo Chaſtelli parentes habitarent, erecta fuit, quæ quatuor imaginibus conſpicua ſupplicium Chaſtelli, & *cauſam*, cur Lojolitæ Galliâ exturbati eſſent, prætereuntibus legendam aureis literis in perpetuam rei memoriam exhibebat. Inſcriptum autem erat inter alia, quòd ſodales præcipuè mordebat: „ Eos in Parlamento Pariſienſi tanquam „ juventutis corruptores, patriæ perverſores, & Regis totiusque re„ gni hoſtes condemnatos eſſe. Itaque, quùm ſuperiori anno, ſingulari Regis clementiâ & gratiâ, in Galliam iterum admiſſi eſſent, quieſcere non potuére (nec voluére) donec everſionem hujus columnæ impetrarent à Rege. Hac ergò *destructa* nuper, libellus quidam Gallicâ Linguâ editus eſt, in quo per inſignem proſopopœiam columna ipſamet loquens introducitur maximè notabilia, quæ apud Lundorpium ad h. an inveniuntur, atque apud Thuanum, inprimis iſta: „ Quòd in Galliam reverſi eſtis (Lojolæ ſocii) gratiæ „ & miſericordiæ Regis unicè acceptum referre debetis, qui vel im„ memor propriæ ſalutis, vos in Majeſtatis ſuæ perniciem ab exitio „ revocavit, ſed redire tamen abſque peculiari facinore religio vo„ bis fuit, nec aulam ingredi Regiam, niſi per interitûs mei portam. Pyramidis formam exhibet Wolfius, Tom. 2. Memorabil. pag. 1059. cum inſcriptionibus.

Anno 1603. *Watſonus* & *Clercus*, ſeculares in Angliâ Sacerdotes, *machinatione clandeſtinâ* Regem Jacobum I. nondum coronatum, è vivis tollere aggreſſi ſunt. Qui capti torturâque interrogati, conſtanter affirmarunt, ſe, cùm ſua conſilia *Jeſuitis* communicâſſent, petiisſentque, dignarentur in partes venire præclari adeò facinoris, hoc reſponſum tuliſſe: „ Non poſſe Jeſuitas ſeſe illis adjungere, ut qui „ ſuam ipſi parilem telam orſi, memorabilem in omne ævum tech-

„ nam pararent, opportuno tempore exitum habituram; pergerent „ modò illi hoc inſtituto, & rem ſtrenuè agerent. Procul dubio ad pulverariam, de qua mox dicturi ſumus, conſpirationem, digitum intendentes. J. H. Heidegger in hiſt Papatus, §. CCIX. pag. 290.

Tum temporis detectum eſt *Bonifacii VIII. ſepulcrum,* ut inter alia refert Hofmannus in Lexico continuato B. 575. ubi, Mucatio teſte, corpus conſervatum eſt in capſa lignea, in qua fuerat ſepultum, per 302. annos; facies tantùm ejus aliquantulum conſumpta erat, ita ut nec nares nec labia, ſed mentum ac dentes tantùm apparerent; habebat in capite mitram albam, admodùm parvam ex tela (ut conjectari potuit) Bombycina; corpus indutum erat pontificalibus indumentis omnibus. Hofmannus Tom. A. primi operis 297. conferatur. Ubi & Pontificis hujus ingreſſus, progreſſus, & egreſſus, trito hocce compendio ſiſtuntur: *Intravit ut vulpes, regnavit ut Leo, mortuus eſt ut canis.*

LIB. I. CAP. XXXI.

Summaria.

Calviniſmus Marpurgi introductus, mox & Schmalkaldicam ditionem invadere geſtit.

Ex ore cujusdam Principis, allegata delineatio Calviniani ſeductoris.

Diſſidia trium Academiarum Calviniſticarum in Germania, de fractione panis in Sacra Cœna.

Grande periculum Hugonoticæ gentis Pariſinæ, per præmonitionem Regis prudenter declinatum.

Mors Bezæ, Theologi Genevenſis primarii: Et, Johannis Reinoldi, Oxonienſis: nec non Guilielmi Wittakeri, Angli.

POſtquam, profligato Lutheraniſmô, Marpurgi Calviniſmus erat introductus, mox ulteriùs evagandi licentiam ſibi ſumere ſectatores hujus auſi ſunt, atque *ditionem Schmalkaldicam* vi pacti Hæreditarii, Hennebergicis extinctis, ad Haſſos Wilhelmitanæ Lineæ delapſam, tentarunt iisdem ferè modis ac mediis ad ſuas trahere partes, veluti patet ex Conſiliis Wittebergenſibus Theolgicis, A. fol. 500. & ſeqq. quibus collatis cum praxi Calvinianorum, per eosdem Wittebergenſes in appendice deß gründlichen Beweiſes / contra illos & Rintelenſes anno 1664. editæ, pag. 478. und 521. ſeq. deſcriptâ, ſtatim venit in mentem, *ſeductoris Calviniani delineatio,* per Chriſtianiſſi-

n'ſſimum *Principem* (allegatum à D. *Selneccero* in examine) olim data, repetitaque à Nicolao Blumio, in actis cum Nicolao Crellio, antequam hic ad mortis ducebatur ſupplicium, ſic ſe habens:

„ *Sacramentarius* (Calvinianus dicere volebat) eſt homo, neque „ credens, neque confidens DEO, & ejus verbo; Inflatus opinione „ Sanctitatis & Sapientiæ, ac eruditionis peculiaris eximiæque; con„ temnens & calumnians omnes non euntes in ſententiam ſuam; „ eripiens Chriſto homini Majeſtatem divinam, & eum æquans, vel „ gradibus certis præferens angelis & beatis hominibus; negans o„ mnipotentiam ac veritatem Chriſti, & ſubinde patefaciens adi„ tum ad Neſtorianiſmum, Arrianiſmum, Mahometiſmum, Ethni„ ciſmum; decipiens Magiſtratum ac alios, peſſundans & ſe & ſuos „ in exitium corporis, vitæ & animæ; replens regna, principatus, „ civitatesque ſimultatibus, ſeditionibus, odiis, bellis, lanienis; ſa„ lutarem concordiam ubique deſtruens, clam & inſidioſè agens „ pleraque, ſimplicioribus fucum faciens; Negans eſſe ſe, qui eſt, „ affirmans non eſſe, qui eſt, ſententiam ad aurem (callidè) mutans; „ brachio innitens ſeculari, & carni Mundi, non carnis Chriſti, ob„ ſervans occaſiones elabendi & rurſus emergendi. Blumius in Crell. conc. funeb. pag. 14. Cujus tamen allegata verba ut hîc, aut alibi, noſtra faciamus, longiſſimè abſit.

De *diſſidiis Calviniſtarum* in Germania, & quidem trium Academiarum, *Heidelbergenſis, Baſileenſis, & Marpurgenſis*, Petrus Cudſemius hæc habet, in deſperata Calvini cauſa, pag. 91. ſeq. „ Prodiit „ nuper, inquit, fidei articulus è ſchola Piſcatoris, de *Fractione panis* „ *in S. Cœna*, circa quem graviter diſceptatum in tribus hisce Aca„ demiis. Baſileenſis & Marpurgenſis extremè colluctabantur; Hei„ delbergenſis verò arbitram ſeſe interponebat, utramque repre„ hendens, ac ſententiam ſtatuens inter illas mediam. Suis in tem„ plis urgebant *Marpurgenſes* fractionem panis, atque ceremoniam „ eſſentialem eſſe clamitabant, ſine qua Dominica Cœna Sacramen„ tum non ſit. *Baſileenſes* autem ridebant Piſcatoris & Marpurgen„ ſium nugas, aſſerentes, iſtam fractionem Cœnæ prorſus non eſ„ ſentialem eſſe, imò ne quidem ritum ejus neceſſarium, ſed adia„ phorum, ideòque in ſuis cœtibus Eccleſiaſticis panem non fran„ gebant. *Heidelbergenſes* ajebant, falsò dici, ceremoniam illam eſ„ ſentialem eſſe; falsò non minùs dici, eſſe adiaphoron; ſed omni„ nò neceſſariam eſſe, non ad ſacramentalis ritûs eſſentiam, ad integri-

„ tegritatem verò pertinentem. Ita *Pareus*, qui hodie vult audire „ Calviniſtarum dux & Coryphæus, iſtam controverſiam reſolvebat, „ ex cujus publicè dictantis ore hæc adſcripſi. Cudſemius.

Hugonotis in Gallia, non procul à Pariſiis degentibus, ea tempeſtate imminebat grande *periculum*. Hi ex privilegio Regis, ibi locorum libertatem exercendi ſua ſacra, conſecuti erant, quod malè urebat Lojolitas nuper in regni ſinum receptos; de illis ergo in ipſo templo delendis, conſilia fovebant; quibus clàm exploratis Rex Hugonotas admonuit, conventum ut pauliſper ſuſpenderent; eoque facto, in nihilum abiere machinationes hoſtium; Schadio annotante.

Ad metam temporalium venit anno 1605. Octobr. 13. ætat. 87. *Theodorus Beza*, Theologus Genevenſis, inter Calvinianos primarius, ex Colloquio Poſſiaceno, & Mompelgartenſi notiſſimus; Inter ſcripta ejus numerantur ad Acta Mompelgardenſia, Tubingæ edita, reſponſiones; Lex Moſaica; Hiob illuſtratus; in Pſalmos & Eccleſiaſten paraphraſes; In canticum canticorum homiliæ; Annotationes in N. Teſtamentum. De *Cardinali* quodam Pontificio refertur, quòd poſt auditam in conventu Poſſiacenſi Bezæ orationem, apud ſuos dixerit: *Utinam aut ille mutus fuiſſet, aut ſurdi nos fuiſſemus*; ob iſtas nempe voces, maximo omnium ſcandalô effuſas, Chriſti corpus & ſanguinem, ſeu hominem Chriſtum, tàm longè à Cœna, quàm ab infima terra ſupremum cœlum, abeſſe. De *Notis* autem ejus *in T. N.* dicit *Andreas Rivetus*: „ Celebrabuntur & magni „ fient, ringentibus adverſariis, quamdiu in orbe vivent homines, qui „ candorem cum eruditione jungent; allegans *Scaligerum*, cujus hoc de iiſdem fuerit judicium:

— — Fœtus ſupra caput extulit omnes
Ille tuorum operum ſumma caputque liber,
Quo penetrale Novi reſeratur fœderis, & quo,
Diſcuſſa lucem nocte videre datur.

Addit etiam *Nicolai* cujusdam *Rapini* pictonis, prætoriani Judicis, viri alioquin Pontificii, elogium:

Quòd ſi immortalem cuiquam fore fata dediſſent,
Debuerat nullo tempore Beza mori.
At, ſi quid ſeclis dignum eſt durare futuris,
Æternum in Bezæ nomine numen erit.

Hoſ-

Hofmann. Lex. A. 282. Rivetus in Cathol. Orthodox. Tractat. prim. pag. 83. & 123. *ſalvis melioribus.*

Suum quoque penſum abſolvit *Johannes Reinoldus*, Theologus Oxonienſis; *Academiam in ſuo pectore geſtaſſe dictus*; ſcriptis omnigenam eruditionem, ſummam præcipuè antiquitatis notitiam ſpirantibus, & colloquiô cum Johanne Harto, Jeſuita inclaruit. Inter ſcripta eminet *librorum Apocryphorum Veteris Teſtamenti cenſura*, contra Pontificios, inprimis Robertum Bellarminum, ex Academicis prælectionibus ducentis & quinquaginta in duos digeſta tomos Oppenhemii anno 1611. typis excuſa. Hofm. Lex. B. 253. Hornbek S. controvers. 267.

Nec minus *Guilielmus Wittakerus*, Theologus Anglus eloquentiſſimus & longè doctiſſimus, in Academia Cantabrigienſi Profeſſor. Acutiſſimus contra Romanenſes diſputator ſuô tempore habitus; *refutavit vaſtum Bellarmini opus*, *antequam id in lucem totum prodiiſſet.* Prolixè reſpondit ad rationes Jeſuitæ *Campiani*, queis fretus certamen Anglicanæ Eccleſiæ Miniſtris indixerat, fidei causâ. Tractatum quoque eruditum *de Romano Pontifice* publicavit ex prælectionibus. Cætera graviter invectus in diſſolutos mores ordinum Anglicorum. Ex Læti compend. Hiſtor.

LIB. I. CAP. XXXII.

Summaria.

Eilhardi Lubini erronea opinio, de prima cauſa & natura Mali.

Juſtus Natolius, de diſſimulatione veritatis in rebus fidei.

Jacobus Outermann, de DEO quid ſenſerit? Hinc ſynodi Alcmarianæ monitum de Anabaptiſtis.

Cacodæmonis Carteſianiſmus, de multipræſentia Angelorum, ex operatione in remotiora, fluente ex nuda cogitatione.

Circa ſeculi hujus initium *Eilhardus Lubinus*, Theologus Roſtochienſis (aliàs commentariis in quaſdam Pauli Epiſtolas, tractatu monoteſſaro ſeu hiſtoria Evangelica de J. C. ut & philologicis tractatibus in Horatium ac Perſium notus) de *prima cauſa & natura Mali* novam ac erroneam fovit opinionem, docens peculiari ſcripto, hypermetaphyſica dicto, alibi titulo Phoſphori ſignato: *Nihil negativum ante creationem, Malum principium Bono ſynchronon; peccatum verò tendentiam ad illud nihilum; idque neceſſarium fuiſſe, ut natura*

Boni poſſet cognoſci; Et, quæ Philoſophus de *materia prima* habet *nihilo* iſti *negativo* accommodavit. Cùm igitur formam ſanorum verborum ſequeretur minùs, ab *Alberto Grauero*, qui ſibi conſentientes D. Mylium, Hutterum, Piſcatorem (non Herbornenſem, ſed Jenenſem) Schlüſſelburgium, Majorem, Petræum, & alios habebat, anno 1605. refutatus eſt, recenſente Hieronymo Kromajero in hiſt. Eccleſ. 649. it. Theologia poſitivo-polemica 296. pag. plur.

Ipſius *Graueri* verba, in Centur. 1. Illuſtrium Qq. diſput. 9. quæſt. 3. *Unde ſit malum, ſeu quæ ſit cauſa mali?* ſic ſonant: „Inveniuntur, qui docere non verentur, Malum eſſe à NIHILO negativè ſic dicto, & duo fuiſſe ante omnia, tanquam initia contraria, nempe Ens & Nihil, hinc nonnemo ſcribit (Lubinus ſc.) ſi quis ex me quærat, quis malum fecit? verè reſpondebo, Malum NIHIL fecit. Si quis quærat, quid malum ſit? rectè reſpondebo, Malum NIHIL eſt. Si rationem poſtules, dabo, quia, ut apud omnes conſtat, ex nihilo nihil fit. Hæc ille Novator. *Pergit* Grauerus: reſponſio (Lubini) quidem facilis, at etiam futilis, & ſacris literis contraria: ſequeretur hinc, mortem, adulterium, furtum, homicidium, mendacium, &c. quæ mala ſunt, à Nihilo eſſe, quod abſurdum. Allata ratio nullius eſt momenti. Malum enim non eſt Nihil negativum; ideòque non ſequitur, quòd ſit à nihilo negativo. *Addit*: ſi dixerint, ſe hoc velle, ideò rem aliquam fieri malam, quòd ex nihilo ſit creata; reſpondemus, falſum aſſumi, & elenchum cauſæ committi; Nam quòd res creatæ corrumpi poſſunt, id quidem inde, quòd non ſunt æternæ, ſed ex nihilo creatæ; verùm quòd actu corrumpuntur & malæ fiunt, hoc inde non provenit; Aliàs & Angeli boni peccaſſent, & malum in illis eſſet, quia ex nihilo ſunt creati &c. Hæc Albertus Grauerus, quæ citato loco prolixiùs deducuntur, à pag. 235. uſque 246. & juvabit ejuſdem conferre quæſtionem præcedentem ſecundam, de *Malo* & *Nihilo* pag. 226. ſeqq.

Juſtus Natolius (neſcio quid virorum) in libro de fide hominis, qui in Mundo rectè vivere velit, Lugduni excuſo an. 1605. inter alia docet: *Peccatum contra conſcientiam non eſſe, ſi quis veritatem diſſimulet in rebus fidei, præſertim vitæ periculò impendente.* Verba textûs ita ſe habent: ſanè judico, *ait*, poſſe quempiam, ſi renunciare nolit religioni ſuæ, nihilominùs cum adverſariis converſari, &

qui-

„quidem familiariter, eorum templa intrare, concionibus intereſſe, „iisdemque uti ceremoniis, & ita ſe ſimulare, ac ſi ab eorum ſta„ret partibus. Nam *ceremoniarum uſus non facit alienationem à fide*, „cùm ipſæ ceremoniæ mutationem quidem externam religioni poſ„ſint inducere, fidem tamen mutare nequeant. Scandalum, „*addit*, hoc modo evitari poteſt, à quo ſeriò nos dehortatur Salva„tor. Ac tandem periculum, in quod facilè quis poſſet incurre„re, ſi iſtis ceremoniis accommodare ſe nolit, ſed illas contemnere „vel irridere, hoc pacto effugere poteſt &c. Hæc Natolius; de quibus judicium penes lectorem eſto. Videatur interim Daniel Claſen de religione politica, pag. 112. ſeqq pl.

Multa ſub idem tempus blateravit *Jacobus Outermann*, Anabaptiſta Harlemenſis in Hollandia Boreali, de *tribus in DEO eſſentiis divinis*, & *eſſentiæ Patris in cœlo circumſcriptione*; Hinc ſynodus Alcmariana, aliæque Belgarum fœderatorum, ſeriò monuerunt, operæ pretium eſſe, quà politicè, quà Eccleſiaſticè providere, ne ſub Anabaptiſtarum nominibus latenter Socinianiſmus irrepat; Cùm Anabaptiſta indoctus, multam partem ſit Socinianus; & Socinianus, Anabaptiſta doctus. Hornbek. in ſum. controverſ. 368. 371.

Ægrè ferebat anno 1605. in obſeſſa Cacodæmon (referente Seilero in Dæmonomania, anno 1674. recusâ) has facultates, nempe, *multipræſentiam Angelorum*, & *operationem in remotiora*, *mentem ex cogitatione*, ſibi denegari. „Sed ingratus eſſet, niſi „applauderet *Carteſianis*, tàm amplum ipſi ſpolium vendicantibus; „præſertim cùm abſque moleſtia, ſola ſcilicet cogitatione, ex ipſo„rum Liberalitate talia præſtare queat. Valent. Alberti refutat. Carteſianiſmi & Coccejaniſmi, cap. 2. §. 5. ſcrutinio relig. Hieron. Krom. annex. inquit.

LIB. I. CAP. XXXIII.

Summaria.

Arminius, in Academia Leidenſi Profeſſor novaturiens, Calviniana dogmata ſugillare incipit.

Ad annuam Synodum eapropter Claſſis Dordracenſis gravamina mittit; Roterdamenſis inquiſitionem aliquam inſtituit.

Palatinorum fidelis Admonitio, de ineunda fraternitate L. & C. Wirtembergicorum Admonitione neceſſaria, compenſationem laboris accipit.

Agobardi tractatus de picturis & imaginibus, lucem aſpicit Pariſiis, commendatus à Riveto, quo fine?

Prodit etiam Bornaſcii Amphitheatrum honoris: Marianæ item Inſtitutio regis: Catechiſmus Raccovienſis minor: Origenes contra Celſum.

CUm jam per annum unum atque alterum *Arminius* in profeſſione Leidenſi verſatus eſſet, pleraque eum in Calviniano-Reformatis Eccleſiis recepta dogmata publicè privatimque ſugillare, in dubium vocare, ac diſcipulis reddere ſuſpecta, deprehenſum eſt. Paſtores nonnulli, qui familiariter ipſo utebantur, ſe novam prorſus Theologiam habere gloriabantur. Studioſi etiam, domum ex Academia reverſi, aut ad alias Univerſitates dilapſi, diſputando, contradicendo, doctrinamque vellicando, patriis inſultabant Eccleſiis. Hæc & alia dum animadvertebantur, ii, quibus communis cura Religionis commiſſa, de toto negotio penitiùs inquirendum duxerunt, quò in ſynodis proximis maturè diſpici poſſet, ne in magnam rerum ſuarum perniciem ac perturbationem erumperet. Hac de cauſa Eccleſiarum, tùm Auſtralis tum Borealis Hollandiæ *Deputati Arminium accedebant*, exponentes ei rumores, qui de ipſo ipſiusque doctrina ſpargerentur, & rogantes amicè, ut, ſi quid fortè in receptis dogmatibus deſideraret, id ſincerè fratribus exponeret; quò aut ipſi per amicam collationem ſatisfieri, aut res tota legitimè deferri poſſet ad Synodum. Quibus reſpondit, ſe nunquam rumoribus illis juſtam præbuiſſe cauſam; nec ſibi conſultum videri cum iisdem, tanquam deputatis, qui hac de re ad ſynodum eſſent relaturi omnia, collationem inſtituere. Hanc perſonam ſi deponere vellent, non defugere ſe cum ipſis, ut privatis paſtoribus, de doctrina conferre; ea lege, ut ſi fortè inter ipſos minùs conveniret, nihil hac de re ad ſynodos referrent. Quod cùm deputati judicarent iniquum, & Eccleſiis ejuſmodi collatione ſollicitudo eximi non poſſet, re infectâ diſceſſerunt. Neque tamen minùs ex reliquis Profeſſoribus intelligebant, varias de Prædeſtinatione, libero arbitrio, perſeverantia ſanctorum, aliiſque doctrinæ capitibus, quæſtiones inter Theologiæ ſtudioſos agitari ſeriò, quales ante Arminii adventum agitatæ non fuiſſent. *Monitus* quoque *Arminius ab Eccleſia Leidenſi*, cujus membrum erat, eodem ferè modo, quo à deputatis, at ſine ſucceſſu. præfat. ad Eccleſ. ſynodi Dordrac. lit. b. 2.

Inſta-

Inſtabat jam tempus, quo *annuæ* Eccleſiarum utriusque Hollandiæ celebrari ſolent *Synodi*, cùmque pro more à ſingulis Claſſibus *gravamina* mitterentur, à *Dordracena* hoc inſinuatum: „ Quandoquidem rumores audiuntur, in Academia & Eccleſia Leidenſi „ controverſias quasdam circa doctrinam exortas eſſe; cenſuit Claſſis neceſſarium, ut de mediis, quibus iſtæ componantur, Synodus deliberet, quò ſchiſmata & offendicula, quæ hinc oriri posſent, amoveantur tempeſtivè, unioque Eccleſiarum conſervetur, „ contra adverſariorum calumnias. Tulit hoc ægerrimè Arminius, ſummâque ope adniſus fuit, ut gravamen revocaretur; quod cùm obtinere non poſſet, Curatorum Academiæ operâ teſtimonium obtinuit, quò declarabatur, plura quidem inter Studioſos diſputari, quàm ipſis gratum eſſet, inter Profeſſores autem Theol. quantum ipſis conſtaret, nullam eſſe in fundamentis diſſenſionem. Paulò pòſt *congregata Roterodami Synodus*, quæ cùm ex delegatis Dordracenæ Claſſis multas graveſque rationes intellexiſſet, ob quas gravamen ab eadem transmiſſum eſſet, ſimulque è Synodi Deputatis, quomodò ſe res in Academia Leidenſi haberent, quidque cum Arminio & reliquis Profeſſoribus ibi actum; Deputatis injunxit, ut quibus de Articulis inter Studioſos Leidenſes potiſſimùm diſceptaretur, diligentiſſimè inquirerent; Mandavit etiam Paſtoribus, ut conſenſûs doctrinalis teſtandi causâ, fœderatarum provinciarum Confeſſioni & Catecheſi ſubſcriberent. Sed Curatores Academiæ, ad quæſtiones exhibitas, de quibus Theologi ſe declarare deberent, reſponderunt, aliquam *Synodi Nationalis* brevi obtinendæ *ſpem* affulgere, ideò conſultius videri, ad eandem quæſita reſervare, quàm ulteriori eorundem inquiſitione diſſidio anſam præbere. Paſtores autem Arminii ſententiam de nonnullis articulis amplexi, paſſim in Claſſibus recuſabant, mandato Synodi, de ſubſcriptione Confeſſionis & Catecheſeos, morem gerere. Synod. Dordracen. præfat. b. 3. Bertius in orat. de vita & obitu Arminii, hujus præfixa diſputationibus.

Scriptis inter Theologos Heidelberga-Palatinos, Calvini, & *Wirtembergicos* Lutheri, dogmata ſequentes, diu reciprocatis hoc ſeculo, initium dedit annus ſupra milleſimum & ſexcenteſimum quintus; quo primùm à Palatinis libellus, facta inſcriptione *Fidelis Admonitionis*, emiſſus fuit in publicum, eò collimans, quia inter Evangelicos A. C. & Calviniſequas, de articulis fidei & religionis Chriſtianæ jam ſatis diſputatum ſit, & utrinque conſenſus in fundamenta-

libus (uno tantùm excepto articulo, & quidem non toto, de S. C.) appareat; hinc meritò ſepoſita omni ſimultate ac diffidentia, ſinceram ab his & illis fraternitatem ineundam, & confirmandam eſſe; ob cauſas finales inſimul annexas, additaque media, quibus attingi poſſet ſcopus, facillima. Sed quoniam falſa hypotheſi nitebantur omnia, & collineatione periculoſa; Wittembergici libellum, *Admonitione neceſſaria* compenſarunt. Quicquid regerebatur, Examine anno 1608. Examinis continuatione anno 1609. promotione an. 1610. Concluſione an. 1611. Triumpho & trophæo an. 1615. 1617. & 1618. maſculè convellebant. vid. Dutzet Calviniſcher Schein-Zeichen/ Vorred. lit. B. & ſeqq. Conſil. Witteberg. 525. Micræl. c. 448.

Eodem tempore *Agobardus, Lugdunenſis Epiſcopus,* Tractatum *de picturis & imaginibus,* vel ſub ejus nomine Pariſiis *Dionyſius Du Val,* ex Bibliotheca *Papyrii Maſſonii,* edidit. Hunc librum egregiè commendat Andreas Rivetus, quippe „ ex quo adverſarii (Iconoclaſias Calvinianæ) poſſint videre, quantum Idololatriæ hujus in „ Nicæno ſub Irene Conciliabulo confirmatio, doctis boniſque in „ Gallia Epiſcopis diſplicuerit, & quàm ſanctè tùm Scripturæ, tum „ Veterum Patrum autoritatibus refutata fuerit. Alibi, pergit, e„ jus Compendium ex Maſſone ſe dediſſe, ex quo perſpicere qui„ libet poſſit, Gallicarum Eccleſiarum ante octo ſecula eandem in „ hac materia cum fide Calvinianorum fuiſſe. Cathol. Orthodox. Jeſuitæ Bailio in Epit. Controverſ. ſeu Catechiſmo oppoſ. Tract. 2. quæſt. 34. pag. 536.

Clarus Bonarſcius (*Carolus Scribanius*) anno 1605. *Amphitheatrum Honoris,* ita dictum, Palæopoli, ut inſcriptio habet, emiſit in lucem publicam, ubi libr. 3. cap. 8. precatione ad Mariam Hallenſem, & puerum JESUM inſtituta, Mater & filius ita invicem ſuccedunt:

Hæreo lac inter meditans, interque cruorem;
　Inter delicias uberis, & lateris.
Et dico (ſi fortè oculos ſuper ubera tendo)
　Diva parens, mammæ gaudia poſco tuæ.
Sed dico (ſi deinde oculos in vulnera verto)
　O Jeſu, lateris gaudia malo tui.
Rem ſcio; prenſabo ſi fas erit, ubera dextrâ;
　Læva prenſabo vulnera, ſi dabitur.

Lac

Lac Matris miſcere volo cum ſaugnine Nati;
Non poſſum Antidoto nobiliore frui.

Utriusque deinde Antidoti efficaciam in pellendis animi morbis, peccato, ira, odio, ambitione &c. deſcribit, & votum repetit:

O ſitio tamen! ô vocem ſitis intercludit,
Nate, cruore ſitim comprime, lacte parens.
Dic Matri: meus hic frater ſitit, optima mater,
Vis de fonte tuo promere, deque meo?
Dic Nato: Tuus hic frater, mi mellee fili,
Captivus monſtrat vincula, lytron habes.
Ergo Redemptorem monſtra Te jure vocari,
Nobilior reliquis ſi Tibi ſanguis ineſt.
Tuque parens monſtra, matrem Te jure vocari;
Ubera ſi reliquis divitiora geris.
O quando lactabor ab ubere, vulnere paſcar,
Deliciisque fruar, Mamma, latusque, tuis!

Vid. Georg. Zeæman. in reſponſ. ad artic. captivo ipſi objectos pag. 74. Hülſeman. in Manual. Aug. Conf. pag. 967. ſeq. ubi poſterior addit, protervam hanc impietatem, cæteros Jeſuitas Germanos, vel monitos, adeò non correxiſſe, ut Conzenius, & Sandæus, eam ceu inſignem pietatem dilaudent. Confer. & Cathol. orthodox. Riveti, Tom. 1. 715.

Silendo vix præterire licet *Marianæ* librum *de Inſtitutione Regis*, imò pietate & fide erga ſupremos Magiſtratus, tenemur ejus mentionem facere, ſaltem ob id, quod lib. 1. cap. 6. 7. 8. contendit operosè, „ Jus fasque ſubditis eſſe, Reges Principesque, quibus viri „ graves hæreſeos crimen impegerint, quavis ratione è medio tol- „ lere. Præſcribit ibidem, quomodò venenum ſit conficiendum, quomodoque veſtibus, chirothecis, gladio, capulis, aut etiam ephippiis illinendum, ut non minùs præſens exitium ſequatur, quàm ſi ferro urgerentur. vid. Confeſſ. Cathol. Gerhard. Tom. 1. pag. 871. pl. & confer an. 1610.

Poſt mortem Socini, de quo anno 1604. prodiit accurante Smalzio, *Catechiſmus Raccovienſis minor*, compendium Socinianæ hæreſeos peſtilentiſſimum. Grawer. in Cent. quæſtion. illuſtr. prim. pag. 150. Nicolaus Arnoldus Theol. Profeſſ. in Academia Franekerana, in præfatione Refutationis Catechiſmi Majoris Raccoviani ** mentionem facit Catecheſeos, à Smalzio è Socini ſcriptis compila-

tæ,

tæ, & Raccoviæ anno 1606. linguâ Polonicâ typis evulgatæ. Id verò de Minori, an Majori Arnoldus intelligat, nos non ſatis capimus, de aliis editionibus, alibi *v. Θ.* dicturi ſumus.

Libri Origenis contra Celſum, Chriſti & Chriſtianorum hoſtem, acerrimum & virulentiſſimum, Auguſtæ Vindel. typis iterum excuſi anno 1605. Müller. Hamburgenſis, in præfat. Atheiſmi devicti)( )(2. Monſtrum illud hominis philoſophico diabolicum, ſuo dum viveret ævo fœtum extruſit fœtidiſſimum, ſub fucato hoc titulo, Sermo de veritate; librum intelligo, turpiſſimis mendaciis & calumniis adverſus Chriſtum Theanthropon refertiſſimum, quaſi hic ſua miracula Cacodæmonis ope patraſſet omnia; Ejus autem diſcipuli tàm in cultu religionis, quàm in reliquis vitæ actionibus, quales & quanti ſint, Magi ſint. Hujusmodi criminationes diabolicas, juſto zelo prædictus Origenes Adamantius, & felici opera, repreſſit. Atheiſm. devict, pag. 16.

LIB. I. CAP. XXXIV.

Summaria.

Urbis Brunſvicenſis, per Henricum Julium obſidio. Et Hiſpanorum in ditionem Clivenſem, atque Colonienſem, irruptio.

Pax Hiſpano-Anglica, contra Eliſabethæ Reginæ principia & Rationem Status, inita.

Conjuratio pulveraria, contra Regem Britanniæ, totamque ejus familiam, & omnes regni Proceres.

Acta Demetriano-Moſcowitica, in compendio exhibita.

Riga Livoniæ, à Suecis tentata: Neohuſium à Botskajo ſubactum: à Turcis verò Strigonium.

Mors Georgii, Comitis Erpacenſis: Ruswurmii ſupplicium.

HEnrico Julio, Duci Brunſwicenſi, cum urbe *Brunſwico* lis interceſſit, quam repentina irruptione, occupata jam portâ intercipere tentavit iſte; cùm verò conſilium eventus, rejecto à porta milite, deſtituiſſet, eam *obſidione* cinxit; ſed etiamſi Okkari fluvii, aggere facto, coërcitione & inde ſecuta regurgitatione ac inundatione, pilisque ignivomis (ſusque deque habito Cæſaris mandato avocatorio) non parum damni dederit urbi; aggeribus tamen ruptis, & auxiliis *Anſeaticarum Civitatum*, quæ in provincia hoſtiliter ſe geſſerunt, adventantibus, obſidionem ſolvere coactus, & ab Imperatore

tore utrique parti pax imperata eſt. Spener. Syll. Geneal. 171. Cluver. Epit. hiſt. 760.

Hiſpani verò *Ducatum Clivenſem* infeſtarunt, occupataque Coloniâ Trajana (Kayſerswerth) & accepta pro felici ſucceſſu Benedictione Papali, moverunt in *agrum Colonienſem*, ibi quoque miſeriis & calamitatibus implentes omnia, quin etiam ſecuturis majoribus, non multis pòſt annis, præludentes, quas vel *ſigno deſuper dato* haud obſcurè prænuntiatas, prudentiores facilè poterant colligere. Pro certo enim relatum eſt, quo tempore Spinola cum Hiſpanis Rhenum trajecit, ad Rhinbergam *tempeſtatem* extitiſſe talem, qualem vix meminiſſe hominum quisquam potuerit. Ventorum & procellarum primo ingentium vi, obvia quæque proſternebantur; Mox *grando* ſequebatur terribilis admodum & noxia, magnitudine ſua gallinarum ova ſuperans, formâ verò terrorem aſpicientibus haud exiguum incutiens; in multos enim aculeos faſtigiata, internecionem quaſi oculo inter aculeos abdito intuentibus minabatur, tantoque impetu in terram ferebatur, ut non modò feneſtras in urbe illæſas nullas relinqueret, ſed & navibus damni plurimum inferret. Merc. Gallo-Belg. Tom. 5. lib. 3.

Intereà *pax Hiſpano-Anglica* coiit, ſed nullo, ſecundum politicos, regni Britannici commodo: „ *Principia*, inquit Hornius, *Eliſa-* „ *bethæ* Reginæ *duo* fuére; nimirum perpetuò defendere partem Pro- „ teſtantium contra Pontificios, Et, Hiſpanorum potentiam, qui- „ buscunque poſſet modis debilitare ac frangere; Hinc Francis, „ Belgis, Luſitanis, contra Hiſpanos perpetua tulit auxilia. Hæc „ duo principia, pergit, ſtatim funditus *evertit Jacobus I.* pace facta „ cum Hiſpano, & Proteſtantibus calamo quidem, quod etiam pri- „ vati poſſunt, ſed non gladio defenſis. Hinc paulatim corruptio „ in aula, & ipſa Anglorum gens, per ſe bellicoſa, deſuetudine ar- „ morum res novas cupere & affectare cœpit, ac deinceps fumare „ Anglia ſub hoc Rege, ſub filio erumpere flamma. Georg. Horn. Orb. Imper. pag. 338. Lundorp. 3. 581.

Anno 1605. menſe Novembri patefacta eſt *Conjuratio* peſſimorum Nebulonum, cum immanitate & furore Cerbereo conjunctiſſima, quam è re *pulverariam* vocant, ſuſcepta contra Regem Angliæ, Reginam, ſobolem Regiam, & omnes regni ordines, in Comitiis Londinenſibus, clam ſuppoſitâ pulveris tormentarii copiâ, uno ictu tollendos. *Formula juramenti conjuratorum* hæc fuiſſe dicitur:

„ Jurabis per SS. Trinitatem & per id, quod jam ſuſcepturus es, Sa-
„ cramentum, nunquam vel directè vel indirectè verbis aut cir-
„ cumſtantiis rem ipſam revelare, quæ tuæ commendanda fidei,
„ nec ab executione hujus deſiſtere, donec reliqui veniam tibi concedant. Garnetti autem, Lojolitarum ibi locorum provincialis, & ſociorum Oldcorni, Grenvelli, Gerardi, aliorumque ſpiritu & afflatu animatum, ut accepimus, illud ſulphur ac nitrum, quibus ex ſufflatis, auguſtale à fundamentis verſum, ac primores totius Nationis, nulla variantium religionum habita ratione, uno momento, unoque impetu, immanitate poſt homines natos inaudita, in aërem projecti, membratim deartuati, fruſtillatim diſcerpti fuiſſent, niſi providentia DEI ſingularis, tot auguſta capita ſaluti Britanniæ ſervata voluiſſet. Strateman. Theatr. hiſtor. 1104. Georg. Calixt. orat. I. de Pontifice Romano, & Pontificia Religione rebuspublicis adverſa, pag. 37 ſeq.

Nec ſilentio involvenda *Demetrii Moſcovitici* acta. Longa eſt hiſtoria, longæ ambages, huc ſumma redit: Quidam Impoſtor à Jeſuitis Polonicis ſubornatus & inſtructus, fingebat ſe eſſe Demetrium, Johannis Baſilidis filium; qui Demetrius in Infantia dudum erat occiſus. Tanto artificio hæc fabula fuit peracta, ut fraudator anno hoc ipſo Ruſſorum Zarius (Magnus Moſcoviæ Dux) fuerit creatus & proclamatus, copiis quidem Polonorum adjutus, & filia Palatini Sendomirienſis in uxorem ductâ; ſed cùm Demetrius à Moſchorum conſuetis moribus, & à religione Græca, quam illi profitentur, ſe alienum oſtenderet, fraude prehenſa, impetuque plebis in aulam facto, Scenicus Dux multis vulneribus confoſſus, omnibusque ludibriis proſciſſus interiit. Horn. orb. polit. 58. 432. Apprimè verò notari meretur, quod Jacobus Auguſtus Thuanus habet, lib. hiſtor. 135. „ Demetrius, inquiens, ante prælium, quo pu-
„ gnavit pro obtinendo Moſcoviæ regno, ita Deum expanſis ma-
„ nibus & oculis in cœlum erectis, compellaſſe fertur: Me, judex
„ juſtiſſime, priùs per fulmina perime, me primùm dele, Chriſtiano
„ huic (militum) ſanguini parce, ſi injuſtè, ſi avarè, ſi impiè, hoc,
„ quod vides, molior; Tu vides innocentiam meam, juſtam cauſam
„ adjuva; Tibi me, cœlorum Regina (Maria) & meum hunc mili-
„ tem commendo. Quæ ſi verè referuntur, pergit Autor, nec verè
„ Demetrius ille fuit; oportet eum aut præſtigiatorem gnaviter im-
„ pudentem fuiſſe, qui cùm ſciret, quæ diceret, vera non eſſe, tanta

vultus

„ vultus conſtantia mentiebatur; aut ſi malè perſuaſus eum ſe cre-
„ debat, qui non erat, profectò fortuna, ut aliis imponeret, inſigni
„ primùm læti ſucceſſus, mox triſtis ac adeò tragici exitus exem-
„ plo, mirè ipſi impoſuit. Hæc Thuanus, pag. m. 1094.

Sueciæ Rex Carolus, ante-hàc Sudermaniæ Dux, *Rigam* totius Livoniæ primariam urbem fruſtrà tentavit, & accepta clade per Polonos, obſidionem ſolvit inglorius. *Neohuſium* verò in Hungaria *Botskaius* vergente ad finem anno ſuæ poteſtati ſubjecit, & magnam Daciæ partem; admonitus tamen de pace, conditiones non admodùm difficiles propoſuit. *Strigonium*, in manus *Turcarum* eodem anno & menſe rediit. Lundorpius, Turſellinus, & Calviſius.

Fatis conceſſit *Georgius, Comes Erpacenſis*, Eberhardi filius, ad quem circa finem ſeculi ſuperioris unicè ditio redacta fuit: Unicum relinquens natum, ſtemmatis propagatorem, Georgium Albertum; qui poſteà jurium ſuorum communione, per iniquitates bellicas, privatus, Inſtrumenti pacis Weſtphalicæ adjutu, reſtitutus. Burgoldenſ. Inſtr. Pac. A. 511. in f. 4. Imhof. Notit. Procer. 1316.

Chriſtophorus Ruswurmius, Imperatoris Rudolphi Dux bellicus, aliàs celebris, *capite plexus* eſt Pragæ, quia Joh. Jac. Belgioſæ, Comitis Italici, fratrem Franciſcum, decem vulneribus confoſſum & glande plumbea in brachio percuſſum occiderat in via publica. Hoc de caſu Epigrammata communicare placet ſeqq.

A.

Perfidus in Chriſtum, Domino perjurus, adulter,
    Turpis amans cædis, ſanguinolentus homo;
Hac, gladii pœnâ plexus Ruswurmius, urnâ
    Clauditur; exemplum ſume homicida Tibi!

B.

Diſcite fortunam revereri, quotquot in aulis
    Ex humili magnos cernimus ire gradu.
Eſte pii, memores recti juſtique; cavete,
    Si ſapitis, ne vos devius error agat.
Lenta Dei pœna eſt, ſed cùm Deus ardet in iras,
    Heu mihi, quàm ſubitò vindicis arma gerit.

Conferantur Arthus & Lundorpius.

LIB. I. CAP. XXXV.

Summaria.

Sporta puellæ ruſticanæ, ab incognito viro pro lignis, argento impleta.

Inſolens partus, Pariſiis editus: Montedoglius, Haſenreſſero imponens Comes erraticus.

Boriſius, Moſcoviæ Dux, à Demetrio interemptus.

Aldrovandus naturæ concedens, atque judicium de ejus hiſtoria animalium.

Syndicus Noribergenſis, ob inceſtum capite plexus.

ANno 1605. ineunte Februario in Ducatu Brunſvicenſi, pago N. non procul à Quedlinburgo, *pauperis ruſtici filia* (duabus inſtructa ſportis, majore quidem impoſita capiti, minore verò à brachio ſuſpenſa) in ſylvam abiit lignorum aliquid allatura. Utramque ergò cùm impleſſet, ac domum reportare vellet, obvium habuit ſtaturæ mediocris virum, candidaque indutum veſte, ut ligna ocyùs abjiceret, ipſumque ſequeretur, acceptura, quod meliori eſſet, emolumento, monentem, imò ducentem ad proximum collem argenteis monetis fœcundum. Ibi cùm puella metu perculſa in lacrymas continuò ſolveretur, vir ille aſſumpta ſporta manuali, argentô implevit eam, utque ferretur domum, juſſit; alteram completurus quoque, niſi & lignorum aliquid pro calefaciendo hypocauſto portatrix retinere maluiſſet; Sic ergò dimiſſa ruſtici filia domum rediit, remque, ut geſta, enarravit omnem. Inde verò ſtatim per totum pagum diffuſus rumor, cæteros commovit incolas, ut ligonibus & aliis inſtrumentis, armati magis quàm inſtructi, *theſaurum* per univerſam quaſi ſylvam quærerent, ſed fruſtrà, nulloque ullibi ejus veſtigio apparente. Lundorp. hiſt. 569.

Lutetiæ in paræcia Severini, *Dionyſia Corduna*, plebeja fœmina, Piſcatoris Conjunx, gemellas fœminas, infrà umbilicum cohærentes enixa eſt, ſed mortuas. Utrâque diſſecta invenerunt Medici & Chirurgi unum geminis jecur, at ſingulis alvus & venter, ſplen, pulmo, ac inteſtina fuere diſcreta; duabus tamen cor unum, latiùs quidem, quàm quod natura uni eſſe voluit, ex quo venæ duæ, animam utrique uno quaſi infundibulo copulatim inſtillabant. *Inſolens* iſte *partus* non ex obtutu in tabulam pictam, vel ad aliud objectum conceptis ideis contigit, ſed natura indignante, ut Rudolphus

phus Boterius inſit. Imò divinæ ultioni veriùs adſcribendum, quæ ſic iram ſuam in mortales teſtari ſolet. Neque hoc novum eſt, Conrado Lycoſthene id pluribus exemplis edocente, eorumque icones exhibente. Idem Lundorpius, confer. Wolf. T. 2. 510.

Tubingam verò tunc temporis *erraticus Comes* venit, qui ſe dicebat, aut forſitan in Illuſtris familiæ Italicæ injuriam mentiebatur, *Alphonſum de Montedoglio*. Vectus ciſiô ad ædes Magni Theologi *Hafenrefferi*, cùm priùs repulſam alibi paſſus eſſet, divertebat, & jura hoſpitii poſtulabat, cauſſatus in publica taberna hominem illuſtri loco natum, qualis ipſe ſit, atque ob religionem domo profugum, patriâ extorrem, ampliſſimis opibus exutum, in communi hominum hinc inde diſcurrentium turba, non ſatis tutum eſſe, nec Theologorum commercio, quos ipſe quæreret inprimis, commodè frui poſſe. Quid faceret Hafenrefferus? Non poterat is non admittere & honorificê excipere eum, qui tot ac tantis titulis excitabat charitatem illius Theologi, quo nemo hactenus charitatem plus coluerat, nemo tot luculentis exornarat exemplis. At quàm inſolenter ſe geſſerit peregrinus hoſpes, quàmque turpiter optimo impoſuerit Evergetæ, Lanſius in Mantiſſa Conſult. p. m. 568. usque ad 575. ſcitè recenſet.

Hoc anno *Boriſius Gudenovius, Moſcoviæ Magnus Dux*, Jun. 10. juſſu perſonati Demetrii, in conclavi proprio interemptus eſt. Illius tempore confecta eſſe dicitur admirandæ Magnitudinis *campana*, in palatio Regentis Moſcoviæ, ſuſpenſa, cui pulſandæ adhibendi ſint vel viginti quatuor viri præ aliis robuſti. Opus æreum, forma & pondere longè majus Erffurtenſi, tota Germania, extraque hanc famigerabili. Fertur tamen in aula Pekingenſi, novem eſſe campanas, & hanc, & illam ſuperantes. Olearius in der Moſcow. und Perſian. Reyß-Beſchreib. lib. 3. Franciſci Schaubühne part. 3. pag. 1748.

Naturalem ſubiit mortem *Ulyſſes Aldrovandus*, Bononienſis, Philoſophus & Medicus inſignis. Multa ſcripſit, præſertim *hiſtoriam animalium* vaſtis voluminibus. Hofm. Lex. B. 557. Sed Rolandi Mareſii de illis judicium hoc eſt: „ Liberè dicam, Plinii paucos de a„ nimalibus libros pluris fecerim, quàm iſtorum (ſcil. Aldrovandi & „ Geſneri) de iisdem infinitos. Plinius enim omnia egregio com„ plexus eſt ordine, & ſingula in ſuas Claſſes diſtribuit; quæ verò

„ ex aliis decerpſit, digeſta, & ſtylo quaſi concocta, ſua quodam-
„ modò fecit. Roland. Mareſ. epiſtolar. pag. 370.

Sed *Nicolaus Gilger*, Syndicus Noribergenſis, natione Belga, inſignis ſtaturæ, magnæ autoritatis, ac profundæ eruditionis vir, ob inceſtum cum ſorore uxoris commiſſum, perjuria item, flagitiaque alia quam plurima, decembr. 23. in ſella panno nigro obducta, ſedens, *capite multatus* eſt, *quinquaginta millium florenorum pecunia poſt ſe relicta*, refer. Schadæo, & Arth. in Mercur.

LIB. I. CAP. XXXVI.

Summaria.

Francofurtenſis Judæi ad Chriſtianiſmum converſio.

Omnis honoratioris comitatus, in ſepeliendis Lutheranis prohibitio, Coloniæ

Actio Gedanenſis, inter Fabricium Calviniſtam, & Coletum Lutheranum.

Status Religionis proteſtantium Thorunii, Poſnaniæ, Cracoviæ, triſtis atque turbulentus.

In Hungaria verò, poſt varios motus, nunc melior; fruſtra obnitente Melchiore Cleſelio, Archipræſule Viennenſi.

F*Rancofurti* quidam *Judæus* Chriſtianorum communioni ſe aſſociat, cum tribus liberis, in teſtimonium ſuſcepto S. Baptiſmatis lavacro; Uxori autem, ut Judæorum impietati valediceret, perſuadecro non potuit. Arth. in Merc.

Coloniæ Agrippinæ, ad Rhenum, hactenus *Proteſtantibus* licuit, ſuis demortuis exequias facere, viginti perſonarum è domeſticis fidei ſuæ comitatu; jam verò interdicitur ipſis à Pontificio Magiſtratu omnis comitatus honoratior, conceſſis tantùm veſpillonibus, qui exanimatos efferrent, eosque matri terræ mandarent. Schad.

Gedanenſibus verò Lutheranis, aliiſque vicinis cœtibus orthodoxis in Boruſſia & Polonia, t. t. multas dedit offenſas ac moleſtias, *Fabricius* quidam, Gymnaſii Rector; ſummo in id ſtudio contendens, ut ſimplicioribus imponeret, iiſque dogmata Calviniana tum ore tùm calamo perſvaderet. Nec voto forſan excidiſſet ſuo, niſi larvam ei *Michael Coletus*, Eccleſiaſtes Dantiſcanus, in tempore detraxiſſet, peſſimamque hominis intentionem ſufflaminaſſet. Wittebergenſium Theologorum Cenſuram de utroque Fabricio & Coleto, exhibebimus infra ex Conſil. Witt. A.

Tho-

Thornii (Urbs eſt Anſeatica Boruſſiæ Regiæ, ad viſtulam, celebris, in tractu Culmigeria) Scholam ac templum *Lojolitæ* ſibi vendicare audebant, ſed conſilio & prudentia ſenatûs effectum, ut ſpes hac vice fruſtraretur audaculos, urbe tamen haud pulſos. Hic loci natus fuiſſe dicitur *Nicolaus Copernicus*, Mathematicus, Philoſophus & Medicus famigeratiſſimus. Calviſ. 960. Hofm. Lex B. 458. 481. Inprimis aucta celebritas Urbis, per ſynodum Evangelicorum è Poloniæ tùm Auguſtanæ, tum Bohemicæ & Helveticæ Confeſs. addictorum, ſub Sigiſmundo tertio; & per Colloquium Charitativum, ſub Uladislao quarto habitum Inſtituta fuit illa, ſeculi ſuperioris anno 1595. hoc autem anno 1645. expeditum. Oſiander, Centur. XVI. pag. 1115. Stratemann. Theatr. hiſtor. 1140.

Poſnaniæ (zu Poſen) trecenti ferè *Jeſuitarum diſcipuli*, priùs inita cum aliis conſpiratione, ſub veſperam 13. Martii, *templum Auguſtanam Confeſſionem profitentium adorti ſunt*, & ſumma vi perfractis foribus, atque ſubſelliis congeſtis, *incendium* excitarunt, quo totum illud ædificium brevi tempore in cineres verſum eſt, ita nempè furentibus ac tumultuantibus iſtis Prophetarum filiis, ut extinguendo incendio cives operam dare non auderent. Ferventibus hiſce turbis quidam irruebant in Noſocomium, ægrotos expellebant, ſcamna, fornaces, menſas, aliaque obvia comminuebant, malè affectorum ſuppellectilem per plateas diſpergebant, & ſummatim ita ſe gerebant, ut nullum facinus tàm abominandum ipſis Cacodæmon ſuggerere videretur, quin ſtatim in actum illud producerent, perficerentque. Subverſa hac æde, in aperto campo convenire ad ſacra coacti ſunt Evangelici; cùmque nec ibi ſe ſatis tutos ab injuria fore, ex atrocibus minis colligerent, ſclopis haſtisque ſemper & gladiis armati, ad exercitia concionum proceſſerunt, interim rei ſerie, uti geſta fuerat, Varſaviam ad regni ordines delata. Cæterum Lojolitæ, ut ſe aliquo modo purgarent, miſſis ad Regem legatis, prætenderunt, ſe non potuiſſe diſcipulos in officio continere, qui zelo Catholicæ Religionis accenſi, templum iſtud omnibus modis dirutum voluerint; petieruntque, ut pro vitandis majoribus malis, inhibeatur ædium reſtauratio, periculum eſſe dicentes, ut, ſi reparentur, turbis majoribus occaſionem præbeant. Cluver. Epit. hiſt. p. m. 762. Mercur. Gall. Belg. Tom. 5. lib. 4. poſt. edit.

Nec minus *Cracoviæ*, in Evangelicorum ſacrorum publicam domum irruentes, diſturbâre parietes atque tecta, exuvias defunctorum

ctorum erutas canibus & ſuibus objecére, adeòque inauditam petulantiam exercuére, ut commoti hoc tumultu Nobiles, ad arcem confugerint, occupatamque eam præſidio militum firmarint, quò ſe contra turbas ejusmodi tuerentur. Nicolaus autem Zeberzidovius, & Janus Radzivilius, indictis Nobiliũ comitiis, fœdus pro libertate condiderunt, quorum ſequaces, populari lingua *Rackoſiani* & *comitiales*, appellati ſunt. Ex iidem autoribus & Lundorpio ad hunc. an.

Sed in *Hungaria*, cùm eam ſatis diu ob religionem varii motus exercuiſſent, Botskajus vaſtatis Auſtria, Moraviaque & aliis provinciis; multis etiam locis probè munitis in ſuam poteſtatem redactis; pacem primò circa medium ſeptembris, a Matthia Rege impetravit, quæ deinceps Viennæ ab Imperatore Rudolpho confirmata, indeque *pacificatio Viennenſis* dicta eſt, cujus inſtrumenti primus & principalis articulus ita habuit: „ Quantum ad negotium religionis attinet, non obſtantibus pro tempore, prioribus conſtitutionibus publicis, nec articulo poſtremo anni 1604. (de Evangelicis cremandis & extirpandis, aut Regno ejiciendis) deliberatum eſt, ut teneatur juxta ſacræ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis priorem reſolutionem, ad quam ſe regnicolæ in ſua Replicatione referunt, nimirum quòd omnes ac ſinguli ſtatus & ordines intra ambitum ſolum exiſtentes, tàm Magnates Nobiles, quàm liberas Civitates & oppida privilegiata immediatè ad Coronam ſpectantia, item in confiniis quoque Regni milites Hungaros in ſua religione & confeſſione nuſquam ac nunquam turbabit, nec per alios turbari & impediri ſinet; verùm omnibus prædictis ſtatibus ac ordinibus liber religionis ipſorum uſus & exercitium permittetur; abſque tamen præjudicio Catholicæ Romanæ religionis, & ut Clerus, Templa, Eccleſiæque Catholicorum intacta & illibata permaneant, atque ea, quæ hoc diſturbiorum tempore utrinque occupata fuere, rurſum eisdem reſtituantur Dorſch. in Anticriſi Theol. Erneſt. de Euſeb. oppoſita, pag. 211. ſeq. Heidegger. in hiſt. papat. Num. CCCI. pag. 477 ſeq.

Multa quidem objecerat *Melchior Cleſelius*, Viennenſis Archiepiſcopus, in cenſura ad Matthiam Auſtriæ Archiducem directam, ut ſaluberrimum iſtius pacificationis opus, & libertatem Evangelicæ doctrinæ in Templis ac ſcholis docendæ ſufflaminaret. Sed *Polycarpus Lyſerus*, Saxonici Electoris t. t. Concionator aulicus, rogatu Hungarorum ita ſolidè refutavit Cleſelium, ut hic parum

pro-

profecerit; Conſequenter Hungari in propoſito Chriſtiano, Rex & Imperator autem in promiſſione juſtâ confirmati ſint; Quemadmodum in *duello Cleſeliano*, Lipſiæ anno 1608. impreſſo, videre eſt, fundamentaque utrinque in medium allata, breviter ac evidenter demonſtrant. Matth. Theatr. hiſtor. 1102. conferatur omninò D. Johannis Gerhardi Confeſſio Catholica, libro 1. generali, pag. 848. & Balth. Meisn. Philoſoph. ſobr. part. 3. pag. 401.

LIB. I. CAP. XXXVII.

Summaria.

Inſtitutas quadraginta horarum preces, ad extirpationem hæreticorum, Paulus quintus Romanenſes ſuos continuare jubet.

Inter papam Paulum V. & rempublicam Venetorum, ſupra jam notata controverſia armis agitari occipit.

Clerus Gallicanus, apud regem Concilii Tridentini promulgationem, toties petitam, denuo quidem urget, ſed fruſtra.

Nec Lojolitæ, ſolicitationibus ſuis, pro erigenda Sedani Academia, quidquam proficiunt.

Suſneus, Baſilidis filius, Habeſſiniæ Rex, pontificiam Religionem approbat, & præſuli Romano ſe ſubmittit.

Perſequutio Chriſtianorum in Japonia, fervide continuat; ſed qualis ibi Chriſtianiſmus, inter alia Dallæus edocet?

Obitus juſti Lipſii; cujus inconſtantia, quantum ad Religionem, notatur.

AD *extirpationem hæreticorum* (quos inter & Lutheranos numerare ſolent Romanenſes,) Clemens VIII. dum viveret, inſtituit 40. horarum alternatim & jugiter habendas orationes, in Eccleſiis piisque locis almæ Urbis, ad præſcriptam Eccleſiarum ac temporis diſtributionem, cum indulgentiarum conceſſione. Hujus inſtituti continuationem præcepit Paulus V. & poſt ipſum Gregorius XV. denuò confirmavit. Platin. continuat. pag. 507.

PAULUS magis magisque ſtomachatur ob *Venetos*, in cauſa de qua ſupra cap. XXX. eosque dicto audientes facere firmiter ſibi proponit. *Veneti* omnibus modis amicè rem componere ſtudent; rationes ſuas, etiam inſolita ſubmiſſione, exhibent; extraordinarium Legatum Romam mittunt, qui Papæ ſiniſtram de contemptu ipſius conceptam ſuſpicionem eximeret; Brevia Papæ, meris fulmi-

nibus referta, cum reverentia ſuſcipiunt; Ei ſe ſatisfacere paratiſſimos humiliter profitentur, dummodò id fiat absque Statûs communis læſione, quorumvis Principum, fundamentaliumque Reipublicæ Legum, quibus omnium ædificiorum in ſuis civitatibus extructorum accuratam notitiam habere teneantur, ne quid inde damni exurgat; Quod collationem bonorum concernat, illam citra ruinam virium Statûs admitti non poſſe, docent: Clericos verò pœnâ eximi, non tantùm ſuperioritati ipſorum, & poteſtati divinitùs indultæ repugnare, ſed & exemplô inter ſuos pernicioſiſſimum eſſe. *Papa* viciſſim regerit, leges eorum antiquæ ſint, an recentes, nil referre, in arbitrio ſuo poſitum, illas pro lubitu immutare; nolle ſe prolixos cum ipſis tractatus jam ſubire, ſed obedientiam requirere. Intereà *Ducis electionem* invalidam declarare molitur, eò quòd pendente hac lite confecta ſit; Papæ verò conatum prævidens Dux, electionem ſui ſolita cum reverentia notam facit. Utque Proceres Reipublicæ manifeſtam darent cauſæ ſuæ juſtitiam, non tantùm primariis Europæ JCtis, ſed & Regibus ac Principibus confœderatis eam exponunt, horumque reſponſa Papæ inſinuari curant. Sed omnia hæc ſine ullo fructu aut ſucceſſu. Nullum igitur locum reconciliationi reliquum videntes, bruto fulmine papali ſpreto, libertatis defenſionem tanta concordiâ ſuſcipiunt, ut ne unicum quidem votum in Senatu auditum fuerit contrarium; eaque unanimitate Pontifici ſpem illos diſtrahendi, à Jeſuitis factam, adimunt; Ita ſtringi *gladius*, armisque controverſia cœpit agitari fervidè. Papa videns, quid ſubiiſſet oneris, brevi mitiùs rem geſſit, additis haud obſcuris indiciis, velle ſe paciſci, dummodò id ſalva autoritate ſua fieri poſſet. Obſervata verò Venetorum conſtantiâ, armis non minùs cauſam ſeriò tuendi, Regesque ac Principes motui huic implicandi conſilium iniit; pleriſque arbitrorum ſumentibus partes, *Hiſpani* ſoli *Papæ patrocinium ſuſceperunt*; indirectè tamen, Turcas adverſus Venetos excitare conati, ut his dein auxilia Hiſpanorum implorantibus, neceſſum eſſet, propoſitas à Papa conditiones, ægrè licet, ſubſcribere; ſed ſpes ea decollavit. *Controverſiam* tandem *Galliæ Rex*, adhibita diligenti cura, *compoſuit*. Captivi Clerici, Legato Gallico apud Venetos ordinario traditi, Venetorum Statuta ſuo robori relicta; Papa verò interdictum (& fulmen excommunicatorium) absque ulla Venetorum ſubmiſſione, revocare compulſus eſt. Bellum intra tractatus conſtitit, ac Veneti ſolidam ex eo victoriam

re-

reportarunt; Lojolitis, quia Papæ adhæſerant contra Rempublicam, in perpetuum ex territorio Status præſcriptis. Rohan. Trutin. Staſ. Europ. part. 2. diſcurſ. 3. pl. Horn. orb. pol. 140.

Cùm anno 1606. à Clero Romano inter centum & ſex articulos *Galliæ* Regi oblatos, primo ſtatim capite ante omnia *Concilii Tridentini promulgatio* toties petita, totiesque ſive rejecta, ſive eluſa, denuò inſtantiùs *urgeretur*, disertè reſponſum fuit à Rege: „ Ob „ easdem, ob quas Anteceſſores ſui ſæpiùs interpellati eam diſtu„ liſſent, cauſas, ſe quoque prohiberi, quo minùs in illam conſen„ tiat; præcipua Concilii capita in Regias Conſtitutiones, ad Cleri „ petitionem, inſerta, præterea ſe per oratores ſuos anteà cum Cle„ mente VIII. ea de re ſedulò egiſſe, qui pium ac devotum ipſius „ affectum in religionem, & juſtas excuſationes in bonam partem „ acceperit. Ex Thuano Dorſch. in prodromo Anticriſeos Theol. adverſus vehiculum de Euſeb. pag. 2. Rumetſch Collat. Concil. Nicæni cum Trident. diſp. pag. 14.

Sub idem tempus *Lojolitæ*, aliorumque Ordinum Pontificiorum ſodales, Galliæ Regi ſupplicantes, ipſis ut permitteret conſtitutionem *Academiæ Sedani erigendæ*; reſponſum acceperunt: Principi Bullioneo literas petitorias traderent, ejusque conceſſionem hac de re convenienter exquirerent; impetratâ Principis voluntate, ſe non futurum difficilem. At Bullioneus præter verba nil dedit, & ſuſpenſo naſo cucullatos dimiſit. Schadæus.

Suſneus, Baſilidis filius, Minnæ Regis nepos, poſtquam cæſo cum liberis Rege in Æthiopia ſeu Habeſſinia, Jacobo, Regnum ſi non totum, quoad maximam tamen partem, occupaſſet, Romanis favens, iterata ſæpiùs colloquia cum Lojolitis inſtituit, eòque proceſſit, ut edito ad placitum ſodalitatis edicto, publicè Alexandrino Patriarchæ ſe ſubduxerit; & *Pontificiam religionem approbans*, declararit, ſe Papæ Romano, Succeſſori Petrino, utpote qui nec in fide, nec in moribus errare poſſit, obedire velle; ſubditos, ut facerent idem, adhortatus. Heidegger. in hiſtor. pap. p. m. 369. Hottinger. in Topograph. Eccleſ. 73. confer an. 1624. & 1632.

Anno 1606. In *Japonia* denuò *rigidiſſimum in Chriſtianos* publicatum fuit *edictum*: baptiſata tamen (ſi relationibus habenda fides) præter infantes, aliquot hominum millia; continuatis licet omnis generis ac ætatis in Chriſtianos ſuppliciis. *Quàm bellè verò de fide ac religione ſalvifica informati fuerint*, inter alia Dallæus edocet, in

libro primo de cultûs objecto, ubi ex ipſorum Pontificiorum teſtimoniis refert, Neoconverſos ad ſupplicia raptos exclamâſſe: „ Jeſus Maria, Benedictus Dominus, laus ſanctiſſimo Sacramento „ altaris; confugiamus ad ſanctiſſimam Matrem, ad glorioſum Franciſcum, ad Angelum cuſtodem, ad omnes Sanctos, ut intercedant „ pro nobis; miſerere noſtri, optima Domina, doluerint etiam reliquiarum, crucium, roſariorum, agnorum DEI, imaginumque variarum jacturam; è Scripturis autem nil quicquam allegaſſe, ſiquidem pro illis paterculi cucullati converſis gentibus alios dederint legendos libros, e. g. acta Martyrum, Granatenſis Ducem peccatorum, Catechiſmum Romanum, Sanctorum vitas, tractatus de Roſarii Myſteriis, de Mariæ laudibus &c. Act. Erud. Lipſ. ad an. 1690. pag. 241. Leideker ad Hornii Hiſt. Eccleſ. p. m. 534.

Mortuus eſt Lovanii *Juſtus Lipſius*, per totum literatorum Orbem ſcriptis & fama notiſſimus, in Minoritarum æde ſepultus. Vivus ipſemet ſibi hoc Epitaphium poſuit:

Quis hîc ſepultus, quæris? ipſe ediſſeram.
Nuper locutus & ſtylo & lingua fui,
Nunc alteri licebit. Ego ſum Lipſius,
Cui literæ dant nomen, ac tuus favor.
Sed Nomen! ipſe abivi; abibit hoc quoque.
Nam nihil hic orbis, quod perennet, poſſidet.
Vis altiori me voce loqui?
Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,
Et ſcenæ imago, ac verbo ut abſolvam, Nihil!
Extremum hoc te alloquor:
Æternùm ut gaudeam, Tu apprecabere!

Arthus in Merc.

Cætera, laudem Eruditionis Lipſio ut Eruditorum nemo denegat, ita pietatis nemo ferè piorum vendicat. Sanè D. Tobias Wagnerus in Atheiſmo ſpeculativo hæc habet: Quem in Deum, quam nullum, crediidiſſe putemus Lipſium? Scriptorem de Conſtantia inconſtantiſſimum: primò Lutheranum, Profeſſorem Jenenſem; Calvinianum dehinc; Papiſtam demum; & ne de ejus Atheiſmo dubitemus, confeſſum, OMNEM RELIGIONEM, ET NULLAM RELIGIONEM SIBI UNUM ET IDEM ESSE; quod quid aliud eſt, quàm non diſſimulata Atheiſmi profeſſio? pag. cit. lib. 72. confer Müller. Atheiſmum devictum, pag. 45.

LIB. I. CAP. XXXVIII.

Summaria.

Fabricius, Gymnaſii Gedanenſis Rector, Crypto Calvinianus, Fabrum illum Epheſinum referre videtur.

Palatini Calviniſtæ, magnam erga Lutheranos charitatem crepare pergunt; an vero ſinceram, dubitatur.

Jacobus I. Britanniæ Rex, decernit, non modò ceremonias & ritus Eccleſiarum Anglicarum, ſed & Epiſcopos, apud Scotos introducere.

Idem à Gallo rogatus, ut juxta Papam, in actu Baptiſmali cum filio Delphino & ſororibus, ſuſceptoris ac patrini munere fungeretur, modeſtè honorem illum deprecatur.

Moritur Amlingus, Anhaltinus Calviniſta.

Nec non Johannes, cognomento Senior, comes Naſſoviæ Dillenburgicus, Calvinianis potius annumerandus, quàm Lutheranis.

QUalis iſte *Fabricius*, Gymnaſii *Gedanenſis* t. t. Rector Crypto-Calvinianus fuerit (quo de cap. XXXVI. mentionem fecimus) è Theologorum Wittebergenſium pateſcit literis, part. A. Conſil. pag. 468. ubi ad Michaelem Coletum: „Venit nobis in mentem, „cum legiſſemus ſcriptum tuum N. Faber ille ærarius, cui in civi„tate Epheſina nomen Alexandri fuit; de quo Apoſtolus inquit, Ale„xander ærarius multa mihi mala oſtendit, reddat illi Dominus ſe„cundum opera ejus; tuque eum devita; valdè enim reſtitit verbis „noſtris. Non fuit iſta querela carnalis impotentiæ motus, aut il„licitus quidam vindictæ humanæ fervor; ſed impulſus quidam ac „zelus à ſpiritu S. in corde Pauli accenſus, quô in contumaciam inſana„bilem hominis deplorati animadvertere, & blaſphemanti deſperatæ „ſalutis, ſententiam denunciare voluit. Accepimus nos quidem, „pergunt Wittebergenſes, auditione ſuperioribus temporibus, „quas turbas Eccleſiæ Gedanenſi det veſter ille Fabricius; neque „leviter ſanè ad iſtius rei famam ac nuntium nos cohorreſcere ſenſi„mus. Verùm in ea ſpe interim fuimus, aut ipſi huic Fabro men„tem à Domino meliorem progreſſu temporis inditum iri; aut malo „huic aliundè appariturum eſſe remedium, quò ille diſcat non am„pliùs Eccleſias turbare, ſed ſpartam potiùs ornare, quam in Gy„mnaſio veſtrate nactus eſt. Sed enim è ſcripto tuo probatorio, Re„gio monti evulgato typis, jam cognovimus, documentaque rerum „& verborum ad oculum quaſi nobis exhibita vidimus, ærarium „iſtum non vobis tantùm in Gedanenſi Eccleſia; verùm etiam vi-

„cinæ Boruſſiæ & Poloniæ multa mala oſtendere; imò non veſtris „magis, quàm ipſius veritatis Eccleſiaſticæ verbis reſiſtere; Eccle- „ſiæ Lutherano-reformatæ puritatem in plerisque capitibus con- „ſpurcare; fidem Eccleſiaſticam ore blaſphemo convellere, & hæc „omnia crimina tandem ea cumulare perfidiâ, ut ſub fidei & con- „feſſionis noſtræ velo ac prætextu, fidem ipſam ac profeſſionem „Sacroſanctam radicitus extirpet. Huic ergò, ceu alteri fabro E- „pheſino, quòd fortiter eſſe reſiſtendum exiſtimâſti, eò quod „larvâ detractâ γνησίως Lutherana, lupum Calvinianum ſub ea „latitare deprehendiſti, eundemque ab ovili gregis Gedanenſis „propulſandum, non piè minùs, quàm maſculè contendis; in eo „te opus feciſſe (fidelis) Eccleſiaſtæ, & Miniſterii tui partes im- „plevisſe, perſvaſum omninò habemus, &c.

Pergunt *Heidelbergæ - Palatini* crepare magnam erga Lutheranos charitatem, indeque pacem, Unionem & fraternitatem cum ipſis ineundam urgere. Sed an hactenus erga noſtras Eccleſias tanta flagrarint charitate Calviniani, ut eam nec porro abrumpendam, nec ſchiſma propter noſtras paleas, ut loquuntur, alendum cenſeant, in hunc uſq; diem teſtantur omnes, quotquot ſuſceperunt, Reformationes, loquuntur perſecutiones, clamant exilia Miniſtrorum orthodoxorum unà cum uxoribus & liberis, convincunt preſſuræ ſubditorum, ſuſpiria, lacrymæ, ac ſubmiſſæ deprecationes multorum fidelium. Tacemus conſilia & machinationes eorum minimè Chriſtianas, quæ nemini, niſi forſan hiſtoriarum ignaris, abſconditæ ſunt, inque noviſſimo die accuratiſſimè ac nudiſſimè revelabuntur. Et utinam calamus non diverſum teſtetur, quàm ſentiat animus; nec ſi vox Jacobi, manus autem Eſavi. Extant in publico *rythmi D. Parei & commilitonum ejus* Theologorum palatinatûs, in libello (quo pacem hoc ipſo anno 1606. noſtris Eccleſiis obtulerunt) Heidelbergæ edito, circa finem ad Magiſtratum noſtrum:

Expellite ſtentores & clamantes,
  Rixantes & bacchantes;
Qui nil dant, præter calumnias,
  Eccleſiæque Chriſti turbas!
Schaffet ab die Schreyer und Clamanten
  Die hader Metzen und Bachanten;
Die nichts können / als calumniren /
  Und Chriſti Kirch turbiren!

Ex-

Ex Admonitione Chriſtiana Sigwarti ad Iren. Parei, pag. 141. ubi autor addit; „ Ex ore igitur proprio Pareus judicabitur, ſcri-„ bens: Qui ſecus fecerint, violatæ charitatis, ac turbatæ pacis „DEO rationes reddent! confer. Hodomor. Calvin. Dannhau. p. m. „ 1287. part. 2. phantasm VI.

Jacobus I. magnæ Britanniæ Rex, à nonnullis perſvaſus, tantò arctiorem Scotici regni Anglicique conjunctionem futuram, ſi ad formam Anglicanæ conſtitueretur Scotica. Decrevit ergò, non modò *ceremonias & ritus Anglicarum Eccleſiarum in Scotiam introducere*, ſed etiam *Epiſcopos*, qui claſſium ac ſynodorum perpetui eſſent præſides ac moderatores. Hæc origo eſt Scoticæ Eccleſiæ, Hierarchiæ Anglicanæ jugô tentatæ; ſed quæ tantis poſteà turbis occaſionem dedit, ut hinc omnis Britannia concuteretur, tantùm non peſſundata & funditùs everſa. Boxh. Chronol. pag. 146. Calviſ. 961. ipſaque experientia.

Hoc demum anno *Delphinus Galliæ*, Henrici IV. filius, legitimi tori unicus, *ante quinquennium natus*, cum ſororum pari, ad Blaudiſontem ſolenniſſimis ceremoniis *baptiſmi Sacramento tinctus eſt*; viſis interim in cœlo inſolitis ignibus, obſervatis etiam peditum equitumque turmis, &c. *Jacobus Angliæ Rex*, ab Henrico IV. rogatus, ut *juxta Papam ſuſceptoris & patrini* officiô fungeretur, modeſtè functionem iſtam deprecatus eſt, ne forſan ob ſtationem honorariam lis ac ſimultas oriretur. Hinc Lotharingiæ Dux in ejus locum ſuffectus eſt. Schadæus ac Thuanus.

Naturæ debitum ſolvit Wolfgangus Amlingus, Anhaltinus Calviniſta non incelebris; Scholæ Serveſtanæ primùm Rector; dein Eccleſiæ Miniſter Coſwigii, & Serveſtæ, Eccleſiarumque Anhaltinarum inſpector; Melchior Adami, pag. 748. Liebhart in Hiſtor. Calvino reformat. 17. confer. ſup. cap. XXVI.

Nec minùs *Johannes*, cognomento ſenior, *Comes Naſſovius in Dillenburg*, Wilhelmi Auriaci frater minor natu. Dn. Jacobus Wilhelmus Imhof, Patricius Noribergenſis, eum ex Rittershuſio commendat hoc modo; Studioſiſſimum pietatis fuiſſe, & Auguſtanam Confeſſionem, à Patre in ſuæ ditionis Eccleſias introductam, ſummâ curâ conſervaſſe, ac propagaſſe celebratur, Not. procer. Imper. German. pag. 800. ſeq. ſed vereor, ut firmo ſtare talo hæc poſſint, ſi quidem vera ſunt, quæ ſuperiùs Cap. XXIV. ex Cudſemio allata, in cauſa Piſcatoriana; quin potius *Calviniſtis*, Joannes Dillenburgicus videtur *annumerandus* eſſe.

LIB.

LIB. I. CAP. XXXIX.

Summaria.

Henricus Boëtius, Helmſtadienſis Theologus, novam de fructu reſurrectionis Chriſti opinionem, in publicum profert.

Jacobus Gretſerus, Lojolita Ingolſtadienſis, ſpontaneam flagellationem Papiſticam, miris modis extollit.

Nobilis à Klenke, quomodo in pontificiorum naſſam Romæ primum, deinde in ipſa patria, pertractus.

CIrca hoc tempus, *Henricus Boëtius*, Theologiæ Profeſſor novaturiens in Academia Helmſtadiana, in publicum docere cœpit, atque mordicus defendere: Fructum reſurrectionis Chriſti, pertinere indifferenter ad omnes homines, ita, ut Impii etiam illius vi ſint reſurrecturi; addens, Calvinianis accenſeri debere diſſentientes. Kromajer. H. E. 649. conferatur 1613. annus.

Ingolſtadienſis Archiflagrio, *Jacobus Gretſerus*, Lojolita, *ſpontaneam flagellationem* & quamcumque corporis per ictus multoties repetitos diverberationem, lacerationem & laniationem, non modò licitam, Deoque gratam; ſed & eorundem fructuum atque effectuum, quos cruori ſalvatoris noſtri, filii DEI, S. Scriptura unicè tribuit, *meritoriam* eſſe, ſupra modum omnem blaſphemè contendit; Nam hæc, inter alia, ipſius Emblemata ſunt: „Fieri non „poſſe, ut uſurpatio flagellationis illicita ſit. Eum, qui ſtudio „expiandi ſua peccata, Deoque ſatisfaciendi, corpus dilaceret „ſuum, ſanctè facere. Non illicitum eſſe, quod à ſanctiſſimis ho„minibus factitatum, quorum ſeſe multi diſciplinis ita concide„rint, ut ex plagis quaſi quidam ſanguinis rivuli defluerent. Fla„gellationem voluntariam eſſe opus meritorium & ſatisfactorium, „cujus fructus aliis de congruo & condigno (mediante pecuniâ) „poſſit applicari. Funiculos dorſo incuſſos, vim placandi DEUM ha„bere. In diſciplinis Chriſto ſanguinem pro ſanguine reddi. Flagel„lorum ſanguinem peccata expiare, & regnum Diaboli potenter de„ſtruere. Per flagellationem DEUM homini debitorem effici, & ex ju„ſtitia ad ſolutionem obligari, eandemq; æternam beatitudinem cer„tiſſimè afferre. Licitè aliquem conſtitui, qui pro aliquo diſciplinam „faciat, (ſeipſum flagellet) eundemque precibus, imò & munuſcu„lo inductum; alteri ſuam ſatisfactionem applicare poſſe. Per fla„gellationem humani corporis victimam, unico illi ſacrificio, quod „in ara Crucis oblatum, inviſibiliter miſceri; Et quæ ſunt para-

doxa

doxa hiſce ſimilia, pluſquam Ethnica, fideique Chriſtianæ è diametro adverſa; quorum ſonô ſaltem pia mens cohorreſcit; Verba ſunt Johannis Himmelii, Theol. Prof. Jenenſis, in tractatu de natura Invocationis religioſæ pag. 346. ſeq. confer Gretſerum Triumphatum D. Georgii Zeæmanni, dedicat. A. Hypopiaſmum Paulinum D. Dannhau. lit. B. ult.

Inter Methodos & Methodias plurimas, quas Pontificii ſeducendis inque naſſam ſuam trahendis hominibus jam olim adhibuére, ſingulariter notabilis eſt Jeſuiticus ille modus & nodus pro irretiendo Nobili Klenkio Romæ, circa 1606. an. adinventus & uſurpatus. Abiit nobiliſſimus juvenis *à Klenke*, hæreditarius in Hemmelsburg/ ex Academia Julia in Italiam, ad animum exactiori literarum ſcientiâ imbuendum. Itaque, ut ſæpè peregrinantibus non omnia ex voto accidunt, conſimiliter Klenkio noſtro non ubiq; iter ſuum extitit fauſtum. Nam cùm ejus comes, à Calvini ſtans partibus, Romæ in Collegium *Societatis Lojoliticæ* ſe contuliſſet, ac diſputantium animos temerè irritaſſet, aufugit clanculum, adeòque Klenkius in manus Inquirentium incidit, carcerique primùm fuit incluſus innocens. Licet autem illis candidè animum ſuum probâſſet, alienum à controverſiis Theologicis, & ſecum tuliſſet latinæ linguæ autores Claſſicos; Jeſuitarum tamen turma eum è manibus dimittere noluit. Utque animum ejus à Confeſſione Evangelii ſuas in partes pelliceret, juvenem non modò fidei Cardinalis *Bellarmini* commiſit, ſed hic etiam convertendo humaniſſimum & faventiſſimum ſeſe, per aliquot annos, exhibuit. Conſtans autem in ſua Confeſſione Klenkius perſtitit, cùmque priùs ab hoc dimiſſionem haud ſe impetraturum ſenſiſſet, quàm animum ad pontificias traditiones, applicuiſſet, miſeriam ſuam parentibus notam fecit. His de ſalute filii, ad Principem Henricum Julium, Ducem Brunſv. & Luneb. aſſiduè querentibus, non tantùm ex illius interceſſione Cæſarea Majeſtas, de dimiſſione Klenkii ad Pontificem R. ſcripſit: verùm etiam poſthabita illa ſcriptione, Romam ipſe Princeps literas miſit, ſe omnes Monachos è territorio ſuo expulſurum, bonis eorum in fiſcum relatis, niſi Nobilem juvenem dimitterent. Quibus minis commoti, dimiſere quidem Klenkium: At, ne ſine ſcrupulis elaberetur, ipſum *jurare oportuit*, ut ſole oriente urbe exiret; De ipſorum Religione nil niſi bona diceret; ac de ſcrupulis in commendatiſſima Bellarmini & Becani lectione obortis, ſemper

caretur. Annuerunt Ordd. Generales, atque *decretum* ediderunt, hoc ipſo anno, „ ut Synodus illa Nationalis, cum reviſione Confeſ-„ſionis, & Catechiſmi Eccleſiarum Belgicarum, aliarumque con-„ſtitutionum, in nomine ac timore DEI, ſine longiori mora inſti-„tuatur, juxta normam & exemplum S. verbi Dei, ad gloriam ipſius, „ ac reipublicæ & Eccleſiæ incolumitatem! Sed mentionem injici de *revidendis Confeſſione, Catechiſmo & Canonibus Eccleſiaſticis*, rigidiores Calvini ſectatores malè habuit, quemadmodum ex ipſorum libello ſupplice, quem per Deputatos Ordinibus exhibuerunt, & miſſis quaquaverſum literis apparuit, cauſantes, metuendum, ſi clauſula illa convocationi adjungeretur, ne, qui mutationibus doctrinæ ſtudeant, eadem ad inſtitutum ſuum abutantur; Simul etiam, ne offenſionem haud levem præbitura ſit Eccleſiis, quaſi Ordines Generales ipſi, Eccleſiarumque magna pars, de doctrinæ veritate in dictis breviariis comprehenſæ dubitarent. Rogarunt ergò *Deputati*, convocatio Synodi Majoris, conſueto more, in generalibus, ut vocant, terminis inſtitueretur; præſertim quia minus neceſſaria hæc videatur clauſula, cùm in Synodis Nationalibus permiſſum ſemper ſit, ſi quis adverſus aliquem articulum ejuſmodi ſcriptorum quidquam habere ſe exiſtimet, liberè ac debitè id proponere. *Ordines* generales declarabant, non ita clauſulam eſſe intelligendam, quaſi aliquid in doctrinâ harum Eccleſiarum eâ immutatum vellent; Nec enim recognitione ſemper immutari, ſed nonnunquam confirmari doctrinam; non poſſe tamen illam omitti ſine provinciæ præjudicio, quæ eam expreſsè addiderit. Literas etiam, quibus clauſula erat inſerta, Eccleſiarum Deputatis tradebant, ſingularum provinciarum Eccleſiis tranſmittendas; Nec minùs Ordines inclyti ſignificabant iiſdem, ſtatutum ſibi eſſe, quàm primùm fieri poſſit, eruditos & pacificos quoſdam è ſingulis provinciis Theologos convocare, ut cum his de tempore, loco, & modo, habendæ Synodi Nationalis deliberarent. Inter *convocatos Myſtas* convenit paulò pòſt, ratione *temporis*, neceſſarium eſſe, ut Magna Synodus ad initium æſtatis futuræ anno 1608. habeatur; Quoad *locum*, commodiſſimum fore Ultrajectum. De *modo* conſentiebant in puncto gravaminum, à ſingulis provincialibus Synodis, ad Nationalem deferendorum; De *numero* item & *qualitate perſonarum* huc mittendarum; de *poteſtate Deputatorum* in rebus tractandis, non deliberandi tantùm, ſed etiam decidendi ac definiendi; de *Norma judicii*, & quæ ſunt conſimilis. Sed

in aliis convenire non potuére, v. g. de *ſuffragiis* deputantium, cum Deputatorum ad Synodum, votis conjungendis (ut quidem Arminius, Utenbogardus, & Ultrajectini duo urgebant) itemque de *receſſu Deputatorum liberô ad ſuos*, capiendi causâ conſilii, quoties voluerint, ſeque in aliqua re gravatos putaverint; Inprimis autem de *Clauſula* revidendæ Confeſſionis & Catecheſeos Belgicæ. Et hæc diſcrepantia conſiliorum judiciorumque, novam *Synodo Nationali remoram* injecit. Conferantur præfatio ad Lectorem Synodi Dordracenſis, lit. b. 4. & ſeq. & Epiſtola Remonſtrantium ad exteros, oppoſita Epiſtolæ delegatorum Claſſis Walachrianæ, pag. 14. ſeqq.

Referente Dorſcheo in Hodoget. Kircher. 34. in literis *Perronii*, Cardinalis, Romæ 20. Martii datis ad Henricum IV. Regem Galliæ, cognomento Magnum, extantibus in peculiari tractatu de illius legatione, continetur & hoc: „Quantum ad *controverſiam de* „*auxiliis gratiæ*, aliquantisper equidem ſedatæ contentiones odioſæ; nondum tamen ad quæſtionis deciſionem ventum eſt. A nobis ergò, quia jam ſemel atque iterum de iſta materia mentio facta, ſine tamen *hiſtorica relatione* hîc eam exhiberi breviter, operæ pretium cenſemus. *Ludovicus Molina*, circa finem ſeculi proximè dilapſi, & propriæ vitæ, librum de gratia DEI cum libero Arbitrio, in nobis ad ſalutem cooperante, ſcripſit, ubi cùm plus homini, quàm Deo tribueret, ſummos viros, referente Thuano, excitavit ſibi adverſarios, inprimis Dominicanos. *Docuit* Hiſpanicus Lojolita: „Poſſe hominem cum ſolo concurſu divino generali, abſque alio „dono vel ulterioris Gratiæ auxilio, non tantùm efficere bonum „opus morale; ſed etiam facultate arbitrii ſui, cum ſolo concurſu „generali, propoſitis, quæ ad fidem & ſalutem neceſſaria ſunt, aſ„ſentiri. Poſſe, cùm edoctus fuerit ſupernaturalem aſſenſum ad „ſalutem neceſſariò requiri; ex viribus arbitrii petere, ut illud ſibi „detur auxilium, adque recipiendum naturaliter ſe diſponere. Poſſe „(licet initium fidei tanquam radix juſtificationis & ſalutis à Deo „ſit) ut creaturam beneficio creationis liberam, tum ante rece„ptionem Gratiæ, tum in ipſa receptione, locum habere cum ſuo „arbitrio, & aliqualem induſtriæ laudem obtinere. Poſſe, arbitrii „virtute, cum ſolo concurſu generali, eligere actum attritionis, „& contritionis naturalem, ſeu dolorem de peccatis ex timore „Dei, cum propoſito ampliùs non peccandi mortaliter. Poſſe ſo„lis naturæ viribus, & ex concurſu divino generali elicere actum

ab-

„abſolutum & merè naturalem dilectionis DEI ſuper omnia. Poſſe „ arbitrii facultate ſui, cum ſolo concurſu generali, libertatem ſer„ vare, ad non conſentiendum cuique tentationi graviori; & quæ „ſunt ejusmodi plura, poſt Molinæ mortem, ab ejus Societatis „fratribus propugnari ſuſcepta, Clemente octavo Pontifice. Hinc „orta lis acerrima, *Moliniſtas* inter atque prædicatores *Dominicanos*, „primò Salmanticæ & Valliſoleti in Hiſpania, tum Romæ in Italia, „Duaci ac Lovanii in Belgio, provinciisque Europæ plurimis. Do„minicani, Ductore & promacho *Bannejio*, Moliniſtas eò quòd ni„mium tribuerent viribus liberi arbitrii, accuſabant aperti *Pelagia„niſmi.* Moliniſtæ verò Dominicanos inſimulabant manifeſti *Calvi„niſmi*, qui dogmate ſuo prædeterminationis) tùm phyſicæ tùm „ moralis) à qua in ſolidum gratiam DEI & quosvis hominum actus „propalam ſuſpenderent, omnem penitùs libertatem deſtruentes, „ex homine quaſi beſtiam facerent. Krom. H. E. 678. Heideg. hiſt. „pap. §. CCVII.

Re ad Pontificem delata, *Clemens* utriuſque partis momenta ſibi, & congregationi Cardinalium, proponi curavit; Inprimis etiam *Bellarmini* ſemel atque iterum compoſitas diſſertationes clementer accepit; poſteà in oppoſitam ſententiam deflectens, ad controverſiam decidendam animum adjecit. Contrà Bellarmino magna confidentiâ reſiſtente, minas etiam haud minimas intendente, ſi quid contra Societatem ſuam decerneret; Pontifex negotii molem ſentiens, nil definire, ſed ſucceſſoribus cauſam relinquere decidendam voluit, intereàque Theologorum liberæ diſputationi committere. Clemente VIII. è vivis ſublato; eumque ad communem mortalitatis locum ſubſequente, poſt 26. dierum ſeſſionem, Leone XI. *Paulus* V. congregationem Clementis inſtauravit, ac bullam componi quidem juſſit, qua controverſia tota decideretur ad mentem Auguſtini, & Moliniſticæ propoſitiones damnarentur; ſed opportunius expectans tempus promulgationis, non publicavit eam; vetuit autem, ne tantiſper pars una, erroris alteram argueret, donec aliquid ea de re vel ab ipſo, vel à ſucceſſoribus decerneretur; quod futurum ad Calendas Græcas. Dorſch. Kircher. dev. prælimin. pag. 35. Colleg. Theolog. Chriſtian. Chemnit. Jen. in Form. Concord. lit. F 3. Ratione totius materiæ conferendus omninò D. Joh. Hülſem. in aureo tract. de auxiliis gratiæ pl. præſertim pag. 29. 166. 308.

Aliàs *ipſorum inter ſe Jeſuitarum in articulo de Prædeſtinatione & Gratia converſionis diſceptatio* ſatis hoc ſeculo innotuit orbi Chriſtiano. *Bellarminus* enim, *Tannerus, Suarezius*, & alii, prædeſtinationem fecerunt abſolutam, ex qua gratiam converſionis congruam poſtea deduxerunt; Contrà *Becanus, Cornelius à Lapide*, & reliqui, Prædeſtinationem conditionatam, ſub conditione bonorum operum ſtatuerunt, ſententiam in Eccleſia Rom. receptam defendentes. Diſſenſum hunc Lojolitarum rigidiorum & mitiorum, non levis eſſe momenti apud Papicolas, patet ex verbis *Cornelii à Lapide*, dicentis: „ Novi ſanè plures, qui ex illius ſententiæ (Bellarmini, Tanneri, Sua„ rezii) prædicatione, vel in deſperationem, vel in inſaniam acti, „ miſerè vixerunt; aliquos etiam, qui ſe occiderunt. Krom. in H. E. pag. 678. Theologia poſit. polem. 292. ſeq.

Mox ab initio ſui Pontificatûs, *Clemens VIII. verſionem Bibliorum vulgatam, à Sixto V. recognitam & approbatam*, immane quantum (licet recognitionem ſuam Sixtus editâ bullâ, immutabilem haberi voluerit, juſſeritque ſub graviſſima comminatione) *mutavit*, ſuppreſſitque, *quòd gravia & periculoſa menda contineret*, ac aliam promulgavit; cui tamen *Sixti nomen*, ut fuco aliquo diſſenſum tegeret, *præfixum reliquit*. Hinc deinceps ortum ſumſit, hoc ipſo anno, Bellum Papale, ſeu diſcors Concordia Sixti & Clementis, i. e. famigeratiſſimum ſcriptum *Thomæ Jameſii*, Angli, editum Londini for. 4. quo magno labore ac induſtria demonſtravit Paparum repugnantiam in genuino S. Scripturæ textu edendo. Vid. etiam Johannes Crocius, in Anti-Becan. Tom. I. pag. 153. & Gerhardus Confeſſ. Cathol. A. 245. Illum verò unicum tractatum ſi æquiori libra ponderaſſet *Laurentius Forerus*, aliis ob motas quaſdam controverſias, Bellô ſuo Ubiquiſtico, & Catto-Lutherano, poſt viginti annorum dehinc & quod excurrit ſpatium, non audacter adeò & improbè inſultaſſet.

De turpi *librorum, inprimis Patriſticorum*, à Lojolicis aliiſque Pontificis Romani gnathonibus jam diu patratâ *caſtratione*, in controverſia Venetorum cum Paulo V. *Johannes Marſilius* in defenſione Reipublicæ contra Bellarminum anno 1606. ed. ex occaſione & exemplo prætenſæ poteſtatis Papalis, ita loquitur: „ Notum eſt omnibus „ è Conciliorum, Canonum, aliorumque Doctorum libris, ex ipſis „ etiam Breviariis ac Miſſalibus, ablata eſſe, & adhuc auferri ea, quæ „ Principibus Laicis favent, ut periculum fiat, num ſenſim & pro„ greſſu temporis, opinio de illimitata poteſtate Pontificis in tem-

pora-

„ poralibus, poſſit ſtabiliri. Ut ideò, qui libros anno 1530. vel 1550. „ editos, cum hodiernis confert, ſive Concilia, ſive alia deſcribant, „ manifeſtè vindemiam deprehendat. Unde mirum non eſt, nos „ poſt vindemiam paucos aliquot racemos in Sereniſſimi noſtri Prin- „ cipis defenſionem inveniſſe. Hæc eſt ratio, qua ſucceſſu tempo- „ ris, fides Scripturis omnibus derogabitur, & Eccleſia DEI everte- „ tur. Quod per occaſionem, mihi a Dn. Cardinali oblatam, dictum „ ſit, & charitatis gratiâ, tum quòd inprimis optem, ne ampliùs hoc „ modo depraventur Scripturæ; quod itidem omni cum humilitate „ ac reverentia dictum ſit. Hactenus Marſilius. Unde à corruptis illis editionibus cavendum eſſe monens *Taubmannus*, eleganter ac lepidè ſcribit:

Biblia ſit Princeps cura, ſecunda patres;
Sed patres ipſi; Nam quos tu, Romule, caſtras,
Jure inteſtatos credimus eſſe patres.

Videatur D. Dorſcheus in Kirchero devio, præliminar. pag. 60. & Gerhardus in Confeſſ. Cathol. A. 724.

Eadem tempeſtate, accurantibus *Lojolitis Ingolſtadienſibus & Græcenſibus*, prodiit ſcriptum aliquod (injurioſum dicam, an famoſum?) excuſum literis æneis, *Obſtrepitationis* titulo, Außrauſchung genannt; ubi Auguſtanam Confeſſionem cum habitu morionum, bacchanaliorum tempore oberrantium, compararunt, quem ſibi adaptarint nonnulli Germaniæ Principes, ut cô debacchantium inſtar, aliquandiu diſcurſitent. *Jacobus* autem *Steinizii Præpoſitus* in libello reſponſorio contra D. Rungium, Theologum Wittenbergenſem; Myſtas Eccleſiarum Evangelicarum, imò Confeſſioni Auguſtanæ addictos omnes, ignominioſiſſimis quæ excogitare poterat nominibus, affecit ac deturpavit. Georg. Zeæman in Apolog. ex arce Ehrenbergenſi, ad Archiducem Leopold. pag. 69. 70.

Utiliorem & magis Chriſtianam navavit operam *Johannes Gerhardus*, Theologiæ t. t. Candidatus & Adjunctus Facult. Philoſophicæ in Academia Jenenſi, quùm ſuas *Meditationes*, numero quinquaginta, *ſacras*, nunquam ſatis laudandas, primùm conſcripſit, & vulgari voluit; ſæpiſſimè poſt recuſas, converſasque ex latino Idiomate in Germanicum, Gallicum, Anglicum, Italicum, Polonicum, ac (ſi Veneris credimus) græcum. præfat. Methodi ſtudii Theologici Gerhard. a 3. funeral. G. 3. & program. I 2. Quam propemodum laudem Calvino-Reformati tribuunt *Ludovici Baili*, Jacobi primi, Britan-

tanniæ Regis, aulici Concionatoris libello, ſub titulo: *Praxis Pietatis*, ad Carolum Walliæ Principem; dicuntque illum innumeris ferè vicibus recuſum, & in plerasque Europæi orbis linguas translatum; neſcio tamen, quibus in annis, & locis, vid. Hofm. Lex. Univerſal. A. pag. 245.

Severinus Binius autem, Canonicus Colonienſis, anno 1606. in digerendis *Conciliis* Eccleſiæ Papanæ ſuam probavit induſtriam. Is enim novam Conciliorum Collectionem, ſcholiis & annotationibus, ex Baronio maximè depromptis, ac ad Curiæ R. placita accommodatis, illuſtratam; duodecimoque pòſt anno, iterum aliam editionem, longè ampliorem & illuſtriorem, in conſpectum eruditorum prodire juſſit. vid. plur. in act. Erud. Lipſ. ad an. 1684. p. 349.

LIB. I. CAP. XLI.

Summaria.

Julius, Epiſcopus Herbipolitanus, Leonſteiniis Comitibus Werthemium tentat eripere, diripiendumque militibus dare; ſed ſine optàto ſucceſſu.

Elector Palatinus Manhemium extruit; Henricus IV. Valetudinarium pro truncatis militibus.

In Polonia, Raccoſani religionis cauſa, per Lojolitas variis modis turbatæ, adverſus Regem arma capiunt.

Actionis pulverariæ conſortes in Anglia pœnas luunt, quos inter Henr. Garnetus, à ſodalitate inter ſanctos numeratus.

Judicium de miraculo ſtramineo, propter quod à Papicolis tanto honore Garnetus afficitur.

In Moſcovia perſonatus ille Demetrius, qui Ruſſicum tanquam legitimus hæres invaſerat imperium, occiditur.

In Hungaria pax conciliatur inter Rudolphum, & Botskajum; interque illum, & Achmetem Turcicum panguntur induciæ.

Hollandi, primarias ex Inſulis Moluccis occupant, ibique potentiæ ſuæ radices agunt.

Philippus Comes Hoënloicus, militari virtute inſignis, moritur: Et Acbar, Mogul Indicus, magiæ deditus.

Diſſidium hactenus inter Comites *Leonſteinios*, & Barones *Griechingenſes* extitit, quod Julius Epiſcopus Würtzburgenſis ita dirimere ſtatuit, ut in Griechingenſium gratiam, *Werthemium* Comitibus Leonſteiniis eriperet, diripiendumque militibus daret. Ergò mille aliquot peditibus, centum etiam & quinquaginta equitibus

bus, ac tormentis eò deſtinatis, Herbipoli movit; Id verò cùm Comites cognoviſſent, opere tumultuario munitionem, quà tranſitus ad arcem patet, excitârunt, tormentaque pro excipiendis novis hoſpitibus eò traduxerunt, inſimul civibus imperantes, ut fortiter ad pugnam ſe pararent; adeòque hoſtes depulerunt & fugarunt. Calvil. & Gottfred. hiſtor.

Fridericus IV. Ludovici filius, *Elector Palatinus*, quem Sincerum cognominant, anno 1606. *Mannhemium* ex pago ad confluentes Rheni & Nicri aquas urbem extruere, ac munire cœpit, quæ citò exulibus è Belgio frequens facta eſt. Eo die, quo fundamenta ponebantur, ventorum intemperies extitit, & inſolita pluviarum copia decidit; quô omine? tempus non ſemel manifeſtavit. Spener. in Syllog. Genealog. pag. 76 Zeil. in not. ad Franciſci de Roſeto Tragica, pag. m. 1037.

Henricus quartus Galliæ Rex, *Valetudinarium Lutetianum*, pro truncatis militibus quondam ab Henrico ſecundo poſitum, ſed proventibus nullis inſtructum, inſtrui curat, inſtituto ſimul Collegio, ſub titulo Cameræ Charitatis Chriſtianæ, quo pium hoc opus procuraretur. Lundorp. lib. 3. hiſtor. pag. 738.

Eodem tempore, in Comitiis Varſavienſibus *Nobiles Poloni* (maximam partem) *Sodalitia Lojolitica* Regnô, præprimis ex territorio Cracovienſi, poſtularunt ejici; præcipuas illis Europæ calamitates palàm tribuentes; At conatu irrito, cùm Rex ſtudioſè patrocinaretur illis, reliqui etiam Eccleſiaſtici Papales quoad punctum religionis adverſus Antipapanos duriores eſſent; Hinc firmato fœdere, *Rakoſiani* religionis libertatem ſumma vi ſe aſſerturos profeſſi ſunt, resque *inter ipſos & Regem ad arma* devenit. Ea verò diſcordia nemini ferè profuit, niſi *Suecis*, qui tum labefactatas res ſuas, & in ſolo patrio, & in Livonico tractu, erexerunt iterum, cauſamque ſuam, diminuta Sigiſmundi exiſtimatione, multis probabiliorem fecerunt. Lundorp. hiſt. 3. 718. ſeq Joh. Cluv. Epit. hiſt. p. m. 762.

In Anglia *debitas luére pœnas actionis pulverariæ conſortes* (qui fugâ ſibi non conſuluerant) interque iſtos *Henricus Garnetus*, Lojolicæ ſodalitatis Præpoſitus, vir nobilis genere, ætate ſeptuagenarius. Is poſt conjurationem detectam captus cum Grenvello & Oldcorno ſociis, dum nullis æquivocationum technis tueri ſe valuit, comitantibus reliquis, menſe Majo ad ſupplicium ductus eſt; de ſe nimio plus ſentiens, illud Salvatoris propriæ perſonæ applicuit: *Ne-*

ceſſe eſt, ut unus moriatur pro populo! Deinde funiculo innexus: *Maria Mater gratiæ*, inquit, *tu me à malo protege, & in mortis hora ſuſcipe!* Tandem adſtantium Papicolarum precibus Deo commendatus, vitam ſuſpendio finiit, inque partes quatuor diſſectus fuit. Heideg. hiſt. pap. pag. 297. ſeq. Arthus ad hunc ann. Gerhard. Confeſſ. Cathol. 891. part. A.

Garnetus ille propterea non tantùm ſanctis *Martyribus annumeratur* à ſodalitate, ſed & honoratus poſt obitum inſigni *miraculô* prædicatur. Sic enim *Cornelius à Lapide:* „ Cùm R. P. Henricus Gar„ netus è Societate Jeſu, Angliæ Martyr, ſociis ibi per viginti an„ nos, cum laude, in quotidianis periculis, præfuiſſet, anno Dom. „ 1606. Maji 3. pro Catholica fide glorioſum obiit Martyrium: Ca„ tholicus Johannes Wilkenſohn, qui ſpectator aderat, purpuratam „ ſanguine ſpicam è ſubſtrato Martyris corpori ſtramine religioſè „ ſuſtulit; quamdiu domi conſpicatus attentiùs, vividam Patris ima„ ginem in ea expreſſam conſpexit. Verticem capitis ingens cin„ gebat corona. Crux in fronte rutilabat ſtellæ incluſa, ſignaculum „ cordis illius utique, in quo faſciculus Myrrhæ commorabatur, ut „ ideò etiam optatâ inventioni Crucis dicatâ die Martyrii palmam „ ſit conſecutus. Sub mento Cherubinus viſebatur alatus, vel An„ gelicam ejus puritatem, vel ſapientiam & doctrinam, vel utrum„ que indicans. Quia enim ad juſtitiam erudiit multos, Docto„ rum laureâ decoratus, & quaſi ſtella inter cherubinos lucet in per„ petuas æternitates. Imago hæc vultûs ejus in ſpica ſæpiùs excu„ ſa, per omnes Chriſtianorum provincias ſparſa eſt. Miraculoſam „ autem hanc ejus effigiem in prototypo etiamnum perdurare, viri „ graves, oculati teſtes, mihi conſtanter affirmarunt. Confer Georgiam Leontinum Sophiſtam in Valer. Magn. rediviv. Dannhaueri, pag. 173. ſeqq. & Hülſemanni Manuale C. A. contra Hagerum Jeſ. pag. 998.

Judicium de allegato *miraculo ſtramineo*, ex relatione ſtraminea, tale dedit *Balthaſarus Raithius*, Theologus Tubingenſis: „ Cùm Je„ ſuita Garnetus debitas dediſſet pœnas pyrio pulvere, Regi An„ gliæ, ac toti Parlamento mortem intentans, inventus eſt ſtolidus „ quidam juvenis Johannes Wilkenſohn, qui dum ſpicam ſanguine „ Garneti reſperſam, cryſtallo incluſam, & imaginem humanam ex „ vitro illo reſplendeſcentem vidiſſet, confeſtim ſulphurei Regici„ dæ imaginem ratus, pro miraculo venditavit phantaſma mentis,

& vo-

„ & voluntarium oculorum ſpectrum, cùm tamen nunquam homi-
„ nis reſplenduiſſet facies, niſi homo in illud ſpeculum naturale o-
„ culos flexiſſet. Si ſus, inquiens, aut canis, cryſtallino huic invo-
„ lucro occurſaſſet, Garnetus reſplendens, non in Martyrum Ca-
„ talogum, ſed porcorum ſtabulum fuiſſet referendus. Nimirum
„ ſic optici luſus, Pontificiis quibusdam ſunt Miracula. Raith. in diſput. de Hagiolatria pontificia, pag. 22. quocum Hülſem. cit. loc. 999. conſentit.

In *Moſcovia*, perſonatus ille *Demetrius*, qui anno nuper elapſo, Polonorum adjutus auxilio, Imperium Ruſſicum bello invaſerat, magnoque receptus applauſu, opinione citiùs obtinuerat, Maji octava die anno 1606. in ipſa nuptiali feſtivitate, nil mali metuens, à ſeditioſa novorum ſubditorum turba ſubitò interemptus eſt. Cùm enim Polonorum potiùs, quàm Ruſſorum ſequi mores, & ſacra Demetrium vidiſſent, mox ipſis fraus cœpit ſubolere; Quapropter conſpiratione inita, eundem obtruncarunt; ſufficientes *Baſilium Zuskium*, ſeditionis autorem & actorem primarium. Adam. Olear. in Moſcov. Reyß-beſchr. lib. 3. orb. pol. Horn. 433.

In *Hungaria pace inter Imperatorem Rudolphum II. & Botskajum* conſtitutâ, ſub conditione, ut hic ſibi & liberis, ſi quos mares relinqueret, Transſylvaniam haberet; *Vicennales* etiam *induciæ cum Turcis* initæ ſunt, hoc modo, ut interim Achmetes, Rudolphum vocet *patrem*, hic verò Achmetem *filium*, *Cæſares* viciſſim ambo ſalutentur, commutatis utrinque tertio quoque anno muneribus. Tranſactionem excepit *mors Botskaji*, qui maximè promoverat eam. Turſellin. Epit. hiſt. 257. Cluver. 763.

Circa idem tempus *Hollandi*, *Amboinam ac Tidorim*, primarias ex Moluccis (ob aromatum copiam toto orbe celebribus, in India Orientali) *Inſulas Luſitanis ereptas occupârunt;* ubi deinceps, fœderibus initis cum proximis Regulis, Batavorum potentia radicem egit, immenſis opibus aucta. Hofm. Lex. univerſ. A. 96. 1047. Mandelslo in Morgenl. Reyßbeſchr. per Olear. edit. 229. pl. quoad religionem incolarum confer an. 1627.

Sublunaribus autem valedixit *Philippus, Comes Hoënloicus*, militari virtute inſignis, in quo nil deſiderari potuiſſe Thuanus cenſuit, quàm in præcipiti ac feroci natura moderationem. Is Annam Wilhelmi Uranienſis filiam in conjugio habuit, 34. annos fœderatis Belgis fide conſtantiaque ſumma militavit; & poſt Socerum nefario ſce-

ſcelere interfectum, puero adhuc Mauritio vicarias operas, donec adoleſceret, eadem fide implevit. Notit. procer. 1324.

Magnus quoque *Mogul* in India, nomine *Achar*, aliis *Achaber*, qui Regum Indiæ potentiſſimus evaſerat, multis præclarè geſtis (ut quidem Hornius loquitur) anno 1606. regni quinquageſimo diem ſuum obiit ultimum. Vel ob id commemorandus, quòd Mahometicæ doctrinæ à Patre ſuo introductæ infenſus, eam extirpare ſtuduit, ac Lojolitis indulſit prædicationem Chriſtianæ religionis & Sacramentorum adminiſtrationem publicam; licet ipſe nulli religioni firmiter adhæſerit, artibus & operibus Magicis deditus; unde aliquando viſus eſt primariæ uxori amputare caput, quod eidem in momento iterum affixit, ut nullum amputationis aut vulneris appareret indicium. Horn. O. J. 443. Eraſm. Franciſci Oſt-und Weſt-Indian. Luſt-und Staats-Gart. pag. 1464. pl.

LIB. I. CAP. XLII.

Summaria.

Partus monſtroſi, Argentoratenſis unus, Eisburgicus alter.

Caſus inauditus, Sponſi & Sponſæ in Bohemia.

Nicolaus Wolfsbachius, ad nuncii Pontificis pedes ſe projiciens, apoplexia tactus animam exhalat.

Johann Eiſenbeiß/ truculentas cædes in uxore, liberis, & ancilla commiſſas, truculento luit ſupplicio.

Ventorum, imbrium & procellarum vis, terræ motus, & peſtis, damna dant irreparabilia.

ANno 1606. Argentorati 3. Jan. Anna, Stephani Schwartzen/ ſcriniarii uxor, Schadæo recenſente, talem peperit *infantem*, qui *unum* equidem *corpus* habebat, ſed *capita duo*, & genitalia duplicia, quatuor oculos, totidem aures & pedes; ab obſtetrice baptiſatus, poſt horæ dimidium exſpirabat. Medici ſectione facta inveniebant intra corpuſculum, cor unicum, cum uno pulmone, ſed hepata duo, ventriculos totidem, renes quatuor, nullam bilem.

Eisburgi verò, quod à Poſonio duobus milliaribus abeſt in Hungaria, ſub initium Decembris, ejuſdem anni, Croatica mulier *partum* edidit *uno capite* ſed *facie duplici*, quatuor brachiis, totidemque pedibus conſtantem. Hunc pater vel irâ præcipitatus, vel pudore ſuffuſus, defodit in fimetum; ſed mori tardantem, iterum extraxit,

traxit, qui poſt paucas deinde horas animam efflavit. Ad Magiſtratum urbis Presburgenſis delatus, publico hominum conſpectui aliquantiſper expoſitus eſt, ac poſtmodum in templo S. Laurentii terræ commiſſus, teſtante eodem autore.

Inauditum planè, quod in oppidulo Bohemiæ N. ſex milliarium itinere à Praga diſtante, accidit. Nimirum ſponſus & Sponſa finito nuptiarum die, cubitum iverant, quantum conſtabat, ſatis amicabiliter & pacificè. Altero mane Juvenes adveniunt, pro more loci hymenæum canentes, ac præſtolantes Neogamos, proximè ſurrecturos, ut iis gratulentur de conjugalis tori deliciis nunc primùm perceptis. Stant aliquandiu, expectant, pulſant, acclamant; ſed intrà nemo ſe movet, aperit nemo, nemo vel verbulo reſpondet. Admirantur id Amici, ac aures propiùs admoventes januæ, ſonitum percipiunt, qualis eſſe ſolet, cùm ſues cibos abſumunt avidiſſimè. Ominati ergò neſcio quid mali, violenter cubiculum aperiunt ipſi, & irrumpentes primo ſtatim intuitu obſervant, *ſponſum ſponſæ* incubantem, ac *dentibus lacerantem* ſiniſtram (dextrâ jam conſumptâ) illius *mamillam.* Hunc protinus, at furenter obnitentem, avellere fruſtrà laborant; Unde non ampliùs cum homine, ſed cum beſtia rem ſibi eſſe rati, allato ſclopetulo, caput ejus glande plumbea transverberant, properantes dein ad Magiſtratum, rem ut acta, totam deferunt. Oſeas Schadeus.

Poſtquam Paulus V. Papa Romanus, cum Cardinalibus ob cauſam Venetam egiſſet, miſit in Galliam, Hiſpaniam, & Germaniam ſuos nuncios; quorum dum Francofurtum etiam unus adveniſſet (Moguntiam porrò tendens) contigit, ut quidam Canonicus ad S. Bartholomæum, nomine *Nicolaus Wolfsbachius*, è ſcriptis adverſus Nigrinum & alios editis notus, in diverſorio ad ſpicas hordei eum accedens, petiturusque aliquid ad pedes ejus ſe abjiciens, apoplexiâ correptus, animam ſtatim ſine ullius verbi pronuntiatione, exhalaret. Arthus in Mercur.

In Voitlandiæ pago Elias Brunn/ Johann Eiſenbeiß/ ruſticus, vix unius horæ ſpatio uxorem partui vicinam, & ſex liberos cum ancilla crudelem in modum occidit, *ſupplicium* igitur de eo ſumptum hoc modo: Catenis primo ferreis in curru conſtrictus, è loco captivitatis, ad pagum ubi habitaverat, revectus, eòque ubi perventum, in pellem bubulam diſpoſitus, & propriis bobus ad ſingula facinorum loca protractus eſt; pro numero interfectorum forcipe ignita

novies apprehenſus, & utraque manu truncatus cùm eſſet, crus utrumque rotâ colliſum eſt, corpore in quatuor partes diſſecto, & ad vias publicas variè diſtributo, inteſtinis porrò igne crematis, capite autem rotæ (quæ locô illo, ubi prægnantem uxorem vita privarat, ſtatuta fuit) impoſito, & manibus ad rotæ modiolum clavis ferreis firmiter affixis. Pridie ejus diei, quo executio hujus judicii facta, domus quam incoluerat, cum univerſa ejus ſuppellectile, accenſa igne & in cineres converſa eſt; Columnâ lapidea, diabolici hujus facinoris & ſupplicii de jure adhibiti, narrationem prætereuntibus poſteriſque ſufficienter exhibente, in ejus locum erectâ & conſtituta. Lundorpius ac Schad.

Hoc etiam anno tanta *ventorum, imbrium & procellarum vis* extitit, non in Germania tantùm & Belgio, ſed in Anglia quoque, Gallia & Italia (Romæ præſertim) quæ multas turres & ædificia, infinitaſque propemodum arbores evertit; In oris verò maritimis navium nautarumque ſtragem edidit maximam. Et ſanè miſerabilia fuére, quæ de naufragiis & aggeribus ruptis, multiſque millibus hominum à mari abſorptis, ex Hollandia paulò pòſt, aliiſque pluribus locis nunciata. Nec *terræ motus* tum deerant, & *peſtem* calamitates iſtæ comitem pediſſequam heic & ibi habebant, quemadmodum aliàs Africum contagionem illam perflare, pro certo & explorato non pauci ſumunt. Arthus & Lundorp.

LIB. I. CAP. XLIII.

Summaria.

Scholæ Gieſſenſis Privilegia Academica.
Novum Gymnaſium in Valle Joachimica.
Conciones Lyſerianæ, quas Pragæ habuit, à Jeſuita Decumano allatratæ.
Status Religionis, Ordinum ſub Utraque, in Bohemia.
Infelix actio Donawerdana, cultus Evangelici everſiva ibidem loci.
Tropavia Sileſiorum à Pontificiis malè habita.
Analyſis Georgii Mylii, poſt varias Mundi vexationes, placida, beatiſſimaque.

S*Cholæ Gieſſenæ*, de qua ſuprà cap. XXIX. mentionem fecimus, hoc anno Rudolphus Imperator ampliſſima conceſſit *privilegia Academica*. Cùmque *Ludovicus* Haſſiæ Landgravius, eorum *promulgationi* octavum diem Octobris dixiſſet, literatos ibi ad actum iſtum cle-

clementiſſimè invitavit programmate publico, quo *Scholis Elogium* tale dedit: „ Scholas in ipſâ Natura, quæ homines ad cognoſcen-„dum ac diſcendum, ad inveniendum & excogitandum, quodquè „ſtúdio & induſtria cognitum, inventum & excogitatum eſt, cum „aliis communicandum, formavit ac inſtituit, Seminarium habere; „atque illarum tanquam docendi ac diſcendi officinarum ac ludo-„rum, DEUM autorem habendum, non eſt dûbium. Quòdſi au-„tem ab initio mundi hiſtorias percurramus, omnium ætatum ac „ſeculorum, Scholas à ſanctis P. P. inſtitutas, ab ipſo DEO O. M. „Sacerdotibus ac Levitis in V. T. docendi ac interpretandi legem „in Scholis officium concreditum, à Prophetis Spiritu divino illu-„minatis exercitatum, à CHRISTO ſummo Propheta & Doctore, „(qui non ſolùm anno ætatis duodecimo docentium ac diſcentium „cœtui ſe medium inferre dignatus eſt, & poſtea Miniſterio do-„cendi publico perfunctus, Scholas ac Synagogas intravit, ſed ipſe „etiam XII. Apoſtolorum & LXX. Diſcipulorum Collegium inſti-„tuit) exemplo atque facto in N. T. conſecratum & comprobatum; „ac deinceps ſcholas in populo DEI à S. hominibus Epiſcopis a-„pertas, ab Imperatoribus & Principibus Univerſitates Academias-„que fundatas, donatas, dotatas, frequentatas, & in illis docentes „ac diſcentes, Profeſſores ac Studioſos ſtipendiis, privilegiis & im-„munitatibus ornatos eſſe, proditum accepimus; Nec immeritò! „Nam è Scholis variarum utilitatum rivuli, velut è fonte in Eccle-„ſiam, Rempublicam & communem vitam, tot ac tanti emanant, „ut illi paucis percenſeri non poſſint &c. Solenni deinceps *Inve-ſtitura*, Imperatoris privilegia Landgravius vulgavit, & *Profeſſores* omnium Facultatum *introduxit*, introductosque confirmavit, Johannem Winkelmannum, Balthaſarum Menzerum, Caſparem Finkium, Chriſtophorum Helvicum, Conradum Dietericum, Johannem Stumpfium, &c. ſub *Rectore primo Johanne Georgio, Holſatiæ Duce.* Ex breviar. hiſt. Joh Conrad. Dieter. pag. 160. & Mercur. Gall. Belg. Chriſtoph. Arth.

Hoc ipſo etiam anno Joachimus Fridericus, Elector Brandeburgicus, inclytum extruxit *Gymnaſium in Valle Joachimica*, tantisque dotavit reditibus, ut ibi centum alumni Studioſi liberaliter ſuſtentari poſſint. Lim. Geneal. Wagner. pag. 90. Polycarpus Lyſer. in concion. de bon. oper. Pragæ hab. præfat. 23. pag. In iſta valle ſuperiori ſeculo Concionatorem egit pientiſſimum ac diſertiſſimum, *Johan-*

Johannes Mattheſius, è Sarepta, Diluvio, vita Chriſti & Lutheri, commentario in Syracidem & epiſtolas Paulinas, aliisque homiliis ac operibus celebris; placida & beata morte hinc evocatus anno 1566. tribus poſt concionem horis, de filio viduæ reſuſcitato habitam, quâ, in futura vita ſingulos pios parentibus ac amicis reſtitutum iri, docuit. Micræl. Syntagm. hiſtor. c. 517. Aliàs notabilis eſt Vallis illa Joachimica, ob *thaleros ibi primùm cuſos*, per Slicones Comites, quod ex Georgii Agricolæ libris de ponderibus ac menſuris, Hofmannus refert in Lex. continuat. tom. 3. pag. 132.

Menſe Julio, *Elector Saxoniæ Chriſtianus II.* & Princeps *Johannes Georgius, frater, Pragam* veniunt ad Imperat. Rudolph. II. ab eoque ſingulari gratiâ & honore excepti, *Polycarpo Lyſero* mox *libertatem obtinent, concionandi* primò in arce, deinceps in domo Roſenbergiana magno accurrentis populi applauſu, quod Lojolitas, & reliquos à Servitio R. Pontificis malè habuit. Unde factum, ut conciones illas Lyſerus A. C. Theologus, initiò chartæ daret, petentibus communicandas, poſtea verò typis evulgari pateretur, ad retundendas cuculligerorum ſycophantias. *Johannes Decumanus*, Apoſtata factus & Sauita, prolixum iis tractatum oppoſuit anno ſequente, ſcurrilitatibus ac falſiloquiis refertiſſimum; nullo igitur dignum cenſuit reſponſo Lyſerus, ne forſan ſtulto in quibusdam ſimilis fieret. Oſ. Schad. in continuat. Sleidani german. ad h. an.

Qualis iſto tempore *ſtatus religionis*, ex parte *Proteſtantium*, ut in aliis pluribus locis, ita quoque in Bohemia fuerit, Philippus Andreas Burgoldenſis haud obſcurè indicat, hiſce verbis: „ Dolendum „ ſanè, quod orci galeâ tecti Jeſuitæ Cæſarem adhuc inſtigare non „ intermittant, ut ſapienter opprimat in Imperio Evangelicos. De „ iſtis AntiChriſtiani regni ſubditis fideliſſimis circa an. Chr. 1607. „ Nobiliſſimus quidam Vir *Pragâ* ſcripſit ad amicum: Ignea iſta in„ genia (Jeſuitas intelligit) non deſiſtent, donec omnia Ignatianis „ flammis ſubjiciantur, & Imperii Germanici jam dudum ignaviæ „ putredine quaſi confecta fulcra in cinerem redigantur, quò Phœ„ nix Hiſpanicus inde tandem emergere poſſit. part. 2. diſcurſ. politico-hiſtoricorum. pag. 13. edit. in f. 4.

Anno 1607. *Donawerda*, Urbs Evangelica & Imperialis libera, ob turbatam à civibus, Pontificiorum ut vocant, proceſſionem publicam, juſſu Imperatoris Rudolphi, *à Duce Bavariæ* turmis militaribus obſeſſa, & *capta* eſt, ac *Pontificia religio ſimul introducta*. Hiſtoria

bre-

breviter ſic ſe habet: Populus & Magiſtratus loci, Auguſtanæ addicti erant Confeſſioni, quibus non benè cum Antiſtite S. Crucis Pontificio (inquieti ac pervicacis animi viro) conveniebat. Is, ex more Papalis Eccleſiæ, ſed poſt religionis mutationem in civitate non recepto, die B. Marco ſacram proceſſionem inſtituebat, per urbem & portam Danubianam, ad Aſſechemium vicum uſque; Fideliter monitus à Magiſtratu, ſupplicationes & ſacra quælibet intra Cœnobii muros celebraret; neque contra morem receptum, per medium forum explicato vexillo procederet, (Nam hactenus per plateam, non procul à Monaſterio ſitam ſine campanarum vocumque cantantiam ſtrepitu, complicatis vexillis, donec territorium Civitatis egreſſi erant, proceſſiones inſtituebantur) reſpondit: Se priſca conſvetudine ac libertate uti velle, quòd ita decretum ſit à Camera, re ad eam delata. Citatio erat emiſſa ad videndum, ſe declarari in pœnam fractæ pacis & conſtitutionis religioſæ, cum annexo mandato ſine clauſula de non offendendo, nec turbando; ſed illa per menſes quatuor ſuppreſſa, vel occultata, demum ultimo febr. an. 1606. ſenatoribus inſinuata, duabus horis ante exequias, quas tum temporis demortuo civis Pontificii filio, Abbas ritibus atque ceremoniis Papanis, more nunquam poſt reformationẽ religionis in civitate uſitato, aut conceſſo, peragere conſtituerat. Cùmque Senatus Præſulem, ne lite pendente quicquam innovaret, ſed ad morem receptum ſe componeret, hortaretur, ac producto ab illo Cæſaris mandato, exceptionem ſub- & obreptionis opponeret, ac ut illud remitteretur, ab Imperatoria Majeſtate petiiſſet; nihilominùs Abbas decimo quinto Aprilis die plenis quaſi velis, nulla ceremoniâ Romano-Catholicorum omiſſa, per portam Danubianam procederet; in reditu cives Evangelici procacius uſi publica ſecuritate, papicolas, diſturbatô eorum apparatū ſacro, contumelioſè tractarunt, eamque ob cauſam à Cæſare proſcripti ſunt, executione non circulo Svevico, ut leges Imperii poſtulabant, ſed Bavariæ Duci Maximiliano demandata; qui occaſionem, diu exoptatam, avidè arripiens, urbem imparatam adortus, facilè ſubactam ſui fecit juris, ac libertate tum Eccleſiaſtica, tùm politica privavit; fruſtrà reclamante ac de inſolito & præpropero proceſſu querulante Evangelicô Ordine. Hæc *nova diffidentiæ ac diſſenſionis inter ſtatus Imperii occaſio* extitit, cùm ſubinde comitiis Donavverdam in integrum reſtitui Proteſtantes peterent, eorumque poſtulata

lata eluderent pontificii. vid. Imhofii Notit. procer. German. pag. 84. in primis diſcurſ. VIII. part. 2. Burgoldenſ. in Inſtrum. pacis W. 62.

Ex odio Religionis *Troppavia* (Oppaviam alii nominant, ab amne Oppa) Sileſiæ oppidum, à Gaisbergicis militibus occupatum & *igne vaſtatum*, eâdem tempeſtate, *contra conditiones* utrinque acceptas ante deditionem, in eo poſitas: ut Gaisbergiani, civibus parcerent Evangelicis, & ipſorum vitæ damnum inferrent nullum; Oppidanos milites, in Urbis defenſionem conſcriptos, dimitterent incolumes; Templorum uſum & religionis A. C. exercitium ipſis Oppidanis intemerata relinquerent; demum à direptionibus abſtinerent, miſſa etiam Inquiſitione ob turbas non ita pridem excitatas, quibus præter voluntatem cives A. C. involuti fuerint; attamen religionis negotio ad Imperatorem rejecto, ignem adverſarii ſuppoſuére nonnullis ædificiis, unde magna celeritate incrementa ſumſerunt flammæ, & obvia quæque corripientes, totam civitatem delerunt. Arthus & Lundorp. confer.

Ad meliorem vitam abiit *Georgius Mylius, Theol.* D Auguſtæ vindelicorum fabro ferrario patre genitus anno 1548. abſoluto ſtudiorum curſu academico, per octennium in Patria fideliter docuit, proinde factus ibidem Evangelici Miniſterii ſenior. Cùm autem Calendarium Gregorianum approbare nollet, currui à Pontificiis impoſitus, jamjam neſcio quò abducendus erat; à Civibus tamen Lutheranis armata manu liberatus, Ulmam abiit exulatum. Inde Wittebergam vocatus, in turbulentiſſima tempora incidit, cùm Calviniani ex aula Chriſtiani primi pro lubitu quaſi omnia in Eccleſiaſticis & ſcholaſticis agerent; his ergò ſe opponens Mylius, non modò *Cancellariatus dignitate exutus* eſt, ſed & imminutione annui ſalarii multatus. Jenam vocatus ad Profeſſionem Theologicam, abiit, Wittebergâ ingenti cordolio injuriis Calviniſticis relicta. Sed per Friderici Wilhelmi diſpoſitionem in Academia Leucorea reſtitutus, fidelem DEI operarium præſtitit, uſquedum anno 1607. ætatis 69. anima ejus electa Deoque chariſſima placidiſſimè ad Eccleſiæ & Academiæ cœleſtis conſvetudinem emigravit. Commentario in Johannem, & quaſdam Pauli epiſtolas, in Auguſtanam Confeſſionem, variis item diſputationibus, aliisque tractatibus, probè notus. Strateman, & Micræl. pag. 1104. 525.

LII.

LIB. I. CAP. XLIV.

Summaria.

Compoſitionis litigii, quod Paul. V. & Venetos biennii ſpatio exercuerat, robur & complementum.

Julius Herbipolitanus, & Enſifer miles, & mitratus præſul.

De conſimili Epiſcopo ſeculari, lepida hiſtoriola.

Novi motus in Polonia, ob cleri papalis periculoſas machinationes in purioris doctrinæ confeſſores.

Henricus IV. Galliæ Rex, in Lojolitas valdè clemens & munificus.

Declarata Davidis Armenorum Patriarchæ, ſuffraganeorum ejus, & populi, erga pontificem Romanum obedientia.

Mors Caroli III. Lotharingiæ Ducis: Et Leopoldi IV. Archiducis Auſtriæ Græcenſis: Cæſaris Baronii, Annalium conditoris: Cæſaris item Buſſii, Monachi cœci.

HOc demum anno robur & complementum accepit *compoſitio litigii, quod* biennii ſpatio *Paulum V. Pap. & Venetos exercuit*, ut anno 1605. atque 1606. memoratum. Hinc in redintegratæ ſignum amicitiæ, Pontifex Venetis decimas bonorum Eccleſiaſticorum in tota ipſorum ditione, bello Turcico applicandas, liberaliter conceſſit. Antè verò quàm ad alia nos convertimus, non diſpliceat, litigio illi coronidem ex *Barclaji* ſatyrico imponere, ubi diverſitor ad hoſpitem inſit: „Qui hodie Gephyrius (pontifex) „imperat, quanquam leniſſimæ conſvetudinis homo, ſolicitantibus „illis, qui per publicam orbis mundani calamitatem clareſcunt, vo„luit hujus civitatis (Venetæ) ſecures circumvolvi inexplicabili fa„ſcæ, ac tantùm ejus imperio ſtringi. Cùm obſtarent noſtri Prin„cipes, Occidentalis nubes, in qua Gephyrius fulmina ſtrueret, „in noſtrum caput promittebatur, & nos fœderibus validarum „gentium, etiam penè illorum favore, qui publicè maledicunt, „mundi inclinationem agnovimus. Ille, velut impetu cœlum ac „maria rapturus, crudeliſſimis edictis detonuit, & ſi mihi credis, „hoſpes, ſuam cauſam præcipiti furore corrupit. Quid attinuit „penè minis conjunxiſſe præcipites ictus, quid nos deducere in „anguſtias, ut etiam cogeret eſſe hoſtes? Vapor quoque in nubibus „preſſus exclamat, ac timidiſſimis feris ſua arma neceſſitas oſten„dit. Si permiſiſſet iracundiæ tempus, ſi diu librâſſet illud fulmen,

„quod immaturis nubibus emiſit, forſitan mitigari potuiſſent tàm „cruda Imperia; neque noſtri Magiſtratûs armorum vel ignaviæ „neceſſitatem expectâſſent. Sed nec impunè pertulimus ſævientem; „&, ut amicis fœderibus coëamus, durabit ad poſteros atrox me„moria vulnerum, quibus Gephyriorum (pontificum) cauſam hæc „afflixit contentio. Quot volumina per orbem diſſipata excuſſére „Gephyrii vires, & hanc vanitatem imperandi deriſerunt? Nec ab „iis quidem ſparſi, quos iniquiores Religio fecit, ſed ab illis, qui „ſacrorum participes tamen docent, graviora eſſe ſceptra, quàm ut „illa inanes ſcholaſtici argutiis moveant. Etiam plurimi intem„peranter ingeniis abutuntur, & ſeria res hodie ad ludibrium proceſ„ſit. Quòd ſi hæc diſcordia incidiſſet in homines bellandi libidine „furentes, videres omnia hoc flagrare incendio; nec aliter quàm „per alterius partis infamiam lis miſerrima conſtitui poſſet. Sed „& ſumus ab armis alieni, & Gephyrius (Papa) dolet ſuam per„tinaciam ad neceſſitatem pugnandi traduci; ſuſcepitque Prota„gon (Henricus 4. Galliæ Rex) tollere dedecus pacis, tàmque atrox „diſſidium honeſta tranquillitate extinguere. Nam conatus Li„phippi (Philippi III. Hiſpaniæ regis) clàm noſtri Magiſtratus „contemnunt, nec à Gephyrio tam apertis vulneribus diſtracti, ali„ter quàm Protagonis induſtriâ coibimus. Hoſpes, cùm diverſi„tor in hæc verba tacuiſſet: Ego qui ſemper Gephyrios colui, non„nihil acerbatus paraveram verba, quibus audaciam illius refuta„rem, ait. Nam ut olim occidentibus lucernis non afferebant „manus, ne ignis divinitatem violarent; ita in illis, qui ad reli„gionem prælucent, humanius eſt vitia, tanquam fumum lychno„rum morientium pati, quàm dignitatibus vim afferre, quas in „turpiſſimis hominibus nullæ tamen ſordes maculant. Sed facta „mentio pacis lenivit animum meum; prætereàque admirabar il„lius Protagonis felicitatem, qui huic morbo Æſculapius deſtina„batur. Hactenus *Barclajus* ſatyr. part. 2. pag. 136. ſeqq. confer. ſchad. & Lundorp.

Denuò JULIUS, Epiſcopus Herbipolitanus, de quo ſupra XLI. cap Ludovico Comiti à Löwenſtein & Wertheim / arma intentat, propter *Brenbergam* præcipuè; facto docens, non minùs enſe, quàm ſtola, ſe de rebus judicare: hac, ut *Epiſcopum Wurzburgenſem*, illo ut *Franconicum Ducem*. Sanè Hornius in orbe politico ſcribit: „Franconiæ Ducatum, Epiſcopo Würzb. donaſſe dicitur Carolus

„Ma-

„Magnus, & Pipinus. Unde Epiſcopus quandò ſacra (Miſſas) fa-
„cit, ſemper *nudum enſem* in ara, vel alio propinquo loco, poſitum
„habet, & in ſuo ſigillo hiſce verbis utitur:

Herbipolis ſola, judicat enſe, ſtola!

„Nos hîc, ut alibi quoque judicium noſtrum in ſuſpenſo tenemus;
„non poſſumus tamen, quin Conringii verba transſcribamus: Bo-
„no an malo ceſſerit illa ſecularium dignitatum in Eccleſiaſticos col-
„latio? Non difficile eſt judicatu. Fieri enim vix poteſt, ut unus
„idemque animarum cœleſti curæ ſimul & magnorum bonorum
„ſecularium Adminiſtrationi vacet. In canonibus etiam vetita eſt
„Epiſcopis omnis bonorum ſecularium adminiſtratio. Germania
„profectò, ex quo ab antiquo illo more Eccleſiaſtico diſceſſit, Epi-
„ſcopos verè pios atque doctos habuit pauciſſimos, pleriſque re-
„rum ſecularium curationi totis intentis atque adeò nonniſi nomi-
„netenus Epiſcopos ſe gerentibus, omni ſua Epiſcopali cura in Vi-
„carios, ut appellant, rejecta. Orb. pol. Horn. 190. Burgoldenſ. in Inſtrum. paci. Weſtphal. A. 339. & B. 74. Imhof. Notit. procer. 1350.

Intuitu & occaſione armati & belligerantis Epiſcopi Würzburgenſis, lepidam addo hiſtoriam de conſimili Miſſa ſeculari. *Arator quidam* ſenex in Germania, cùm Epiſcopum Principemque Colonienſem, armatum facientem iter, vidiſſet, magnô riſu ſolutus, & interrogatus, quæ tanti riſûs cauſa eſſet? reſpondit: Ridere ſe, quod Petrus Apoſtolus Clericalis ordinis princeps, in tanta inopia mortuus eſſet, ac poſteros in eo ordine magnopere locupletâſſet. Reſpondente autem Epiſcopo, ſe ſimul & Ducem & Epiſcopum, eoque tempore ut Ducem armatum eſſe, & cum armatis iter facere, cum autem in templo eſſe contingeret, illic ut Epiſcopum agere: Majori etiam cachinno ſolvi arator cœpit. Denuò igitur cauſam rogatus, dixit: *Vellem ego declarari, mortuum hunc Ducem, cujus perſonam geris, cùm in inferno eſſe continget, quò Epiſcopum putes iturum?* Ex Fulgoſo refert Burgoldenſis, tract. cit. A. 341. & Chriſtianus Noldius, libro de legibus diſtinguendi. pag. 24.

In *Polonia*, *papales Clerici* conventum celebrant, & ingentem pecuniæ ſummam Sigiſmundo Regi offerunt, pro opprimendis & extirpandis, qui reformatam religionem ſequantur. Hinc novos cient motus *Rokoſani*, deque convenienti remedio malis in patria abro-

 abro-

abrogandis adhibendo deliberationem inſtituunt; ſoliciti, ne Tridentini Concilii executio per Inquiſitionem Hiſpanicam concedatur; eam eſſe Pandoram dicentes, ex cujus fatali pyxide omnes ferè calamitates hactenus viſæ ſint ſcaturire. Præprimis contra *Lojolitas* peculiare ſcriptum, competente loco inſinuant, ſupplicantes ut Ardelionum illorum inſolentia potentiaque frangatur, imò per ejectionem è regno aboleatur penitùs; additis ob id rationibus haud leviculis, à Thuſano & Lundorpio prolixè annotatis.

In Gallia tum temporis *Henricus IV. erga ſocietatem Ignatianam* oppidò clementem & munificum ſe demonſtravit; quippe cui non tantùm ædificia paſſim extruxit, ſed & ſcholas erexit, ſuamque Regiam domum (à la flexe) Flexiam, prope Salmurium, dono dedit; aſſignato ad eas VindocinenſiumDucum palatio, in quo primum ſatus ferebatur, decretoque, ut poſt mortem cor ibi ſuum conderetur; quod quidem expectatione citius factum. Ex Cudſemio, deſperat. Calvin. cauſ. pag. 120. & Epitom. hiſtor. Turſell. continuat. 258.

Anno 1607. *Davides Armenorum Patriarcha*, & ſex Epiſcopi ſuffraganei, cum univerſo populo, *pontifici Romano* præſtiterunt *obedientiam*, coram Eremitis Auguſtinianis, in Regia Perſarum urbe, quam Aſpahanum nuncupant, literasque obedientiales miſerunt ad Paulum quintum, recenſente Auberto Miræo, Notit. Epiſcopatuum pag. 49. quæ ſi de *Francarmenis* (vide cap. XXIII. anno 1604.) autor intelligit, narrationi fides haberi poteſt probabilis; Nulla, ſi de cæteris, uti ſuo loco σ. Θ. docebimus. confer. an. 1634. 1637.

Mortalitatis viam calcavit, *Carolus* III. *Cardinalis* aulæ Romanæ, *Lotharingiæ* Dux, Caroli cognomento Magni ex Claudia Francica, filius; Epiſcopus Metenſis & Argentinenſis, Johannis Georgii Brandeburgici, inde ab anno 1592. adverſarius pertinaciſſimus; Quem, in Argentoratenſi quidem Epiſcopia, ſequutus eſt *Leopoldus* IV. *Archidux Auſtriæ*, Carolo Græcenſi patre prognatus, hactenus Paſſavienſis Antiſtes primarius. Wagn. lim. Gen. 288. Hofm. Lex. A. 385. 908.

Nec minùs *Cæſar Baronius*, Campania-Soranus ex Italia, Eccleſiæ Romanæ Cardinalis & Bibliothecarius; triplicem coronam nacturus, poſt Clementem VIII. niſi ſcripſiſſet: Jus, quod Hiſpaniæ Reges in Sicilia ſibi vendicant, ſuſpectis falſi teſtimoniis

niti.

niti. Vaſtos, quos vocat, rerum Eccleſiaſticarum Annales, centuriis Magdeburgicis oppoſuit, inque his condendis totam deſudavit ætatem; magis certè (magnorum judicio virorum) cauſæ Pontificiæ patronum agens Placentinum, quàm Veronianum Hiſtoricum; unde *Grotius* non immeritò ceciniſſe putandus eſt, allegante Heideggero, in hiſtoria Papatus. pag. 309.

Annales docti nimium ſervile Baroni
Qui legis, & Romæ quale probatur, opus,
Credere ne propera: multo vigilata labore
Pagina; ſed nutu ſub dominantis erat.
Auctoramentum non eſt leve, purpura: pridem
Pontifices verum non didicere pati.

Equidem eruditorum nemo invidebit *Lanſianum* illud *præconium* Baronio: „ Quòd in contexenda Eccleſiæ (papalis) hiſtoria univer„ ſali ea perfecerit, de quibus ante ipſum perpauci cogitaverant; „ nemo ſimile quid unquam ediderit; adeòque ſive magnitudinem „ operis inchoati, ſive narrandarum rerum varietatem, ſive ordi„ nem ſpectemus, fatendum ſit: Nil oriturum aliàs, nil ortum tale. Sed interim extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, & manet: Baronium in ſuis Annalibus conſcribendis eundem habuiſſe ſcopum, quem olim Terentius in Comœdiis, teſte prologo Andr.

Poëta (ſic Baronius) cùm primùm animum ad ſcribendum appulit,
Id ſibi negotii credidit ſolùm dari,
Populo (Pontifici) ut placerent, quas feciſſet fabulas.

Confer. Theatr. hiſt. Strateman. pag. 1104. Lanſ. Conſult. p. m. 706. Bembellon. ſuſcitab. A. 62. ſeq.

Atque *Cæſar Buſſius*, fundator Congregationis doctrinæ Chriſtianæ; qui *cæcitatem* immiſſam ſibi cœlitus tanta æquitate animi tulit, ut illi amoliendæ nullum collyrium adhibere voluerit. Hofm. Lex. A. 338.

LIB. I. CAP. XLV.

Summaria.

In Haſſia Caſſellana, Calviniani paſſim dogmata ſua ſpargunt, ipſosque Nobiles tentant.

Inſtinctu Pelargi, Crypto-Calviniani, Elector Brandenburgicus) F. Coloniæ ad Spream ceremonias quaſdam Luth. aboleri curat.

In

In Suecia quoque parum aberat, quin ſeductores ex gente Calviniſtica, novum Regem in ſuas partes traherent.

Sub hæc palatini, Caſſellani, aliique ſimiles, Eccleſiis A. C. intimam fraternitatem offerunt, arctiſſimamque Unionem, tam Eccleſiaſticam quàm politicam.

Jacobus I. Angliæ Rex, æque à Pontificiis ac aliis ſubditis, Juramentum fidelitatis poſcit, Papa præſtare interdicit.

Vita hæc Leidenſis Theologus, Lucas Trelcatius excedit.

IN *Haſſia Caſſellana*, Doctores *Calviniani* ſtrenuè laborant, ubique dogmata ſua Eccleſiis obtrudere, ſub favore & umbone Mauritii; cujus autoritate, poſtquam in locis immediatè principi ſubjectis ad ſcopum pervenerunt, jam *Nobiles tentant*, ut in puncta Meliorationis, nempe congruam decalogi diviſionem, fractionem panis in adminiſtratione S. Cœnæ, remotionem imaginum, omiſſionem certarum phraſium de Majeſtate Chriſti hominis, ſique ſunt ejusmodi alia, apud illos cœtus, quorum ipſi (Nobiles) jura patronatus exercent, introducenda conſentiant. Adeòque verum ſe *Geſnerianum* illud probat: „Calvinianorum dolus eſt & mos, quòd „brachio ſeculari deploratæ ſuæ cauſæ robur comparare ſolent, & „quamdiu præſidio principum deſtituuntur, venenum ſuum oc„cultant; quamprimùm autem ſe illorum autoritate ſtipatos at„que tectos animadvertunt, magno tùm auſu in theatrum proſi„liunt, &c. Cùmque peculiaria illorum dogmata (de abſoluto „Electionis & reprobationis decreto; denegata reali communica„tione idiomatum in perſona Chriſti, de corpore ſalvatoris tam „procul à S. Cœna remoto, quàm procul ſupremum Cœlum ab in„fima terra diſtet; de Sacramentorum ratione & virtute tantùm „ſignificativa, maximamque partem inani ſignificatione; ac de „ſimilibus aliis) aperte propoſita; duriora ſint, quàm quæ „ferrentur ab hominibus A. C. addictis, glaucoma ſimpliciorum „oculis objiciunt, Lutheranas Eccleſias nondum ſatis purgatas „eſſe, blaterantes; dehinc mutationem in rebus atque ceremoniis „& ritibus, ut videntur, adiaphoris urgent; uſque dum Ceruſsâ „hac inducta, è quovis fingere ac pingere quidvis pro lubitu va„leant. vid. Conſil. Theol. Wittenberg. A. 477. & C. 35. Geſner. in „Papiſmis dogmat. & practic. Calvin. H. 1. diſp. 2. θ. 87. Micræl. „hiſt. ſynt. c. 680.

Sub idem tempus *inſtinctu Chriſtophori Pelargi*, ſuperintendentis Marchiæ generalis, Theologi Francofurtani ad Oderam, Crypto-

pto-Calviniani, *Joachimus Fridericus, Elector Brandeburgicus*, paulò antè quàm fato fungeretur, in templo Cathedrali, quod eſt Coloniæ ad Spream fluvium (ex adverſo Berolini ſitæ, cujus verius pars eſt ſeu ſuburbium ſatis amplum, ad plagam Auſtralem) *ceremonias aliquot aboleri curavit*, invitis licet ac renitentibus Eccleſiæ Presbyteris, aliisque ex communi cœtu melioribus membris. Ita nimirum Pelargum decuit, vivente ſeniori Electore, viam parare juniori, futuramque Reformationem Calvinianam in iſto Marchionatu plauſibiliorem reddere ac faciliorem. Spen. Syllog. Geneal. 146. Hofm. Lex. 835. B. 116.

Parilem in ipſa *Suecia* mutationem, hoc anno moliti ſunt *Calviniani*, animo novi Regis Caroli ad ſuas partes eò usque inclinato, ut illis quàm proximè gratificaturus eſſet, niſi totis viribus obſtitiſſent Epiſcopi adhuc ſinceri & intemerati; præcipuè verò Profeſſores Academici, provocantes ad Nationalis Concilii Upſalienſis anno 1593. habiti decretum, quo ſectæ Pontificiorum, Anabaptiſtarum, Photinianorum, Calvinianorum & aliæ, quocunque tandem nomine inſigniantur, ex hoc regno penitus exulare jubeantur, confirmata ſimul Regis Guſtavi Teſtamentaria Diſpoſitione, vi cujus incluta poſteritas ac univerſa Regni Corona totam Religionis, Doctrinæ ac Ceremoniarum adminiſtrationem, juxta S. Scripturæ normam, in genuino Confeſſionis Auguſtanæ ſymbolo breviter comprehenſam, ſua cura & ſuffragio in omnibus regni Eccleſiis receptam ac uſitatam, ea ſolicitudine retinere & continuare debeant, qua vitæ cœleſtis beatitate frui, & gehennæ infernalis incendium evitare velint, atque exoptent. Quibus ægrè perceptis Rex acriter quidem ſuccenſuit Academicis, eosque privilegiis anteà conceſſis iterum orbavit; Sed à Reformatione tamen Eccleſiarum abſtinuit. Pufendorf. in Continuat. Introduct. Stat. Europ. 615. & append. Gründl. Beweiſ. Wittenberg/ contra Calvinian. & Rintelenſ. Syncretiſt. pag. 594. 576.

Interim *Caſſellani, Palatini*, aliique Calvini dogmata ſequentes in Imperio Romano Germanico, multum gloriantur de conſenſu cum Eccleſiis A. C. addictis, *fraternitatem* iis intimam *offerunt*, arctiſſimamque Unionem, non minùs Eccleſiaſticam ac politicam, proteſtantibus licet atque contradicentibus illis, indefinenter ambiunt, quod forſan demiraberis, B. L. At in promptu cauſa eſt, quam acu tetigit Laaſius in Conſult. p. m. 875. ita diſſerens: „ Licet pa-

„ ce religionis præter duas, Pontificiam & Auguſtana Confeſſione
„ comprehenſam doctrinam, nullas alias in Imperio admittendas
„ eſſe conſtitutum ſit; Uti propterea in Calvinianos, & præcipuè Pa-
„ latinos, cùm Impp. Ferdinandus I. & Maximilianus II. tùm cæ-
„ teri Principes Proteſtantes infeſtis animis ferebantur: Nihilomi-
„ nus ut eodem pacis beneficio fruantur, aſſerunt Calviniani, ſe
„ Auguſtanæ Confeſſioni verè addictos eſſe. Proin Fraternitatem
„ cum Lutheranis Theologis inire magno molimine nuper conati
„ ſunt (conantur adhuc) ſed ſine ſucceſſu; Lutheranis ſpurios fra-
„ tres, pro legitimis agnoſcere recuſantibus. Quid autem pergit
„ vir ſagaciſſimus, tandem fiet? Quidſi Calviniani potentiores fa-
„ cti & Lutheranos referant inter ſpurios fratres, & pacem religio-
„ nis torqueant adverſum illos, & mutent in bellum? Quid, ſi etiam
„ Pontificii tot opulenta Monaſteria, totque Epiſcopatus pingues,
„ ab aliis in fiſcum ac ad menſam Domini verſos, armatis precibus
„ repetant? Abſit, ut hæc voveam! Timeo tamen in hac ferociſſima
„ ſectarum ætate, & hac ambulatoria Principum, ac ſubditorum fi-
„ de! Vitio enim ſeculi fermè religionibus, ut veſtibus utimur;
„ quæ, niſi quotidie aliquid habeant novi, non placent. Confer
Hornbeck. in Sum. Controv. de tract. Hohſneri pag. 692. & Wit-
temb. Beweis. contra Calvin. & Rintel. app. 282. ſeqq. Evangeliſcher
Kirchen Brüderſchafft/ pl.

Anno 1607. cùm *in Anglia ex Lojolitica Sodalitate quidam*, in oc-
culto populum docere, Sacerdotesque ſui Ordinis creare, contra
jus & mandatum Regis in Eccleſias multa dicere, ac abalienare ſub-
ditos à fidelitate debita, deprehenderetur, in quatuor partes à car-
nifice diſſectus eſt. *Rex* autem frequentibus periculis adductus, à
ſubditis tàm Pontificiis, quàm reliquis, *novum fidelitatis juramentum
exegit*, quo teſtarentur, ſe verè ac ſincerè agnoſcere & profiteri;
„ Regem (Jacobum I.) regnorum, quæ poſſideat, ſupremum eſſe
„ Dominum, nec poteſtati Pontificiæ ſubjectum, ut per eam ipſi
„ regna auferri, & ad alterum extraneum transferri, vel ſubditi à
„ præſtito juramento abſolvi, & ad arma in ipſum capienda licen-
„ tiam conſequi poſſent; Simul etiam doctrinam, qua aſſeratur, Re-
„ gem à Papa excommunicatum vel depoſitum, à ſubditis & aliis
„ quibuscunque regno ac vita dejici licitè poſſe, deteſtarentur. Hoc
dum fecit JACOBUS, oppoſuit ſeſe *Paulus V.* Pontifex Rom. & per
Brevia, quæ vocant, emiſſa *Pontificiis*, qui illis in locis degebant, ne
præ-

præſtarent poſtulata, *interdixit;* eaque occaſione *Barclaji* & *Bellarmini* nata eſt lis: Quanquam ne *Bellarminus* quidem, hero ſuo, Papæ, fidam navans operam contra Regem & memoratam juramenti formulam, aulæ Pontificiæ ſatisfecerit, ei ſolùm indirectam in Reges ac regna poteſtatem adſtruens, eamque tantùm ex Eccleſiæ neceſſitate metiendam, cùm illa directam omnimodamque maluiſſet. Thuan. & Lundorp. confer. hiſtor. Gothan. 789. & Georg. Calixt. procem. ad Lect. in Auguſt. libros de Doctrina Chriſt. lit. l 1, pag. 74. ſeq.

Hoc anno, ætatis ſuæ trigeſimo quarto, menſe Septembri, mortalitatem explevit Lucas Trelcatius, Batavo-Leidenſis Theologus, poſtquam de ſe majorem ſpem fecerat; ex Inſtitutionibus locorum communium aliquantò notus. Calviſ. 961. Diet. Catal. Autor. Inſtitution. Catech. præfix. in 8. lit. d.

LIB. I. CAP. XLVI.

Summaria.

Inſolitus baptiſandi modus, per aſperſionem infantilis involucri.

Manifeſta ſchiſmatis initia, Gomariſtas inter & Arminianos, i. e. Calviniſtas rigidiores, ac mitiores, in fœderato Belgio.

Cœca obedientia, diſcipulorum & fratrum ſodalitatis Ignatianæ, præpoſitis præſtanda.

Anabaptiſtica ſoboles, ut olim in Ducatu Würtembergico invalueraт, ita hoc tempore ſuccreſcit, & Verbi præconibus, atque officialibus politicis multum negotii faceſſit.

INſolitus, penè dicerem inauditus t. t. fuit *baptiſandi modus*, per aſperſionem infantilis involucri, *à Molinæo adhibitus*, Calviniſta Gallicano; de quo Cudſemius ita ſcribit: „ In Germania Catholicus „ mos, trina immerſione vel aſperſione aquæ baptiſandi ſervatur. „ In Gallia variat, unamque ſolùm adhibent, non in capitis vertice, „ ſed fronte vel facie. Imò, pergit, Aureliæ me ſemel vidiſſe me„ mini, Molinæum Seniorem, ibi Miniſtrum, paulùm aquæ in ve„ ſtem ſolùm (in faſcias) infantis, quem baptiſaret, inſperſiſſe. Se„ cundum Auguſtinum addit, Aqua corpus tangit, & cor abluit: „ Secundum Molinæum: Aqua veſtem tangit, & illam penetrans corpus abluit, & animam, DEI promiſſione de electione ad vitam

æternam, obſignat. Hæc Petrus Cudſemius, in deſperat. Calv. cauſ. pag. 108.

In Belgio fœderato matureſcere incipit, ac ſe prodere, periculoſum illud *ſchiſma*, inter Calvinianos rigidiores ac mitiores, vel ſi mavis, *inter Gomariſtas & Arminianos*. Fidem faciunt nobis Dordracenſes in præfatione ad Eccleſias hiſce verbis: „ Oſtenſum fuit Suvd-Hol-„ landicarum Eccleſiarum Synodo Delphenſi, paſſim in Eccleſiis „ diſſenſiones quotidiè magis magiſque augeſcere; pleroſque ju-„ venes ex Academia Leidenſi & Arminii diſciplina prodeuntes, ad „ Eccleſiarum vocatos Miniſterium, in examinibus quidem ſenten-„ tiam ſuam ambiguis loquendi modis occultare, ubi verò ad offi-„ cium admiſſi eſſent, ſtatim novas diſputationes movere, opinio-„ nes propugnare, variaſque ſe adverſus doctrinam receptam ha-„ bere conſiderationes gloriari. In claſſibus ac presbyteriis inter pa-„ ſtores de pleriſque capitibus doctrinæ altercationes acerbas oriri. „ In ipſo quoque populo, magna cum Eccleſiarum offenſione ac „ perturbatione, diſceptationes de doctrina varias audiri. Quin & „ ſchiſmatum initia conſpici. Paſtores enim Arminio addictos con-„ ventus crebros, in quibus de doctrinæ ſuæ propagatione delibe-„ rarent, ſeparatim inſtituere, populumque in partes magis magiſ-„ que abire. Synod. Dordr. præf. lit. c. 2.

Hoc anno Lojolitæ *Societatis regulas* apud Jacobum Ræſſinum denuò typis exprimi curantes, prope finem repetunt, confirmant & commendant, horrida Patris Ignatii lemmata, de *obedientia præpoſitis præſtanda;* eorumque verba ſic ſe habent: „ Obedientia (quæ „ debetur cujusvis Collegii Ephoro, maximè autem ſodalitatis „ Antiſtiti Generali) comprehendit non ſolùm executionem, ut „ imperata quis faciat, & voluntatem, ut libenter faciat; ſed etiam „ judicium, ut quæcunque ſuperior mandat ac ſentit, eadem infe-„ riori & recta & vera eſſe videantur, quatenus vi ſua poteſt volun-„ tas intelligentiam flectere. Perit (ſanctus pater Ignatius ait) exe-„ quendi ſtudium celeritaſque, cùm ambigitur, expediat, nec ne, „ facere quod jubemur! Perit CELEBRIS illa obedientiæ COECÆ „ ſimplicitas, cùm apud nos ipſos in quæſtionem vocamus, rectène „ præcipiatur, an ſecus, atque etiam fortaſſe damnamus ſuperio-„ rem, quòd ea mandet, quæ nobis non ita jucunda ſunt. Perit hu-„ militas, quoniam etſi ex altera parte paremus, ex altera tamen „ ſuperiori nosmet ipſos præferimus. Perit in rebus arduis fortitu-

„ do,

„ do, perit denique virtutis hujus omnis vis atque dignitas. Ex ad-
„ verſo autem ſuccedunt in eorum locum, dolor, moleſtia, tardi-
„ tas, laſſitudo, obmurmurationes, excuſationes, aliaque vitia non
„ ſanè levia, quibus obedientiæ pretium ac meritum prorſus extin-
„ guitur. Poſtrema ſubjiciendi judicii ratio eſt, cùm facilior tu-
„ tiorque, tum etiam apud ſanctos Patres in more poſita: Ut ſta-
„ tuatis vobiscum ipſi (Lojolæ ſodales) quicquid ſuperior præcipit,
„ DEI præceptum eſſe, & voluntatem; atque, ut ad credenda, quæ
„ Catholica fides proponit, toto animo aſſenſuque vero incumbi-
„ tis; ita etiam ad ea facienda, QUÆCUNQUE Superior dixerit,
„ COECO QUODAM IMPETU voluntatis parendi cupidæ, ſine
„ ULLA prorſus disquiſitione feramini. Sic egiſſe credendus eſt
„ Abraham, filium ſuum Iſaac immolare juſſus. Hæc Jeſuitæ in ſuis
regulis, ex Epiſt. Ignatii ad fratres in Luſitan. de obed. virt. alle-
gante *Riveto*, in Catholic. Orthodox. tractat. 2. pag. 458. 467. ſeq.
ubi *addit*: „ Audite cœlum & terra! Idem honor, quem Abraham
„ DEO exhibuit, à Lojolita ſuo ſuperiori debetur. Utque divinæ
„ voluntati abſque inveſtigatione parendum eſt; ſic & homo homi-
„ ni obedire debet. Quemadmodum articulis fidei credere debe-
„ mus, ita etiam ab homine mandata, credenda ſunt & ſuſcipienda.
„ O cœcam obedientiam! O impetum beſtialem! O facinorum au-
„ dacium ac deſperatorum fontem, ab iis patrandorum, qui man-
„ datis ſibi injunctis, bona ne an mala ſint, judicare non audent!
„ Nonne DEUS irridetur, cùm ei, quod hominem ipſius loco ha-
„ bituri ſimus, vovetur? Hanc tamen Monachalem obedientiam,
„ tanquam accuratiſſimè ad Chriſti exemplar effictam, nobis com-
„ mendant. Benè de vobis hypocritis prophetavit Eſaias, ex ore
„ Domini ſcribens: Populus iſte labiis me honorat, cor autem eo-
„ rum procul abeſt à me. Fruſtrà me colunt, docentes doctrinas,
„ quæ ſunt mandata hominum. Nam omiſſo DEI mandato, tenetis
„ traditiones hominum! Andreas Rivetus cit. loc. confer Danhaueri
AntiChriſtoſophiam, Sect. 1 art. 9. 392.

Quales quantasque turbas & moleſtias *Anabaptiſtæ* ſuperiori ſeculo dederint, ex hiſtoriis iſtorum temporum in vulgus etiam notum eſt. Quemadmodum autem nocentiſſimum illud hominum genus, per pleraſque ſi non omnes Germaniæ provincias peſtilentiſſimum ſuum virus diffudit; ita etiam in incluto *Wirtembergiæ* Ducatu (famigeratiſſimo alias doctrinæ ſalutaris receptaculo ac domi-

 cilio)

cilio) idem ingerere ac diſſeminare non deſtitit. Meliora docti ſectatores, utque in viam veritatis planam concederent ſæpiùs admoniti, contumaciter maximam partem in perverſo ſuo tramite perrexerunt; propterea tandem juſſi hoc territoriô exire, ne plures eorum conſuetudine corrumpantur: Multi ergò bonis immobilibus venditis, cæterisque ſuis rebus convaſatis, aliò *migrarunt*, præſertim in *Moraviam*, quò & magni Theologi *Stephani Gerlachii fratres*, & *ipſe parens*, miſſô natali ſolô, abierunt. Ex malis tamen reliquiis, mala ſoboles orta, ſubinde quaſi herba irrigua ſuccrevit, ac longo tempore clanculum ſerpſit; atque hinc ab initio noſtri centenarii, usque ad hujus anni decurſum, non modò præconibus verbi divini, ſed & politicorum cœtuum præfectis, iteratò multum negotii faceſſit. Ex zelo igitur verè Chriſtiano Dux Würtemb. *Fridericus*, peculiari *mandatô* omnes & ſingulos territorii ſui officiales politicos providè ac ſapienter inſtruxit, quomodò (juxta Miniſtros Eccleſiarum) erga prænominatos ejusmodi ſectarios, ipſi ſe gerere debeant, ut vel convertantur, vel coërceantur, & alibi locorum ſuas ſibi res habere ultimùm jubeantur. vid. Cynoſ. Eccleſ. Wirt. cap. de Sectariis pl. & ordinat. provincial. pag. m. 284. ſeqq. Beſoldi Commentar. 447. ſeqq.

LIB. I. CAP. XLVII.

Summaria.

Synodus Rupellenſis Papam declarat Antichriſtum.

Balthaſar Menzerus, præſentiam Chriſti Theanthropi, definit per operationem ſeu gubernationem, unde lites.

Parei diſputatio, de tollendis ex Eccleſia quibusvis nominibus ſchiſmaticis, Lutheranorum ſcilicet, Calvinianorum, &c.

Julianæ Morellæ laus, ob defenſas anno ætatis duodecimo theſes philoſophicas; cognitionemque variarum linguarum, juriſprudentiæ item, ac Muſicæ.

Concordia Diſcors, Hoſpiniani; Concordia Concorde, Hutteri compenſata.

Sanchezii diſputationes de Conjugio, ſpurciſſimarum quæſtionum plenæ.

Johannis Opſopæi, editio nova oraculorum Sibyllinorum, notis illuſtrata.

Vanum Eliberti Rosweidii, de actis omnium ſanctorum in lucem emittendis, inſtitutum atque promiſſum.

Joh. Val. Piſtorii mendaciſſimum, de præcipuis Chriſtianæ Religionis articulis controverſis, colloquium.

Anno

ANno 1607. habita celebris illa Hugonottarum *ſynodus Rupellenſis* in Gallia, conſcribens articulos Confeſſionis, quam uno quaſi ore & corde nulli non iſtius regni, dogmata Calvini ſequentes incolæ, profiteri, & ut Eccleſiarum illarum commune ſymbolum ſervare debeant. *Papam declaravit Antichriſtum*, ex iiſdem rationibus, queis idem fecerat ante triennium, & quod excurrit, Synodus Vapingenſis, de qua ſupra cap. XIX. Cùm autem Rex per deputatos, inprimis per Dn. Monmartinum ſignificaſſet, inſertionem iſtius articuli, & impreſſionem ingratam ſibi futuram; *omiſit publicationem*, & ne diſſeminarentur exemplaria (niſi inter ſynodales & Eccleſiarum Antiſtites) jam excuſa, ordinavit. Calviſ. 962. Joh. Croc. vindic. Anti Becan. A. contra Mogunt. 735. ſeq.

Prodiit primus tomus diſputationum Theolog. Gieſſenſ. ubi D. *Balthaſar Menzerus* in diſp. 3. theſ. 155. pag. 111. *præſentiam Chriſti Theanthropi definiit per operationem ſeu gubernationem*: „E Scripturæ „fundamentis, inquiens, præſentiam Chriſti ſic deſcribimus, quòd „ſit præſentiſſima Chriſti gubernatio. Hæc definitio, præſertim crebriùs ab autore repetita, & moroſiùs propugnata, occaſionem ac *materiam* dedit acerrimæ *litis* inter Theologos Germaniæ Lutheranos, de qua ſuo loco plura. Confer acta Menzeriana per Tubingenſes edita, præfat. b. 2. 3.

Sub idem tempus, ex priori Epiſtola Pauli ad Corinthios, *Pareus*, Theologiæ Calvinianæ Profeſſor Heidelb. diſputationem habuit, qua *tollenda eſſe ex Eccleſia quævis nomina ſchiſmatica, Lutheri, Calvini*, &c. aſſeruit. Copennius opponens contendit, omninò eſſe retinenda, propter ſui à Lutheranis diſtinctionem, ne ſi communi appellentur nomine, populus in errorem inducatur. Præſes diſputationis reſpondit: „Omninò, diſtinctionis gratiâ, certâ „nomina adhibenda, ſed non ſchiſmatica: Ac proinde ſicut Lu„therani ſe in poſſeſſionem intruſerunt nominis Evangelici, ſimi„liter nobis (Calvinianis) faciendum; referente *Cudſemio* in deſper. Calv. cauſ. pag. 133. qui mox de ſuo addidit: „Sed hactenus nul„lum ſatis commodum (nomen) invenire potuerunt. Nam no„men illud Apoſtolici, alii olim hæretici uſurparunt ſibi, de qui„bus legi poteſt Auguſtinus. Autor illis ego eſſem, pergit illuſor „& Apoſtata, ut ſicut *Lutherani*, qui prius apparuerunt, ſe vocitant „ab Evangeliis, *Evangelicos*; ita *Calviniſtæ*, qui illis poſteriores, „nominent ſeſe ab Epiſtolis, *Epiſtolicos*; quemadmodum etiam in „co-

„ codice Biblico Evangelia ſequuntur Epiſtolæ; hactenus Cudſe-
„ mius.

Juliana Morella, Dominicana, Barcinone oriunda, fertur *anno* ætatis *duodecimo*, æræ Chriſtianæ 1607. *theſes philoſophicas* Lugduni publicè ad diſputandum propoſitas, &c. Margaretæ Hiſpanæ inſcriptas, non ſine laude, ac multorum admiratione, *defendiſſe*; primùm Philoſophiæ, ac Muſicæ, dein & jurisprudentiæ gnara, *quatuordecim* item *linguarum peritiſſima*; Hofm. Lex. A. 869. ſeq.

Porrò lucem vidit anno 1607. Tiguri, *Concordia Diſcors Rudolphi Hoſpiniani*: liber virulentus, ex conviciis, ſannis, Sarcaſmis, mendaciis ac impoſturis, totus conſutus & contextus, conſtans LVIII. capitibus. Cujus *ſcopus*, ut ex titulo patet: „ Formulæ
„ concordiæ errores vel falſa dogmata, ſacræ ſcripturæ, orthodoxis
„ ſymbolis, toti Antiquitati puriori, ipſique Auguſtanæ Confeſ-
„ ſioni repugnantia; Antilogias item ſeu contradictiones, condem-
„ nationes injuſtas, & modum agendi in Eccleſia Chriſti hactenus
„ inuſitatum, quem in conſcribendo, ſuffragiis muniendo, &
„ promulgando hocce Concordiæ libro Patres Bergenſes, autores
„ ejus, ſecuti ſint, Chriſtiano lectori demonſtrare & ob oculos
„ ponere. Sub finem præfationis idem conqueritur, „ ſex tan-
„ tùm patres Bergenſes, placitis, decretis, anathematiſmis & con-
„ demnationibus ſuis dogma conſubſtantiationis (ita vocat realem
„ præſentiam corporis Chriſti in cœna) ac ubiquitatis, Eccleſiæ
„ obtruſiſſe. Cui *oppoſita* fuit, juſſu & autoritate Electorum Saxoniæ, Chriſtiani II. & Johannis Georgii ſucceſſoris, cum approbatione Theologorum Lipſienſium & Würtembergenſium, *Concordia Concors*, à *B. Huttero* elaborata, publicataque primùm an. 1614. & ſecundùm edita anno 1622. in qua ſolidiſſimè Hoſpiniano reſponſum; dignusque hic liber Hutterianus eſt, omnium qui verſetur in manibus, ac diligenter perlegatur. *Johannes Hornbeck*, Hoſpiniani tractatum vocat eximium opus, de origine & progreſſu libri Concordiæ, cui aptè titulum fecerit, Concordia diſcors; eique fruſtraneo conatu Leonhardum Hutterum, Theologum Wittembergenſem, aliud ejusdem argumenti volumen oppoſuiſſe, ſub titulo: Concordia Concors, apertè ſcribit. Quid verò ab uno & altero hac in re præſtitum, æquus lector judicet. D. Chriſtian. Chemnitius, in colleg. ſuper Form. Conc. lit. B. 3. Hornb. ſumma controverſ. pag. m. 661. Act. Erud. Lipſ. 1689. pag. 74.

Sed

Sed orbem Chriſtianum pudore ſuffudit *Thomas Sanchezius*, impudiciſſimus Lojoliticæ ſodalitatis Monachus, Cordova Hiſpanicus, promulgatione *diſputationum* ſuarum de conjugio, ubi, nono potiſſimùm libro, plurimas *quæſtiones ſpurciſſimas*, quas proferre vel impudentiſſimus leno vix auderet, in medium ipſe protulit. Ejuſmodi verò zetemata cùm ſancti paterculi confitentibus mulierculis magno numero proponere ſoleant, argumentum deploratæ caſtitatis Monachalis id exhibet. Joh. Jac. Bek. in Lutheraniſmo ante Lutherum, pag. 181. D. Müller. Hamb. defens. Lutheri contra P. Creutz. 185.

Qui *Sibyllina carmina* authentica eſſe negant, & pro ſuppoſititiis habent, ſunt graviſſimi viri, quibus cerebrum non in calcaneo eſt, viri in Antiquitatis nemore verſatiſſimi, rationibus ducti graviſſimis, quæ omninò dignæ ſunt, quibus animus advertatur. Hos inter meritò numerandus eſt primo loco Dn. *Johannes Opſopæus*, qui Sibyllina oracula, quæ octo libris extant, ex vett. codd. aucta, renovata, & notis illuſtrata anno 1607. magnâ diligentia Pariſiis edidit, & in præfatione ad lectorem, illorum authentiæ, ea oppoſuit argumenta, quæ ſolertiſſimis ingeniis negotium faceſſunt, nec dum à quoquam ſolidè ſoluta extant. D. Wagner. Inquiſition. in oracula Sibyllina de Chriſto, occaſione orationis in pervigilio Nativitatis ſalutiferæ hab. pag. 28. & ſeq.

Elibertus Roſvveidius, animo conſtituit *omnia ſanctorum* (Pontificiorum inprimis) *acta*, quæcunque ſcripta eſſent unquam, undiquaque conquirere, edita ac inedita, collectaque emittere in lucem, annotationibus illuſtrata; quibus & obſcura illuſtriora, & ambigua firmiora, & pugnantia certiora redderentur, prætereàque multa ad ſacram & profanam eruditionem utilia in iſtis exhiberentur. Univerſi hujus inſtituti rationem ipſemet expoſuit, editis anno 1607. Antverpiæ *Faſtis ſanctorum*, quorum vitæ in Belgicis bibliothecis manuſcriptæ extant; His etiam, veluti ſpecimen totius operis, annexuit *Acta præſidialia ſanctorum Tharaci, Probi, & Andronici*, mutilè olim à Baronio edita. Hanc ad rationem compoſita omnia ſanctorum omnium Acta, ſedecim tomis evulgare, duoſque his illuſtrationum in eoſdem tomos, adjicere ſe velle; pollicitus eſt. Sed *magno* huic *inſtituto*, cui exequendo Bellarminus vix ducentos vitæ annos ſufficere, nec minori ſpatio temporis rem tantam perfici pro dignitate poſſe cenſuerat, Roſvveydius jam

ſexagenarius perficiendo ſe parem credidit; Morte tamen ſubtractus, antequam primum tomum emitteret in publicum, conſummandum hoc arduum opus aliis reliquit. Act. Erud. Lipſ. an. 1683. pag. 7. ſeq. 127.

Moguntiæ verò ſumptibus Johannis Valentini Piſtorii tractatus prodiit, cujus titulus: *Breve & ſimplex colloquium de præcipuis Chriſtianæ religionis articulis controverſis*; quô autor Pontificius pro certo, cui non ſubeſſe poſſit falſi ſuſpicio, venditat, orbique Chriſtiano toti perſvadere conatur, laudatiſſimũ Evangelicæ veritatis Confeſſorem, *JOHANNEM, Electorem Saxonicũ, ſub extremum vitæ, Lutheranam doctrinã damnaſſe*; mortiq; proximum, filio JOHANNI FRIDERICO imperaſſe, ut Lutherana hæreſi damnata, Romano-Catholicam religionem in ſuis ditionibus priſtinæ dignitati reſtitueret. Sed mendaciſſimum eſſe mendacium, quicquid narratores pontificii de nominati Electoris apoſtaſia non ſemel prodiderunt, ex aliis papicolarum ſcriptis Lutherani abundè ſæpiùs demonſtrarunt. vide Hutter. in explic F. C. Epiſt. Nuncupat. lit. b, Gerhard. Confeſs. Cathol. A. pag. 918. ſeq. Confer. an. 1677.

LIB. I. CAP. XLVIII.

Summaria.

Induciarum inter Hiſpanos, & foederatos Belgas, tractatio.

In quæſtores ac theſaurarios Gallicanos inquiſitio.

Facti Anglorum Regis, de requiſito à ſubditis papiſticæ Religionis juramento fidelitatis, defenſio.

Literarum Perſiæ Regis, ad Regem Hiſpaniæ, tranſmiſſio.

Sigiſmundi Rakozii, in locum Botskai, ſubſtitutio.

Litis Rakoſanæ in Polonia, ad Regni Comitia rejectio.

Caroli, Sudermaniæ Ducis, in Regem Succiæ Coronatio.

Moſcovitarum ad Polonos, ob cauſam Demetrianam legatio.

Nurdini Mahometis, in locum Acbari Mogulis Indici, ſucceſſio.

Magna in Regno Japoniæ mutatio.

Divinorum honorum in defunctum Taykonem collatio.

POſt quadraginta annorum ſanguinaria bella *inter Hiſpanos & fœderatos Belgas*, hoc demum anno de pangendis *induciis* cœpta tracta-

tractatio; egregiè promota per memorabilem victoriam, qua potitus eſt Jacobus Hemskirchius, Hollandicæ Claſſis præfectus, in Gibraltar ad fretum Gaditanum; Ibi enim littus Hiſpanicum infeſtans, naves Regias prope Gades aut flammis abſumpſit, aut ictibus tormentorum concuſſas ferè inutiles reddidit, victoriâ tamen patriæ ſua morte dedicata. Cluver. Ep. hiſtor. 764. & Gottfrid.

Galliæ Rex cùm *quæſtores ac theſaurarios*, hinc inde conſtitutos, nimis diteſcere cognoſceret, exactam ipſi ut quilibet *rationem diſpenſationis redderet*, imperavit; quorum aliqui ſibimet diffiſi, ſupplices ad Regis genua provoluti ſunt; alii clàm ſtationes ſuas deſerentes, fugâ ſibi conſuluerunt, unde retractos nonnullos cuſtodiæ mandari ſummus curavit Magiſtratus, bonis eorum omnibus, ne quid inde dimoveri poſſit, in tabulas publicas relatis & conſignatis; *plurimi, corruptis inquiſitoribus Regiis, impunitatem adepti ſunt*; Et, ubi de ingenti præda modicum vectigal perſolverunt, quaſi omnibus jam ſoluti flagitiis, ad peculatum audentiùs ac edaciùs ſe adjecerunt, ulciſcendi ſeveritatem irritam, auroque manus liberas fecerunt. Arthus & Lundorp.

Jacobus Angliæ Rex, juramentum fidelitatis à ſubditis pontificiis præſtandæ, pergit urgere inſtantiùs, contraque papales bullas & offucias validiſſimis rationibus defenſare; Ac in conſortium, tanquam in cauſa communi, R. Imperatorem, Reges principesque orbis Chriſtiani, ſemel atque iterum advocare. Thuan. lib. hiſt. 138. pl. J. val. Andr. in Epit. hiſt. Eccleſ. pag. 411.

Perſarum Rex, literis ad *Hiſpaniæ Regem* transmiſſis, amicitiam huic offert perpetuam, & conjunctionem armorum adverſus Regnum Ottomannicum expetit. Inprimis ut Hiſpanus, inito cum ipſo fœdere, claſſem ſuam velit mittere in Arabiam; magna pollicitatione, futurum, quò ſe facili negotio, extirpatis Ottomannicis, Dominum Damaſci & Ægypti fari poſſit. Teſtatur ſimul, ſe omninò velle, ut omnes in regno Perſico habitantes Chriſtiani, eadem cum ſuis fidelibus dignitate, iisdemque privilegiis fruantur. Mercur. Gallo belg. Tom. 7.

In *Tranſſylvania*, defuncto Botskajo, Proceres menſe anni ſecundo Claudiopoli conveniunt, & *Sigiſmundum Rakozium* ducem eligunt, invitum. Poſt confirmationem tamen ab Imperatore R. & Hungariæ rege, tranquillo præfuit animo, & Matthiæ, & Achmeti, æquè gratus. Hoſm. Lex. B. 351. Calviſ.

In Polonia *Rakoſiani* (Nobiles malè contenti) cùm Rex querelas de violatis privilegiis, ad Inſtantias Cleri Pontificii, non audiret, arma eidem intentant, proclivem victoriam deportaturi, niſi quidam inter eos mutatæ fidei ad Regem declinaſſent. Proinde omiſſa vi ulteriore, ad comitia Regni rejecta lis eſt, uti Thuanus, & Cluverus referunt.

Sudermaniæ Dux CAROLUS, primùm Gubernator *Sveciæ*, deinde *Rex* creatus ab ordinibus, excluſo Sigiſmundo ac omni ejus poſteritate, tandem *coronatur* menſe Martio, mediis in turbis Polonicis; dehinc *Weiſſenſteinium*, Livoniæ propugnaculum aliquandiu obſidione cinctum, *deditione capit*, cumque *Ruſſis* bona gratiâ, quicquid litium fuerat, componit; *pacem* nihilominùs & *Polonis offerens*, repetitis literis, cum proteſtatione, ſi æquas pacificandi cauſas & conditiones non accepturi ſint. Orb. pol. Horn. Gottfridius, & Boxhorn. Chronol.

Moſcovitæ legatos, ex Aniconiorum familia, *ob cauſam Demetrianam, ad Polonos mittunt*, moventes querelas de palatino Sendomirienſi, qui per inſidias introduxerit maledictum Monachum, tanquam legitimum Ruſſiæ Dominum, turbasque dederit iſtis ditionibus nunquam ſatis deplorandas; unde pſeudo-Demetrius ille condignas expertus pœnas, veluti canis occubuerit; Addentes: Regem, ſiquidem conſcius rerum geſtarum fuerit, pacem ab Anteceſſoribus conſtitutam violâſſe; proptereàque neceſſarium eſſe, ut ſe Rex declaret, an velit pacem colere poſthàc, & pecuniam à Demetrio translatam ad Polonos, aliaque reſtituere, & mercatorum bona arreſtis adſtricta laxare. Si enim recusârit, conſtituiſſe Moſchos, bellum contra Poloniam junctis cum Carolo Sveciæ Rege viribus, continuare. Et hæc Lundorpius, hiſt. part. 3. pag. 763. 766. ubi ſimul *hiſtoriam Aniconiorum* exhibet, qui rem egerint, ut Samogetæ, Siberiæque populi Moſcorum Imperio ſubjicerentur.

Magno Moguli, Acbaro, potentiſſimo Indorum Regi; de quo ſupra cap. XLI. *ſucceſſit Selimus*, aliàs *Nurdin Mahomet*, quod ipſemet ſibi nomen (i. e. ſplendorem legis Mahomedicæ) ſumpſiſſe dicitur, pro lucrando favore plebis, tantùm non rebellis erga defunctum Anteceſſorem, quod animo eſſet Muhamedicæ religioni minùs propenſo. Ipſe tamen Selimus Muhamedziahangir, non adeò devotus erat in iſta populi ſuperſtitione, nec abhorrebat à Chriſtia-

norum

norum cultu, JEſum appellans magni prophetæ nomine, quoties de ipſo cum aliis verba miſcebat. Horn. Orb. Imp. 443. pag. Eraſm. Franciſc. Oſt- und Weſt-Ind. Stats und Luſtgarten. 1465.

Anno 1607. *Tayko*, Magnus *Japoniæ* Dominus, quo de cap. VI. hujus libri mentio facta, Chriſtianorum perſecutor acerrimus, venenô extinctus eſt, relicto filio *Fidery*, ſextum ætatis annum agente, cujus Tutor eſſe debebat, & prorex potentiſſimus ex Regni proceribus, *Ongoſchio*; ſed hic ipſe ſibi, & propriæ familiæ proſpiciens, deturbato Fidery thronum occupavit. Bernh. Varen. in deſcr. Jap. regni pag. 27. 42. Mandelsl. Morgenl. Reysbeſchr. per Ol. ed. 236.

Iſte *Tayko*, ut perpetuam eamque celebrem ſui nominis memoriam obtineret, morti proximus, juſſit poſt obitum in peculiare quoddam fanum ob id magnificentiſſimè extruendum, corpus condere, & ſummis honoribus afficere, tanquam exuvias novi Deaſtri militaris, nomine *Scinfaciman* appellandi; quod ita factum eſſe, à Japonenſibus erecto ingenti Coloſſo, teſtem producit Franciſc. im Luſt und Statsgarten. pag. 1497.

LIB. I. CAP. XLIX.

Summaria.

Ex minaci Cometa, inſignis magnitudinis, Germaniæ terror.

Impiæ matris monſtroſus partus. Infantis nondum nati querulus & ominoſus clamor.

Incendium oppidi Balingenſis in Wirtemb. alibi ſævæ tempeſtatis damna.

Sommerſetiæ, Briſtoliæque ſubita Oceani exundatio, per totum regionis tractum diffuſa.

Tragica mors Caſparis Muſculi, pientiſſimi præconis Argentinenſis.

Violentum ſtuprum, truculenta cæde auctum à nobili Metenſi.

Notabilis caſus in cadavere opilionis, à duobus nobilibus interfecti.

Obitus Martini Cruſii, Tubingenſis; Et Pauli Merulæ, Lugdunenſ. Profeſs. publ.

VErgente anno ſeptimo ſeculi hujus in Octobrem, *Cometa* caudatus Aquilonem infeſtavit, magnitudine ſua Jovi proximus, colore ſuo ſublivido Saturni faciem æmulanter exprimens; qui veloci-

locisſimo curſu libram, ſcorpium, & ſagittarium perambulans, Germanorum paci, qua fruebantur hactenus, acerbè minatus eſt. Calviſ. & Oſiander in oratione de ſtella Magorum, pag. 21.

In pago quodam Franconiæ, Neuenſorg/duobus à Culmbaco milliaribus diſtante, in lucem editus eſt 3. Aprilis die *partus monſtroſus*, qui duo capita habebat faciebus introrſum verſis, & quatuor brachia; Matrem ferunt, ante conceptionem *devoviſſe* ſemet, quod ſi deinceps marito cohabitaret, prodigioſum DEUS exemplum in ſobole ſtatueret. Ita Schadius; Qui ſimul hoc recenſet: In prædio quodam Transſylvaniæ Batoriano, non procul ab Etſcha, mulierem gravidam t. t. audiviſſe *infantem*, adhuc *in utero* latentem *clamare* clara voce, *væ, væ, væ*! inque lucem editam, eaſdem voculas comminatorias repetiviſſe ſæpiùs, addita tandem (idiomate latino) clauſula: *væ & mihi*!

Anno 1607. parum abfuit, in medio Januarii, quin *Balinga*, oppidum Wirtembergiæ, quinque horarum ſpatio tota ferè periret incendio, ex incuria cujusdam fœminæ, butyrum ad ignem eliquantis. *Lingæ* vero in Weſtphalia, ingens tempeſtas non modò caſtellum penè totum evertit, cum ſtrage hominum haud exigua; ſed etiam in Haſſia *Francobergæ* ad Ederam, aliisque circumjacentibus locis, maxima damna dedit. Schwel. chronic. 365. Calviſ. 962.

In Anglia, eodem menſe, *Sommerſetiam Briſtoliæque* urbis *viciniam*, per viginti milliarium longitudinem, latitudinem quatuor, *inundavit oceanus*, ut ſubitò ſolum, ſalum diceres factum eſſe, inenarrabili provinciarum iſtarum atque totius regni damno. Cluver. & Lundorpius.

Atrociſſimum facinus eſt, quod patravit *Johannes Philippus Miller*, civis Argentinus. Infenſo & inimico is animo erat erga pientiſſimum præconem, *Caſparum Muſculum* nomine, non aliam ob cauſam, quàm quod Muſculus hominem objurgaſſet à peccatis, deque emendanda vita ſeriò admonuiſſet. Præſtolatus igitur Eccleſiaſten, templo egredientem, eliſô ſclopetulo eum occidit in momento. Etenim globulô percuſſus Myſta, in terram concidit ſtatim, & exclamans, miſerere mei DEUS! expiravit! Mox autem captus homicida, poſt latam ſententiam judicis, debito ſupplicio ſcelus luit. Schad.

No-

Nobilis *de la Motte* Metenſis cujusdam civis filiam, quam diu deperierat, per callidam anum in ſuas ædes delatam, violento vitiavit ſtupro, vitiatam dein laqueo (ne flagitium emanaret) ſuffocavit, ſuffocatam in proximum amnem dejici curavit. At patefactum capitale crimen, capitali ſupplicio punitum, plus nimio probavit illud Verulamii: „ *Amori* (præcipuè impudico) plus de„ bet ſcena, quàm vita; Etenim in ſcena, Amor ſemper comœdiæ „præbet argumentum; quandoque etiam Tragœdiæ. At in vita „humana multum plerumque affert nocumenti; Nunc ut Sirenum aliqua, nunc ut Furiarum. Zeil. in Tragicis Roſet. hiſt. XI. Franz: Bac. Verulam. ſermon. fidel. X. de amore.

Sub idem tempùs in Hiſpania, *cadaver opilionis* à duobus nobilibus *interfecti*, dumeto ſubditi, & poſt quatriduum reperti, adductis latronibus, copioſum ſanguinis fluxum emiſiſſe fertur; imò, quod fidem ſuperat, exanimatum dextrâ tetigiſſe vulnus, deinde digito monſtraſſe primarium cædis autorem, ſcribitur. Zeiler Tom. Epiſt. B. 10;2.

Anno 1607. *Martinus Cruſius*, Græcæ linguæ & Oratoriæ in Academia Tubingenſi Profeſſor celeberrimus, Annalium Svevicorum autor, Turco-Græciæ, aliorumque tractatuum ſcriptor toti Europæ notiſſimus, fatis conceſſit octogenario major; cui Thomas Lanſius hiſce verbis parentavit: „ Martini Cruſii, non ita pri„dem ſanctè mortui, nec obliviſci debeo, nec poſſum; „quem pia ſimplicitas naſcentem excepit, probitas natum ex„coluit; doctrina ſuper æquales extulit; qui plura ſimul „habuit exactè, quæ ſingula ſingulos poſteritati commen„dare potuerunt: cui à condita hac (Tubingenſi) Academia in„ter bonos doctosque anteferimus neminem, conferimus paucos; „in cujus denique amore omnes honeſti conſpirarunt, invidia „fruſtrà invidente. Matthias in Theatr. hiſt. Lanſius in Mantiſſa. conſult. p. m. 86.

Eodem denatus in Athenis Batavis, *Paulus Merula*, Wilhelmi filius, & Pauli nepos. Poſt diſceſſum Juſti Lipſii ad vacantem hiſtoriarum profeſſionem obeundam, Dordraco Lugdunum fuit acceſſitus: Quam ſpartam ſibi concreditam, ut pro virili adornaret, non in hiſtoricis tantùm & philologicis, ſed juridicis quoque conſcribendis libris, defixus erat, quorum ipſe magnam partem edidit, majorem reliquit. Act. Lipſ. de an. 1685. pag. 28. ſeq.

LIB. I. CAP. L.

Summaria.

Argentoratum & Geneva, in magno verſantur periculo.

Eccleſiola Lutheranorum Colonienſis diſſipatur.

Uratislaviæ ſedatur à Magiſtratu tumultus, ex contumelioſis monachi locutionibus contra Lutheranos, obortus.

A Matthia, Juramentum fidelitatis in Auſtria depoſcitur.

Ab eodem, Evangelicis in Hungaria libertas Religionis confirmatur, & extenditur.

Comites Liechtenſteinii, ob mutationem Religionis, honoribus ac divitiis cumulantur.

Sed Genuæ, Lutheranus ob fidei ſuæ confeſſionem, ad rogum damnatur.

A mundanis hiſce avocantur ex Theologorum ordine: Michael Schäffer; Lucas Bakmeiſter; Philippus Nicolai.

Conſtantinopolitanus Patriarcha, Neophytus conſtituitur, autor Synopſeos divinorum & ſacrorum Eccleſiæ myſteriorum.

ARgentoratum, Alſatiæ Urbs primaria, confeſſioni Auguſtanæ addicta, *in magno* tum verſabatur *periculo*, poſtquam in congregatione ſacri (ſcilicet) fœderis, Romæ inſtitutâ, decretum eſſet, ut eodem tempore Argentina, & Geneva (Calvini dogmata ſequens) ad Evangelicos diſtrahendos, impeterentur. Hofm. Lex. A. 171.

Eccleſiola hactenus ex *Lutheranis Coloniæ* collecta conſervataque, inter varias tamen tribulationes ac moleſtias, iterum ex improviſo à Romano-Catholicis *diſſipatur*; tredecim civibus annotatis, iiſque totidem centenis florenorum pro mulcta impoſitis. Prædicans gravioribus pœnis deſtinatus, iis maturè ſe ſubduxit, & evaſit. Coloniam *Agrippinenſem* ad Rhenum intelligimus, de qua *Ægidius Gelenius* refert: „Ibi prima religionis Chriſtianæ ſemina jeciſſe Maternum, viduæ Nainiticæ filium, à Chriſto cùm in terris ageret „vitæ reſtitutum; qui ab Apoſtolis cum Euchario & Valerio ad Sequanos miſſus, ac apud eos mortuus, altera vice, cùm jam per „quadraginta dies in ſepulchro jacuiſſet, virtute baculi à S. Petro, „Euchario traditi, à mortuis revocatus fuerit; poſteà peregrinatione in inferiorem Germaniam inſtituta, Evangelium prædicarit; Eccleſiamque à ſe plantatam totidem annis rexerit, quot diebus terræ reconditus quievit, ac demum anno Chriſti 128. ætatis

„115. ad

„ 115. ad ſuperos migrarit. Hactenus Gelenius. confer. Oſ. Schad. & Notit. Procer. Imhof. pag. 60. edit. pr.

Uratislaviæ Sileſiorum, die Johannis Evangeliſtæ, operariorum & opificum furore quaſi percitum vulgus, bigis ad Monaſterii portas fortiùs adactis, irruit, altaria ſubvertit, feneſtras frangit, libros, veſtimenta ſacra, calices & ornamenta reliqua, diſcerpit, lacerat, comminuit, ac diripit, Monachis partim ſe occultantibus, partim fugâ elabentibus. Nec ſubſtitiſſet hic tumultus, ſed etiam ad alia Monaſteria ſe extendiſſet, niſi Magiſtratus prudentiâ & interventu ſedata fuiſſent omnia. Cauſam tumultûs dedit Monachus quidam Cœnobii Albertini, in ipſo Natalitiorum Chriſti Feſto, admodum contumelioſè adverſus Lutheranos locutus. Calviſ. 963. Andr. H. E. 412.

Poſtquam Imperatori Rudolpho, frater *Matthias* extorſiſſet Auſtriam ſimul & Ungariam, hic, menſe Julio ex Bohemia movens, *Auſtriam* ingreſſus eſt, ibi Status ac ſubditos *juramentò fidelitatis* obligaturus. Antè verò quàm poſtulatum Auſtriaci præſtarent *Aug. Confeſſ.* doctrinam tenentes, *liberum* ſibi *religionis exercitium*, tum intra tum extra civitates permitti & confirmari expetivére; Sed cùm id fruſtrà peterent, imò potiùs libertatem Sacrorum hîc & ibi uſurpatam, ad crebras Leopoldi Archiducis ac Epiſcopi Paſſavienſis, nuntii quoque Pontificis Melini, Cardinalis Forgatſchii, & Cleſelii, Viennenſis Epiſcopi, apud Matthiam ſollicitationes, abrogari, templa Proteſtantium occludi, & conciones publicas prohiberi audirent, viderentque; res ea graves per Auſtriam univerſam turbas peperit. Status enim Evangelici, habito properè conſilio, Sacramentum novo Regenti dare, ac juramento fidelitatis obſtringere ſe, unanimi conſenſu, donec libertatem religionis obtinerent, recuſârunt; initoque fœdere, publicarum concionum & Auguſtanæ Confeſſionis exercitium, cum vitæ ac fortunarum jactura aſſerere, & ab interdicto iſto vindicare ſtatuerunt, ſubditos ſuos omnes arma habere parata jubentes; præſertim cùm ad ſupplicem libellum reſponſi nil acciperent, ſed à propoſito ſuo recedere, & ad præſtandum juramentum, abſque ulla tergiverſatione, comparere juberentur. Inde autem ad vicinos Bohemos & Moravos ordines perlato rumore, cùm illi quidem eſſe quieti, ac tutandis finibus invigilare juberentur, hi pro Auſtriacis intercedentes, non defuturos ipſorum neceſſitatibus teſtati ſunt. Chriſtoph. Arth. in Mercur. Tom. 7. lib. 4.

Idem verò *Matthias*, Viennæ ab Ordinibus Auſtriæ Pontificiis juramento fidelitatis accepto, Poſonium veniens, à Proceribus *Ungaricis* magnificè exceptus, menſe Novembri antequam coronaretur, *articulos*, de quibus caveri vellent ſibi, ſcripto comprehenſos *rati habuit*; pleroſque ex pacificatione Viennenſi anno 1606. die 23. Aug. facta repetitos; quorum primarius: Ut *Religionis Exercitium*, (ſecundum Auguſtanam & Helveticam Confeſſionem) in omnibus civitatibus & oppidis liberum omnibus relinqueretur, ne illa quidem civitate, quam Rex pro ſede ſibi electurus eſſet, excepta. Non ergo t. t. eadem *libertas* Hungaris repetita & confirmata tantùm, ſed etiam *extenſa* eſt. Nam anno 1606. Viennæ conceſſa fuit Religionis libertas Magnatibus, Nobilibus, Civitatibus, Confiniariis, militibus nationalibus, oppidis privilegiatis immediatè coronam ſpectantibus: Nulla tunc plebi ruſticæ, nulla oppidis ac villis dominorum libertas data; Hoc autem anno, tempore nimirum coronationis Matthiæ II. permiſſa hæc libertas etiam pagis & oppidis, adeòque plebejis etiam ac ruſticis. Verba quoque prioris Pacificationis: Exercitium Religionis Proteſtantium permiſſum eſſe, abſque tamen præjudicio Catholicæ Romanæ religionis, declarata ſunt hoc ſenſu: Quòd utraque pars in religione ſua libertate gaudere, ac nemo eam in exercitio turbare debeat, aut impedire. Dorſch. in anticriſ. Theolog. contra Erneſtum de Euſeb, pag. 212. Heidegg. hiſtor. pap. pag. 478.

Ab hoc potiſſimum tempore Comites *Liechtenſteinii* de Nicolspurg / Carolus, Maximilianus, & Guntaocarus, *Evangelica religione*, in qua nati & educati fuerant, *commutatâ cum Pontificia*, non ſolùm ampliſſimis officiis, à Rudolpho, Matthia & Ferdinando cumulati; ſed etiam *ad principale faſtigium evecti* leguntur. Hiſce nimirum bolis, honorum ac divitiarum, ineſcari plerumque ſolent, quos in ſuam trahere naſſam Piſcator ille Tyberinus, operâ fidelium ſibi adhærentium, annititur. Not. procer. Imhof. pag. 884.

Honore tamen & encomio, certè coram DEO, majori dignus habetur, *Germanus* ille *Lutheranus* N. qui *Gennæ* in Italia, hoc ipſo anno in fidei Evangelicæ publica & conſtanti profeſſione mortem gloriosè oppetiit. Eò enim neſcio qua occaſione delatus, in manus Inquiſitorum, ut vocantur, incidit, ab iisque non aliam ob cauſam, quàm quòd Lutheri dogmata ſequeretur, nec amplecti Pontificis R. placita vellet, ad rogum damnatus eſt, lento de-

inceps igne toſtus, furentibus demum flammis injectus, & in cineres *crematus*, in conſpectu hominum aliquotmillium. Conſtans tamen in vera fide permanens, uſque ad ultimum vitæ halitum, dubio procul Martyrii laudem obtinuit. Mercur. Gallobelg. Tom. 7. edit. Zeil. Epiſt. Tom. 2. 694.

Mortem obiére ſequentes Theologi: *Michael Schäfferus*, primùm Theologiæ Profeſſor Tubingenſis extraordinarius, & Stipendii Ducalis Ephorus; poſteà concionator aulicus, & Conſiſtorialis Wirtenbergico-Stuttgardianus; vir zelo domûs DEI ardens, quo & in aulico Miniſterio conſumptus creditur, anno ſeculi noſtri octavo, teſte D. Raithio in orat. feſtiv. jubil. Tub. 2. pag. 105.

Johanni Valentino Andreæ cluet: „ Genuinus Hafenrefferi „ diſcipulus, vir profunda eruditione, & vitæ rectitudine conſpi-„ cuus, cujus famâ in aulam Friderici Wirt. Ducis accitus, brevio-„ ris, quàm pro re Chriſtiana, ævi fuit, pluraque eximii ingenii, „ & egregiæ voluntatis affecta, quàm perfecta opera, nobis reli-„ quit. vid. Selen. Auguſtal. pag. 56.

Lucas Bakmeiſter, Senior, aliquandiu Reginæ Daniæ, Chriſtiani III. viduæ à confeſſionibus & ſacris aulicis; deinde Profeſſor ac Superintendens, poſt Simonem Pauli, Roſtochienſis, in Mechlenburgia, famigerabilis, pater ejuſdem nominis filii, æqualium officiorum æmuli. Micræl. Syntagm. H. E. 463.

Philippus Nicolai, vir divinarum humanarumque rerum cognitione (addo ſpiritu planè heroico) incomparabilis; Erudítiſſimus pariter & exercitatiſſimus Theologus; religionis & orthodoxiæ propagator atque propugnator acerrimus; Paſtoris in Eccleſia Hamburgenſi munus uſque ad finem vitæ geſſit, ſcriptisque ſuis de Chriſti Eccleſia optimè promeritus eſt. Matthias in Theatr. 1119. pag.

Poſt exceſſum *Raphäelis Methymnæ*, de quo ſupr. cap. VIII. & XXII. Eccleſiæ Græco-Conſtantinopolitanæ patriarchalem ſedem recuperavit, è S. monte Atho veniens, *Neophytus*, cumque in ea manſiſſet per annos quinque, Rhodum, imperante Turcarum Sultano Achmete, abiit exulatum; ſeditque ex commiſſo Antiſtes Alexandriæ *Cyrillus* Lucaris, donec ſynodus legitimum Patriarcham conſtitueret, qui fuit *Timotheus*, de quo ſuo loco. Chronic. Cyprii per Hilar. edit. pag. 436.

Iſte *Neophytus Athenarum*, perhibetur autor *ſynopſeos divinorum & ſacrorum Eccleſiæ myſteriorum*, Romæ apud hæredes Bartholomæi Zannetti anno 1628. impreſſæ, ex qua Pontificii (præprimis Jacobus Goar) probare conantur, Eccleſiam Græcam cum Romana, in dogmate Transſubſtantiationis conſentire. Sciendum verò, Celeberrimus Theologus Ulmenſis inquit, libellum Neophyti Romæ editum, à Pontificiis *corruptum* eſſe; idque demonſtrat ex ipſo Goare. defens. D. El. Vejel. diſputationis hiſtorico-Theologicæ de Eccleſ. græc. hod. pag. 125. 128. ſeq. confer notabilia an. 1628. ubi de hac ſynopſi plura.

LIB. I. CAP. LI.

Summaria.

Paulus V. Romæ jubilæum celebrari curat, quare?

Martinum Voyſinum Zurcenſes, ob inconſideratam locutionem de S. Maria, malè excipiunt.

Bartholomæus autem Burgeſius, Pariſiis laqueo vitam finit, cur?

Papa Venetos fruſtra tentat, ob Antiſtitem ſacrorum Statûs, Romam ad examen mittendum.

Congiani Regis legatus, Romam venit, ac ibi vivere deſinit.

Non minus à Chaldæorum Patriarcha, in urbe Tyberina Legatum appuliſſe, Pontificis Aula ſibi perſuadet.

Acclamationem populi Romani. Vive Paule V. excipit horrenda vox, & fatalis tumultus.

Dux Mantuanus, Ordinem ſanguinis J.C. inſtituit; Poloniæ Rex alium, Equeſtri Melitenſium non abſimilem.

Pariſiis Parlamentum, de jure Regaliæ Edictum condit. Fürſtenbergius, Paterb. Epiſcop. Heriſtallium redimit.

Vitæ curſum abſolvit Martinus Delrio: Item, Johannes Baptiſta Villalpandus: Et, Franciſcus Maria Tarugius: Nec non, Joannes Piſtorius.

TUm Pontifex Romanus *Jubilæum* publicari curavit, ad fundendas *preces pro Religione Catholica*, in Germania potiſſimum, ne inter tantas libertatem ſacrorum expetentium turbas, planè intercidat; illis, qui Templa civitatis Romæ primaria, cum Eleemoſynis viſitaturi eſſent, plenariam peccatorum indulgentiam & remiſſionem peccatorum offerens. Iſta igitur denunciatione excitati Papicolæ, propediem contendere Romam inſtituerunt. Accidit autem circa Octobris initium, ut ſericarius quidam Baſileen-

ſis,

ſis, *Martinus Voyſinus* nomine, Lucernam ad mercatum iturus, in peregrinantes quosdam Belgas incideret; cùmque à familiari colloquio ad diſputationem de hoc ipſorum inſtituto dilapſus, aliquos nonnihil offendiſſet; hi *Surſeam*, quâ transeundum Voyſino erat, aliquantò citius aſſecuti, eum apud Magiſtratum detulerunt, atque ut portam ingreſſus comprehenderetur, & in vincula conjiceretur, effecerunt. Quamvis autem pro eo Magiſtratus Baſileenſis intercederet, Surſeani tamen literas accipere recuſantes, captivum, tanquam in Romanam religionem injurium, & in Mariam Virginem DEIparam (aliis mulieribus eam ſimilem fuiſſe dicendo) contumelioſum, *capite truncarunt*, & *in ignem conjectum*, in cineres redegerunt. Mercur. Gallobelg. lib. 4. Tom. 7.

Pridie autem ejus diei, qua publicatio Jubilæi Pariſiis facta, *Bartholomeus Burgeſius*, propterea quod ſe *filium Pontificis* jactaſſet, ex concubina natum, juſſu Sanctiſſimi Papæ, Parlamento traditus, ab hoc ad mortis ignominioſæ ſupplicium damnatus, *laqueo vitam finiit, & in ignem conjectus* periit. Cui nonnemo ſequens Epitaphium poſuit, ut vero Pauli V. Pontificis filio:

Qui proprium gnatum laqueo flammaque peremit,
  Cui deinceps homini parcere velle putas?
Tros pius à flammis patrem eripit; At ſua Cyclops
  Impius in flammas pignora Papa jacit!
Qui Te Paule Patrem negat, huic pyra ſtructa; viciſſim
  Structa pyra eſt, qui Te dixerit eſſe Patrem.
Cauſa fuit vitæ Monachus Burgeſius; Idem
  Papa Tibi cur eſt, dic mihi, cauſa necis?
An, quia Burgeſii Monachi cùm filius eſſes,
  Auſus eras Patrem dicere Pontificem?
Papa *orbis* vult eſſe *Pater*, geſtitque vocari,
  Tantùm *Burgeſii* ſe negat eſſe *Patrem*.
Pontificis magna eſt Pauli omnipotentia: quidni?
  Quem facit is *gnatum*, non facit eſſe *ſuum*.

Ex Calviſio & Schadæo, qui poſterior factum refert ad annum 1609. cum clauſula rythmica:

Qui ſe ſolenni titulo *Patrem* eſſe parentum
  Prædicat, an *gnatis* ille carere poteſt?
Kein Sohn wilt han/ doch Vatter ſeyn;
Wie reimt ſich das/ Pabſt Paule mein?

Idem *Papa t. t. Venetos tentavit*, num poſſit obtinere, ut ipſi ſupremum ſacrorum Antiſtitem in urbe ac ditione Status, poſthac mittant Romam, ad examen & explorationem. Sed Veneti recuſarunt hac in parte gratificari, cùm id ſtantibus Reipublicæ privilegiis, & ſalvis Majorum conſuetudinibus fieri non queat. Imò proceres Venetorum, virum aliàs experientiâ & apta commiſſorum expeditione, præſertim duplici ad Galliæ Regem legatione celebrem, ſupremo vel ob id unicum, quod actitata in Senatu, Papæ creaturis communicaſſet, ſupplicio affici juſſerunt. Oſeas Schad. in contin. Sleid. Germ.

Fertur, tùm *Congiani Regis ex Africa Romam veniſſe Legatum*, vel potiùs internuntium, qui Pontifici retulerit: Quia Congianum Regnum, Hiſpaniæ Regis operâ, in Romana Religione indies profectus non contemnendos faciat, conſtituiſſe Dominum ſuum, Papæ ſe ceu tributarium ſubmittere, dummodò hic de viris doctis, propagandæ religioni per univerſum territorium illud idoneis, proſpicere ipſi non gravetur. Sed Congianus ille, per interpretem honorificentiſſimè à Papa exceptus, antequam de re tractatio ſuſcipi poſſet, poſt paucos dies vivere deſiit, juſſu Pauli V. in novo Sacello Burgeſiano ad S. Mariam majorem humatus, poſitâ prope ſepulcrum Afri effigie, poſteritati conſervanda. Arth. Merc.

Circa idem tempus, aulæ Romanæ perſuaſum, ab *Elia Chaldæorum Patriarcha* Legatum appuliſſe in urbe Tyberina, miſſum ut ſubjectionem ſuam debitamque venerationem erga R. Pontificem teſtatam faceret, nec non doctrinam & fidem Chaldæorum, fidei doctrinæque Romanenſium conformaret. Sed quàm ſublestæ fidei ſint ejusmodi *Legationes, è regionibus longè diſſitis ad Papam venientes*, à viris doctis rerumque gnaris, non ſemel demonſtratum. Etenim aliquandò Lojolitæ, aliique Romanæ Thaidis amaſii, mendaciorum Architecti, ut Papæ ſui autoritatem fulciant ac ſplendidiorem reddant, quorundam Impoſtorum tenebrionumque operâ ſolent abuti, ſe legatos horum vel illorum vafrè mentientium, qui de legationibus ejusmodi nunquam cogitarunt, imò nusquam in orbe fuerunt. Platina de vit. pontif. pag. 518. ſeq. & Bembell. ſuſcitab. A. 229.

Tertio anni menſe cùm Pontifex R. celebratâ in D. Petri templo Miſſa, benedictionem populo in patenti area impertiiſſet, magna celebritate *Vive, vive Paule quinte*, acclamatum ei eſt. Cùm

verò

verò per Mariæ majoris fanum, *reliquiæ ſanctorum* ibi depoſitæ peregrinis monſtrarentur, qui advenerant Jubilæi causâ devotè celebrandi; exaudita neſcio cujus horrenda voce, ingens oriebatur tumultus, in quo plerique exitum & aufugium quærentes per turbam inconditam, pallia, pileos, chirothecas, aliaque amittebant, nec pauci, pedibus conculcati, expirabant, aliis ſemimortuis ad noſocomia translatis. Calviſ. 963.

A *Vincentio IV. Duce Mantuano* inſtituitur novus *Equeſtris ordo, ſanguinis Jeſu, deque ſancto Tabernaculo* dictus; ex devotione erga ſanguinem Chriſti, quem in Tabernaculo Mantuanæ Civitatis aſſervari Papicolæ credunt. Symbolum ordinis duplex eſt, primum in verbis; Domine probâſtime; alterum, Nil hoc triſte recepto, conſtans. Ex Hofmanno & Schadeo.

Nomine verò *Polonici Regis*, facta ſolicitatio apud Pontificem, pro *novo ordine* (neſcio cujus nominis) *Equeſtri*, Melitenſium non abſimili, qui ex 130. equitibus in Podolia conſtare deberet, ut pro annua penſione mille Joachimicorum, ſingulis numerandorum, in Ponto Euxino contra Turcas, Tartaros, aliosque id genus hoſtes, eorum operâ Chriſtiani uterentur: honeſta Pontifici petitio viſa; ordinem igitur confirmare, collata benedictione Apoſtolica, ſe paratum fore profeſſus eſt. Arthus. in Mercur. Gallobelg.

In Gallia, Arreſto Parlamenti Pariſienſis anno 1608. edictum eſt, ne Advocati in dubium revocent, an rex *jure Regaliæ* uti poſſit in univerſis regni Eccleſiis; At in contrarium Clerus Gallicanus mox apud Regem querelam inſtituit. Heidegg. hiſtor. pap. p. m. 556. confer ann. 1679. & ſeq. de hac mat. pl.

Heriſtallium in ripa Viſurgis, ubi ſedem Epiſcopalem Antiſtitum Paderbornenſium aliquando fuiſſe, ſunt qui tradunt, à Falkenbergiorum familia diu poſſeſſum, Theodoricus Fürſtenbergius præſenti pecunia, 17666. aureorum redemptum anno 1608. Eccleſiæ Pontificiæ reddidit. Wilhelm Imhof. Not. procer. germ. 245.

Vitæ curſum abſolvit *Martinus Antonius Delrio*, Belga Antverpienſis, Hiſpana origine, Jeſuita. Ejus extant Adagialia ſacra Vet.&Novi Teſt.de difficilioribus ſcripturæ locis tomi tres; inGeneſin, Canticum Canticorū & Jeremiam commentarii; poëta traditur fuiſſe, orator, hiſtoricus, Juriſconſultus inſignis. Qui poſtquam decē ad minimum linguas addidiciſſet, innumeros ferè autores perlegiſſet,

giſſet, libros proprio Marte edidiſſet, gradum Doctoris Jurium obtinuiſſet ſumma cum laude, Lojolitarum ſocietati acceſſit, & ſuæ humilitatis teſtandæ causâ, *rudiſſimorum inſtar novitiorum, ſtudia ſua in publicis ſcholis à primis elementis redorſus eſt.* Hofm. Lex. 1001. act. Lips. Eruditor. ad an. 1689. pag. 35.

Delrionis comitem egit in via mortis, *Johannes Baptiſta Villalpandus*, Hiſpanus Cordubenſis, ejusdem ſodalitii frater, eruditus, egregius noſtri ſeculi Theologus & Mathematicus, juxta Seldenum, qui univerſam Architecturæ rationem perfectiorem, per Græcos ad Romanos, ac demum in Vitruvii libros, ab Hebræorum in Templi Salomonici, aliisque ejus ſtructuris, proportionibus manaſſe non dubitavit. Hofm. Lex. 844.

Et, *Franciſcus Maria Tarugius*, à Clemente octavo Cardinalis creatus 1596. ætatis anno octogeſimo quarto. Ad Baronii ſepulcrum tumulari voluit, cujus priora volumina in Italicum Idioma tranſtulit, referente allegato autore pag. 658.

Tandem vivere deſiit in hoc orbe, menſe Septembri, *Johannes Piſtorius*, Niddanus, an. æt. 62. Friburgi Brisgojorum, ubi poſt Jacobi Marchionis Badenſis obitum S. C. M. Archiducum Auſtriæ, Ducis Bavariæ, & Marchionum Badenſium Conſiliarius conſederat. D. Fechr. in tr. de Colloq. Emmendingen. pag. 58. pl.

LIB. I. CAP. LII.

Summaria.

Sculteti, de ſcriptis Eriſticis h. t. data in ſenatu Heidelbergenſi declaratio.

Arminii & Gomari, de fidei articulis, coram Ordin. provinc. fœder. diſceptatio.

Lojolitarum in Ducatu Bearnenſi facta irreptio, an irruptio?

Authoritatis Calvini apud Anglos elevatio.

Puritanorum, & reliquorum in Anglia Reformatorum diſſenſio.

Samuelis Cudſemii, ad caſtra Pontificiorum transmigratio, unde?

Pataleonis Candidi, & Jacobi Coveti, exſpiratio.

QUum anno 1608. in *ſenatu Eccleſiaſtico Heidelbergenſi* deliberaretur, quomodò continuis Evangelicorum (potiùs Lutheranorum & Calviniſtarum) certaminibus occurri poſſet; Abrahamus Scultetus è re Eccleſiaſtica fore cenſuit, „ Si Reformati (ſic dicti) dein-

„ deinceps ab omnibus Apologiis, Antilogiis, & quocunque nomi-
„ ne vocentur, *eriſticis ſcriptis abſtinerent*; Nihil enim dici ſcribique
„ poſſe, quod non pridem dictum ſcriptumque ſi; Extare Eccleſia-
„ rum Confeſſiones, & Confeſſionum Declarationes, quæ hominem
„ veritatis indagandæ cupidum abundè ſatis inſtruere poſſint: Hanc ſibi quoque probari ſententiam, Johannes Hornbck, in Summa Controverſiarum, libro nono de Lutheranis, p. m. 709. aſſerit.

Hactenus in Belgio fœderato *Jacobi Arminii* ex una, & *Franciſci Gomari* ex altera parte, diſcipuli, ac amici, de controverſis quibusdam fidei articulis inter ſe, tùm in Academiis tùm in Claſſibus Diœceſanis parochialibus diſceptarunt; jam autem ipſi Magiſtri partium incipiunt, ſuum in doctrina *diſſenſum* non amplius diffiteri, ſed coram ordinibus provinciarum Generalibus *apertum* facere. Vid. ſynod. Dordracen. præfat. ad Eccleſ. lit. c. 2. ſeq.

Anno 1608. *Lojolæ ſodales*, qui ſe Jeſuitas nominari amant, id indulgente Henrico IV. in *Ducatum Bearnenſem*, ſolito more irrepſerunt; unde turbarum poſteà, donec ſupprimerentur Antipapani, nec modus, nec finis fuit. Quis enim reſiſteret ejusmodi furiis tanta validitate, ut eas vel ſemel alicubi nidulantes, aut illapſos (niſi cum ſummo fortunarum ac vitæ periculo) ejiceret rurſus atque retunderet, earumve machinationes animo conceptas, elideret feliciter aut eluderet? Jam diu enim eſt, ex quo Jeſuitæ formidabiles dicam, an invincibiles Magnatibus terræ, Regibus, Monarchis, ipſisque Pontificibus, reddiderunt ſeſe; cur non etiam Regum, Principum & Magnatum ſubditis? In lucem editum eſt nuper literarum *Bariſonii*, Lojolitæ, ad nobilem adoleſcentem Venetū qui relicta ſocietate ad ſuos redierat, Aprilis 21. Bononiæ datarum anno 1608. exemplar, in quibus cùm univerſæ ſocietatis regimen (poteſtas) exactè depingitur, tùm illa nemini non incuſſa formido ponitur, in medio fermè. „ Imò ob concitatum in nos (ſcribit
„ Bariſonius) omnem timorem & exiſtimationem, non dubitamus quandoque, pro majori ſecuritate, etiam adverſus ipſos Pon-
„ tifices, ex religionis zelo calamos & linguam ſtringere: ſingula-
„ riter verò, ſi intereſſe vel emolumentum Magnatum quorun-
„ dam, quorum in nos beneficia conſtant, interveniat. Econtrà
„ nemo eſt, qui adverſus nos, autoritatem pontificiam regentes,
„ quicquam proferre auſit; A noſtris enim oppugnatus; pro hæ-

„retico & ſchiſmatico ab omnibus habebitur. Joh. Val. Andr. Hiſt. Eccl. compend. 412. Danhauer. Antichriſtoſoph. p. m. 397.

Quæ ſit in Anglia Calvini autoritas, apud quosdam non infimi ſubſellii viros, Cudſemius teſtis, ut ipſe quidem profitetur, auritus & oculatus edocet, ſcribens: „Anno 1608. menſe Julio in pu„blicis Comitiis, ut vocant, quæ quotannis ſemel in florentiſſi„mi illius Regni Academiis, quibus neſcio an in toto terrarum or„be poſſint eſſe antiquiores & colloquiorum numero, amplitudi„ne, ſtructuræque magnificentiâ præſtantiores, habentur; cùm „ſolennis in omnibus Facultatibus promotio celebraretur, quæ res „ibi maximè viſu digna eſt: Oxoniæ Doctor Olandus, Theolo„gus & promotor tùm deſignatus, hoc de Calvino judicium teſti„moniumque ex alta cathedra, in mille hominum præſentia pro„ferebat: Calvinus vir doctus fuit, ſed non ſcripſit in omnibus „Catholicè (orthodoxè) Ac paulò poſt: Calvini ſententia de DEO „peccati autore, neque defendi, neque excuſari poteſt; quia is „apertè nudam permiſſionem deridet, efficacisque DEI voluntatis „cum peccato concurſum introducit. &c. deſperat. Calvin. Cauſ. „pag. 125.

Cætera levis eſt, quicunque levem eſſe exiſtimat etiam nunc *Puritanorum diſſenſionem ab Anglo-Calviniſtis*, quos Puritani Anglo-Papiſtas nominant; nec enim tantùm differentia in externis ritibus, nudisque ceremoniis eſt, verùm in quibusdam quoque doctrinæ punctis, & iis, quæ circa illius praxin præſcribuntur. Puritani nolunt in Eccleſia ullos eſſe officiorum ac dignitatum ordines; Anglo-Calviniani contrà Epiſcopalem ordinem non modò diſtinctum, ſed etiam jure divino ſuperiorem presbyterio eſſe volunt, idque Oxoniæ hoc ipſo anno in publica & ſolenni, pro gradu tituloque doctorali habita diſputatione affirmatum eſt; quod Puritani cum reliquis Calviniſtis negant ſimpliciter. Anglo-Calviniani non modò honorant Chriſti trophæum, in quo mundi facta eſt reparatio, Crucem, ſed etiam ſignum ejus Sacramentis, ac inprimis baptiſmo adhibent; Puritani, & Calviniſtæ reliqui, ad ſignum Crucis tremiſcunt, & horrent; ideòque demoliuntur ubique. libr. cit. pag. 87.

Samuel Cudſemius, Clivia-Veſalienſis, hucusque *Calvinianus* haud indoctus, *ad Pontificios tranſit*, Avenione in Gallia, pridiè S. Martini 1608, poſtridiè ab Archiepiſcopo ejus loci Johanne Franciſco Gordino

dino Sacramento Confirmationis, quod vocant initiatus, mutato in Petri, Samuelis nomine. Memorat, „ ſe à quodam Studioſo Ar-„ gentinenſi Lutherano, *libellum Concilii Tridentini* accepiſſe, Gallico „ idiomate impreſſum; In hoc libello propter ſtyli Gallici elegan-„ tiam, textu, ſeſſionibus, Canonibus, omnibusque articulis præ-„ teritis, ſolas legiſſe *præfationes, legatorum orationes, Patrumque con-„ gregatorum precationes* ſingulis ſeſſionibus præmiſſas; ponderaſſe, „ ex ipſius Calvini confeſſione, Romanam Eccleſiam olim fuiſſe ve-„ ram DEI Eccleſiam; Epiſcoporum ibi manſiſſe continuam ſucces-„ ſionem, ad minimum in officio; promiſſiones clariſſimas de exau-„ diendis precibus, non Apoſtolis tantùm, ſed & ſucceſſoribus eo-„ rum factas; perſpexiſſe ſummam inter tot Patres, ex præcipuis or-„ bis terrarum plagis, nationum diverſiſſimarum, collectos, con-„ cordiam & conſenſum; collationem inſtituiſſe congregatorum Pa-„ trum, Priorum, Abbatum, Epiſcoporum, ArchiEpiſcoporum, Pa-„ triarcharum, Cardinalium, autoritate, officio, & ætate venerando-„ rum, cum ſui ordinis Doctoribus; indeque motum, ad religionis „ mutationem gnaviter animum applicuiſſe. De rationibus iſtis prioribus, judicium eſto penes lectorem; ſed quantum ad Patres dicti Concilii, modumque agendi, legere debuiſſet Cudſemius *Andreæ Dudithii*, Quinqueeccleſienſis Epiſcopi, ac in eadem Synodo Cæſarei ſimul totiusque Cleri Hungarici oratoris, Viri, Thuano teſte, judiciô celeberrimi, *Epiſtolam* ad Maximilianum II. præfixam Hiſtoriæ Concil. Trid. Petri Suavis Polani; ſic enim ad alias omninò cogitationes mentem advertiſſet. Verba Dudithii hæc ſunt: „ Quid profici potuit in iſto Concilio, in quo numerarentur, non „ ſuis momentis ponderarentur ſententiæ? Videre erat quotidiè fa-„ melicos & egentes Epiſcopos, ex majori parte barbatulos adole-„ ſcentes, luxuque perditos Tridentum volitare, conductos ad ſen-„ tentiam ſecundum Papæ voluntatem dicendam, indoctos illos „ quidem & ſtolidos, ſed tamen impudentiâ & audaciâ utiles. Hi „ cùm ad veteres adulatores Papæ acceſſerant, tùm victrix exulta-„ bat iniquitas, neque decerni quidquam poterat, niſi in eorum „ ſententiam, qui Papæ potentiam luxumque defendere, ſummam „ religionem arbitrabantur. Erat aliquis vir gravis & eruditus, qui „ tantam indignitatem ferre non poterat; hic, ut non bonus Ca-„ tholicus, terrore, minis, & inſectatione, à Concilio ad probandum „ quæ nollet, traducebatur. In ſumma, in eum ſtatum res eſt ad-

„ ducta, iſtorum, qui illuc facti inſtitutique venerant, improbitate,
„ non ut jam Epiſcoporum ſed larvarum, non hominum ſed ſimu-
„ lacrorum, quæ nervis moventur alienis, ut Dædali ſtatuæ fuiſſe
„ perhibentur, Concilium illud videretur. Erant Epiſcopi illi con-
„ ductitii plerique, ut utres (Muſicum ruſticorum inſtrumentum)
„ quos, ut vocem mittant, inflare neceſſum eſt. Nil habuit cum
„ illo conventu S. Spiritus commercii; omnia erant humana conſi-
„ lia, quæ in immodica & ſanè quam pudenda Pontificum tuenda
„ dominatione conſumebantur. Illinc reſponſa tanquam Delphis
„ aut Dodonâ expectabantur; Illinc nimirum Spiritus ille Sanctus,
„ quem ſuis Conciliis præeſſe jactant, tabellarii manticis incluſus
„ mittebatur; qui, quod admodum ridiculum eſt, cùm aliquandò,
„ ut fit, aquæ pluviis excreſcebant, non antè advolare poterat, quàm
„ inundationes deſediſſent. Ita fiebat, ut Spiritus non ſuper aquas,
„ ut eſt in Geneſi, ſed ſecus aquas ferretur. O portentoſam & ſin-
„ gularem dementiam! Ratum eſſe nihil poterat, quod Epiſcopi
„ tanquam plebs ſciſcerent, niſi Papa autor fieret. Conf. deſperat. cauſ. Calvin. Cudſem. pag. 138. 148. Suavis hiſt. Concil. Trid. prolegom. Rumetſchii Collat. Concil. Nicæni cum Trid. 13. pag.

Mortalitatem explevit hoc anno *Pantaleon Candidus*, Theologus Bipontinus, qui *Formulæ* quidem *Concordiæ ſubſcripſit*, an. 1577. idque ſe manu & *corde* feciſſe teſtatus eſt; Sed interim Calvinianum delirium, uti Hutterus loquitur, ſub pectore clauſum fovit ac retinuit, usque dum commoda erumpendi occaſio affulgeret; Id quod paulò pôſt, non ſine triſtiſſima Ducatûs Bipontini concuſſione evénit; Is enim Johanni Palatino, Wolfgangi filio, ad deſerendum Lutheri dogma autor fuit Hutter. Conc. Conc. 506. 1273. Micr H.E. lib. 3. 562.

Et, *Jacobus Covet*, Pariſienſis, quem ſuperioribus annis Catharina, Henrici IV. ſoror, Ducis Lotharingiæ conjunx, Baſileâ, ipſi ut à ſacris eſſet, accerſerat. Notus eſt eruditis, ex Colloquio Nannetenſi cum Jeſuita Comelet inſtituto. Idem ille eſt, adverſus quem Socinus anno 1594. librum ſuum de Servatore Chriſto ſcripſit. vid. Hofm. Lex. univerſ. A. 494. Hornbek. Sum. Controverſ. p.m. 270.

LIB. I. CAP. LIII.

Summaria.

Drielenburgius, jure an injuria? hæreſiarchis annumeratur

In quo Catalogo Matthias Mayle, Lojolita Dillingenſis, ob Diſputationem de una ſpecie pro laicis, aſſignandus?

Qualis,

Qualis, juxta Becanum, Calviniſtarum Deus?
Catechiſmus Raccovienſis, à Smalcio Academiæ Wittebergenſi dedicatus.

DE *Vincentio à Drielenburg*, Theodorus Petræus, Carthuſiæ Colonienſis Monachus: „ Non poſſum, inquit, quin huic Novatori Batavo locum in hæreticorum albo aſſignem. Qui patriâ Ultrajectinus, cùm Lugduni Batavorum Jurisprudentiæ aliquandiu operam navâſſet, juvenili quodam arreptus impetu, anno 1608. diebus circiter quatuordecim ante Paſcha cùm eſſet Ultrajecti, dixit, in oratione matutina ſubitò in ſe deſcendiſſe virtutem DEI, veluti divinam quandam obumbrationem, atque inſpirationem, qua certò intellexerit, ſe eſſe per Chriſtum juſtificatum, & à damnatione redemptum &c. Alius porrò quidam (ſic Batavus Batavum, hæreticus hæreticum excipit) preſſiùs ipſum deſignans, cucullum confecit, inſcriptum hoc ſymbolo, Drielenburg omnium ſtultorum Papa; quod breviùs dici poterit, Drielenburg planè STULTUS. Ita Petræus. Johannes Hornbekius autem ſcribit, „ ineptiſſimum eſſe, hominem inter hæreſiarchas ponere. Adhæc, pergens, quis non rideat? quin ſcriptorem ſtolidiſſimum fuſtibus excipiendum dicas, qui in hæreticis deſcribendis, tam ſtultè inſanit? Omnes enim, qui Vincentium iſtum, quàm aptè in Catalogo hæreticorum & hæreſiarcharum ponatur, novimus. Sum. Controv. lib. 4. de Papiſmo, pag. 315.

Si liceret, omnino liberet ex Petræo quærere, in quo catalogo eſſent aſſignandi *Maylero* & *Galgenmüllerus*, Diſputatores *Dillingani*, de quibus D. Wolffgangus Franzius, ad articulos abuſuum A. C. hæc habet, lit. A. 2. „ Matthias Mayle Jeſuita, cum reſpondente M. Johanne Galgenmüller, in diſputatione de una ſpecie laicis danda, menſe Martio 1608. in Academia Dillingana, utramque ſpeciem à noſtratibus (Lutheranis) ex Jure Canonico abſolutè ideò probari non debere contendit, quòd hæc ſit probatio ad hominem, ut loquitur, ſolùm. Deinde idem dicit, ſolum Matthæum, Marcum, Lucam & Paulum de Cœna S. ſcripſiſſe; Quid igitur, inquit, facerent hæretici, ſi inciderent in hominem, qui hos autores non reciperet. Præthereà contendit, ideò non mandatam dici poſſe utramque ſpeciem, quòd nullibi aſſignetur culpæ reatus negligenti alterutram unam ſpeciem, nec etiam aſſignetur pœna prævaricatori ſubeunda, quod tamen in veris mandatis utrum-

„ que fieri ſoleat. Inprimis adverſus Paulum inſurgit, qui apud Co-
„ rinthios utramque ſpeciem diſtribui, tùm Eccleſiaſticis, tùm Lai-
„ cis, juſſit; Ex quo Scripturæ loco (verbo) conſtat, pergens, quòd
„ Paulus rectè & non perperam fecerit, Laico calicem ſacrum dan-
„ do, præter Chriſti exemplum, imò & Apoſtolorum, quantum præ-
„ cisè ex Scriptura demonſtrari poteſt? Fuit Apoſtolus Paulus ad
„ tertium cœlum raptus, &c. Petrus non minùs extitit Apoſtolus,
„ cum ipſo Domino multo tempore in terris converſatus, qui &
„ Majeſtatem Chriſti vidit; Et nihilominus neo-Evangelici perpe-
„ tuò inculcant illud Galat. 2. Cùm veniſſet Antiochiam Cephas,
„ in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat. Ex quo verò textu
„ ſacræ paginæ demonſtrant Novatores, Paulum hac in re non fu-
„ iſſe reprehenſibilem? Accepit hoc in mandatis, inquiunt hæretici;
„ Idipſum demonſtrent nobis è ſacris eloquiis. Apoſtolus dicit: E-
„ go accepi à Domino, quod & tradidi vobis; ſed quòd acceperit
„ mandatum dandi Laico geminam Sacramenti ſpeciem, hoc nus-
„ quam dicit &c. Hactenus verba Diſputatorum Dillingenſium,
„ ſcribit Franzius, qui ita ſolent beare Apoſtolum in tertio cœlo e-
„ doctum, de ritu celebrandi cœnam &c. Judicent autem ſaniores
Pontificii, quid de hiſce ſtatuendum, qui Paulum eſſe reprehenden-
dum ſcribunt, quod Laicis utramque ſpeciem dedit.

Jam diu eſt, ex quo Calviniſtis impium & inter Chriſtianos neutiquam ferendum dogma, cauſam & autorem peccati DEUM eſſe, imputatum, de quo ſequentem adſcribo hiſtoriam: „ Ante quadriennium diſputationem habuerat Moguntiæ *Martinus Becanus*,
„ eâque *DEUM Calviniſtarum eſſe Diabolum* dixerat. Quid fit? Au-
„ tumno ſuperiore, verba Becani ſunt, noſter Nicolaus Serarius &
„ ego, eramus apud acidulas Schwalbacenſes; Ibi commodè inci-
„ dimus in Davidem Pareum, Calviniſtam & Profeſſorem Heidel-
„ bergenſem; ſalutavimus hominem perhumaniter, & ille viciſſim
„ nos. In progreſſu amicè ac modeſtè mihi objecit, quod in qua-
„ dam diſputatione, typis edita, ſcripſiſſem: *DEUM CALVINI-*
„ *STARUM, eſſe autorem peccati:* Reſpondi, me id ſolidè probaſſe ex
„ verbis ac ſententiis Calvini; Tum ille, eſto ſanè, inquit, ſit iſta,
„ *Calvini* ſententia, at non *Calviniſtarum*. Hìc ſubridens Serarius,
„ ita ſubjecit; Domine Paree, hæc lis facilè inter vos, ut video,
„ componitur; ſola particula, *ſtarum*, expungatur, & res erit ſalva.
„ Hoc placuit Pareo, ſolutumque colloquium fuit. Vix Moguntiam

„ re-

„reverſi eramus, ecce Pareus ad me Epiſtolam dat, in qua inter „alia monet nos noſtri officii, hoc carmine:

Vos quoque promiſſi memores, delete liturâ
Ingenua, *ſtarum*, impegiſtis quod malè noſtris.

„Annon, pergit Becanus, fatetur hoc carmine, DEUM ex Cal„vini ſententia eſſe autorem peccati, tametſi Calvinum in hac re ſe„qui ipſe non velit? ſunt alii tamen, qui ſequuntur, non pauci. Theol. Scholaſt. Becan. A pag. 73. Lans. in conſultat. p. m. 450.

Ut peſtilentiſſimam doctrinam Photino-Socinianam, in ipſa Germania per Megalandrum Lutherum reformata, ingereret proſeminaretque *Valentinus Smalcius*, Gotha-Thuringus, in minori Polonia cœtus Raccovienſis Miniſter, *Catecheſin majorem* è Socini ſcriptis compilatam, idiomate Germanico prodire fecit, eamque hoc anno *Academiæ Wittenbergicæ inſcripſit*; cujus refutationem inſertam exhibent Conſilia Wittemberg. Theolog. A. pag. 661. ſeqq. pl. Catecheſis iſta, quia Neophotinianorum & Sociniſtarum liber quaſi ſymbolicus eſt, placet, ex ea *præcipuos* ipſorum *erores*, quos ferè in omnibus Chriſtianæ fidei capitibus fovent, breviſſimis perſtringere. „Negant igitur Photiniani Trinitatem perſonarum in „Deitate: Generationem Filii planè impoſſibilem dicunt: Negant „Spiritûs S. divinitatem & perſonam: Negant, Chriſtum ſua morte „pro peccatis hominum ſatisfeciſſe: Negant, eundem propria „virtute ex mortuis reſurrexiſſe: Negant, Adamum eſſe conditum „in immortalitate: Imaginem DEI, in homine poſt lapſum adhuc „reliquam eſſe, dicunt: Negant originale peccatum ſimpliciter: „Aſſerunt, in homine adhuc eſſe naturâ liberam obediendi DEO „voluntatem: Aſſerunt, Chriſtum peculiaria præcepta legi mo„rali addidiſſe: Dicunt, in Veteri Teſtamento alium fuiſſe modum „juſtificationis, quàm in Novo: Fidem, cui ſalus promiſſa, ita de„ſcribunt, quòd non tantùm ſit fiducia in DEUM, ſed etiam obe„dientia erga legem & mandata Chriſti: Negant, Baptiſmum aquæ „divinum eſſe ſacramentum, aut regenerationis & ſalvationis me„dium: ſacra Cœna ipſis eſt præceptum duntaxat ceremoniale, & „nuda recordatio mortis Chriſti, non inſtituta ut aliquid ſuma„mus: Negant, requiri peculiarem vocationem in Miniſtris Ec„cleſiæ. vid. Gerhard. Comment. in Deut, dedic. lit. B. 1, 2. Joh. Henr. Hiemer. Theol. Tubing. Oration. anniv. Dom. de Divinitate

Chriſti,

Chriſti, anno 1615. habitam, lit. A. 3 4. Wolfg. Franzii diſpp. in Aug. Conf. ab init. & ſeqq. pl.

LIB. I. CAP. LIV.

Summaria.

Arminius, ad lites de articulis quibusdam tollendas, forum purè Eccleſiaſticum declinat.

Coram Ordinibus fœderati Belgii, ſententiam ſuam prolixa Oratione exponit.

P. Gouda, in Colloquio Rotterdamenſi de Transſubſtantiatione, turpiter ſe & ſcandaloſe gerit.

Arminius, argumentum de ſententia deciſiva articulorum fidei, riſu ſolvit.

Zæmannus, ob Jeſuitam ſuum revapulantem, Forero vapulat.

Clerus Papalis in Bavaria & ſuperiori Suevia, Eccleſiæ miniſtros Auguſtanos miris modis exagitat.

Chriſtophorus Angelus, de moderno Græcarum Eccleſiarum ſtatu, Enchiridion ſuum publicat.

CUm in Belgio fœderato, *Gomariſtæ urgerent Synodum Provincialem*, ex Hollandiæ Auſtralis ac Borealis Claſſibus conjunctis (quia ſpes de obtinendo Nationali conventu incerta eſſet) ad ſopienda, tollendaque mala diſſenſionum Eccleſiaſticarum, quibus occaſionem dediſſet Arminius, dogmate ſuo de prædeſtinatione & annexis articulis, à Belgica confeſſione & catecheſi alieno; Hic, judiciis purè Eccleſiaſticis diffidens, forum declinavit, exhibitoque ſupremis ordinibus libello ſupplice, obtinuit, ut de cauſa ejus *à Curiæ Magnæ Conſiliariis* cognoſceretur; juſſusque fuit Gomarus coram iisdem, præſentibus Paſtoribus, qui nupero conventui præparatorio ex Auſtrali & Boreali Hollandia interfuerant, cum Arminio *collationem* inſtituere. Proteſtantibus Eccleſiarum deputatis, & regerentibus: dijudicationem harum rerum ad viros Eccleſiaſticos pertinere, non ad Politicos; reſponderunt Ordines Generales, *Cauſæ* ſolummodo *cognitionem* ſupremæ Curiæ mandatam eſſe; *judicium* verò ejus poſteà, ſynodo vel provinciali, vel Nationali commiſſum iri. Hac in collatione, de *agendi ordine* diu diſceptatum fuit. Arminius contendebat, Gomarum ſuſcipere Actoris partes debere; Se autem ad ſui tantùm defenſionem teneri. Gomarus contrà hanc agendi rationem non minùs iniquam ac inſolentem eſſe, præſertim in Eccleſiaſtica cauſa, coram Judicibus politicis, exiſti-

ſtimabat. Utrinque denique in eo conventum, ut *quisque ſententiam ſuam de controverſis articulis, ſcripto comprehenſam, Ordinibus traderet;* quod etiam factum ſine mora, menſe Majo; ſic finita collatione, ordines curarunt, ut conſignata, in ſuprema Curia, usque ad Nationalem Synodum aſſervarentur, interim nemini mortalium communicanda. Synod. Dordracen. act. præfat. c. 2. ſeq. pl.

Vergente ad finem anno, *Arminius,* cùm ab Eccleſiis ad ſententiæ ſuæ publicam declarationem premi ſe videret, Ordinibus fœderati Belgii ſupremis, in ipſorum conventu ſolenni, prolixa *oratione* expoſuit, *quid de Prædeſtinatione divina, de gratia DEI & libero arbitrio, de perſeverantia Sanctorum, de certitudine ſalutis, de perfectione hominis in hac vita, de Deitate Filii Dei, de juſtificatione hominis coram Deo, aliisque doctrinæ capitibus ſentiret;* addens: „ In Eccleſiis Belgicis, de „ divina prædeſtinatione tradi doctrinam, quæ cum DEI natura, „ ejusque ſapientia, juſtitia & bonitate, cum natura hominis ejus„ que libero arbitrio, cum opere creationis, cum natura vitæ mor„ tisque æternæ, ac denique peccati pugnaret; quæque Gratiam di„ vinam tolleret, Dei gloriæ inimica, & hominum ſaluti eſſet noxia; „ quæ Deum peccati autorem faceret; triſtitiam propter peccatum „ impediret; omnem piam ſolicitudinem tolleret; ſtudium bona „ præſtandi minueret; ardorem precandi extingueret; timorem tre„ moremque, in quo in ſalutem noſtram operari debemus, aufer„ ret; deſperationem pareret; Evangelium inverteret; Verbi Mini„ ſterio obeſſet; poſtremò fundamentum non modò Chriſtianæ, ſed „ & omnis omninò Religionis, everteret. Quæ cùm Gomarus intellexiſſet, petita dicendi venia, in eodem conventu, adverſus Arminium egit, ejusque orationem pro poſſibili compenſavit. Synod. Dordrac. act. præfat. c. 3. 4.

Anno 1608. *Antverpiæ Colloquium* fuit habitum *inter Franciſcum Landsbergium,* Concionatorem Roterodamenſem, Calvinianum, & *Patrem Goudam,* pontificium, præſentibus Landsbergii filio Samuele, & P. Cornelio Cornelii, aliisque octodecim viris honeſtis, auditoribus. Diſputatum *de Transſubſtantiatione,* ubi Gouda conceſſiſſe fertur, identidemque repetiiſſe: „ Non tantùm ſe Chriſtum Θεάνθρωπον „ in Sacramento, non ſpiritualiter duntaxat, ſed & corpora„ liter, ore corporeo accipere; verùm & mures quoque, ubi conſe„ cratam nanciſcantur hoſtiam, edere & exſpuere Eundem, imò per poſteriora ejicere: Quibus auditis, non pauci ex Auditoribus

Papatum abjurarint, & Eccleſiæ, ut vocant, Reformatæ ſe adjunxerint. Johannes Hornb. Sum. Controverſ. de Papiſmo, pag. 274.

Sub idem tempus in Academia Leidenſi, *Arminius de Conciliis* diſputavit, Reſpondente Wilhelmo Wirzæo. *Oppoſiturus* ergò *Cudſemius*, tùm ex Anglia in Belgium illapſus, pridiè petiit commodato ſibi dari Calvinum, ut ex ejus ſoliis pronuntiatis, & Maximis aliquot, præſidem conſtringeret, illiusque in Calvinum affectum exploraret; ſed Arminius omnia argumenta præcidit unico illo ictu: Nullum volo audire argumentum ex verbis Calvini; nil mihi cum illo negotii; agat ille pro ſe. Quoniam autem in theſibus aſſeruerat: „ Jus convocandi Concilia, iisque præſidendi, &, poſt litigantium „ acta & propoſitiones, de quibuscunque fidei articulis, ſententiam „ ferendi deciſivam, ac definitivam, cui omnibus fidelibus obtem- „ perandum eſſet, ſemper obtinuiſſe, & obtinere Imperatorem; Ex- „ inde opponens hanc inferebat conſequentiam: Ergo tibi in hac „ principali controverſia, an penes vos Calvinianos, an penes Pon- „ tificios, Dei Eccleſia ſit? Imperatoris noſtri judicio, & ſententia „ ſtandum eſt; ſecùs non modò rebellis es, & contumax, ſed & pro- „ pria confeſſione Infidelis; Hoc argumentum riſu ſolvit Præſes, & opponens itidem ſubriſit. Finita diſputatione, *Gomarus* ad Arminium in hæc erupit verba: Tu protuliſti quædam odioſa, quædam falſa. Cudſem. in deſperat. Calv. cauſ. 105.

Lauingæ anno 1608. apud Jacobum Winter impreſſus fuit liber *Georgii Zeamanni*, Doctoris Lutherani, ſub titulo: *Jeſuita Revapulans*, Jacobo Gretſero oppoſitus; ob quem à *Laurentio Forero* (multis quidem pòſt annis) cum indignatione exceptus eſt, quia de FRANCISCO, Lojolitam p. 148. ſeq. ſic alloquutus: „ Tune, ſpurciſſime Suita, tam impudentis es & impotentis animi, ut Franci- „ ſcum, impuriſſimum iſtum Hypocritam, inſpectante tota Germa- „ nia, hujusmodi titulis (ſanctiſſimi & Angelici) ornare vel potiùs „ onerare non erubeſcas? Et paulò pòſt ibidem: Tune eum ſanctiſ- „ ſimum & angelicum virum dices, qui ex Epicureo diſſolutiſſimo, „ ſtolidiſſimus hypocrita factus, glacie ac nivibus libidinum incen- „ dia reſtinguere conatus eſt; qui non exiguam pecuniæ ſummam, „ ad reparandum Damiani templum, patri ſuo furatus eſt, ob quod „ vinculis à patre conſtrictus, atque ſic dignam furto mercedem „ adeptus? Illene ſancti & angelici viri nomine dignus eſt, qui fu- „ rioſa hypocriſi, vel cauteriatæ conſcientiæ ſtimulus incitatus, fune

„ collo

„ collo circumdato nudum ſe trahi præcepit usque ad lapidem &c.
„ Hactenus Zezmannus, inquit FORERUS, contra Seraphicum &
„ ſanctiſſimum illum virum Franciſcum; quem non odiſſet hæreſis,
„ niſi ille hæreticos ſua vita ſuisque moribus, quibus ipſis diſſimil-
„ limus, tàm validè profligaſſet. Maxima cauſa eſt diſſidiorum, di-
„ verſitas voluntatum. Quia fieri aut omninò non poteſt, aut vix
„ poteſt, ut eam rem in alio quisquam dil gat, à qua ipſe diſſentit.
„ Itaque S. Franciſcum hunc non ſine cauſa oderunt Lutherus &
„ Lutheri nepotes, in quo omnia ſibi æmula & inimica cernunt.
„ Diſpares mores diſparia ſtudia pepererunt. Sed quod nebula ad-
„ verſus Solem, & latrantes canes adverſus Lunam, id Zezmannus
„ adverſus Franciſcum; Malis odio eſſe, argumentum eſt boni, &c.
Forer. in pari fratrum Nobili, Thumm. & Zezmann. pag. 207. 211. ſeqq.

Clerici *Romanenſes*, & cucullati ſatellites Pontificis Tyberini, potiſſimùm in Bavaria & ſuperiori Suevia, poſtquam viderent, rem ex animorum ſuorum voto in Cauſa Donawerdana ceſſiſſe, audaciùs Lutheranæ Religionis & Eccleſiæ Miniſtros, Auguſtæ Vindelicorum, ac alibi laceſſerunt, innumeris penè ſcommatibus, calumniis, exagitationibus, mendaciis ac injuriis; veluti publicæ teſtantur *chartæ*, profectò *famoſiſſimæ*, magno numero ſparſæ, dubio procul eo fine, ut irritati Lutherani ex fervore & præcipitantia forſan dicerent, ſcriberentque, aut facerent, quod inſtituto Papicolarum, nocendi cupidiſſimorum, eſſet aptum & accommodum. Videantur, freundlich Geſpräch zweyer Evangeliſcher von Augſpurg; Volzius flagellifer; Geißlung und Proceſſion im Lutherthumb; Cornu copiæ, daß Johann Dezler kein Kelch-Dieb; Scharwerkh und Frondienſt für Abraham Bruckern; D. Georg Müllers Epitaphium &c.

Chriſtophorus Angelus, Græcus, Peloponeſo oriundus, vir eruditus, probus, & pius, qui ob Religionem Chriſtianam à Turcis plurima perpeſſus, patriæ tandem valedicere coactus, in Angliam anno 1608 venit, inque Cantabrigienſi Academia ſubſtitit, ac paulò pòſt *enchiridion Græcum* edidit, quo ſtatus & ritus hodiernorum Græcorum ſub jugo Turcico, breviter & clarè deſcribuntur. Enchiridion illud latina veſte ornatum Georgius Fhelavius, Eccleſiaſtes Dantiſcanus, multis quidem pòſt annis, cum annotatis quibusdam, publicavit; *libellum lectu digniſſimum.* Primo ſtatim capite Angelus memorat, „ GræcosConſtantinopolitanos,ob Johannis Prophetiam,

„ Apocal. 13. Ecce, vidi aſcendentem è mari beſtiam, & permiſ-
„ ſum ei eſt bellum gerere cum Sanctis, & vincere eos &c. conſpe-
„ ctis Turcis, illicò exclamaſſe, En beſtiam illam! Et hanc ob cau-
„ ſam ne quidem pugnare cum hoſtibus voluiſſe; In principio qui-
„ dem pauliſper armis contendiſſe, ſed poſteà ſtatim ſe dedidiſſe.
„ Propterea, ait, in captivitatem abducti non ſunt Græci, autor ait,
„ ſicut & omnes res ſuas per ſemetipſos adminiſtrant; nummis o-
„ mnia à Turcarum Imperatore ſibi comparantes. Idem & Monachi
„ fecére, qui Monaſteria, domos, agros, & quæcunque jam antè
„ propria habuére, pecuniâ redemerunt. Propterеàque in hodier-
„ num usque diem poſſident omnia ſua antiqua ſcripta, & leges
„ Majorum habent, quas ſervant: ac ita vitam vetuſtioribus Chri-
„ ſtianis & Monachis, qui temporibus Regum Chriſtianorum vixe-
„ runt, inſtituunt omninò ſimillimam: pag. lib. 8. confer Hilar. in Chron. Cypr. 374. Malè igitur informati ſcripſerunt Cuſpinianus, & alii, *Conſtantinopolin* ductore Mahomete II. *vi occupatam eſſe*. Confer D. Wagneri Türcken-Büchlein/ pag. 304. Quantum in ſequentibus temporibus profuerit Græcis *argumentum ex deditione Conſtantinopoleos*, vide anno 1656. notatum.

LIB. I. CAP. LV.

Summaria.

Comitia Ratisbonenſia: Et, expeditio Archiducis Matthiæ Bohemica.

Matthias idem, creatus Hungariæ Rex: Gabriel Battorius, Tranſſylvaniæ Princeps.

Alepienſis Baſſæ Rebellis, cum Achmete S. T. reconciliatio.

Suffiaminata Induciarum Hiſpano-Belgicarum tractatio.

Battavorum frequentior excurſus in utramque Indiam: Anglorum in Virginiam.

Obitus Joachimi Friderici, Electoris Brandenburgici: Et Friderici Ducis Wirtemb. nec non Caroli Lotharingi.

RUdolphus Imperator *Comitia Ratisbonæ* indicit. In illis *poſtulata Proteſtantium* ſunt: ut Donawerda priſtinæ libertati reſtituatur; Ut poſthàc in Camera Spirenſi paritatem Aſſeſſorum & ſuffragiorum ipſi cum Pontificiis habeant; ut in Proteſtantium gratiam Juramenti formula, in feudorum inveſtitura præſtandi, mutetur; ſed horum nil impetrant. Hinc in partes itum, & clandeſtinas utrinque conſpi-

ſpirationes. Boxhorn. in Chronolog. 146. Strateman. Theatr. hiſt. 1105.

Quanquam inter Auſtriacos Principes aliàs rara diſſenſio fuerit obſervata, hoc tamen tempore fratrum quoque, *Rudolphi Imperatoris & Matthiæ Archiducis gratia valde languida* extitit. *Matthias* enim quarto anni menſe Vienna cum exercitu valido in Moraviam diſceſſit, quaſi contra Heiduccos profecturus; *At ſubitam verſus Bohemiam expeditionem ſuſcepit.* Rudolphus ideò ſibi proſpicere coactus, & ipſe milites collegit, ac ad alios de mittendis auxiliis perſcripſit. Inde Matthias Pragam contendit, & prope urbem caſtra poſuit. Status quidem Bohemici vitam & fortunas Rudolpho pro ſalute obtulerunt, ſi modò libertatem Religionis concedere ipſis & contra molitiones Papales firmare vellet; Id verò usque ad comitia dilatum. Intereà poſt multas deliberationes, *pax tandem inter fratres coiit,* Hungariamque & Auſtriam Imperator conceſſit Archiduci, ſpe quoque facta de ſucceſſione in Regno Bohemiæ Gottfrid, & Lundorp. plur.

Sub finem anni *Matthias* Auſtriacus, ritu ſolenni, *Rex Hungariæ creatus eſt;* Ampliſſimum olim extitit *Ungariæ regnum,* à quo feudi vinculo ſeptem alia Regna dependiſſe feruntur, ut multi Hungariæ Principem, non Regem ſed Archi-Regem vocandum exiſtimarint. Atque hinc factum, ut anno 1582. Legato Regis Hungariæ, præ Galliæ Regis Oratore locus honoris in aula Ottomannica ſit adjudicatus Nec ceſſant hoc ſeculo Hungariæ Regum, in regna à Turcis occupata prætenſiones. Cùm enim anno 1608. coronaretur Matthias, præferebantur vexilla provinciarum ad Ungariam pertinentium, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Serviæ, Bulgariæ, Podoliæ, Transſylvaniæ & Wallachiæ. Feller. ad Horn. O. J. nota 61. p. m. 144 Lanſ. Conſult. p. m. 465. ſeq.

Sigiſmundus Ragotzius, qui ante biennium Betskajo ſucceſſerat, *Principatum Transſylvaniæ abdicat,* quem ſibi *Gabriel Battorius* mox vendicat, neglectoque Imperatoris R. & Hungariæ Regis dominio, Sultanum Turcicum, tanquam feudi dominum, eligit. Sed *Hieronymi, Walachiæ Reguli, viduæ,* cum filio tredecim annorum, renitentibus licet Statibus regionis, ac Turcis, meliorem præſtat fidem. Hofm. Lex. A. 670. B. 351. Calviſ. 963.

Interim Vezir Baſſa Ottomannicus, cum triginta millibus militum, in *Alepienſem Baſſam* rebellem movit, qui tribus continuis præliis fortiter, at non feliciter exantlatis, tandem ad Achmetis gratiam

etiam confugit, quam hac obligatione, quòd contra Perſarum Regem militare vellet, facilè fuit conſequutus. D. Wagner in limin. Genealog. pag. 354. Türcken-Büchl. ejusdem. 98. ſeq.

In Belgio *tractatio Induciarum*, *Hiſpanos inter & ſtatus fœderatos*, tantùm non confecta videbatur, cùm liberæ pronuntiarentur unitæ Provinciæ, in quas neque Rex, nec ArchiDuces poſthac juris aliquid prætendere vellent; Sed quia poſtulatum, ut Indicam navigationem aboleant Batavi, Zeelandique, & integra maneat ſolis Regiis novi orbis uſurpatio, totum (usque ad ſequentem annum) hæſit negotium. Cluver. Epit. hiſt. 764. Gottfr. part. ult. 99.

Interim ſuccedente Hollandis *in Indiam Orientalem navigatione*, non modò majori audacia eam continuare, ſed etiam in *Occidentalem*, quæ aliàs *America* dicitur, fortunam experiri decreverunt; præcipuo hujus conſilii autore & promotore *Johanne Uſſelingo*, Antverpenſi, qui in Hiſpania nec non ſubjectis eidem inſulis diu multumque verſatus, omnes occidentalis Indiæ ſeu Americæ opportunitates & emolumenta, ad unguem explorata habuit. Athus & Lundorp pl.

Anglorum quoque *Navigatio in Virginiam*, licet hactenus non ex voto ceſſerit, provehitur tamen contumaciùs, iſtaque regio inculta quidem, ſed fertilis & ampla, habitari cœpit à Chriſtianis Europæis, cùm Rex Angliæ, Jacobus primus, eam per colonias Nationi ſuæ diſtribueret, multis magnisque privilegiis eò migrantibus familiis clementiſſimè conceſſis. Hofm. Lex. B. 549. Calviſ. 962. confer ann. 1643. pl.

Joachimus Fridericus Elector Brandeburgicus, Johannis Georgii filius, de quo ſupra cap. XLV. hunc annum emortualem habuit, apoplexiâ vivis exemptus. Formulæ Concordiæ ſubſcripſit & γνησίως Lutheranum ſeſe profeſſus eſt; ſed in vitæ quaſi margine, *ſeductus à Pelargo*, ad partes Calvinianorum nonnihil inclinare viſus. Georgio Friderico agnato mortuô, cum fratribus Chriſtiano, & Joachimo Erneſto, ob ditiones Franconicas, atque Ducatum Jägerndorffenſem in Sileſia tranſegit, ut illis fratribus conceſſis, hanc ſibi ſervaret. Inter alia habitus laude dignus, ex *gratitudine erga Præceptorem Thomam Huberinum*, quem per omnem vitam impensè amavit, eundemque Conſiliarium ſibi elegit intimum. Spener. Geneal. Syllog. 146. Zeil. annotat. ad Franz. Roſſet. hiſt. trag. 526. Notit. procer. Imhof. 434.

Con-

Conſimili morte ſubitanea correptus obiit FRIDERICUS *Würtembergiæ Dux* (de quo vid. an. 1601. cap. I. & VI. anno 1602. cap. VIII. anno 1603. cap. XXI. pl.) die Januarii 29. Stutgardiæ, ubi etiam inſequentis menſis die 26. in baſilica Collegiata humatus eſt; Princeps heroici animi & acris judicii; varia loca Ducatui partim emptionis, partim permutationis titulo adjecit; arces & principales domos non paucas condidit partim, partim ſplendidiores & commodiores reddidit. Joh. Val. Andr. in Selen. Auguſt. pag. 572. ſeq. Lanſ. in Mantiſſ. Conſult. pag. 298. pl. 327. ſeqq.

Fervidè mendax fuit *Ludovicus Maymburgius*, Ex Jeſuita, dum nominavit *Fridericum* Ducem Würtembergicum, *fervidum Calviniſtam*, qui, ut conſtat, A. C. ſive Lutheraniſmum ſemper & cum laudabili zelo profeſſus eſt. Act. Lipſ. Erud. 1684. 111. ſeq. confer & Hornbekium, vix meliorem, ſum. controverſ. cap. de Lutheran. pag. 723.

Sequutus eſt in eadem ſemita *Carolus, Lotharingiæ Dux*, cognomento Magnus anno 154?. (aliis anno 154?.) natus patre Franciſco, educatus in aula Henrici II. Gall. Regis, Guiſianorum turbis implicitus, bellum in Campania geſſit; Genitor Henrici II. ſucceſſoris. Hofm. Lex. A. 385. Wagner. Imin. Geneal. 288.

LIB. I. CAP. LVI.

Summaria.

Prodigioſum phænomenon in Gallia; Wittenbergenſe incendium in Saxonia.

Exemplum bibacitatis temerariæ; & grandis impoſturæ.

Extremæ deſperationis ſpecimen, ab Amantium pari datum.

Innovatum Ordd. milit. à monte Carmelo, & S. Lazari, inſtitutum.

Frigus ut in Germania, ſic alibi quoque intenſiſſimum.

AD *Angolmoyſiam*, Galliæ regionem anno 1608: *prodigioſum phænomenon* apparuit, cui ſimile, quod puto, nunquam viſum. Nubeculæ plures circa meridiem conſpicuæ in terram ſe demiſerunt, exercitum copioſum, & in cuneos turmasque aliquot militari more diſtributum, repræſentantes. Numerus ad 12000. computabatur & videbantur omnes, ſtatura ſatis procera, armis coeruleis induti, vexilla coerulea & rubro colore conſpicua geſtare, & inſtructa ve-

lut

lut acie per ſpatioſum campum, Ducem quendam ſuum, ad paſſus decem ferè præcedentem, ſtrenuè admodùm, quaſi in re ſeria, tympanis in tergum conjectis, ſubſequi. Prodigium hoc agricolis terrori fuit non exiguo; putantes enim veras militares copias eſſe, quod carum & pretioſum habebant, ad arces civitatesque proximas deferebant, ac armis ſe ſuosque inſtruebant; nobilibus non paucis, conſcenſis equis, ut, quò tandem converſuri eſſent impetum, viderent, ſequentibus. Tranſitus iſte ab hora prima, ad quintam usque veſperi duravit, cùmque ad arbuſtum quoddam veniſſent, ſublati paulatim terrâ, vix ſumma arborum cacumina, diſſipatis nequaquam ordinibus, contingentes, illud ſuperârunt. Tandem verò lucum aliquem ſeu opacam ſylvam, inſpectantibus multis Nobilibus, & aliis hominibus, ingreſſi, poſt ingentia ſclopetorum tonitrua, ne veſtigio quidem ſui relicto poſt ſe, diſparuére. Mercur. Gallo-Belg. tom. 7. lib. 4.

Ferunt etiam hoc anno *Wittenbergæ domum* in platea Coswigenſi correptam igne *conflagraſſe, unico excepto hypocauſto commorantis ibi Theologiæ Studioſi*, qui, cùm ob flammas circumcirca furentes nullus alibi pateret exitus, prehenſis tantùm Bibliis, per feneſtram ſe in aream demiſerit incolumis, illæſo etiam ejus hypocauſto manente, cum omnibus reculis ibi depoſitis: addunt, hominem patriâ Mansfeldenſem, & ex familiâ B. Lutheri fuiſſe; Quodſi verum, ut quidem nos non dubitamus, inſigne exemplum divinæ Providentiæ pro piis & piorum poſteris, exhibuit. Zeiler. Tom. 2. epiſtol. pag. 112.

Temerariæ verò & nocivæ *bibacitatis exemplum* in ſemetipſo ſtatuit *Legatus Moſcoviticus ad Carolum IX. Sueciæ Regem;* qui cum aliquo mane poculum vinô, ut vocant, aduſtô plenum, accepiſſet, avidè exhauſit, idque ſemel ac iterum repetiit; Monitus ne fortaſſe nimiùm ingurgitando ſanitati incommodet, vitæque periculum accerſat, nihilominùs perpotationem continuavit, usque dum ad lectum deferri neceſſum habuit; Sed ſequenti die in aulam Regiam vocandus ad Audientiam, rigidus & exanimis inventus eſt. Olear. in Moſcovit. Reyßbeſchr. pag. 195. lib. 3.

Summæ levitatis, edidit *Franciſcus FAVA,* incomparabilis *impoſtor,* verſipellis ac proteus in omnes formas tranſiens, nunc ſe Cæſarem eſſe Florium, nunc Fr. Favam, modò Ligurem, modo Parthenopeũ, nunc medicum, nunc mercatorem mentitus, nunc presbyterũ, nunc Epi-

Epiſcopum ſimulans; aliorum nomine falſas ſcripſit commendationes, & epiſtolas pro magnis pecuniarum ſummis ac pretioſis ſibi extradendis; & ſic ingentia commiſit furta. Tandem deprehenſus Lutetiæ, capitis damnatus eſt; Is ignominiam prævertere ſtatuens, veneno ſeipſum interemit; Tum exanimis humi vultu inverſo, furcæ alligatus, ut reus mutati nominis, alterius ſyngraphæ & manus ementitæ, furti gemmarum ac auri, inque ſemetipſum veneficii. Lundorp. Tom. 3. hiſt. 874 ſeq. confer Zeiler. Tom. 2. Epiſt 677. de Secretario Stephani, Regis Poloniæ.

Sed & *extremæ deſperationis ſpecimen* dedit *Muſſardus* (cumque ipſo Amaſia) Bellator Gallicanus. Is, dum ob interfectum nobilem vicanum, juſſu Regis ad judicium vocaretur, comparere noluit, ſed in munitiſſimum quoddam caſtrum ſe abdidit, neutiquam exiturus inde, donec ipſi Regis nomine incolumitatis fides daretur. Capitalis quæſitor, cum videret nec admonitionibus, nec minis aliquid effici, aſſumptis è vicinia militibus præſidiariis, caſtellum vi adoritur, adhibitisque bellicis inſtrumentis portas frangit, inque caſtellum irrumpit. Nulla ergò evadendi viâ relicta, infamiam carnificinæ ut averteret, cum amaſia decrevit ſocia morte mori, quod in momento factum; dum altera pars in alteram ſclopum excuteret, mutuisque globis transfoderet. Arce penitus expugnata, utriusque cadaver cruentum & ſemiuſtulatum (nam ut abſumerentur, circum ſtramen ramalia, & quæ pabulum igni faciunt, collegerant) repertum eſt. Condîtum aromatibus utrumque, ut infamiæ publicæ ſervaretur. Ex Lund. cont. Sleid 875. tom. ult.

Tum temporis inſtitutus eſt a Gallorum Rege Henr. IV. *militaris ordo* à monte *Carmelo* dictus, numero centum Nobilium Gallicorum conſtans, quorum ſit officium, belli tempore Reges proximè ſequi; Et reſtauratus *ordo S. Lazari*, pro Sabaudis ac Italis, qui olim ab Innocentio VIII. Melitenſi adjunctus fuerat. Hofm. Lex. Univ. A. 379. B. 899.

Anno 1608. in Germania, Belgio, Gallia, Anglia *intenſiſſimum frigus hyemale* fuit, ut multi hominum rigeſcerent & expirarent; maxima flumina glacie ſic videbantur obducta, ut per aliquot ſeptimanas, peditibus, equitibusque ac aurigis viam ſternerent nullibi omninò impeditam. Franciſci Schaubühn. B. 321. Schmelin. Chron. 366.

LIB. I. CAP. LVII.

Summaria.

Religionis libertas, Evangelicis Auſtriacis, à Matthia ubi, & quomodo conceſſa?

Rudolphinæ literæ Majeſtatis, pro libero ſacrorum exercitio Utraquiſtarum in Bohemia.

Horum concio Euchariſtica, novaque Eccleſiarum & ſcholarum forma.

Templum Hernalſenſe, Lutheranis reſtitutum.

Jubilæum ſecundum Academiæ Lipſienſis, quæ occaſionem originis, Pragenſibus Huſſitis debet.

Hieremiæ Vietoris, Theologi Gieſenſis obdormitio.

A *Uſtriacis Evangelicæ religionis*, recuſantibus obſequium, nì priùs libertatem ſacrorum tàm in Civitatibus, quàm extra eas, obtinuiſſent, *Archidux & Rex novus Hungariæ*, ſub initium anni 1609. *vim oſtentat*, miſſis adverſus illos aliquot equitum turmis; Cum verò ad propulſandam vim ſe paraſſent Proteſtantes Auſtriaci, Hungariæque ſimul & Moraviæ proceres gnaviter intercederent, mox *inſecuta pacificatio*, atque transactio; Archiduce Leopoldo, Pontificis Nuntio, & Viennenſi Epiſcopo, cum aliis, fruſtrà repugnantibus. „Conceſſum ergò ut Primores ac Nobiles Auſtriaci, paſſim in arcibus, pagis & caſtris, urbanis itidem ædibus, libero pro ſe, ac „ſuis petito fruantur exercitio; Tribus inſuper Eccleſiis, nempe „Inſersdorffenſi, Tribelſvinceliæ, & Hernalſenſi, publicum concionandi exercitium relinquatur; Cœtera templa occludantur, à „tribus Romano-Catholicis, totidemque Evangelicis perſonis, pro „cujusque partis documentis ac probationibus iterum, tractando ibi „divino cultui, aperienda; demum Conſiliarii, ad alia officia deſtinati, ex utriusque Religionis hominibus in poſterum legantur. „confer. Archi Mer cur. & Schadii contin. Sleid.

In *Bohemia* quoque iis, qui à Pontificia religione diſſidebant, ſacrorum libertas olim à Maximiliano Imperatore ac Rege conceſſa, reſtaurata eſt & confirmata, dato ſuper ea re diplomate, quod *literas Majeſtatis* vocabant, hunc in modum concepta: Notum ſe „facere, ac teſtari ad æternam rei memoriam, *Rudolphus* Imperator declarat, poſt quam tres Regni ſui ſtatus in Bohemia, qui corpus & ſanguinem Chriſti ſub utraque ſpecie in S. Cœna participant, ſubditi dilecti, comitiis anno 1608. in arce Pragenſi habi-

„tis

„ tis humiliter petierint, ut Confeſſionem (Auguſtanam ab aliqui-
„ bus dictam, & Maximil. II. parenti ſuo exhibitam olim, ab eo-
„ que ordinibus permiſſam) retinere, ac religionem ſuam in ea com-
„ prehensâ liberè exercere ſibi permitteretur; Ipſe verò tum propter ne-
„ gotia graviſſima, quæ morâ & procraſtinationem nullam pati potue-
„ rint, petitionis iſtius approbationem & acceptationem ad moder-
„ nam ordinum Convocationem differre conſultum judicârit; jam-
„ que dicti Status denuò petitionem reiterarint, indeſinenter ac ſe-
„ dulò, adhibiti etiam illuſtrium quarundâ perſonarum interceſſio-
„ nibus; habita deliberatione cum Conſiliariis, decernere ſe: ut & ſub
„ una & ſub utraque ſpecie communicantes, concorditer ac amicè
„ vivant, parsque altera alteram nec injuriâ afficiat, nec proſcindat
„ calumniis; propoſitâ ſecus facientibus, quæ in jure municipali
„ expreſſa ſit, pœnâ. Deinde, cùm ſub una ſpecie communicantes,
„ *libero per omnia ſuæ Religionis exercitio*, in Bohemiæ Regno fruantur;
„ poteſtatem ſe facere ac velle, ut ſub utrâque communicantes e-
„ tiam, nempe Status Proteſtantes omnes, cum omnibus, qui Con-
„ feſſionem Bohemicam, in publicis Comitiis anno 1575. celebra-
„ tis, Maximiliano II. ſibique jam iterum exhibitam, amplectun-
„ tur, exercitium ſuæ religionis ubique & in omnibus ejusdem Re-
„ gni locis habeant, ac ſine ulla alicujus interturbatione aut impe-
„ dimento, donec univerſalis per totum Regnum religionis unio
„ & conformitas, diſſidiorum verò omnium compoſitio, conſtitua-
„ tur, retineant. Præterea, hanc etiam Proteſtantibus præſtare be-
„ nevolentiam, quòd *Pragenſe Conſiſtorium inferius* ipſis permittat,
„ poteſtatemque faciat, ut illud ex confeſſionis ſuæ præſcripto con-
„ ſtituant, de ſacerdotibus idoneis, tàm in Bohemica quàm Ger-
„ manica lingua, ſibi proſpiciant, & Eccleſiis ſuis, absque ullo Ar-
„ chi-Epiſcopi Pragenſis impedimento præficiant. Quin & *Acade-
„ miam Pragenſem*, quæ à multis annis ad Status ſub utraque perti-
„ nuerit, Proteſtantibus reſtituere, factâ ipſis *poteſtate*, eam ite-
„ rum aperiendi, doctis ac eruditis ſuæ Confeſſionis viris exornandi,
„ honeſtis legibus condecorandi, atque certos è ſuo conſortio *patro-
„ nos ac defenſores, tàm Academiæ, quàm Conſiſtorio præficiendi*, quos ſibi
„ à Statibus deſignatos & nominatos ipſe ſine ulla tergiverſatione &
„ mora, vel alia, quàm à Statibus acceperint, inſtructione ac infor-
„ matione, confirmare, & pro legitimis patronis ac defenſoribus de-
„ clarare velit; ita tamen, ut, ſi interveniente forſan graviorum

„ quorundam negotiorum impedimento, id intra duas ſeptimanas „ facere non poſſit, electi illi patroni ac defenſores maneant, & „ officii demandati partes, æquè ac ſi eſſent confirmati, peragant & „ exequantur. Uno etiam ac altero ex eorum numero demortuô, „ alios ipſis ſubſtituere; Et, ſi præter ea, quæ jam poſſideant, *Tem-* „ *pla*, plura inſuper alia, vel *ſcholas* aliquas pro informanda juven- „ tute, ædificare conſtituereque Proteſtantes velint, facere id ipſis, „ tàm in Urbibus, quàm in oppidis ac pagis, ſine ullo impedimen- „ to liceat. Quandoquidem porrò in aliquibus Bohemiæ civitati- „ bus utriusque religionis homines, hoc eſt, tàm ſub una, quam „ ſub utraque communicantes, conjunctim habitent; mandare, „ & velle, ut pro pace tranquillitateque conſervanda, pars quæli- „ bet religionem ſuam liberè colendo, & ſacerdotibus ſuis morem „ gerendo, alteram partem nullo modo vel lædat ac perturbet, vel „ contumeliâ afficiat; multò minus verò *ſepulturas* in templis atque „ cœmeteriis cum campanarum pulſu peragere prohibeat, aut ali- „ quem cujuscunque ſtatûs & conditionis ſit, ſive in Civitatibus, „ ſive in oppidis ac pagis habitantem, *a religione ſua avertere, & per* „ *vim in alteram ſententiam pertrahere* conetur. Id enim unicè ſibi pro- „ poſitum, ut pax & tranquillitas in Regno conſervetur, ac mutuus „ amor inter omnes ſtatus vigeat; Eoque fine, *pro ſe ac hæredibus,* „ *ſucceſſoribusque in Bohemiæ Regno omnibus*, Univerſa hæc & ſingula „ Proteſtantibus, ad quos communis etiam iſta pax, quæ religio- „ nis dicitur, pertineat, fruſtrà vel politicis vel Eccleſiaſticis qui- „ buscunque repugnantibus, firmiter inviolabiliterque perpetuis „ temporibus ſervatum iri, *in fide verbôque Regio* affirmare ac polli- „ ceri; ita quidem, ut nullum mandatum contrarium, vel à ſe vel „ ab ullo hæredum & ſucceſſorum ſuorum, adverſus ſtatus prote- „ ſtantes publicari, vel, ſi fortè publicetur, ratum & validum ha- „ beri debeat, cùm præſertim omnia etiam contra Status iſtos ſub „ utraque communicantes, publicata hactenus edicta, invalida, an- „ nihilata & ſublata omninò hiſce literis pronunciet, nec eorum quic- „ quam, quæ dum confirmationem hujus decreti quærerent, à Stati- „ bus facta ſint, in malum ipſis cedere, & vitio verti à quoquam in „ æternum velit. Mandare igitur omnibus cum imperio paſſim in „ Bohemia conſtitutis, ut trium iſtorum Statuum, omniumque „ Confeſſionem iſtam Bohemicam amplectentium, patrocinium ac „ defenſionem ſuſcipiant, & nec moleſtiam ipſis circa ſuæ religionis

„ ex-

„ exercitium creent, nec ab aliis creari permittant; Id omninò ſibi „ perſvaſum habentes, ſe, ac futuros Bohemiæ Reges, in omnes „ contra has Majeſtatis literas (quas ad futuram rei memoriam ta„ bulis, & Comitiorum Receſſibus inſerendas curaturus ſit) delin„ quentes, ſive Eccleſiaſtici ac ſpirituales illi ſint, ſive politici & „ ſeculares, tanquam in pacis publicæ Turbatores, graviſſimè & ſe„ veriſſime animadverſuros. Hæc literarum Imperatoris ac Regis *Rudolphi ſecundi* ſumma fuit, quem Jul. 13. ad arcem Pragenſem affigi juſſit, ut omnibus notum fieret, finem jam controverſiæ de religione, quæ in propoſitione Comitiorum primam ſortita locum fuerit, impoſitum, & Proteſtantium petitioni omninò ſatisfactum eſſe. Nos verò ex Lundorpii part. 3. hiſtor. pag. 956. ſeq. quicquid ejus eſt, pleniùs transſcribere & lectori communicare voluimus, quia diſpoſitio Rudolphina, pòſt minùs fideliter à Papicolis obſervata, funeſtiſſimorum bellorum cauſam & materiam dedit. Cum Lundorpio exactè convenit Arthus in Mercur. Gallo-Belg. Tom. 8. lib. 1. p. m. 136. ſeqq. Cui ad manus eſt Apologia ſecunda Statuum Bohemicorum ſub utraque communicantium, anno 1619. Germanicè edita, Lit. L. M. Num. 27. inveniet allegati diplomatis integra formalia, cum aliis pluribus huc ſpectantibus.

Poſtquam ergò *Status Bohemici*, à ſacris Romano-Catholicis alieni, compotes votorum ac petitorum facti eſſent, ſtatim Julii 15. die *primam concionem publicam, eamque Evchariſticam* germanico idiomate (in templo quodam Huſſitico, longo tempore hactenus occluſo) Auguſtanæ Confeſſioni doctrina & ritibus conformem, haberi curarunt; miſſoque ad Electorem Saxonicum Oratore, quosdam doctrina & eruditione præſtantes viros, (inprimis *Polycarpum Lyſerum*) ad conſtituendam Academiam, regendumque Conſiſtorium, ſibi ad tempus permitti petierunt Lundorp.

Hernalſii quoque, non procul à Vienna, *reſtitutum Lutheranis templum* antehac ereptum, & clauſum; ubi dum ſacra primùm agebantur, ſeptem ad octo millia hominum ex urbe aliisque circumjacentibus locis, conflaxiſſe dicuntur; quod Romano-Catholicis bilem acerrimè movit, ipſe Rex Matthias ægrè tulit, inprimis, quia tunc Veſtalis quædam virgo communioni ſub utraque acceſſit. Oſeas Schad.

Anno 1609. Decemb. 4. celebratum *Academiæ Lipſienſis Jubilæum ſecundum*. Ante ducentos enim annos, die quarto menſis ejusdem in-

introducta fuerat, & publicatione privilegiorum ſplendidè decorata; præſente ipſo Principe *Friderico* cognomine bellicoſo, primo Imperii Rom. ArchiMareſchallo & Electore Saxonici ſtemmatis. Fundationi autem Scholæ hujus *occaſionem* & initium dedere *Studioſi Pragenſes*, magno numero ex Bohemia, ob *tumultus Huſſiticos*, Lipſiam venientes; Unde Lipſienſis Univerſitas, habenda pro colonia quaſi ex Pragenſi deducta. Carpzovii Danck-Opffer zur Gedächtnus deß Religionſr. anno 1655. abgeſtattet/ lit. B. 1. Birken im Sächſiſchen Heldenſaal/ pag. 349. Micræl. Syntagm. H. E. lib. 3. 166.

Ad meliorem vitam interim abiit *Hieremias Vietor*, Theologus Marpurgenſis, pòſt Gieſſenſis Profeſſor & Superintendens, variis pro Lutheri doctrina, præſertim contra Calvinianos, editis notus, juxta Micrælium in Syntagmate. H. E lib. 3. 551.

LIB. I. CAP. LVIII.

Summaria.

Clerus Pontificius ægrè fert, libertatem Religionis, Proteſtantibus datam in Bohemia.

Idem, exercitio Evangelicorum in Auſtria, obluctatur.

Anonymus Pontificius, Lojolitas magnorum aliquot vitiorum inſimulat.

Edictum Galliæ Regis, contra profanatores Nominis divini, ſeverum prodit.

Alberti Auſtriaci conjux, pro induciis Hiſpano-Belgicis, Mariæ Lauretanæ vota ſolvit.

Sanctiſſimæ Virgini Mariæ, Paulus V. Romæ magnificentiſſimum Sacellum excitare parat.

IN *Bohemia* permalè Pontificios habebat, quod ab ipſis diſſentientes in Religione, tàm multis ampliſſimisque hujus exercendæ privilegiis, nuper ab Imperatore & Rege clementiſſimo, potiti eſſent; propterea paſſim acerbè querulantes, peculiaribus ad extirpationem hæreticorum, quos vocabant, precibus inſtitutis. Præcipuè verò *P. Andreas*, Concionator Germanicus ex ordine Lojolitarum, in cœtu ſuorum frequentiſſimo, lamentabili voce declamabat: „ Hæreſes eheu! quotidiana in hoc po iſſimùm regno ſumunt incre„menta, in damnum & contumeliam Romanæ Catholicæ Apoſto„licæ Eccleſiæ; Ego autem in continuo clandeſtinæ internecionis „periculo verſor; proinde ſi unquam & uſquam, ô mei! Vota nun„cupaſtis & preces omnipotenti Deo & glorioſæ Virgini Deiparæ,

„cœli

„ Cœli Reginæ, id nunc devotiſſimè faciatis, ad ſupprimendos ite-
„ rum hæreticos (ita Proteſtantes nominabantur) erigendos ex ad-
„ verſo & ſtabiliendos Romano-Catholicos, moneo quæſoque dili-
„ genter & ex animo. Oſeas Schad. Plura de hoc Andrea vid. ann. 1612.

Novis intereà *motibus Auſtriacis* anſam dedére *ſic dicti Catholici, obluctantes libero ſacrorum eique publico ex parte civium ac ruſticorum exercitio;* nolebant enim plebejos participare de privilegiis, quæ cæteris ordinibus conceſſa ſint. Quare Status Evangelici omnes conjunctim ad Matthiam Regem querelas detulerunt, acceptoque reſponſo, finitis Comitiis in Ungaria, Majeſtatem ſuam iſti negotio ſine mora daturam quoque operam, tantiſper quieverunt, finem Comitiorum patienter expectantes. Lundorpius & Arthus.

Cùm autem *Viennæ*, pro habendis concionibus Evangelicis Franciſcanorum quoddam Templum peteretur à Proteſtantibus; acriter *Epiſcopus* reſtitit conatibus iſtis, & nudis pedibus Romam, ſi quid hac in parte concederetur hæreticis, iturum ſe, & autorem facti coram Pontifice accuſaturum, expreſsè minatus eſt. Arthus in Merc.

Scriptor *Pontificius. Anonymus* quidem, in *deliberatione de compeſcendis Jeſuitarum conatibus*, ex Polonico ſermone in latinum tranſlata, & in publicum edita anno 1609. Lojolitas apertè inſimulat immodicæ avaritiæ, manifeſtæ perfidiæ, crudeli atisque ſanguinariæ, ſequentibus verbis formalibus: „ 1. Vulgaria illa munuſcula, quæ
„ in religioſos erogari conſueverunt, non curant, nec ea cupiunt,
„ quòd hoc iis ſordidum, & reliquo ordinis ſplendori minùs con-
„ veniens videatur. Novi ego ſimulationem hanc aliquando eò us-
„ que proceſſiſſe, ut oblatum quinquaginta aureorum Ungarico-
„ rum pretium repudiârint. Hominum verò opulentorum Teſta-
„ mentaria Legata, & cum his integra prædia adeò non faſtidiunt,
„ ut potiùs exquiſitiſſimo artificio illa aucupentur; ut Polonia, in
„ hac etiam publica morum corruptione, vix quidquam ſimile ex-
„ perta ſit. Apud Jeſuita, pergit autor, *profundæ avaritiæ lues*, „ &
„ circumveniendarum Nobilium fœminarum, viduarumque, & or-
„ phanorum tàm callidum artificium deprehenditur, ut hoc ipſum
„ prudentioribus in hominibus tàm religioſis, ſummæ admirationi
„ fuerit. 2. Nulla inquit, hodie Europæ Chriſtianæ natio eſt, quæ
„ non de Jeſuitarum *perfidia*, aut ſaltem perfidiæ ſuggeſtione, & ex-

„ cuſa-

„ cuſatione conqueratur, ſi unam Hiſpaniam excipias; quamvis „ etiam ſint, qui de Hiſpania affirment, hanc pulli iei Jeſuiticæ genuinam matrem, horum ſuorum pullorum improbitatem agnoſcere cœpiſſe, eandemque publicè deteſtari. 3. *Pacem Religionis* „ ita traducunt, ut eam Tartaricam & Mahometicam perfidiam nuncupent, quam Regia Majeſtas, citra æternæ ſalutis ſuæ jacturam, „ nec approbare poſſit, nedum ut eandem tueri debeat. Cum Catholicorum nonnulli in Regno Scotiæ conjurationis cujusdam, „ quæ contra Regem ibi à P. Crichtonio Jeſuita in Hiſpania inſtituta erat, tabulas hinc inde inter Romanæ profeſſionis homines „ clanculùm circumferrent, quibus illi ſubſcribere debebant, re proditâ ex primaria Scotiæ nobilitate complures, qui hactenus Columnæ Religionis Romano-Catholicæ in prædicto regno fuerant, „ extremò vitæ fortunarumque omnium diſcrimen adierunt. Sed „ & reliqui Catholici omnes cum ipſa Religione, cui Rex antehac „ non admodum adverſari videbatur, in juſtiſſimum Regis odium „ incurrerunt, ea ratione, ut in hunc usque diem miſeri, illius facinoris Jeſuitici pœnas luere cogantur. Sic Anonymus ille Polonus, allegante Joh. Gerhard. in Confeſſ. Cathol. A. 905.

Laudandus eſt *Henrici IV. Galliæ Regis*, pro ſanctificatione & veneratione nominis divini zelus; Etenim initio hujus anni *edictum* contra profanatores condidit ſeveriſſimum, *quô dejerationes & blaſphemias prohibuit* ſub graviſſima, &, pro qualitate criminis, capitali pœna; mandavitque, ut paſſim per oppida & pagos conſtituantur obſervatores, ac nomina delinquentium ad Magiſtratum deferantur. Decretum Januarii ſexto die promulgatum, & paulò pòſt, in quodam *Nicolao Melæo*, nomine, executioni datum. Is, quòd nomen DEI blaſphemaſſet, accuſatus & convictus, ad Curiam provocârat Regiam; Sed ab ea damnatus, primùm interulâ tantùm indutus, è carcere ad fores Templi deductus eſt, cereum bilibrem manu tenens, ibi prolapſus in genua, & culpam feſſus eſt, quòd Deum & Sanctos ejus malitiosè, per ſummam contumeliam, blaſphemâſſet, ob id implorans DEI, Regisque & juſtitiæ gratiam. Poſt hæc lingua ejus candenti ferro transfixa, & utrumque labium ſciſſum eſt, ipſe verò ex omni Gallia proſcriptus, ita quidem, ut ſi poſt quatuordecim dies, in ea ampliùs deprehenderetur, ſine ulla judicii inſtitutione, patibulo affigendus eſſet, omnibus bonis ejus partim fiſco, partim verò captivorum neceſſitatibus aſſignatis; referente Lundorpio, hiſtor. part. 3. 906.

Al-

Alberti Archiducis in Belgio Hiſpanico *conjux* fertur hoc tempore, confectis induciis cum Belgis fœderatorum ſtatuum, ad *Mariam-Lauretanam*, in Italia, *pallium* ex voto miſiſſe, quo decoraretur ejus ſtatua, incomparabilis ferè pretii donarium; In eo enim numerata dicuntur adamantum ſingularis magnitudinis & ſplendoris tria, Unionum verò ſeu margaritarum viginti millia. Nuncius autem, qui offerre debebat, celeribus equis uſus, magna feſtinatione progreſſus eſt menſe Martio, ut in ipſo Annuntiationis feſto pallium iſtud indueretur divæ Matris ſtatuæ. Calviſius & Arthus.

Pontifex autem *Paulus V.* in eo ferè totus fuit occupatus, ut requiſita compararet omnia, ad erigendum *ſacellum ſanctiſſimæ Virgini Mariæ Deiparæ*, in Exquilino, magnificentiſſimum; de quo in vita ejus hæc habentur: ſacellum Burgeſianum B. Virgini, ſive amplitudinem ædificii, ſive operis elegantiam, ſive opulentiam venuſtatemque conſideres, ad miraculum pulcherrimum, extrinſecus Tyburtino lapide, intrinſecus Carrarienſi marmore, ubi viliſſimè; Nam aliàs Numidico, Chio, Phrygio, Alabaſtrite mellei coloris maculoſo: in quod vetuſtiſſimam beati Lucæ Evangeliſtæ manu depictam Deiparæ effigiem transferret; à fundamentis extruxit, aramque maximam cum loculamento pro ea effigie, quatuor columnis altiſſimis ex Jaſpide circumdato, Topatio, Granata, Rubino, Smaragdo, Chryſolyto, Onyche, Amethyſto, cœruleo Perſico, & aliis incomparabilibus gemmis ornatam, Reginæ Angelorum in cœlos aſſumptæ, cujus imaginem aurô, monilibus, aureis torquibus, gemmis variegatis, unionibus, & lapidibus pretioſiſſimis operuit, conſecravit; Opus

Nullis exæquandum opibus, ſive arte, vel ævi
Venturi ſtudio, Pontificumve manu.

Platina continuat. pag. 512.

LIB. I. CAP. LIX.

Summaria.

Johann Adolphus Holſatus calvinizat.

Pareus denuo Lutheranos, ad ſyncretiſmum cum Calviniſtis invitat.

Milvinus in Scotia ob Satyram contra Epiſcopos editam, vapulat.

Jacobus Arminius, mitior Calviniſta Lugduno-Batavus, vitexcedit.

Qua occaſione is mitior factus?

Sententia viri, de obedientia fidei, & juſtificatione.
Obitus Bartholomæi Kekermanni.

TUm temporis *Calviniani* doctrinâ ſua *Holſatiam*, partem inprimis *Gottorpenſem* & *Sleſvicenſem*, temerare gnaviter moliti ſunt, uſi operâ cujusdam aulico-politici, nomine *Johannis de Münſter in Vortlage*, qui Principi *Johanni Adolpho*, Lubeccenſi Epiſcopo jam perſvaſerat, ut Miniſtris Eccleſiarum Lutheranis in iſto terrarum tractu, *Elencho nominali*, adverſus Calvini ſectatores & seductores, penitus interdiceret, mandato valdè ſevero, Aprilis undecimo die conſignato, publicatoque. Sic enim *ſumma decreti* habet: „Omnibus „animarum Paſtoribus & myſtis noſtrorum Ducatuum, ſub certa „renitentium ſuſpenſione ab officiis, aliisque pœnis arbitrariis „pro transgreſſionis ratione infligendis, quàm ſeriò mandamus ac injungimus, ut ab omnibus intempeſtivis correptionibus, invectivis & convitiis, maledictis & condemnationibus erga diſſentientes in quibusdam doctrinæ partibus; quin „etiam ab allegationibus ac elenchis nominalibus eorum, qui non„dum in Imperio Romano-Germanico, tanquam dogmatiſantes „erronei aut hæretici, unquam declarati ſint, nedum condemnati „& proſcripti, prorſus abſtineant, & affectus privatos, quos fortè „adverſus illos habeant, in ſacra cathedra deponant. &c. Nimirum „ſcimus, inquit *Sigvvartus*, in admonitione ad Parei Irenicum, „pag. 263. Calvinianos id jam dudum quæſiviſſe, ut obliterato „Calvini nomine ipſis liber pateret aditus, ſua dogmata in agro „Domini longè latèque ſpargendi, ac totum Orbem Chriſtianum „clàm ſuo veneno inficiendi. Quod ad acerbitatem & ſtyli & oris „in hoc genere nimiam attinet, pergit pag. 266. nos ipſi eam improbamus, ſuamque omninò adhibendam eſſe moderationem „cenſemus; ne in convitia, quæ politicam exiſtimationem, & famam „hominũ lædunt, prorumpatur. Interim tamẽ non etiam protinus vel „moderationis & modeſtiæ fines tranſiliuntur, vel in Chriſtianam dilectionẽ patratur injuria (quemadmodum politici quidam homines, „profanæ ac terrenæ pacis plus, quàm DEI, & veritatis ſtudioſi, opinantur) quandò errorum Magiſtri & propugnatores, non tàm „Eccleſiæ utilitate externa, quàm rei gravitate poſcente, ex ſobrio zelo aliquantùm duriùs arguuntur. Oportet enim tales „priùs Apoſtolum Paulum reprehendere, qui pſeudo-doctores „nominat vaniloquos, ſeductores, lupos graves, Miniſtros Sa-

„ tanæ, Diaboli filios, operarios iniquitatis &c. Quin ipſum Chri-„ ſtum priùs arguant, neceſſum eſt, qui Judæos dixit eſſe ex Pa-„ tre diabolo, illorum Anteceſſores mendaces, fures, latrones; pſeu-„ dodoctores autem ſui ſeculi, hypocritas, generationem perver-„ ſam & adulteram, ſerpentes, progeniem viperarum; nec tamen „ fuerunt hæc vel intempeſtivæ correptiones, vel virulentæ ſcri-„ ptiones, vel tribunitiæ conciones, nefandæ inſectationes aut „ convitiationes, publicæve pacis perturbationes, & perſecutio-„ nes adverſus diſſentientes. Hactenus D. Sigvvartus. Confe-„ rendus omninò eſt *Hutteri Calviniſta Aulico-Politicus*, liber, quo „ non tantum de allegato Ducis Holſatiæ mandato, accuratum tu-„ lit judicium, ſed & inprimis Münſteri Vortlageani aſſertiones „ frivolas pro cauſa Calvinianorum, ſolidè confutavit, ejusque ma-„ chinationes maſculè retudit. Aulicopol. præf. 4 ſeq. Tract pag. 16. „ 139. & 232. 265. pl.

Pareus in Irenico proponens cauſas, *cur Lutherani & Calviniani pio ſyncretiſmo mutuaq; tolerantia coire poſſint ac debeant*, affert *exemplum Bohemiæ ordinum ſub utraque dictorum*, qui conſenſu Fratrum Polonorum invitati, non obſtante rituum & opinionum differentia, jam olim inierint conſenſum, & in communem fidei formulam unanimes convenerint, nuperque ingenti labore ac ſumptu zeloque reſtaurarint; quæ communis Confeſſio anno 1609. denuò typis evulgata prodierit. Hinc addit ſyncretiſmi procus: „ Macti igi-„ tur vos Proceres, Ordines, Theologi, qui ſanctum Evangelium „ communiter in Germania profitemini, quid ceſſatis? aut quid li-„ tigatis ampliùs? Inſiſtite veſtigia laudatiſſimorum Bohemiæ Pro-„ cerum, Ordinum, Theologorum, & faceſſent in Germania rixæ! Sed *magnam* hactenus eſſe *diſſimilitudinem* Lutheranorum Calviniſtarumque ex una; & ordinum Bohemicorum ſub utraque ex altera parte; ac proinde nil quicquam per iſta motiva Pareum obtinere, Sigvvartus abundè docuit in Admonitione, pag. 252. ſeqq. quo lectorem, ut ſimus breviores, remittimus; in ſimul ad ea, quæ ſup. anno 1602. cap. X. de Calviniſantibus Pikhardis, annotavimus. Hic ſaltem addimus, Bohemos A. C. addictos, anno 1530. Carolo V. exhibitæ, nunquam in dogmata Fratrum ita dictorum, qui ad partes Calvinianorum inclinare deprehenſi fuerant, conſenſiſſe, multò minùs in unam cum iis Eccleſiam coaluiſſe, in eandemve formulam fidei; ſed Pikhardos, aliquoties conſenſum cum

illis, mentitos eſſe, & ſic unionem politicam atque privilegiorum communionem fraudulenter emendicaſſe. Hoc eſt, quod *Leonhardus Hutterus* indicare voluit, ſcribens: „ Quia fratres Pikhardi, contra fidem anno 1575. datam, Confeſſioni Bohemicæ contraria „ dogmata paſſim ſparſerunt; ideò decretis & reſcriptis Regio-Cæſareis ſæpiùs, & compluribus locis, expulſi fuerunt. Olfacientes „ igitur circa ann. 1608. & 1609. niſi denuò ſe Ordinum Evangelicorum confeſſioni adhæſuros, proteſtentur, ipſorum religioni „ nunquam liberum impetrari poſſe exercitium; Nolentes quaſi „ volentes, noſtris iterum ſe ſubmittere, & ut propter factam declarationem recipiantur, rogitare non cœperunt, ſed indeſinenter „ perrexerunt; donec alterâ vice Illuſtribus Evangelicis Statibus, „ quaſi nihil à nobis diſſentiant, quidam illorum imponerent. Mirum autem, cur Pareus non ingenuè dicat, Pikhardos vel Fratres (falſos & verſipelles) poſtquam ſub pallio Bohemicæ Confeſſionis γνησίως & verè ſic dictæ, latibula obtinuére, mox Confeſſionem ſuam peculiarem, in Germania typis æneis curaſſe exprimi. &c. in Irenico verè Chriſtiano, capite XVIII. pag. 46. 48. plur.

Scotis, Anglorum Eccleſiaſticum ordinem, & *Epiſcoporum* aliorumque præpoſitorum *prælaturam* admittere, nondum integrum eſt. Hinc famâ compertum accepimus, Andream Milvinum, primarium in Academia Scotorum Andreana, Calvinianæ Theologiæ Profeſſorem, ob ſatyrica in Anglorum Epiſcopos edita carmina, Londini nuper in carcerem & vincula conjectum. Ita Cudſemius Apoſtata, in deſper. Calv. cauſ. 124. ſeq.

Inter vivos eſſe deſiit *Jacobus Arminius*, Veteraquinas (von Oudemwatter i. e. Altenwaſſer/ oppidulo in meditullio Bataviæ ſito, quod interlabitur Iſela) Profeſſor Theologus in Academia Leidenſi, ſucceſſor Franciſci Junii; qui cùm natus fuiſſet in hanc lucem anno 1560. Marpurgi, Lugduni, Baſileæ & Genevæ literis & ſtudio Theologico, ſub Præceptore Beza inprimis, navaſſet operam, peracta peregrinatione in Italiam & Galliam, Amſtelodami Concionatorem per annos quindecim egit, poſteà Lugduni Batavorum Theologiam profeſſus; vir, juxta *Bertium*, quem qui norant, non potuerunt ſatis æſtimare; qui non æſtimarunt, nunquam ſatis cognoverunt. Seceſſionem à cœteris ſuæ ſectæ hominibus moliens, viſus eſt cum Lutheranis in puncto de prædeſtinatione &

cogna-

cognatis articulis ſentire. *Negavit enim prædeſtinationem ac reprobationem abſolutam*, utramque ſuſpenſam eſſe, docens, à prævisâ fide, vel incredulitate perſeverante; Vocationem ad vitam æternam, univerſalem eſſe voluit; Univerſalem quoque (ex parte Mediatoris) mortis Chriſti efficaciam; gratiam DEI in converſione hominum irreſiſtibilem eſſe inficiatus; eandemque DEI gratiam, & fidem, amitti poſſe, contendit. *Calvinianos* tamen *errores reliquos retinuit;* illum præſertim, qui eſt de S. Cœna; averſatus eo etiam nomine cœtus Lutheranos, quòd *ſentiendi in Eccleſia libertatem* nimis conſtringerent. Hieron. Kromajer in Scrutin. Relig. diſp. 8. de Arminianiſmo, ab init. & hiſt. Gothan. confer.

Memorabilis eſt *occaſio*, qua lux aliqua veritatis, in allegatis quidem controverſiis affulgere cœpit Arminio, à Petro Bertio in Oratione de vita & obitu viri expoſita, Arminiique Diſputationibus præfixa, pag. 5. „ Circumferebatur fortè libellus, inquit, à Myſtis „ in Eccleſia Delphenſi ſcriptus, contra Bezam, ſub titulo reſponſionis, ad quædam ejus & Calvini argumenta ex tractatu de prædeſtinatione in caput nonum ad Romanos. Iſtum libellum ab amico ſibi transmiſſum, ut Bezæ patrocinium, tanquam gratus diſcipulus, haud gravatim ſuſciperet, Arminius refutare parabat; argumenta verò dum expendit utrinque, Scripturas confert, ſe torquet ac fatigat, vero victus, primò ſecutus eſt illam ipſam, quam oppugnabat, ſententiam; poſteà in eam divinâ virgulâ, ductuque Spiritus S. delatus eſt, quam usque ad finem vitæ conſtanter aſſeruit, nempe: Decretum DEI æternum in prædeſtinatione non eſſe, eligere præcisè & abſolutè, ad ſalutem quosdam, quos nondum decrevisſet creare, quod voluit Beza; Neque verò, poſito creationis decreto, & præviſo lapſu, quosdam citra antecedentem rationem JeſuChriſti, quod volebant Prædicatores Delphenſes; Sed ex creatis & lapſis eos, qui vocanti DEO vera fidei obedientiâ reſponſuri eſſent, quod à Melanchtone, Hemmingio, aliisque permultis Theologis aſſertum. vide Calovii conſiderationem Arminianiſmi, pag. 2.

Quanquam autem Arminii ſententia in articulo de Prædeſtinatione commoda ſatis videbatur orthodoxis, ipſe tamen explicando ſententiam ſuam de *fidei obedientia* longiùs fuit progreſſus, præſertim in articulo de Juſtificatione, in quo non juſtitiam Chriſti meritoriam, ſed actum fidei, ſeu τὸ credere, licet imperfectum, per

gratioſam DEI acceptilationem (æſtimationem) nobis ad juſtitiam imputari contendit: Applicationem Chriſti per fidem, ut inſtrumentum eſt; Unum in utroque Teſtamento juſtificandi modum, & alia cum his connexa, negavit; Unde, *dum adhuc viveret*, apud nonnullos *in ſuſpicionem Socinianiſmi venit*, quàm verè? DEUS novit Cardiognoſtes. præfat. actor. Synod. Dordracenſis, lit. c. 2. Scrutin. Rel. Kromaj. pag. 190. vide ſupra an. 1603. cap. XVIII. an. 1605. cap. XXXIII. an. 1606. cap. XL. an. 1607. cap. XLVI. an. 1608. cap. LIV.

Emortualem etiam hunc annum habuit *Bartholomæus Kekermannus*, Philoſopho-Theologus Dantiſcanus in Gymnaſio, Calvinianorum quidem ſectæ addictus; à Syſtemate Theologico, Ethico, Oeconomico, aliisque tractatibus in publicum emiſſis, paſſim notus in Germania. Dietericus in Catal. autorum ad Inſtit. Catech. edit. 8. lit. c. 7. Matthias in Theatr. hiſt.

LIB. I. CAP. LX.

Summaria.

Paulus V. Vice-Deus, Omnipotentiæ Pontificiæ conſervator.

Maria Virgo Deipara, Bournaulto, ſola cauſa gratiæ apud Deum impetrandæ.

De Conrado Vorſtio, Arminii deſtinato ſucceſſore, quid Angliæ Rex? quid Heidelbergenſes Theologi?

Vorſtius, de formatione Chriſti hominis, & Ejusdem ſiliatione.

Reinaldus Scotus, de Magia, & Sagis, quid?

INtolerabilis olim viſa fuit Romæ arrogantia *Caligulæ*, ac *Domitiani*, qui ſe *Deos Dominosque* dici voluére. Domitianus certè cùm Procuratorum ſuorum nomine, formalem dictaret epiſtolam, ſic incepit, Suetonio teſte: *Dominus ac Deus noſter ſic fieri jubet.* Patiuntur tamen, ut molliſſimè dicam, Romani Pontifices ſic ſe à Gnathonibus ſuis famelicis publicè ſalutari, quod noviſſimo *Pauli V.* exemplo pateſcit. Quippe hoc ipſo tempore circumfertur liber Benedicti de Benedictis, anno ſuperiori Bononiæ impreſſus, quo modernus Papa Vice-Deus, Chriſtianæ Reipublicæ Monarcha Invictiſſimus appellatur, & Omnipotentiæ Pontificiæ Conſervator acerrimus. Utique ſi mica Apoſtolicæ modeſtiæ, ſi vel ſcintilla minima zeli honoris divini eſſet, exſilire ac vociferari par eſſet: Mortales ſumus

(nos

(nos Pontifices) ſimiles vobis homines! aut manum illam vindicem vereri, quæ *Herodem* feriit, quod adulationem turpiſſimam populi acclamantis: DEI voces, non hominis! nec repuliſſet, neque caſtigaſſet. ,, Vidit ille poſt acclamationem impiam, uti refert Joſephus, ,, capiti minantem deſuper Bubonem, calamitatis jamjam à DEO ,, mittendæ nuntium, infandisque dein excruciatus doloribus, ad ,, amicos converſis oculis, en ego, inquit lamentabili voce, veſtra ,, nuncupatione Deus ille, vitam relinquere jubeor! ita fatalis neceſ- ,, ſitas veſtrum refellit mendacium! quem immortalem ſalutaſtis, ,, ad mortem rapior! Urſinus Ratisbonenſis Eccleſiæ Senior, in analector. ſacror. lib. 2. pag. 108. Bekius in Luthero ante Luther. 223. confer an. 1605. cap. XXX.

Mariam autem Virginem Deiparam, *ſolam eſſe cauſam, cur Deus pro meritis nos non puniat*, Martinus *Bournaultus*, Ordinis Dominicani Monachus, docuit, in libro de Indulgentiis B. Virginis, Pariſiis anno 1609. excuſo. Ad quid ergo Jeſus noſter, juxta magni teſtimonium Apoſtoli, unicus Mediator inter Deum & homines? De quo Entheus Propheta: Verè languores noſtros ipſe tulit, ac dolores noſtros ipſe portavit; ipſe vulneratus eſt ob iniquitates noſtras, attritus ob ſcelera noſtra; Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus! Quid eſt gloriam, Chriſto Theanthropo ſoli debitam, in Virginem philanthropon, omnigeno quidem honore, ſed non iſto, digniſſimam transferre, ſi hoc non eſt? D. Dorſch. in Kirchero devio pag. 212.

Conradus Vorſtius, Gymnaſii Steinfurtenſis Profeſſor, poſt obitum *Arminii*, ejus quidem *Succeſſor* in Academia Leidenſi, à Scholæ Curatoribus t. t. *deſignatus* atque declaratus erat, & occupandi muneris cauſâ, cum familia ſua jam Lugdunum advenerat; ſed in contrarium nitentibus Eccleſiarum Deputatis, eò quòd homo à multis annis de Socinianiſmo ſuſpectus extitiſſet, officio nunquam admotus fuit. Præſertim quia *Jacobus, Britanniæ Rex*, monitoriales literas ad Unitos Belgii Status miſit, minas annectens, fœderi ſe renunciaturum, nî hæreticum dimitterent. Inprimis autem *Theologica Facultas Heidelbergenſis*, ad petitionem Batavorum, ut ſincerè declararet, (ſiquidem Vorſtius illi ſatis cognitus) utrum hoc rerum ſtatu, cum fructu, pace, ac ædificatione Eccleſiarum, juventuti erudiendæ in Academia Leidenſi, præfici poſſe exiſtimaret? Hunc in modum reſpondit: ,, Recens prodiiſſe quendam Viri de DEO ac at-

,, tri-

„ tributis divinis librum, in quo Veterum & recentium Theologo-
„ rum doctrinam convelleret, doceretque Vorſtius: Deum eſſentiâ
„ quantum, magnum, finitum, compoſitum ex eſſentia & acciden-
„ tibus; mutabilem voluntate, paſſivæ potentiæ obnoxium eſſe, &
„ ſimilia portenta: Miſſum ante decennium Heidelbergam fuiſſe,
„ ut coram Facultate Theologica, & Pezelio D. à Socinianiſmo ſe
„ purgaret, cujus poſtulabatur ab Eccleſia; Et purgaſſe quidem
„ ſe tandem relicta ſyngrapha; Purgationem verò eam non feciſſe
„ ratam; contrà ſæpius, multisque modis, magis ſe ſuſpectum red-
„ didiſſe, quod portentorum nidum in capite gereret, quibus ſcho-
„ lam & juventutem Steinfurtenſem inquinaſſet hactenus; Ergò, ſi
„ ad Academiam Leidenſem, tàm ſuſpectæ fidei homo vocaretur,
„ nil aliud hoc fore, quam incendium oleô reſtinguere. Acta Synod.
Dordr. in præfat. d. 3. Hornbeck. ſumma controverſ. 576.

Vorſtius, Theologus ille Kænophonus (ut meritò illum appellabat Caſaubonus) & photinianizans, blaſphemô etiam ore eructavit, *Spiritum Sanctum in Chriſto homine formando ſeminis viri, imò ipſius viri vicem ſuppleviſſe*, nec in hac generatione Chriſti quicquam præter actionem & ſemen viri defuiſſe. Hanc vocat *primam* Salvatoris noſtri *filiationem*, & Chriſti hominis ex DEO generationem prorſus ſingularem, propter quam etiam ille homo appellari poſſit Naturalis Dei filius; quatenus nempe Naturalis opponitur adoptivo & adſcititio. *Secunda filiatio* ipſi eſt, quâ Chriſtus fuit à Patre ſanctificatus, hoc eſt, copioſè nactus Spiritum S. & cum divino imperio ac poteſtate miſſus in mundum, ad ſervandum genus humanum; unde infert, filiationem divinam Chriſti paulatim perfectiorem evaſiſſe. *Tertia filiatio*, inquit, eaque perfectiſſima eſt, quâ de Apoſtolis diſſerit, ubi docet, Chriſtum à Deo fuiſſe reſuſcitatum è mortuis, ac ita impletum illud: Filius meus es Tu, hodie genui Te. Hornbek. cit. loc. 568. Exegeſ. Gerhard. L. C. 1209. Menzer. in A. C. Exeg. 122.

Heteroclitum etiam caput prodidit *Reinhaldus Scotus*, aliàs Nobilis Anglus, qui *Magiam* oppugnavit omnem; ac *nullam eſſe* contendit, ob id peculiari tractatu editô ante tempus non adeò longum. De ſagis autem id Anglorum plurimis, ac Belgis, nonnemini primus perſuaſiſſe videtur, nullas eſſe. Verſus enim anno 1609. in vulgatam Belgarum linguam, prodiit iterum anno 1638. nec ſine elogiis, imò, ut primùm iſte Scoti liber in Hollandia lucem aſpexit,

con-

confeſtim celebratus fuit carmine Petri Scriverii illius, qui tot eruditis operibus famam ſibi paravit æternam, ad Wilhelmum de Bont, criminalis judicii Lugdunenſis præcipuum judicem. Gerhardus quoque Tuningus, Juris in Academia Leidenſi Profeſſor, qui, ut Scriverius memorat, editionis ac verſionis Reinaldi Scoti præcipuus autor Baſſoni interpreti fuerat, ſuum Belgico ſermone carmen addidit ad judicem incautum, ſententiamque novam permultis plauſibilem fecit. Sed in Anglum ſuum, ejusque patronos ac ſectatores, tectis quidem nominibus, *ipſe Rex Angliæ Jacobus I.* graviter invectus eſt, eorumque opiniones peſtiferas appellavit, ſententiam defendens contrariam. Chriſtoph. Daur in Diſp. de ſagarum denunciatione, pag. 21. 23. 25. 31. pl. confer quoad materiam 1659. an.

LIB. I. CAP. LXI.

Summaria.

Collatio de controverſis articulis Arminii & Gomari, in ipſo Ordinum fœderatorum Belgarum conventu.

Morelli & Boyſii, Colloquium Francofurtanum, de meritis bonorum operum.

Graweri Diſſertationes de Satisfactione Chriſti, contra Socinianos; quid ibi de Calviniſtis?

Commentarii Johannis Feri, miſerè expurgati.

Andreæ Riveti, Catholicus orthodoxus.

Bullaria Eccleſiæ Romanæ.

DE collatione Arminii & Gomari habita ſuperiori anno coram ſupremæ Curiæ fœderatorum Belgarum conſiliariis, actum capite hujus libri quinquageſimo quarto; Hoc autem anno, loco Synodi Provincialis *Collatio de controverſis inter Gomarum & Arminium articulis*, in ipſo *Ordinum conventu* inſtituta, in qua ſibi uterque Paſtores quatuor aſſumeret, quorum illis uti conſiliis liceret. Ubi conveniſſent, Gomariſtæ petebant, ut collatio hæc, *ſcriptò* utrinque exhibendo ageretur, eaque ſcripta poſtmodùm Synodo Nationali examinanda ac dijudicanda traderentur. Ordines autem *vivâ voce* collationem inſtitui volebant, ita tamen, ut ad memoriæ ſubſidium ſcriptis uti liceret; promittebantque, datis in hujus rei fidem literis publicis, cauſam hanc, ubi de eâdem ex collatione iſta cognoviſſent, Synodi Provincialis judicio reſervatum iri, eumque in finem omnia, quæ viva ibi voce agerentur, poſteà ſcripto conſignanda, ſcriptaque

Synodo exhibenda fore. Diſceptatum dein, ex petito Gomari primùm, *de articulo Juſtificationis*, eademque fuit controverſia, quæ anteà coram ſuprema Curia fuerat agitata, ſcil. an fides ut actus, per gratioſam Dei acceptilationem juſtitia illa ſit, qua coram Deo juſtificamur, an ipſa Chriſti juſtitia? Arminio inclinante ad prius, Gomaro ad poſterius. De *Prædeſtinatione, gratia Dei, & hominis libero arbitrio*, ac reliquis articulis cognatis, Gomarus tenuit rigidorum Calviniſtarum ſententiam; Arminius autem eam, quam capite LIX. adduximus, propugnavit. Agendum quidem de aliis nonnullis viſum; ſed cùm Arminii valetudo diutiùs ferre colloquium non poſſet, abrupta collatio fuit. vid. præf. Actor. Dordrac. ad Eccleſ. lit. d. plur.

Anno 1609. Menſe Septembri, *Coſma Morelles*, Profeſſor apud Prædicatores Colonienſes, Francofurtum venerat, nundinas viſendi gratiâ; cùm verò percepiſſet, Hanoviæ Capuccinum quendam Monachum Religionem Pontificiam publicè abdicaturum, eò contendit, & poſt habitam à *Clemente Boyſio* concionem eximiam, invitavit eum ad *Colloquium* Francofurti expediendum, in quod lubens conſenſit ille. Inceptum Francofurti *de Meritis Operum* à Morello diſputari, ſed cum groſſis injuriis & calumniis adverſæ partis, unde brevi, urgente præſertim nundinarum exitu, finitum. Id ex ingenio ſuo Morelles poſtmodùm edidit, quantum ſuggeſſit memoria,(Notarii enim, qui ſingula, quæ dicebantur & gerebantur, annotaſſent, Colloquio non interfuére) & ſcripto Coloniæ, ſuper eadem quæſtione, deinceps diſputationem proſequutus fuit. Hornbek. in ſum. controverſ. p. m. 275.

Ejusdem anni verno tempore, *Gonterius*, Lojolita non incelebris, diſputare cum *Molinæo* Pariſiis geſtiit, & malè ſtetit; probaturus enim, Epiſcopos Novi Teſtamenti facultatem accepiſſe, inſtituendi Sacerdotes, provocavit ad Epiſtolam Pauli priorem, Timotheo inſcriptam, locum tamen ipſum, quem intendebat, aſſignare non potuit. Molinæus tandem ipſi dictum ſuggeſſit ex quinto capite (Manus ne cuipiam citò impone) & vanæ inhiantem gloriæ, inglorium dimiſit. Idem cit. tract. pag. 990.

Albertus Graverus, tunc Mansfeldiæ Theologus, *Diſſertationes* ſuas Theologicas & Scholaſticas, *de Satisfactione Chriſti* pro peccatis humani generis præſtita, primùm evulgavit, ſecunda vice poſt excuſas anno 1613. contra Socini, Oſtorodi, aliorumque Photinianorum

rum ſophiſticationes & argutias, negantium: Theanthropon pretium redemptionis pro culpa & pœna peccatorum noſtrorum juſtitiæ DEI perſolviſſe, nobisque DEUM ſanguine ſuo tanquam lytro reconciliaſſe, atque ſic juſtitiam & vitam æternam nobis impetrâſſe. Merentur ex iſto tractatu ſequentia, de *occaſione* hujus certaminis, transſcribi: „ Fui quondam, autor inquit, in ea opinione, abnegationem æternæ Deitatis Chriſti, hiſce diaboli mancipiis anſam præbuiſſe, ut negarent & ſatisfactionem Chriſti, ſiquidem negatâ illa, hæc per ſe concidit; cùm nonniſi verus Deus, juſtitiæ Dei pro noſtris peccatis antilytron ſolvere potuerit; homini nudo id impoſſibile erat; ſumque adhuc ejusdem mentis. Verùm & aliam eamque propinquiorem cauſam eſſe non ſuſpicor, ſed certò ſcio. Quænam ea? dices. Dogma nempe Calvinianorum, de abſoluta filiorum Dei prædeſtinatione. Docent enim, Deum quosdam homines ad vitam æternam prædeſtinâſſe ſeu elegiſſe, ob ſolam & abſolutam ſuam voluntatem; nullam aliam eſſe cauſam Electionis ad vitam æternam, ſicut & reprobationis ad mortem interminabilem, quam ſolam & abſolutam Dei voluntatem, merumque ejus beneplacitum &c. Quid autem hinc ſequitur? Hoc nimirum, pergit Grauerus, ſi ſola & abſoluta Dei voluntate homines electi ſunt ad vitam æternam, non opus fuit meritô Chriſti, non opus ejusdem ſatisfactione. Nec eſt, ut ad executionem decreti electionis confugiant; vana enim eſt illa exceptio; cûm Deus in tempore non ſalvet per & propter alias cauſas, quàm propter quas ab æterno ſalvare decrevit &c. *Wolfgangus Muſculus*, addit autor Diſſertationum, celebris ille Calvinianus, palàm docet: Deum non minùs absque ſatisfactione, pro nudo beneplacitô, peccata condonare, quàm creditor quispiam pro velle ſuo, ſine minima ſatisfactione debitum remittere poteſt; quem locum dicti Muſculi maximè, & quidem rectè contra Covetum, Calvinianum, urget Fauſtus Socinus, ſicut Calvinum etiam ex propriis principiis oppugnat. Quamdiu ergò verba Muſculi à Calvinianis non damnantur, tamdiu Samoſatenianis recentioribus reſiſtere ſufficienter nequeunt. Hactenus Albertus Grauerus, citato tract. ed. 2. pag. 8. ſeq. confer Menzeri exegeſin A.C. epiſt. ad lect. pag. 5. fac. 2.

Eadem tempeſtate *Johannis Feri*, quondam Concionatoris Moguntinenſis, *Commentarii* denuò prodiére in lucem, ſed miſerè *expurgati*. Qui enim Curatores fuerunt editionis Lugdunenſis anno 1609.

non partem ſolùm eorum, ſed integras periodos, paginasque totas, turpiſſimo plagio ſuſtulerunt, quod pateſcit ex collatione hujus editionis cum ea, quæ anno 1559. excuſa fuit. „ Multis aliis melio„ rem ſuſcepit laborem, præſtititque Johannes Ferus, uti nonnemo „ teſtatur, profeſſione Franciſcanus, Concionator Moguntinus, qui „ multa ſcripſit tanta moderatione, ut, ſciſſa Religionis cauſa Ger„ maniâ, ab utraque parte inierit gratiam. Non enim nego, pergit, „ inter ipſos Papæ aſſeclas inveniri nonnullos, qui ſepoſitis præju„ diciis S. literas tractant, & commentariis atque expoſitionibus „ illuſtrant, operamque ſalutarem Eccleſiæ navant. Sed eo ardore „ Cenſores illi librorum, in Inquiſitionem veritatis non incubue„ runt; qui, ut quondam Ægyptii Iſraëlitarum fœtus aquis, ſic li„ brorum Eccleſiaſticorum Scriptorum dentata Indicis expurga„ torii operâ, ſi non penitùs opprimere, tamen caſtrare, mutilare, „ deformare, & voces, membra, ſententias, paginas autoribus anti„ quis & novis, cùm viſum eſt addere, detrahere, mutare, ſurroga„ re, Patres denique fingere ac refingere arbitratu ſuô non erubuére. Confer Balthaſ. Raith. Diſp. de Indicib. expurgator. pag. 10. Micræl. Syntagm. hiſtor. Eccleſ. 593. lib. 3. Hülſem. Calvin. irreconciliab. 546.

Tunc etiam prima vice vulgatus eſt, *Catholicus Papiſta*, ſeu Catechiſmus Controverſiarum *Guilielmi Bailii*, Lojolitæ Gallicani, liber, quo quicquid ad propugnandam & ſtabiliendam Religionem Pontificiam facere videbatur, in ſubſidium adduxit autor. Ei verò *Catholicum orthodoxum* oppoſuit *Andreas Rivetus*, Calvinianus, Gallicè tertiò editum, dein quoque redditum latinè. Hujus *Riveti*, & *Chamieri* ſcripta, egregiè commendavit D. *Wagnerus*, Academiæ Tubingenſis Cancellarius: „ Quid, inquiens, Chamieri Panſtratiâ in „ iis, in quibus (quantum hypotheſes Calvino-Reformatorum per„ mittunt) Orthodoxus eſt, ad arguendos Papiſtas efficacius? Quid „ Catholicô orthodoxô, quem Rivetus Bailio oppoſuit, ad refutan„ dos Jeſuitas in pleriſque ſolidius? Ut vix ſine gemitu hæc eorum „ ſcripta intueamur, eſſe ea homini peccati, & filio perditionis tàm „ potentes oppoſita, & in ſolis potiſſimùm articulis de Perſona Chri„ ſti, prædeſtinatione ac reprobatione, ac de Sacramentis in genere „ & ſpecie, à nobis tanto intervallo diſtare, ut eos pro fratribus in „ ſacroſancto confeſſionis negotio agnoſcere nequeamus. Quanto „ cum fructu dona eorum in Eccleſiæ noſtræ ædificationem redun-

„ da-

„ datura eſſe putemus, ſi modò, quoad confeſſionem tactorum ar-
„ ticulorum, res eſſet integra. Catholic. orthodox. ** prolegom. 3. Tob Wagn. Inquiſit. in Acta Henotica, pag. 15.

Bullaria dicuntur in Eccleſia R. quæ ex Regeſtis Pontificum confecta, Conſtitutiones Pontificum integras exhibent; quale anno 1588. edidit Romæ *Laërtius Cherubinus de Nurſia* J.C. quod Magnum vocat. Continentur in eo Conſtitutiones Pontificum à Gregorio VII. usque ad Sixtum V. cum rubricis, ſummariis & lucubrationibus. *Summam Bullarii*, in principio hujus ſeculi dedit *Stephanus Quaranta*, in qua exhibet P. R. conſtitutiones editas, poſt libros Juris Canonici vulgatos, usque ad Paulum V. Venetiis anno 1609. Eam deinceps continuavit Proſper de Auguſtino J. C. additionibusque illuſtravit, Lugduni anno 1661. Hornbek S. C. 567. Hofm. Lex contin. Tom. I. 302.

LIB. I. CAP. LXII.

Summaria.

Petita Principum & Statuum Germaniæ Proteſtantium, Imperatori propoſita.

Comitatus Vierredani, ad Electorem Brandenburgicum delapſus.

Induciæ Hiſpano-Belgicæ duodecennales.

Lites, de Cliviæ, Juliæ, Montium hæreditate.

Diſſidiorum civilium in Polonia, compoſitio.

Fœderati Belgæ, in India Orientali pedes firmiter figunt.

Guiana, Americæ Regio, ab Anglis tentatur.

Juſtitiæ zelus Coſmi primi Ducis Hetruriæ, in proprio filio.

ANno 1609. Pragam *ad Imperatorem Rudolphum, nomine Principum & Statuum Germaniæ Proteſtantium, Chriſtianus, Princeps Anhaltinus venit*, cum ſplendido ſtipatu, perque Cancellarium ſuum prolixâ & eleganti oratione propoſuit: „ Principes Donawerdam reſtitui pri-
„ ſtinæ libertati, Juſtitiæ multis modis laboranti tandem ſubveniri;
„ legatorum Principum A. C. addictorum, & in aulam Cæſaream
„ venientium expeditiones, absque temporum & ſumptuum di-
„ ſpendio, maturari; Ejusdem aulæ proceſſum emendari, &, cùm
„ hactenus ibi ſæpiùs neglecti fuerint Statuum Evangelicorum De-
„ putati, nonnullos etiam Evangelicos in Senatorum Conſiliario-
„ rumque Collegium Pontificiis adjungi, debita ſubmiſſione petere;

„ quod ſi fruſtrà peterent, metuere ſe, ne triſtes malorum ſequutu-
„ ræ ſint Iliades. Boxhorn. & Lundorp.

Cùm eo tempore *Martinus, ultimus Comes Vierradæ, Magiſter Ordinis Johannitici ſine hæredibus decederet*, Comitatus iſte cum adjunctis dominiis, inter quæ & Sonnenberg, ad Electorem Brandenburgenſem pervenit; quorum poſſeſſio, & omnia ad Johanniticum Ordinem Equeſtrem ſpectantia (extra territoria Sueciæ conceſſa) iſti Septemviro per Inſtrumentum pacis Oſnabrugo-Monaſterienſis confirmata legitur. Vide Burgoldenſ. diſcurſ. in quart. pag. 349. A.

Tandem anno ſeculi hujus nono, menſe Aprili, *duodecennes* pactæ ſunt *inter Hiſpanos, & fœderatos Belgas, induciæ*, ſed quæ vim haberent finitô demum hujus anni curſu, ita quidem, ut ſtabilis utrinque ſecuritas eſſet per Europæas terras; at extra Europam, arbitrio Regis Hiſpanici relictum, ſi cui ſuis in provinciis commerciorum libertatem permittere vellet. Cautum tamen, ne impediat, ſi quam exteri Principes fœderatis indulgerent negotiandi facultatem; recenſent. Cluver. & Gottfrid.

Confectis hisce induciis, Germania diſſidiorum nova ſemina ſuſcepit. *Mortuo* enim *Johanne Guilielmo, Cliviæ, Juliæ, & Montium Domino, nullam ſobolem habente, natæ lites* de adeunda hæreditate, accipiendoque feudo *inextricabiles*, ut quidem videbantur. Hinc *Electore Brandeburgico*, hinc *Palatino-Neoburgico*, aliisque ex connubiis cum ſororibus defuncti prognatis, jus legitimæ ſucceſſionis prætendentibus. *Prior* in ſolidum ſuccedere nitebatur, eò quòd majorem natu ſororem adeptus eſſet uxorem. *Alter* idem expetebat, quòd ſoror primogenita, morte fratrem præveniſſet, ſua itaq; uxor, omnium trium ſuperſtitum ſenior eſſet. Reliqui duo, nempe *Dux Bipontinus*, & *Marchio Burgaviæ*, hæreditatem inter ſorores per quatuor æquales partes dividi volebant. Porrò *Saxonicus Elector*, & *Nivernenſis Dux*, antiquas prætenſiones in ſcenam reducebant. *Imperator* hisce diſſenſionibus intellectis, judicans adminiſtrationem litigioſi feudi ad ipſum pertinere, mittit Leopoldum Auſtriacum, Paſſavienſem & Argentinenſem Epiſcopum, qui ditiones iſtas Juliacenſes gubernet, usque dum de legitima ſucceſſione conveniat; Huic obtinendo fini, Epiſcopus properè veniens, Juliacum occupat. Subſequitur dehinc è veſtigio Evangelicorum (potiùs correſpondentium Principum & Statuum) Unio politica; & Pontificiorum Liga Catholica; Duo Angulares lapides motuum, in quibus

ferè

ferè ad internecionem, multis annis ceſpitavit Germania. Hornb. Orb. pol. 224. Dux Rohanæus in Trutina Stat. Europ. part. 2, diſcurſ. 5.

Tum temporis *in Comitiis Regni Polonici* Varſaviæ habitis, *Roccoſani*, de quibus anno 1607. cap. XLVIII. mentionem injecimus, ut & cap. XLIV. *Regi Sigiſmundo* hujus nominis tertio *reconciliabantur*; facta ſimul diſpoſitione, quantum ad Religionem, ne diverſarum partium homines, ob diverſam ſacrorum rationem invicem ſibi poſthac moleſti eſſent. Sopitis ergò inteſtinis diſſidiis, arma Poloni exteris intentant, nempe Moſcovitis, in Lithuania *Smolenskum* obſidendo; & Suecis, *Rigam* Livoniæ metropolin, obſeſſam liberando. Lund. & Gottfrid.

Matelifius, ex *India Orientali*, quò cum navibus Hollandicis miſſus fuerat, revertitur, Hagamque Comitis venit, Mauritio Naſſovienſi rerum Indicarum ſtatum expoſiturus; relicta in portu Selandico navi ſua, gemmis, aromatibus, ſerico, aliisque mercibus pretioſis onuſta; ſignificans inter alia: Subinde *plures per Indiam Reges, amicitiam & familiaritatem Hollandorum expetere*, ſeque duos à Siamis Rege legatos, eum in finem attuliſſe. Hi per puerum Batavum (qui ſex annis in iſta regione degerat, gnarus interim linguæ Siamicæ factus) ſeptendecim annorum, ſui Regis amicitiam, ac in teſtimonium benevoli animi, munera quædam offerebant. Arthus. in Mercur. Gallo-Belg. Hinc factum, ut anno vergente in Decembrem, ab Hollandis militum ſuorum numerus haud exiguus, in diſſitas illas Regiones mitteretur, additis etiam puellis & fœminis junioribus, ex quarum conſuetudine (ſed honeſta tamen) liberos ibi procrearent, & ex Europæo ſemine commoda loca habitatoribus implerent; referente Schadeo.

Guiana verò Americæ regio, uti fertur, aurô ditiſſima & Virginiæ vicina, *ab Anglis habitari tentata*. Hi à barbaris quidem ad S. Luciam humaniter excepti ſunt; ſed cùm per aliquot ſeptimanas ibi fuiſſent, imprudentia temeritateque ſua incolarum in ſe odium concitarunt, ab iis mox, tanquam ingrati hoſpites (exceptis tantùm viginti perſonis, fuga dilapſis) miſerè trucidati. Rex tamen expeditiones eò mittendas, non intermiſit, ſed ſibi continuandas propoſuit. Ex Mercur. Gallo-Belg.

Mortalitatem explevit *Ferdinandus Medices*, ejus nominis primus, Magnus Hetruriæ Dux (i. e. Florentinus) qui purpura depoſitâ,

ſitâ, fratri Franciſco, ætatis anno quinquageſimo ſecundo ſucceſſit; Ex Eleonora Toletana ſuſceptus, patre laudatiſſimo Principe *Coſmo primo*, qui tanto in ſumenda de ſceleribus ultione zelo flagravit, ut nec proprio filio parceret. Cùm enim filius ejus Garſias, Johannem fratrem in ſylva occidiſſet, pater mox Garſiam, eodem pugione, quo fratrem occiderat, confodit; Eamque calamitatem ſilentio ſopiri voluit prudentiſſimus Princeps, fama ſparſa, ex populari morbo alterum poſt alterum extinctos. Prolixè hiſtoriam recenſuit integram Thuanus libr. 32. hiſtor. & ex eo Brunnemann in tract. Jurid. de Inquiſitionis proceſſu, dedic. a. 4. Summariè Lanſius in Mantiſſa Conſultat. 799.

LIB. I. CAP. LXIII.

Summaria.

Nummi notabiles Hiſpanici, olim; Hollandici, jam nunc percuſſi.

Johann Friderici Wirtenb. Ducis nuptiæ, cum Barbara Sophia Brandenb.

Luctiferæ nuptiæ coriarii Erffurtenſis.

Miraculoſa mulieris in Sevilia conſervatio; fontis Northuſani medicinalis reſtitutio.

Catharina Urſula, Marchioniſſa Badenſis, inter eruditas fœminas Illuſtres numerata.

Juſtus Joſephus Scaliger, vita mortali exemptus.

CUm *Alexander Farneſius*, Dux Parmenſis, Pro-Rex Hiſpanus, *Graviam* expugnaſſet, ingentemque terrorem fœderatis Batavis incuſſiſſet, *nummi* varii triumphales percuſſi ſunt. Ex his aliqui in antica quadrigam triumphalem oſtentant, quam Alexander agitat, Fama capiti ejus impendente, cum lemmate: Graviâ ſubacta Trophæum an. 1586. In poſtica vir quidam alterius (neſcio quid ſubruſtici præ ſe ferentis) aurem vellit, adjecto ſcommate ex Martiali: Treme auris Batava! Ad eadem verba Martialis, reſpexiſſe videntur *Belgæ* in *nummo* an. 1609. quô induciæ inter Hiſpanos ac Belgas pactæ fuerunt, cuſo. Ex Oudani deſcriptione is ita ſe habet: Miles tympano diffracto incubans atque dormiens, circa ſe habens galeam, loricam, chirothecas ferreas &c. cum inſcriptione, Quieſco. 1609. S. C. In poſtica: Civis in abaco mercatorio caput ad ſomnum componens & aliquantulum dormitans, Mercurius autem vellicat ei aurem, dicitque: Plus vigila! Ex Catone. Ni fallimur, miles, ſomnum

mnum tantùm fingens, Hiſpanos notat; Hiſpanico enim collari inſignis eſt. Civis pileo (libertatis ſigno) tectus, & ſecuriùs obdormiens, ſignificat Batavos. Hi nimirum ne in pace quidem, nedum armiſtitio, ſecuri atque curarum expertes eſſe debebant. Ideoque Mercurius efficit, ut aures Batavæ tremant, Belgæve ſoporem intempeſtivum animo ſuo excutiant. Ex actis Eruditorum Lipſienſibus, ad annum 1690. menſ. Novembr. pag. 539. ſeq.

Johannes Fridericus, Wirtembergiæ Dux, anno ſuperiore Patri ſuffectus in gubernando Ducatu, *in torum conjugalem jam aſſumit Barbaram Sophiam*, Joachimi Friderici Electoris *Brandenburgici* filiam, nuptiis Nov. 6. Stutgardiæ regio apparatu peractis. Joh. Val. Andr. in Selen. Auguſt. 574. Schwel. Chron. 369.

Luctiferæ fuerunt *nuptiæ* coriarii cujusdam Erfurtenſis in Thuringia, menſe Februario habitæ; nam durante convivio cœnaculum, in quo conſederant hoſpites, ſubitâ concidit ruina, ſponſamque cum aliis viginti perſonis oppreſſit ac enecavit, aliis totidem, aut pluribus, fractis cruribus & brachiis, lethaliter vulneratis, quaſſatis. Oſ. Schadius, ac Zeiler. in Epiſtola Tom. I. VII.

Miraculoſa verò *conſervatio mulieris* cujusdam in Sevilia, quæ à marito Sclerocardio truculentoque Alcalâ, cum eo domum tendens non longè diſſitam, gladiolo aliquoties transfoſſa, & in profundam foveam (illius opinione exanimis) præcipitata, 72. dies, nempe à 3. Decemb. ad Febr. 12. gemebunda jacuit, nullo interim cibo, aut potu, aut medicamento uſa, donec poſt integras decem ſeptimanas inventa ibi, ac juſſu Magiſtratûs proximæ civitatis extracta eſt, infirma quidem, ſed viva tamen, deque nullis ampliùs vulnerum reſiduis doloribus querula. Cùm interrogaretur, qualem, ne moreretur, ſanandis aut leniendis vulneribus medelam apprehendiſſet? quibusque modis ac mediis, in loco tam deſerto hactenus vitam ſuſtentaſſet? juratò depoſuit: ſanandis vulneribus nil quicquam applicuiſſe, præter aquam pluvialem, cujus paucillum in fovea extiterit; alendo autem corpori, ſed potius reficiendo aliquantulum, eandem aquam valdè turbidam hoc adhibuiſſe modo, ut linteum, quo caput involviſſet, madefactum nonnunquam exſugeret; referente, ex Caſparo de Reyes, Medico, atque Didaco de Bordes, nobili Hiſpano, Franciſc. in der Schaubühn. part. 2. 927.

Patrum memoriâ *in agro Caſſellano, non procul à Northauſen, fons medicinalis* innotuit, multis graviſſimisque morbis profligandis ac-

commodus; Quapropter peregrini à longinquis locis aquarum iſtarum celebritate allecti, eum inviſerunt ac uſurparunt, eximios effectus inde percipientes. Aſt, cùm aliquandiu fontis iſtius duraſſet uſus, deſinere cœpit, agricolis ſcaturiginem ejus, ne vicini agri nimia humectatione infœcundi redderentur, obſtruentibus. Hoc autem tempore, iterum reperta ſcatebrâ, ex mandato Magiſtratus excepta, terreisque fiſtulis ad viam publicam deducta aquâ, ægrotorum neceſſitatibus ac deſideriis probè ſatisfactum eſt. Mercur. Gallo Belg.

Inter Illuſtres hujus temporis fœminas tum pietate, tum eruditione inclytas emicuit C. U. *Badena*; quod patet ex inſcriptione à Joh. Val. Andreæ alicubi producta. Sic autem *inſcriptio* habet in librum utiliſſimum facta, nempe in catalogum Teſtium veritatis Matth. Flaccii Illyrici, literarum eleganti pictura, & penè incredibili:

CATHARINA URSULA,
„ Marchioniſſa Badenſis & Hochbergenſis,
„ anno ſalutis humanæ 1609.
„ Hoc volumen ego ſupra conſignata Marchioniſſa, Bibliothecæ
„ iſti, quæ in uſum Eccleſiæ & Scholæ Durlachianæ colligitur, inſe-
„ rere volui, ut extaret perpetuum monumentum mei amoris, non
„ modò erga literarum ſtudia, ſed inprimis erga cœleſtem verita-
„ tem, quam multi egregii teſtes, hîc longa ſerie poſiti, etiam cum
„ vitæ ſuæ jactura conſtanter teſtificari non dubitarunt; addens ver-
ſiculos: *CHRISTE, tuum verbum da credere, daque fateri me quoque, dum Mundi ſævit ubique furor!* Selenian. Auguſtal. Andr. 496. 501.

Juſtus Joſephus Scaliger (Julii Cæſaris, magni patris, magna progenies) vir ingenioſiſſimus, plurimarum linguarum cognitione inſtructiſſimus, omnique doctrinarum genere excultiſſimus, famigerabilis illius operis *de Emendatione temporum* autor, aliorumque plurium ſcriptorum, obiit Lugduni Batavorum, ubi per multos annos extra ordinem docuit, ætatis an. 68. cùm uberioribus lacrymis deploraſſet nimiam vivacitatem ſuam, *quòd ſcil. ad ea uſque tempora duraſſet, quibus in dubium vocarentur meritum & ſatisfactio Chriſti Servatoris noſtri, quem ſe propediem viſurum fidebat ſedentem ad dextram Patris omnipotentis.* Vid. orat. funer. Baudii epiſt. annex. p. m. 633. pl. Hofmann. Lex. B. 318. Lanſ. Conſult. 183.

LIB. I. CAP. LXIV.

Summaria.

Conſultatio Pragenſis, de Cauſa Donawerdana.
Evangelicorum Colonienſium miſeranda conditio.
Melior in Auſtria, quantum vel ad plebejum Statum.
Daniel Hizlerus, ex Würtembergia Linzium vocatur.
Abbatiſſa Trebnicenſis, Lutheranorum cœtui conſociata.
Scholæ Heidenhemenſis Latinæ inſtitutio.
Johannis Pappi, & Polycarpi Lyſeri Senioris, ad meliorem vitam transmigratio.

De *cauſa Donawerdana* conſultatum Pragæ, circa medium anni, coram Cæſare, à Statibus aliquot Imperii, factumq; *concluſum*, ut Maximilianus Bavariæ Dux brevi ſupputationem expenſarum ob iſtam expeditionem inſtituat, eamque ad moderandum Electorali Collegio exhibeat, quibus redditis reſtitutio Civitatis in priſtinam libertatem ſequi debeat. Ex Schadio.

Coloniæ ad Rhenum, *Studioſus* quidam, patriâ Lubeccenſis, die Petri & Pauli *Monacho* protervius ad populum, de Henrico quarto ac ejus parricida loquenti, *publicè contradixit*, eoque facto ſtatim aufugit. Inde *Senatus Pontificius* ad iram concitatus, non modò proſcripſit Studioſum, ſed *edictum* quoque *publicavit ſeveriſſimum* ne quis in tota civitate, Lutherano more ſacra faceret, ſive publicè, ſive privatim, aut extra civitatem adiret, ſub arbitraria pœna rigidiſſima; Id quod vel Gallicus Legatus, tum temporis Düſſeldorpii agens, vehementer corripuiſſe, imò ipſa Regina ægrè tuliſſe fertur. Arthus in Mercur.

Matthias ArchiDux Auſtriæ, urgente quarto ſeu *plebejo ſtatu*, non minùs eidem ac Nobilibus & proceribus ditionis, *liberum quoque Religionis exercitium*, juxta normam A. C. menſe Martio clementiſſimè *conceſſit*; multum in id conferentibus Hungariæ primatibus, maximè autem Georgiô Turſone, Regni Palatinô, laudatiſſimi Stephani Illiſchaſii ſucceſſore perinclyto. Ex relatione Calviſii, & Schadii. confer. cap. LVIII. an. 1609.

Tum verò *ab Ordinibus Auſtriæ Superioris*, ad promovendam Evangelii veritatem, & juvandam purioris Eccleſiæ ſalutem, ad ſupremum Linzii Paſtoratum *ex Wirtembergia vocatus eſt* Giglingenſis Epiſcopus Antiſtes *Daniel Hizlerus*. Eum nomine Auſtriacorum

Procerum, apud Principem Johann-Fridericum exprocantibus Günthalero & Lanſio; Ubi longûm eſſet, perſuaſionum recenſere machinas, quibus Hizleri animus, donec in vocationem conſentiret, expugnandus fuit, Præſagus quippe futurorum, quæ tandem evenerunt; Ut maximè ovibus extiterit gratiſſimus, infenſiſſimum tamen fore lupis, inter quos vivere oporteat, Spartamque ſplendidiſſimam afflictionibus exquiſitis non carituram eſſe; quod præſagium tandem exitus implevit. Interim dici vix poteſt, quanto cum applauſu Provinciales Evangelici, Galatarum exemplo, illum exceperint, exceptum foverint, fotum tractârint; ut ſoli ſumptus profectitii in ſummam mille florenorum excreverint; quos tamen hilarius erogârunt illi, quam Hizlerus ex verecundia in ſe expendi paſſus eſt; ex quibus reliqua, propter officium in beneficium numeranda, faciè colligantur, equidem non merè gratuita, ſed curis ac laboribus magnam partem debita, quibus ille, ut cœlifer Atlas, onerabatur in functione ſua, ſi vel ſolos ſpectemus Lojolitas, qui ut inſidioſi obſervatores, ejus laborum lateres maſculè duplicarunt, quandò per clathrum ſui templi, Evangelicorum auditorio contigui, conciones & ipſi audiverunt, auditas exceperunt, exceptas falſarunt, falſatas refutarunt; unde neceſſarium fuit, obviam ire ſcandalo in doctrina dato, reſponſionumque ſerras reciprocare, & implacabile bellum gerere cum hominibus, qui viam pacis neſciverunt; qui labor quanta conjunctus cum cura, quantoque cum periculo, inter hoſtes Evangelii, expertis conſtat, quos viperina progenies exercuit. Ut Gymnaſii Linzenſis, cujus Inſpector erat, directionem, varios inſuper caſus, qui contigére, & judicium exactè practicum exegére, taceamus. Hoc officii æquor Hizlerus, durante licet pacis tempore, Linzii tàm periculosè, quàm operosè, integrum decennium navigavit, oculis in Helicen verbi divini unicè intentis, ne navis in ſcopulos, ferè nullibi non minaciter prominentes, illideretur, ac illiſa mergeretur, donec anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum vigeſimo, procelloſi turbarum venti Bohemiæ Regnum velut agmine facto perflarunt, reſque Lutheranas in Auſtria ſubverterunt, ut ſuo dicetur loco. De his autem vid. Parentat. Hizler. à D. Wagnero, Cancellario Tubingenſi habitam, pag. 23. ſeq.

Sub idem tempus *Abbatiſſa Trebnicenſis, Maria*, ex Nobili *Lucenſium* familia Sileſiorum prognata, *Lutheranam Religionem amplexa eſt*; eaque propter Sileſiæ Principibus & Statibus Uratislaviæ con-

gre-

gregatis præſentibus etiam Cæſaris, Electorum item ac Principum Imperii Proteſtantiũ, Hungariæq; Regis Legatis, ſcriptum exhiberi curavit, quô *mutationis cauſas* indicavit, in ſumma tali: „ Se ab Evan„ gelicis parentibus natam, in vera religione Chriſtiana educatam, „ & in Catechetica doctrina mediocriter in juventute ſua inſtitu„ tam, faſcino deinde ſingularis ſanctitatis quaſi dementatam, in „ Principum Nobiliumque Virginum Cœnobium Trebnicenſe, vi„ tamque monaſticam eſſe detruſam ac præcipitatam, ex impru„ dentia amicorum; dum verò animadverterit, oportere ſe in pere„ grina & latina lingua, ore ſuo multa loqui, animæque ſalutem in „ iis poſitam credere, quæ non intelligat; viderit etiam, externas „ jejuniorum, precationum, cantilenarum, aliaſque ab hominibus „ excogitatas ceremonias, plus quàm DEUM ipſum obſervari, S. „ Cœnam contra expreſſam filii DEI inſtitutionem mutilari, con„ ſcientias commemoratione omnium peccatorum excruciari, ad „ deſperationem adigi, tandemque ad bona ſua opera homines re„ mitti; viciſſim ex verbo DEI, Catechiſmo, & piis libellis aliis, quos „ diligentiſſimè ſubindè legerit, per gratiam ſupernam deprehende„ rit, ſibi in erroribus iſtis absque ſalutis diſpendio non perſeveran„ dum; rediiſſe, abdicatis & ſpretis putidis Antiſtitis honoribus, ad „ Evangelicæ veritatis profeſſionem, in qua manere ad finem vitæ „ firmiter conſtituerit, certa omninò in conſcientia, ſe hac ratione „ ad beatam vitam cœleſtem certò tandem commigraturam. Quo„ niam autem certa ſit, non parum ſibi perſecutionum, calumnia„ rum & periculorum, ab illo, quem deſeruerit, ordine, imminere; „ ad Principes ac Status Evangelicos confugere, illorumque patro„ cinio ac defenſioni ſe committere voluiſſe, per Deum rogitans, ut „ commendatam habentes, in agnita veritate ab omnibus falſis ad„ verſariorum accuſationibus, calumniis, & perſecutionibus tuean„ tur, atque libero religionis exercitio frui ipſam non ſecus ac alios, „ Evangelicam veritatem profitentes, patiantur: Idque magis, quòd „ non clàm & per levitatem, ex Cœnobio ſe ſubduxerit, ſed ratio„ nem adminiſtrationis ſuæ, Collegio honeſtam reddiderit, ac reli„ quum vitæ ſuæ in omni pietate & condecentia per gratiam DEI „ tranſigere, ſtatutum apud ſe deliberatumque habeat. Mercur. Gallo-Belg. Tom. 8. lib. 3.

Anno 1610. demum *latina Schola Heidenhemii* fuit introducta, Præceptore publico conſtituto, qui erat *Georgius Loravius*, Iſenacenſis

Thuringus, didacticus fidelis & induſtrius. In ſtatu etiam feliciſſimo t. t. erant *Monaſteria Ducatûs Wirtembergici; Scholæ alumnorum* nullibi non erectæ videbantur in iis; Tot equi Trojani in patria, quot fundata Cœnobia; ſcatebantque omnia benedictione divina, dubium ut fuerit, Cœnobiane Scholas, an Scholæ Cœnobia aluerint; donec alumnorum facto compendio, Scholæ reductæ fuerunt in *quatuor* aut *quinque* Monaſteria: quo tamen in ſtatu ut conſerventur, & halcyonia Eccleſiæ divinitus indulgeantur, Deus ardentiſſimis precibus orandus eſt, ne propter ingratitudinis impietatem repetant fata priora viam. D. Wagner. in orat. funerali Dan. Hizleri, pag. 15.

Johannes Pappus, Lindavii natus, Theologus Argentinenſis, qui ſtrenuum ſe præſtitit in bello ſpirituali pro Eccleſia puriore militem, atque Athletam invictum, ex hac vita migravit anno 1610. ætat. 61. Ex variis ingenii monumentis orbi erudito notus, ut ſunt: Scholia in Prophetas, diſputationes in Auguſtanam Confeſſionem & Formulam Concordiæ, hypotypoſis doctrinæ Chriſtianæ, Homiliæ Academicæ in Epiſtolas Dom. & Evangelia, Contradictiones Doctorum Romanæ Eccleſiæ Bellarmino Indice ac teſte, compendium hiſtoriæ Eccleſiaſticæ &c. Matthias in theatr. hiſtor. 1120. Micræl. Syntagm. H. E. 529. part. 3. *Johannes Hornbek*, Ultrajectinus Calviniſta, ſanctæ recordationis virum, *Turbonem Argentinenſem* vocat, à quo cœptum ſit, ſuæ fidei ſocios loco moveri, initio facto à Venerando Sene (dem ſauberen Geſellen) *Johanne Sturmio*, ceu probaverit *Michaël Benther*, in declaratione Agendæ Argentinenſis Eccleſiæ. Sed quis neſcit Sturmium illum, Rectorem Academiæ, Rhetorem Calvinianorum, ob *datas turbas*, ab officio remotum? Beuthero autem laudes, queis dignus eſt, inter alios cecinére Leonhardus Hutterus, & Johann. Schmidius. vide Hornbek. ſum. controverſ. p. m. 633. Hutt. Concord. Conc. pag. 1015. 1018. pl. Schmid im Samuels Recht/ 172. confer. 1603. cap. XIX.

Emortualem quoque hunc annum habuit *Polycarpus Lyſerus*, Senior, Winnenda-Wirtembergicus, Tubingæ Jul. 16. anno 1576. Doctoris gradu ornatus, poſteà Profeſſor Theol. Paſtor & Superintendens Generalis *Witteberge* conſtitutus. *Brunſvigam* deinde ad Ephoriam vocatus, abiit anno 1587. ſed *revocatus* anno 1593. ad Academiam Leucoream, eò remigravit; Sed exacto biennio, Electoralis Concionator Primarius *Dresde* in aula Chriſtiani II. conſtitutus,

tus, anno 1610. Febr. 22. ætat. 68. corpus terræ, Spiritum DEO reddidit; relictis duobus filiis, quorum unus patri homonymus, Theol. Profeſſor Lipſienſis; alter Wilhelmus, Torgenſis Eccleſiæ Superintendens factus. Fuit autem hic noſter verè Polycarpus, ob multiplices pietatis, doctrinæque fructus varios & eximios, Harmoniæ nimirum Chemnitianæ continuationem; Commentationes in Geneſin, Danielem & Epiſtolam ad Galatas; Harmoniam Calvinianorum & Photinianorum; explicationem Chriſtianiſmi, Papiſmi, Calviniſmi; Methodum concionandi &c. vid. Andreiſch Geſchl. A ij. Catalogus Theol. Conſiliis Theol. Wittenb. præfixus. Unum addimus de pientiſſimi Viri *obitu placidiſſimo*; quippe, cùm in concinnanda Harmonia Evangeliſtarum, veniſſet ad verba usque Johannis undecimo capite, de *Lazaro dormiente*, mox ægrotare cœpit, atque Deum invocare calidiſſimis precibus, ut quietè ſopitus, obdormiſceret; En rata ſuſpiria, Lyſerus circa finem vitæ, ſomno captus, antequàm rurſus evigilaret, exſpiravit? Joh. Kisling. in arte vivendi & moriendi Chriſtian. pag. 703.

LIB. I. CAP. LXV.

Summaria.

Bulla Cœnæ Dominicæ, à Paulo V. renovata.
Judæus quidam Venetus, inter Officiales Papæ primarios adſcitus.
Baronius, ob Annalium Tom. XI. Hiſpanis vapulans, at arrogans.
Cauſa rei, à Gramondo breviter annotata.
Marianæ liber de Regis inſtitutione, flammis traditus.
Damnatus quoque Bellarmini tractatus, de poteſtate Rom. Pontificis.
Perſonius, Jeſuita ex Calviniano, vita defunctus.
Matthæus item Riccius, Papæ Miſſionarius in China.
Clerus Pontificius, denuò Angliâ exire juſſus.

ANno 1610. ſexto Id. April. *Paulus V.* Papa Romanus *Bullam*, quam *Cœnæ Dominicæ* vocant, *renovavit* ac vulgavit, ſub titulo: Excommunicatio & Anathematiſatio hæreticorum cujuscunque ſectæ, eisq; faventium, auxilium aut conſilium quoquo modo præſtantium; ac ſchiſmaticorum, vel libertatem Eccleſiaſticam perturbantium, aut his, quæ in iſta Bulla die cœnæ Domini legi ſolitâ continentur, contravenientium. Conflata eſt ex diverſorum Pontificum

cum conſtitutionibus ac bullis, dicto die recitari, & progreſſu temporis mutari, augerique ſolitis, quas Cherubinus Bullar. tom. 3. pag. 248. notâ Bullæ Pauli V. præfixa indigitat. Hac Bulla quotannis Papa R. omnes hæreticos, i. e qui Pontificiæ Celſitudini & omnipotentiæ ſe non ſubmittunt, omnibus diris devovet; Iſti etiam Bullæ omnes (ad minimum tacitè) conſpirant, qui ſub uno viſibili Eccleſiæ in his terris capite veritatem ac ſalutem quærunt. Heideggerus in hiſtoria Papatus §. CCXL. Dorſcheus, in Kirchero devio, prælimin, pag. 305. confer. ann. 1627.

Veruntamen tuti ſunt ab excommunicationis & Anathematiſmi periculo, qui ſtatuminandæ Pontificiæ, ac ditandæ Apoſtolicæ (ſcilicet) Cameræ ſolertem accommodamque navant operam, qualitercunque ſe in cæteris habeant; quinimò primariis Aulæ Pontificiæ functionibus nonnunquam præfici ſolent. In rei fidem producimus teſtimonium Antonii Guevaræ, in Epiſtolarum libro hoc ipſo anno Monachii excuſo, recenſentis: *Inter Nuntios Apoſtolicos* & primarios Pontificis N. Officiales, *Judæum quendam Venetum* fuiſſe, quocum ipſe de diſpenſatione in cauſa Matrimoniali pro amico egerit; literis verò conceſſionalibus ante numeratam pecuniam, aureorum ſeu ducatorum ſexaginta ſummam, potiri neutiquam valuerit. vid. Otto Litſich im gründlichen und moraliſchen Abriß deß Baums deß Verderbens/ edirt in Tübingen anno 1660. pag. 38.

Cùm *Baronius* tomo Annalium undecimo *de Poteſtate Pontificis in Regno Siciliæ*, multa ſcripſiſſet, quibus poteſtas Regis limitari, & ad Secularia tantùm conſtringi poſſet, Cardinales Hiſpani non ſolùm totis viribus, ne poſt obitum Clementis VIII. ad Pontificiam dignitatem eveheretur, reſtiterunt; Sed & ipſe *Rex Philippus III.* alioquin acerrimus defenſor Pontificis, hoc anno *edictum* promulgavit publicum, quô illius tomi iteratam editionem in ſuis territoriis graviter prohibuit, & exemplaria Romæ excuſa, in Hiſpanicis Regnis ac Provinciis exponere, habere, vendere, emere, aut quovis modò diſtrahere, ſub ſeveriſſima certiſſimaque pœna vetuit, inſerta ſimul cauſa tali: „ Baronium verbis & rationibus minùs æquis & „ modeſtis, ac ipſius poſtulaſſet profeſſio, accuſantis & invehentis „ potiùs, quàm hiſtoriam referentis perſonam induiſſe, privato ab„ reptum affectu, exigua cognitione præditum, & ex veritatis hi„ ſtoricæ ignorantia minimè condonandâ, ſcripſiſſe. Sed ſilentio non involvendum, *Baronii* Cardinalis iracundum atque Thraſonicum

cum aliquandò, dum viveret, Hiſpanorum indignationi oppoſitum *reſponſum,* ac Siciliæ Proregi transmiſſum, hiſce verbis: „ Melius eſt „ mihi, mori, quàm ut evacuetur gloria mea! Deus, meam laudem „ ne tacueris, quoniam os peccatoris, & os doloſi apertum eſt ſu„ per me, quippe cùm hæc accuſatio, non tàm in me & meos An„ nales directa ſit, quàm adverſus ipſum Pontificem, & ſanctæ ſe„ dis Majeſtatem, qui eos vidit, cunctisque Cardinalibus exami„ nandos præbuit. Petrus vidit, Petrus approbavit; Huic petræ, at„ que adeò rupi infixus, minimè vereor, ne loco moveri aut concuti poſſim. Confeſſ. Cathol. Gerh. B. 877. Heidegg. Hiſtor. papal. pag. 311. pl.

Summam rerum, quæ in allegato *Baronii* libro, *contra Reges Hiſpano-Siculos* continentur, ita Gramondus exhibet: „ Tempori„ bus Nicolai II. (anno 1060. is erat Pontifex) Comites Ducesque „ Siciliæ, Robertum, Guiſcardum, Conſtantium, Fridericum; dein è „ familia Gallorum Regia Duces Andegavenſes, poſtmodùm Arra„ goniæ Reges, profeſſos eſſe, debere ſe Apoſtolicæ ſedi homagium „ Ligium pro Siciliæ Regno, ſub clauſula: Quod in Eccleſiis vacan„ tibus Nos, & noſtri in Regno hæredes, nulla habebimus Regalia, „ nullosque eo nomine fructus, reditus, proventus, & obventiones „ percipiemus. Quam feudi legem valuiſſe, confirmat Cardinalis, „ usque ad Carolum quintum Auſtriacum. Contrà *Reges Hiſpaniæ* affirmant, „ in Siciliæ temporalibus & ſpiritualibus adeò ſe Domi„ nos eſſe, ut jure Regio, in multis Summi Pontificis officio defun„ gantur, qualia ſunt, beneficiorum collationes, redituum Eccleſia„ ſticorum diſpenſationes, & ejusmodi alia; quæ à ſede Apoſtolica, „ ſuis deceſſoribus aſſerunt permiſſa, in remunerationem redacti in „ obedientiam Romanæ Eccleſiæ Regni, quod invaſerant Saraceni; „ hinc beneficio Apoſtolicæ ſedis aſſerunt ipſa Eccleſiæ jura in Re„ ges translata. Gramond. hiſtor. Gall. lib. 1. pag. 11.

Johannis Marianæ liber, inſcriptus *de Regis Inſtitutione,* quo ſummam in Reges poteſtatem Pontificiæ ſedi aſſeruerat, deque ſubditorum fide. non alii niſi Catholico Regi (pro tali ab omnibus, doctis præcipuè viris, habito) debitâ, protervè diſputaverat, &, quòd propter hæreſin, à viris gravibus imputatam, ex divino jure, ſua poteſtate Reges excidiſſe cenſendi ſint, ſcripſerat, ſupremæ Curiæ Pariſienſis judicio *flammis traditus eſt;* imprimis quia doctrinæ ac diſciplinæ Mariano-Jeſuiticæ plurimi non minimam attribuebant

bant cauſam atrociſſimi parricidii, quo ſublatus nuperrimè Magnus Gallorum Rex Henricus quartus. „ Nec dubitandi cauſa ſupereſſe „ videtur, cùm ad quæſtionem, An liceat Regem legitimum, puta „ qualis fuerit Henricus III. Galliarum Rex, poſtquam à paucis ſe„ ditioſis, doctis autem, cœperit appellari tyrannus, occidere? affir„ mantem expreſsè tenuerit Lojolita Toletanus, & infandam illam „ Satanæ progeniem, Jacobum Clementem, propter patratum par„ ricidium verbis in cœlum extulerit magnificentiſſimis: A populis „ etiam ſive ſubditis volentibus, Regem principatu ſpoliari poſſe, „ &, ab omni memoria in magna laude fuiſſe, quicunque tyrannos „ opprimere aggreſſi ſunt, ſcripſerit: Imò ſubjecerit, præclarè, præ„ clarè cum rebus humanis actum iri, ſi multi homines forti pecto„ re invenirentur, vitæ contemptores & ſalutis, pro libertate patriæ; „ Inſimul doluerit, quod pleroſque incolumitatis cupiditas retineat, „ ſæpè magnis conatibus adverſa. Gramond. loc. cit. & Heidegg. „ hiſtor. pap. pag. 300. confer an. 1605. lib. 1. cap. XXXIII.

Eandem planè ſortem expertus eſſet *Roberti Bellarmini tractatus*, quem *adverſus Wilhelmum Barclajum, de poteſtate Summi Pontificis* evulgarat, niſi Galero pepercisſet Senatus Pariſienſis, ob interceſſionem à Nuncio Apoſtolico factam. Nihilominus tamen *damnatus* liber, ac *prohibitus*, ex decreto Parlamenti, ſub criminis læſæ Majeſtatis pœna. Sic enim loquuntur Cognitores Regii: „ Certum hoc „ ſtatutumque ſemper, totoque Chriſtianitatis orbe apud omnes, „ qui benè de veritate ſentiunt, Catholicum dogma eſt, nihil ullum „ Univerſale Concilium, Nationale, Generale aut provinciale in „ temporalibus directè aut indirectè decernere poſſe. Quam ob cauſam ad eorum poſtulatum die 26. Nov. an. 1610. damnatus eſt Lutetiæ Arreſtô Curiæ Parlamenti liber adverſus Barclajum, quô tanta Pontificis in Reges & regna poteſtas (licet indirectè) defenditur. Verba Arreſti hæc ſunt: „ Curia vetuit, vetatque ne quisquam, cu„ juscunque ſit qualitatis aut conditionis, pœnâ læſæ Majeſtatis in „ delinquentem conſtitutâ, accipiat, retineat, communicet, excu„ dat, excudendum tradat, aut venundet jam dictum librum, qui „ falſam & execrabilem propoſitionem continet, quæ ad everſionem „ poteſtatum ſupremarum à DEO conſtitutarum & ordinatarum „ pertinet, ſubditos acuens ad rebellionem, ac Principum imperio „ ſubtrahens, ad machinandum in eorum capita ditionesque, ad „ publicam denique tranquillitatem & quietem turbandam inci-

„ tans.

„ tans. Jubentur ii, penes quos erunt exemplaria libri, aut qui ha-
„ bentes nôrint, confeſtim ſuis judicibus profiteri, ut poſtulantibus
„ ſubcognitoribus Regiis in crimen inquiratur, ac in ſontes, ut par
„ eſt animadvertatur. Eadem pœnâ conſtituta Doctores, Profeſ-
„ ſores, aliosque, allegatam propoſitionem tractare, diſputare, ſcri-
„ bere, docere directè aut indirectè in Scholis, Collegiis, aliisq; lo-
„ cis, prohibet. Gerh. Confeſſ. Cathol. tom. 2. 901. Calixt. ſen. tract. de Conjug. Cleric. NNN. 2.

Hoc anno in locum abivit ſuum Ignatianæ ſectæ ſocius, *Robertus Perſonius*, natione Anglus, *ex Calviniano Papicola* factus. Fuit olim in Collegio Balliolenſi, quod Oxonii eſt, ſodalis ac tutor ſtudioſæ juventutis. Verùm anno 1573. ei valedicere juſſus eſt ob crimen *peculatûs*, &, quæ tunc demum innotuerat, *illegitimorum natalium* maculam. Ut igitur ignominioſæ hujus expulſionis memoria eò faciliùs obliteraretur, Oxonio Londinum abiit, moxque Italiam, & in hac Bononiam petiit, ſeſe ſtudio Juris Civilis addicturus. Mutato tamen conſilio Anglicanam Religionem ejuravit, & exacto biennio in Collegium Jeſuitarum Romanum receptus eſt; exinde anno 1580. cum *Edmundo Campiano* miſſus in Britanniam, ut Anglis Romano Catholicis contra Eliſabetham Reginam inſurgendi autor, fax, ac tuba eſſet. Cùm verò Campianus, antequam annus in orbem rediiſſet, machinationes ſuas capite luiſſet, Perſonius fugam arripuit, nunquam reverſurus in Patriam, variosque libellos contra Reginam ejusque religionem, procul à fulmine in Gallia, Hiſpania, Italiave conſtitutus, exaravit, quorum aliqui fictitium *Andreæ Philopatoris*, *Howleti*, *Dolemanni*, aliqui verum, ſed commodatum, *Cardinalis Alani*, aliqui proprium *Perſonii* nomen præ ſe ferre dicuntur. Varios hominis conatus, quibus modò Mariæ Stuartæ, modò Iſabellæ Hiſpaniarum Infanti, modò Arabellæ Stuartæ cauſam juvare, utut fruſtrà, fuit anniſus, Eduardus Gee prolixiùs recenſuit, petitis hanc in rem teſtimoniis ex ipſorum aliquot Romanenſium in Anglia ſcriptis, Perſonium odio habentium, quod vehementibus ac turbulentis conſiliis pacem tranquillitatemque conceſſam everteret, adeò, ut ſæpè in animum induxerint, eundem, cùm adhuc in Anglia ſub militis, nobilis, aut apparitoris veſte ageret, Reginæ prodere. Tandem deceſſit Perſonius anno 1610. ætatis 64. ſocietatis 36. Ex Actis Erud. Lipſ. ad an. 1691. pag. 2. 3. *Memorialem* ejus

libellum de Reformatione Angliæ, quàm primùm Regem Pontificium nacta fuiſſet, inſtituenda, D. v. infrà exhibebimus.

Terrenis quoque valedixit ejusdem ſodalitatis Vir celebris *P. Matthæus Riccius*, de quo ſuprà lib. 1. cap. XIX. an. 1603. In libro, qui anno 1687. juſſu Ludovici XIV. è Bibliotheca Regia prodiit Pariſiis, titulo: *Confutius Sinarum Philoſophus*, ſive ſcientia Sinica Latinè expoſita ſtudio & opera Proſperi Intorcettæ, ac ſociorum, refertur: „ Nomen & adventum hujus *Riccii* in Chinam, in urbium annali„ bus memorari, eidemque poſtquam in Regia Pekingenſi diem ob„ ierit ultimum, attributam fuiſſe portionem haud exiguam Pekin„ genſis agri, ad honorificam ſepulturam, idque juſſu ipſiusmet „ Imperatoris (Vanliei, ex Taimingæ familia) dato ſuper ea re inſi„ gni diplomate. Additur in allegato tractatu, Riccium præter vul„ gatam cœleſtis doctrinæ rationem, alios etiam libros, in quibus „ de vanitate rerum humanarum, de morte, de æternitate philoſo„ phetur, in Sina edidiſſe; *Didacum* verò *Pantojam*, illius individuum „ in aula ſocium, paraphraſin ſcripſiſſe in ſymbolum duodecim A„ poſtolorum, & volumina ſeptem, de totidem peccatis capitalibus, „ oppoſitisque ſeptem virtutibus, ea quidem eruditionis & eloquen„ tiæ Sinicæ ſapientiæque laude, ut plauſum retulerit cum Riccio prope parem. Act. Erud. Lipſ. an. 1688. pag. 261.

Etſi poſt actionem illam pulverariam, de qua ſub anno 1606. *Loiolitæ & Monachi Papales* bis *ex Anglia proſcripti* fuerint, clanculùm tamen hactenus magna iterum copiâ inibi confluxére; qui cùm inſolenter multa perperamque agerent, contra factas inhibitiones, & jam ex Gallia perveniſſet fama de Henrici quarti nece, Rex Jacobus I. ad juſtam concitatus iram, omnes denuò Romano-Catholicos ex urbe Londino ejecit, Clericales autem perſonas denuò exulare toto regno juſſit, vi publici edicti, menſe Junio publicati, armaque iisdem ademit omnia, cum pulvere tormentario, & id genus alia: „ Maximè propterea, quòd vel in Martyrum atque Sanctorum „ catalogum eos, qui ſuos Reges & unctos Domini nefario ſcelere „ trucidarunt, referrent; quòdque manifeſtum evaſiſſet, ac luce me„ ridiana clarius, iſtorum hominum doctrinæ cum praxi conjun„ ctum axioma eſſe, ut ſceleratiſſimus quisque damnationis æternæ „ periculum evitare cupiens, nulla id ratione meliùs facere poſſit, „ quàm ſi Regem eorum opinione hæreticum, hæreticisve, quos ipſi „ tales ſtatuunt, faventem è medio tollat ac interficiat. Mercur. Gallo-Belg. Arch. & Schad. C. 5.

LIB.

LIB. I. CAP. LXVI.

Summaria.

Arminianiſmus, Belgicas provincias in manifeſtum diſcrimen conjicit.

Galliæ Regina, Edictum Nannetenſe, in gratiam Hugonottarum confirmare ſuſtinet.

Naturæ debitum ſolvit, Palatinus Elector Fridericus quartus

Ab ejus tempore Calviniſmus in Palatinatu firmas agit radices.

Supremum diem ſuum obit, Amandus Polanus.

QUalia & quanta per aliquot abhinc annos *certamina diſſidiaque* Academiam Leidenſem, & Eccleſias fœderatarum Belgii provinciarum exercuerint *Arminio* ſuperſtite, patuit ex obſervatis Memorabilibus an. 160?. 1606. ſeqq. Eo autem vivis exempto, licet magna malorum pars cum ipſo ſublata multis videretur & ſepulta, tantum tamen abeſt mala jam cumulata ceſſaſſe, ut potiùs in immenſum ferè aucta fuerint, ac non Eccleſias modò, verùm ipſas inſuper *provincias* in manifeſtum diſcrimen conjecerint. Cùm enim Paſtores Eccleſiarum Hollandicarum non pauci, pergerent Arminii ſententiam tueri, ab eaque propaganda non deſiſterent, & ſuper convocanda Synodo ipſi Magiſtratus ac primores ire in partes occiperent; magis magisque lites & contentiones exarſerunt, in tantum, ut à verbis & ſtylo ad *factioſas molitiones*, ad arma & pugnas Diſſidentes inclinarent, grandeque malum aliquod, ſi non triſtem panolethriam, florentiſſimis Ordinum rebus minarentur. Sanè Gomariſtis, quibus poterant, modis Arminianos à docendi munere ſuſpendentibus, eosque exoſis novatorum & heterodoxorum nominibus publicè inſectantibus, imò undique ferali excommunicationis fulmine terrentibus; illi per ſubſcriptiones nominum inita confœderatione ſeu conſpiratione, corpus efformarunt ſeparatum, & ſic manifeſtum ſchiſma inſtituerunt, adverſæ partis doctrinam aſperioribus quoque verbis perſtringentes, in publicis concionibus & ſcriptis. At volutantes animo, ſe nec numero nec viribus pares eſſe diſſentientibus, anno 1610. libellum ſupplicem nomine *Remonſtrantiæ* ſupremis Hollandiæ ac Weſtfriſiæ Ordinibus exhibuerunt Arminiani, quô mitiorem illam de Prædeſtinatione annexisque articulis exponebant ſententiam, ſimulque ſummi Magiſtratûs patrocinium ac

ac tutelam adverſus iniquiores aliorum cenſuras & machinationes implorabant. Huic Remonſtrantiæ, rigidiores Calviniani oppoſuére *Contra-Remonſtrantiam;* unde nomina *Remonſtrantium* & *Contra-Remonſtrantium* fluxére, in Arminiorum & Gomariſtarum locum ſurrogata. Hos inter, quum de medii componendi diſſidii, & Belgii rurſus tranquillandi ageretur, *mutuam Tolerantiam* unicum concordiæ remedium eſſe Remonſtrantes dictitabant; Contra-Remonſtrantes autem *Synodum Nationalem*, ceu ultimam ſalutis anchoram, poſcebant. Actor. Syn. Dordr. præf. d. 2. Remonſtrant. epiſt. Claſſi Walachrianæ oppoſ. C. 2. Cluver. Epiſt. hiſt. 706.

Ad petitum Hugonotarum in Gallia, tenelli Regis *Ludovici XIII. mater*, vicaria filii poteſtate ex Conſiliariorum & Procerum ſententia, *Edictum* illud *Nannetenſe*, pro pace Religionis & ſubditorum concordia feliciter conſervanda, inſtaurari quidem ac de novo *confirmari curavit*, poſt mariti mortem. Sed clandeſtina tamen proditio, & *ingens ex inſidiis calamitas* hominibus à ſacris Romanenſium alienis Lutetiæ parata fuit, quæ mirabiliter per divinam providentiam *detecta eſt*, comprehenſo quodam & in carcerem conjecto malefico, qui antequam finem ſuum Auguſtus menſis aſſequeretur, futurum, ut plateæ civitatis omnes copioſiſſimo ſanguine fluerent, & San-Bartholomæi Feſtum, velut in nuptiis Pariſienſibus anno 1572. factum, triſtis Gallia iterum celebraret, confidentiſſimè minando aſſeveraverat: Unde mota Regina, ut arma ſua ſinguli parata haberent, & in ſeditioſos quosque diligenter animadverterent, ſubditis civibusque univerſis ſeriò imperavit. Arthus. in Mercur. tom. 8. lib. 3.

Naturæ debitum ſolvit *Palatinus Elector FRIDERICUS IV.* qui Ludovico ſexto Patri Lutherano, ſucceſſit Calvinianus, à Tutore Johanne Caſimiro, ad paternæ fidei & confeſſionis deſertionem inductus. Idem ille *Caſimirus* eſt, qui orthodoxam religionem Luth. à fratre reſtitutam in Palatinatu, Calviniſticâ mutare juſſit. Cumque *per ſemiſeculum*, & quod excurrit, *Spiritus Calvinianus laborarit pro Electorali Palatinatu*, cæterisque annexis provinciis penitùs obtinendis, rem iſtam altiùs nonnihil repetere libet. Anno 1546. *Fridericus II.* cognomento Pius, fratris *Ludovici quinti* Pacifici Succeſſor in ditione dignitateque Septemvirali ad Rhenum, primus abolita Miſsâ puriorem religionem introduxit, ſed anno 1556. obiit ſine liberis. Eum excepit *Otto Henricus*, Ruperti Virtuoſi filius, at non ultra triennium

ennium rebus præfuit, Apæs. Hôc per mortem ſublatô Septemviralis Dignitas ad agnatos, Comites Palatinos Simerenſes ac Bipontinos delata fuit. Ergò poſteritate Ludovici Barbati, cui quoque Cœci nomen dederunt, in Ottone Henrico extinctâ, *FRIDERICUS III.* Electorem agere cœpit, ſectæ ſimul Calvinianæ aſſertorem ſtrenuum instructore potiſſimùm *Wilhelmo Clewizio.* Clewizius enim Eccleſiæ Heidelbergenſis Miniſter, vir naturâ facundus, acer ingenio, licet non ſolidè doctus, cùm in Ducatu Wirrembergico Calviniſmum diſſimulaſſet, Heidelbergæ eundem publicè defendendum ſuſcepit. Quùm ergò Tilemannus Heſshuſius, Theologiæ Doctor, & ibidem Superintendens, non injuriâ ſe opponeret nova molienti, Fridericus III. Elector nonnullos ad Philippum Melanchthonem ablegavit, conſilium de hoc negotio exquiſiturus. Quid fit? *Philippus* privatim & inſciis, nedum ſuaſoribus aut approbatoribus Theologis gniſios Lutheranis, conſiliô pro ſumma ſua ac nimia lenitate & indulgentia, triſtiſſimæ piorum Eccleſiæ Miniſtrorum in Palatinatu alibique, perſecutioni concitatæ occaſionem dedit. Et, quamvis annô ſubſequente Johannes Fridericus II. Dux Saxoniæ, ad Palatinum Socerum Heidelbergam ſe conferret, illum ab errore retracturus, adductô ſecum uno alteroque Theologô, nihil tamen obtinuit; Siquidem in Ducatu Simmerenſi Calviniſmus primùm, deinceps Heidelbergæ vires acquiſivit ſolidas. Poſtquam anno 1576. fatis conceſſit Fridericus III. equidem *Ludovicus VI.* Princeps optimus, & ſacrarum literarum lector ſedulus, non tantùm Libro Concordiæ pro ſe ſincerâ manu ſubſcripſit, ſed etiam Lutheranis templa reſtituit, atque novis reditibus Academiam Heidelbergenſem auxit Orthodoxiæ dicatam. At eheu! dum vivere deſiit anno 1583. relictô filio *Friderico quarto,* admodùm juvene, demortui frater *Johannes Caſimirus,* Tutor ac Adminiſtrator. Lutheranis infenſiſſimus, puriorem religionem, à fratre Ludovico ſubditis commendatam, in Calviniſticam iterum transformavit, uſus operâ inſignis hypocritæ *Johannis Jacobi Grynæi;* qui dum gradum Doctoris in Academia Tubingenſi peteret, præſide Jacobo Andreæ diſputationem de Majeſtate hominis Chriſti, deque Cœna Dominica, contra Calvinianos habuit. &, quamdiu Rötelanæ Eccleſiæ Paſtor in Marchionatu Badenſi fuit, orthodoxam fidem profeſſus eſt; Baſileam verò vocatus, cœpit Calviniſmum amplecti, aut hactenus in corde latentem, detegere. Hic, licet Baſileâ Heidelbergam vocatus anno 1584. in habita

bita diſputatione, qua partes Calvinianas propugnare volebat, oppidò turpiter ſteterit, nihilominùs tamen miram humanitatem aſtutè piæ ſe ferens, propoſitum Caſimirianum ex voto promovit, ut ipſius operâ Eccleſiis Palatinatus, & Academiæ, *contra Teſtamentum Ludovici Pii*, Calviniſmus iterum obtruderetur, qui dein ſub *Friderico quarto, & quinto, Carolo Ludovico* itidem filio, nec minùs *Carolo* nepote, firmam ſedem tenuit. vide D. Wagneri limina geneal. pag. 116. ſeqq. Oſiandr. Cent. XVI. 685. 751. 962. ſeq. Liebhard. hiſtor. Calvino Reform. pag. 13. ſeq. 34.

Diem quoque ſuum obiit hoc anno *Amandus Polanus à Polansdorf*, Theologus Baſileenſis Calvinianus, eruditione multifariâ inclytus, familiâ nobili Oppaviæ Sileſiorum natus anno 1561. Bezæ, Toſſani, Sohnii, Parei Synchronus. Exegeſin analyticam vaticiniorum V. T. de Chriſto; Commentarium in Prophet. Jerem. Ezech. Danielem; Syntagma Theologiæ, aliaque ſcripſit. Melchior Adami, in vitis Theol. German. inter alia de Polano ſic infit: „ Illuſtres in „ hoc fuerunt vera pietas & eruditio; valuit ingenio juxtaque judi„ cio; ſcientia Principum linguarum, & Eccleſiaſticæ antiquitatis. Hofmannus in Lex. Univ. A. 1023. B. 181. Stratem. hiſt. 1107.

LIB. I. CAP. LXVII.

Summaria.

Johannes Keckius, Mansfeldicis Theologis incruſtatione Huberianiſmi multum negotii faceſſit.

Jacobus Böhm, Orbi Europæo innoteſcere occipit.

Aretini, & librorum ejus mentio fit, quare?

Non nemo tractatum de tribus magnis Impoſtoribus Mundi, Aretino tribuit.

Triades magnorum Impoſtorum, Autor diſtinguit.

ISlebiæ in Comitatu Mansfeldenſi, conductis illis ipſis ædibus ex quibus ante 38. annos nova Flaccianorum progenies orthodoxis negotium faceſſerat, nidulatus *Johannes Keckius*, U. J. D. & Saxo-Hallenſis Scabinatûs Aſſeſſor, *Huberianum errorem* de Univerſali hominum Electione ad vitam æternam, *denuò incruſtavit*, & peculiari quodam libello diſſeminare ſtuduit, contra ſpem B. Lucæ Oſiandri, Huberianam controverſiam cum ſuo autore expiraturam, augurati. Hauſit errorem Keckius, ex convictu & familiari converſatione cum ipſo Samuele Hubero (quem Halæ diu fovit hoſpitiô, donec ho-

hoſpitem emigrare jubebat Magiſtratus) cumque Huberi filio Johanne Rudolpho, quem liberis Præceptorem domeſticum præfecerat. Memorato autem libello, Huberi (data ſine dubio operâ vix ſemel, & ultima quidem paginâ allegati) theſes ac hypotheſes acerrimè propugnavit, ex adverſo Theologos aliter ſentientes, *Particulariſtas* & *Prævijionarios* vocare, inque Calvinianorum ac Pontificiorum, quin & Muhammedanorum cenſu habere non veritus. Ne favente præcipuorum Theologorum conſenſu deſtitutus videretur, inter alios Polycarpum Lyſerum Lipſiæ, Dom. Reminiſc. an. 1609. quòd omnes homines, omnes, ad vitam in Chriſto electi ſint, in publica concione docuiſſe, & Matthiam Hafenrefferum in Locis Theologicis idem omninò aſſerere, gloriatus eſt; cujus tamen allegationis vanitas manifeſtè deprehenſa. Nihil enim iſto pronunciato minus ex *Lyſeri*, intereà piè defuncti, ore perceptum fuiſſe, teſtatus eſt Lipſienſis, qui memoratæ auditor intererat concioni, Superintendens D. Georgius Weinrichius; Quin Keckius tandem ipſe, non niſi una ſolaque, incerti cujusdam hominis relatione tueri ſe volens, jactatum Lyſeri conſenſum prodidit eſſe commentitium. *Hafenrefferus* autem quàm ſeriò à Keckianæ cauſæ patrocinio abhorreret, exaratis etiam ad Mansfeldicum Superintendentem D. Chriſtophorum Schleupnerum literis, expoſuit clariſſimè, ſcribens: „Monſtroſè audacem eſſe oporteat quemcunque Keckium, qui „locis meis Theologicis ad Huberiana phantaſmata palliandum, „quocunque niſu abuti velit; cùm ex antitheſi annexa, ubi Huberus cum abſurdo ſuo dogmate penitus rejicitur, luculentiſſimè „appareat, meas aſſertiones neque Keckio, nec ullis aliis, qui univerſalem omnium hominum, absque ullo vel fidei, vel incredulitatis reſpectu conſideratorum, Electionem ad ſalutem ſtatuunt, „prorſus nihil patrocinari. De reliquis, ad quos provocavit Keckius, Theologis, obſervatum, eos partim lite nondum hâc de re motâ, partim ſtudiô certos hæreticos fortiùs conſtringendi fervente, aliquantò ſecuriùs, verborum corticem ſi reſpiciamus, locutos eſſe, haud aliâ tamen ratione; quàm *Antecedentem*, ut in Scholis autore Damaſceno vocatur, *voluntatem*, ſeu divinam univerſi generis humani dilectionem, catachreſtica locutione, univerſalem electionem dicendo; interim non negando, Electionem, propriè ac ſpecialiter ſumptam, fideles tantùm, & actu ſalvandos concernere. Ipſum verò librum Keckianum, ab autore utrique Curiæ Islebienſi, compluribus

bus item civibus oblatum ac ſuggeſtum, nomine communi publicè refutarunt Mansfeldenſes Theologi, paulò pòſt nominandi. Videatur Nothwendige Widerlegung D. Kecken, pag. 10. ſeq. 170. 173. pl. confer etiam de Hubero cap. XXV. an. 1604. Andr. Oſiand. in F. C. 482. ſeq.

Si ulla ſeductorum ſecta eſt in Eccleſia, quæ (cum D Wagnero loquor) exemplo Satanæ, Angelum lucis haud rarò mentientis, in zeloſos pietatis confeſſores nititur ſe transformare, certè *Fanatica* eſt; perfectè entheata eſſe geſtiens, ea abſtractionis profeſſione à creaturis, quæ realis exret, quaque ipſa ipſeitas, ut loqui amant, conceptu mentis abſtrahatur. Hos inter, poſt Schwenkfeldium & Wigelium, *Jacobus Böhm*, dictus alias *Philoſophus Teutonicus*, hoc noſtro ſeculo eminuit, & hoc ipſo anno innoteſcere Orbi Europæo cœpit. Is, referente Hornbekio, propè Görlizium (primariam & permunitam Superioris Luſatiæ Urbem) an. 1575. parentibus ruſticis natus, à puero & ipſe ruralibus negotiis, pecori, agroque colendo admotus, poſtquam anno ætatis decimo literas legere ac ſcribere didicerat, in ſutorem evaſit. Sub finem allegati ſeculi factus eſt Ecſtaticus, in ſacrum Sabbathum, ut quidem Bohemiſtica narratio habet, Spiritu transpoſitus, per ſeptem continuos dies gaudio ineffabili & glorioſo ibi ſuffuſus. Anno milleſimo ſexcenteſimo, ſecunda vice ſeptem dierum ſpatiô ſe abreptum fuiſſe, ad contemplanda & fruenda divina cœleſtiaque dixit; nec minùs tunc, intuitu ſtannei cujusdam vaſis, ad intimum fundum ſeu centrum naturæ myſticum feliciter inductum, ac tanto irradiatum ſplendore, lucis divinæ, ut apertum perambulando campum, almi creatoris miracula, ex quarumlibet rerum creatarum ſignaturis, clariſſimè ſibi patefacta, probè perſpexerit, ſuppari paroxyſmo poſt elapſum decennium reverſô, in cujus memoriam deinde AURORAM ſuam produxerit; libellum nempe illum celebrem, at portentoſis aſſertis refertiſſimum. Hornbek. ſum. Controv. de Enthuſ. 456. Wagner in judicio Theol. propempt. de Boëmii ſcriptis, pag. 1. 2. Eraſm. Franciſci Gegenſtrahl der Mörgenröthe/ 713. ſeq. confer. an. 1612. 1624.

Petri Aretini libros XII. hiſtoriarum Florentinarum, anno 1610. Argentorati excuſos, ex lectione Scriptorum D. Wagneri, Profeſſoris & Cancellarii Tubingenſis Academiæ cognovimus. Nos verò illius Itali, vel ob id mentionem hìc loci faciendam duximus, ut ſumma viri impietas infamiæ ſervetur publicæ ac perpetuæ, tanquam

quam ſceleſtiſſimi hominis, & planè *Athei*. Micrælius refert, Aretinum Poëtam (hiſtoricum) Florentinum, amarulentis carminibus Reges ac Principes laceſſere conſuetum, negaſſe, ſe ideò de DEO malè loqui, quia *an eſſet*, ignoraret. Utut Paulus Jovius in elogio doctorum virorum, eundem græcarum literarum decus celebret, Atheum tamen, ac Atheiſmi Doctorem fuiſſe, Itali ipſi, quorum pullus erat, tacere non potuerunt. A nonnullis haud infimi ſubſellii viris eruditis, præſertim à Merſenno, Aretinus habetur pro Autore famoſiſſimi *libri, de tribus Mundi ſummis Impoſtoribus*, flammis infernalibus digni, quod ex accurata inſpectione ſtyli colligere liceat. vid. Examen Elenchticum Atheiſmi Speculativi Wagnerianum, pag. 77. 79. Et Inquiſitionem in oracula Sibyllarum de Chriſto, pag. 1. 23. ſeq. Micræl. Syntagm. H E. 685.

Sed, ne paria nomina, in re impari lectoribus imponant, obſervandum, in libro, qui Aretino tribuitur, per *tres magnos Impoſtores*, nefando crimine indigitatos fuiſſe Moſen, Chriſtum, & Mahometem; verùm, in alia quadam hiſtoria, de tribus hujus ſeculi Impoſtoribus inſcripta, intelliguntur *Ottomannus Mahomet Bey, Johannes Michael Zygala, & Schabbathai Sevi* ſperatus Meſſias Judæorum. Inſpiciantur notæ L. Joachimi Felleri, ad Orbem Imperantem Hornii, pag. 383. Tres impoſtores magni, de quibus D. Chriſtianus Korthold, Profeſſor in Academia Kilonienſi ſcripſit, ei ſunt *Eduardus, Baro Herbert* de Cherburi, *Thomas Hobbeſius*, & *Benedictus Spinoſa*.

LIB. I. CAP. LXVIII.

Summaria.

Colloquium Islebienſe, inter Mansfeldicos Theologos, atque Keckium.

Comitia Salmurienſia Hugonotarum in Gallia.

Acris inter Lojolitas Ingolſtadienſes, de Authentia Bibliorum Sixtinorum diſputatio.

Deciſio Laurentii Foreri, adducta.

Andreæ Oſiandri PAPA NON PAPA, ſecundùm editus.

Titulus, Mariæ Deiparæ à Gnaninonio attributus.

Puritaniſmus Anglicanus, peculiari libro Francofurti publicatus.

Monitum Hafenrefferianum, de Jeſuitis pariter & Calviniſtis.

ANno 1610. Auguſti ſexto die, *Theologi & Miniſtri Eccleſiæ Islebienſis Mansfeldici*, nempè D. Chriſtophorus Sleupnerus, Superintendens; Albertus Grauerus D. Decanus Mansfeldenſis; Johannes Arnd, Paſtor ad S. Andreæ; Johannes Kromajer, Paſtor ad Petri & Pauli; Johannes Brandes, ad Nicolai; Daniel Willius, ad Annæ; Andreas Lindenmuth, Archi-Diaconus ad Andreæ; Johannes Sommer, Diaconus Andreanus; Johannes Braun, Diaconus Petro-Paulinus; Johannes Krauſe, Diaconus ad ædes Nicolai ſacras; *Johannem Keckium*, Juris Doctorem & novum Huberianiſmi incruſtatorem, ad *Colloquium* provocantem, haud ægrè quidem admiſerunt, perquàm ſollicitè tentantes, ut multis modis errantem in viam Evangelicæ veritatis planam reducerent; ſed irrito conatu, Keckio adverſùs quasvis admonitiones ac demonſtrationes, tàm ſinceras, quàm ſolidas, animum contumaciter obfirmante; quo eventu, dicetur inferius. Mansfeld. pecul. tractat. pag. 16. 159.

Ab *Hugonotis* habita *Salmurii Comitia* generalia, in quibus præcipuè actum de impetranda confirmatione Nannetenſis Edicti. Adjectum, petendas à Rege urbes novas, præſidium cœtûs, donec ipſe adoleverit; Petenda Paſtoribus alendis auctiora ſtipendia; nova item Collegia, quibus ingenia adoleſcentum imbuantur doctrinâ Reformata, ambiguis per ætatis lubricum in recta animis &c. At in hisce Comitiis haud parum deceſſit Hugonotis de autoritate, qua in eam diem, ſpecie unionis valuerant; quippe agnitum, eſſe invicem *diviſos fratres*, ut vocantur. In Bullionium ſtabant Rohanæus & Sullius, ille in utrumque aſtu prævalens & experientia. Tradit Rohanæus memorabilium libro manuſcripto: In Salmurienſi conventu vendita Regi à Bullionio delegatorum ſuffragia, inter quos commune fidei venditæ pretium erat, velut inter ſocios. Gramond. hiſtor. Gallic. lib. 1. pag. 22. 26.

Tunc temporis in *Academia Ingolſtadienſi* à Lojolitis acriter diſputatum, non modò privatim ſed & publicè, *de Sixtinis Bibliis*, quid valeant? pro authenticis habenda, nec ne? An per editionem Clementinam jure legitimèque ſuppreſſa, nec ne? Definita ne, an indefinita Editionis Authentia? *Sixtus V.* Pontifex Romanus in Bulla ſua, quam anno 1596. operi Biblico à ſe vulgato præfixit, Indignationem omnipotentis DEI, & interdictum ingreſſûs in Eccleſiam, vel etiam Excommunicationem indixit, ac de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ ſancivit quibuscunque, qua etiam præfulgeant illi dignitate, qui

mi-

minimam particulam immutare, addere vel detrahere præſumſerint Bibliis ab ipſo correctis, nullamque fidem, & nullam autoritatem habitura decrevit, quæcunque vel in minimis diſſonarint ab editione ſua Vaticana. Non tamen dubitavit *Clemens VIII.* poſthabita prædeceſſoris Bulla definitioneque Apoſtolica, Sixtinam editionem ſub correctionis incudem revocare, in locis penè innumeris mutare, ſuamque ceu veriorem & ſinceriorem commendare. Confer ea, quæ anno 1601. cap. II. & 1606. cap. XL. hac de re annotavimus, & accuratiori perpende judicio manifeſtam contrarietatem atque repugnantiam decretorum & conſtitutionum Papalium in ipſo genuino S.S. textu edendo. Uterque Pontifex authentica Biblia ex mente Concilii Tridentini ſe editurum, quin etiam edidiſſe, profeſſus eſt; Uterque ſuam editionem diplomate munivit; Uterque ſuum exemplar, tanquam optimè emendatum ac puriſſimum, Eccleſiæ ſub autoritate Apoſtolica commendavit in perpetuum. Jam inter duo judicia decretaque contradictoria, neceſſum eſt unum pro fallibili habendum, pro irrito & nullo; vanam eſſe oportet gloriationem Romanenſium Catholicorum, ſæpiùs blaterantium, ad Eccleſiæ ſuæ unitatem non minimum facere, quòd ſeſe omnes judicio ſummi Pontificis ubique ſubmittant. Utri enim ſubjicient ſe in legendis Bibliis? Clementino, an Sixto? aut quomodò poteſt eſſe illa unitas, quæ tàm errabundos ac diſcordes homines pro fundamento habet? Hinc inter ipſos Papicolas ortæ ſunt, ac diu multùmque non Ingolſtadii tantùm, ſed & alibi paſſim verſatæ quæſtiones ac diſputationes nodoſæ & inextricabiles, quibus in hunc usque diem ſolvendis & expediendis fruſtra ſe fatigarunt. *Laurentius Forerus* (Tannerum ſecutus) cùm ad hanc difficultatem deveniſſet, ſolutionem & effugium quæſivit ex ipſo *formali definitionis Pontificiæ*, aliquid Eccleſiæ proponentis, ita de præſenti controverſia diſſerens: „ Sixto quinto „ ſe ſubjicient Catholici, in eligendis Bibliis, ſi definitio illius habuit „ conditiones neceſſariò requiſitas ad hoc, tota ut Eccleſia ad eam „ ſervandam obligetur; Si autem non habuit illas, Clementi octavo, „ non Sixto ſe ſubjicient. Porrò edictum illud Sixti non habuiſſe „ conditiones requiſitas, ex fide digniſſimis, qui Romæ in hanc rem „ ſedulò inquiſiverunt, cognovimus. Nam inter alia ad omnem le„ gem, integrè & perfectè acceptam, requiritur ſufficiens promul„ gatio, quæ ſi abſit, perinde eſt, ac ſi Lex nulla ſit. Hujus autem „ decreti fuit quidem inchoata, ſed non debito tempore completa.

humani) talem præfixit *Dedicationem:* „ Sanctiſſimæ, præpotentiſſi-
„ mæ & invictiſſimæ Principi ac Dominæ, Dominæ Virgini MA-
„ RIÆ, coronatæ Imperatrici cœleſtis regni, magnæ Directrici no-
„ vem Angelicorum exercituum, natæ Reginæ Iſraëlis, Electrici
„ terræ ſanctæ, Duciſſæ in Juda, triumphanti Conculcatrici ſerpen-
„ tis antiqui, fortiſſimæ Victrici gentium, validiſſimæ Deſolatrici
„ hæreticorum, totius mundi Dominæ Optimæ Maximæ &c Do-
„ minæ meæ poſt Deum gratioſiſſimæ. Tandem addidit ſubſcri-
„ bendo: Ipſius Virginalis Imperatoriæ Majeſtatis in infimo ſubje-
„ ctiſſimus, demiſiſſimè humilimus, & abjectiſſimus omnium ſer-
„ vulus. refer. Bak. in Expoſ. Evang. part 4. 151. ex Balthaſ. Meiſn.
de muris Babyl. theſ. 28. „ Nos (addit Bakius) pro contritore in-
„ fernalis draconis fortiſſimo agnoſcimus Eum, ad cujus pedes Do-
„ minus omnes noſtros hoſtes, ceu ſcabellum ſubjecit; Cùm infer-
„ nalis draconis caput conterere, ſit regnum Diaboli deſtruere; hoc
utique non alicujus fœminæ, ſed ipſius filii Dei opus eſt. Cum *Do-
mino* itaque, & non cum *Domina*, faciemus virtutem; Non *Illa*, ſed
ILLE, conteret hoſtes noſtros?

Francofurti autem vulgatus eſt, ex typographeo Auberiano, *Puritaniſmus Anglicanus*, ſive præcipua dogmata eorum, qui inter vulgò dictos Puritanos in Anglia, rigidiores habentur. Ex occaſione hujus libri, non poſſum non communicare, quæ Johannes Meiſnerus D. & Profeſſ. Wittebergenſis, faſciculo Diſputationum Theologicarum inſeruit, lit. I. 3. ſequentibus verbis: „ Quàm procul abſint
„ Puritani à reliquo Calviniſtarum grege, nemo facilè dixerit. Be-
„ canus equidem in refutatione torturæ torti, cùm ſatis accuratè
„ deſcripſiſſet eos. & hæc ipſorum encomia ex Jacobo Rege com-
„ memoraſſet: præclara ſanè laus, præclarum encomium, quo Puri-
„ tanos ornavi, cùm me plus fidei vel in illis efferis, cum montanis,
„ tùm limitaneis latronibus, quàm in hoc genere hominum inve-
„ niſſe profeſſus ſum. Item: Ego à Puritanis, non ſolùm à nativitate
„ continuò vexatus fui, verum etiam in ipſo matris utero prope-
„ modùm extinctus, antequam in lucem editus eſſem. Et iterum:
„ Ego in meo ad filium libro, multò acriùs ac vehementiùs in Puri-
„ tanos, quàm Pontificios invectus ſum Denique: Mihi præcipuus
„ labor fuit, dejectos Epiſcopos reſtituere & Puritanorum Anar-
„ chiam expugnare. Quùm, inquam, hæc recenſuiſſet Becanus, ad-
„ didit: *Reliquos Calviniſtas in Germania, & Hollandia, nil aliud quàm*

Puri-

„ *Puritanos eſſe.* Guilielmus Ameſius autem tantum abeſt, ut hoc „ neget aut improbet, ut potiùs in Puritaniſmo Anglicano, Francof. „ an. 1610. edito, hos & plures alios vel autores vel ſympſyphos & „ aſſenſores eos habere fateatur, & ad Jeſuitæ aſſertionem provocet. „ Wiclefum deinde, Godmanum, Foxium, Acontium, Wittakerum, „ Perkinſum, aliosque, Puritanos eſſe, eademque feciſſe ac tuliſſe, „ dicit Ameſius; qui etſi ad eam ſanctitatem ac innocentiam, qua „ cæteri gloriantur, nondum aſpirarint, ſatis tamen eſſe, ait, ſi ma- „ jori ex parte, & in ſummam præbuerint aſſenſum &c. Quòd ſi au- „ tem, concludit Meiſnerus, Calviniſtæ in Germania & Hollandia, „ nil aliud, quàm Puritani ſunt; Si porrò Cathari Anglicani, Germa- „ niæ, Belgii (Galliæque) Calviniſtas omnes penè vel autores, vel „ aſſenſores habent, nil tàm præclarum, nil tàm ſanctum & caſtum, „ nil denique tam furioſum de illis prædicari poteſt, quin idem jure „ majori cæteris Calviniſtis, & forſan quoque noſtris adverſariis, „ utpote illorum vel autoribus, vel aſſenſoribus, tribui queat. Confer Doron Baſilicon, Hanoviæ impreſſum anno 1604. pag. 71. 73. ſeq. Schwarmgebr. præfat. 6. 3.

§. *Heribertus Rosweydius,* Lojolita, peculiarem diſſertationem ſcripſit, anno 1610. Antwerpiæ impreſſam, in qua *fidem ritè ſemel datam, etiam hæreticis inviolatè ſervandam eſſe*, ex receptiſſima Doctorum, ut ipſe loquitur cap. 19. pag. 215. omnium ſententia, docere intendit. Meiſn. phil. ſobr. 3. 389.

Anno 1610. Jan. 23. *D. Matthias Haſenrefferus,* Theologus Tubingenſis, in literis ad amicum, ſcripſit: „ Primarii noſtri ſeculi *er-* „ *rores* ſunt *Jeſuitici, & blaſphemiæ Calviniſtarum;* Et haſce, illos, niſi in „ unum ſufflant cornu, longo intervallo ſuperare indubitatus affir- „ mo. Vigilate igitur in Auſtriacis Eccleſiis, ne cùm uno oſtiolo Sa- „ tan Eſavitanus vel Edomæus receſſiſſe videatur, per poſticum Cal- „ viniſmi redeat multò truculentior! Refert M. Jacobus Lælius, Gröninga-Wirtembergicus, Eccleſiaſtes Auſtriacus ad Petrum Vallenſem, zu S. Peter in der Auwe/ præf. homil. de ſpirituali fame ac ſiti. lit. C.

LIB. I. CAP. LXIX.

Summaria.

Elector Brandenburgicus, & Neoburgicus Princeps, ditiones Juliacenſes & Clivenſes, conjunctim regendas apprehendunt.

Incidit

Incidit bellum Alſaticum, ex Juliaco ortum.
Ravaillacus, Henricum IV. nefaria molitione interficit.
Idem Papam Deum eſſe, Deumque Papam dicit.
Acerba contentio, Septentrionalia Regna invadit.
Bellum Polono-Moſcowiticum, Sigiſmundo ſuccedit.
Hiſpaniæ Rex, Alarachiam ſibi ſubjicit; Et Mauros è finibus ejicit.
Perſiæ Rex, Turcas propè Babyloniam ingenti clade afficit.
In Tartaria, defuncti Chami filius, de obtenta quoque victoria triumphum agit.

JOhannes Sigiſmundus, Elector *Brandeburgenſis*, & Wolfg. Wilhelmus Princeps *Neoburgicus*, ditiones Johannis Wilhelmi, Ducis *Juliacenſis* & *Clivenſis* demortui, *conjunctim* apprehendendas & *regendas*, Mauritiô Haſſiæ Landgravio ſuaſore, ſuſcipiunt, ſcriptoque milite proprio, & accepto peregrino, mox pleraque Ducatuum oppida ſuæ poteſtatis faciunt, excepto *Juliaco*, quod Leopoldus Archi-Dux Auſtriæ, Imperatoris juſſu occupaverat; verùm & illud quoque auxiliaribus obſeſſum copiis, deditione poſt aliquot hebdomadas accipiunt. Cluver. Epit. hiſt. 765. Dux Rohanæus in Trut. Stat. Europ. part. 2. diſc. 5.

Hîc incidit *bellum Alſaticum*, ex Juliaco ortum. Leopoldus Auſtriacus, Paſſavienſis & Argentinenſis Epiſcopus, exercitum collegerat in Alſatia, magno metu Argentinorum, & multa habitatorum regionis moleſtiâ, vicinorum quoque (teſtibus variis comminationibus) periculo non minori. Cùm autem Principes nuper uniti, exercitum ſuum turbatoribus oppoſuiſſent, interventu Ducis Lotharingici, Comitis Hanovienſis, & Nobilitatis Alſaticæ, Villeſtadii certis conditionibus bellum illud *compoſitum* eſt. D. Wagner. in Inſtitut. hiſtor. 611. Burgoldenſ. in Inſtrum. pac. A. 61.

Henricus IV. Galliæ & Navarræ Rex, cognomento *Magnus*, eò quòd alienos à Romanenſium ſacris patrociniô dignari videbatur, ſæpiùs inſidiis petitus fuit, quæ ſingulari beneficio DEI ſemel atque iterum detectæ, in conjurantium capita nebulonum reciderunt; Sed anno 1610. *Franciſcus Ravaillacus*, tetrum hominis monſtrum, quia Regem hæreticorum fautorem & morte dignum audiverat prædicari, ejus interficiendi conſilium cœpit; Illum ergò in rheda nactus Pariſiis obambulantem, nefaria & clandeſtina molitione *interfecit*, ictu gemino ſub quinta coſta illatô, cùm vixiſſet 57. an. regnaſſet 22. relicto Succeſſore Ludovico XIII. tunc novenni. Turſell.

ſell. hiſtor. lib. 10. 258. Gottfrid. part. IV. 116. 118. Fuére, qui pro certo affirmarunt, huic Regi ab initio Regni, biduo poſt Henrici III. obitum fuiſſe prædictum, anno ætatis 57.mo, & quidem inter publica lætitiæ ſigna, eum iri interfectum; Et Reginæ, inter ſplendidiſſimum ad coronationem pridie factam apparatum, clarè nunciatum: publicam illam lætitiam non ex voto abituram, ſed in mœſtiſſimum caſum deſituram. Ex Theatr. hiſt. Matth. 1144. pl. Cui ad manus eſt Memorabilium Wolffii tomus ſecundus, is legat pag. 163. vaticinium Sibyllæ, de Rege Fr. & Nav. collatum cum iis, quæ Hornius habet in orbe polit. 315. legiſſe non pœnitebit; noſtro propoſito non quadrat eſſe prolixiores.

Nec tamen ſilentio prætereundum, quod *Lanſius* de Regicida memorat: „ Illum à ſupremæ autoritatis judicibus de cauſa ſuſcepti „ parricidii interrogatum, in reorum ſellula ſedentem, non per ambages aut ænigmata, ſed liquidò ac diſertè reſpondiſſe: Ideò ſe, „ quod fecerit, feciſſe, quia Rex Proteſtantibus Germaniæ Principibus opem ferre parans in cauſa Juliaco-Clivenſi, Romano Pontifici rem ingratam eſſet molitus, proinde dignus, qui periret. Se „ Deum in terris R. Pontificem agnoſcere, contra quem bellum gerere, ſit ipſi Deo bellum inferre; Cùm Papa Deus ſit, ac Deus Papa! Quod illum, cætera ſtupidum, in Lojolitarum Schola, ceu „ Catilinarum ſeminario, didiciſſe, dubitatum eſt à nemine. Conſultat. p. m. 373. quocum conferre libeat Calixt. Orat. 1. de Pontifice R. & Pontificia Religione, Reipublicæ pernicioſa, pag. 36. ſeqq.

Invaſit & Septentrionem acerba *contentio Danorum cum Suecis*, quòd Carolus IX. Sueciæ Rex, belli Polonici causâ naves per mare Danicum, & ex ipſa Dania Rigam, oppidaque Boruſſica itantes, paſſim detineret; Lappones maritimos, Norwegiæ appertinentes, tributis vexaret, eorumque inſolenti titulo uteretur. Ea de cauſa Chriſtianus IV. miſſo ad illum feciali, cùm nihil reſponſi ferret, fervidè ad arma properavit. Hofm. Lex. 436. Spener Syllog. Geneal. 50.

Sigiſmundus III. Poloniæ Regi bellum adverſus Moſcovitas ex voluntate ſuccedit. Comperto enim, Ruſſos quosdam adverſus Baſili-Suiskium Duce novo Pſeudo-Demetrio, rebellare, *Smolenskum* Lituaniæ metropolin, pridem poteſtati Moſcorum ſubditam, obſidione cinxit; in qua expugnanda dum laborat, per alium Polonorum exercitum, ipſum *Suiskium*, duobus cum fratribus, prælio victum *capit*, armaque felicia ad aulam usque Magni Ducatûs gloriosè proten-

tendit, Moſchos eò adigens, ut abdicato Suiskio, coronam Ruſſicam Uladislao Poloniæ Principi decernerent. Olear. in der Reyßbeſch, nach Moſcau und Perſien/ lib. 3. 234. Puſend. Introd. ad Not. Stat. Europ. 683. 714.

Philippus III. Hiſpaniæ Rex *Alarachiam*, arcem validiſſimam, ad fretum Gaditanum, à Mauris extructam, corruptis pretiô cuſtodibus, adeptus, *Mauros omnes Hiſpaniâ juſſit excedere*, quòd mala fide Chriſtianiſmo tincti, Africanos Mauros atque Turcas, in Hiſpaniæ perniciem, ſollicitare dicerentur. Exuti agris fundisque miſeri, aurumque & gemmas cum mercibus commutare juſſi, retento tantùm viatico, navibus exportati ſunt, Hiſpania ferè ad ſolitudinem redactâ. Etenim autores non contemnendi ſcribunt, *novies centena millia* hominum emigraſſe (imò numerum ſuperaſſe plusquàm *duodecies centena millia*) in alias gentes ſparſa, magnamque partem fame, gladio, frigore, aliisque malis interiiſſe. Unde multos *admiratio* cœpit, ut verba Cluverii habent hiſt. Ep. 766. quid adeò peregrinas & „ longè diſſitas lucrari animas nitantur Lojolitæ, tantæque multi- „ tudinis, in oculis ſuis verſantis, negligentes, ad certum eam exi- „ tium expelli ſuſtinuerint? Neque enim dubium, inter tot millia, „ puerorum præſertim ac mulierum, dociles reperiri animas po- „ tuiſſe. Hornius autem non immeritò dicit, vix aliâ ratione *Turcam* evaſiſſe potentiorem, quàm quod Rex Hiſpaniæ (velut ante ipſum Luſitaniæ dominatores fecére) tot millia hominum ſuis è territoriis proſcripſit, qui deinde in Africam, ditionesque Turcicas abiére, ſimulque artes Europæas militares & mechanicas barbaros docuére, maximo Chriſtianorum damno. Hofm. Lex. univerſ. 778. orb. pol. Horn. 39. 70. confer Claſen. de relig. polit. 258.

Anno 1610. *Turcæ* in provincia Babylonica obruti à Perſis, ingentem accepére *cladem*, amiſſis ferè viginti millibus militum; in mari mediterraneo autem, cum Florentinis & Melitenſibus, varia fortuna dimicarunt iidem Turcomanni. Calviſ. pag. 964. D. Wagn. limin. Geneal. 354.

In *Tartaria* quoque ingens *expeditio bellica* eodem tempore ſuſcepta, & conflictus acerrimus, *ob ſucceſſionem*, in Regno factus eſt. Poſtquam enim, ſublato Chamo, frater ejus rei ſummam vendicare ſibi, excluſô defuncti filiô tentâſſet; hic armatorum ſexaginta millia coëgit exercitum, & miſſô ad patruum feciali, pugnam ei obtulit, hac poſita conditione, ut qui victoriam obtineret, Regnum ſi-

mul conſequeretur, & quietè poſſideret. Patruus igitur, occurſurus adverſario, copias æquè magnas inſtruxit; ſed inito prælio, poſt 40. mill. utrinque cæſa, victoriam filius, & cum victoriâ Regnum obtinuit; Adeòque vel inter Barbaros *bona cauſa triumphavit.* Mercur. Gallo-Belg. Tom. 8. lib. 4. Calviſ. 965. Chronolog.

LIB. I. CAP. LXX.

Summaria.

Cæſareum diploma, ratione ditionum Juliaco-Clivenſium, Electori Saxonico datum.

Dictum Henrici IV. lepidum, in perſtringenda Germanorum bibacitate.

Exemplum vindictæ divinæ, adverſus luxuriantes in re veſtiaria.

Adverſus impium luſorem in Gallia.

Urbis Cevæ inundatio ſubita, eaque horrenda.

Peſtifera lues in Wirtembergia.

Conflagratio Mönchbergæ, Monaſterii Bambergenſis; Et, urbis Vilnæ in Lithuania.

Trium Conſulum Stetinenſium longævitas, rara & ſingularis.

IN mediis turbis Juliaco-Clivenſibus, *Elector Saxoniæ Chriſtianus II.* pro ſe, totaque Saxonica Domo *Inveſtituræ diploma*, menſe Julio ab Imperatore Rudolpho impetravit, cum inſerta tamen clauſula: Salvo jure aliorum intereſſentium; additis etiam aliis *conditionibus* duriuſculis: „ Ut ſc. Romano-Catholicos in exercitio religionis non „ turbaret, Marchionis Burgaviæ ac Ducis Nivernenſis petitionibus „ ſatisfaceret, ſumptus denique Cæſaris & Leopoldi ob Juliacenſis „ arcis occupationem factos perſolveret. Verùm à Brandenburgico & Neoburgico præventus Elector Saxoniæ, quantum ad poſſeſſionem illarum ditionum, aliud nil obtinuit, quàm quod Juliaci, Montium, Cliviæque Ducum titulô & inſignibus, avita nonnihil amplificavit. Burgold. Inſtrum. pac. A. 528. ſeq. Notit. procer. Imhof. pag. 404.

Lepidè facetus fuit *Henricus IV. Galliæ Rex*, in *perſtringenda Germanorum bibacitate.* Cùm enim is Lutetiæ, paulò ante mortem, ſacellum quoddam à nonnemine ex Baſſompetræ familia extructum perluſtrans, verba Pſalmi: Quid retribuam Domino, pro omnibus mihi conceſſis beneficiis? tanquam ſymbolum animadverteret alicubi.

cubi adſcriptum, dixit: Baſſompetram, tanquam Germanum, addere debuiſſe: Calicem ſalutis accipiam. Ex Philoſophia Saluſtiana, lit. C. 2. Lanſ. Conſult. 892.

Exemplum *vindictæ divinæ adverſus luxuriantes in re veſtiaria*, D. Dannhauerus adducit ſequens, & *Argentorati* accidiſſe, è protocollo Conventuum Eccleſiaſticorum de anno 1610. memorat. Ibi duæ, inquit, ancillæ erant in una domo miniſtrantes, inter quas aliquandò de æqualitate veſtitus juratò convenit: Neutram velle ac debere alterâ meliori aut pretioſiori habitu incedere; additis devotionibus & execrationibus, ut, quæ conventioni ac promiſſo non ſtaret, ſe à DEO puniendam ſeveriſſimè, quin à diabolo abripiendam ſciret. Quid fit? una ex illis paulò pòſt verborum immemor (quippe ad luxum & ſuperbiam proclivior) modum excedit, moxque in veſaniam delabitur, ex cujus vehementia ſibimetipſi violentas injeciſſet manus, niſi domeſticorum aliorumque fideli cura & proviſione, impedita fuiſſet. Hæc ille, in Colleg. Decalog. pag. 601.

Pariſiis ex juſto DEI judicio *frivolus luſor Gallicanus*, impietatem ſuam vulgari majorem, & peſſimam *pejerandi conſuetudinem*, ſubitaneâ morte luit, nomine Perichonius. Is, cùm aliquandò pecuniam perdidiſſet pictis ludendo chartulis, mox diris devovit ſemet omnibus, poſthàc ſi unquam ejusmodi folia tractaret; factis autem verba minimè comprobavit. Reverſus igitur ad priora, lites inter colludentes movit ocyùs, ob chartularum diſtributionem, veterem deinde cantilenam frivolè jurandi ac pejerandi, ſociis nequicquam dehortantibus eum, atrociſſimè repetiit. Nova diſtributione ad placitum facta, dum accepta folia, pileo tecta, intentiùs conſpicere volebat Perichonius infelix, ambobus brachiis menſæ innixus, derepente obſervatus eſt immotus aſſidere; juſſus, & à collaterali cubitô tactus, ut ſine cunctatione chartas projiceret, nil reſpondit, nil projecit, ſtatim deprehenſus, cum ſtupore ſodalium, jam nunc impiam efflaſſe animam. Zeil. in annot. ad Hiſt. Trag. Franc. Roſet. pag. 719.

Urbs *Ceva*, regionis Pedemontanæ, maximam & pernicioſam *inundationem* hoc anno paſſa; ſubitò enim reſolutis Alpium nivibus, ad Arnum fluvium opinione citiùs tanta furentium aquarum copia ſe collegit, ut earum impetu ſuffocarentur aliquot millia hominum, everſis infimul ſacris & profanis ædibus plurimis, quarum primas tenuit olim elegantiſſimum ac magnæ vaſtitatis templum, cui

Salvatoris nomen erat, cum theſauris & opibus ferè inæſtimabilibus. Urbs ea receptaculum dederat pulcherrimarum ac pretioſiſſimarum, quæ ex orientalibus provinciis advehuntur, mercium; unde divitiis affluentes incolæ, vitam in omnis generis voluptatibus tranſigebant, quam tamen ut emendarent, paulò antè divinitùs, voce incognita, RESIPISCITE, & NOLITE TARDARE, per dies ſeptem continuos, ternis acclamante, moniti ſunt. Oſeas Schad. in Contin. Sleid. & Arthus. in Mercur.

Superiorem verò Germaniam eo tempore, plurimis locis, infeſtare copioſiores pluviæ, aëris inclementia, & infectio, horrendæ grandines, annonæ caritas, aliorumque malorum cumulus. Inprimis, veluti *peſtifera lues* intra paucos annos varias regiones peragravit; Ita quoque in Palæſtina Wirtembergica ſæviit, hoc anno, & ut omnivagum malum, quod modò in dextram, modò in ſiniſtram partem movebatur, ſerpſit. Nec morbo (imò potiùs Naturæ veneno, quàm morbo) invenire remedium præſtantiſſimi quique Medici potuére. Ob id conclamationes, gemitus, lamentationes, mœrores funerum, ac flebilis fortuna morientium, ubivis ferè. Ob id metus & impendentis mali opinio hominum pectora, cum mentis quaſi trepidatione invaſit, ut neque quieſcere usquam noctu, neque interdiu potuerint, cùm viderent noxam hanc in multorum perniciem ſeſe cum impetu & vehementia quadam effundere, palatia, domus, tuguria, cuncta circum haurire; juxta illud: Nocte dieque timebis! Mane dices, quis mihi dabit veſperam? veſperâ, quis mihi dabit mane? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea, quæ videbis oculis tuis? Binder. in ætiolog. de cauſ. peſt. dedicat. A 2. 3. Andr. Oſiand. diſſert. de fuga peſtis, A 2. Swelin. Chronic. 370.

Bambergæ, menſe Aprili *conflagravit Monaſterium Principum perſonarum (Mönchbergæ* nomen ei fuit) templo ſimul, ac turribus igne vaſtatis; colliquatis octo campanis pretioſis, inter quas una ex puro argento; abſumptisque theſauris æſtumatiſſimis. At in Lithuania urbs Epiſcopalis, *Vilna*, per Moſcovitas *accenſa*, ferè tota furialibus flammis periit; quippe conſumptas ibi quater mille, & ſeptingentas ædes, ferunt ſcriptores fide digni, addentes his ipſam Arcem & ſeptem Romano-Catholicorum, tria verò Evangelicorum templa, in cineres redacta. Hofm. Lex. univ. & Calviſ. in Chronol.

Compertum eſt, *Stetini* hoc anno mortuos *tres Conſules*, quorum

rum primus compleverit annos 84. alter 80. tertius demum 125. Zeiler. epiſt. B. 280. Exemplum *longævitatis* in triga virorum unius dignitatis & Collegii, ſi non inauditum hinc à primorum patrum tempore, rariſſimum tamen & ſingulari obſervatione dignum!

LIB. I. CAP. LXXI.

Summaria.

Evangelici cives Aquisgranenſes, ad tumultum abrepti.
Cauſa tumultus erga Senatores Pontificios.
Advolantes Legati, poſt tumultum.
Proteſtantes Monaſterii Eiſaliæ, à vicinis Papiſtis obruti.
Vilnenſes in Lithvania, crudeliter habiti.
Res Religionis, Auguſtanæ Confeſſioni addictis, Pragæ feliciter fluentes.
Habitatoribus territorii Brunavienſis, non item.
Niſſenſibus, Evangelici Miniſtri ad exercitia pietatis domeſtica deſtinati.
Novi Regis Sueciæ prima & potiſſima Cura.

A *Quisgrani*, cùm nimis duriter à Papicolis haberentur Evangelici, ortus t. t. *ingens tumultus*; de quo ut B. L. pleniori gaudere queat cognitione, res altiùs nonnihil repetenda. Poſtquam ſuperiori ſeculo, propter Hiſpanicæ tyrannidis aſperitatem, è provinciis Belgicis multi exules eò confluxiſſent, puriori doctrinæ Chriſticolarum addicti, circa annum 1580. à Senatu loci Pontificio exercitium religionis publicum petivére. Quod cùm à Senatoribus denegatum eſſet, nihilominùs illi ad conciones & Sacramentorum adminiſtrationem publicam convenerunt. Re ad Imperatorem delata, miſſis Commiſſariis, magno niſu ac labore abolitio novæ religionis, & ſolius Pontificiæ retentio urgebatur. Imperator etiam crebris & ſeveriſſimis literis Magiſtratui mandabat, ut ſectarios Concionatores quamprimùm urbe pellerent, ac antiquam legem, ne quis niſi Pontificius in Senatum legeretur (contra cujus præſcriptum ab anno 1575. etiam alterius religionis cives recepti erant) conſtanter ſervarent. Ab utraque tamen factione religionis ei approbatæ, Conſulibus lectis, Imperator porrò civibus mandavit, atque cæteris, ut ſolo, Pontificios Conſules pro Magiſtratu agnoſcerent; Unde motus in urbe varii, ſæpiùs iterati extiterunt. His prudenter componendis ac dirimendis litibus, in Comitiis Auguſtanis de Conſilio Ordinum Imperii, Rudolphus Archiepiſcopum Trevirenſem, & Electorem

rem Saxoniæ, Commiſſarios conſtituit; quorum ſubdelegati Aquisgranum profecti, utramque audierunt partem, ac principali cauſa indeciſa, relationem ſuam, & acta omnia Imperatori remiſerunt. Is in judicio aulico 1593. ſententiam admodum ſeveram adverſus accuſatos Evangelicos, in favorem Papicolarum, pronuntiavit: Nimirum non licuiſſe iis, nec debuiſſe illos vel in religione aliquid novare, vel Magiſtratum & gubernationem urbis de facto invadere. Quicquid ergò hactenus ab ipſis in talibus ullâ ratione ſuſceptum, caſſari & aboleri, omnia in veterem ſtatum reſtitui, actoresque in priſtinum locum reponi debere. Hujus graviſſimæ ſententiæ promulgationem paulò poſt ſecutum eſt mandatum, quo ſub pœna proſcriptionis intra ſex hebdomadas parére, & omnes latæ ſententiæ partes exequi, documentumque paritionis ſufficiens intra certum diem exhibere jubebantur. Evangelici autem Conſules & cives Aquisgranenſes damnati, plurimisque injuriis jactati, opem Principum ac civitatum præcipuarum A. C. implorârunt, qui Cæſarem literis & legationibus ſollicitârunt, ne vim eis afferri pateretur. Executio igitur ſuſpenſa; ſed obtineri libertas prædicandi Evangelium nullâ ratione potuit. Imò brevi poſt Senatus Pontificius, favore judicii aulici animoſior factus, Antipapanis omni ſacrorum exercitio tàm foris, quàm domi penitùs interdixit, punivitque recuſantes. Oſiand. Cent. Eccleſ. hiſtor. XVI. 942. Bulgoldenſ. Diſcurſ. ad Inſtrum. pacis A 58. edit. in 4.

Tandem igitur ſub initium Julii, anno 1611. periculoſus admodùm tumultus, uti dictum, Aquisgrani exortus eſt. Cives enim Evangelici, contra Senatum Pontificium, nimis duriter cum ipſis agentem, inſurgentes, correptis armis curiam portasque civitatis occuparunt, factoque in Collegium Jeſuiticum impetu, ſedibus eos ſuis diſturbârunt & ejecerunt. *Cauſa tumultus*, quòd Senatus nonnullis, qui ſacra in vicinis Juliacenſium locis frequentârant, non ſolùm carceris pœnam denuntiâſſet, multùm ea in re ab antiquis Civitatis privilegiis receptâque conſuetudine recedens, ſed & pœna carceris haud contentus, multam iisdem graviſſimam irrogâſſet, factô adverſus eos decretô, ut, qui multam illam non præſtarent, jure civitatis omnibusque privilegiis privarentur. Hoc decretum, quùm non tantùm incarceratis aperiretur, ſed reliquis etiam civibus innoteſceret, multi eorum, absque tamen iracundiæ ſignificatione, inermes Curiam ingreſſi, de decreto iſto, immunitatibus ac privilegiis

civi-

Civitatis contrario, ſermones miſcere, & conqueri apud Magiſtratum voluére; Cùm verò in Curiam venientes, ad Senatum non admitterentur, procedentes inde in publicum aliqui, ad arma conclamârunt, inſperatumque & inauſpicatum iſtum tumultum inter cives reliquos excitârunt; poſtmodùm eò audaciæ progreſſos, ut & claves Civitatis in ſuam poteſtatem vendicare, ac pro illis in Curia diligenter cuſtodiendis, excubias ante eam agere nocte dieque cœperint. Ne malum invaleſcens longiùs ſerperet, ſed maturè compoſitum ſupprimeretur, poſſidentes Juliacum Principes, ad petitionem Evangelicorum, legatos miſére ſtatim, qui controverſiis inter Senatum civesque, amica tranſactione ſublatis, pacem Civitati reſtituerent; ſed quia Senatus ad arbitros Colonienſes & Brabantinos provocavit, in caſſum laborârunt. Interim tamen legatis Juliacenſibus libellum Proteſtantes obtulerunt, quo ipſimet cauſas nuperi tumultus, unde initium & originem traxerit, prolixiùs expoſuerunt, in iſta ferè ſumma, quæ ſuperiùs exhibita. Cùm igitur, ſubnectentes, ex commemoratis manifeſtum ſit, Senatûs nimiô & intolerabili, adverſus antiqua Cæſarea & Regia privilegia rigore, quæ præter opinionem facta recenſeantur, extorta eſſe, frangente patientiam ſeveritate; rogare ſe, ut gravamina civium ad Senatum referantur, reſtituantur privilegia, Proteſtantium aliqui aſſumantur in Senatum, exercitia religionis permittantur, Lojolitæ profligentur ex urbe, gravamina removeantur, adeòque pax & concordia inter cives ac Senatum, certis conditionibus ſanciatur, priſtinæque hôc modô quieti & nitori reſtituantur omnia Calviſius & Arthus.

Advolârunt etiam poſt illum tumultum *legati* quidam *ex Brabantia*, qui Principi ſuo, ex *Conventione cum Senatu* anno 1601. factâ, tanquam Protectori ac defenſori civitatis, multum in cives juris, Eccleſiæque Advocatiam prætendentes competere, variis comminationibus Evangelicos terrere cœperunt. At legatis Hiſpanicis contradixére non modò cives Evangelici, ſed Principum quoque Miniſtri. Inſpectis conventionibus cum Duce Brabantiæ & Burgundiæ, patuit, contractum quæſtionis non ab univerſa civitate ſed à Senatu Pontificio & Conſulibus Romano-Catholicis civibus omninò inſciis, formatum & firmatum fuiſſe, conſequenter invalidè; cùm præter Cæſaris jurisdictionem ſupremam, Principumque Juliacenſium vicariam, Aquisgranum nullam agnoſceret. In iſto, inquam, contractu, ſub- & obreptitiè facto, Senatus circa religionis nego-

tium recepit ac promiſit, ſub amiſſione omnium à Duce Carolo quondam conceſſorum privilegiorum, quòd præter Catholico-Romanam religionem, nullius exercitium in Civitate, nec illius mutationem unquam admittere velint; Idque novam de Senatu conquerendi civibus materiam præbuit. Ex Arth. & Schadio.

Eâdem tempeſtate *Monaſterii Eiffaliæ* oppido, in Ducatu Juliacenſi, ferè ſex milliaribus à Colonia Agrippina, *à Papicolis* è vicinia, inter ipſa ſacrorum ſuorum exercitia, *obruti ſunt Evangelici*, per illosque non tantùm diſſipati, ſed & nonnulli acerbiſſimè tractati; quos inter præcipuè numerandus Concionator N. pedibus ita conculcatus, ut jaceret aliquandiu plusquam ſemimortuus. Neque malitia turbonum pacis & religionis in hoc ſolo conſtitiſſet, niſi Solmenſis Comitis Secretarius, opportunè adventans, autor fuiſſet Magiſtratui, violentiam ulteriorem reprimendi. Res ad Principes ac ſtatus unitos delata, qualem habuerit exitum, haud conſtat. Hofm. in Lex. univerſ. & Schad. in contin. Sleidani.

Conſimiliter *Vilnæ* in Lithvania, ſub exitum Junii, *Romanenſes*, ad Scargæ (verius Schergæ) ex Lojolitica ſodalitate, Claſſicum, *invaſére Proteſtantes in Templo*, Croſnovitium Theologiæ Doctorem, ex editiori loco præcipitem dedére, quo caſu & crus fregit, & corpus miſerabiliter læſit; Rectorem verò Scholæ, & quosdam alios ex ordine ſacro, atrociter percuſſerunt, ut vix potuerint ſemimortui templô exportari. Calviſ.

Sed *in Bohemia* res *Auguſtanæ Confeſſioni addictorum*, per Dei, & Regis gratiam optimè procedunt, & ad commoda ſacrorum exercitia, vi privilegiorum per literas Majeſtaticas conceſſorum, in ipſa metropoli præter hactenus à numeroſo populo frequentata *Templa*, è fundamento *nova* ſurgunt. Empta enim inſigni area, non procul ab Huſſitica domo in minori parte urbis, Germani habitantes ibi locorum, ritè peragendo cultui divino ædes conſtruere peculiares occeperunt, & 20. Julii die, primô lapide poſitô, ſtatim germanicô idiomate concionem & cantum iſthic, inter multa lætitiæ ſigna haberi curârunt, audientibus & ſpectantibus aliquot hominum centuriis. Ita etiam in veteri oppido Pragenſi, t. t. fundatum & inchoatum fuit magnificum illud *Salvatoris templum*, autoribus & ſumptuum collatoribus primariis Comite Sliccanenſi, Collonizio, ac ſimilibus aliis, pſallentibus cum toto præſenti cœtu Ambroſii hymnum, ac deponentibus ad Angularem lapidem aliquot argenteos au-

aureoſque nummos, memoriæ & recordationis ergò poſteritati conſecratos; qui ab una parte imaginem Chriſti Salvatoris exhibebant, cum inſcriptione: Ab hoc ſolo ſemper ſalus! ab altera verò: Templum Salvatoris, Gratiâ Dei, ac Imperatoris Rudolphi II. ſub Rege Bohemorum Matthia II. fundarunt Germani Evangelici, Pragæ in urbe veteri, anno ſalutis humanæ 1611. Jul. 27. vid. Mercurium Gallo-Belg. & Oſeam Schad. contin. Sleid.

Minùs tamen felices erant *inhabitatores territorii Brunavienſis*. Licet enim ſimili opere conficiendo jamjam ſtrenuè laborarent, interveniente nihilominus Pontificio loci Præſule, ac nonnullis officialibus politicis eidem adſtipulantibus, omnes illorum conatus videbantur fruſtranei; obtento ab adverſariis in aula novi Regis *mandato inhibitorio*, ex capite diverſitatis inter Bohemiæ regnicolas. Jura & privilegia quidem extruendi ædes Eccleſiaſticas Scholaſticasque, Statibus & Ordinibus liberis conceſſa eſſe; non autem ſubditis Antiſtitum Clauſtralium, & reliquarum dominationum, Pontificiam Religionem amplectentium &c. Apolog. Bohem. 2. pag. 63. & Num. allegatorum 86. & 87. lit. Mm ij.

Intereà, cùm à Rege Matthia, tàm *Sileſiis*, quàm Bohemis beneficium exercendæ religionis A. C. confirmatum eſſet, in conventu Principum ac Statuum Sileſiæ, decretum eſt Uratislaviæ (zu Breßlau) civibus etiam *Niſſenſibus* omninò licere miniſtros Evangelicos vocare, & in privatis ædibus exercitia pietatis habere, donec in ſuburbio ſtructura fiat, ſacris publicis accommoda. Calviſ. Chron. 966.

In *Suecia*, *Guſtavus Adolphus* ad Regni gubernacula evectus, id in votis habere primum ac præcipuum, laudabiliter demonſtravit, ut religioni ſuæ conſtaret puritas; eamque ob cauſam non tantùm Upſalienſi Academiæ de ſufficienti ſalario ſtatim proſpexit, ſed & alia multa dictum in finem prudenter diſponere cœpit. Micræl. 3. hiſt. Eccleſ. 631.

LIB. I. CAP. LXXII.

Summaria.

Salisburgenſis Archiepiſcopus, Inſulatæ Dignitati nolens volens renunciat.

Papa Paulus V. quicquam edere de Auxiliis gratiæ divinæ, vetat.

Univerſitas Pariſienſis Jeſuitas, idem docturos quod Sorbona, ſuſcipit.

Prodit Libellus Lojolicus abominabilis, mox à Sorbonicis Theologis examinatus.

Libelli quatuor articulos proſcribit F. Th. nempe, quod Lojolica miracula, Moſaicis præferat.

Quod intueri Lojolæ mores, Deo Patri ex ſingulari gratia conceſſum dicat.

Quod clariſſimum dictum de Chriſto, Lojolæ accommodet.

Quodque Loyolam ſucceſſorem JESU, non modò vicarium in terris, appellare ſuſtineat.

Vitâ excedit Antonius Poſſevinus, apud Moſcowitas olim, ut Pontif. R. colant, ſolicitator indefeſſus.

De Poſſevino, quid Wolfius?

Johannes Miræus, diem ſuum obit quoque.

EXorta ſuperioribus annis inter *Bavariæ Ducem*, & *ArchiEpiſcopum Salisburgenſem controverſia*, ob lucrum aliquod è ſalis proventu, & ex Diœceſi Bechtelgadenſi perceptum; quæ cùm amicè hactenus componi non potuerit, Princeps hoc anno ad arma devenit; Miſſis ergò aliquot militum turmis, *Epiſcopus aufugit* cum ingenti pecuniæ ac rerum pretioſarum ſumma; ſed à Miniſtris omnibus in via verſus Carinthiam deſertus, & ob id, ab Haslango militum Ducalium præfecto, captus ad Werffam retroductus eſt. Re ad R. Pontificem delata, hoc annuente, Archi-Præſul Salisburgicus *Infulatæ dignitati ſponte renunciavit*, annua penſione florenorum viginti millium accepta, quibus addita quinque millia pro theſauris interceptis, & octoginta M. ſub uſura nonnullis commodata; lectuli, veſtimenta, & id genus alia non minùs ipſi reſtituta; debita verò paſſiva capitulum ſolvenda retinuit; frater denique abdicati, quietus in bonorum ſuorum poſſeſſione manſit, referent. Arth. & Schad.

Quanta Romanam Eccleſiam *diſſidia* exercuerint, hinc ab initio ſeculi decimi ſeptimi, quoad articulum *de gratia DEI*, ad hominis irregeniti converſionem requiſita; hoſtiliter invicem contendentibus *Moliniſtis*, & *Banneſianis*, vel Eſavitis ac Dominicanis? annotatum ſupra cap. XL. Iis ex officio abolendis, aut ritè decidendis controverſiis exinde prognatis, deliquium animi paſſus *Clemens VIII.* ex Petri Cathedra, Chriſti vicaria, decernere nil voluit, nil valuit, iſtam gloriam Succeſſori reſervans ac deferens. *Paulus* autem *quintus* licet Bullam ſub initium ſui Pontificatus juſſerit componi, quâ tota lis ad mentem Auguſtini decideretur, & quinquaginta Molinæ propoſitiones expreſsè damnarentur; turbatus tamen cere-

bro

bro ex diurna nocturnaque STATUS PAPALIS conſideratione, ac metu prævalidarum partium, ne qua Pontificiam autoritatem læderet, Bullæ promulgationem diſtulit ad opportunius quoddam tempus; Indulgens, usque ad plenariam Apoſtolicæ ſedis deciſionem (nunquam certè futuram) ut quælibet pars diſceptantium ſententiam ſuam, citra tamen cenſuram adverſæ, defenderet. Verùm enim verò cùm ſubinde viderentur creſcere diſſidia, animorumque exulcerationes efferveſcere magis, en, zeli Apoſtolici œſtro percitus Paulus hic noſter, properabat equidem, ut Cathedram conſcenderet; ſed offendens ad ſcabellum S. Petri, hemiplexia tactus, & catarrho tantùm non ſuffocativo, vix breviuſculum interdictum ne pars una aliam erroris argueret, aut quicquam publicitus ederet de Auxiliis divinæ gratiæ, anno 1611. eructare, tremula voce, potuit. Quo effectu? Id experientia docuit. Vid. Chemnit. Jenenſ. Colleg. in F. C. lit. F 3. Hülſem. auxil. gr. 309. 166. Heidegg. hiſt. papat. pag. 286.

Anno 1611. menſe Decembri, *coram Parlamento Pariſienſi*, ab Univerſitatis Advocato Martillerio, & Regio Servino, *Lojolitis* varia fuerunt exprobrata, probatumque, eorum doctrina & hortatu excitata bella, cæſosque Reges eſſe. Cùmque nihilominus recipi in corpus Univerſitatis peterent, *ſe idem docturos, quod Sorbona*, polliciti; Senatus, causâ ad conſilium rejecta, pronunciavit, intra determinatum tempus ſcripto ſubſignato declararent, quod jam ore profiterentur, ſe doctrinam Sorbonicam amplecti, nempe: Concilium ſupra Papam eſſe; huic in temporalibus poteſtatem nullam; Ei non licere Reges Gallicanos excommunicare; Nec Sacramento ſolvere ſubditos; Clericos poſſe crimen læſæ Majeſtatis committere; Quæ in Confeſſione ad Rempublicam ſpectantia cognoſcuntur, omninò deferenda eſſe. Quæ cuncta in Condæi Principis præſentia, Bellovacenſis quoque & Laudunenſis Epiſcoporum, regni Parium, peracta ſunt. Hofm. Lex. A. 818. vocab. Jeſuitæ. Matth. theatr. hiſt. 1106.

Sub idem tempus, abominabilem & ipſo fulmine dignum libellum Lojolitæ ſub titulo, *Trium concionum ſuper beatificationem Lojolæ*, publicarunt, tanquam à Dominicanis Hiſpanis habitæ fuiſſent, & in Gallicum Idioma translatæ. Has *Theologica Facultas Pariſienſis* unanimi conſenſu & judiciô hæreſeos *damnavit*. Id quod ex cenſura Sorbonæ, quæ ſequitur, cognoſcere licet: „ Anno Domini 1611. pri-

„ ma Octobris die, Facultas Theol. Pariſ. poſt Miſſam ſolennem, „ ordinaria ſua habuit comitia, in aula Collegii Sorbonæ, in quibus „ M. Johannes Tileſac, ejusdem Facultatis Doctor indicavit, graves „ ac pios aliquos doctosque viros, ad ipſum detuliſſe quendam li- „ brum, ita inſcriptum: Tres eximiæ conciones in ſolenni feſto Ca- „ noniſationis, ſive Beatificationis glorioſi Patriarchæ, beati Igna- „ tii, fundatoris Soc etatis JESU, quarum prima per Rever. Patrem „ Petrum de Valderiana, priorem conventûs Auguſtini Hiſpalenſis; „ Altera per P. Petrum Dozam, Ordinis Dominici in conventu Va- „ lentiæ; Tertia per Patrem præſentatum, fr. Jacobum Rebuloſam, „ prædicti Ordinis Dominici in urbe Barcellonenſi, habita; excuſæ „ Pictavii per Antonium Menierum, Impreſſorem ac Bibliopolam „ ordinarium Regium Acad. Pictav. 1611. prædictos autem viros „ graves ſcire percupere, utrum Facultas Pariſ. gratam ratam ha- „ beat approbationem earundem concionum, factam à Fr. Matthæo „ le Heurs, ejusdem Facultatis Doctore, & quid præſertim ſentiat „ de *quatuor articulis* ſeqq. qui permultis Catholicis offendiculum „ præbeant.

„ *Primus* habetur in concione P. de Valderiana, pag. 54. ſeq. cùm „ ait: Scimus equidem, Moſen virgâ ſuâ, quam ferebat manu, mi- „ racula in aëre, terra, aqua, in petris & paſſim ubi conſultum illi vi- „ ſum fuit, ſtupenda edidiſſe ac admiranda; Verum ineffabilis di- „ vini Nominis, quod virgæ ſeu baculo iſti fuiſſe inſculptum doctus „ Epiſcopus Avillanus aſſerit, virtute, illa miracula edita fuere. Quòd „ autem creaturæ, agnoſcentes ſupremi Regis ac Domini ſui ordi- „ nationes, nomine ejus ſignatas & ſubſcriptas, obedientiam illi „ præſtiterint, hoc non tanti erat faciendum; nec etiam magis mi- „ rum nobis videri debet, per Apoſtolos tot tantaque contigiſſe mi- „ racula, ſiquidem ea omnia in nomine DEI fiebant, operante vide- „ licet virtute ejus & potentiâ, quam illis conceſſerat, ac veluti ſi- „ gillo ſuo conſignarat, cùm ait: In nomine meo dæmonia ejicient, „ linguis loquentur novis &c. Quod autem ſuômet ipſius proprio „ nomine inſcripto chartæ, Ignatius plura, quàm ipſe Moſes, mira- „ cula, totidemque, quot Apoſtoli, edat; quòd ſigillum ejus tantæ „ autoritatis penes creaturas obtineat, ut ſubitò illi obediant, Hoc, „ hoc ipſum eſt, quod in ſummam ejus admirationem nos ducat. „ *Secundus*, pag. 81. ejusdem concionis: Quoad usque Ignatio vive- „ re hîc contigit, vita ejus & mores tàm graves, tàm ſublimes, ipſo

„ etiam

„ etiam cœlô ſic ſtatuente, extiterunt, ut nemini, niſi Pontificibus, „ divo ſcilicet Petro, & Imperatricibus, Deiparæ videlicet Virgini; „ denique Monarchæ ſupremo, Deo Patri, ejusque Sanctiſſimo Fi- „ lio, eos intueri & videre, tanquam è ſingulari gratia fuerit con- „ ceſſum. *Tertius*, in concione Petri Dozæ, pag. 111. ſeq. Extra du- „ bium eſt, reliquos Religioſorum Ordinum fundatores, in favo- „ rem Eccleſiæ miſſos eſſe &c. Noviſſimis autem diebus iſtis locu- „ tus eſt nobis Deus in filio ſuo Ignatio, quem conſtituit hæredem „ univerſorum &c. nec ei quicquam in hoc genere laudationis de- „ eſſe videtur, quàm, per quem fecit & ſecula. *Quartus* extat in „ concione Jacobi Rebuloſæ, pag. 107. Ignatius Martyr tàm ſingu- „ lari affectu erga S. Patrem Pontificem Romanum, tanquam legi- „ timum Succeſſorem Jeſu Chriſti, ejusque Vicarium in terris &c. „ devotus erat.

„ Qua propoſitione audita, & præfatis quatuor articulis matu- „ rè ac diligenter examinatis: Facultas attendens, ex verbis etiam „ malè prolatis hæreſes naſci, ut apud Magiſtrum ſententiarum do- „ ceat B. Hieronymus, (non obſtante interceſſione M. Andreæ du „ Val, aſſerentis, prædicta omnia benignis interpretationibus poſſe „ approbari) cenſuit: Quod ad *primum*, iſtam loquendi formulam, „ qua nomen creaturæ, nomini DEI omnipotentis æquari videtur; „ prætereà extenuantur miracula Moſis & Apoſtolorum, eò quòd „ nomine DEI edita fuerint; Ac denique miracula non ita certa, mi- „ raculis indubitata fide Catholica tenendis præferuntur, eſſe ſcan- „ daloſam, erroneam, blaſphemam atque impiam. Ad *ſecundum*, „ iſtam aſſertionem, quæ fingit, aliquid boni DEO acceſſiſſe ex vi- „ ſione creaturæ, ſcandaloſam eſſe, ac manifeſtam hæreſin præ ſe „ ferre. Ad *tertium*, accommodationem hujus textûs literalis D. „ Pauli, Noviſſimè autem &c. alteri, quàm Chriſto factam, eſſe ſcan- „ daloſam, erroneam, & meram blaſphemiam ac impietatem redo- „ lere. Ad *ultimum*, articulum duas habere partes inter ſe pugnan- „ tes, quarum altera alteram deſtruat; Et poſteriorem quidem, vi- „ delicet Papam eſſe vicarium Chriſti, in terris, haberi pro (Roma- „ no-) Catholica; priorem verò, Papam eſſe legitimum Chriſti Suc- „ ceſſorem, loquendi modum continere omninò hæreticum. Ex flo- ſcul. Blaſphemiar. Jeſ. trium concion. decerpt. pag. 5. 7. & ſeqq.

Debitum naturæ ſolvit *Antonius Poſſevinus*, Jeſuita Mantuanus, ætat. 78. an. Is anno 1580. tempore Regis Johannis 3. *in Sueciam;* à

Papa

Papa Gregorio XIII. expeditus fuit, ut Suecos ad communionem Eccleſiæ R. reduceret; nec nullam de ſucceſſu ſpem concepit Lojolita; Sic enim in dedicatione libri contra Chytræum editi (allegante D. Vejelio) Rėgi Suęcorum ſignificavit: „ Catholicos ſuos exantla„tis ingentibus periculis, iſta omnia N. transmiſiſſe, ut fides Catho„lica in antiquam ſuam ſedem etiam iſthic, *quod omninò futurum de„nique ſit*, reſtitueretur. Sed confuſus receſſit Poſſevinus, quamvis multa ſibi pollicitus; ne verò unquam id fiat, ut Idolomania Papiſtica in Septentrionalibus regionibus reſtituatur, Deum O. M. ſeriò precamur omnes, quibus religio ſincera curæ cordique eſt. *Allatius* equidem ſcribit, Poſſevinum doctè admodùm refutaſſe *Davidis Chytræi orationem de Statu Eccleſiarum in toto terrarum orbe*, Roſtochii habitam; refutaſſe dicit Lojolitam impoſturas & mendacia Chytræi. Uti verò candidiſſimi viri Lutherani vindicavit innocentiam *Vejelius*; ita tùm Allatii, tùm Poſſevini, debacchationes, impoſturas & mendacia detexit, atque retudit in autores egregiè. vid. Johann. Meſſenii Chronicon Epiſcoporum Sueciæ, pag. 171. D. Elias Vejel. in defenſ. exercitat. de Eccleſ. græc. pag. 148. 152. 245. pl.

Præprimis impensè laboravit Poſſevinus, circa an. 1578. & ſeqq. ut *Moſcovitis* perſuaderet, abjectâ fide Græca, Pontifices Romanos colere; Cui ob id Magnus Dux (dubio procul Johannes Baſilides fuit) in maximo Procerum conſeſſu, reſpondiſſe fertur: „ Se non in „ Græcos credere, ſed in Chriſtum; omnes Apoſtolos Chriſtum præ„ dicâſſe, ſed nullum ex illis fuiſſe Majorem; Petrum & alios Ponti„ fices ſanctos ſe agnoſcere; at verò qui eos inſequuti, quoniam im„ probè vixerint, quomodò ſuccedere Petro, aut eadem autoritate „ in ſede Petri reſidere potuerint, non videre: Pontificem Roma„ num paſtorem non eſſe, quia Crucem Chriſti pedibus apponat, in „ ſella ſe geſtari, & (tanquam Deum) adorari ſinat. Gerh. Confeſſ. Cathol. B. 610. Pufendorf. in Continuat. Introd. Stat. Europ. 478. ſeqq. Ex Moſcovia Romam redux, cùm in Henrico quarto, Gallorum Rege, ad Romanam communionem pertrahendo, multùm ſudaret Lojolæ progenies, paulò pôſt urbe pulſus, neſcio quò ſe contulit; ſcripſit *Bibliothecam ſelectam* (quæ ſæpiùs ab Eruditis allegatur) approbatam in urbe Tyberina, Clementi VIII. dicatam, Coloniæque Agrippinæ recuſam anno 1607. tandem obiit Mantuæ in Patria anno 1611. referente Hofm. in Lex. A. 139. & B. 199. Vejel. defenſ. exerc. de Eccl. Gr. 78.

Johan-

Johannes Wolfius Tom. 2. Memorabilium, *de Antonio Poſſevino* Jeſuita, ſequentia habet: „ In Epiſtola ad Regem Poloniæ affirmat: „ Solius undecennii ſpatio ſupra quinquaginta millium (en Hiſpa- „ nicæ Inquiſitionis fructus) fuiſſe in Gallia & Belgio, causâ reli- „ gionis, interfecta. Et paulò pòſt: Concedere, qualia in Comitiis „ illis an. 1530. conceſſa fuére, nihil eſſe, quàm Chriſtum negare. „ Porrò: Quæ ſunt in Comitiis malè vel promiſſa, vel conſtituta, mu- „ tari debent, inquit; Quod enim Cæſar parùm conſideratè promi- „ ſit, nimirum, æquè ſe defenſurum utriusque religionis homines, „ eſt in eo gravius erratum, quàm uno ſermone ſatis explicari que- „ at. Sed eſt ingens DEI miſericordia, qui præclaram nunc dedit „ occaſionem, per quam invitare ipſum videtur, ut quæ tàm turpi- „ ter & perniciosè promiſſa ſunt, ea reſcindat ſumma cum honeſta- „ te. Quod ſi ad exitum non perducatur, ſequentia cogitanda ſunt, „ ut ſi (tanquam Joſua) non poſſimus triginta Reges debellare, a- „ lios fortiores excitemus ad prælia Domini præliandum; quemad- „ modum Eremita ſive peregrinus ille fecit, qui ex Oriente veniens „ autor fuit, ut Pontifex Maximus bellum ſacrum indiceret. Alibi „ de ſanctitate urbis Romæ mira referens narrat inter alia: Domi- „ cilia meretricibus (puta ſeneſcentibus) quæ ad caſtitatem reſipi- „ ſcunt, conſtituta eſſe, ac Pontificis, Cardinalium aliorumque (gra- „ titudinis ergò) eleemoſynis ſuſtentari. Sed in tanta continentia „ & caſtitate, quam jactant, unde tot meretrices? Ita Wolf. cit. lib. 804. pag. Vertheid. deß R. R. Augapſ. Confer lit. O. ult. & Phil. ſobr. Meiſn. 3. 389. 400.

Diem quoque ſuum hoc anno ultimum obiit *Johannes Miræus*, Bruxellenſis, Epiſcopus Antwerpinus, ſcriptis, juxta Hofm. in Lex. A. 849. celebris. An alius fuerit ab *Auberto Miræo*, qui & ipſe Bruxellenſis dicitur, Notitiamque Epiſcopatuum totius mundi ſcripſit, anno 1613. demum Antwerpiæ editam, de qua ſuo loco, ignorare nos ingenuè fatemur?

LIB. I. CAP. LXXIII.

Summaria.

Celebris Collatio Hagienſis, inter Arminianos & Gomaristas.

Oratio Vorſtii, ad objectos errores declinandos, Apologetica.

Remonſtrantium & ContraRemonſtrantium, in ſeparatos cœtus tranſitio.

Judicii Celſæ Commiſſionis in Scotia, conſtitutio,
Marci Beumleri, ad fato functos evocatio.

Cùm nuper Belgii fœderati Statibus ii, qui mitiorem D. Arminii de Prædeſtinatione ſententiam ſequebantur, ſuam, ut vocant, Remonſtrantiam exhibuiſſent, ſimul implorantes patrocinium, ac tutelam Superiorum, adverſus iniquas diſſentientium cenſuras Eccleſiaſticas; Statim interpellarunt rigidiores Calviniani Gomariſticæ partis, rogantes Magiſtratum, ne Doctrinam Remonſtrantium in articulis controverſis, tanquam verbo DEI, Confeſſioni Belgicæ, & Catecheſi repugnantem, ideòque heterodoxam, introduci ac propagari paterentur. Addiderunt etiam, ingenti cum ſcandalo detrimentoque Chriſtianæ Reipublicæ conjunctum fore, ſi vocatio Vorſtii, quam adhuc aliqui ratam & gratam habere velint, procederet. Initâ ſuper his deliberatione, concluſum fuit, inſtituendam eſſe proximis Comitiis Hagæ Comitis, in ipſo ſummorum Ordinum conventu, de articulis illis collationem, inter ſenos Paſtores ab utraque parte eligendos, ad pacem & concordiam inter Miniſtros Eccleſiarum conciliandam. Secuta deinde tertio menſe anni ſupra milleſimum ſexcenteſimum undecimi, *Celebris illa Collatio Hagienſis*, in qua primùm oppoſitam Remonſtrantium ſcripto, ſententiæ ſuæ declarationem Hollandiæ Ordinibus exhibuére diſſentientes Eccleſiaſtæ; dehinc ſeni ac ſeni ex Remonſtrantibus & Contra-Remonſtrantibus, in conſeſſu ſummi Magiſtratûs, de controverſis dogmatibus per aliquot hebdomadas diſſeruerunt. Ex *Remonſtrantibus* aderant, Johannes Utenbogardus, Hagienſis; Adamus Borrius, & Johannes Arnoldus Corvinus, Leidenſes; Nicolaus Grevinchovius, Roterodamenſis; Eduardus Poppius, Goudanus; ac Simon Epiſcopius, Bleiswicanus. A parte *Contra-Remonſtrantium*, per ſingularum Claſſium deputatos electi aſſidebant, Petrus Plancius, Amſtelodamenſis; Libertus Fraxinus, Brilanæ; Ruardus Acronius, Schiedamenſis; Johannes Becius, Dordrechtanæ; Johannes Bogardus, Harlemenſis; Feſtusque Hommius, Leidenſis, Eccleſiarum Paſtores. Hi poſtquam diu multùmque invicem diſceptaſſent, nec in ullo articulo pars altera, quidquam alteri concedere vellet, iterum dimiſſi rediére ad ſuos, re ab Ordinibus in ſtatu quo relicta. Remonſtrant. epiſt. ad Claſſ. Walachr. C. 2. & præf. act. Syn. Dordr. d. 3. ſeq.

Dum in Collatione hac Paſtores Eccleſiarum occupabantur, ex Weſtphalia in Hollandiam rediit *Conradus Vorſtius*, de quo ſupra an.

1609. cap. LX. quem Uniti Status in pleno conventu ſuo, præſentibus cunctis Collocutoribus audiendum eſſe ſtatuebant. Ubi cùm comparuiſſet, prolixam habuit *orationem, qua ſe ab objectis erroribus purgare conatus eſt.* Rogati deinde Collocutores, utrum aliquas haberent conſiderationes, ob quas Vorſtii vocationem, ad Profeſſionem Theologicam in Academia Leidenſi, meritò impediendam eſſe judicarent? Remonſtrantes diſertè declararunt, nihil ſe adverſus Vorſtium habere, nec in ſcriptis ejus quicquam deprehendiſſe, quod veritati aut pietati repugnaret. Reliqui autem in charta rationes exhibuére ſuas, ob quas cenſerent, minimè rati habendam vocationem illam, ceu vehementer noxiam, ac probroſam; oſtendentes ex libro Socini de autoritate S. S. per Steinfurtenſem illum edito ac interpolato, & ex ipſius Vorſtii tractatu de DEO diviniſque attributis divulgato, præcipuos Viri portentoſi errores; ſuper quibus inter illum & Feſtum Hommium in celeberrimorum Ordinum conventu, & Collatorum præſentia, per dies aliquot habita *diſceptatio.* Qua finita denuò poſtulatum, ut ſincerè & absque ullis affectibus præſentes Theologi ediſſerant, utrum ſuis reſponſionibus videretur ſatisfeciſſe Vorſtius? Remonſtrantes reſponderunt, plenè ipſis à Vorſtio ſatisfactum, ſeque proin Virum commendare, tanquam Eccleſiis & Academiæ utiliſſimum, ſi dicta ejus vocatio procederet. Reliqui porrò ſignificarunt peculiari ſcripto, reſponſiones Vorſtii tam non ipſos à priori ſententia dimoviſſe, ut iisdem in exhibita declaratione magis magisque ſint confirmati; nempe vocationem ejus ratificatam, niſi maximo cum Eccleſiarum & Scholarum detrimento, ac manifeſto majoris perturbationis periculo, promoveri non poſſe; Cui ne rem Chriſtiano publicam exponerent, ſe Præpotentes Ordines debita ſubmiſſione obteſtari. *Mandatum* igitur (cùm & Magnus Magnæ Britanniæ Rex Jacobus primus, per legatum ſuum Status fœderatos graviter admoneret, ne hominem cumulatis erroribus ac blaſphemiis infamem, ad publicum docendi munus admitterent) *Vorſtio, ut ex Civitate Leidenſi, domicilium ſuum Goudam transferret,* ibique ab objectis erroribus publicis, quantum poſſet, ſe ſcriptis purgaret. Act. Dordr. ſyn. præf. E. 1. 2. Horn. Hiſt. Eccl. edit. 1687. pag. 373. ſeq.

Alcmariæ, Roterodami, aliisque in locis fœderati Belgii, tanto tunc odio *Remonſtrantes & Contra-Remonſtrantes* erga ſe invicem flagrare cœperunt, ut propalàm *in ſeparatos cœtus irent*, inque factioſas

molitiones, turbas ac ſeditiones exardeſcerent. Primum ſpecimen ejusmodi ſeparationis Alcmariana dedit Eccleſia, quam ſequebatur mox Roterodamenſis, hanc alia, aliaque per Hollandiam, Leidæ præſertim & Hagæ; per Geldriam Neomagi, Bommeliæ, Tielæ; per Tranſiſulaniam Campis, & alibi. Ex iisdem act. citat. loc. c. 2. 3. & pag. 377. Confer hiſtor. Gottfridii, part. ult. 103. ſeq.

In Scotia, cùm *Epiſcopi* ſolo Epiſcoporum titulo Hierarchicam ſuam poteſtatem, & abſolutam jurisdictionem in Eccleſias exercere non poſſent, ut quidem volebant affectabantque hactenùs, *à Rege titulum impetravêre Commiſſariorum Regis in jurisdictione Eccleſiaſtica*, ſive, judicum Celſæ Commiſſionis; quo ineluctabilis in ſacra & ſacros Doctores poteſtas conceſſa, utpote Regio nomine ſuſtentata. Hæc origo eſt jugi Hierarchiæ Anglicanæ diu tentati, nunc demum Scoticis Eccleſiis reverà impoſiti. Zuerius Boxhorn. in Chronol. pag. m. 149.

E Doctoribus Calvinianis, hoc anno mortalitatis legem explevit *Marcus Beumlerus*, Tigurinus, peſte abſumptus. *Antagoniſta D. Jacobi Heilbronneri*, de quo infra ſuo loco. Inter alia, ſcripſit Heilbronnerus *doctrinæ Calvinianæ Synopſin*, germanicô idiomate publicatam anno 1590. qua potiores hujus gentis errores, per omnes ferè articulos cum Auguſtanæ Confeſſionis Doctoribus Theologis controverſos, ex ipſis adverſæ partis hinc inde vulgatis libris & confeſſionibus, perſpicuè propoſuit, ſolidèque refutavit. Scriptum illud cum plurimorum hominum verſaretur manibus, in ſuperiori præſertim Palatinatu, ibidemque & alibi Cauſæ Calvinianæ haud parum obeſſe videretur, tandem exactô triennio Beumlerus, t. t. Paſtor & Inſpector Eccleſiæ Alzeyenſis in Palatinatu ad Rhenum, irâ excandeſcens, virulentiſſimas oppoſuit chartas, injuriis atque contumeliis refertiſſimas; quas verò modeſtiſſimè caſtigatas, feliciſſimè retudit Heilbronnerus, in Synopſi doctrinæ Calvinianæ altera, Lavingæ anno 1595. impreſſa, cujus videatur pag. præf. ult. & Calviſ. 966.

LIB. I. CAP. LXXIV.

Summaria.

Primus diſputationum G. Calixti faſciculus, qualis?
Diſputatio Pariſienſis, de Papa ſupra Concilium locato.
Ungersdorfii injurioſa gratulatio ad Status Evangelicos in Auſtria.

Me-

Maximiliani Decretum, olim adverſus virum Ungersdorfio non abſimilem.
Marianæ liber de Regis inſtitutione, denuo excuſus.
Libellus item Fauſti Socini, ſecundùm editus.

ANno æræ Chriſtianæ undecimo, de ſanctiſſimæ Religionis dogmatibus præcipuis, *quindecim diſputationes edidit Georgius Calixtus*, in Academia Helmſtadienſi, quarum primam de DEO uno ac Trino, ſub ejus præſidio reſpondens defendit Bartholdus Nihuſius, ingratus poſteà diſcipulus & Apoſtata. In hoc Theologicarum Exercitationum primo ſpecimine ſtatim ingenium ſuum orthodoxiæ minùs congruum prodidit Calixtus, quandò diſputatione tertia, theſi quadrageſima tertia & ſeq. *Communicationem omnipræſentiæ Carni Chriſti factam,* directè manifeſtèque *impugnavit*, ac Eutychianiſmi accuſavit illius aſſertores, Heshuſii & Hofmanni veſtigia legens. Licet enim ſuperiori ſeculo *Tilemannus Heshuſius*, Theologiæ Profeſſor Helmſtadienſis, ore & calamo carnis Chriſti omnipræſentiam fortiter contra Calvinianos, usque ad annum Chriſti 1582. defenderit; Nihilominùs deinceps, cùm nonnulli Theologorum A. C. ad conſcribendam pro Formula Concordiæ Apologiam conveniſſent, ille, ſuum ad arbitrium non omnia agi, temerè indignatus, Majeſtatem Chriſti hominis, libro Concordiæ inſertam, quam *Ubiquitatem generalem* vocant, oppugnare cœpit, & cum *Daniele Hofmanno*, Collega, orthodoxis eam ſententiam affinxit, ac ſi ſubſiſtentiàm Carnis Chriſti extenſivè, localiter & ſubjectivè in omnibus creaturis eſſe dicerent; Ideòque proprii cerebri commentum impugnans, omnipræſentiæ loco, *multipræſentiam* introduxit. Micræl. hiſtor. Eccleſ. lib. 3. 472. 500. 502. Oſiand. Cent. XVI. Calovii Syſt. Tom. I. pag. 1151. ſeq.

Lutetiæ autem *Pariſiorum* t. t. diſputatio publica in conventu Dominicanorum generali habita, Præſide Magiſtro *Coſma Morelles* regente & Prof. P. Conventûs Colonienſis, & Reſpondente *Wiberto Roſenbachio*, ejusdem Conventûs Lectore; inter alias theſes etiam hanc proponens: *Nullo caſu Concilium eſt ſupra Papam.* Advocati Regii certiores de re facti, D. Cuffetello, Pariſienſium Dominicanorum Cœnobiarchæ interdicunt, ne permitteret iſtam theſin defendi. Prohibet is; Inſtituto tamen actu, cùm obſervaretur dictæ poſitioni non inductam eſſe lituram, Edmundus Richerius, Academiæ Doctor celeberrimus, & Facultatis Pariſinæ Syndicus, nomine tùm proprio,

tùm Collegarum communi, in pergulas Dominicanorum ſeſe contulit, aſſertoque non modò ut falſo, ſed etiam ut hæretico contradixit, interminatus, niſi publicum illud ſcandalum ſatisfactione publica elueretur. Ob id Præſes teſtabatur, ejusmodi propoſitionem inſertam eſſe, ſibi ſummoperè diſplicere, nec eam tueri velle. Juſſus à Pontificis Nuncio, defendere, auſus non eſt Morellus defenſorem agere; dum omnes, qui aderant, uno dicebant ore: Rem turpem ac indignam eſſe, permittere, ut iſta theſis in Univerſitate Pariſienſi defendatur; non ferendum, ut nova in Galliam doctrina introducatur. Quo murmure commotus Cuffetellus, mandatum prælegit Advocatorum Regiorum, de hac theſi non agitanda in diſputatione. Paulò pòſt *Hyacinthus*, Dominicanus Belga, theſes proponebat, præſide *Thoma Torrentio*, in quibus & hæc erat: *Veritatem fidei definire, ſolius eſt Pontificis, qui in hoc errare non poteſt.* Verùm eo die, quo habenda diſputatio erat, Schola Dominicanorum, juſſu Superiorum, fuit occluſa, diſceptatioque intermiſſa &c. Hiſtor. Gall. Gramond. lib. 1. 21. Act. Erud. Lipſ. 1684. pag. 105. Anti-Becan. Croc. vind. A. contra Mogunt. 641. ſeq.

Perſonatus quidam *Chriſtophorus Ungersdorffius*, *Gratulationem* ſuam *de Auguſtana Confeſſione, ad Status Evangelicos in Auſtria*, præcedente anno impudenter ac protervè divulgatam, nunc impudentiùs & proterviùs defenſare non veretur; Librum intelligo, maledictis, injuriis & contumeliis atrociſſimis refertiſſimum, adverſus omnes Evangelicæ Religionis Confeſſores tàm ſummos, quàm infimos ac medioximos. „ E. G. Elector Saxoniæ huic Lucifugæ Nebuloni eſt, „ Sus Illuſtriſſimus Dreſdenſis; Brunſvigii Dux, Celſiſſimus Carnifex; Haſſiæ Landgravius, eruditiſſimus porcus; Rheno Palatinus, „ beſtia Heidelbergenſis; Onoldinus Marchio, nobiliſſimus Lictor; „ Princeps Wirtembergiæ, Sacrilegus Stutgartenſis opulentiſſimus; „ Neoburgi Dominus, homo ſtupidus & bardus, &c. In *reſponſione* „ *ad Apologiam Zeamannianam pro fidei conſortibus*, omnes Lutheranos, „ tanquam hæreticos, ipſo jure infames criminatur; Si quis, vel animo etiam injuriandi, contumeliâ illos afficiat, reverà tamen injuriam patrare nullam, nec infamationis vel diffamationis reum fieri, niſi fortè apud Germanos, ob ſanctionem pragmaticam pacis „ religioſæ (Catholicis, uti garrit, extortam) qua cautum ſit, ut nemo alium quovis modo turbet, aut offendat; Alias enim orbis „ Chriſtiani nationes, conſtitutionem illam non attendere, ſed pro

„ hære-

„ hæreticis & infamiâ notatis habere omnes, à Papa, Petri ſucceſſore „ diſſentientes; Imò exteros, deridere Germanos, putantes, per eo„ rum contractus, id, quod in ſe & naturâ turpe ac inhoneſtum eſt, „ pulchrum fieri atque decorum, ut mendacium, furtum, adulte„ rium, ac inprimis dogma hæreticum, non ponderantes illud Sa„ pientis: Turpe, turpe eſt, ſeu putes, ſeu non putes. Summam, per„ git, apud Hiſpanos Italosq; ignominiam eſſe, Lutheranum vocari; „ Et, expertos hoc, ante annos non adeò multos, Nobiles aliquot „ Miſnicos, peregrinando tunc Syracuſam delatos in Sicilia; illos e„ nim ab Hiſpanico milite ad perluſtrandas Latomias deductos, „ cùm interrogâſſent, quid hîc loci? promptum accepiſſe reſponſum: „ Eſſe carceres, in quos olim Dionyſius (Tyrannus) peſſimos latro„ nes, fures, prædones, proditores, Lutheranos, ac ejusmodi alios „ nebulones, cuſtodiendos puniendosque conjecerit. Concionato„ res Eccleſiarum A. C. nominat ſpermologos, ſtentores ineptos, „ nauci homines, projectæ dignitatis viros, quos inter & ſubulcos „ parum diſcriminis maneat, famâque lædere nemo poſſit; quia per„ ſona vilis ac infamis, ulteriùs infamari nequeat. Georg. Albrecht. „ in Hierarch. pol. pag. 209. D. Zeæman. Apolog. ad Archiducem Leopoldum ex captiv. Ehrenbergenſi pag. 47.

Optandum ſanè, ad propudioſam injuriandi, calumniandi ac mentiendi libidinem Ungersdorffianam ex debito caſtigandam, affuiſſe *Maximilianum* Imperatorem, qui adverſus conſimilem ſcurram & ſycophantam, anno 1573. tale decretum edidit: „ Sacra Cæſarea „ Majeſtas, Conſiliario ſuo aulico, *Georgio Edero*, juſſit ſignificari, „ Majeſtatem ſuam in libro, quem nuper offerri voluit (aulicus) mo„ leſtiſſimè & indignantiſſimè ferre nimiam ejus vehementiam, a„ cerbitatem & immodeſtiam, injurioſaque verba in multos Impe„ rii Status ac Perſonas, inprimis autem Auguſtanæ Confeſſionis „ ſocios, quorum non modò religionem & confeſſionem, ſed ſtatum „ quoque honorem ac dignitatem graviſſimè læſerit, injuriârit & „ condemnârit; cùm tamen & ipſi (Edero) & omnibus notum ſit „ atque conſtet, quantô zelô, labore ac ſolicitudine, tàm Majeſtatis „ ſuæ Majores laudatiſſimi, quàm ipſa etiam ſua Majeſtas, tot jam „ annos in omnibus Imperii Comitiis & congregationibus, ſemper „ intenti fuerint, ut, quod à communibus etiam Imperii Statibus in „ pace religionis & aliàs ſalubriter accordatum atque conſtitutum „ eſt, nemo alterum in honore, dignitate, ſtatu, conſcientia, aut aliô

„ quô-

„ quôcunque modò taxet, moleſtet, offendat, lædat, calumnietur „ aut injuriet: Id quod S. M. non tantùm in Imperio, ſed regnis „ quoque & principatibus hæreditariis, ſummâ ope hactenus nixa „ fuerit, ut diligenter & exactè obſervaretur. Quapropter S. Ma„ jeſt. Cæſareæ liber ille à D. Edero editus, ſummoperè diſplicet ac „ disgratiſſimus eſt, nec ea ſibi perſuadere poterat, tantam impuden„ tiam, audaciam & immodeſtiam in eum cadere potuiſſe, qui tan„ tô tempore ſuæ Majeſtatis in aula Conſiliarius extiterit: quippe „ cui præ cæteris cognitum, perſpectumque eſt, ne infimos quidem „ homines, nedum S. M. Conſiliarios decere, contra S. Majeſt. & „ S. Imperii Conſtitutiones & Pacem Religionis, atque adeò ſuæ „ Majeſtatis factam in Imperio ſeveram ordinationem, quicquam „ tale, vel in ipſis ſuis hæreditariis terris, publicandum curare. Ex Goldaſto ref. D. Joh. Gerhard. in Conf. Cathol. Tom. 1. pag. 892. 897. D. Chriſtoph. Binder. de bonis Eccleſ. pag. 98.

Johannis Marianæ liber, de Inſtitutione Regis, ob ſeditioſa ſummisque Magiſtratibus internecina dogmata Pariſiis pœnali judiciô ſupremæ Curiæ nuper flammis datus, per manus carnificis; hôc ſtatim annô alibi *recuſus* eſt, & quidem (quod mirari ſubit) Imperatoris Rom. ac Regis Hiſpan. Privilegiis, nec non aliorum Papicolarum approbationibus, quin imò laudibus, egregiè munitus, unde porrò conſenſus eorum cum famoſi iſtius Lojolitæ doctrina clariſſimè pateſcit. Eſauitis aliàs, tanquam acerrimis & primariis Anti-Chriſti R. Janitſariis, aliisque Ordinibus Cucullatæ gentis, dum vitio vertitur, quòd Reges & Principes interimere non modò licitum eſſe, ſed & in laude poſitum, doceant, aſſurgunt illi auſtero vultu, oggannientes: „ Unum quidem & unicum Jeſuitam Hiſpanum, nomine, „ Marianam, iſtas opiniones de Principibus non-Catholicis minimè „ tolerandis à ſubditis Catholicis, diſputando defendere conatum „ fuiſſe, & fortaſſe non tàm certi quid aſſerendi, quàm veritatis in„ quirendæ causâ; reliquos omnes contrarias fovere ac defendere, „ foviſſe ac defendiſſe ſententias. Hæc reſponſa totidem ferè verbis dedére, poſt Henricum IV. Galliæ Regem nefariè ac proditoriè interfectum, ejusdem Regis occiſi viduæ, tunc interprete & præcone veterano quodam Jeſuita, *P. Cottono*, verſutiſſimo homine, cujus extant literæ typis expreſſæ, quas hac ipſa de re, & hoc tenore, ad Reginam adornavit. Idemque reſponſum à pluribus deinde repetitum ſæpiſſimè. Verùm enimverò, ſi reliqui Lojolitæ & Papicolæ

cum

cum dogmatibus & placitis Marianis non participant, ipſi præſertim Pontifices, eorumque dilecti fideles, cur iſte liber excuſus, & recuſus? cur nunquam refutatus à quoquam, nomine Cleri & Eccleſiæ Romanæ? cur non prohibitus à Papa? cur non cum ejus fautoribus fulmine excommunicationis impetitus? cur privilegiis Imperatoriis & Regiis ornatus? cur *Petrus de Onna*, Magiſter Provincialis, illum hoc modo commendat: *Si ad præſcriptam in eo formam actiones & conſilia referantur, næ magnum exiſtet atque incredibile operæ pretium?* Cur *Stephanus Hojeda*, Viſitator Societatis Ignatianæ in provincia Toletana, ſcribit in præfatione: „ Librum à Doctis præcipuisque „ Societatis inclytæ Viris approbatum, ſibique (gloriatur) à Gene- „ rali Claudio Aquaviva, conceſſam eſſe ſpecialem, ejusmodi ſcri- „ pta vulgandi licentiam? D. Wolfg. Franzius in orat. de cruentis Jeſ. conſil. pag. 8. 12. ſeq. D. Joh. Müller. Hamb. in defenſi Lutheri defenſione contra P. Creuzen/ dedicat. a. v. vj. pag. 734. ſeq. confer an. 1605. cap. XXXIII. & 1610. LXV.

Libellus à *Fauſto Socino*, an. 1599. in agro Luclaviciano Abrahami Blonſcii conſcriptus, anno 1611. Racoviæ, typis Sebaſtiani Sternacii demum publicatus eſt, hoc inſignitus titulo: *Quòd Regni Poloniæ, magnique Ducatus Lithuaniæ homines, vulgò Evangelici dicti, qui ſolidæ pietatis ſunt Studioſi, omninò ſe deberent illorum cœtui adjungere, qui in iisdem locis falsò & immeritò Arriani ac Ebionitæ vocantur.* Opusculum quidem ratione paginarum breve, ſed quoad rerum varietatem & articulorum congeriem, prolixum. Etenim in compendium ibi redegit autor pleraque Photinianiſmi dogmata, & velut in tabula toti Eccleſiæ conſpicienda exhibuit, hoc fine, ut Evangelicos alliceret, ſuamque ſectam pluribus aſſeclis locupletaret. „ Gloriatur „ impoſtor, quantum reſciri, & ad ſuam ſuorumque notitiam per- „ venire potuerit, non ſolùm iſtis in locis, ſed in toto ipſo terrarum „ orbe, non eſſe Eccleſiam ſeu JESU CHRISTI nomen profiten- „ tium cœtum, qui Socinianis puriorem doctrinam, & quatenus ad „ ſalutem humani generis pertinet, majorem divinarum rerum co- „ gnitionem habeat; id quod facilè ex iis, quæ dicturus ibi, partim „ intelligi, partim conjici poſſit. Solidam *refutationem* adornavit anno 1619. *Balthaſ. Meiſner.* inſcriptam: Brevis conſideratio Theologiæ Photinianæ; vid. dedicat. lit. b. vj. procem. a. 4. Menzer. Exeg. A. C. 292. confer an. 1604. cap. XXV.

LIB. I. CAP. LXXV.

Summaria.

Johannes Keckius, à Mansfeldicis Theologis excommunicatur.

Libelli Sociniani, à Vorſtianis diſcipulis Franequeræ divulgati.

Miſnia, per Valentinum Wigelium turbata.

AntiChriſtus, quem vocabant, Pariſiis natus, & baptiſatus.

Altorfi Noricorum, Judæus ex Rabbinis Polonicis, Albo Chriſtianorum inſcriptus.

Georgius Blandrata, Socinianus, ab uno cognatorum trucidatus.

IN Mansfeldia *Johannes Keck*, de quo ſupra cap. LXVII. & LXVIII. pluribus actum, tenaciter adhuc & pertinaciter in fovendo & reſtabiliendo errore Huberiano perſeverans, poſt omnes admonitionum ac dehortationum gradus fruſtrà tentatos adhibitosque, prævio Theologorum Wittebergenſium conſilio, per ſententiam Conſiſtorii Theologici, & Miniſterii Eccleſiaſtici primùm *excluſus à communione* ſacrorum illius loci publicorum, penitùs dein (cum pædagogo ſuo, Hubero Juniore) territorio Mansfeldico, autoritate Magiſtratûs, *exire juſſus eſt.* vid. Conſil. Witteb. Theol. A. pag. 654. ſeq. & pecul. tract. Mansfeld. præf. b. vij. & pag. 269. 272. pl.

In Academia *Franequerana*, quidam *Studioſi Theologiæ*, qui ex Vorſtii diſciplina domoque prodierant, Socinianos errores ingerere ſatagebant. hoc fine *libellum Fauſti Socini de officio hominis Chriſtiani* typis evulgantes, addita præfatione, qua libellum diligenter commendabant. Sed inclyti Ordines Friſiæ certiores de eo facti, ſimulque familiares nonnullas juvenum epiſtolas nacti, quibus declarabant, quomodò Socinianiſmi cauſa communis (quam à Vorſtio quoque, Utenbogardo, & aliis in Hollandia agi non obſcurè ſignificabant) occultè tutòque propaganda eſſet; cùm dicti libelli exemplaria pleraque flammis ultricibus curaſſent abolenda, Studioſos etiam ex finibus ſuis ejeciſſent; per literas, primariarum Civitatum Hollandiæ Magiſtratus, ac ipſos Status ſupremos per deputatum, & monuerunt & rogarunt, ut ejusmodi technis & fraudibus ubique reprimendis perquàm ſeriò laborarent; unde factum, ut ipſe *Vorſtius*, relicta urbe & Academia Leidenſi, Goudam ſe conferret. Ibi cùm *à Socinianis Racoviam*, ad Profeſſionem Theologicam evocaretur,

tur, reſpondiſſe fertur: *Se cauſæ ipſorum magis profuturum in Belgio.* Novi *Remonſtrantes* autem, quibus quaſi pro Apoſtolo fuit Vorſtius, jam anteà *de colluſione cum Socinianis* magnam partem valdè *ſuſpecti*, ab hoc tempore rerum intelligentibus perpetuò manſere ſuſpectiſſimi. Actor. Synod. Dordracen. præfat. lit. e. D. Dorſch. in pentadecade Diſſertation. Theol. prælim. pag. 18. Hieron. Kromajer. Scrutin. relig. diſput. 8. 190. & ſeqq.

Miſniam verò non parum turbavit *Valentinus Wigelius*, jam ſeptuagenario major; homo ſtolidus & audax (Hornbekio) qui ſacris ſtudiis & philoſophiæ guſtu immaturo abuſus, ad paradoxa & putida impotentis cerebri ſomnia divulganda, viſus fuit natus ac datus; Fanaticorum, ſub æra Chriſtianæ Centuria decima ſeptima, primipilus, novæ doctrinæ nova legens *principia:* Nimirum *Lumen naturæ*, per quod maxima fidei myſteria cognoſcantur: Deinde *Philoſophiam*, præcipuè *Aſtronomiam*, quam vocat, *Theologiſatam*, cujus ope vera & falſa Theologia, vera & falſa Eccleſia pateſiat; ac faciliùs quidem, ſi accedat Chimia, & Arithmetica Cabaliſtica: Porrò *Angelorum colloquia, divinas revelationes internas abſque medio, ſilentium & ſabbathiſmum* &c. Hornbek. S. C. de Enthuſ. pag. 398. Calov. Syſtem. A. 354. confer an. 1602. cap. XI.

Secundum Diaboli effatum & reſponſum, quod anno 1611. nonnullis Exorciſtis in Gallia, Pariſiis datum fertur, hoc ipſo tempore natus eſt *AntiChriſtus*, inque Synagoga veneficorum & ſagarum ibidem baptiſatus, impoſito nomine: TU ES DEUS COELI AC TERRÆ; ſic enarrante Johanne le Normant, Clermonti Domino, in hiſtoria de tribus Energumenis, Pariſiis, anno 1625. cum approbatione Doctorum loci, per Nicolaum Buon in via Jacobæa, typis expreſſa; Et allegante Joh. Jacobo Heinlino, in muris Babylon. deſtructis, pag. 531.

Ex peſſima verò Judæorum gente t. t. Altorffi Noricorum, Dominicâ Quaſimodogeniti, per lavacrum regenerationis in Sp. S. ea tempeſtate Chriſtianorum cœtui, Auguſtanæ Confeſſionis, acceſſit *Rabbi quidam Poſnaniâ-Polonus*, accepto nomine *Pauli Joſephi*; Motus inter alia, per exemplum Chriſtiani Gerſonis, Judæi Recklinghuſani, ejusque libri lectionem de opere Thalmudico. Scripſit noſter ille libellum germanicum pro defendenda theſi: CHRISTUM JESUM, Mariæ filium, eſſe unum & verum à DEO Patre promiſſum Meſſiam generis humani Salvatorem certiſſimum, atque ſecundam

SS. Trinitatis perſonam, ubi vide dedicat. A i. vij. præfat. ad lector. a. iiii. v.

Demum inter vivos eſſe deſiit, *Georgius Blandrata*, Pedemontanus, vel Sebuſianus. Inquiſitionem veritus, Ticinô ſe in Poloniam atque Tranſylvaniam ſubduxit, ubi Johannis Sigismundi (puto Bathorii) Medicus factus, Arianiſmum diſſeminavit, Poloniâ quoque infectâ, præprimis poſtquam Val. Gentilem eò vocaſſet. Socinianiſmi ambo ſtrenui promotores, à Lælio, & ejus nepote Fauſto, dicti, à quorum ultimo acceptam in Italia hæreſin Blandrata propagavit, plurimis è nobilitate ſeductis. Primam tamen erroris occaſionem ipſi datam fuiſſe à Joh. Paulo Alciato Mediolanenſi, ſunt, qui dicant. Admodùm ſenex, ab uno cognatorum, bonis ejus inhiante, anno 1611. Blandrata *trucidatus*. Ita recenſente Hofm. in Lex. univerſ. A. 693. Sebuſianus ille, hoc ne omittam, uti & Valentinus Gentilis, cum J. Paulo Alciato, & aliis, impietatem ſuam callidè tegebant, quippe qui, quandò primùm innotuerunt Eccleſiis verè Chriſtianis, & conſtare cœpit eos de Deo atque Chriſto hæretica prorſus tradere, ita diſſimularunt ea, palàmque negarunt, contra animi ſententiam, & contrarium ei, quod eventus poſteà docuit, profeſſi ſunt, ut majores an hæretici, an tergiverſatores, initiò fuerint, in ambiguo maneat, utrinque nimirum mendaces, & in Deum, ejusque veritatem, & in ſe. Blandrata ſanè, poſtquam de eo Eccleſias Polonicas, & Palatinum Vilnenſem Calvinus monuerat, in Synodo Pinczovienſi anno 1561. ſe quaſi adverſus injurias Calvini defenſurus, teſtatus fuit: „ Fateor, me credere in unum Deum Pa-
„ trem, in unum DN. JESUM CHRISTUM filium ejus, & in unum
„ Spir. S. quo cum eſt eſſentialiter DEUS. Deorum pluralitatem de-
„ teſtor, cùm unus nobis ſit tantùm Deus eſſentiâ indiviſibilis. Fa-
„ teor, tres eſſe diſtinctas hypoſtaſes, ac æternam Chriſti Divinita-
„ tem, & generationem: Atque Spiritum S. verum ac æternum De-
„ um, ab utroque procedentem. Certum tamen eſt, illum ejusque ſocios, primarios acerrimosque hæreſeos Anti-Trinitariæ in Polonia, & Lithuania, & reliqua Sarmatia patronos ac propagatores extitiſſe; quod minori negotiô fieri à Blandrata potuit, poſtquam non modò Johan. Sigismundi Bathorii, & Chriſtophori, Transſylvaniæ Ducum, factus eſt manſitque plurimos per annos, ſed etiam Stephani, poſteà Poloniæ Regis tùm Archiater, tùm Conſiliarius intimus.

vide

vide Hornbekii ſum. Controv. de Socin. pag. 565. & Equitis Polon. Bibliothecam Unitariorum præfat. de vita Socini.

LIB. I. CAP. LXXVI.

Summaria.

Exercitus Archiducis Leopoldi, movet in Bohemiam.
Rudolphus Imperator, Matthiam fratrem ad regiam inaugurationem commendat.
Superioris Germaniæ Status, Rotenburgi; Electores Norimbergæ conveniunt.
Poloniæ Rex, Elect. Brandenb. Boruſſiam jure feudi confert.
Inter Danos & Suecos bellum fervet.
Sigiſmundus P. R. Smolenskum ſubigit.
Gabriel Battorius, à Walachis cladem accipit.
Status Unitorum Belgarum, variè augeſcit.
Deſponſationes & nuptiæ, Elect. Frider. V. Palat. Galliæ Regis; & Matthiæ R. H. B. Illuſtrium aliquot Perſonarum obitus.

M*ilites Leopoldini*, ex Alſatia in Epiſcopatum Paſſavienſem vicinaque loca diſtributi, poſtquam habitatores aliquandiu ferociter expilâſſent, primo vere *per Auſtriam in Bohemiam*, Rameo Duce, movent, ac *Budenweiſſio* primùm ſubdolè occupato, *Pragam* tendunt, & mox, facta civium deditione, minorem urbis partem intrant; ipſam deinde Arcem adoriuntur, ut coronâ potiantur & Archivo Regio, cum theſauris pretioſisque ibidem aſſervari ſolitis. At percepto rumore, Matthiam Ungariæ Regem numeroſiore cum exercitu in propinquo eſſe, veriti, ut poſſint ei reſiſtere, rurſum diſceſſere cum ingenti præda, millionibus aliquot æſtimatâ. Calviſ. & Schad. confer Apolog. Bohem. 2. Q q. 4. ſeq.

Indictis dehinc ſolennibus Regni Comitiis, *Rudolphus Imperator, Matthiam* ante triennium deſignatum *Succeſſorem in regno Bohemiæ*, Statibus quarto anni menſe *ad inaugurationem commendat*. Status autem nonnulla capita priùs conſignari, quàm diademate inſigniretur novus Rex, & publicè prælegi curârunt, præſentibus Legatis Moravicis ac Sileſiacis, à coronando ratihabenda, pro more antiquo; nempe, ut omnia Privilegia Statutaque, tranſactiones item inter Catholicos Romanenſes & Proteſtantes, nec non Confœderationem cum Sileſiis ac Moravis in cauſa religionis factam, aliaque id genus, una vel altera poſt inaugurationem hebdomade, confirmaret.

maret. Poſtquam ergò MATTHIAS omnia quæ ab Ordinibus Bohemiæ oblata ipſi fuere capita, accepiſſet ratificanda, ſanctèque promiſiſſet, non ſolùm privilegia Religionem ac politiam concernentia ſe approbaturum, ſed etiam literas RUDOLPHI Majeſtaticas, in cauſa exercendæ fidei præcedentibus annis impetratas, novo diplomate confirmaturum; tandem vigeſimo tertio Maji die ad *Coronationem* perventum eſt. Arth. Mercur. Gallo-Belg. Tom. 9. lib. 1. 35. 47. Apolog. Bohem. lit. Rr. ſeqq. Et ejectis quidem nummis in vulgus, ab una parte ſignatis imagine Regis ac annotatione temporis; ab altera verò, figurâ ciconiæ, viperam roſtro tenentis, cum additione verborum: *Salutem ex inimicis noſtris.*

Ad ſananda, ſi fieri poſſet, Imperii vulnera, *Superioris Germaniæ Status Uniti convenére Rotenburgi ad Tubarim.* Cæſari commonſtrantes, quod culpâ non careat, hactenus promiſſa de abolendis gravaminibus variis, & reſtituendis in integrum Evangelicis Donawerdanis, minimè præſtando; Conſultantes quoque de ſumptibus ad ſe defendendum, ſi opus fuerit, contribuendis. *Noribergæ* autem, paulò pòſt, ab *Electoribus* agebatur de aſſerenda Majeſtate Imperatoria, de gravaminibus Imperii, de malè adminiſtrato Jure à Conſiliariis Cæſareanis, deque eligendo Romanorum Rege. Hiſtor. Gottfrid. part. ult. pag. 72. 73. Burgoldenſ. notit. rerum Imperii, pag. 61.

Anno 1611. *Sigismundus III.* Poloniæ Rex, *Johanni Sigiſmundo Electori Brandeb.* & fratribus, eorundemque poſteris maſculis, poſt obitum Johannis Alberti, *Borusſiæ* Ducis, Jure feudi ſolenniter iſtas *ditiones confert*, in ipſis Comitiis Polonicis Varſaviæ habitis, juxta Hornium in Orbe Politico pag. 224. Menkenius autem annotavit: Non defunctum fuiſſe t. t. Johannem Albertum, ſeu ut vocari debuiſſet, Albertum Fridericum, ſed anno demum 1618. diem ſuum obiiſſe; At mente captum anno 1611. fuiſſe Albertum, eamque ob cauſam datum ipſi, cum jure ſuccedendi, tutorem Johannem Sigismundum, Electorem. Confer Orb. Imper. Horn. 122. & Boxhorn. Chronol. lit. T. 3. edit. pr.

Inter Danos & Suecos fervet bellum; Hinc obſeſſa per illos *Calmaria*, magnoque cum apparatu bellico à (malæ fidei) præfecto, Daniæ Regi tradita, ut & *Bornholmia, Oelandiaque.* Sueci viciſſim interceptis literis, quibus *Chriſtianopoli* auxilia petebantur, ſe Danicum fingendo præſidium, urbem noviter ædificatam occuparunt, & incolarum plerisque necatis, ædes incendio delerunt. Cluver,

ver. Epit. hiſt. & Mercur. Gallo Belg. adde Puſend. Introduct. ad cognition. Stat. contin. 631. 634.

Sigiſmundus Poloniæ Rex, poſt biennii obſidionem *Smolenskum*, Roxolaniæ ſeu Moſcoviæ munitiſſimam urbem, *capit* eodem anno, Julio menſe; hujus Regis filium *Uladislaum* certis equidem conditionibus *Moſci elegerant*, ut eorum Dux & reſtaurator eſſet; cùm verò diu nimis adventum ſuum differret Princeps, ac interim inſolentiùs agerent Poloni, mutato illo conſilio *alium optarunt;* ex quo dein atrocius bellum extitit. Turſell. in hiſt. lib. 10. 261. Olear. Moſcow. Reyßbeſchr. lib. 3. p. m. 134.

Sub hæc in Transſylvania *Gabriel Bathorius*, de quo cap. LV. anno 1608. prope Cronſtadium à Walachis magnam accepit cladem: *Forgatſius* ergò Dux militaris Auſtriacus, ea uſus occaſione Claudiopolin, aliaque nonnulla oppida & arces ad obedientiam Regis Hungariæ, qui Matthias erat, reduxit feliciter. At ſubitò mutatis rebus, iterum à Bathorio cæſus Forgatſius, & per ſylvas variasque miſerias in Poloniam usque pulſus eſt. Gottfrid. hiſtor. part. ult. 135. Arth. Contin. Sleid. tom 9. lib. 1.

Achmetes Turcarum Sultanus, cùm in Marocco Hiſpanos experiretur hoſtes, *unitis Belgii Statibus* commerciorum immunitatem conceſſit per ſuas ditiones univerſas, inque fœdus aſſumpſit eos. *Legatus* etiam *Japonicus*, ad ſalutandos ordines, Hagam Comitis, ex India Orientali advenit, magno rerum Hollandiæ commodo & augmentô. Arthus & Cluver.

Hoc tempore Friderici V. Electoris Palatini, cum Eliſabetha Jacobi Regis Angliæ; & Ludovici XIII. Galliæ Regis minorennis, cum Anna Philippi III. Hiſpan. hujusque filii cum Eliſabetha Henrici IV. Gall. relicta filia, factæ *deſponſationes*. *Nuptiæ* verò Matthiæ Regis Hungarorum & Bohemorum, cum Anna Ferdinandi Archi-Ducis Oenipontani gnata. Calviſ. 966. Gramond. hiſt Gall. 27.

Fatis conceſſêre, CAROLUS IX. *Sueciæ Rex*, mœrore ad ſenium & ægritudines accedente, confectus & extinctus, relicto filio ad gerendas res magnas nato, nempe Guſtavo Adolpho. CHRISTIANUS II. *Elector Saxoniæ* inclytus, de quo anno 1601. cap. I. Symbolô uſus: *Timere Deum, honorare Cæſarem, diligere juſtitiam.* Cluver. 767. Birken Sächſiſcher Heldenſaal. 625.

Erneſtus itidem *Dux Brunſvicenſis Dannebergicus;* cui ſucceſſit Chriſtianus Senior, qui etiam Epiſcopus Mindanus fuit, & Grubenhagen-

hagenſis Principatûs, per ſententiam Cæſaris adjudicati, poſſeſſionem arripuit. Et *Ludovicus, Werthemii Comes*, octogenario major; cujus filius Chriſtophorus Ludovicus Virneburgicam lineam exorſus, Evangelicam; Joann-Theodoricus autem, Rupifortiam Romano-Catholicam. Notit. Procer. Imhof. 476, 1350. Burgoldenſ. A. 510.

LIB. I. CAP. LXXVII.

Summaria.

Omina mortis Rudolphi II. ac ejusdem ultima ferè verba.

Adoleſcentulus Göppingenſis, Cacodæmoni obligatus, liberatus.

Monachus Marſilienſis, Goffredus, inſignis Magus, publicè combuſtus.

Vanum ab imaginibus auxilium.

Taubmannus, vivis ereptus; Rittershuſius quoque, & Goclenius.

Non autem, hoc anno, Thuanus.

VErgente ad finem anno 1611. Pragæ in aula Rudolphi, *Leo* iſtic enutritus, morte ſubitanea concidit; eumque *duæ* mox *aquilæ* ſequebantur; Mortem Imperatoris id portendere, ſtatim nonnulli affirmabant, haud vani Augures. Etenim ſub exitum Decembris in morbum incidit lethiferum RUDOLPHUS, ubi cùm ſentiret, non longè ſupremam vitæ ſuæ metam abeſſe, ad beatam analyſin ſe totum compoſuit, ac placidè anni ſequentis decimo, primi menſis die, in Domino obdormivit. Matth. Theatr. 1107. Turſell. epit. hiſtor. 261.

Inter Chriſtianiſſimos dulciſſimosque *ſermones Rudolphi*, paulò ante obitum, & hunc fuiſſe auditum ferunt: „ Cùm olim à Patre „ meo, ex Hiſpania in tranſitoriam hanc patriam revocarer, tanto „ perfundebar gaudio, ut inſomnem proximam noctem totam tra„ ducerem; quantò magis mihi nunc lætandum, quia Pater meus „ cœleſtis, in æternam patriam brevi me avocaturus eſt, ubi nulla „ temporis viciſſitudo aut mutatio, ubi calamitas adverſitasque nulla. Tſchimmern in contin. Sleid. 4. Monarch. lib. 3. 295. & Oſcas Schad.

Göppingæ in Ducatu Wirtembergico, *adoleſcentulus* quindecim annorum, nocturno tempore per plateas ambulans, cum obvia (ejus opi-

opinione) puella actus exercuit impudicos; his verò completis, vidit infelix homunculus, *rem habuiſſe cum Cacodæmone*, cujus proinde poteſtati, neſcio quæ mala præſentiſſima aliàs minanti, ſeſe per ſeptem annos adſcripſit ac ſubmiſit; fideli tamen cura Miniſtrorum Eccleſiæ, poſt exactos menſes circiter quadraginta ſex iterum liberatus, applicatione commoda dictorum ſacræ Scripturæ, piarum precum, uſuque Sacramenti corporis & ſanguinis Dominici ſummè ſemper venerandi; quo de caſu vide D. Nicolai reſponſ. ad ſpeculum veritatis Brandeb. pag. 719. quoad materiam D. Königii heptad. caſ. conſc. Miſcell. pag. 36. ſeq.

Sed alium perquàm funeſtum exitum habuére, communio & pactum *Ludovici Goffredi* Marſilienſis Monachi cum Satana. Nefarius homo totum ſe dediderat Principi tenebrarum ſub conditione; ſi autor ipſi eſſet ac promotor, ad conſequendam nominis celebritatem præ omnibus Provinciæ Sacerdotibus; fœminarum, quascunque ad explendas carnis voluptates deſideraret, gratiam & amorem conciliaret; faceretque ut ejusmodi honoribus ac voluptatibus 34. annis fruiſci poſſet ſalvus & fortunatus. Pacto ſic inito & utrinque confirmatô, Goffredus brevi Monachorum celeberrimus evaſit per omnem Galliam, doctrinâ & vitæ ſanctimoniâ eximius, Moniales etiam aliasque fœmellas plurimas, variis præſtigiis ac incantamentis deceptas ac faſcinatas, paſſim ad voluntatem habuit Magus inſignis; donec tandem juſto DEI judicio, manifeſtata vafritie, hypocriſi & impietate ſumma, impoſtorum Princeps anno 1611. ſacris exutus atque depoſitus, brachio ſeculari traditus, vivusque combuſtus eſt. Zeil. Trag. pag. 59. 79. pl. confer Gramond. hiſt. Gall. lib. 1. 22. Waldſchmiden Zauberpred. 56.

Tragicis his, lepidam addimus hiſtoriam, qua vanitas *auxilii, ab imaginibus expectati*, patére quaſi ad oculum poteſt. Cùm anno 1611. Suecicus Dux Jacobus de la Gardie, magnam expugnaſſet *Novogardiam*, orto incendio quidam Ruſſus imagunculam Nicolai admovit igni, expetens & expectans flammarum extinctionem; qui, videns fruſtrà expectari à mortuo, & à re nihili opem, ipſam tandem imaginem igne abſumi fecit, additis verbis: Si nos non vis juvare, teipſum extinguendo juva. Ex Oleario refert, Michaël Siricius D. in diſquiſ. de Relig. Moſcovit. pag. 51. In iſta expeditione bellica, quod mireris, *ſex millia* Suecorum ingentem urbem, in qua

amplius 100000. Ruſſorum, aperta oppugnatione ceperunt. Horn. orb. Imp. 384.

Mortem oppetiére hoc anno *Fridericus Taubmannus*, Profeſſor Wittebergenſis, doctiſſimus Vir, Poëta ut feliciſſimus, ita feſtiviſſimus, cujus jucunda & erudita poëmata paſſim nota: *Conradus Rittershuſius*, Juriſconſultus & Philologus Altorffinus celebris: *Rudolphus Goclenius*, Philoſopho-Theologus, Profeſſor Marpurgenſis Calvinianus, tractatu problematum Logicorum, & aliis clarus. Matthias, Model, & Calviſius conferantur.

In opere quodam hiſtorico, multis eruditis commendatiſſimo, hisce additur: „ *Jacobus Auguſtus Thuanus*, natione Gallus, genere, „ ingenio & literis Vir verè magnus & nobilis, qui libris CXXX. „ ſuæ ætatis hiſtoriam ſummo judicio, ſummaque fide, prudentiſſimè conſcripſerit; opus & ſtyli elegantia, & graviſſimarum rerum „ copia ac Majeſtate, cum quibusvis ſive veterum ſive recentium „ in eo genere ſcriptis conferendum. Sed, ut hæc omnia cenſentur eſſe vera, ſic *error* ineſt ratione temporis & anni, cùm laudatus Vir, communiter aliàs non anno 1611. verùm 1617. obiiſſe dicatur; eò proin reſervamus plura.

Finis Libri Primi.

LIBER

LIBER SECUNDUS,

Continens Memorabilia Eccleſiaſtica, quæ contigerunt ab exceſſu RUDOLPHI, ſub Imperio MATTHIÆ; nimirum ab anno duodecimo, ad nonum ſupra decimum.

CAPUT PRIMUM.

Summaria.

Status Evangelicorum Colonienſium, inde à temporibus Gebhardi recenſitus.

Colonienſium Evangelicorum nova ſedes Mülhemium translata.

Novæ Scholæ Rintelenſis conſtitutio.

Stephani Gerlachii obitus.

Tubingenſium Theologorum Acta per Gerlachium, cum Patriarcha Conſtantinopolitano, Jeremia.

Græcorum, cum Eccleſiis Auguſtanæ Confeſſionis Conſenſus.

Eorundem in nonnullis diſſenſus.

Spes Haſenrefferi, de fructu Actorum illorum cum Græcis.

Dannhaweri votum.

FAta purioris Eccleſiæ hactenus duriuſcula; duriora jam ſequuntur, poſtquam cum Rudolpho, pacifico Imperatore, defuncto, Germaniæ pax obiit quoque & ſepulta fuit, ut Hornius loquitur in orbe Politico. pag. 316.

Id quod præ aliis experti *cives Agrippino-Colonienſes Evangelici*, denuò ſacrorum ſuorum libertate tàm extra quàm intra civitatem penitus privati, ob cauſam non cauſam graviter pecuniâ multati, quin imò *Civitate* furenter *ejecti*, atque adeò magis magisque *plurimis injuriis variè jactati ampliùs triginta annis*, quibus auſterum ſemper habuére Senatum. Sanè an. 1581. Coloniæ *pars Civium* fermè *tertia* Evangelicæ religioni addicta erat, propterea petens à Senatu liberum illius exercitium: qui ad *Gebhardum* Archi-Epiſcopum & Electorem, cujus lib. 1. cap. 2. mentionem fecimus eos miſit. Ergò cives Electorem Archi-Præſulem adeuntes, non tantùm facilè,

ut in tribus templis doctrinam A. C. publicè profiteri liceret, ſed inſuper mandatum ſive decretum, ne Senatus hos impediret, obtinuerunt. Verùm Senatus, qui nunquam illos quicquam obtenturos putârat, ſpe fruſtratus rem ad Imperatorem & Capitulum priùs referendam eſſe prætexuit; multosque cives, audientes Evangelicas conciones in carcerem conjecit, & pecuniâ multavit. Hi, ſeſe perſpicientes eludi, Principibus Aug. C. maturè ſupplicârunt. Intereà Gebhardus quidem Truchſeſſius à Waldpurg, ſubditis ſuis exercitium religionis liberum publico edicto permiſit; Sed ilicò Pontifex R. Imperator, & alii Principes Papani, Senatusque Colonienſis apud Capitulum de alio Antiſtite Sacrorum eligendo inſtiterunt. Et, quamvis Ordines A. C. pro Gebhardo apud Capitulum (per Miniſtros) intercederent, hi tamen re infectâ domum rediére. Cæſar autem, per Commiſſarios ArchiEpiſcopum hortabatur, ut vel Pontificiam religionem teneret, vel Bonis Eccleſiaſticis cederet. Ipſe Gregorius XIII. Papa, eundem per literas ab inſtituto avocavit; ſed cognitô, Epiſcopum cum Agnete, Comitis Georgii Mansfeldenſis filia, Bonnæ matrimonium, contra Papalis Eccleſiæ dogmata, celebrâſſe, omnemque animum ad Eccleſiam Romano-Catholicam redeundi exuiſſe; illum tanquam hæreticum, perjurum, omnibusque ſceleribus inquinatum, dignitate infulata privavit, ſuffecto in ejus locum Erneſto, Duce Bavarico: Inde orti aliquot conflictus inter Papanos ac Antipapanos; At, quùm in caſſum ab his laboraretur, Gebhardus tandem in Hollandiam ad Auraicum Principem confugit. Ab iſto tempore ad hunc usque annum, & porrò, Capitulares ac Senatores loci non deſierunt, Evangelicos plurimis vexare contumeliis injuriisque, ac modo quolibet, donec opprimerentur, premere. Adhuc etiam inter *gravamina Proteſtantium* nondum diſcuſſa habetur: *Coloniæ impeditum Religionis exercitium*. Burgoldenſ. Notit. rerum Illuſtr. Imp. Rom. German. A. 58. Oſiand. Cent. XVI. 948. 952. ſeqq.

Anno 1612. Principes Juliacenſes, *Evangelicis* qui Coloniâ diſceſſerant, ſedem paraturi commodam, *Mülhemium* ſui territorii locum, vix altero lapide ab Ubiis diſtantem, in urbem mutârunt, ac benè munitam amplis ditarunt privilegiis. *Templum* quoque pro exercenda religione ſpatioſum ſatis & ſpecioſum extruere cœperunt, cujus fundamentum Ducis Neoburgici filius poſuit. Colonienſes autem in contrarium proteſtati, queritatique in aula Cæſaris, poſt

bien-

biennium & quod excurrit, mandatum inhibitorium obtinuêre, tandem totius operis deſtructivum. Arthus in Merc. Tom. 9. lib. 2. Calviſ. 967.

Eodem tempore *Erneſtus, Comes Schaumburgicus*, qui primus è familia titulum Principis obtinuerat, *Illuſtrem Scholam Rinthelii* (in Weſtphalia) conſtituit, auctam poſt decennium & jure Univerſitatis donatam. Confer Horn. orb. polit. 292. & Strateman. Theatr. hiſt. 1117.

Ad meliorem intereà vitam abiit *Stephanus Gerlachius*, Knittlingâ Wirtembergicus; olim per integrum ferè ſexennium Legati Romano-Cæſarei, Davidis Ungnadii ad aulam Turcicam (Selymi II. & Achmetis III.) ſacer Achates; homo, quô tum temporis nec facilè prudentior, nec etiam doctior inter ſtudioſos juvenes Tubingæ reperiri potuiſſet; poſteà cùm ex peregrinatione rediiſſet in patriam, ſub finem anni 1578. SS. Theol. Doctor publica ſolennitate renunciatus eſt, Profeſſor deinde, Superintendens Theologici Stipendii, tandem Eccleſiæ Tubingenſis Præpoſitus, & Academiæ Pro-Cancellarius; „ Inſignis vir Eruditionis, quo iſta ætate (D. Hafenrefferi „ judicio) nullus vixit, admirandæ profunditatis ratione in ſcrutan„ dis ac evolvendis Scripturæ S. ſummis myſteriis, aut ſuperior, aut „ eidem comparandus; iis maximè, quæ circa perſonam Chriſti, „ & Prædeſtinationis articulum contra Calvinianos, Eſavitas, & Hu„ berianos verſantur: Unde in Theologicis plurimum profeciſſe pu„ tandus eſt, quem Gerlachiana ſcripta plurimum delectaverint; in quorum numero extant Aſſertio Majeſtatis J. C. contra Buſæum, diſputationes variæ, & Commentarii ſuper epiſtolas Paulinas. vid. Jubil. 2. Academ. Tub. pag. 102. & orat. fun. in ob. Gerl. 1. 51. p'.

Dum *Conſtantinopoli* hæſit Gerlachius noſter, debito ſuo neutiquam ſatisfeciſſe arbitratus eſt, quod ſumma fidelitate ac diligentia, Eccleſiaſtico ſuo munere in aula Cæſarei oratoris fungeretur; ſed occaſione divinitùs oblata ſic utendum piè credidit, ut quacunque ratione in *Græcorum Eccleſia* major doctrinæ cœleſtis puritas & lux accenderetur, ad poſteritatem propaganda. Idcircò non tantùm cum Patriarcha, aliisque Myſtis & Metropolitis præcipuis multoties converſatus & collocutus eſt; verùm etiam Theologis Tubingenſibus autor ac ſuaſor fuit, ut *Auguſtanam Confeſſionem græcè verſam* transmitterent ſummo ſacrorum Antiſtiti Græcanico, deque graviſſimis fidei articulis epiſtolas cum illo commutarent. Exhibita

ta confeſſio cum *Epiſtola D. Jacobi Andreæ*, & *Martini Cruſii*, propriâ Gerlachii manu, JEREMIÆ, qui cognomento *Tranus*, aliàs etiam *Lariſſæus*, dicebatur, die 25. Maji an. 1575. cum petitione, ut ſapiens & pium de illa judicium ac reſponſum dare, Tubingenſes non dedignetur Archi-Præſul. Scriptum humaniſſimè exceptum, is avidè legit, Symmyſtis fraternè communicavit, & anno demum ſuccedente prolixiùs ad ſingula capita reſpondit, potiora quidem liberrimè approbans, at viciſſim nonnulla modeſtè impugnans; Etenim in principio ſtatim, quæ de Trinitatis Myſterio Auguſtana tradit Confeſſio, rectè ſe habere, ac piè aſſeri, affirmavit, excipiens tamen, quod Nicæna Synodus, aliæque ſtatuant: Spiritum S. ſcil. à Patre (ſolo) procedere. Huic reſponſo cùm Tubingenſes aliud ſubjungerent, & ſolutis Græcorum argumentis, præcipuè de Spiritûs S. proceſſione æterna, theſin Occidentalium ſ. Latinorum aliquantò fuſiùs probarent; anſam Patriarchæ præbuerunt, alterum adornandi reſponſum, cujus initiô controverſam de Sp. S. proceſſione quæſtionem, utpote primariam, aggreſſus, Græcorum ſententiam confirmare, & Latinorum argumenta ſolvere ac refutare, perquàm ſtrenuè laboravit; quæ geſta ſunt anno 1579. menſe quinto. Secundo huic reſponſo, ſecundum oppoſuére Tubingenſes, rati & optantes diuturnum iſthoc inter Latinas & Græcas Eccleſias diſſidium, ſalva veritate doctrinæ, tandem componi poſſe. Argumenta ibi à Tubingenſibus allata, haud intacta reliquit in tertio ſuo reſponſo Patriarcha; ſed cùm diſputationis hujus tædium obrepſiſſet, toties iteratis contradictionibus expugnatâ patientiâ, indignabundus in duriora quædam erupit verba: Tubingenſes nihil territi, reſponſum Patriarchæ tertium, tertiô compenſare, ſignificantes (quod Græcorum tamen pace dictum vellent) ipſis hactenus non ſolidè ſatisfactum. Iſta verò cùm non ſufficere, & capita fidei Lutheranæ, in Auguſtana Confeſſione juſtô breviùs *D. Jacobo Heerbrando* poſita viderentur, integrum Syſtema theologicum latina lingua ab ipſo conſcriptum, & in Græcam operâ Cruſii converſum, JEREMIÆ obtulit. Hic mole territus, otium perlegendi & perpendendi temporis anguſtiam negare queſtus, itinera, aliasque occupationes prætendit, reſponſum tamen commodo tempore ſequuturum promittens; At brevi pôſt ab adverſariis de ſede Patriarchali deturbatus, & Conſtantinopoli expulſus in Rhodum, iſtud negotium, ac reciprocatum

per

per literas Colloquium, abrupit. Gerlach. in Itinerar. pag. 94. 193. 198. p!. Hilar. ad Chron. Cyprii, 421. ſeqq.

Interim patuit ex memoratis Patriarchæ Conſtantinopolitani ſcriptis, *Græcos cum Auguſtanæ Confeſſionis hominibus confiteri* Deum eſſentiâ unum, perſonis trinum: Eos totum Apoſtolicum Symbolum unanimiter amplecti, tanquam Chriſtianæ religionis genuinam epitomen: Doctrinæ de originali peccato, ſeu communi hominum labe congenita (poſt Adami lapſum) ſubſcribere: Chriſtum Theantropon, docere, pro hoc & omnibus aliis inde reſultantibus, paſſione & morte ſua ſuperabundanter ſatisfeciſſe: Agnoſcere & venerari Miniſterium verbi & Sacramentorum, ejusque efficaciam non à dignitate aut qualitate perſonarum, ſed à verbi & Sacramentorum rectè adminiſtratorum veritate ac virtute ſuſpendere: Sanctam Dei Eccleſiam fateri, in his terris exiſtere, ad finem usque mundi perpetuò manſuram, impiis tamen & hypocritis mixtam: Baptiſmum infantibus applicandum, ceu medium regenerationis ac renovationis in Spir. S., credere; verum item corpus & ſanguinem J. C. verè in Evchariſtiæ Sacramento diſtribui, cujus adminiſtratio ſub utraque fieri debeat: Confeſſionem, quam vocamus privatam, retinere, non contentos tamen generaliſſimâ quâdam, ſpecialiorem peccatorum, quorum recordari quis poſſit, enumerationem urgere, niſi obſtent oblivio & verecundia: Pœnitentiam peccatoribus commendare, ceu planam ad veniam delictorum viam, nihil prohibentibus iteratis etiam lapſibus: Ordinem Eccleſiaſticum ſervare, ac neminem niſi ritè vocatum, ad publicam Verbi prædicationem & Sacramentorum adminiſtrationem admittere: Conjugium Sacerdotibus permittere ſuo modo, ſed rerum politicarum tractationem interdicere: Magiſtratui civili obedientiam, in quantum per conſcientiam licet, exhibere ſemper paratam: Chriſtum in conſummatione ſeculi venturum, ad judicandum vivos atque demortuos exſpectare, daturum piis præmia æternùm duratura, impiis autem ſupplicia nunquam finienda: Proptereàque tandem ſtudium bonorum operum in cœlum usque ſuis laudibus attollere. Geilfus. in orat. anno 1618. habita de Eccleſiarum Statu in toto terrarum orbe, pag. 6. 7. Hieron Kromajer. Scrut. relig. de Anatoliciſmo pag. 263. ſeqq.

Attamen, ut his ipſis nonnulla involverunt, Orthodoxiæ Lutheranæ minùs conformia, Græci; Sic *in aliis ab Auguſtanæ Confeſſionis doctrina plus nimiò diſtare*, negari à nemine potuit. Præprimis in arti-

articulo de Spiritûs S. proceſſione à ſolo Patre, quantum ad iſtam emanationem ſpectat æternam, Filio penitùs excluſo: De Juſtificatione hominis coram DEO, cui opera immiſcent, fidei adjungentes à latere ſpem & charitatem: De Sacramentis Eccleſiæ, præter illa duo à Chriſto inſtituta, quinque adhuc alia ſub eodem nomine venditantes, tanquam ab Eccleſia (Chriſti Sponſa) in perpetuum commendata, per quæ Spir. S efficaciter etiam operetur: De libero hominis arbitrio, cui plus juſtô tribuunt, commixtionem docentes Gratiæ Divinæ convertentis cum viribus humanis, poſt lapſum ſive in ſtatu deſtituto reliquis: Porrò, de cultu Sanctorum in cœlis, quos ut interceſſores & Mediatores viventium in terris, devotè venerantur, præcipuè Mariam Chriſti matrem, & cum ea choros B. Angelorum, Patrum, Prophetarum, Apoſtolorum ac Martyrum, confidenter eos invocantes, quin etiam Imagines eorum ſæpenumero exoſculantes, coram ipſis procumbentes, omnemque ſuam neceſſitatem fixô illarum intuitu exponentes. Statum vitæ Monaſticæ, quem ceu Angelicam converſationem dilaudant ac propugnant, ſilentiô lubens hîc prætereo. confer J. H. Urſin. Ratisbon. in tract. vom Unterſchied der Religionen/ pag. 51. ſeq. Hilar. ad Chron. Cyprii 1424. & ſeq. ubi Cellerfeldenſis Scholæ Rector inclytus, rerumque græcarum ſtudioſiſſimus, memorat, Conſtantinopoli *Auguſtanam Confeſſionem à Gerlachio exhibitam fuiſſe, poſt Patriarcham*, Berrhoënſi quoque Metropolitæ, *Metrophani*, Patriarchæ vicario; ut & *Gabrieli Severo*; qui poſteà factus quidem Philadelphiæ Metropolita, ſed locum illum ob res acciſas rurſus relinquens atque Græciâ excedens, Venetias ſe contulerit, ac ibi Græcorum ad S Georgium Eccleſiæ quàm diutiſſimè inſervierit: Nec minùs hierodiacono, *Simeoni Cabaſilæ*, homini, propter ſtudia Patavii verſato: Theodoſio itidem Zygomalæ, ArchiPræſulis Protonotario: Demum quoque *Michaëli Cantacuzeno*; qui ſibi transferendam in vulgarem linguam curarit, & in patriam Anchialum (Ponti urbem) ſecum aſportarit. Ab ipſo autem Imperatoris R. Legato, exemplar ejusdem Confeſſionis donatum eſſe *Georgianorum Principi*, qui in Ibericam linguam juſſerit verti, ſecumque in regiones iſtas tulerit. Confer. an. 1601. cap. 1.

Quamvis autem concepta ſpes Tubiorum illâ ætate deſideratum finem ſortita non ſit, Græcis orthodoxiam quidem in plerisque probantibus, at fermenti ſui tenacibus; haud ineptè tamen *au-*

guratus

gurat eſt parentator Gerlachianus, D. *Matthias Haſenrefferus:* „ Si „ ſcripta Wirtembergenſium Conſtantinopolin miſſa, ad poſterita„ tem conſervata fuerint, Domino benedicente, in Eccleſiis Græcis „ procul dubio commodi & utilitatis plurimum eſſe habitura. Id quod inter alia noſtro hoc ſeculo XVII. probatum dedit exemplum *Zachariæ Gergani*, Epiſcopi Artenſis in Peloponneſo, qui à multis ſcribitur per omnia Lutheranis conſenſiſſe dogmatibus; Autor Catecheſeos, à Matthæo Caryophylo Sympatriota Pontificio impugnatæ; Vulgator Novi Teſtamenti Græci, ejus cura ſumptibusque propriis, formâ quarta Wittenbergæ impreſſi. Nec dubitamus, quandoquidem publica profeſſio tuta non eſt apud obſtinatos Græcorum Antiſtites, ejusmodi Nicodemos clanculùm veritati & puritati doctrinæ addictos plures fuiſſe, & eſſe, nec in poſterum defuturos in Oriente. Orat. fun. Gerl. pag. 29. Elias Vejel. Exercitat. de Eccleſ. Gr. 4. Hilarii ep. annex. orat. Joh. Olearii Lipſ. de fruſtra jactato Reformatorum cum Gr. conſenſ. pag. 36.

Concludimus hanc materiam pio *D. Dannhaueri voto*, in Dedicatione Hodomoriæ Spiritus Papæi * ult. „ Excitet porrò DEUS „ Theologos, ut pergant, ubi olim deſiére Tubingenſes, qui ad Je„ remiam Patriarcham orientalem Conſtantinopolin usque Augu„ ſtanam Confeſſionem & Heerbrandi Compendium Theologicum Græco idiomate expreſſa transferri curârunt, non (ut poſteâ virulen„ tiſſimi Ariſtarchi Stanislai Socolovii, Polonici Theologi, calumnia „ in vulgus ſparſit) quaſi vellent in ſubſidium ſuarum partium evo„ care militem extraneum, poſtquam in Occidente ſchiſma patrâſ„ ſent; Sed ut abſtergerent convitium novitatis in Orientem per „ Sycophantas effuſum, atque ſemina, quæ Stephanus Gerlachius „ jeciſſet purioris fidei, ad incrementa perducerent. Confer Hornbek. S. C. de Græcis, pag. 979. Vejel. Ulmenſ. defenſ. Exercitat. de Eccleſ. Gr. contra Allat. 88. ſeq.

LIB. II. CAP. II.

Summaria.

Neubaweri diſcurſus, de Religione Lutheranorum in Bohemia, Lojolicus.

Ignatianorum ſors in Belgio fœderato; Reformatorum in Hiſpanico.

Edictum Senatus Veneti, adverſus Jeſuitas, Juventutis Informatores.

Academiæ Pariſienſis Rector, in eosdem Acer.
Edmundi Richerii, adverſus Papæ R. Monarchicam poteſtatem diſputatio.
Abbas Boſius, Concionator de autoritate P. R. vapulans.
Magnus Papicolarum numerus in Anglia.
Paulus V. Oratorium Ph. Nerii approbat.
In Japonia, perſecutio Chriſtianorum exardet.

Circa annum 1612. cùm in Bohemia Comes quidam Leiningenſis ad Romanam Thaidem amplectendam exoſculandamque alliceretur, *Andreas Neubaur*, ex Lojolitica Sodaliate Concionator Germanus, in illius gratiam decem peculiares *de controverſiis fidei ſermones* ſtylo Pontificio inſtructos, pro ſuggeſtu habuit. Quos cùm abſolviſſet, ac delatus eſſet ad explicationem Evangelii *de contemptoribus Cœnæ magnæ & opiparæ*, talem fecit applicationem: „ Sic eheu! „ plurimi adhuc dantur, qui ad communionem honorum ac bo„ norum Eccleſiæ Catholicæ invitati, ob varias & frivolas excuſatio„ nes comparere nolunt, inter alia prætendentes: Affatim ſibi ſatis„ fieri ad animæ delectationem in Eccleſia & communione Luthe„ rana; nec religionem Evangelicam pro mala aut contemptibili ha„ bendam eſſe, quam Rex & Imperator per literas, ut vocant, Ma„ jeſtaticas, immunitatibus, privilegiis, ac juribus ampliſſimis do„ narit, ornaritque. At aliud eſt, reſpondit Eſavita, hoc vel illud in„ dulgere ac permittere, aliud approbare & jubere; Non omnia ad„ dens, quæ permittat indulgeatque Rex ac Imperator, ſtatim recta „ & bona eſſe, ſed quæ probet ac jubeat. Majeſtaticæ illæ, P. An„ dreas pergit, literæ, ut pro Evangelicis & eorum religione inſtrue„ rentur atque publicarentur, certè nunquam Regia Cæſareaque „ Majeſtas approbavit animo, aut juſſit, ſed permiſit ac indulſit, no„ lens volens, ad avertenda ſeu præcavenda ſanguinaria bella, alia„ que mala præſentiſſima, Regni forſan deſtructiva. Rem, inquit, „ exemplô declarare placet: Pragæ, in Regni hujus metropoli, pro„ ſtrati pudoris meretricibus permittitur, ſua ut habeant lupanaria, „ ad explendas libidines & fornicationes, quò pudicitiæ honeſtarum „ fœminarum caveatur de ſecuritate; Nunquam autem Rex & Im„ perator, fœdas illas actiones, & nefandas pollutiones, quamvis „ conceſſione privilegiorum liberas, nunquam dico, probavit ac pa„ trare juſſit. Concludo igitur, Evangelicos non magis ob conceſſa „ privilegia per literas Majeſtaticas in Bohemia, ut & per ſanctio„ nes pragmaticas in Germania, utrinque haſtis & bombardis ex-

„ tortas, de bonitate religionis & Eccleſiaſticæ communionis Lu-„ theranæ gloriari poſſe ac debere, quàm de vitæ ſuæ & converſa-„ tionis rectitudine, ob data privilegia, Pragenſes Meretrices glo-„ riari poſſint ac debeant. Ex Apologia Stat. Bohem. Evangel. 2. allegation. Num. 45. Vorred Lyſer. Pred. zu Prag gehalten/ pag. 4 ſeqq. Decuman. Widerl. 374.

Infauſtum & gravem hunc annum ſibi *Societas Eſavitica* habuit, non tantùm in Belgio Statuum fœderatorum, ſed etiam in Gallia, ipſaque Italia. *Hollandi* enim ſeverè ſuis interdixére ſubditis, ne ſtipendia iſtius generis hominibus conferrent, nec ſcholas habere paterentur, aut Miſſas celebrare ullo in loco. Sed *Belgii Hiſpanici Proceres* viciſſim Reformatæ Religionis homines duriùs, quàm anteà tractarunt, eos ultra quatuordecim dies in ſuis ditionibus non ampliùs ferentes. Calviſ. 967. Chronol. & Arthus in Mercur. Tom. 9. lib. 2. pl.

Senatus autem *Venetus* publico cavit *edicto*, „ ne quis Jeſuitarum „ informationi ſuos liberos committeret; Cùm inter omnes Mona-„ chorum familias, illorum Societatem longè peſtilentiſſimam eſſe, „ jam diu Orbi Chriſtiano innotuerit: Illos enim imprimis non ru-„ dem duntaxat plebeculam ſæpiùs ac miſerè paſſim ſeducere, ſed „ magni quoque nominis viris turpiter imponere, teneramque ju-„ ventutem eorum fidei & curæ commiſſam fœdiſſimè corrumpere. Joh. Val. Andr. Epit. H. E. pag. 417. Joach. Urſin. Præfat. Floſculorum blaſphem. Jeſuit. A 2.

Academiæ Pariſienſis Rector, in oratione ad Regem & Reginam *contra Lojolitas* inter alia ſcitè: „ Similem eſſe, dixit, Societatem „ iſtam pennis aquilarum, quæ ſenſim eas atterunt, cum quibus in-„ cluſæ & reconditæ; vel, fluviis, qui Inſulas complecti, iisque ab-„ blandiri videntur, eas tamen paulatim comminuunt ac perdunt: „ Specioſum Societatis JESU nomen, & boni publici pondus ac „ momentum in eorum verbis ſonare, ſed per ipſos jam licere ſub-„ ditis jugum excutere; Senatus conſultis, imò Regiis etiam reſcri-„ ptis, illudere; imperitæ multitudinis oculos eludere; veteres Aca-„ demias pervertere; de patribus miracula comminiſci; paſſim con-„ ſcribere Martyres; Decreta Sorbonica non habere ludibrio tan-„ tùm, ſed & contumeliis proſequi; licere denique omnia peſſunda-„ re: Quæſtuoſum *gratis* perſonando, juventutem ab Academia ab-„ duxiſſe: Cur tantus eos Gallicanæ juventutis pruritus agitet, cur

„ ovis gallicanis tàm pertinaciter incubent, cauſam non eſſe aliam, „ quàm ut Gallorum locô milvos aut vultures excludant. Ad actionem hanc inſtituta deliberatione, pronunciatum tandem in Parlamento pro Academia fuit: Jeſuitas debere à munere docendi ac inſtituendi juventutem planè abſtinere, nec adverſus Academica privilegia quidquam in poſterum tentare. Ex relatione Arth. tom. 9. Mercur. lib. 2. conf. Lanſ. Conſult. p. 4. 385.

Edmundus Richerius, celebris Doctor Sorbonicus in Gallia, t. t. acriter *adverſus Papæ Romanenſis poteſtatem Monarchicam* diſputavit, ſcripſitque, docendo: „ Nunquam à Chriſto Eccleſiæ in his terris „ tale datum viſibile Caput, quo deſpoticè regeretur ea, ſed ab ipſo „ Chriſto per presbyteros & Epiſcopos, verbi atque Sacramento„ rum adminiſtratores, adeòque Ariſtocraticè dirigi & gubernari; „ Pontificis primatum & jurisdictionem, quam ſibi vendicet in Ec„ cleſiam univerſam, ac in ipſa mundi Regna, firmiter probari nun„ quam poſſe. Sed remotus ab officio Richerius (urgente potiſſimum Cardinali Perronio, ArchiEpiſcopo Senonenſi) illiusque doctrina, ne ſerperet latiùs, & fortè vires acquireret, brevi ſuppreſſa eſt. J. V. Andr. Ep. H. E. 417. Joh. Croc. in vind. AntiBec. a. 641.

Per idem tempus tradunt *Abbatem Boſium*, Gallum, Romam à Regina, ſpecie legationis miſſum, & mox decretô Papæ, juſſuque Inquiſitionis *captum*, ac detentum in arce Hadrianâ, donec poſt longum tempus extingueretur. Sæpè è ſuggeſtu Lutetiæ de Pontificis autoritate audaciùs verba fecit, plerisque congeſtis de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, quæ Nuntius Apoſtolicus (ſcilicet) ægrè tulit, & Roma ſine mora ulciſci voluit. An fuerint in conſilio Regis arctiore, qui ſpecie legationis illuderent viro, nec ne, incertum: Utcunque ſe res habuerit, captus Abbas, poſtquam in carcere diu pœnitentiam egerat, venenatâ (ut creditum) potione interemptus. Grammond. lib. 1. hiſtor. Gall. 31.

Non obſtantibus multoties iteratis prohibitionibus, & mandatis de non exercenda religione Pontificia, hoc tamen anno *bis centena millia Papicolarum in Angliæ Regno ſub Jacobo primo*, numerata fuiſſe, Julius Cæſar Bulengerus refert, apud Zeillerum tom. 2. Epiſtol. 899.

Interà Paulus V. ut ſuperiori anno Congregationem, quæ Jeſu nomen gerit in Gallia, à Cardinali Berullo fundatam, confirmavit; ita hoc anno *Oratorium*, Congregationem aliam, à *Philippo Nerio*, Flo-

Florentino, Romæ inſtitutam, & anno 1575. à Gregorio XIII. ratihabitam, approbavit. Eſtque celebrior iſta Congregatio, quod hinc *Baronius* inter alios prodiit. Hofm. Lex. B. 63.

In *Japonia*, eadem tempeſtate *perſecutio Chriſtianorum* vehementiſſimè exarſit, aucta denuò ſuſpicione contra Hiſpanos, ob dilatatum in Inſulis Moluccis Imperium, temeritatemque Navarchi cujusdam, qui littora & portus Japoniæ, jactâ bolide palàm exploraverat. Multum quoque nocuit Apoſtaſia *Protaſii*, Regis Arimæ, ejusque filii Michaëlis, qui ita ſævierunt, ut nec neceſſariis aut fratribus parcerent. Ejecti ſunt ex aula Induperatoris proceres Chriſtiani, viri fœminæque, & multa Conſtantiæ exempla etiam à pueris puellisque edita fuerunt; Inſtituta præſertim Nagaſanqui numeroſa Societate, ſive ut loquuntur, *fraternitate*, certis legibus, quibus ſe ad tolerandum, religionis cauſa, mortem, adſtringebant. Act. Lipſ. Erud. anno 1690. 241.

LIB. II. CAP. III.

Summaria.

Ultrajectini Ordines, de Prædeſtinatione Decretum Arminianis favorabile condunt.

Et hoc ipſo Arminianorum Tolerantiam ſtabiliunt.

Leidenſes, Epiſcopium ad Profeſſionem Theologicam vocant.

Anhaltini, Wendelinum Gymnaſio Serveſtano præficiunt.

Epiſcopi Scoticani, pacem turbare incipiunt.

Menſo Altingus; Et, Valentin Schonerus, vivis excedunt.

ANno 1612. menſ. Aug. *Provinciæ Ultrajectinæ Ordines* de legitima ſuas Eccleſias gubernandi forma (qua hactenus caruerat) conſilia inivére, & inter alios *Canones Eccleſiaſticos* etiam hunc eſſe voluerunt, quô controverſiis iſtius temporis limes ac modus figeretur: „ Dabunt Paſtores operam, ut in fundamentis fidei ſternendis, „ utantur verbis ac formulis loquendi è S. Scriptura depromptis, „ exemplar habentes ſanorum ſermonum, quos ab Apoſtolis didi- „ cerunt; rejicientes quoque ſublimes profundasque ſpeculationes „ & inutiles diſputationes, quæſtionesque omnes ſtultas ac minimè „ ad erudiendum comparatas, utpote qui ſciant, eas gignere pu- „ gnas, non autem ædificare in fide; ſemper hoc reputantes, man-

„ dati finem eſſe Charitatem ex puro corde, conſcientia bona, & „ fide neutiquam ſimulata. Cùmque hodie multæ ac variæ oriantur „ diſputationes & intricatæ quæſtiones de quibusdam Scripturæ S. „ locis, agentibus de æterna DEI Prædeſtinatione, & capitibus ex „ ea dependentibus; noſtri verò muneris ſit proſpicere, ne D. D. „ Provinciæ ob eas trahantur in contentiones, ex quibus poſteà in „ Eccleſiis diſſidia oriri poſſint; judicavimus, utile eſſe & conveni- „ ens, ut in hoc negotio quilibet etiam atque etiam attendat admo- „ nitioni B. Apoſtoli, qui nos vult, non ſapere ſupra quàm oportet „ ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Proinde volumus, ut in tra- „ ctandis hiſce materiis ea adhibeatur moderatio, ne cui detur oc- „ caſio jure ſuſpicandi, aliquid noſtris in Eccleſiis doceri, ex quo „ ſequi poſſit, Hominem ullum à DEO creatum ad condemnatio- „ nem; aut, hominem ad peccandum neceſſitate aliqua extrinſeca „ alligari; aut, invitari quenquam ad ſalutem à DEO, cui tamen ipſe „ eam non dare, abſolutè decreverit; aut, facere aliquid Deum, quod „ ullam habeat ſpeciem injuſtitiæ. Hæc enim ad DEI infamiam, & „ blaſphemiam Chriſtianæ Reformationis (Religionis) ſpectarent, „ gignerentque in aliis quidem ſecuritatem, in aliis verò deſpera- „ tionem, &c. Quemadmodum etiam vetamus, ne iis, qui in hoc „ argumento non audent altiùs contendere, quàm ut dicant: *Deum* „ *ab æterno, ſecundum ſuum beneplacitum, Chriſto Domino noſtro nixum* „ *fultumque, ad ſalutem æternam elegiſſe & ordinaſſe omnes ac ſingulos per* „ *gratiam ipſius, nullo ſuo meritô provocatam, in eundem Jeſum Chriſtum* „ *credituros, & in ea fide usque ad finem perſeveraturos; contrà verò ad* „ *exitium deſtinaſſe ac rejeciſſe omnes & ſingulos gratiam ipſius ſpreturos,* „ *ſe eâ indignos præſtituros, ac in eadem infidelitate perſeveraturos,* idcircò „ vel minimum negotii faceſſatur, aut quisquam moleſtus ſit, ut „ altius quicquam doceant. Epiſtol. Remonſtr. ad epiſt. Claſſis Wa- lachrian. pag. 20. ſeq. confer. præfat. ad Acta Syn. Dordr. c. 3.

Hoc ipſo *Tolerantia* ſententiæ *Arminiano-Remonſtrantium*, quam tantoperè urgebant in Hollandia, publicè in tota Diœceſi Ultraje- ctina, primario ergodiocta *Utenbogardô*, ſtabilita fuit. Nec minùs in Geldria, Tranſiſulaniaque ſe diffudit. *Contra-Remonſtrantes* igitur denuò pro maturanda Synodo Nationali, apud Præpotentes, ut vocant, Ordines & Status Generales, per ſingularum Provinciarum delegatos, petitionem ſuam iterarunt; Interveniente autem impedimento non uno, haud impetrarunt. Vid. alleg. præced.

Auxit

Auxit ſolicitudinem & indignationem Contra-Remonſtrantium in fœderato Belgio, quòd intereà Curatores Academiæ Leidenſis, ad Profeſſionem Theologicam vocaſſent *Simonem Epiſcopium*, invito & reluctante Johanne Polyandro, Gomariſta; Cum ex eo appareret, ſtatutum ipſis eſſe, Remonſtrantium doctrinæ firmiter adhærere, eandemque latiùs ſpargere, & ad poſteros propagare. Jam enim in vulgus etiam notum erat, inter præcipuos Arminii ſectatores numerandum Simonem Epiſcopium, qui à nonnullis, genuinus Arminii diſcipulus, à quibusdam *os Remonſtrantium*, autor Confeſſionis eorum & Apologiæ, demùm ſectæ ſignifer dicebatur. Hartnak. in Contin. Micræl. H. E. 959. & ſeq. Hieron. Kromaj. Scrutin. Relig. 190. Calov. conſider. Armin. 5. ii. inque dedic. C. 2.

Sed Anhaltini Principes, Gymnaſio ſuo Servaſtiano t. t. præfecerunt Rectorem *Marcum Fridericum Wendelinum*, rigidiſſimum Calviniſtam, qui maximo conatu ſectæ ſuæ dogmata, per Amlingium in illius Principatus Eccleſias Scholasque illata, propagavit & propugnavit; quo de plura σ. Θ. alibi dicenda obvenient. vide Exercitat. vindices Wendel. contra Gerhard. dedicat. ¶¶ 4. Liebhart. Hiſtor. de Calvino-Reformatis pag. 17.

Epiſcopi Scotiæ Calviniani, ambitione Pontificiorum Epiſcoporum graves ac infelices æmuli, à Rege Jacobo primo majori autoritate, ut ſuperiùs annotavimus lib. 1. cap. LXXIII. donati, mox Regni & Eccleſiæ pacem turbare cœperunt, ignemque parare, quô poſteà ſub Carolo I. nec minùs tempore Jacobi ſecundi, in flammas ferales erumpente, magnæ Britanniæ Regnum facilè totum conflagraſſet, in triſtiſſimam deſolationem deſinens. Stratem. Theat. hiſt. 1109. Horn. orb. Imp. 337.

Hic annus vitæ finem impoſuit *Menſoni Altingo*, qui primus, Albanis temporibus, in agrum Gröningenſem Evangelii ſemen (licet non adeò purum) intuliſſe fertur; inter Myſtas Embdanos poſteà præcipuè celebris, obiit ætat. an. 72. pater *Henrici*, Profeſſoris Heidelbergenſis, deinde Gröningenſis. Hofm. Lex. univerſ. A. 90. 595. confer an. 1644.

Marpurgi verò clauſit oculos *Valentinus Schonerus*, Ziegenheimenſis, cum Georgio Schönfeldio, ejusque communionis hominibus aliis, poſt expulſos an. 1605. Auguſtanæ Confeſſionis Theologos (qui erant Henricus Leuchter, D. Superintendens, D. Johannes Winkelmannus, & Balthaſar Menzerus, Profeſſores) Eccleſiæ & Academiæ

cademiæ loci reformandus Reformator. Stratem. Theatr. hiſt. 1109. Hutter. Concord. Conc. 1456.

LIB. II. CAP. IV.

Summaria.

Camero, Catholiciſmum gratiæ divinæ aſſerit; qualem?
Tilenus, ratione collationis gratiæ, varius & mutabilis.
Wigelius, dogmata ſua longe lateque ſpargit, fanaticis communia.
Et quædam ſibi propria.
Societas Fratrum Roſeæ Crucis, innoteſcit Orbi.
Smalcius, paſſim Eccleſias Chriſtianas inficere allaborat.

Johannes Camero, in Academia Salmurienſi (quem deinceps Paulus Teſtardus, Moſes Amyraldus, Johannes Dallæus, aliique plures Hugonotarum ſecuti) Profeſſor Theologus, tum temporis, quoad *Catholiciſmum Gratiæ Divinæ* erga miſerum genus hominum, voluit equidem videri ſententiæ Lutheranorum ſubſcribere, (nimirum ut eos faciliùs in naſſam Syncretiſtico-Calvinianam pertraheret) aſſerendo: *Deum velle omnium & ſingulorum miſereri, omnes agnoſcere per Chriſtum redemptos, omnes etiam per verbum cupere vocandos ad ſalutem.* Sed quia gratiam DEI objectivam univerſalem, omnium & ſingulorum miſerendi, omnes & ſingulos redimendi, omnes & ſingulos vocandi, adſtruxit nonniſi *ſub conditione* ex parte hominum in peccatis mortuorum impræſtabili ſeu *impoſſibili:* Si ſcilicet, quicquid ejus eſt, credant; haud ſuppoſita collatione Gratiæ ſubjectivæ efficacis ac verticordiæ; certumque ſemper manſit & indubium, Cameronem ſententiam illam, ſeu centrum doctrinæ Calviniſticæ, de ſpeciali ac abſoluto decreto pro certis tantùm perſonis efficaciter ad Chriſtum vocandis & fide donandis, nunquam feciſſe Miſſam: Idcircò fumos vendidit vanus *Hypotheticus,* tàmque à ſuæ religionis doctioribus viris, quàm ab aliis, malam reportavit gratiam. gründl. Bew. Wittenberg. Theol. contra Calvin. & Rintelenſ. Syncretiſt. 279. ſeqq. Micræl. Hiſt. Eccleſ. c. 436. Joh. Meiſner. in faſcicul. diſputat. Theolog. lit. A.

Daniel Tilenus, Sileſius, Profeſſor Sedanenſis anno 1612. *Conſiderationem ſententiæ Jacobi Arminii* edidit, qua hujus dogma, de actuali collatione ſalvificæ gratiæ ſingulis hominibus applicandæ, profligavit; Et affixæ viſuntur dictæ Conſiderationi literæ ſyſtaticæ Parei ac

Scul-

Sculteti, quibus autorem dilaudant, tanquam alterum Auguſtinum, atque ſtrenuum orthodoxæ fidei vindicem. At mox Tilenus, verſâ na-i, *mutat ſententiam*, & ad Anglos profugit, edita revocatione, quam ECHO vocat; quæque conſiderationis capite undecimo, adverſus univerſalis gratiæ collationem diſputaverat, reſorbet. vid. D. Hülſeman. Tr. de auxiliis gratiæ pag. 80. confer D. Calovii Arminianis. pag. 14.

Valentinus Wigelius, fanaticus Erro, publicatis aliquot ſcriptis, ut ſunt Poſtilla, Philoſophia myſtica, captura aurea, & ejus generis alia ſimul pluſcula erronearum opinionum commenta, longè lateque ſparſit per omnem Germaniam; „ Verbi Divini literam vocans „ inutilem, quærens autem & commendans verbum internum, ſeu „ lumen naturæ connatum, ſenſumque allegoricum ex inſpiratio„ ne Spiritus S. diſcendum: Somnians, Deum ante creationem fu„ iſſe abſque hypoſtaſi, operatione & affectu; poſt creationem verò „ factum eſſentiam omnium rerum: Deum Patrem ſolum creaſſe „ hominem; ſed quia ipſi non ſucceſſerit, egiſſe cum homine per „ legem & afflictiones usque ad ſeculum Filii; in quo curam qui„ dem corporis, animæ verò nullam habeat: Filium (λόγον) ſupra An„ gelos quidem, ſed infra Patrem ſedere: Sedere à dextris, eſſe in„ carnari; Verbumque Carnem fieri, ſi homo in humilitate Chri„ ſtum pariat, ac imitatione illius ſeſe oſtendat: Chriſtum carnem „ ſuam de cœlo attuliſſe, eamque non ex Maria Virgine, ſed in illa „ duntaxat habuiſſe; quoad ſchema & mores autem hominem ex „ Adamo ſe finxiſſe, licet minimè talis fuerit; Mariam à peccato im„ munem extitiſſe; in cœlo concepiſſe; eamque non filiam Evæ, ſed „ ab æterno à Spiritu S. conceptam & creatam fuiſſe; per hanc de„ mum in tempore condita & conſummata eſſe omnia: Spiritum S. „ (de quo perambiguus eſt Fanaticus) in Veteri quidem Teſtamen„ to à Patre tantùm proceſſiſſe, in N. T. autem à Filio etiam proce„ dere: Ante creationem quamlibet creaturam bonum & malum „ habuiſſe; inprimis hominem à DEO & NIHILO conditum; Ani„ mas creari, non generari, easque nos de cœlo, non de terra nan„ ciſci; Angelos creatos eſſe, ut ſint æquales Deo, unde etiam omni„ præſentes: Corpus Adamiticum ante lapſum quidem fuiſſe quin„ tam eſſentiam Mundi; à Deo tamen ita conditum, ut in fine Mun„ di cum quatuor elementis potuiſſet reſolvi: Peccatum originale, „ tanquam in N. T. ſublatum, infantes non habere; Naturâ eos pol-

„ lere fide, & in utero matris à Sp. S. ſanctificari: Naturæ lumen in-
„ ternum in homine, bonumq; ſpirituale in eodem poſt lapſum ad-
„ huc reſiduum: Mortem, Chriſtum pro peccatis hominum non ſub-
„ iiſſe; tantùm exempli & mortificationis nomine eam proponi:
„ Chriſtum non pro nobis legem impleviſſe, ſed in nobis; intra cor-
„ da ſcilicet noſtra habitando, eam implere: Juſtitiam Chriſti impu-
„ tativam putativam eſſe; juſtitiam ac ſalutem noſtram in imitatio-
„ ne Chriſti conſiſtere: Juſtitiam noſtram, eſſe communionem noſtri
„ cum Chriſto eſſentialem, cujus inſtrumentum ſit mortificatio, fru-
„ ctus autem impletio legis, ut fiat homo Deus, ac Deus homo: Fi-
„ dem eſſe ipſum Chriſtum, vitam, obedientiam & imitationem
„ Chriſti; quæ per Miniſterium Verbi atque Sacramentorum, nec
„ ullibi accendatur, neque confirmetur: Pœnitentiam, confeſſionem,
„ orationem eſſe unum & idem; Eſſentialia verò pœnitentiæ cor
„ contritum, ac imitationem Chriſti, quæ fiat manſuetudine, humi-
„ litate, patientiâ & obedientiâ: Confeſſionem & abſolutionem pri-
„ vatam, nec neceſſariam, nec utilem; Soli Deo confitendum; quem-
„ libet autem Chriſtianum in oratione Dominica clavem ſolvendi
„ habere; aliàs nullum hominem à peccatis abſolvere poſſe: Sacra-
„ menta, quæ vocentur, & alia externa, nihil ad remiſſionem pecca-
„ torum aut ſalutis conſecutionem facere: Eccleſiam eſſe inviſibi-
„ lem, quia per totum orbem diffuſa; dilectionem proximi, notam
„ illius infallibilem: Miniſtros mediatè ab hominibus ad functiones
„ Eccleſiaſticas vocatos & miſſos, non eſſe legitimos, ac eapropter
„ non audiendos; Scholas & Academias, quotquot Romanum Im-
„ perium, imò totus mundus habeat, diaboli officinas eſſe: Magi-
„ ſtratui Politico non licere bella gerere, nec hæreticos corporalibus
„ pœnis afficere, nec facinoroſos occidere, nec tributa poſcere: Con-
„ jugium, ut communiter ſe habeat, eſſe pecuinam recreationem,
„ & honeſtam ſcortationem; Eô tantùm ad liberorum procreatio-
„ nem utendum: Aureum ſeculum Spiritûs S. ante noviſſimum
„ diem exciturum, ubi ſopitis omnium bellorum & calamitatum
„ tempeſtatibus, perpetua mille annorum ſpatiô halcyonia Eccleſiæ
„ futura ſint. Micræl. Syntag. H. E. 3. 677. D. Thumm. Impiet. Wi-
gel. præfixo errorum indice.

Hiſce delirantis ingenii portentis, tanquam communibus (maximam partem) Wigelio cum pluribus fanaticis, addit nonnemo *propria quædam Viri paradoxa*, quorum *primum*: Rerum omnium ſe-

mina,

mina, cognoſcibilium nempe, in homine eſſe, ac partem boni & mali; Idque arborem eſſe boni ac mali in paradiſo: Nullum ſcibile extrinſecus in nos inferri, in nobis latére omnia, indeque excitari. Hinc eſt illud, quod multoties inculcavit, γνῶθι σεαυτὸν, Te nôris & omnia noris. *Secundum* Tſcopenſis Enthuſiaſtæ paradoxum ſingulare fuit: Cujuslibet hominis nativitatem Planetæ ſuo ſubeſſe, à quo porrò dependeat, qualis ipſe ſit, juxta placita Aſtrologorum de Planetis, eorumque filiis. Cùmque nemo talis vel talis, qualis ex Planetis eſt, in regno cœlorum admittatur; hinc oportere hominem alium fieri in Sabbatho, animæ ſcilicet, quô de multa blateravit Wigelius. *Tertium* ejusdem paradoxum peculiare eſt: Quod cognoſcens, cum cognito idem fiat realiter, atque eſſentialiter; Mens, ait, cognoſcendo, intelligendo, tangendo, penetrat usque ad unionem eſſentialem; diſcens cum diſcendo eſſentialiter unitur, imò illud ipſum fit, quod diſcit, vel in libro legit. *Quartum* paradoxum, deliro ſeni proprium, iſtud vult: In natura & Scriptura contradictoria eſſe, & contraria, e. g. in Scriptura, Deum pœnitere, Deum non pœnitere; in Natura, album, non album; Deus, Diabolus. Illa combinari debere à noſtra mente, non per explicationes aliquas, & reſpectus, ut dicas hoc ſenſu illud, ea ratione iſtud; Sed contraria abſolutè combinanda eſſe, ſimpliciter ac promiſcuè. Chriſtus eſt A & Ω, ideòque in eo, fingebat, principium & principiatum, contrariaque omnia ſimpliciter combinanda. Hinc ad abſurditates ac blasphemias devénit, ut dixerit, imò dicere coactus fuerit: Cœlum & Infernus, Deus ac Diabolus, Chriſtus & beſtia Apocalyptica &c. idem ſunt. Hornbek. S. C. lib. 6 de Enthuſiaſtis, pag. 410.415. pl. ſeqq. confer. lib. 1. cap. XI & LXXV.

Wigelium inſecuti ſunt *Fratres Roſeæ Crucis*, à Chriſtiano Roſencreuzio, antiquo Monacho, ſuam originem repetentes, revelationes Divinas & Angelica Colloquia ſibi vendicantes, incredibilem etiam perfectionem omniumque artium & ſcientiarum notitiam jactantes exactiſſimam, inprimis Medicinæ, quam hactenus ignotam incultamque jacuiſſe dixerunt, affectati reſtauratores. Arcana illi varia maximi momenti ſe noſſe, inter quæ minimum ſit Philoſophicus Lapis, illamque notitiam per traditionem, ab antiquis Ægypti Philoſophis, Chaldæis, Magis & Gymnoſophiſtis hauſiſſe, gloriati ſunt. Calov. Syſtem. Theol. A. 354. Cluv. hiſtor. 769. Hofm. Lex. Univerſ. B. 277.

Valentinus quoque *Smalcius* Thuringa-Gothanus, cum ſuis paraſtatis in Polonia, Lithuania, Transſylvania, aliisque ditionibus & regnis, t. t. Eccleſias Chriſtianas impiis dogmatibus Neophotinianis & Socinianis, ut & iniquâ Unionis poſtulatione, vehementer turbabat, ipſamque Germaniam paſſim inficere, totis laborabat viribus. Peſtilentiſſimos ejus errores, ex occaſione Catechiſmi Raccovienſis ab eo editi anno 1608. maximam partem recenſuimus lib. 1. cap. LIV. quò brevitatis cauſa B. L. remittimus. Id ſaltem hîc addentes, πρῶτον ψεῦδος & veluti prima hæreſeos illius materia, ex qua educuntur, & in quam reſolvuntur cætera, ſit æternæ Deitatis Chriſti, & conſequenter benedictæ Trinitatis negatio. Joh. Lætus hiſt. univerſ. 713. & Balthaſ. Meiſn. in brevi conſideratione Theol. Socin. dedic. a. 3.

LIB. II. CAP. V.

Summaria.

Synodus Senonenſis, librum Anonymum de Superioritate Concilii damnat.

Smalcius in Synodo Lublinenſi, poſtulatione Unionis & Conſenſus Calvinianorum, repulſam fert.

Franzius, cum Judæo ex Propheta Daniele diſputat.

Chriſtianus, quomodo Judæum intueri debeat, non nemo docet.

Veritatem hiſtoriæ de Johanna Papiſſa, Dekerus aſſerit.

Jus Regum, pro CHRISTO, & Ludovico XII. Gall. prodit.

Huntlæus Epitomen Controverſiarum, ad elevandam Textus Ebraico-Biblici ſufficientiam & autoritatem, emittit.

Achmet Benaudula, Mahummedanus, de Religione Chriſtiana, ſenſum ſuorum ſcripto explicat.

HAbita tunc in Gallia *Synodus Pariſio-Senonenſis*, qua cenſurâ notabatur *Edmundi Richerii* (de quo an. 1611. cap. LXXIV.) divulgatus *liber Anonymus*, *de Concilii Superioritate*. Nuntium Pontificis malè habuit ſcriptum illud, ſeveriorem cenſuram urgentem; qua de cauſa conventum Clericalem ipſe inſtituit Lutetiæ, ut pro re nata deliberaretur; Sed propoſito ad Senatum Regium perlato, mox deliberationis inhibitio facta. Inde loco, non conſilio mutato, Synodus provinciæ Senonenſis coacta eſt, & Præſidente Archiepiſcopo Cardinali Perronio, Richerii libellus (tecto nomine editus) tanquam

quam continens multas damnabiles propoſitiones circa Eccleſiaſticam & Politicam poteſtatem, pro rejectaneo declaratus; At à paucis tantùm Præſulibus, autoritate propria collectis à Perronio, nulla indictione & convocatione, qualem Statuta Regni requirunt, præmiſsâ. J. A. Oſiander in Chronotax. pag. 49. Joh. Croc. in Vindicat. AntiBecan. A. 640. ſeq.

In *Synodo* Calvinianorum *Lublinenſium*, ſub jurisdictione Regis Poloniæ, *Valentinus Smalcius*, Photino-Socinianorum Anteſignanus, cum ſuæ ſectæ hominibus, *poſtulatione Unionis & Conſenſûs* multùm Synodales fatigavit; ſed repulſam tulit, præſide Franciſcô Jeſerziziô. Cùm in ſcriptis rem urgerent Sociniani, ſcriptis Reformati (ut nominari amant) reſpondentes, petita iterum rejecerunt. Belzæ, irridentes priùs habitam ibi concionem, poſtulata repetivére Smalzius & Socii; Sed *Chriſtophorus Krainſcius* ad eos verſus: „ Domini, faceſſite hinc, dicebat, ne turbetis nos; citiùs cœlum cum „ orco concordari poterit, quàm nos Evangelici vobiſcum; qui De- „ um timet, è templo exeat! Ipſeque ſtatim exibat. In pomeridiana ſeſſione cum denuò inſtarent Sociniani, nomine Synodi *Raphaël Leſcecinius* reſpondit: „ Hæc petitio, neque hujus loci, nec temporis „ eſt; concernit univerſas Reformatas Eccleſias, cum quibus vincu- „ lum nobis intercedit, inſtituendum eſſet Concilium generale; fi- „ dem à vobis diſcere, qui in vera fundati ſumus, nolumus. Tum adverſarii de Krainſcii dicto queſti, qui Deum timet è templo exeat, quaſi indignos converſatione cenſeret; ſubſumpſit autem Leszenius Comes: Ego Deum timeo, igitur abibo; ſimulque cum dicto exivit, & conſcenſo carpento diſceſſit; ſic unio denegata. Ex Læto, D. Dannhauer im reformirten Salve, pag. 25. & Myſterio Syncretiſmi detecti proſcriptique, pag. 111.

Anno 1612. verno tempore, Wittebergenſi Theologo, *Wolfgango Franzio, cum Judæo quodam* non tantùm hebraicè, ſed & latinè, & græcè, præter morem Judæorum benè doctô, *occaſionalis diſputatio* interceſſit, haud indigna, ut ſummam ejus hîc inſeramus. Chriſtianus Doctor ex Danielis nono capite diſſeruit hunc in modum: „ Si „ ante finem hebdomadum propheticarum, ſeu annorum 490. inde „ ab egreſſu ſermonis de reſtauranda urbe poſt captivitatem Baby- „ lonicam numeratorum, priùs venire, pati, ac reſurgere debuit Meſ- „ ſias, poſteàque Sacrificia Levitica & cunctas oblationes Moſaicas „ abrogare, prorſus neceſſarium & invictum eſt hoc axioma, Meſ-

„ ſiam venire debuiſſe ſtantibus adhuc, & in vigore ſuo florentibus „ ejusmodi ſacrificiis & oblationibus; At plusquam veriſſimum, fa„ cilimum, & evidentiſſimum evictu cùm ſit prius ex Prophetico „ textu, omninò poſterius etiam ita ſe habere, non aliter, neceſſe „ eſt. Jam pergo, dicebat Franzius; quoniam Levitica Sacrificia in „ templo Hieroſolymitano ſecundo & poſt captivitatem Babyloni„ cam reædificato reſtaurata, ipſis teſtibus Judæis, jam ultra annos „ mille quingentos abrogata ſunt atque ceſſârunt; utique Meſſias, „ antequam abrogari cœperunt, in mundo & in Judæa fuit ac ap„ paruit; Non enim niſi per Meſſiam, nec niſi poſt tempora paſſi „ Meſſiæ ſacrificationes aboleri & ceſſare debuerunt, &c. His à Doctore Theologo humaniſſimè prolatis, id, quod pluribus aliis, & ipſi contigit. Ad mentionem enim Danielis totus cohorruit, ex Daniele non diſputandum, ſignificans, alioquin aut phræneticum, aut hæreticum aliquem futurum. Conſcientiæ nimirum teſtimonio convincuntur hodierni apellæ, fortiſſimum illud eſſe Angeli argumentum, ad probandum exhibitionem Meſſiæ jam dudum peractam. Attamen effecit humanitate ſua cum petitione conjuncta Franzius, ne colloquium ex Daniele detrectaret Hebræus, donec tandem ad alios Prophetas, quod & ſequentibus diebus factum, deſcendere liceret. Redactus ergò fuit Chriſtiani nominis adverſarius eò, ut ad argumentum nil aliud reſpondere poſſet, quàm hoc, *fortaſſe unam hebdomadem in Daniele, centum aut mille annos denotare.* Ad hoc regeſſit Franzius: „ Velle ſe (ex hypotheſi, „ ad tempus) admittere & concedere, quòd unica hebdomas com„ plectatur 100. aut 1000. annos; interim verò petere, ſi hebdoma„ des Danielis nondum putet effluxiſſe colloquutor, ut ipſi mon„ ſtret, aut dicat, ubinam locorum hodiè Judæi ſacrificent? Cùm e„ nim Daniel expreſsè doceat, Meſſiam debere exhiberi, ante abro„ gationem ſacrificiorum poſt captivitatem Babylonicam reſtaura„ torum, utique diffiteri eum non poſſe, adhuc vigere ſacrificia, ſi „ nondum venerit Meſſias. Hujus nodi robore ſentiens ſe conſtrictum, nil aliud ſubjecit, quàm hoc, ſe non eſſe parem huic diſputationi; cùm tamen ex toto colloquio appareret, ipſum ſiſtere diſputatorem experientiſſimum. Rogatus, ut ſequentibus diebus hac de re ulterius cogitaret, reſpondit, hoc non facere Judæos, alioquin viam inire ad hæreſin atque defectionem. Franz. in Schol. ſacrif. Patriar-

triarchal. diſput. 10 theſ. 77. usque 85. Röber. in arc. triumphal. A. 1016. Dorſch. diſſert. 1. de Angel. program. A.

In more habuit laudatus Theologus, humaniſſimè cum Judæis agere, aliosque, ut ſimiliter facerent, monere. Eadem ferè mens ipſi fuit, quæ modeſtiſſimi ingenii *viro juveni Marchico*, ad quæſtionem: *Quali oculo Judæum intueri Chriſtianus conſcienter debeat?* reſpondenti: „ Gratô, ut divinæ legis bajulum; Miſericordi, ut ſpectaculum iræ „ Divinæ; benevolo, ut infenſum Chriſtiani nominis inimicum; A- „ mico, ut Servatoris conſanguineum; Officioſo, ut hominem à ve- „ ra religione devium. Quomodò autem & quibus conditionibus à pio Magiſtratu, illi hominum generi converſatio & habitatio in Chriſtiana Republica ſit concedenda? quibus non? integro Tractatu docuére Theologi Gieſſenſes, hoc ipſo anno 1612. vid. Joh. Fecht. in diſquiſit. de Eccleſia Judaica, L. 3. pag. 85. 86. &, quoad ſummam allegati Tractatus, diſpp. Gieſſenſ. tom. 4. pag. 272. ſeqq.

Oppenhemii (urbs eſt inferioris Palatinatus ad Rhenum) prodiit in octava forma liber, cui titulus: *Aſſertio veritatis hiſtoricæ de Papa Johanne VIII.* (fœmina) *contra Bellarminum & Baronium, à Conrado Dekero inſtituta*, an. 1612. „ Recentiores Pontificii, cumprimis Lo- „ jolitæ, hiſtoriam illam de Johanna Papiſſa, fabulam vocant; ſed „ non fuit inventus, qui eam negatum iret, antequam turpitudo „ Romanæ meretricis per Lutherum denudari occiperet, D. Johannes Gerhardus inquit, in Confeſſione Catholica, tomo ſecundo pag. 629. 632. ubi multa teſtimonia tum pro ipſo, tum pro Dekero facientia, ex ipſis Pontificiis allegat, juxtaque ad Johannem Wolfium provocat, à quo memorabil. Tom. 1. cent. 9. pag. 224. & ſeqq. autorum formalia recitentur. Nihilominùs tamen adverſus *Wolfium* excipit Laurentius Forerus, Eſavita Dillinganus, cujus centurias dicit eſſe mendaci loquentia pleniſſimas, ut vel ex unico de Johanna Papiſſa fabulamento liqueat. vide par nobile fratrum, nempe: Thum. & Zeæman. pag. 22. ſeq.

In Gallia verò publicatum *M. J. Bedei de la Gormandiere*, Andini, Advocati in Parlamento Pariſienſi, *Jus REGUM, contra Cardinalem Bellarminum aliosque Jeſuitas, pro CHRISTO & Ludovico XIII.* in quo hæc docet capita: „ Jus Principis Divinum eſſe. Eccleſiaſti- „ cos fuiſſe ſubditos Principi ante adventum Domini noſtri. Poſt „ adventum ejus in carne, Regum jus in Eccleſiaſticos non eſſe di- „ minutum. Regum Chriſtianorum jura niti autoritatibus & poſ-

„ ſeſſione.

„ ſeſſione. Primas aggreſſiones Pontificum contra Regum Gallico-
„ rum autoritatem, cœpiſſe demum ſub tertia ſtirpe, quibus non
„ obſtantibus jura ſibi vindicârint ſua. In quæſtione: Quæ ſit po-
„ teſtas Eccleſiaſtica jure divino; & in iis, quæ prætendit Bellarmi-
„ nus, Pontificem neque Divino, neque humano jure niti. Cardi-
„ nalem & alios Jeſuitas, Pontificem extollere ſupra id, quod dici-
„ tur Deus, in ſpiritualibus. Pontificem efferentem ſe ſupra Reges,
„ quomodo vult Bellarminus, efferre ſe ſupra id, quod eſt Deus in
„ temporalibus. Inter pernicioſiſſimas hæreſes eſſe, Regem ſuum
„ ſpernere &c. D. Dorſch. in Anticriſi ad Judic. Erneſt. de Euſeb. 44.

Tunc etiam in publicum emiſit *Jacobus Gordon Huntlæus*, natione Scotus, *Epitomen Controverſiarum Theologicarum*, Auguſtoriti Pictonum (zu Poictiers in Franckreich) typis æneis expreſſam, approbatamque doctiorum hominum Societatis Lojolicæ judiciô, & ipſi Paulo V. Pontifici nuncupatam; in qua *textum Ebraico-Biblicum*, ita comparatum eſſe natura ſua contendit, ut minimè ſufficere poſſit ad certam fidem è ſcriptis V. T. eliciendam; ſed prætereà planè neceſſariam eſſe Traditionem doctrinamque non ſcriptam. „ Adeò
„ enim, latravit vertagus ille Scoticus, ambigua eſt Hebræa lingua,
„ ut nulla ſit ferè ſententia, quæ non poſſit in diverſos, imò etiam
„ contrarios ſenſus verti, Traditio niſi adſit atque doctrina vivæ vo-
„ cis, quæ verum ac certum ſenſum oſtendat. Hujus rei plures adduxit cauſas, ex ipſa natura Hebr. Linguæ fluentes, quarum prima & præcipua ſit multiplex vocum, nominum, verborum, particularum ſignificatio. Nullam eſſe radicem, ſubjecit, nullam dictionem, nullam literam, quæ non diverſas habeat ſignificationes, id quod exemplo literæ ו quam vocant *Vav*, probare potiſſimùm anniſus eſt, ſignificante *&, quia, vel, neque, ſuper, quantò magis, ad, in, cum, numquid, ſi, antequam, poſtquam, nunc, quando, ſed, quamvis, ut, ne forte, ſic.* Autor in præfatione ad lectorem jactat hujus Epitomes maximam firmitatem, qua ſatisfactum hæreticis etiam pertinacioribus ſcribit. Sed vanam jactantiam, Theologorum Lutheranorum non unus firmiſſimè retudit, ſufficientiam ac autoritatem linguæ & Scripturæ V. T. originariæ debito zelô vindicans. vide D. Franz. præfat. de Interpret. Script. 34. 38. ſeqq. Polymath. Theol. Kromaj. 65.

Achmet Benaúdala, doctiſſimus vir, natione Cantaber, ſed Mahummedanus, antehac Maurorum Regis apud fœderatos Belgii Ordines Legatus, ex petito Principis Auriaci aliorumque, ut ſenſum ſuo-

ſuorum (ſcilicet Mahumetiſtarum) *de religione Chriſtiana* eis explicaret, id non illibenter ad Regem ſuum reverſus Marochii præſtitit, unde anno 1012. opuſculum ea de re ſcriptum ad Principem transmiſit. In eo, poſt alia Chriſtianiſmi ſcita graviora, Mahumediſmo perquàm diſſona, peringenioſèque diſcuſſa, tandem devenit ad materiam de Confeſſione, pœnitentia, & abſolutione Papiſtica, eandemque ſalsè riſit, referente *Seldeno*, in opere de Synedriis Ebræorum inſigni, ac ſubjiciente: „ Non autumandum Achmetem nominatum, aut oſcitanter, aut temerè ſuam illam diſſertationem ad „ Chriſtianos Principes viros, rogatum conſcripſiſſe; ſed ſumma „ potiùs deliberatione, ac aliorum è ſuis ope & conſilio graviſſimo „ eam adornaſſe. Hæc Seldenus. Nec ſubticendum, cum in *Africa*, & *Numidia* præſertim, *ſtudia* hodie inſigniter floreant, præcipuas ibi *Academias Fezanam* eſſe ac *Tunetanam*: Et *Fezæ* quidem, poſt Grammaticam, totos eſſe in Alcorano Doctoribusque Scholaſticis, h. e. qui de ſacrorum ceremoniis ac Theologia tractant: quemadmodum cæteræ omnes diſciplinæ *Tuneti* florent, Clenardo teſte ac Hornio, qui & hoc addit: Cùm Fezæ multa ſint Collegia, nobile præ cæteris unum eſſe, in quod *HabuHenon* quadringinta octoginta aureorum millia impenderit. Idem, Doctores illorum *Alphakios* vocari, refert, i. e. σοφὺς, uti Clenardus vocem hanc interpretatur in Epiſtolis. Videatur D. Elias Vejel in defenſ. Exercitat. Theol. de Eccleſ. Græc. 83. pl. & J. J. Hofmann in continuat. Lex. univerſ. A. 728. vocab. Fezan.

LIB. II. CAP. VI.

Summaria.

Defuncto Imper. Rudolpho ſuffectus frater Matthias.
Civium ac Senatorum Francofurtenſium controverſia.
Sabaudiæ Ducis in ditionem Bernenſem prætenſio.
Magnæ urbis Moſcoviæ direptio & combuſtio.
Gaborius, ad occupandam Daciam, à Turcarum Sultano inſtructus.
Scerіphiorum contentiones de Regno in Mauritania.
Hiſpanici Legati poſtulatum apud Anglos, de Virginia.
Illuſtrium Perſonarum feſtivitates nuptiales.
Aliarum caſus emortuales.

IMperii Romano-Germanici *Coronam, cum vita*, die 10. Jan. anno 1612. *depoſuit* per placidam & beatam analyſin, *RUDOLPHUS II.* Ma-

Maximiliani II. laudatiſſimi Patris quondam filius & Succeſſor inclytus; poſtquam imperâſſet annis ferè 35. vixiſſet 59. Ejus regimen multa memorabilia in Statu Eccleſiaſtico & Politico inſigne fecerunt. In plerisque tamen optimus Induperator, neque Pontificiis neque Proteſtantibus ſatisfeciſſe creditus eſt. Non his, quòd conniveret ad eorum gravamina, nec, ut ipſi ajebant, pacem religioſam, tanquam ſanctionem pragmaticam, ſanctè adminiſtraret; Haud illis, quòd non pauca daret Evangelicis, nec ſatis pro Majeſtate coerceret eos, aut opprimeret; Utrisque, quòd ultimis in annis (à Tychone Braheo, nobili Mathematico, perſuaſus) conſpectui publico ſe ſubduceret, ac rerum Imperii curam ferè omnem penitùs deponeret. Literatorum ſemper Mecœnas erat propemodum incomparabilis, ipſe in omni diſciplina verſatiſſimus; latinè doctus egregiè, præter linguas alias, ut Hiſpanicam, Gallicam, Italicam, Bohemicam, quas calluit minimè vulgariter; In Mechanicis vix ulli ſecundus; pictor, aurifaber, horologiorum artifex ingenioſiſſimus; qui propriis manibus auream coronam, ac menſam ex meris gemmis fecerat. Cibi potûsque parciſſimus; Princeps ob varias virtutes jucundiſſimâ memoriâ celebrandus; Gaviſus ad extremum usque ſuſpirium ſymbolo: *Omnia ex voluntate DEI.* Phil. Andr. Burgold. Notit. Rerum Imp. A. 53. 62. edit. quart. Wagner. D. Inſtitut. hiſtor. edit. 2. 609. ſeqq. Cui ſunt ad manus Memorabilia Wolffii, is legat ibi *vaticinium Theophraſti Paracelſi,* de tempore inter Rudolphum primum & ſecundum, deque Status tùm Eccleſiaſtici, tùm Politici mutatione poſt annum 1600. Tom. 2. 445. 443.

Rudolpho II. ſuffectus eſt frater ejus, *Matthias,* Hungariæ & Bohemiæ Rex, Francofurti electus die 13. Junii, atque coronatus ibidem in Imperatorem Rom. 24. hujus menſis. *Numiſmatum* potior pars, in populum emiſſorum, ab una parte Regis laureâ ornati effigiem habebat, cum inſcriptione: *Matthias II. D. gr. H. B. R. coronatus in R. R.* ab altero latere diadema Regium exhibebat, quod Sol deſuper ſuis radiis, luna verò ab inferiori colluſtrabant, cum ſymbolo: *Concordi lumine major.* Theatr. Election. & Coron. Romano-Cæſar. 252. Arth. in Merc. Tom. 9. lib. 2. Interim per totos quinque menſes *Imperii Vicarium* egerat Johannes Georgius I. Elector Saxoniæ, ut patet ex Chronico D. Caſparis Bertram, Jen. an. 1657. ed. lit. B. 2.

Poſthæc *Francofurti ad Mœnum, inter cives ac Senatores* orta gravis

vis *controverſia.* Querulati fuerant illi apud novum Imperatorem, de imminutione ſuorum privilegiorum, & confuſione in foro frumentario, Judæis ibi nimia gaudentibus licentia. Imperator cives quietos eſſe ac obedientes juſſit, Senatores autem obſervare, quod æquum & bonum eſſet, abiitque. Poſt abitum Senatus equidem decretum unum & alterum collegiis tribunitiis inſinuavit; ſed, cùm ea populo non ſatisfacerent, res ad ingentes tumultus devenit, brevi tamen (hac vice) per ſubdelegatos à Cæſareanis Commiſſariis, iterum ſedatos atque compoſitos. Ex Arth. & Schadio.

Jam diu eſt, ex quo *Sabandiæ Dux* in ditionem *Bernenſem* prætendit; quippe anno 1535. Bernenſes Helvetii Sabaudo ademerunt, quicquid poſſidebat ad Septentrionales partes lacus Lemani, quæ regio vocatur *Pays de Vaux*, cujus caput eſt urbs *Loſanna.* Unde anno 1612. Dux Bernenſes coram Camera Spirenſi accuſavit, ſed qui declinârunt iſtud Judicium. Referunt nonnulli, Helvetios cùm crebrioribus mandatis ad Cameram vocarentur, miſiſſe Legatos Spiram, orantes & hortantes, ne Camerales ampliùs exagitarent ipſos; Germanicè: Man ſoll Sie fry ungehyt lahn! Helvetii autem hæc eſſe fabuloſa regerunt, negantes, unquam ſuos Legatos tam inſulſis ac pudendis verbis uſos. Horn. orb. polit. ed. 2. 265. Burgoldenſ. Notit. rerum Imp. German. B. 240.

In confinio anni 1611. & 1612. *Poloni Moſcoviam urbem* (eò quòd incolæ Uladiſlaum, Sigiſmundi III. filium, Ducem ſuum elegiſſent, mutato autem conſilio ad Suecum propenſiores eſſe viderentur) direptam & *ſpoliatam*, Arce excepta, totam *combuſſerunt*, infinitas ferè divitias, ac inæſtimabiles theſauros priſcorum Ducum in prædam convertentes; ita quidem, ut præ nimia copia margaritas & gemmas maximi pretii, locô plumbeorum globorum è ſclopetis exploderent; inque iſthoc urbis caſu Ruſſorum plusquam ducenta millia periiſſe, relatum eſt. Prælio tamen haud multò poſt *victi à Moſcis*, urbe ac orbe Magni Ducatus ejecti ſunt Poloni. Horn. orb. pol. 58. 433. orb. Imp. 384. Olear. Moſcow. Reyßbeſchr. lib. 3. 144. 234.

Cùmque anno 1612. *Transſylvanus Bathorius*, Imperatori Matthiæ ſe applicaret, Sultanus *Achmetes* per Legatum hortatus fuit Matthiam, Transſylvaniâ ut abſtineret; ſumpturus arma in eum, niſi Arabum ſeditio ad pacem cum eo ineundam, ipſum induxiſſet; pactis tamen in Hungaria ſusque deque latis, cùm ſub hæc tempora multi duram ad captivitatem abducerentur; etiam Bethlenio Ga-

bori, ad profligandum Bathorium, atq; Daciam occupandam, exercitu commodato. D. Wagner. in limin. genealog. 354. Calviſ. 967.

Sub hæc in Mauritania *Sceriphiis* inter ſe contendentibus de Regno, *Muleus Hametes* quidam *Ben Abdalla* ſimulato ſpiritu Prophetico ſeſe à DEO miſſum jactabat, pro liberanda à Sceriphiorum tyrannide Africa, & ad defendendam Mahomedis religionem. Is non contentus Regnis Fezæ & Marocco, totius Africæ, omniumque ad Chinam usque regionem ſeſe appellavit Regem. *Mule Sidan*, Marocci Rex, contra Impoſtorem ducto exercitu, arte Magica & incantationibus ab eo victus fuit; ſed intellecta fraude receptis ſecum aliis magis, iisdem artibus novum hunc Saracenorum Monarcham ſuperavit, & fluctuantem Sceriphiorum familiam, extincto æmulo, reſtituit. Cum hoc Sidane, adverſus Abdallam, Ordines fœderati Belgii, miſſo *Cornelio Pynakero*, fœdus iniverant anno 1609. Horn. orb. Imp. 2. edit. 478. Mercur. Gallo-Belgic. tom. 9. lib. 3. pl. Cluv. Epit. hiſtor. 771. vid. qui duo poſteriores ab Hornio, quoad exitum belli, nonnihil differunt.

Hiſpani, quemadmodum omnes alias nationes, ita & *Anglicanam*, utraque Indiâ excludere nunquam non laborarunt enixiſſimè. Hoc ipſo enim anno Philippus III. per Legatum à Jacobo I. poſtulare auſus eſt, ut ſuos *Virginiâ* cedere juberet ſpontè, ne forſan eò adigendi eſſent mediis minùs acceptis. At breviter Internuntio reſponſum: nì quid aliud in commiſſis haberet, in aula Britannica proponendum, abiret hinc ocyùs, ne minùs accepta fortè ſentiret; referente Schadio in Continuatione Sleidani. Confer. ann. 1608. 1643. pl. de Virginia.

Nuptias celebrarunt, Otto Haſſiæ Landgravius (Mauritii filius) cum Catharina Urſula, Marchionis Badenſis Georgii Friderici gnata: Joachimus Erneſtus, Marchio Brandenburgicus, Onoldinus, cum Sophia Solmenſi Comitiſſa: Johannes II. Palatinus Rheni Bipontinus, cum Ludovica, Electoris Friderici IV. filia. Calviſ. 967. ſeq.

Sublunaribus valedixerunt, Erneſtus, Elector Colonienſis, natus Bavariæ Dux, qui exautorato Trukſeſſio, Gebhardo, ſucceſſerat: Henricus Fridericus, Walliæ Princeps, Jacobi Angliæ Regis primogenitus filius, à Legato Hiſpanico (uti ſuſpicio fuit) uvas venenatas per morionem illi tradente, ſublatus. Vincentius itidem, Dux Mantuæ, & filius Franciſcus, relicto Succeſſore Ferdinando, Cardinali,

dinali, contra quem arma capeſſit Sabaudiæ Dux, at nullo commodo. Spener. in Syllog. Gen. 99. Gramond. hiſt. lib. 1. 31.

LIB. II. CAP. VII.

Summaria.

Nobilis, Cacodæmoni devinctus, quomodo Molshemii liberatus?
Guiſiana & Luxiana duella.
Ducum Arſcoti Genealogia, inde ab Adamo deducta.
Conſulis Argentoratenſis liberi, nepotes, pronepotes, abnepotes.
Triſtis annus, ob varias calamitatum cauſas.
Horror, piis precibus matrisfamiliâs Incendiario incuſſus.

M*olshemii nobilis quidam Cacodæmoni* fœdere & ſyngrapha proprio ſanguine ſcripta *devinctus*, poſtquam in ſacellum Ignatianum deductus fuiſſet, præmiſſis per Lojolitam Exorciſationibus Papiſticis, aſperſione luſtralis aquæ, benedicti cerei accenſione, confeſſione auriculari, recitatione Litaniæ Sanctorum, Ave Maria de ſtella, aliisque precatiunculis jejuniô mixtis, invocatione præſertim Ignatii Lojolæ, feliciter *liberatus eſt*; eò Cacodæmone adducto, ut in forma Ciconiæ ſyngrapham roſtro tenentis juveni appareret, illamque tandem in Sacello nolens volens deponeret; ita quidem referente *Martino Magero à Schönberg* in opere de Advocatia armata cap. 9. pl. fol. qui tandem concludit: „ Fidem certiſſimam eſſe, benigniſſi„ mum Deum, per Sanctorum ſuorum merita & ſuffragia, ad majo„ rem ſuam gloriam, Catholicæ religionis exaltationem, hæretico„ rum confuſionem & converſionem, perfectam adoleſcenti libe„ rationem largitum. vide D. Wagners Caſual-Predigten/ cum Epicriſi theologica, pag. 48. ſeqq.

Erant in Gallia, qui Ducem Guiſium gratiâ Reginæ depulerant, Barone *Luxio*, ut creditum, in eam rem haud parum operante; ſuſpectum ergò Luxium *Guiſius*, ferrô interficit; *filius*, parentis necem *duello* vindicaturus, & ipſe confoditur, cui Poëta hoc poſuit Epitaphium, aliàs quidem non inelegans, minùs tamen Chriſtianum:

Ulciſci patris cædem dum nititur armis
 Filius, infelix pro genitore cadit.
Victa licet pietas, tamen eſt laudanda, parentis
 Victorem voluit quum jugulare ſui.

Legatur Grammondus, lib. 1. pag. 32. ſeq. & Mart. Zeiler. in Trag. 110. ſeqq. ubi moralia non contemnenda, pag. 119. ſeqq. habentur.

Anno 1612. fato functus eſt *Carolus, Dux Arſcotanus*, qui ſobole carens, Arſcotanam atque Cimacenſem hæreditatem ad ſororem natu majorem, Annam Carolo Ligneſio, Principi Arenbergico, nuptam, transmiſit. Defuncti vel ob id mentionem facere libuit, quod Notitia Procerum Imperii de illius familia refert: „ Res non Belgio „ tantùm, ſed Europæ admiranda viſa eſt Guicciardino, quòd *Haverleæ* in Brabantia, prope Lovanium, ubi perelegantem arcem „ Duces Arſcoti habent, in choro templi Ordinis Cœleſtinorum „ Cœnobio contigui, conſpiciantur marmorea Principum Crojorum „ ſingulorum monumenta, & *genealogia Ducum de Arſcot, inde ab Adamo*, usque ad præſentes, cum eorum iconibus & nominibus. Fallor, aut inter inanes pompas & humanæ oblectamenta vanitatis reponendum id potiùs eſt. Imhof. notit. proc. 915. 909.

Obiit quoque *Argentorati Conſul*, nomine *Wolfgangus Schötterlinus*, annos nonaginta ſupergreſſus, pater liberorum ſeptendecim, & ex hiſce nepotum 108. pronepotum 112. abnepotum 2. Avus, Proavus, abavus. Ita D. Dannhauerus in Dialogo de Præ Adamitis; addens: „ Num potuerit multò plures è ſe natos videre Adamus, à re„ centi & viridi benedictione divina calidus adhuc, in vernante ac „ valido mundi initio? pag. 123.

Ingentes *terræ motus* t. t. in Weſtphalia obſervati ſunt, per integrum ferè menſem ſæpiùs repetiti, qui domos & arces vehementer concuſſerunt. *Nivium* per hyemem inſolita copia, hinc *frigoris* vehementia, nimius deinde *calor*, annonæ caritas, aliæque plures calamitatum cauſæ, annum reddidére triſtem, & variis hominum querelis plenum, quibusdam in locis etiam præſtigiis diabolicis horrendum. Arthus. in Mercur. tom. 9. lib. 3. Pezoldi Schnee-Gedancken/ pag. 269. ſeq.

Menſe Auguſto *Northuſium*, Thuringiæ oppidum haud ignobile, clandeſtino igne ſuppoſito, totum ferè *conflagravit*; aliis locis, quibus idem imminebat malum, provida DEI curâ mirè conſervatis. Etenim exeunte annô N. in Brabantia deprehenſi duo *incendiarii, à Turcis in Germaniam transmiſſi*, ut plurimas urbes feralibus flammis perire facerent, ante irrogationem ſuppliciorum faſſi ſunt, tentamina ipſorum potioribus in locis non ſucceſſiſſe, quod Chriſtianorum devotis precibus vendicaſſent: E. G. *Breslaviæ* in Sileſia, ubi quinquies

quies eorum conatus evaſerint fruſtranei; Hinc irarum plenos *Marglisſam* tetendiſſe, quinque milliaribus diſtantem, ſeſe diris devoventes omnibus, ſi pedem priùs efferrent urbe, quàm totam vidisſent igne correptam, ſed ſpem & ibi decollâſſe; poſtquam enim omnia jam ad incendium parata fuerint, unus autem ex illis veſperi audiverit matremfamiliâs ardentiſſimè Deum invocare, ut ipſe totam domum protegere, omniaque avertere mala velit, quò cum liberis ea de mane læta ſurgere, & ad opera vocationis prompta redire poſſit; repentinum horrorem incuſſum nebuloni, ac ſi res omnis detecta, & Magiſtratui delata eſſet; properaſſe igitur ad ſocium, & cum eo (propriis antè manibus ac pedibus disjecta ac ſuppreſſa ardente materia) in fugam ſe dediſſe, tota propemodum nocte continuatam. Bertram in Chur-Sächſiſcher Johann Georgiſcher Chronic. lit. B. 3. Kißlings Leb- und Sterbenskunſt. pag. 203.

LIB. II. CAP. VIII.

Summaria.

Proteſtantes & uniti Principes Imperii, MATTHIÆ gravamina ſua exhibent, varia.

Gabriel Battorius, Saxonum reliquias in Dacia crudeliter tractat.

Quando & quomodo Calviniſmus in Transſylvania ſparſus?

Vivis exemptus Johannes Förſterus.

Item Felix Bidenbachius.

Timotheus quidam, Conſtantinopoli ad ſedem Patriarchalem, ſed malis artibus evectus.

ANno 1613. à pleriſque *Proteſtantium & Unitorum Principum Statuumque Imperii* Legatis novo Imperatori Matthiæ ſcriptum fuit exhibitum, quo de *Gravaminibus* nonnullis, quibus Evangelici longo jam tempore onerati, graviter conqueſti ſunt, eorumque abrogationem & allevationem inſtantiſſimè petiverunt. „ *Querimonia* „ omnium *prima* erat de Conſilio aulico Cæſaris, quòd illud jurisdi-„ ctionem ſuam nimis hactenus amplificâſſet, ac poteſtatem quaſi „ abſolutam de Ordinibus Imperii tàm in Eccleſiaſticis religionem-„ que concernentibus negotiis, quàm in Politicis ac profanis, co-„ gnoſcendi & judicandi, vendicare ſibi non dubitaverit; contra „ Statuum jura & privilegia, ipſasque conſtitutiones de Camera Im-„ perii manifeſtas. *Altera*, de moleſtis Commiſſionibus & Inquiſi-

„ tio-

„ tionibus in cognitione cauſarum, etiam religionis, ut plurimùm „ per meros ac ſolos Romano-Catholicos, in præjudicium Evange- „ licorum inſtitutis; quibus etiamſi ex Proteſtantibus unus & alter „ adhibitus fuerit, finalis tamen atque deciſiva ſententia conſilio „ aulico ex Pontificiis maximam partem adimpleto, reſervetur, in- „ credibili Evangelicorum damnô. *Tertia*, de judicio Camerali, „ quod Præſides habeat Pontificios tantùm, & Aſſeſſores R. religioni „ addictos, majore quàm par ſit numero; qui modô planè inæquali, „ ſolo diverſarum religionum reſpectu, in cauſis & caſibus planè ſi- „ milibus decidiſſe non ſemel aut rarò deprehenſi ſint. *Quarta*, de „ numero votorum, quo Romano-Catholici ubique valeant, eaque „ ratione Evangelicos facilimè in ordinem redigere poſſint, adeo- „ que, deterioris eſſe conditionis, quàm reliquos Imperii Status, „ cogere. In Comitiis enim, Conſilio Principum, aliisque delibe- „ rationibus, concludi ad pluralitatem votorum, votis Proteſtan- „ tium aliquandò non conſignatis vel æſtimatis; nonnullis etiam „ excluſis, qui conſultationibus intereſſe debuiſſent; Id verò Prote- „ ſtantibus maximo fieri præjudicio, cùm Romano Catholici his- „ dem ſuis votis longè ſuperiores extent, & concordare facilimè poſ- „ ſint. *Quinta* querela, de malis interpretibus pragmaticæ ſanctio- „ nis Paſſavicæ, in pleno Statuum conventu Auguſtæ Vindelicorum „ ſuperiori ſeculô confirmatæ. Quòd pax religionis equidem eô „ fine conſtituta ſit, ut medium eſſet & vinculum Concordiæ in Im- „ perio R. conſervandæ; ab aliquibus autem pacis oſoribus in ſini- „ ſtrum atque peregrinum ſenſum trahatur, quaſi ad tempus tan- „ tùm permiſſa, nec liceret religionem Proteſtantium ante conſti- „ tutam pacem iſtam non profeſſis, eam in poſterum profiteri, mul- „ tò minùs permiſſum Proteſtantibus Monaſteriorum ac Templo- „ rum reformationem in ſuis regionibus facere, tanquam declara- „ tio, à Ferdinando Cæſare facta, planè ſit evalida. *Sexta* de pro- „ longata & ferè deſperata reſtitutione civitatis Donawerdæ, quæ „ proceſſûs & mandatorum ex Conſilio aulico, Cameraque Spirenſi „ celeritate præventa, in miſerum illum ſtatum plus ſatis notum præ- „ cipitata, hactenus, contra quàm ſperatum & ab Imperatore Ru- „ dolpho b. m. promiſſum, reſtituta non ſit. *Septima*, de formula „ juramenti, qua conſcientiæ Proteſtantium graventur maximope- „ rè, dum jusjurandum feudale, quibusdam in locis ad Sanctos di- „ rectum, præſtare cogantur, quod Evangelicæ religioni è diame-

„ tro

„ tro repugnet; Nec poſſe negari, quòd juramenta & pacta benefi-
„ ciorum in Cathedralibus Eccleſiis, imò etiam Equeſtribus digni-
„ tatibus, ita exaſperentur, ut Proteſtantibus omnis ad ea aditus in-
„ tercludatur.
„ His addita ſunt *alia* inſuper *Gravamina*; v. c. quòd non permit-
„ tatur ampliùs, ut Proteſtantium aliquis, in locis Romanæ religio-
„ ni addictis, pro ſe ſuæque fidei deditis, Miniſtrum Evangelicum
„ habeat, aut Evangelico cultui in vicinia adſit; quòd Civitatum
„ Imperialium Miniſtri, licet exercitium religionis jam ante factam
„ pacem habuerint, ex pagis pontificiæ jurisdictioni ſubjectis pro-
„ fligentur & ejiciantur; Quòd in aliis quàm plurimis locis Roma-
„ no-Catholicis habitatio Evangelicis denegetur, neceſſitate impo-
„ ſitâ, ſi inibi habitârunt, præſtituto termino admodùm exiguô ce-
„ dere, divenditis immobilibus ac diſceſſui non accommodis, reli-
„ cta poſt ſe decima parte ac omni tamen honeſtæ nativitatis & con-
„ verſationis teſtimonio præciſo, quin etiam hæreditariis paternis
„ maternisque bonis per vim ereptis ac detentis; Quòd Evangeli-
„ corum nemo in hoſpitalia ſuſcipiatur, aut ſuſceptus olim, tolere-
„ tur, niſi ad Romanam fidem accedere velit; Imò quòd Evangeli-
„ corum demortuorum corpora ad loca inhoneſta remittantur, ſine
„ ullis funeralibus ceremoniis aut ſolennitatibus ſepeliantur &c.
„ Petierunt ergò, cùm gravamina iſta non nova, ſed aliquoties jam
„ propoſita & repetita ſint, abſque procraſtinatione Proteſtantes le-
„ vari ſe ſentiant; promittentes, levatos viciſſim ad omnia, quæ ad
„ ſalutem publicam, Cæſarisque & Imperii dignitatem conſervan-
„ dam profutura ſint, ſolicitè deliberanda, conſtituenda, & promo-
„ venda paratiſſimos fore. Cluver. in Epit. hiſtor. totius mundi pag.
769. ſeq. Schadius in Contin. Sleid. german.

Saxonum in Dacia reliquias, quàm crudeliter hactenus tracta-
rit *Gabriel Battorius*, de quo lib. 1. cap. LV. colligere datur ex *quere-
lis*, ab illorum deputatis hoc anno apud Saxonici Electoris Lega-
tum in aula Cæſarea tùm verſantem, ac demum apud ipſum Impe-
ratorem R. propoſitis. „ Querebantur miſeri, quòd Battorius à
„ primo tyrannicæ adminiſtrationis initio, de antiquiſſima Saxonum
„ familia profliganda & exterminanda cogitarit; Innocentes carce-
„ ribus & miſerrima ſervitute affixerit; Hermanopolin Heiduccis
„ ſuis per inſidias diripiendam permiſerit; Megumem urbem per
„ vim ſuperatam ipſe diripuerit, prædamque triumphando per ur-

„ bem publicè ſpectandam traduxerit; Cronſtadii ſuburbia & uni-
„ verſum viciniæ tractum rapinis ac incendiis deformarit; plurimos
„ cives poſt carceres & afflictiones habitationibus privarit atque in
„ exilium depulerit; honeſtas viduas, bonis omnibus exuerit; Pa-
„ ſtores ac Ludimoderatores hæreditariis ſedibus exturbatos, ut ſti-
„ pem colligant, adegerit; Turcico Sultano trecentos captivos do-
„ no miſerit; multos fruſtulatim conciderit; à præcelſis montibus
„ turribusque præcipites dederit; ſuſpenderit alios à pedibus; bra-
„ chiis pedibusque ad equos alligatos diſcerpſerit; ad arbores vin-
„ ctos tormentis confecerit; candentibus forcipibus dilaniarit; vi-
„ ginti quinque Saxonum primarios ad Gaudinum urbem haſtis in-
„ duerit, eosque ut alter alterum haſtis transfigeret, coëgerit, ipſe
„ interim ridens ſpectaculo tàm crudeli adſtiterit, &c. His ergò tot
„ tantisque miſeriis coactos, ad opem eorum, qui moribus, reli-
„ gione, familiaritate, & ſanguine ipſis quàm proximè conjuncti
„ ſint, confugere, ac, ut afflictorum in Transſylvania Saxonum mi-
„ ſerti, Cæſar, Legatus & Miniſtri Electorales, miſerorum partes te-
„ nere velint, enixè obteſtari. Arthus in Mercur. tom. 9. lib. 3. pl.
Cluver. Epit. 770. brev.

Cætera, quoad *religionem Saxonicarum Eccleſiarum in Transſylvania* notandum, quòd ſuperiori ſeculô, tempore Auguſti Electoris, multi Miniſtrorum ibi noviter ingreſſi, Cinglianam ſive Helveticam de Evchariſtia opinionem introducere conati ſint, quibus Concionatores, doctrinæ Confeſſionis Auguſtanæ addicti, ſeſe oppoſuerunt, aliquot etiam Suorum ad præcipuas Academias Saxonicas, conſilii exquirendi gratiâ, cum Confeſſione ſua in Germaniam ablegârunt; quibus Johannes II. Hungariæ Rex, literas commendatitias ad nominatum Auguſtum nec non Lipſienſem, Wittebergenſem & Roſtochianam Academias fidei conciliandæ causa impertiit. Quamvis igitur Academia Roſtochiana, ad ablegatorum Transſylvanicorum poſtulata piè & γνησίως Lutheranè reſponderet; Lipſienſes tamen ac Wittebergenſes, licet ab Auguſto Electore ad edendam perſpicuam, ſolidam & planam reſponſionem admoniti, prodere animi ſui ſenſa (quippe occulti Calviniani) non ſunt auſi; ſed fumos venditarunt, atque de cepis interrogati, de alliis reſponderunt, ac ita firmandi apud Transſylvanos *Calviniſmi* haud minimam occaſionem dederunt; quæ verò pars, Calvinianorum, an Lutheranorum, hodiè ibi locorum prævaleat, nos ignorare haut gravatim fate-

fatemur. Ex hiſt. Aug. Confeſſ. Liebhartus in ſuccincta hiſtoria de proteſtant. & Calvin. pag. 12.

Vitam cum morte (vel mortalem potiùs vitam cum immortali) commutavit *Johannes Förſterus*, D. Theologiæ Profeſſor Wittebergenſis ab anno 1607. ad ann. 1613. quo ad Generalem Ephoriam Mansfeldenſium Eccleſiarum abiit, eodemque obiit; ex decadibus problematum Catecheticorum, Commentario in Eſaiam, Evangelicis aliiſque ſacris homiliis cognitus; Forſterus nempe *Aurobachius*. Ante hunc *alius* fuit Johannes Forſterus, *Auguſtanus*, Theologus quoque Wittenbergicus, Reformator Hennebergenſium, qui Lutheri tempore vixit, Ejus in verſione Bibliorum ſuccenturiator induſtrius; excellentiſſimus Hebræus, autor Lexici linguæ Eberinæ celebris, qui de doctoribus Judaicis ibidem in præfatione notanter ſcripſit: „ Si quis eſt, qui facultates ſuas in Rabbinos profudit; qui in ipſorum ſynagogis longo tempore verſatus eſt; qui domi propriis impenſis ipſos præceptores aluit; qui ipſorum commentaria ſtudioſè evolvit, Förſterus eſt; attamen, Deum conſcientiamque meam „ teſtor, nihil eximii, & quod ſingulari laude dignum eſſet, reportavi. Adeò illis initiò addictus eram, ut alius quiſquam; ſed quò „ aliàs addictior illis fui, hôc jam infenſior ſum factus, quòd omnem „ operam & oleum me perdidiſſe, verè ac non ſine dolore fateor &c. optimè ſciens, quòd qui cœci ſunt, ut equidem ſunt omnes Judæi, teſtificari de veritate non poſſint, neque illis fides habenda ſit. Ex Wittenberg. Conſil. præfix. Catal. Theolog. Micræl. Syntagm. lib. 3. 489. Mülleri Hamb. Judaiſm. 1440.

Ad æterna quoque anhelans, caducis valedixit *Felix Bidembachius*, Ducis Wirtembergici Eccleſiaſtes aulicus, pòſt Abbas Adelbergenſis, & Maulbrunnenſis; Ex fratre nepos *Balthaſaris Bidembachii*, quem D. Jacobus Andreæ, à Duce CHRISTOPHORO t. t. in Galliam ablegatus, Pariſiis in Lectorio Theologorum Sorbonico, Theologiæ Doctorem creavit & pronuntiavit, præſentibus D. Jacobo Beurlino, Academiæ Tubingenſis Cancellario, Melchiore Nobili à Selhauſen, Secretario Carioth, unà cum reliquis miniſtris in comitatu verſantibus. Nominis memoriam thematibus connubialibus, & funebribus, pœnitentialibus itidem, tractatu de cauſis matrimonialibus, aliiſque ſcriptis utiliſſimis, Felix noſter poſteritati feliciſſimè commendavit; quemadmodum patruus Balthaſar commentario in libros Samuelis, & homiletica explicatione S. Pauli ad

Romanos epiſtolæ. Micræl. l. c. 465. & Fama Andreana J. V. A. pag. 135.

Iſta ætate *ſedem Patriarchalem* Eccleſiæ Conſtantinopolitano-Græcæ, *Timotheus*, veterum Patrarum Antiſtes, at malis artibus, iisque Simoniacis, obtinuit, auctarium nempe Peſceſii, quod vocant, Sultano Turcarum offerens; Ob id melioribus, à Turcis prælatus, ſedem uſurpavit, ipſe ſibi honorem ſumens. Horrentibus enim cæteris, in Synodo ad eligendum Antiſtitem ſupremum congregatis, quenquam ea lege Patriarcham creari, *Ego*, Timotheus dicebat, *Patriarcha ſiam.* Hilarius refert in Comment. ſuper Chronicum Cyprii, 437. ſeq. 448. confer 1621.

LIB. II. CAP. IX.

Summaria.

Querimoniæ Romano-Catholicorum, gravaminibus Proteſtantium oppoſitæ.

Calendarium Lilianum.

Claudii Aquavivæ decretum ad Jeſuitas, de Gratiæ divinæ efficacitate.

Lojolitarum Cenſus, opes, ædificia.

Schulkemii liber Gallicanus, à carnifice in ignem conjectus.

Congregationis Oratorii JESU incrementum.

Sacellum Polonicum fulmine tactum.

Inauguratio Sacelli Virginis Deiparæ, in Exquilinio Romano.

SUmma *querimoniarum* præcipuarum, quas apud Imperatorem, gravaminibus Principum & Statuum Proteſtantium, *Romano-Catholici* oppoſuerunt, hæc erat: „ Pacem ſuperiori ſeculo datam Imperio, à Proteſtantibus variè violatam hactenùs, qui non veriti fuerint contra formulas & conditiones illius pacificationis, Epiſcopatus non paucos invadere ac juſtis poſſeſſoribus eripere; inter quos recenſebant nominetenus Magdeburgenſem, Bremenſem, Halberſtadienſem, Verdenſem, Oſnabrugenſem, Mindenſem, Lubeccenſem, Ultrajectinum, Caminatem, Suerinenſem, Brandeburgicum, Razeburgenſem, Sleſvicenſem, Havelbergenſem, Monaſterienſem; cum Abbatiis Hersfeldenſi, Walkenriediana, Rittershuſana, Quedlinburgica, Herfurtenſi; aliisque Cœnobiis, ac Sacerdotiis & beneficiis ad ſacrum R. E. cultum ſpectantibus quam-

„ plu-

„ plurimis. Novas etiam Sectas, Calvinianorum inprimis, irrepſiſſe „ ſub ſpecie Auguſtanæ Confeſſionis, amplaque Sacerdotia & opu„ lentiſſimos proventus ad ſe traxiſſe, titulô tranſactionis Paſſavien„ ſis & religioſæ pacis, in quas tamen præter A. C. Profeſſores ge„ nuinos, aliorum Sectariorum nulli ſint admiſſi; Cautumque con„ ſtitutionibus iſtis fuiſſe, ne quid S. Rom. Eccleſiæ bonis deinceps „ adimeretur; Ac, ſi quis ex ordine Eccleſiaſtico, Prælatus aut qui„ cunque alius religionem Catholicam deſereret, is continuò, tan„ tùm ſine nominis & famæ injuria facultatibus, beneficiis, proven„ tibusque ſacris cederet, data Eccleſiæ facultate, aut quibus id jure „ competit, alium, qui antiquæ Catholicæ religioni addictus, in lo„ cum decedentis, ſufficiendi: Sed pro ſpolio jam diu haberi Eccle„ ſiaſtica beneficia, uſibus merè politicis, profanis ac ſordidis appli„ cari & impendi, pulſisque Romano-Catholicis nil niſi jus atque „ leges relinqui. Prætereà Proteſtantes legitimè conſtituta tribu„ nalia declinare, eludere Imperialis Cameræ ſententias, oppoſitis „ ad procraſtinandas lites conquiſitis exceptionibus; reſpuere legi„ timas cognitiones cauſarum, & multis modis Dicaſterii ſummi Aulæ Cæſareæ vim atque executionem labefactare; Imò per Unio„ nem armatam intendere ſuppreſſionem Catholicorum omnimo„ dam, eo fine quotidianas ſpirare minas, innovationes & confuſio„ nes innumeras affectare, ciere, fovere. Petierunt ergò Catholici, „ ut ſine mora Proteſtantium attentatis tàm injuſtis tàmque peri„ culoſis modus imponeretur ac finis. Burgold. in Notit. rerum Imperii part. 2. pag. 2. Schad. in Contin. Sleid. ad h. an.

Denuò quoque tentarunt Pontificii, Proteſtantibus perſuadere, ut æquè ac Romano-Catholici, *Calendarium Lilianum*, à Gregorio XIII. anno 1582. in Comitiis Auguſtanis publicatum & commendatum, approbarent, acciperentque, ad communem uſum tàm Eccleſiaſticum, quàm Politicum; prætendentes (quod equidem verum, ſed abſque culpa Evangelicorum) ex diverſitate Calendariorum hactenus non tantùm Spiræ, verùm etiam in univerſa Germania, quoad res agendas magnam confuſionem ortam eſſe, inque negotiationibus incommoda quàm plurima paſſim deprehenſa; His ergò in poſterum declinandis & præcavendis, neceſſarium omninò videri, ut Proteſtantes hac in parte Rom. Catholicis, quippe numerô potioribus, accedant, eorumque exemplo ſe conforment; At incaſſum laborârunt, ob cauſas & rationes ab Evangelicis jam olim

in medium prolatas ne jugo Pontificis Tyberini ſuccollare viderentur. „ Si Pontifex, ita ſcribit Micrælius, nova Calendarii emenda-
„ tione (commendatione) in Eccleſias DEI gratiâ reformatas auto-
„ ritatem ſibi non vendicaſſet; Si primatum apud eos amiſſum cu-
„ niculis hiſce non repetiiſſet; Si ſub excommunicationis pœna Ca-
„ lendarium Chriſtianis omnibus non mandaſſet; Si à Proteſtanti-
„ bus is eſſe non crederetur, qui mutationem temporis & legum, ex
„ Enthei vatis prædictione, ſibi arrogaſſet; Si denique inſigni dolô
„ Eccleſias puriores non circumveniſſet, ut fictam Papæ majeſtatem
„ vel hac in parte agnoſcerent, aut Imperatori de obedientia debita
„ ſuſpecti fierent, & bellum contra ſe excitarent; forſan Auguſtus
„ Elector Saxonicus, & reliqui Lutheranorum in emendationem
„ publicationemque ac uſum operis Liliano-Gregoriani conſenſiſ-
„ ſent; ſed fraus Pontificis maturè patuit, oſtenſumque jam dudum
„ fuit, correctionem illam neque neceſſariam, nec tempeſtivam, nec
„ probam extitiſſe: Non ſine cauſa ergò Proteſtantes in Imperio R.
„ Calendarium Gregorii, ut etiam tota Eccleſia Orientalium in Græ-
„ cia, Moſcovia, Aſia, & Africa detrectarunt. Hæc nominatus autor. Quibus verò conditionibus Evangelici communem Calendarii formam probaturi & accepturi eſſent, alibi non ſubticebimus. Zeiler. epiſt. tom. a. 886. Micræl. Syntag. H. E. 420. Stratem. hiſt. 932.

Lis erat per multos abhinc annos, hodieque eſt apud Pontificios, non tantùm inter Dominicanos ac Jeſuitas, verùm etiam inter hos demum ipſos, *de Prædeterminatione Gratiæ Divinæ* in homine convertendo, inprimis *de gratiæ efficacia*; quam inter ſe materiam affectibus exagitavére tàm vehementibus Lojolitæ, ut à ſupremo ipſorum ordinis Antiſtite cohibendus fuerit moroſus ille & contentioſus impetus edictô publicô. Etenim *Claudius ab Aquaviva*, Præpoſitus Generalis, Romæ 14. Decembris anno 1613. ſodalitati ſuæ *decretum* tale vulgavit: „ Mandamus, ut in tradenda Divinæ Gratiæ
„ Efficacitate, noſtri eam opinionem ſequantur, ſive in libris, ſive in
„ lectionibus ac diſputationibus publicis, quæ à pleriſque ſocietatis
„ noſtræ Scriptoribus tradita, & in controverſia de auxiliis Divinæ
„ Gratiæ coram ſummis Pontificibus p. m. Clemente VIII. S. D. N.
„ Paulo V. tanquam magis conſentanea S. S. Auguſtino ac Tho-
„ mæ, graviſſimorum Patrum judiciô, explicata atque defenſa eſt.
„ Noſtri omninò doceant in poſterum, inter eam Gratiam, quæ effe-
„ ctum reipſa habet, atque efficax dicitur, & eam, quam ſufficien-

„ tem

„ tem nominant, non tantùm diſcrimen eſſe in actu ſecundo, quia „ una ex uſu liberi arbitrii, etiam cooperantem gratiam habentis, „ effectum ſortiatur, altera non item: Sed in ipſo actu primo, quòd „ poſita ſcientiâ conditionalium, ex efficaci DEI propoſito, atque „ intentione efficiendi certiſſimè in nobis boni de induſtria ipſe ea „ media ſelegit, ac eo modo ac tempore confert, quô videt effectum „ infallibiliter habitura, aliis uſurus, ſi hæc inefficacia prævidiſſet. „ Quare ſemper moraliter, & in ratione beneficii, plus aliquid in ef- „ ficaci, quàm in ſufficienti Gratia, etiam in actu primo contineri. „ Atque hac ratione Deum efficere, ut reipſa faciamus, non tantùm „ quia dat gratiam, quâ facere poſſimus. Quod idem dicendum de „ perſeverantia, quæ procul dubio donum Dei eſt. Hactenus Aquaviva. *Tannerus* addit epicriſin: Negari nullo modo poſſe, hîc planè definiri, Gratiæ efficaciam formaliter non eſſe ſitam in ipſamet cooperatione noſtra; ſed eam in actu primo, priùs naturâ efficacem eſſe, quàm cooperatio noſtra abſolutè ſecutura ſit. At *Becanus, Molina, Leſſius, Maſcarenes*, aliique, contrarium expreſſè aſſerunt (cum Theologo Lipſienſi loquor) ſcilicet efficaciam formaliter eſſe ſitam in cooperatione noſtra, nec diſtingui entitate ſuâ efficacem gratiam, à ſufficiente. Quamobrem ſuperiorum decreta, non ſemper à Lojolitis attendi, patet; Notum eſt enim, quòd à tempore illius interdicti, controverſia illa de Auxiliis Gratiæ, plurium ſcriptis pro & contra ventiletur. vide Hülſemannum D. de auxil. gr. 31. 33. ſeqq. pl. atque D. Dorſcheum in pentadec. diſp. 9. §. 21. ſeqq. §. 30. 31. ubi quid hac in materia de diverſis Pontificiorum opinionibus judicet, clarè exponitur, orthodoxis quibusdam Concluſionibus additis, pag. 315. de lite Prædeterminationis D. v. peculiariter agemus alibi.

Lojoliticæ Sodalitatis autor & Patriarcha Ignatius, dignis ſuis filiis quondam permiſit: Ut ab aliis religioſis ordinibus, jejuniis, vigiliis, & cætera cultus victusque aſperitate, ſuperari ſe facilè patiantur. Hujus permiſſionis tenaciter memores boni ſodales, artibus variis immenſos cenſus, atque regias opes converrunt, ut omnia nitida, terſa, & abundanter parata habeant, ipſisque nil quicquam deſit; eo etiam fine *ſuperbiſſima* extruunt *ædificia*, quæ cum Principum ac Regum Palatiis certant. „ Hi ſunt ex iis, inquit vir quidam „ Eruditiſſimus, de quibus conqueritur Hieronymus ad Nepotia- „ num: Nonnulli ſunt ditiores Monachi, quàm fuerant ſeculares;

„ & Cle-

„ & Clerici, qui poſſident opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locu„ plete ac fallace diabolo non habuerant; ut ſuſpiret eos Eccleſia di„ vites, quos Mundus tenuit antè Mendicos. Inde fit, ut in ſe concitent aliorum Collegiorum invidiam, dum Verbi Miniſtris *modica ſtipendia, quibus vix frugalem menſam, cum honeſto veſtitu, ſibi comparare poſſunt,* tertio quoque verbo exprobrant. Videſis oppoſitionem formatam, nomine ArchiEpiſcopi & Capituli Toloſatis, cum conſultatione quatuor Doctorum, contra ædificationem *domûs profeſſæ.* anno 1613. Andr. Rivet. in Cathol. orthodox. Tract. 1. quæſt. 9. pag. 156. & Tract. 2. quæſt. 23. 458.

Quùm in Gallia, *Adolpho Schulkemio* autore, divulgatus eſſet quidam tractatus, Majeſtatem Regiam ex mente Lojolitarum vellicans, manu carnificis in ignem conjectus & combuſtus eſt: à Pontifice R. autem Paulo V. liber Becani N. cenſurâ notatus. Joh. Val. Andr. Ep. H. E. 419. Stratem. Theatr. hiſt. 1109.

Tunc in Gallia & Belgio creſcere cœpit *Congregatio,* quæ *Oratorii JESU* nomen gerit, à Cardinali Berullo fundata nuper confirmataque à Paulo quinto Papa. Sodales illius, inter alia vacant erudiendæ juventuti, in Collegiis; Clericis inſtruendis, in Seminariis; atque populo docendo, in templis. Gramm. Hiſt. Gall. lib. 5. pag. 185. Hofm. Lex. Univerſ. B. 63.

In *Polonia,* quatuor à Calvarienſi oppido milliaribus, quoddam *Sacellum* proſtabat ad redimendas indulgentias; eo t. t. *fulmine* tacto & accenſo, duo Monachi, ſimplicem popellum negotiantes, occubuére cum aliis quinque perſonis; triginta verò & ampliùs miſerabiliter partim vulnerati, partim crucibus atque ſignis (quod mirandum) in corporibus notati ſunt. Arthus in Mercur. Tom. 9. lib. 4.

Romæ autem, die 27. Jan an. 1613. facta eſt *inauguratio* ſolenniſſima, *ſacelli ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ in Exquilino,* ſumptibus ferè immenſis Pauli V. à fundamentis extructi, & quidem, ſive amplitudinem ædificii, ſive operis elegantiam, ſive opulentiam venuſtatemque conſideret aliquis, ad miraculum usque pulcherrimi. Eò locavit Papa ſuppellectilem ex auro & argento pretioſiſſimam, Crucem ſcilicet magnam argenteam; Sex candelabra argentea inaurata, cum argenteis aqualibus; magna duo candelabra argentea ad gradus aræ, ad funalia ſuſtinenda; Sex varia Sanctorum capita argentea; Sex brachia argentea cum paraſtatis; duo fercula argentea cum paraſtatis; lampadem argenteam; pixidem pro S. Eucharistia ſervanda; Ca-

licem

licem aureum cum patina, adamantibus, rubinis, ſapphiris, & ſmaragdis ornatum; quatuor pollubra argentea cum aqualibus; S. Agnetis, Emerentianæ Virginis & Martyris, S. Cæciliæ reliquiarum fercula cum paraſtatis ex auro & argento mira arte confecta, adamantibus atque gemmis inſignia, quatuor candelabra argentea, unà cum cruce & lampade pro S. Franciſcæ ædicula; totidem pro oppoſita S. Caroli; ac alia hujuſcemodi plura; quibus addita duo diademata aurea gemmis diſtincta; Angelorum par nobile ex auro; monilia aliquot pretioſiſſima, aureique gemmis variegati torques, pro ornatu Imaginis Divæ Virginis Mariæ, lamina argentea facietenus contectæ; quam dicto die (non minori pompâ hominumque frequentiâ, atque Salomon olim arcam Domini dominantium in templum Hieroſolymitanum) Pontifex in ſacellum inferendam curavit; Eminenti Cardinalium Collegio, ac univerſo Clero Romano, ante imaginem longo ordine procedentibus, donec intra ædiculam laminis inauratis circumcluſam reconderetur: Collatâ in eam rem indulgentia plenaria his, qui proceſſioni interfuiſſent, ſi modò confeſſi, & ſacra communione refecti, pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſium extirpatione, ſanctæque matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effudiſſent. Super hæc aliam quoque, ſanctiſſimus Pater, ſuppellectilem innumerabilem ac pretio inæſtimabilem, ad altarium, Sacerdotum, & Miniſtrorum altaris uſum, ornatumque eidem ſacello contulit; Miſſificatores, qui rem, quam vocant, divinam ibi quotidiè perpetuò facerent, conſtituit; Cantores & reliquos miniſtros aſſignavit, nec non proventus annuos locupletes ſingulis in perpetuum, cum neceſſariis omnibus ad uſum ſacelli addixit, edito de ea re diplomate. Ex contin. hiſt. Platinæ, de vitis Pontif. Rom. pag. 512. pl.

LIB. II. CAP. X.

Summaria.

In Sileſia cœtus Calvinianorum nimis invaleſcit.

Is Reformatorum, & Reformantium nomen & gloriam ſibi vendicat, jure an injuria?

In Belgio diſſidium, Remonſtrantes inter & Contra-Remonſtrantes, quotidie augeſcit, fruſtra quæſito compoſitionis modo.

Literas eapropter Jacobus Britanniæ Rex, ad fœderatos Ordines mittit, Contra-Remonſtrantibus minus gratas.

AD annum 1601. cap. III annotavimus, jam tunc in *Sileſia* Calviniſmum ſeſe paſſim diffudiſſe, non parùm cooperante *Paréo*, celebri Calvinianæ Theologiæ Profeſſore Heidelbergenſi, natione Sileſio. Qualia verò quantaque hactenus augmenta inibi locorum ſumpſerit eorum cœtus, qui ſequenda Calvini placita legit, vel exinde colligere eſt, quòd hoc ipſo anno 1613. univerſos Principes ac Status ditionum Sileſiacarum, ſcripta *pètitione* ſatis prolixa is fatigarit, pro ſuſcipienda *Eccleſiarum ibi plenaria & perfecta reformatione*, nimirum Calviniana, cum proſcriptione ac ſuppreſſione omnium ab ipſis diſſentientium conjuncta. Scilicet iſtud hominum genus & nomen & gloriam, tàm *Reformantium*, quàm *Reformatorum*, venatur avidiſſimè, ac ſibimet arrogantiſſimè, quaſi quodam jure, vendicat. Allegatæ petitioni *neceſſariam admonitionem, impoſturarumque Calvinianàrum detectionem* oppoſuit *Wolfgangus Mamphraſius*, Eccleſiæ Wurzenſis Antiſtes Lutheranus, &, poſt ipſum *Fridericus Warnerus*, Fridbergenſis. Ex libello virulentiſſimi Calviniani Anonymi, ſub nomine diſſertationis monitoriæ ad D. Matthiam Hoë, an. 1616. edito, pag. 141. Cæterùm, ut verba *D. Dannhaueri* habent, „ Reformati „ non ſunt, qui primùm à Calvino formati, in Eccleſia veteri hoſpi„ tes ac peregrini. Benè *Waltherus*: Malitioſa dogmatum propugna„ tione, intempeſtiva adiaphororum, rerumque ſua natura indiffe„ rentium, puta exorciſmi, placentularum orbicularium, imaginum, „ concentûs muſici, & organorum, cereorum, altarium, veſtium al„ barum abrogatione, legum Moſaicarum forenſium in Chriſtianas „ reſpublicas revocatione, & panifragii in S. Cœna repræſentativi „ obtruſione, ſimilibusque næniis ac affaniis, Eccleſia orthodoxa „ non reformatur, ſed deformatur; turbatur, non ædificatur. Interim „ Reformationis laudem, ita pergit Argentinenſis Theologus, LU„ THERO eripi non patimur, de quo verè dici poteſt illud: Filioli „ mei, quos iterum parturio, donec formetur CHRISTUS in vobis. „ Neminem puto, qui non omni ſenſu & rerum Germanicarum no„ titiâ deſtitutus eſt, negaturum, benigniſſimum Deum, per Mini„ ſterium Lutheri Eccleſias primò Saxonicas reformaſſe, ac poſteà „ plurimas per Germaniam, vicinaque regna. His igitur nomen Ec„ cleſiæ Reformatæ derogari non poteſt. Quod ſi concedatur, uti „ concedere veritas cogit; videant quomodò Reformatorum nomen „ ipſis competat, qui à communione Lutheranorum alieni ſunt? Aut quomodò Reformantes audire debeant, queant, qui nec primi

fuére, aut veri ſunt (ſecundum verbum Evangelii) Reformatores? vid. Hodomor. Calvin. Dannhaueri, procem. pag. 12. 13. Licent. Feller. not. ad Horn. orb. Imper. 42. pag. 101.

Iſta dum agebantur in Sileſia, magis magisque inter Calvinianos mitiores & rigidiores, *Remonſtrantes & Contra-Remonſtrantes* in fœderato Belgio augebantur diſſidia. Inde motus *Guilielmus Ludovicus, Naſſoviæ Comes, Friſiæ Gubernator*, pro benevolo ſuo erga Eccleſias & rempublicam affectu, privatim Utenbogardum ab una, ac Hommium ab altera parte monuit: ut, quandoquidem & ipſe ſtatus Reipublicæ contentionibus hiſce Eccleſiaſticis graviter concuteretur, amicè ac fraternè inter ſe diſpicerent, annon aliqua componendi triſtiſſimi hujus diſſidii, ineundæque concordiæ, via honeſta reperiri poſſet? *Hommius* declarabat, ſi Remonſtrantes in nullis aliis articulis, quàm in quinque illis de Prædeſtinatione, annexisque capitibus, à reliquis Paſtoribus diſſentirent, exiſtimare ſe, viam reperiri poſſe, quâ pax aliqua inter partes ſtabiliri poſſet, donec in Synodo Nationali tota controverſia componeretur; ſed graves eſſe cauſas, ob quas Eccleſiæ crederent, Remonſtrantes in pluribus majorisque momenti articulis à recepta fœderati Belgii doctrina diſſentire. *Utenbogardus* ad hæc rogatus, reſpondit, ſe præter quinque Articulos nil habere, in quo diſſentiret, paratumque ſemper fore, ſententiam ſincerè declarare ſuam; nec dubitare, quin plerique Remonſtrantes idem facturi eſſent; nihilque ſe magis optare, quàm ut ea de cauſa colloquium inter aliquot moderatioris ingenii Paſtores inſtitueretur. Cùmque eandem declarationem Hommio privatim Leidæ repetiiſſet, convenit inter ipſos, apud ſuos uterq; procuraret, ut Paſtores utrinque tres deputarentur, qui amicè convenirent, ſeriò de commoda pacis via inter ſe diſpecturi, quæ deinceps cum Eccleſiis communicari atque ab iisdem approbari poſſet. *Ordines Hollandiæ*, cùm intelligerent conſilia hæc privatim agitari, ſtudium comprobarunt, publicoque nomine, ut quamprimùm iſtud inſtitueretur *Colloquium*, demandarunt. Hac ergò de cauſa convenerunt in urbe *Delphenſi* tres à parte Remonſtrantium, totidemque à parte Contra-Remonſtrantium Eccleſiaſtes; Perſiſtentibus autem illis in ſua *Tolerantia* quinque articulorum, & his èontra in *convocatione Synodi Nationalis*, iterum re infectâ diſceſſum; niſi quòd Hommius cum ſuæ partis Paſtoribus tandem diceret, quandò diſſentientes Tolerantiam toties petitam honeſtis paterentur circumſcribi

conditionibus, de iisdem ſe paratos ulteriùs conferre; ſic tamen, ut Remonſtrantes mentem ſuam de uno alteroque articulo præter quinque ab initio controverſos, candidè declararent. vid. præfat. ad Act. Syn. Dordrac. lit. e. 4. & ſeq.

Paulò pôſt *Britanniæ Rex Jacobus primus*, de capitibus Religionis hactenus in Belgio tàm acriter controverſis certior factus, menſe Martio *ad Ordines fœderatos* hunc in modum ſcripſit: „ Sublimes ac „ Potentes Domini, amici noſtri, ſocii ac fœderati. Adfectus noſter „ erga bonum Reipublicæ veſtræ, præſertim in his, quæ ad veram „ religionem Chriſtianam pertinent, efficit, ut cum dolore intelli- „ gamus, certamina ſuborta inter Miniſtros populumque veſtrum, „ occaſione Theologicarum Diſputationum. Vidimus capita & di- „ ſcrepantes ſententias, ac reperimus, eas ſpectare divinam præde- „ ſtinationem, & quæ inde pendent; quæ magnas ſæpè diſſenſiones „ in Eccleſia pepererunt. Et quanquam certi ſimus, pro veſtra pru- „ dentia & ea autoritate, quæ vobis ſuper Rempublicam, Eccleſias, „ ac Miniſtros competit, vobis rationes non defore, quibus iſtas „ contentiones ſopire, finemque ipſis imponere poſſitis, ne longiùs „ erumpant in diſpendium boni publici, tranquillitatis Eccleſiarum, „ promotionis divinæ gloriæ, ac veræ pietatis: Attamen ob eum me- „ tum, quo tenemur, ne iſtæ controverſiæ majus malum tumultum- „ que majorem moveant, conſilium hoc vobis damus, experiundo „ nos didiciſſe, diſputationibus theologicis id genus quæſtionum „ difficulter terminari: Magis autem è re fore, ut ſopiantur autori- „ tate publica; ita ut prohibeatis Miniſtros veſtros, ne diſputationes „ in ſuggeſtum aut ad plebem ferant, ac ſtrictè imperetis, ut pacem „ colant, ſe invicem tolerando in iſta opinionum ac ſententiarum „ diſcrepantia, quæ ſuper dictis capitibus inter ipſos invenitur, ſal- „ tem donec maturè cognitô negotiô, autoritate publica per vos „ aliter ſtatuatur. Eòque juſtiùs videmus vobis hoc ipſum ſuadere „ debere, quòd cùm in libello, quem nobis Eques Carronius, Le- „ gatus veſter, exhibuit, ſatis amplè explicatas partis utriusque opi- „ niones & rationes, queis nituntur, viderimus, neutram comperi- „ mus adeò deviam, ut non poſſint & cum fidei Chriſtianæ veritate, „ & cum animarum ſalute conſiſtere &c. Hæc Sereniſſimus Britan- niæ Rex Jacobus, allegantibus ac producentibus ea Remonſtranti- bus, in reſponſione ad Epiſtolam Walachrianorum, lit. c. 2. pag. 20. *Exceptio Contra-Remonſtrantium*, habetur in citata præfatione actorum Sy-

Synodi Dordracenæ, huc tendens: „ Remonſtrantes quoddam ſcri-
„ ptum, quo verus Controverſiæ Status callidè diſſimulatus fuerit,
„ per Hugonem Grotium in Angliam miſiſſe, addito epiſtolæ exem-
„ plari, & rogaſſe, ut N. à Rege peteret, quoniam cauſa hæc alia ra-
„ tione, quàm per Tolerantiam, componi non poſſet, ejus Majeſtas
„ dignaretur ſecundum additi exemplaris formam, ad Ordines Ge-
„ nerales literas dare; quas ille captata opportunitate ſubreptitiè im-
„ petrarit, easque Ordinibus transmiſerit. Confer Hülſemann. de auxil. grat. 299. Calviniſm. Irreconciliab. 247.

LIB. II. CAP. XI.

Summaria.

Determinatus ultimi & univerſalis Judicii annus.

Caſtigatio Aſtrologorum, ob futurorum eventuum varias prædictiones.

Jacobi Böhmii AURORA, excrementorum corruptiſſimi cerebelli plena.

Jacobi Arminii conſpiratio cum Socinianis, poſt viri fata demum literis Parei prodita.

OMnibus ferè ſeculis tentarunt nonnulli (quos Fanaticis annumerat D. Gerhardus in dedicatione diſputationum Academicarum, Jenæ habitarum) *certum adventûs Domini ad judicium extremum tempus indagare ac determinare,* vel revelationibus neſcio cujus ſpiritûs, vel ratiocinationibus ſuis, vel magnorum etiam virorum autoritatibus confiſi. Priſcorum exempla temporum, brevitatis ergò miſſa facimus. Noſtro hoc ſeculo, ex vocula JUDICIUM, in quo omnes literæ ſunt numerales, non pauci collegerunt, anno 1613. judicium ultimum & univerſale futurum; eòque videtur D. Menzerus etiam, Theologus Gieſſenſis celeberrimus, & ab omni quidem Fanaticiſmo prorſus alienus, collimaſſe, in dedicatione Exegeſeos Auguſtanæ Confeſſionis, quam hiſce voluit claudere verbis: *Anno à nato CHRISTO milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio, quem enumerat vox jam olim ominoſa JUDICIUM.* Toto autem cœlo, ut habet vulgiverbium, errarunt & errant omnes, quicunque diem extremi judicii exactè rimari olim ſategerunt, hodieque ſatagunt. Illorum prædictiones ab ipſa eluſæ ſunt experientia; horum vaticinia refellunt expreſſa Chriſti, & Apoſtolorum dicta, monitaque pluſcula, de quibus ex informatione Theologorum, etiam ſimplicioribus abundè con-

conſtare poteſt, ſanè debet. Nos igitur non appetamus habere cognitum, quod Deus voluit abſconditum; quia loqui volentes (extra Scripturam) de DEI profundo, plerumque merſi ſunt in profundum. Unde rectiùs omninò tempus, quod curioſæ indagationi tribuitur, ſtudioſæ præparationi impenditur. Vid. Gerhard. Tom. ult. loc. commun. de extrem. Jud. §. 78. pag. 181. 186. Bakius in expoſ. Evangel. part. a. pag. 42. ſeqq.

Aſtrologos t. t. ob futurorum eventuum inter mortales, ob actionum, paſſionum, ſortiumque humanarum varias prædictiones, & quaſi prælectiones è ſtelliferis cœli paginis *D. Wolfgangus Franzius*, Theologus Wittenbergenſis, hoc modo caſtigavit in tractatu de interpretatione S. S. legitima, Oraculo XXIII, pag. 265. „ Animadvertit ex dictis de Principe regni Paras Angelo magno, liberationem „ Iſraëlitarum ex captivitate Babylonica urgenti tribus reſiſtente „ ſeptimanis, animadvertit, inquam, B. Lector, unde ſint in rebus „ humanis tot confuſiones, & ex qua originali cauſa prodeant? Nimiùm igitur aberrant, qui tantarum confuſionum autores conſtituere allaborant varios atque varios poſitus variorum planetarum „ cum aliis atque aliis ſtellis. Sic enim (pergit W. Theol.) in quibusdam Calendariis legi ſuper annum, qui, dum hæc ſcribo, decurrit 1613. peregrinari malum! triſtes caſus! Incendia, cædes, turbulenta conſilia, pernicioſæ machinationes! infauſta eruditis omina; Magnates in periculo; fraudes, perfidiæ, proditiones, bella; „ nova fœdera, Magnatum congreſſus, falſa judicia; conflictus Doctorum, tyrannica facinora, nefanda &c. Si enim vera ſunt, ſubjicit Franzius, ut ſunt veriſſima, quæ dixi de DEO, ob iniquitates „ hominum diabolos inter homines immittente à quibus lites, cædes, falſationes, perfidiæ, ac multiplices cientur confuſiones; tùm „ utique vel operationi aſtrorum adſcribi, vel ex aſtrorum poſitu talia prædici nullo modo poſſunt. Interim vires, quas Phyſici ſtellis ineſſe probant ſolidè, aliàs ego minimè tollam, aut negabo, qua „ de re alibi. Hactenus iſte Theologus. Quomodo *Judiciaria* ejusmodi *Aſtrologiâ* peccetur in legem DEI, in legem humanam, in aſtra ipſa, in rempublicam, in hominis axioma, ſi legere libet, invenies in Deuteronomio Dannhaueriano pag. 341. ſeqq. Rem quoque omnem hac in materia videtur acu tetigiſſe D. Balduinus in Caſ. Conſc. lib. 3. caſ. 2. pag. 582. 585. pl.

Jaco-

Jacobus Böhm, calceolarius Görlizenſis, de quo lib. 1. cap. LXVII. elapſo proximè anno libellum, cui titulus AURORA, ſcripſerat; quem fœtum fanaticum Görlicii Magiſtratus equidem ocyùs ab initio autoritate ſua cohibere voluit, ſed non potuit; quia citiùs cum fumo quis paciſceretur, ne alta petat, quàm ejusmodi crabronem ſuo ſenſu entheatum in ordinem redigeret, ut verba D. Wagneri habent in Judicio propemptico de Boëmi ſcriptis pag. 2. Vetito ſæpè gliſcit autoritas rerum, ſplendeſcitque non rarò per flammam, aliàs obſcurus liber; privatim acriùs legi amant, publicè caſtigata, judice Grammondo hiſtor. lib. 1. 11. Ita ceſſit Bohemo, cujus opuſculum in majus auditum, ex quo vetitum. Certè, quicquid portentorum tunc ſutor ultra crepidam ſolers, ibi congeſſit, id omne nunc in vulgus emanare occipit. Non ergò poſſumus non de illis corruptiſſimi cerebelli excrementis unum alterumque hîc leviter tangere, & in medium producere, ex quibus ſpiritum Ecſtatici hujus Luſati dignoſcere Lector facilimè poſſit. Nempe, „ Deum conſiſtere, fingit, è ſeptem ſpeciebus aut generationibus; has generationes non habere principium, ſed ſe ab æterno generaſſe; & ſecundum hanc profunditatem Deum ipſum neſcire, quis ipſe ſit. Eſſentiam DEI Patris in tres æternas differentias dividi, unamque eſſe mundum igneum; Secundam tenebroſum mundum; tertiam denique mundum luminoſum; attamen unam ſolùm eſſe Eſſentiam inter ſe; verùm unam non eſſe alteram: Tres illas differentias eſſe ſimiliter æternas & infinitas neque loco neque tempore concluſas; quamlibet differentiam ſe includere in ſe, in una eſſentia, affectionemque ejus eſſe deſiderium, Centrum naturæ, blaterat: „ Deumque condidiſſe Chriſtum ex illa Deitate, ex qua Lucifer conditus; collocâſſe illum in thronum regis Luciferi; Chriſtum accepiſſe à DEO (Patre) talem poteſtatem, qualem Lucifer ante lapſum ſuum habuerit: Spiritum Sanctum procedere ex Trinitate; Eſſe amorem & manſuetudinem DEI; Spiritum S. in anima creaturalem eſſe: Angelos eſſe DEI filios, ex DEI eſſentia, garrit; „ eſſe Spiritus æternos, ex æterna natura, quæ ſit ipſiſſima DEI Patris, in initio principii; quemlibet angelum eſſe creatum, uti tota Deitas; Angelum eſſe parvum quendam Deum; angelos eſſe creatos à DEO, & ex DEO ipſo: Diabolum, magnam Deitatis partem eſſe, juxta naturam Patris; Inter Deum & Luciferum, aliud non eſſe diſcrimen, quàm inter parentes ac liberos, blaſphemè delirat

„ rat &c. Terram ex Luciferi ortam imaginatione; Luciferum etiam „ igne ac frigore horrendis ictibus inter tonitrua & fulgura, adver- „ ſus Dei filium, ceu ingentem Deitatis partem, tumultuatum eſſe: „ In paradiſo creviſſe arborem, duabus qualitatibus contrariis, bo- „ nâ nimirum & malâ, conſtantem; ne de fructibus arboris illius e- „ derent Adam ac Eva, Deum præcepiſſe, ſed malam naturæ quali- „ tatem pugnâſſe cum bona, & protoplaſtos eò moviſſe, ut veſce- „ rentur, ſomniat. Arborem Naturæ, cùm ad medium ætatis per- „ venerit, incepiſſe dulces quosdam fructus producere, Prophetas „ videlicet, ex dulci quodam arboris ramo natos, fabulatur; Ethni- „ cos autem, omnesque populos in terra habitantes, ex arbore ſyl- „ vatica, quæ ſimul bona ſit atque mala, ortos. Hominis animam „ ſive ſpiritum, non tantùm è ſtellis ac elementis, verùm etiam ex „ eſſentia Dei originem, & quidem totam habere, nugatur; alibi ta- „ men, ſui oblitus, contendit, animam ſui originem trahere, non „ tantùm è corpore, ſed & fontem ſuum ducere ab extra, nempe per „ aërem. Iram Dei, rudit, non extinctam fusô Chriſti ſanguine, ſed „ ſanguine vitæ æternæ, ex ipſiſſima Dei eſſentia; perſonam Chriſti, „ utpote creaturam, non potuiſſe propria virtute operari miracula, „ ſed Mercurium, ceu verbum vivificum in eo, patraſſe. Primam „ promiſſionem Evangelicam, ita pervertit: Mulieris ſemen, tan- „ quam cœleſtis tinctura, ſerpenti, tanquam venenato in qualitate „ mortis Mercurio, caput conteret, venenumque in vinum trans- „ mutabit; tunc virgo ſemen ſponſi concipiet, non priùs. Improbo- „ rum animas, narrat, ex mundo hoc in tenebroſum vadere, in æter- „ nam naturam, in matrem ſuam, unde venerit, & in qua naturali- „ ter ſubſiſtat; quomodò autem aliàs Deus animam in infernales „ ignes projiceret, niſi ex eo foret? ſtultè ſubjicit; Animasque im- „ piorum, unà cum Diabolis reverti in locum, ex quo in initio crea- „ tionis ſuæ prodierint, nempe in Centrum naturæ &c. Videatur Hornbek. ſum. Controverſ. 456. ſeq. Eraſm. Franciſci Gegenſtrahl der Morgenröthe/ pag. 715. 762. ſeqq.

Jacobum Arminium Veteraquinatem, de quo lib. 1. cap. XIII. an. 1603. & ſeqq. *cum Socinianis*, dum viveret, *conſpiraſſe*, hoc demum an- no 1613. literis primo Martii die ad amicum in fœderato Belgio pro- didit *Pareus*, Profeſſor Heidelbergenſis, cùm hæc in verba erupit: „ Arminium veſtrum Sociniani in Polonia expreſsè, ut ſuum, nuper „ nominarunt, unà cum quodam Bonſinio & Acantio clandeſtinis

„ aſſe-

„ aſſeclis, quorum autoritate poſtularunt à fratribus orthodoxis „ (Calvinianis) fraternitatem, iſti verò recuſarunt fortiter; acta miſit ad me Synodus Lublinenſis, cui poſtridie Natalis Domini reſpondi. Hæc Paréus, allegante Kromajero in Scrutin. Relig. diſp. 8 de Arminianiſ. 190. Sed quomodòcunque ſe res habuerit cum Arminio; quomodòcunque cum Polonicis Paréi fratribus; jam dudum tamen à Theologis præſtantiſſimis clarè monſtratum eſt, ſi Calvinianorum hypotheſes in pluſculis fidei Chriſtianæ articulis accuratè penſitentur, cumque Socinianorum conferantur theſibus, hiatum inter utramque partem non adeò magnum remanere; Vertimus autem ſtylum ad alia.

LIB. II. CAP. XII.

Summaria.

Colloquium Durlacenſe, inter Gonterium & Wägelinum, ſine ſucceſſu inſtitutum.

De Gonteriano diſputandi modo, Fechtius.

Controverſia de reſurrectione impiorum, inter Boſkium & Balduinum agitata.

Harmonia præcipuorum Errorum, Calvinianorum & Photinianorum, à Grawero in lucem emiſſa.

Andreas Eudæmon, & Robertus Abbotus, pro & contra Garnettum in cauſa pulveraria.

Aubertus Miræus, ob Sigeberti Chronicum notatus.

Martyrologium Herbornenſe, de Bibliis, & Bibliſtis in ignem conjectis.

Summa literarum Alexandrini Patriarchæ, ad Eccleſiaſtem Hagienſem datarum.

EX conventione Georgii Friderici, Marchionis Badenſis, & Franciſci, Lotharingiæ Ducis de Vadano monte (Vaudemont) ſub finem Junii privatum quoddam *Colloquium Durlaci* debebat inſtitui, nonnullos inter Theologos Pontificios, ac Lutheranos, quo de controverſis fidei articulis diſputaretur. Cùm verò Dictatores potiùs, quàm Diſputatores agere vellent Lojolitæ; *Gonterius* inprimis, *Wägelinum* cum paraſtatis, ad novam, iniquam, ineptam & hactenus inauditam apud eruditos methodum aſtringere; in fumum abiit omne negotium. Equidem promiſerant Principibus, boni Sodales Ignatiani, ſe cum Lutheranis, ex inſolita liberalitate, diſputaturos è ſola Scriptura ſacra; Unam & ſolam hanc inter diſſentientes partes debere judicis officio fungi, excluſa omni alia conditione, clamabant.

bant. Magnum certè verbum! ſi verum fuiſſet; aſt latebat anguis in herba; Malus ubi ſe bonum fingebat, peſſimus extabat. Primò namque pro lubitu formabant Gonterio-Papani propoſitiones, ut eas, quæ verbis affirmativis enuntiandæ, & probandæ fuiſſent, negativis permutarent; Negantes viciſſim, in affirmativas verterent pro lubitu, & conſignarent. Eò deinceps adigere diſſentientes, allaborabant, ut omnia dogmata ſua, tùm affirmativa, ut vocantur, tùm negativa, puris putis S. Scripturæ verbis, nullo æquipollentium aut conſequentiarum uſu vel auxilio conceſſo, comprobarent; Non ignari licet, ſua quæ tueri volunt plurima, nec puris putis Scripturæ S. verbis, nec ullis conſequentiarum fidiculis, nedum nexu ſtringente ac neceſſario probari unquam potuiſſe, vel etiamnum poſſe. Quod cùm planè abſurdum & intolerabile videretur, ſtolidi Novatores, infecta re dimiſſi, atque ad ſuos reverſi ſunt; recenſente Schadio in Contin. Sleid. ad h. an. & Chriſtophoro Bindero D. in Sophyſta Polycephalo pag. 3. 18. pl. confer D. Hülſemanni tractatum de præſcriptione A. 3. ſeq.

De invento iſthoc Lojolitico *D. Fechtius* in diſput. Miſcell. an. 1675. in Marchionatu habita, ſcripſit: „ *Artis novæ*, ut in omni An„ tiquitate erudita ignoratæ, ita prorſus monſtroſæ primus, quan„ tum publicè conſtat, autor è Pontificiis eſt, Gonterius, qui in Dur„ lacenſi Colloquio dignum hunc Jeſuiticâ ſapientiâ fœtum, non „ tàm excluſit, quàm lambendum oſculandumque propoſuit. Quan„ quam autem inventum tàm ſtolidum ſit, ut cordatos eruditosque „ jam diu illius puduerit; longè tamen ſtolidior & propemodum in„ tolerabilior eſt, in inveſtiganda *prodigii hujus origine*, ſive Calvinia„ norum quorundam calumniandi libido, ſive Pontificiorum fin„ gendi malitia, dum vaniſſimæ artis fundamenta jeciſſe Luthera„ nos blaterant. Hæc Fechtius. Confer Syſtem. Theol. D. Calovii, A. 359. & Rechenberg. de maleſana & ſana in Theologia curioſitate lit. F. 2.

Inter duos Auguſtanæ Confeſſionis Theologos, *Henricum Boëtium*, Helmſtadienſem, & *Fridericum Balduinum*, Wittebergenſem, Doctores & Profeſſores, publicè agitata *controverſia de reſurrectione* (vel potiùs cauſa reſurrectionis) *Impiorum*; ſcilicet an Impiorum quoque reſurrectio pendeat à virtute meritorum & reſurrectionis Chriſti, an verò ex alia cauſa? ſeu, *an impiorum reſurrectio ſit fructus meritorum & reſurrectionis CHRISTI, nec ne?* Prius tenuit Boëtius, exiſtimans

mans hàc ratione virtutem meritorum Chriſti egregiè amplificari, quæ negativâ dejiciatur & infringatur: Poſterius aſſeruit Balduinus, id ſanæ doctrinæ de Univerſalitate meriti Chriſti nequaquam adverſari, judicans. Ille, ad opinionem & caſtra Calvinianorum accedere, eorumque cauſam in oppugnanda beneficiorum & meritorum Chriſti amplitudine, ab ipſo diſſentientes juvare, contendit; Hic pati aliquid humani cenſuit, opinantes, negatione quæſtionis, meritorum Chriſti omnium, & omnis eorum virtutis, jugulum peti. Argumenta & rationes utriusque partis exhibet Commentarius Balduini, quem conſcripſit in epiſtolam priorem ad Corinthios, cap. 15. part. 2. quæſt. 2. plur. Kromajer hiſt. Eccleſ. 649.

In lucem publicam anno 1613. emiſſa eſt, autore *Alberto Grauero, Harmonia præcipuorum Errorum, Calvinianorum & Photinianorum.* Non ſemel Calviniani Lutheranarum Eccleſiarum Dd. in evulgatis accuſavére ſcriptis, quòd per aſſertionem de reali divinorum Idiomatum communicatione carni Chriſti facta, furorem eorum, qui veram Chriſti Deitatem inficiantur, promoveant, feneſtram ad Arianiſmum aperiant, ac, ſtante illâ hypotheſi, Photinianorum hæreſin verè ac ſolidè refellere non poſſint. Luculentam Lutheranis injuriam fieri, *D. Gerhardus* clariſſimè demonſtravit; Calvinianis autem Doctoribus jure ac meritò, adeòque citra calumniam tribui poſſe, regeſſit, quòd ipſi ſuis hypotheſibus, quibus confeſſionem cœtuum A. C. hactenus oppugnarunt, placito nimirum de abſoluto prædeſtinationis decreto, de exaltatione Chriſti ſecundum utramque naturam, de judicio Rationis in rebus fidei, ac ſimilibus; ut & quorundam Scripturæ S. dictorum detorſionibus, occaſionem Photinianorum blaſphemiis præbuerint, ac lacinias nonnullas huic hæreſeos panno ſuppeditârint; quin etiam ſalvis ſuis principiis diſputandi, quibus contra Lutheranos utuntur, firmiter Photinianos refutare nunquam valeant. Harmoniæ hujus Calvino-Photinianæ *primas quaſi lineas Grawerus* duxit, in allegato tractatulo; In cujus tamen frontiſpicio proteſtatus eſt, ſe Calvinianorum nomine non integras Eccleſias, ſed præcipuos quosdam DD. erroneis Calvini dogmatibus tenaciter adhærentes duntaxat intelligere, nec Photinianiſmi, quem publicis oppugnant ſcriptis, eos directè accuſare, ſed illud ſolùm docere velle, quôd ſalvis hypotheſibus & principiis ſuis, Photinianos feliciter oppugnare nequeant. Eadem deinceps proteſtatione præmiſſa, primis iſtis lineis (Grauerianis) colores velut

lut induxit *Johannes Gerhardus*, atque Harmoniam illam paulo prolixiorem dedit, in diſpp. Academ. pro glor. Dei habit. p. m. 1105. ſeqq. confer Balthaſ. Menzer. in præf. exeg. Aug. Confeſſ. pag. 5. ipſum tract. p. 285.

Poſtquam *Andreas Endæmon*, *Apologiam pro Lojolitis*, ad excuſpandos eos *quoad cauſam ſeu actionem pulverariam in Anglia* (pro Henrico Garnetto inprimis, de quo anno 1606. cap. XLI.) ſcripſerat; inter alios *Robertus Abbotus*, in Academia Oxonienſi Profeſſor Theologus, ei oppoſuit Antilogiam, anno 1613. Londini excuſam, ubi proditoria conſilia & conjurationes atrociſſimas Garnetti, aliorumque filiorum Ignatianorum, exploratiſſima veritate recenſentur; contrà verò Dæmonis iſtius ſpurciſſima mendacia, ſceleſtiſſimæque calumniæ adverſus Eccleſiam & Rempublicam Anglorum, quaſi omnem & religionem & juſtitiam in illo proceſſu AntiLojolitico violaſſent, fortiſſimè refelluntur, præſertim ex ipſa Garnetti confeſſione, in literis ad quandam nobilem fœminam ſcriptis, hiſce formalibus: *Mori me agnoſco non Martyrem triumphantem, ſed pœnitentem latronem.* Nec minùs ex ejuſdem verbis, poſt latam ſententiam propria manu conſignatis: „ Ego Henricus Garnettus Presbyter è So-„ cietate JESU, hîc liberè coram Deo teſtor, me nuperam intentio-„ nem illam pulvereæ actionis, prorſus illicitam arbitrari ac penitus „ abhorrendam, cùm ratione injuriæ & proditionis in Majeſtatem „ Regiam, Principem & alios, qui ſcelere atrociſſimo cædendi fuiſ-„ ſent; tùm reſpectu infiniti numeri aliorum innocentium, qui præ-„ ſentes extitiſſent: Et, quòd non revelaverim generalem notitiam „ intentionum Cateſbei ab ipſo perceptam, agnoſco me graviſſimè „ reum, & offendiſſe Deum, Regiamque Majeſtatem. Idem argumentum, dictus Abbottus, in *Tortura Torti*, i. e. in reſponſione ad *Matthæi Torti* librum, jam ante quatuor annos nempe 1609. ita ſolidè tractavit contra Lojolæ ſodales, ut ii nil quicquam validi reponere hactenus potuerint, judice Johanne Müllero, Hamburgenſi D. in Lutheri defenſi defenſione adverſum P. Carolum von Creutzen/ Sileſium, in dedicat. a. vij. ſeq. tract. 737.

Auberti Miræi, Bruxellenſis, Theol. Licent. *Notitia Epiſcopatuum* hoc anno, unà cum Geographia Eccleſiaſtica, prodiit, excuſa typis æneis per Johannis Moreti hæredes. Qua fide digna? (ut puto poſt obitum autoris edita) lector judicet. Aliàs malè audit Miræus, ob alios autores ab ipſo publicatos e. g. *Sigebertum*, cujus *Chronicum* fœdè

dè corrupit, integras hinc inde ſententias, adverſus Romanorum Pontificum temporalem in Imperatores Juriſdictionem facientes, abſcindens, referente D. Hülſemanno in Manuali A. C. adverſus Jeſuit. Hager. pag. 679.

Martyrologii compendium, Herbornæ t. t. editum, inter alia notatu digna, plurimis docet exemplis, quòd in Belgio, Anglia, Gallia &c. ſuperiori ſeculo à Papanis *Biblia ſacra* magno numero *in ignem conjecta* fuerint; imò & homines ex ordine ſeculari Biblia poſſidentes, ementes, vendentes, ob hanc ſolam cauſam comprehenſi, ad Inquiſitionis tribunal protracti, ſententiâ mortis gravati, ferro demum igneque trucidati. Nec ejusmodi caſuum noſtra hæc ætas expers eſt & ignara. Sacros ergò Divinæ veritatis & ſapientiæ libros habere ac legere, Vates Romani hæreticum judicant; imitati Myſtas Ægyptios, qui Sophiæ myſteria profano populo legenda prodere, nefas ducebant. Sed, ſi *Alcibiades* olim Ludimagiſtro, quòd *Homeri* ſcripta ipſi non ad manus eſſent, alapam impegit; quomodò hodie illi ſunt excipiendi, codicem DEI qui non tantùm non habent (non curant) ſed & habere (ac reverenter tractare) perniciosum, & nefas morte piandum ducunt? D. Johann. Müller. in def. Luth. 399. Johannes Beer, Luxenburgicus Belga, in oratione revocatoria pag. 29. confer 1601. & 1615. lib. 1. cap. 1. lib. 2. cap. XXIII.

Sub idem tempus *Alexandriæ Patriarcha Cyrillus* (Lucar is) ad Johannem Utenbogardum Eccleſiaſten Hagienſem in Hollandia, *Epiſtolam* prolixam & multa eruditione refertam exaravit, cum aliis Grotii poſtmodum editam; Cujus quia ſæpiùs à Theologis mentio fit, in ſcriptis ac diſcurſibus, nos immemores eſſe noluimus. Cyrillus iſte, Papam ac Patriarcham Alexandrinum (in Ægypto) ſe vocat. Primùm deinde differentiam Græcæ & Latinæ religionis circa doctrinam de proceſſione Sp. S. explicat; Baptiſmum porrò, ac Evchariſtiam, nominat potiſſima & principalia N. T. Sacramenta, ab ipſo Chriſto inſtituta, quorum uſus ad fidem atque ſalutem conſequendam ſit neceſſarius; de ceremoniis ac ritibus quoad ſacra, deque Liturgia Chryſoſtomi, & Baſilii, aliquantùm prolixus eſt; poſteà pergit ad quatuor Patriarchas, & eorum electionem; Eccleſiaſticum regimen apud ipſos Ariſtocraticum, ut optimum & à Deo inſtitutum, approbat atque commendat; Monarchicum Papæ Romani, cum Præceptore ac anteceſſore Meletio (de quo libr. 1. cap. XII) ceu Chriſto & Apoſtolis ignotum adverſumque carpit ac refellit;

ſellit; vehementer queritur de Conſtantinopolitanorum calamitate, tum ob Turcicam tyrannidem, quæ Patriarchas iis obtrudat largitionibus validos, tùm ob Romanenſes, præſertim Jeſuitas, quos dicit proficere, quod vulpes inter gallinas; ab iisdem plurimos errores imputari Græcis, maximè à *Sandero*, illorum Ariſtarcho, qui profusè multos in ſuo Chronologio recenſeat, omnes tamen unica hac litura facilimè delendos, Papæ R. ſi crederent Orientales Eccleſiæ, eum ſuperiorem vellent, ac profiterentur in terris Chriſti Vicarium; quin verò id negent facturos unquam, haberi Schiſmaticos & impios, excommunicari & condemnari. Vellicat etiam Cyrillus *Baronium*, qui Clementi VIII. blanditurus, literis prodiderit, illum Coptas convertiſſe, à quibus tamen peſſimè ſit deluſus. Petit ab Utenbogardo Catalogum optimorum autorum recentium, qui graviter doctèque ſcripſerint in utriusque Teſtamenti Divini libros, maximè Moſis, Majorum Prophetarum, Evangeliorum & Epiſtolarum Pauli, rogat quoque alios autores, tum Theologicos, tum Philoſophicos, addens: ,, Hoſtis Ignorantiæ ſum, &, ut populum ſimplicem atque indoctum non moleſtè fero; ita mihi diſplicet, Paſtores & Epiſcopos noſtros tenebris Ignorantiæ obmergi; hoc eſt, quod noſtratibus exprobro, ſed nihil proficio., Hottinger. in Topograph. Eccleſiaſt. 99. quo cum conferendus D. Vejel in defenſ. exercit. de Eccleſ. Gr. pag. 107. ſeq. ac Hilarius in Chronicon Cyprii, 442.

LIB. II. CAP. XIII.

Summaria.

Comitia Ratisponenſia, nullo fructu beata.
Hungarica Comitia, parum feliciora.
Vezlaria civitas, ab Haſſiæ Landgravio armis petita.
Pax inter Suecos Danosque reſtituta.
Polonia, ab ipſis Polonis vaſtata; Et à Tartaris Podolia.
Michaël Federowiz, novus Moſcoviæ Dux creatus.
Legatus Perſicus, domi adventans ex Aula Turcica, malè exceptus.
Nuptiæ Ducis Neoburgici, cum Sponſa Bavarica.
Henrici Julii Brunſvicenſis obitus; Et, Sigiſmundi Battorii.

Comitiis aliquandò publicis, Grammondus inquit, nil debemus præter immenſos ſumptus, quos pro ampliſſimo cœtu impendimus. Hoc ipſum de *Comitiis Ratisbonæ* hoc anno habitis, haud in-

ineptè repetimus. Cùm enim potior pars Antipapanorum Statuum ſe à conſultationibus publicis, quoad querelas eſſet ſatisfactum, ſubducerent, Procerum diſcordia crevit, & rebus infectis diſceſſum eſt; niſi quòd conſtitutio Pacis Religioſæ ac profanæ, publicô, ut vocant, Receſſu repetita firmaretur; confirmatione tamen inter nuda propemodùm verba ſubſiſtente. Cluver. epit. hiſtor. 769. ſeq. & Pupill. Rom. Imp. Q iiij. quæſt. 1.

Hungarica quoque *Comitia Poſonii* celebrata, ipſo Rege Matthia præſente. Inter alios propoſitionis articulos poſtulatum fuit, ut abrogaretur *decretum de Germanis ex arcibus ac limitaneis Regni propugnaculis exterminandis*, quia Nationales in eo ſtatu non ſint, ut Soli contra Turcicam potentiam ſe tueri ſufficienter valeant. Sed Hungari annuere & ſubſcribere poſtulato noluerunt, quibusdam in talia prorumpentibus verba: Sive ab urſo, ſive à lupo devorarentur, perinde ſibi eſſe; ſub nomine Lupi Germanos intelligentes. Quibus Rex, cognito iſthoc ſermone, reſponderi curavit: futurum, ut ſceptrum aureum detrectantes, ferreum tandem admitterent. Miſſo poſtmodùm ad Ordd. decreto, quo articulum de admiſſione Germanorum denuò ſub deliberationem ſumi, & concluſionem de eo, ſecundum vota majora fieri voluit; quare tandem in hanc ſententiam itum eſt, ut ad propugnacula & Præſidia Limitanea, Germani æquè ac Hungari admitterentur, ita tamen, ut ubi præfectus eſſet Germanus, ibi ſubpræfectus conſtitueretur Hungarus; referente Artho tom. 9. lib. 4.

Vetzlaria Civitas Imperialis h. t. à *Ludovico, Haſſiæ Landgravio*, armis appetita, ob controverſiam de hæreditario præfecturæ ac patrocinii jure: cùm verò adventantibus Ludovicianis copiis Vetzlarienſes obſiſtere non poſſent, portas aperuére, admittentes Principem, qui conſtituto in urbe præfecto, milites abduxit, atque dimiſit; Gieſſæ rem totam dein compoſuit. Hofm. Lex. univerſ. 575. & Arthus tom. 9. lib. 5.

Mediante Anglorum Rege Jacobo I. *Pax inter Daniæ Sueciæque Reges* reſtituta, hisce conditionibus, ut deleto Lapponum titulo, Calmariam reciperet Suecus; Elsburgum autem tantisper pignori relinqueret, usque dum in ſumptus belli Dano duodecim auri tonnas numeraſſet. Spener. in Syllog. geneal. 50. Pufendorf. in continuatione Introd. ad notit. præcipuorum Statuum Europæ, 640. pag. & ſeq.

Poſt-

Poſtquam *Sigismundi III.* Exercitus à Moſcovitis profligatus eſſet, milites diſſipati repetiére Poloniam, paſſim omnia miſerè vaſtantes; Irruére deinceps in Boruſſiam, quæ territa Polonorum damno, magna pecuniæ ſumma vaſtationem redemit. Audientes hoc, audentes facti Tartari, Podoliam infeſtarunt. Quibus & Moſcovitis, ne Suecus (bello Danico jam liberatus) accederet, Armiſtitium in duos annos expetiit, perque Brandeburgicum Electorem, & Angliæ Regem obtinuit. vid. Arth. & Pufendorf. libb. citat.

Cùm *Ruſſi* viderent, ſe nonniſi prædam & ludibrium eſſe Exterorum, *ex propria* iterum *gente* Imperatorem (*Magnum Ducem*) quæſiverunt. Hujus conſilii primus & autor & adminiſter dicitur fuiſſe homo ex infima plebe, *Zacharias Nippenow*, lanius Pleskovienſis; qui factus ductor exercitus, & Quæſtor, mox Polonos ejecit Moſcoviâ, ejusque Rectorem ſummum ac diademate ornandum elegit *Michaëlem Federowiz*, florentem ut ætate, ita virtutibus, juvenem, qui confuſam & exhauſtam civilibus turbis patriam brevi tempore reſtituit, ac pace diu exoptata iterum beavit. Horn. orb. pol. p. m. 59. & orb. Imp. 385.

Inter hæc *Perſarum Rex, Legatum ſuum*, quem Conſtantinopolin miſerat conficiendæ pacis causâ, domum cum articulis reverſum, capite plecti curavit, quòd ſcriptum in illis vidiſſet, Perſarum Regem ſub ſpecie munerum quorundam debere Sultano Turcico annuum tributum ſolvere. *Oratorem* verò *Turcicum*, Legato adjunctum, Conſtantinopolin, effoſſis priùs oculis, & amputatis manibus, remiſit. Quo facto Sultanus, & nova rebellione Arabum irritatus, copias in Transſylvaniam deſtinatas revocavit, eis in Aſia uſurus; cùmque cognoviſſet, quid in Comitiis Hungaricis ageretur, pacem in Dacia & Polonia ſervaturum ſe promiſit. Mercur. Gallo-Belg. tom. 9. lib. 4. pl.

Papani Germaniæ Principes, quò Brandeburgici & Neoburgici animos diſtraherent, hunc ſuarum partium facere omni ſtudio contenderunt, *nuptias* ei offerentes *filiæ Wilhelmi Ducis Bavariæ*, ac perſuadentes, Monachii undecimo anni menſe celebratas, præſente Philippo Ludovico, Sponſi parente; ubi tamen, quod Lutheranæ religionis homines multum offendere potuiſſet, nihil factum in ceremoniis; hoc tamen modo viam ſtravére Pontificii, ut *Wolfg. Wilhelmus Neoburgicus* communionem Evangelicorum deſereret, ac *pientiſſimus ejus Parens mœrore conſumeretur*. Boxhorn. Chronol. p. m. 149. & Calviſ. 968.

Per-

Perſolvit Naturæ debitum *Henricus Julius, Dux Brunſvicenſis,* relictis præter complures alios utriusque ſexus liberos, inprimis Chriſtiano, Halberſtadienſi Epiſcopo, & Friderico Ulrico, Parentis in regimine Succeſſore. *Oppidò memorabile* hoc eſt, quòd inter omnes Lutheranos Epiſcopos, ſive electos, ſive poſtulatos, Papa R. neminem (quantum conſtat) confirmaverit, niſi unum Henricum Julium, Ducem Brunſvicenſem ac Luneburgenſem, poſtulatum Epiſcopum Halberſtadienſem. Notit. Procer. Imhof. 465. & Burgoldenſ. Notit. rerum Imper. 337. pl. A.

Et, *Sigiſmundus Bathorius,* qui è Transſylvania in Bohemiam venit, inque Magnatum Regni numerum adſcitus fuit. Zeil. Epiſt. B. 386. ſeq. Turſell. hiſt. lib. 10. 257.

LIB. II. CAP. XIV.

Summaria.

Diluvium in Thuringia luctuoſiſſimum, præſertim Vinariæ.
Incendia, grandines, fulmina.
Partus, fœminei ſexus, magna admiratione dignus.
Adoleſcens pro mortuo habitus, & ſepultus, ad ſuos vivus rediens.
Ramæus, ob crudelia facinora capite plexus.
Mors Baudii, Caſelii, Ritterſhuſii.
Et, Eraſmi Gröningeri, Patris.

T*Empus illud* chaſmatis, prodigiis, terræ motibus, procellis, eluvionibus, incendiis *valdè portentoſum* erat, unde cordati accenſam in mortales Dei iram, perſpicuè ominabantur. Inprimis *Thuringiæ* luctuoſus fuit exitus menſis Maji, maximè dies vigeſimus nonus. *Tempeſtas* enim turbulentiſſima circa horam ejus diei veſpertinam ſeptimam exorta, tantam inter horrenda tonitrua & fulgura profudit pluviarum grandinumque copiam, ut multorum ſpatiô milliarium, verſus *Erfordiam* atque *Mulhuſium*, omnes agrorum & pratorum hortorumque ſegetes ac proventus perdiderit, & paſſim damni quamplurimum dederit; præſertim *Vinariæ,* quæ Principum ſedes eſt. Fluvius quippe urbem alluens, confluentium undique aquarum accumulatione in tantum ſubitò excrevit, ut *exundatione facta,* multos lignorum acervos, pontem ſaxeum, viridarium Principis, ædificia pluſcula tùm publica, tùm privata, horti ad arcem pertinen-

tinentis murum, nec non propugnaculum ad arcis mœnia poſitum, aliasque ſtructuras impetu incredibili diſturbaret ac abriperet; corruptis inſimul omnibus, quæ in cellis & ſubterraneis locis, atque ſtabulis fuére, vaccis, vitulis, equis, pecoribus aliis, & altilibus magno numero ſubmerſis, abreptis etiam ſuffocatisque hominibus non paucis. In pagis vicinioribus Mellingæ, Krauthemii, Brembachii, Kromsdorffi, Herreſæ, Magdalæ, Sinderſtadii, Sultzbachii, Apoldæ, Fronſtadii, Sulzæ, &c. tantam ſtragem edidit, ut virorum, mulierum, puerorum, infantum, hominum omnis ordinis & ætatis, plus mille iſthac tempeſtate ad horam usque noctis tertiam continuatâ miſerè perierint; enitentibus tamen in media calamitate multis divinæ benignitatis & paternæ providentiæ argumentis. Arth. tom. 9. lib. 4. plur. Georg. Albrechti Litaney-Predigten. pag. 280.

Vinariæ homines alutarii & coriarii cum ſuis familiis, dum undique circumventi, deſperatis rebus omnibus, fugâ ſalutem petere non poſſent, ſed aquas horribiliter in ædes ſuas ſævire perſentirent, ultimum vale invicem blandè dixerunt, ac tempeſtatem fortiſſimè tulerunt, nil fluctus, nil ſaxa, nil mortem præſentiſſimam timentes, ſed DEO ſe totos dantes & commendantes, mentesque ſuas undique oppreſſas quilibet excitantes atque erigentes, cantarunt: Mit Fried und Freud ich fahr dahin / nach Gottes Willen ꝛc. Ex peculiari tract. Jenæ impreſſ. pag. 11. & Nuberi concionibus Meteoricis, pag. 90. ſeq.

Oſnabrugi parva ſcintilla magnum excitavit *incendium*, quo pleræque ædes cum templo Mariano miſerrimè conflagrârunt. *Gneſna*, Poloniæ civitas, Archiepiſcopali ſede clara, non minùs tota ferè flammis deleta, per ſeditioſos milites, qui ex Moſcovia venerant, ſtipendium petituri, rapinis paſſim ac incendiis graſſantes, perque Poloniam cædibus reddentes infeſta locorum plurima. *Grandines & fulmina*, variique lugubres caſus, Bohemiam, Saxoniam, Auſtriam, Galliam, Italiam atrociter afflixerunt, majoribus malis non obſcurè præludentes. Stratem. hiſt. 1109. Calviſ. 968.

Noviomagi Nemetum (zu Speyr) cujusdam artificis conficiendorum & poliendorum enſium uxor, *infantem* peperit, *fœminei ſexus*, quæ privatim baptiſata nomen Annæ ſuſcepit, at nonniſi triborio ſupervixit, ab aliquot millibus hominum (ut Schadii verba habent) magnâ admiratione conſpecta. Habebat enim carnoſos in capite flexus, in altum diductos, ut erant ingentes Spiræ, quas fœminæ

minæ virgineſque nobiles ad pompam & luxum proclives t. t. geſtare ſolebant ſuperiùs; carnoſas itidem partes ab auribus, inſtar colligatarum faſciarum dependentes. Deus & natura, quid per monſtroſitatem illam indicare voluerint, conjecturâ facilimum erat aſſequi. Oſeas Schad. in Contin. Sleid. ad hunc ann. confer Wolf Memor. B. 754. de conſimili partu.

Anno 1613. Oct. 7. Athendalii in Comitatu Markano, *Michaël Aizingerus*, adoleſcens octodecim annorum, tempore peſtis terræ ſepulchrô immiſſus eſt, pro mortuo habitus; mox etiam capulo ejus duobus aliis hominum exanimatorum feretris ordinatè ſuperimpoſitis, veſpillones domum abierunt. Altero die funerator ad ſepulturæ locum reverſus, lamentabiles inibi gemitus obſervabat, & ſuſpiria altè collecta, capulo igitur ocyus aperto, adoleſcentem vivum conſpexit, eumque extractum, ad ſuos deduxit. vide Zeil. ep. tom. A. pag. 247. ubi & alia ſimilium ferè caſuum exempla legi poſſunt.

Rameus militiæ Leopoldinæ præfectus, ex tumultibus Bohemicis anno 1610. 1611. excitatis notiſſimus, ab ArchiDuce *capitali ſupplicio affectus*, facinorum crudelium condignam reportavit mercedem. Inter alios enim nobiles quoſdam in Budovicenſi Curia decollari, ſine ulla vel probabili mortis cauſa juſſerat; Innocentiæ teſtimonium dante effuſo truncatorum ſanguine, qui nec ablui, nec abradi poſſe fertur. Mercur. Gallo-Belg. tom. 9. lib. 4.

Ex eruditis de re literaria optimè meritis, obiére hoc anno *Dominicus Baudius*, Profeſſor Academiæ Lugduno-Batavæ; *Johannes Caſelius*, Helmeſtadienſis; *Conradus Rittershuſius*, Altorffinus; quos nominaſſe, eſt laudaſſe ſatis. Cluver. hiſt. Epit. 779. Stratem. theatr. hiſt. 1109.

Ex inferioris honeſtiſſimi tamen ſubſellii viris, abiit *Eraſmus Grüningerus*, Conſul Winnendenſis Wirtembergicus, *anno ætatis nonageſimo* defunctus; qui *unico* in *matrimonio* cum Eliſabetha Faſſnachtina 64. annos placidiſſimè vixerat; ſolenniaque Eucharistica celebraverat anno 1597. die 30. Maji; pater Eraſmi Grüningeri, Præpoſiti Stutgardiani. Andreiſch Geſchlechtbüchl. Tab. 10. Selen. Auguſtaliæ, pag. 271.

LIB. II. CAP. XV.

Summaria.

Imperator, Evangelicos Aquisgranenſes proſcribit, fugat, malè mulctat.

Spinola, novam civitatem Mülhemium, jubente Cæſare, deſtruit.
Veſaliam quoque miles Hiſpanicus duriter tractat.
Novi Pragenſis Templi ſolennis Inauguratio procedit.
Dux Neoburgicus, ad Pontificiorum caſtra tranſit.
Elector Brandenburgicus, Calvinianis accedit.
Imò & Pelargus Communionem Lutheranorum deſerit.
Is idem Cramerum, graviter dehortantem non audit,
Diem ſuum obit Lucas Bakmeiſterus.
Nec non Johannes Magirus.

INfauſtus nimis & infeſtus Eccleſiis Lutheranorum hic annus fuit! *Aquisgrani*, quomodò res religionis ad annum usque 1611. ſe habuerint ab Evangelicorum parte, ſuprà recenſuimus lib. 1. cap. LXXI. Jam verò cùm Cæſar legibus propoſitis (juſtis, an injuſtis, aliorum judicio relinquimus) Proteſtantes teneri nolle videret, *proſcriptionis* fulmen in eos extudit, lataque ſententiæ executionem Alberto fratri mandavit; Is igitur Ambroſio Spinolâ cum copiis Hiſpanicis miſſo, de facili occupavit urbem, & Auguſto menſe, reſtituto Senatu Pontificio, Evangelicos in extremas arctavit anguſtias, quotquot maturata fugâ ſibi non conſuluerant, eosque graviter punivit, penitus eliminatâ Lutheri doctrinâ; quod multis in Imperio querelis cauſam præbuit, cùm appareret, purioris religionis Confeſſores in jure ſuo variè impediri, ab eoque, nimis abruptè damnatos, omninò deturbari. Orbis Lumen edit. 1656. pag. 1079. & Compend. H.E. Gothan. 791.

Dum hæc agebantur, denuò Matthias Imperator, in Evangelicos acer, erga *Mülhemenſes* etiam plumbeas oſtendit iras. Vix biennium abierat, ex quo Evangelici Coloniæ Ubiorum, ſuis prohibiti ſacris, in fundo Principum Juliacenſium novam urbem, ubi libero religionis exercitio uti fruique poſſent ſecuri, condere cœperant, eòque magno numero confluere. At frequentia novæ Civitatis, æmulationem Ubiis accenderat, privilegiis cautum jactantibus, eâ ne viciniâ urbs ad Rhenum conderetur. Ideò re primò literis diſceptata, & brevi pòſt ad Senatum aulico-Cæſareum delatâ, Principibus Mülhemii ædificatio prohibita, civibusque deſtructio, ſemel ac iterum ſeriò mandata; multis cunctantibus, mox inſecuta proſcriptio; hanc Spinolæ approperatio, & novæ ſtructuræ dis jectio. Nec mirum, quia Principum diſcordiâ res omnis dilapſa, Wolfg. Wilhelmo Neoburgico ad Pontificiorum partes animum applicante,

Jo-

Johanne Sigismundo autem Brandenburgico Calvinianorum dogmata, ex ratione ſtatûs, legente; præterquam quòd ſuper poſſesſione harum regionum (Juliacenſium nempe, Clivenſium, & Bergenſium) hoſtiliter diſſiderent. Cluver. Epit. hiſtor. 772. Matth. theatr. continuat. 2.

Dehinc *Veſaliam* tetendit Spinola, eamque, ut Papicolis gratum faceret, pro Neoburgico ſubegit; Evangelicis civibus promiſsâ quidem ſacrorum & reliquorum privilegiorum libertate ſartâ tectâ, ſed quam Hiſpani milites variis moleſtiis ac injuriis petulantiſſimè turbârunt. Etenim non diu poſt urbis occupationem contigit, ut ipſo publici cultûs tempore plures præſidiarii (cujus inſtinctu, facilis eſt conjectura) ſeſe congregarent in templo, ubi Concionatore Coppio aliquantisper contemptim habito, ei gladiorum ictus minati ſunt, unde tumultus magnus mulieribus cauſam dedit, relictis libellis aliisque aufugiendi; ſedato tamen tumultu per moderatiores Hiſpanos, concionem Coppius abſolvit. Poſteà, ex petito civium, aliquot ſubinde milites, Gubernatoris juſſu, excubias ante fores templi egerunt, ut vim averterent, ſi quis eam intentare poſthàc auſurus eſſet; aliâs tamen calamitas calamitatem truſit, multosque ad infimam egeſtatem detruſit incolas, imò etiam è civitate extruſit. Schad. in Contin. Sleid. ad h. an. Calviſ. Chron. 969.

In Bohemiæ Regia urbe *Praga*, poſtquam Evangelici ſtructuram *templi Salvatoris*, magni & elegantiſſimi, feliciter abſolviſſent, anno 1614. Octobris quinto die ſolenniter facta eſt ejus *inauguratio*; Interim & usque ſub Matthia Rege, claſſicum canentibus Papicolis, nihil intermittebatur eorum, quæ ad perforandas literas Rudolphino-Majeſtaticas, & opprimendos Status ſub utraque, ullo modô facere poſſe videbantur. confer an. 1611. cap. LXXI. & Calviſ. Chronol. pag. 969.

Wolfg. Wilhelmus, Dux Neoburgicus, ejurata Brandeburgenſi affinitate (cujus vinculis arctioribus cum Electore conjungi, Socerumque illum habere, priùs optaverat) ut nova ſibi adverſus potentiorem præſidia pararet, atque Cæſaris & Pontificiorum favorem conciliaret, nuper Magdalenam Bavaram duxit; hoc autem anno Lutheranam religionem deſeruit, *amplexus Pontificiam*, eamque Düsſeldorpii publicè primùm profiteri cœpit; paulò pòſt, Patre Philippo Ludovico præ mœrore, quem ex filii Apoſtaſia contraxerat, extincto, ſubjectas ditiones ad eundem cultum pertraxit; fratribus etiam,

iam, eorumque ſubditis, negotii moleſtiarumque plurimum eo nomine exhibens, ut ſuo loco referendum erit exactiùs. Spener. in Syll. Geneal. 84. Imhof. Notit. Procer. 373.

Sed *Brandenburgicus*, nempe *Johann-Sigiſmundus*, & ipſe hactenus Lutheranis annumeratus, maleferiatorum quorundam hominum, præſertim vafris cujusdam Conſiliarii Calviniani perſuaſionibus, poſtquam Heidelbergenſem aulam crebrò viſitaſſet, ſe circumveniri paſſus eſt, ut laudatiſſimis Majorum ſuorum veſtigiis derelictis, poſthabita etiam *obligationis* Hallenſis formulâ, *Calvinianis accederet.* *Formulam* iſtam, ex laudabili Parentis voluntate & pia cura, hic noſter, tunc Marchio, pòſt Elector, anno 1593. Halæ Saxonum in arce Morizburgia, præſentibus Johanne Buchbachio, Conſiliario, Simone Gedikio, Concionatore Aulico, Johanne à Mingenrode, Ephoro, nec non Georgio Teutſchio, Informatore, Jan. 27. edidit, ſanctè promittens: „ In agnita & recepta religione confes„ſioneque Verbi divini, ſcriptis utriusque Teſtamenti homini„bus ad ſalutem propoſiti, cujus genuina declaratio habeatur in „ tribus Eccleſiæ Chriſtianæ ſymbolis, Aug. Confeſſionis genuinæ „ articulis, poſitionibus Smalcaldicis, Catechiſmis Lutheri, formula „ demum Concordiæ Bergenſi, conſtantiſſimè ſe perſeveraturum; „ nec adverſus doctrinam, cui à teneris fuerit addictus, in Eccleſiis „ aut Scholis quicquam ſuſcepturum, aut conceſſurum unquam in „ ullo ditionum Electoratûs & Marchionatus loco, &c. vid. Hutter. in Conc. Concord. pag. 1439. ac ſeqq. 1445. Ad *excuſationem* ſuam prætendebat equidem Elector, in rebus Divinis nullam valere obligationem; maximumque peccatum eſſe, Spiritui S. per ejusmodi obligationes obicem ponere, quò minùs efficere in nobis opus ſuum, & nos perducere ad veritatis agnitionem valeat. Quæ exculpatio quomodò ad hanc Apoſtaſiam quadret, prudentiores ritè judicabunt. Hofm. Lex. univerſ. 305. Liebhart, Hiſt. Calvino-Reform. pag. 19. ſeq.

Imò & *Chriſtophorum Pelargum*, Theologiæ Doctorem atque Profeſſorem Francofurti ad Oderam primarium, Paſtorem, ac Generalem totius Marchiæ Superintendentem, *ad Calvinianos defeciſſe* tunc fama, licet nondum adeò certa, tulit, quod ex literis *D. Conradi Schlüſſelburgii* perſpeximus, die 26. Sept. anno 1614 ad Pelargum ita ſcribentis: „ Delatus eſt ad nos rumor multorum hominum ſer„mone ac epiſtolis, Te olim Theologum fuiſſe Luthenanum, cum

„ma-

„ magna laude, cum honore, cum admiratione nominis tui; jam „ verò proh! dolor te Lutheri, viri Dei, doctrinâ, quæ Chriſti eſt, „ turpiter abjectâ, in Gymnoſophiſtarum caſtra profugum migraſſe, „ & eorundem errores blaſphemos, graviter ac ſtrenuè cum perpe„tua nominis tui confuſione & ignominia, audacter propugnare. „ Verùm ego, qui te anteà tanquam Theologum Lutheranum a„micum certum ac fratrem in Chriſto venerandum habui & colui, „ non potui (ſtatim) famæ iſti volitanti fidem habere. Sed plura de hoc alibi. Confer 1617. ann.

Digna eſt *epiſtola D. Danielis Crameri*, Theologi Stetinenſis Pomerani, qua Pelargum nutantem in religionis negotio ad veram conſtantiam adhortabatur, & à turpiſſima ad Calviniſmum Apoſtaſia graviſſimè dehortabatur, ut B. L. communicetur, ita ſe habens: „ Salutem in Chriſto! clariſſime Superintendens, Domine D. Pelar„ge, amice vetus! Etſi decreverim, nil quicquam ampliùs poſt *Col„loquium* noſtrum Francofurti habitum tecum agere; tamen rum„punt mihi ſilentium literæ T. invectivæ ad N. contra me datæ, in „ quibus me calumniarum accuſas, quaque in re magnam mihi fa„cis injuriam. Nam quod *Colloquio* noſtro calumnioſè nihil affin„xerim, quatuor teſtes habeo, Deum, Te, meam conſcientiam, & „ D. Fabrum. Et hoc nomine Tibi ante octo dies miſi per D. Albi„num plenam relationem *Colloquii* inter nos habiti, lege, relege, „ rumina, an vel ulla periodus aliter dicta vel acta ſit inter nos. Con„ſcientia T. mihi teſtis erit, ſic dicta, ſic acta eſſe omnia. Quî er„gò me calumniarum accuſas? veritas nunquam calumnia eſſe po„teſt. Quòd autem divulgârim, id amici fecerunt, qui anxiè deſi„derarunt, quis tandem Tu eſſes, vel non eſſes? nôſſe. Ipſis igitur „ colligendum dedi, an poſſint ex colloquio iſto expiſcari, nunquid „ Tu calidus, aut frigidus, aut ſeriò nobiſcum, aut cum Calviniſtis „ faceres? Hoc nec ego, nec ullus alius, in hodiernum diem ex illo „ colloquio noſtro animadvertere potuimus. Et quamvis indicia „ non levia inibi ſuborta ſint, Te Apoſtaſiam à nobis feciſſe; tamen „ ego adhuc per Chriſt. Charitatem huic ſuſpicioni plena vela non „ pandam: Sed, age, credam, Te quoad Theoriam fidei Apoſtatam „ nondum aut non planè eſſe; At verò in praxi, Domine Doctor, „ Theologicâ totus, quantus quantus es, nimis magnus es Apoſta„ta, proh dolor! Cogita enim, Te non eſſe hominem privatum, ſed „ publicam perſonam; Cogita, Te non hominem politicum, ſed

„Ec-

„Eccleſiaſticum, hoc eſt, hominem DEI eſſe, ut Paulus loquitur.
„ Quid E. Tui officii erit, quando Calviniſmus non inducitur, ſed
„ intruditur? dic mihi quæſo hîc, aut Calviniſmus non eſt vera do-
„ ctrina, aut Lutherana Confeſſio non erit, aut Tu cum Streubero tuo
„ olim oppugnato, medium quid facies? Quicquid horum dixeris,
„ Apoſtata eris. Sed Te Apoſtatam ſanctè negas; Age, profiteberis
„ Te Lutheranum, ut antè, id quod accipio utraque manu. Sed ſi
„ hoc ita eſt, inſto jam, & ad forum propriæ conſcientiæ, coram
„ Tribunali Chriſti te voco, & jubeo te ingredi conſcientiam, &
„ apud teipſum de teipſo judicium facere. Annon Confeſſio fidei,
„ quæ fit ore, & fides, quæ in corde eſt, individuo ſemper nexu con-
„ jungenda ſunt? Et, ut rectiùs me capias, audi me patienter, vel
„ audi conſcientiam tuam, ſic argumentantem: Omnis paſtor, qui
„ orthodoxus eſt, & credit, & eandem orthodoxiam non confitetur
„ intrepido ore calamoque, is eſt Apoſtata, & Mundum amat; ſed
„ Pelargus hoc facit. Omnis doctor, qui non reclamat heterodo-
„ xiæ introducendæ, eſt canis mutus; Pelargus non reclamat. Boni
„ paſtoris eſt, taxare Magnates ſuæ fidei commiſſos, ſive in vita, ſi-
„ ve in doctrina errent; Tu dic illis. inquit Dominus, & liberaſti ani-
„ mam; Pelargus hoc non facit. Qui non aſcendunt ex adverſo ad
„ rupturam, neque opponunt ſe murum pro domo Iſraël, ut ſtent
„ in prælio in die Domini, ſunt falſi Prophetæ, & vulpes in deſerto;
„ ſed Pelargus hoc non facit. In ſumma, qui me negaverit coram
„ hominibus, negabo illum coram Patre meo, Chriſtus ait; Et Pau-
„ lus, qui placere vult hominibus, Chriſti ſervus eſſe non poteſt; Pe-
„ largus negat Chriſtum coram hominibus, Pelargus vult placere
„ hominibus; Ergò Pelargus eſt Apoſtata, & Mundum amat; eſt ca-
„ nis mutus; non liberat animam ſuam; eſt falſus Propheta & vulpes;
„ Chriſti ſervus eſſe non poteſt; negabitur à Chriſto, coram Patre ſuo
„ cœleſti.

„ Vide, mi D. Pelarge, hæ non ſunt gnomæ ac ſententiolæ ſa-
„ pientulæ Euripidis, vel Senecæ, ſed Tonitrua Dei. Cogita, quan-
„ to cum ſcandalo Eccleſiæ obmutueris, & obmuteſcas adhuc, ut
„ nolueris ac deſieris, nolis ac deſinas dicere, quod rectum eſt? Et,
„ quàm turpiter, quàm fœdè deſerueris Eccleſiam, Electoriſſam, Pro-
„ vinciales, fratres & filios T. curæ in toto Electoratu Brandeburgi-
„ co demandatos, inprimis Miniſtros Berlinenſes, ante & ad inſtans
„ colloquium, ad miſellas tot animas, quæ ſuper te gemuerunt, &

„ co-

„ coram Deo te accuſant. Cogita, cogita quæſo, annon etiam ſit futura dies judicii, in qua reddenda erit ratio de tuo talento, & de „ tot animabus, quas Deus ex tuis manibus repoſcet; væ illi, per „ quem veniunt ſcandala! probationes ſubſumptionum ſi petas, reſpice Teipſum, reſpice mediam lucem, quære fratres tuos in tota „ Marchia, omnes docentes in Saxonia, in Miſnia, Boruſſia &c. inquire praxin tuam, & confer cum Apoſtolis, cum Patribus, cum „ Luthero, Mylio, Miro, Geſnero, Gedicco, qui extrema quæque „ pro veritate ſubierunt. Neque profectò ſalvabunt Te tua Kriſphygeta, nec liberabunt te in die iræ, quando dicere ſoles: *Eccleſia* „ *non eſt fundata ſuper Pelargum; Non habeo collegas; nil proficio; nondum* „ *perſolvi meam bibliothecam; nondum proſpexi liberis meis.; inhibitum eſt* „ *mihi à Magiſtratu; ego jam antè ſatis ſcripſi, docuique; Contradico in conſcientia mea; non debeo allatrare Principem meum; antehàc multa ſcripſi* „ *ex fervore juvenili; Non legi antehac tam diligenter ſcripta Lutheri; Ego* „ *allegatis aliorum ſeductus ſum; jam multa meliùs conſideravi; theſes meas* „ *de fractione panis, non æſtimo unius groſſi; Ego adhuc ſi non iisdem verbis, ſaltem eodem ſenſu, eadem doceo; quisque pro ſe reſpondeat, ego non* „ *teneor ulli hominum rationem reddere; ſuo tempore agam; ſuo tempore* „ *cauſas ſilentii mei reddam: Totus mundus ad Calviniſmum prolabitur;* „ Was hab ich davon? Wie iſt es Gedicco ergangen? Niemand weiſst/ „ wo mich der Schuhe druckt? Et ſi quæ ſunt aliæ plusquàm pueriles „ ineptiæ, quibus & Te, & Eccleſiam tuam ludificas &c. Hactenus D. Cramerus in epiſtola, die Martini anno 1614. ſcripta.

Diem ſuum obiit ultimum, *D. Lucas Bakmeiſter*, ejus nominis *junior*, Theologiæ Profeſſor in Academia Roſtochiana; poſt Superintendens Güſtrovienſis; ex diſputationibus XXII. contra Concilium Tridentinum, aliisque contra Calvinianos notus. Stratem. theatr. hiſt. 1110. Micræl. H. E. ſyntagm. c. 463.

Viam quoque omnis carnis ivit anno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum decimo quarto, Dn. *Johannes Magirus*, Eccleſiæ Stutgardianæ Cathedralis Præpoſitus, & ovilis Chriſti communis in Wirtembergia Præſes, Viſitator Academiæ Tubingenſis, vir in publicum utiliſſimus, meritiſſimus, Refutator mendaciſſimi libri Cingliani, quem Ambroſius Wolfius vulgarat, ſub titulo Hiſtoriæ Confeſſionis Auguſtanæ &c. Succeſſor fuit in Præpoſitura Stutgardiana Dn. Balthaſaris Bidembachii, & Anteceſſor Eraſmi Grüningeri. Exemplum paternæ Dei providentiæ, quæ hominem ab imo viliſſimæ conditio-

ditionis fundo per varios fortunæ caſus & omnes officiorum legitimos gradus, ad honorum Eccleſiaſticorum in toto Ducatu ſummum deduxit & evexit. Memorabile, quod in oppido Calvæ, anno 1555. primam Philoſophiæ Lauream acceperit; quia tunc Academia Tubingenſis, propter peſtem Tubiis graſſantem, eò confugerat. Notabile, quòd cùm tertiam ſingulari & raro Dei beneficio attigerit generationem, quindecim liberorum pater, duorum & ſeptuaginta nepotum Avus, ac decem pronepotum Proavus (qui collectim ſupputati, nonaginta ſeptem deſcendentium numerum conſtituunt) ſalutari potuit. Vid. Act. Jubil. 2. Academiæ Tubingenſis, pag. 103. & oratio funeral. Mag. per D. Andream Oſiandrum habita, pag. 69. 12. 26. pl. Unum ne omittam, quod parentator ſubticere noluit, in citata oratione, pag. 9. „ *Hiſpani*, dicens, quos ut „ præſidiarios milites, Imperator Carolus V. poſt bellum Smalkal-„ dicum, Baknangam & in alia quædam Wirtembergiæ oppida col-„ locaverat, Magiri noſtri, tunc pueri dexteritate in conſecratione „ menſæ, aliarumque precum recitatione, latinè peracta, ſic fuére „ capti ac delectari, ut *de eo in Hiſpaniam abducendo, ſeriò cogitarent.* „ Neque hoc unicum, pergit orator, audaciæ Hiſpanicæ exemplum „ fuiſſet; Cùm, ut ex magnorum virorum relatione conſtat, & libe-„ ros, & libros quoſdam Lutheranorum ſecum in Hiſpaniam ave-„ xerint; quorum beneficiô, Spiritu S. intrinſecus operante, veram „ poſteà religionem ex illis nonnulli didicerunt, & fidei ſuæ confir-„ mandæ gratiâ, non ſine maximo periculo, ſtatis temporibus ad „ Germanos commigrarunt, atque S. Cœnam cum hiſce acceperunt „ homopſephis. Tàm mirabilis Deus eſt in operibus ſuis, tàmque „ ſapiens & bonus, ut mali nil fieri permitteret, niſi aliquid inde bo-„ ni elicere vellet, poſſet!

Similia, quantum ad Hiſpanos, refert *Jacobus Schopperus junior*, in Academia Noricorum Altorfina quondam Theologiæ Doctor & Profeſſor, in oratione de vita & obitu ſui parentis, pag. 26. 28. pl. hiſce verbis: „ In bello Smalkaldico an. 1546. & ſeq. cùm Deus Ca-„ rolo Cæſari victoriam conceſſiſſet, ac jam Civitates Imperiales, „ quæ fœderi Smalkaldico conjunctæ fuerant, in gratiam receptæ, „ Præſidiarios Hiſpanicos alerent ex compacto; Tale Hiſpanorum „ agmen etiam Biberaci hybernabat, cui tamen omnis actio hoſtilis „ prohibita. Hinc ergò Concionatores Lutherani nihilominùs offi-„ cium ſuum in Eccleſia faciebant, &, ne quis tumultus contra ci-

„ ves

„ ves excitaretur, ipſi milites Hiſpani ſingulas portas templi à belli-
„ co ſuo duce compellabantur cuſtodire; quod erat ſingulare indi-
„ cium cuſtodiæ Divinæ ſuarum ovium, in medio luporum. Dux
„ ille, Hiſpanis *Magiſter de Campo*, fuit *Alphonſus Vives*, vir doctus.
„ Cui, cùm Schopperus (nempe Senior, antehac Lutheri & Me-
„ lanchthonis auditor) propter ſuam eruditionem innotuiſſet, ma-
„ gni eum fecit; Cùmque Caroli V. (tunc Ulmæ ſubſiſtentis) Con-
„ feſſionarius, in quadrageſima Bibracum veniret, Magiſter ille
„ Campi Schopperum laudavit; quo audito, Concionatorem videre
„ Confeſſionarius, & cum ipſo congredi petiit, quod bono viro in-
„ dicatum: Hic ſeſe in colloquium placidum obtulit, modò ſecurus
„ accedere & recedere queat, id quod à Magiſtro promiſſum. Con-
„ ſtituitur certa dies & hora; Magiſter & Confeſſionarius ille in ho-
„ ſpitio unà cum aliis quàm plurimis Hiſpanicis ſacrificulis ac mili-
„ tibus congregantur. Concionator vocatur, comparet, & invoca-
„ tô Dei auxiliô, ſuæ fidei rationem reddere non pertimeſcit. In eo
„ Colloquio Concionator & Confeſſionarius ex oppoſito collocan-
„ tur: Magiſtro jubente, diſputationem de articulis Chriſtianæ re-
„ ligionis, de quibus inter Papiſtas & Evangelicos controvertitur,
„ inchoant: Conatur Confeſſionarius reſiſtere, ſed fruſtrà, &c. Fi-
„ nito colloquio (pergit orator) Confeſſionarius meum parentem
„ domi quærit, me in cunis jacentem oſculatur, ac ei fatetur, quòd
„ ſacris Scripturæ teſtimoniis victus, in ejus (Schopperi) ſenten-
„ tiam concedat, petitque, ut pro ipſo Deum rogitet, quò & ipſum
„ in veritate confirmet, ac, ſi quid eo nomine ſit patiendum, ſicuti
„ Crux Evangelii comes eſſe ſoleat, ei patientiam atque conſtantiam
„ largiatur. Et ſanè, Colloquium hoc eò profuit, ut, ſicuti Chy-
„ træus in vita Caroli V. ſcribit, ſubſequenti tempore Confeſſiona-
„ rius iſte, Dn. Conſtantinus, Imperatorem ad ſolum CHRISTI
„ meritum ablegarit, &c. Fuerant etiam aliqui Sacerdotes Hiſpani-
„ ci, qui ex allegato Colloquio veritatem Evangelii hauſerunt, quo
„ nomine ſæpiùs à ſuis Lutherani audiebant &c. Ingens certè
„ miraculum DEI, quòd hoſtes ſuos, qui calamo & armis verbum
„ ſuum perſequuntur, adeò ſua agnitione illuminet, ut ſemet-
„ ipſos deinde, propter eam doctrinam vel dilaniandos objiciant.
„ Hiſpanici Sacerdotes illi, initio infenſiſſimi fuerunt Evangelio, id-
„ que modo quovis opprimere conati ſunt, ceu aliquam hæreſin; &
„ hac intentione cum multis Concionatoribus congreſſi, eos con-

„ fundere conati ſunt; ſed ipſi ex verbo Dei confuſi & errorum con-„ victi, ut multi gloriam Deo dederint, &c. Hæc Schopperus de Hiſpanis tempore belli Smalcaldici, Oſiandro planè conſonus.

LIB. II. CAP. XVI.

Summaria.

Leſſus Kelleri, Lutheranis poſitus.

Statua ingentis magnitudinis, in honorem B. Virginis erecta Romæ.

Tricies & ſexies millenorum annorum Indulgentiæ Auguſtanæ.

Votum Bellarmini, ſi fortè ad Pontificatum aſſumeretur.

Suarezii defenſio fidei, comburentibus flammis tradita.

Parium Franciæ Eccleſiaſticorum; & Cardinalium Pontificiorum, de Primatu honoris altercatio.

Georgianorum Natio, à Lojolitis deluſa.

Lojolæ ſodales, Japoniâ exire juſſi.

HOc tempore *Jacobus Kellerus*, Lojolita, in Papiſmo ſuo, ut vocabat, Catholico, *Lutheranis* publicè hunc fecit *leſſum:*

Res, quæſo, veſtras putatis quales
Brevi fore, Lutheri ſodales?
Vos manet quotidiè flebilis
Sententia mortis; ac debilis
Ipſa vobis Arteria. Vale
Inſtat, heu Luthere tibi, Vale!

Ex allegatione Brigelii Bibracenſis, in ſeiner Friedens-Predig anno 1649. gehalten/ pag. 28. Hogelii Gamal. 191.

Sub hæc *Paulus V.* Papa *ſtatuam* Coloſſeam æneam ingentem hactenus neglectam, ex ruinis templi quondam à Veſpaſiano *pacis deæ* dicati, priſtino nitori reſtitutam, *in honorem Beatæ Virginis erexit.* Abrahamus Bzovius de vita Pauli ſcribit: „ In ruinis templi pacis, „ quod omnium maximum ab Imperatore Veſpaſiano ædificatum, „ temporibus Commodi conflagravit, extabat Columna ſtriata mar-„ morea, admirandæ altitudinis, quæ fornicis latus annexum fulcire „ videbatur. Eam Paulus V. inde eximi, & in Exquilini montis „ meridionalem aream ingentibus operis transferri, in plateæ medio „ baſin excitari, anteque Liberianam Baſilicam, ſuperimpoſita ei „ glorioſæ Virginis, Salvatorem geſtantis, ærea inaurata imagine, „ collocari præcepit, ut monumentum honoris & cultûs divæ Dei

„ Pa-

„ Parentis, ſanctiore locô omnibus occurreret. Ut autem cunctos „ iſtud orbis miraculum adſpicientes ad devotionem excitaret, o„mnibus, qui eandem ſacram imaginem venerantes genuflexi ante „ illam, pias ad Deum preces effudiſſent, quibus diebus id egiſſent, „ tres annos, ac totidem quadragenas indulgentiarum largitus eſt. Micræl. H. E. Syntagm. c. 588. Continuat. Platin. pag. 513.

Attamen, quantum ad *Indulgentias* ſpectat, in Germania Clerici Papani, liberaliſſimo Patre liberaliores eſſe voluerunt, præſertim *Auguſtæ Vindelicorum*, ubi hoc anno per affixas ædibus Prædicatorum „ chartas, tricies & ſexies millenorum annorum indulgentias obtulerunt & promiſerunt, preces ad præſcriptum, proque numero globulorum in Mariæ Roſario, recitaturis, referente Zacharia Hogelio, in ſuo Gamaliele pag. 326.

Quali *votô* ſe t. t. obſtrinxerit *Bellarminus*, R. Curiæ purpuratus, recenſet Jacobus Fuligatus propriis ejusdem verbis, ita ſaltem præfatus: *Hoc votum, quia non animo, ſed ſcriptione etiam affirmavit, ipſiſmet vocibus ejus, quæ haud dubiè in cœlo ſcriptæ, ac ideò immutari non debent, hîc referam.* „ Die 24. Septembris anno 1614. fer. 6. in domo „ novitiorum S. Andreæ degens, & exercitiis ſpiritualibus vacans, „ matura præhabita deliberatione in ſacrificio Miſſæ, cum ſumptu„ rus eſſem S. Dom. noſt. corpus, votum vovi Domino in hæc ver„ ba: Ego Robertus, Cardinalis Bellarminus, è Societate JESU reli„ gioſus profeſſus, voveo DEO omnipotenti in conſpectu B. V. Ma„ riæ, ac totius cœleſtis curiæ, quod ſi fortè, quod non cupio, & pre„ cor Deum, ut non accidat, ad Pontificatum aſſumptus fuero, ne„ minem ex conſanguineis vel affinibus meis exaltabo ad Cardina„ latum, vel temporalem Principatum, vel Ducatum, vel Comita„ tum, vel quemcunque alium titulum, neque eos ditabo, ſed ſo„ lùm adjuvabo, ut in ſtatu ſuo civili commodè vivere poſſint. A„ men, Amen! Videatur AntiKircherus Dorſchei, pag. 184.

Subeat quoque memoriam *Franciſcus Soares*, vulgo *Suarez* (primùm in Academia Complutenſi, poſteà Salmanticenſi, deinceps Romæ, demum Conimbricæ Profeſſor Theologiæ Lojoliticæ primarius) cum ſua *defenſione fidei* (Romano) *Catholicæ adverſus Anglicanæ Sectæ errores*, in qua docuit: Reges & Principes, qui aliam, quàm Romanam religionem colerent, non ſolùm ab externo, verùm etiam à proprio ſubdito impunè perimi poſſe; aliaque multa tàm pernicioſa dogmata, calidaque conſilia ſparſit, ut volumen illud publico Se-

Senatûs Pariſienſis decreto, per manum carnificis, anno 1614. menſe Junio, igni traderetur comburendum; quod ſuis tamen cenſuris, & approbationibus commendaverant Alphonſus à Caſtello Branco, Epiſcopus Conimbricenſis; Et, Ferdinandus Martinez Maſcaregnius, Epiſcopus Algarbienſis; Martinus identidem Alphonſus à Mello, Epiſcopus Lamecenſis; Johannes Alvarus, Lojolicæ ſodalitatis in Luſitana Provincia Viſitator ſimul ac Provincialis; multique alii. Balduin. Caſ. Conſc. præf.)( )( )(1 Gerhard. Confeſſ. Cathol. tom. A. pag. 905.

Tunc temporis *inter Duces & Pares Franciæ Eccleſiaſticos* ex una, altera verò parte Sedis Pontificiæ *Cardinales*, inſtante Regis inauguratione, vehemens orta eſt *altercatio*; Pares vendicabant ſibi, primam à Rege ſedem, obſtabant Cardinales, prærogativam ſibi poſcentes. Cauſæ Pares tuendæ dicebant: „ Veteri lege ſummam eſſe „ apud Gallos dignitatem Parium; hinc Pares dictos, quod Pares „ inter ſe, reliquis antecedant; Sedes illis primas tum præcipuè de- „ bitas, cùm ex neceſſitate muneris adſint; Non eſſe Cardinalibus „ titulos, aut poſſeſſionem, per quæ Paribus Eccleſiaſticis, in Parla- „ mento præferantur; hæc Epiſcopi Pares coram Rege. Contrà ob- „ jiciebant Cardinales, Principum Eccleſiæ purpuram: Ipſis olim „ Regii ſanguinis Principibus anteire ſolitos Cardinales, donec no- „ va conſtitutione poſtponerentur, legem iniquè dictam per con- „ temptum Eccleſiæ, quo tempore ſummum jus fuerat Calviniſtis „ in aula &c. Si Cardinales, Eccleſiæ Principes eſſe, non diffiteren- „ tur Epiſcopi, quid controverſiam de ſede moverent? Ita in caput „ rebellatura humani corporis membra; hoc uno, quòd è ſacro ipſo- „ rum Collegio ſummi Pontifices eligantur, prævalere infinitis ſpa- „ tiis omni dignitati. Ceſſere tandem Pares, placitoque ſolenni Cardinalibus prima ſedes data; adeò tamen Eccleſiæ Patribus iniquo judicio, ut Senatu abſtinuerint in eam diem, quod Evangelica procul humilitate factum Regi diſplicuit, recenſente Grammondo, qui addit: „ Præcipua certè Cardinalium dignitas eſt, in omni loco, „ ipſisque è Regio ſanguine Principibus magnificum eſt, Matris „ reverentiâ venerari, quos ipſa veneratur; At enim pro diverſitate „ temporum diverſa fuit poſſeſſio primæ ſedis; ut Principes ſangui- „ nis, ut Cardinales Regum gratiâ prævaluére, ita jus fuit. Eccleſiæ „ Principes ſunt Cardinales; ab eo Collegio delectus eſt in primam „ ſedem; eôque ipſorum cauſa tantò eſt potior, quantô Pontifici „ ſum-

„ſummo cedunt Principes. Ita Grammond. hiſtor. Gall. lib. 1. 54. ſeqq.

Ea tempeſtate *Georgianorum* tota *Natio*, cum Regulo ſuo Teimuraze, impudenter *deluſa* fuit *à Jeſuitis*, qui Reginæ Cetabæ, matris, apud Perſas ob religionem Chriſtianam interfectæ, caput ſe mittere Regulo perſuaſerant, quod magno aliquandiu honore omnes proſequuti; usque dum Cetabæ ancilla & fraudem Lojolitarum & corpus Dominæ produxit; quod Regulus à Perſis magna dein pecuniâ redemit, memorante Hornbekio, in ſumma controverſ. relig. lib. 11. pag. 971. *Georgiani* autem terras inter Pontum Euxinum & mare Caſpium jacentes incolunt, qui non tàm à S. Georgio, cujus imaginem in vexillis gerere dicuntur, quàm à Georgis Scytharum populis, vel ab urbe Gorga, nomen habere videntur. Horum *religionem* quod attinet, eadem in ſubſtantia ceremoniisque cum Græca eſt; non tamen ſubſunt Conſtantinopolitano Patriarchæ, ſed Metropolitam proprium habent, cui XVIII. Epiſcopi parent, in Monaſterio S. Catharinæ, in monte Sinai ſubſiſtentem. Non omninò ignaros eſſe Georgianos Auguſtanæ Confeſſionis, quam in Europa Lutherani tenent, colligere datur ex iis, quæ lib. 1. hujus operis cap. 1. annotavimus, facta mentione Baronis Ungnadii. Confer Brerewodi Scrutinium religionum, cap. VIII. 79. & Philip. Nicol. de regno Chriſti, lib. 1. 30. 32. pag. pl.

Eodem anno *Lojolæ Sodales Japonia exire juſſi* ſunt à Rege, edito peculiari diplomate. Omnem igitur Eccleſiæ ornatum navibus impoſuerunt menſe Octobri, &, præter XVIII. Sacerdotes, Sociosque laicos IX. ac alumnos quosdam, itemque nonnullos aliorum Ordinum Monachos, qui clàm remanſerant, ex portu Nangaſaqui abierunt; quo miſerrimo tempore Ludovicus Cerqueira, Jeſuita, Japoniæ Epiſcopus Romæ conſtitutus, diem ſuum obiit. Exiit ſimul Japonenſi territoriô Juſtus Ucondonus, Regia dignitate aliquandiu functus, quem Hiſpani cum tota familia, in Metropoli Philippinarum, Manilia, magnificè exceperunt, ac liberaliter aluerunt, ibi tamen paulò pòſt defunctum. Ex act. Erud. Lipſ. an. 1690. pag. 142.

LIB. II. CAP. XVII.

Summaria.

Elector Brandenburgicus, Calviniſmum ſubditis obtrudere tentat.

Hol-

Hollandiæ Weſtfriſiæque Ordines, publico decreto Supra-lapſariorum ſententiam improbare videntur.
Triglandius decreto ſcriptum opponit.
Academia Gröningana initium ſumit.

POſtquam *Elector Brandenburgicus Joh. Sigismundus* Calvinianis acceſſerat, mox in eandem communionem ut ſubditos pertraheret, nihil intentatum reliquit, facto re (de) formationis initiô in templo S. S. Trinitatis Coloniæ ad Spream, oppido ex adverſo Berolini, cujus veriùs pars habetur ſeu ſuburbium amplum, ad plagam Auſtralem ſitum; Vulgata etiam *Confeſſionis formula* merè quoad articulos controverſos Calviniana, quam tamen appellari talem, omninò noluit; Aſſeverans finem ſuſceptæ ac ſuſcipiendæ Reformationis Eccleſiaſticæ in ſuo territorio alium non eſſe, præter expurgationem Chriſtianorum cœtuum à Papalibus variarum ſuperſtitionum & inventionum humanarum reliquiis, hactenus paſſim reſiduis; Nec novam ſe doctrinam aut religionem fovere, ſed quæ verbo DEI conſona ſit, & Auguſtanæ Confeſſioni, reviſæ quidem ac paucis in locis emendatæ: At enim totum illud Electoris miſerè ſeducti negotium, ad omnimodam genuini Lutheraniſmi, tàm in dogmaticis, quàm ritualibus, everſionem & extirpationem collineâſſe ex indiciis & argumentis indubiis præproperè patuit. Præterquam enim, quòd ex conſueta Cinglianorum cacozelia, *res atque ceremonias* liberè hactenus & quietè in Eccleſiis Brandenburgicis, abſque peccato, idololatria, ſuperſtitione, ſcandalo, partim externi uſus, partim etiam ornatûs atque decori gratia ſervatas, (ut erant altaria & Baptiſteria; orbiculares placentulæ; aurei calices; ardentes candelæ, Sacerdotales veſtes; Imagines & Epitaphia; præcantationes verborum S. Cœnæ, collectarum ac epiſtolarum; recitationes decalogi ex Catechiſmo Lutheri; genuflexiones in S. Communione, denudationes capitum auditô nomine JESU &c.) præcipitanter & violenter, graviſſima cum offenſione ac perturbatione plurimarum animarum, abrogando & vetando; Inſuperque ad *immutatum exemplar Auguſtanæ Confeſſionis* publicè provocando, fervidum Calviniſtam & materialiter & formaliter, ceu in ſcholis loqui amant, exhibuit Princeps ille: Mox fervidiorem prodidit, publicatione *mandati* ſub 24. Febr. in forma patente, ad omnes Generales & Speciales Superintendentes, Paſtores animarum, ac Miniſtros Eccleſiarum Electorales & Marchico-Brandenburgicos; Atque data reſolutione ad Status provin-

vinciales, die 28. Martii conſignata; quippe in Scriptis iſtis mutatum A. C. exemplar (quod emendatum vocabat) ceu doctrinæ & fidei normam, egregiè commendavit, imò jure Superioritatis nemini non ex territorii ſui habitatoribus obtrudere attentavit; Elencho nominali adverſus Calviniſtas, Lutheranis perquàm ſeriò interdixit Concionatoribus, eosque uſurpatione propriorum ſectæ vocabulorum prorſus abſtinere, ſub interminatione graviſſimarum pœnarum juſſit; Auguſtanam Confeſſionem primitùs anno 1530. Carolo V. exhibitam, gravium errorum inſimulavit; Formulam Concordiæ Lutheranam, ceu diſcordem exagitavit. opus ambitioſorum Papparum (Ehrgeitziger Pfaffen) opimis præbendis, aureis poculis, aliisque pretioſis donariis inhiantium, nuncupavit; in reliquos tandem Doctores & Profeſſores Lutheranæ Theologiæ, ac ipſam doctrinam eorundem, omnem ſtomachi Calviniani bilem effudit. vid. Spener. Syllog. Geneal. 147. Schad. in Contin. Sleid. ad hunc an. & inprimis Leonhardi Hutteri Calvin. Aulico-polit. alt. pag. 1. ſeqq. 11. 67. ſeqq. 117. 155. 125. plur.

Sed in *fœderato Belgio* Hollandiæ Weſtfriſiæque Ordines, poſt crebra ob diſceptationes Arminiano-Remonſtrantium, & Gomariſtico-Contra Remonſtrantium indicta comitia, & exactas, ut præ ſe ferebant, ad Verbum Dei deliberationes, intellecta præſtantiſſimorum ſuæ Confeſſionis Theologorum ſententiâ, Regis Britanniarum adjuti ſuffragio, & Ultrajectenſium (de quibus anno 1612. cap. III. vide) invitati exemplo, tandem hujus anni menſe Januario, *decretum* condidére, quo rigidiorum Calviniſtarum *Supralapſariorum* heterodoxiam ex animo improbare videbantur, ſequentibus verbis: „ Quando multum diſſidii & contentionis per harum regionum „ Eccleſias ortum, ex diverſis interpretationibus locorum S. Scripturæ, in quibus de æterna DEI prædeſtinatione & quæ cohærent, „ agitur, provecto eousque calore certaminis, ut ſint, qui malè au- „ diant, velut directè aut per obliquum docentes, alii quidem, Ho- „ mines aliquos à Deo immortali ad damnationem creatos; quibus- „ dam hominibus à Deo peccandi neceſſitatem imponi; tùm verò „ quosdam à Deo ad ſalutem invitari, quibus omninò ſalutem non „ dare decreverit: Alii verò naturales hominum vires aut facta, ipſo- „ rum ſalutem poſſe operari: quæ ſpectant utrinque ad ignominiam „ Dei, ad infamandam reformationem Chriſtianam, ac noſtræ piæ „ ſententiæ adverſantur: quibus obviam iri, viſum eſt nobis ad ho-

 „noris

„noris & gloriæ divinæ propagationem, ad incolumitatem Rei-
„publ. & Eccleſiæ, ad tranquillitatem, concordiam bonamque fru-
„gem civium, perquàm neceſſarium. Idcircò rebus diu multùm-
„que perpenſis, religioſèque & circumſpectè examinatis ſingulis,
„quæ in colloquio duodecim Paſtorum (vid. ſup. lib. 1. cap. LXXIII.)
„anno 1611., noſtro in conventu ore primùm peracta, mox etiam
„cum ipſorum conſiliis perſcripta, nobisque tradita fuére: uſi ea
„autoritate, quæ nobis, ut ſummis legitimis poteſtatibus juxta S.
„DEI Verbum, eorumque Regum, Principum, ac Civitatum, quæ
„Reformationem Religionis amplexæ ſunt, exempla, competit,
„imperavimus ac etiamnum imperamus, ut in memoratis modò in-
„terpretationibus, diligenter quisque attendat ad S. Pauli moni-
„tum, docentis, ne quis ſupra modum ſapiat, ultra quàm oportet
„ſapere, ſed ſapiat ad ſobrietatem, prout cuique Deus partitus eſt
„menſuram fidei: Et id, quod paſſim tradunt S. literæ, Salutem qui-
„dem noſtram ex Deo ſolo eſſe; at nos nobis ipſis perniciem accerſe-
„re: Ac proinde in explicandis S. literis, quoties fert occaſio, Paſto-
„res infigant populo, ſingulorumque ſub noſtro Imperio habitan-
„tium animis: Principium, progreſſum, ac finem humanæ ſalutis,
„atque ipſam adeò fidem, non nativis hominum viribus, aut factis,
„ſed ſoli nec promeritæ DEI in JESU Chriſto Servatore noſtro gra-
„tiæ, accepta ferri debere: Nullos à Deo omnipotente homines ad
„damnationem creatos: Nullis à Deo peccandi neceſſitatem impo-
„ni: Neque à Deo ad ſalutem invitari quenquam, cui ſalutem o-
„mninò non dare decreverit, &c. Calov. in Conſiderat. Arminian.
pag. 13. Epiſtol. Remonſtrant. contra Claſſ. Walachr. 22. ſeq.

Decretum illud Ordinum Hollandico-Friſium, *Jacobus Triglandius*, tunc Amſtelodamenſis Paſtor, nomine Contra-Remonſtrantium *confutare* ſategit; *Johannes Utenbogardus* autem ex parte Remonſtrantium, *defenſavit*. At enim dolendum, *Ordines* Hollandiæ & Weſtfriſiæ deinceps huic decreto, pro pace Eccleſiarum, perjuratum Academiæ Leidenſis typographum edito anno 1614; deinceps in Synodo Dordrechtana non derogâſſe ſolùm, ſed *hanc doctrinam* (cum illa, quæ commendat univerſalem Dei gratiam) ipſiſmet fatentibus veræ conſolationis pleniſſimam, è ſuis provinciis *proſcripſiſſe*. Micræl. hiſtor. Eccleſ. Syntagm. 437. D. Hülſeman. tr. de auxiliis grat. pag. 90. 128.

Cæterùm decimo quarto hujus ſeculi anno, Reſpublica litera-

ria *Gröningenſi Academiâ* aucta eſt; A Gröninga ſic dicta, urbe ampla & inclyta Belgii, dominii Gröningenſis capite. Ibi noſtro (qui hæc ſcribimus) tempore, Profeſſorem Theol. inter alios egit *Samuel Mareſius*, cujus *conſilium de Academiis Belgicis* B. L. communicando non cenſemus nos ineptè facturos. „ Non deſunt, inquit, Viri boni „ & Eccleſiæ amantes, qui putent, nullum certius Concordiæ Theo- „ logicæ vinculum poſſe in Belgio dari, quàm ſi omnes Academiæ „ & Scholæ illuſtres in unam conflentur, in qua ſingulæ provinciæ „ & ſuos habeant, ſingulos aut binos in ſingulis Facultatibus Pro- „ feſſores, & ſuos alumnos ſacro miniſterio præparandos. Tunc e- „ nim unica daretur Theologica Facultas, quæ totius inſtitutionis „ Theologicæ penſum inter ſua membra diſtribueret, eandem Tra- „ ditivam conſtanter ſervaret, idque ad unitatem cum veritate reti- „ nendam ſollicitè retineret, ut nil à quoquam Theologo ederetur „ publicè, nil de aliquo caſu conſulentibus reſponderetur, quod ab „ univerſo Collegio non eſſet cenſum & approbatum. Tunc foret „ univerſa terra unius labii, & caſuum in Synedriis aut Claſſibus oc- „ currentium, unanimis, ſolida, & expedita obtineretur ſolutio; „ Tunc inter omnium Eccleſiarum Paſtores ceu Collectaneorum, „ iiſdemque præceptis ab iiſdem præceptoribus imbutorum à tene- „ ris, conſenſus & amor vigeret certior ac firmior, eaque ratione „ Synodicæ occupationes plurimùm minuerentur. Sed optare id fa- „ cilius eſt, quàm ſperare, eò quòd ſingulæ Provinciæ jus fundan- „ darum Academiarum, quod ad Regalia refertur, ſtatuant ſuæ Ma- „ jeſtatis eſſe, & quælibet hunc ſplendorem ſibi malit, quàm alteri, „ eâque ratione ſtudeat ſaltem aliquam partem habere in gloria & „ emolumento, quæ redundant ex Academiarum & Scholarum e- „ rectione & frequentatione. Suo quoque fructu non videtur carere „ illa Seminariorum Virtutis & Veritatis multiplicatio in ſingulis „ provinciis; nam ea ratione omnia in æquilibrio manent, dum, ut „ eſt in proverbio, gladius alter, alterum gladium in vagina retinet, „ ſeſeque mutuò obſervantes diſtinctorum locorum Profeſſores, ſo- „ licitè magis ſibi cavent ab omni novatione, Æmulorum ſuorum „ veriti redargutionem atque cenſuram. Miſſô igitur illo conſiliô „ ceu nimis vaſtô (pergit Mareſius) & minùs practicabili, de omni- „ um Academiarum Belgicarum reductione & contractione in u- „ nam, ſuadeo: Ut ubique ratio quædam ineatur communis Tradi- „ tivæ, quo ſtudioſa juventus ab una Academia tranſiens ad aliam,

Yy 2 „ idem

„ idem reperiret animi pabulum, cui jam adſueſcere cœperit; ut „ communes deligantur Autores, quibus proponendis & explicandis L. C. Profeſſores ubivis inſiſterent; ut omnes Belgii Profeſſores Theologi quotannis feriarum tempore ſimul conveniant, amicè fraternèque deliberaturi de rebus ad ſuam vocationem ſpectantibus, præſertim operas totius anni ſequentis inter ſe partituri; ut omnes etiam ſibi mutuò transmittant, quæcunque quotannis vel diſputaſſent publicè, vel in lucem emiſiſſent, in conteſſerationem fraternitatis, & omnis offenſæ remotionem &c. Alloq. ad Paſtores & Rectores Eccleſiarum F. Belgii, Confeſſionis Exegeſi præfix. * * * 3. ſeq.

LIB. II. CAP. XVIII.

Summaria.

Novi Papiſtæ Nihuſii, novus error.
Methenii phantaſiæ.
Nachiegalius, divulgator libri de tribus ſummis Impoſtoribus.
Sociniani, Germaniæ inſidiantes.
Brentii, converſi Judæi Leberis.
Salman Zebi, Theriaca Judaica.

CIrca hoc tempus *Bartholdus Nihuſius*, novus Papiſta, novum cudit ac protudit Errorem, dum conatu magno quidem, ſed irrito, probare nititur: *Sanctos hac vita defunctos, non eſſe mortuos vel quoad corpus, vel quoad reliquias ſeu exuvias corporis.* Formata enim quæſtione: „ An adorandi ſint Sancti ſuis in reliquiis? affirmat, quia, „ inquit, Sancti in exuviis corporum non ſunt mortui, ſed omninò „ vivunt adhuc. Qui Catholici non ſunt, irridentes de me dicent: „ Muſto plenus eſt! At profectò, pergit, oraculum Divinum enarro; Mortui nobis quidem ſunt, ſed Deo reverà vivunt; imò, mortui nobis videntur, ſed non ſunt; quid ergò? dormiunt ſaltem; „ valeat igitur Gymnoſophiſta Indus apud Plutarchum in Alexandro, ad quæſtionem, plures ne vivi, an mortui eſſent? reſpondens, „ vivi, quia mortui non amplius ſunt. Quoniam itaque, concludit, „ Sancti ſuis in corporibus adhuc vivunt, certatim nos illuc agglomeremur, & adoremus amoroſiſſimè, ſpem reſurrectionis noſtræ „ ſimul quaſi ſatiantes, & mortis metum puerilem abjicientes, nequaquam verò ſuperbè quicquam ejus reſpuentes; hæreſeos ac „ atheiſmi pars eſt, opinio illa feralis & luctuoſa, de mortuis ac non

„ vi-

„ viventibus Sanctorum corporibus, utpote reſurrectionem impiè „ negans in receſſu. Hactenus Nihuſius; prolixè confutatus in tractatu D. Himmelii de Natura Invocationis Religioſæ, pag. 5:0. 525. ſeqq. confer diſput. inauguralem Dn. Davidis Chriſtiani, de R. Pontificis Infallibil. & S. S. Canoniſatione, pag. 66. ſeq.

Emerſit etiam cum ſuis blaſphemiis & phantaſiis *Ezechiel Methenius*, in oppido Thuringiæ Langenſalza natus, patre viro ſatis erudito, & Scholæ ibidem Rectore; Stifelii, de quo anno 1604. cap. XXV. videatur, è ſorore nepos; quem fanaticum aut ducem habuit, aut ipſe imitatus fuit. Enthuſiaſtico ſpiritu motus, dogmata Suencofeldii, Anabaptiſtarum, Weigelii & ſimilium, repetiit partim, partim peculiaribus portentis auxit, multumque moleſtiarum non tantùm Eccleſiæ patriæ, ſed etiam vicinis creavit; quippe qui & Salzæ, & Dreſdæ, coram examinatoribus, nedum apud alios ex plebe homines, diras ac portentoſas blaſphemias, & voce & calamo effundere veritus non eſt; „ nimirum ſe Magnum Principem Michaë„ lem, ac vivum Dei verbum eſſe; ſe corpore ſuo carnem Chriſti per„ ſonaliter circumgeſtare; Se peculiares revelationes è Cœlo habe„ re, queis Deus cum ipſo loqueretur, eique ſalutarem doctrinam „ immediatè patefaceret. Verbum ſcriptum proinde & prædica„ tum rejecit, unum duntaxat Verbum DEI, nempe quod vocatur „ ſubſtantiale ſeu Filius Patris cœleſtis, profeſſus; legis Divinæ per„ fectam ſibi arrogavit impletionem, nec dicere abhorruit, ſe in po„ ſterum non peccare, imò ne peccare quidem poſſe, aut cogitatio„ nes malas concipere, aliàs neceſſariò ſecuturum, quod Chriſtus in „ ipſo peccaret; omnia, quæ ſuſcipiat, agatque, Chriſtum agere cum „ ipſo, & virtute perſonalis hujus cohabitationis, fore ſe immorta„ lem ſomniavit. Eccleſiam illam, non aliam, eſſe ac dici veram, „ quæ careat omni macula & ruga; hanc ſe, ſuumque gregem eſſe „ dixit, reliquos cœtus omnes, eorumque Miniſtros, calumniis ac „ injuriis atrociſſimis onerans. Baptiſmum in Eccleſiis Chriſtianis „ uſitatum, ut & S. Domini Cœnam, res aut actiones magicas ap„ pellavit, eoque nomine tanquam inutiles repudiavit ac damnavit. „ Mortuorum reſurrectionem futuram, & vitam æternam negavit, „ ſe mortalitati nunquam ſubjici poſſe blaterans; &, ſemel ſe mun„ do mortuum, Chriſtum non bis mori garriens; hinc ſe nullam ex„ pectare carnis reſurrectionem, nec aliam vitam æternam, ſed o„ mnia quæ Deus promiſerit beatis, jamjam ſe plenè poſſidere. Se

 non

„ non teneri coram Chriſti Tribunali rationem reddere eorum, quæ „ geſſerit in vita, ſed ſeipſum fore judicem cum Chriſto, qui ma„ los hypocritas, & ſecuros PſeudoChriſtianos judicaturus ſit. Non „ adeò multos adſtipulatores habuit; ne plures autem ſeduceret, in „ erroribus iſtis obfirmatus, ad locum quendam ſolitarium abdu„ ctus eſt, ubi vitam finiiſſe dicitur. Hieron. Kromajer. in hiſt. Ec„ cleſ. Cent. XVII. Oſeas Schad. in Continuat. Sleid.

Nachiegalius quidam, famoſiſſimum *librum: De tribus ſummis Impoſtoribus Mundi*, cujus mentio facta an. 1610. cap. LXVII. *ſparſit* in N. N. ob id à Chriſtano Magiſtratu territoriô expulſus. Librum iſtum, quem celebris Theologus W. diu opinatus eſt, aut nunquam fuiſſe ſcriptum, aut ſcriptum non amplius extare, refert B. D. Müller, Hamburgenſis, extare in alicujus Principis bibliotheca famigerabili; Item, fuiſſe aliquem inſignem religionis & Miniſterii empæctam, in cujus bibliotheca diabolicum hoc opus extiterit; ſed eo defuncto, ab hæredibus Vulcano traditum eſſe; Imò addit ulteriùs, ab aliquo Archiatro ſibi relatum, quòd hunc ipſum librum apud Magnatem quendam invenerit, in eo legerit, ab ipſomet Magnate diligenter lecto. D. Wagner Exam. Elencht. Atheiſ. ſpeculat. p. 77. D. Müll. in Atheiſ. devict. 19. 50.

Sociniani, poſtquam Polonicas, Lituanicas, Transſylvanicas Eccleſias, aliasque remotiores diu afflixerant, viresque & hoſpitium inibi obtinuerant, nunc in *Germanicas* noſtras magno & aperto cum impetu immiſcere ſe ac ingerere allaborabant, primas in opere tenentibus, in Thuringia & alibi paſſim, Valentino Smalzio, Gothano; In Miſnia Johanne Sommero, Pirnenſi; & Johanne Volkelio, Grimmenſi, Chriſtophoro Oſtorodo, Goslarienſi, in Saxonia Inferiore, &c. Quibus niſi ab orthodoxis Theologis, vigili cura & calamò maturè obviam itum eſſet, novitatis avida, fluxique ingenii juventus, inauditum Majoribus Chriſtianiſmum imbibiſſet; imò tota Germania graſſantibus iſtorum hominum erroribus inundata, fœdoque Neophotinianorum & recentium Arianorum luto contaminata eſſet. Joh. Cluver. Ep. hiſt. 772. Hornb. S. Controv. lib. VII. de Socin. 567. Krom. Scrut. Relig. 162.

Sed ex impia gente Judaica, *Samuel Fridericus Brentius*, deſertis Apellarum Synagogis, Chriſtianorum cœtui ſe aſſociavit; ſcriptôque libro Germanico, ſub titulo *Leberidis* (Jüdiſcher abgeſtraiffter Schlangenbalg) Judæorum malitiam, fraudes, ſcelera, impietatem,

atque

atque in Chriſtum ejusque Matrem Virginem blaſphemias detexit, omnesque ſibi ab iis cavere monuit, tanquam à juratis Chriſtiani nominis hoſtibus, quorum omnis cura & cogitatio in Chriſtianorum odium, contumelias, & perniciem fixa ſit. Ut primùm autem hoc Brentii ſcriptum Norimbergæ anno ſeculi noſtri decimo quarto prodierat, ad ejus confutationem ſe maſculè accinxit Judæus in Talmude & aliis Rabbinorum monumentis non usque adeò hoſpes, *Salmanzebi*, Offenhuſenſis, ita quidem, ut adverſarii ſui objectiones, ordine quem tenuerat, ſervato diluere nitatur, & gentem ſuam contra tot ac tantas, quas putabat, calumnias defendat. Atque hinc titulum fecit *Theriacam Judaicam* (Jüdiſcher Theriack) quia, quam ipſe rationem in præfatione reddit, forte ſit Antidotum, ad venenum, adverſarii Leberide hauſtum, extrahendum; ſcripſitque idiomate, quo ille, germanico, ſed quali communiter uti ſolent Judæi, & Rabbinicis expreſſo literis. Cæterùm ut Judæis multa Brentius affinxiſſe, & ſola criminandi libidine falsò objeciſſe fertur; ita viciſſim negare multa, vel certè emollire, aut aliter interpretari Zebius dicitur. quorum tamen Judæi optimo jure poſtulantur; quod in animadverſionibus ſuis diligenter (multis pòſt annis) excuſſit *Johannes Wülfer*, Noricus Theologus, qui non utriusque modò ſcriptum nativo ſermone & charactere, junctim, ſed inſuper, in exterorum gratiam, cum verſione latina, variis annotationibus auctum edidit. Videantur Acta Erud. Lipſ. an. 1682. pag. 205. ſeq.

LIB. II. CAP. XIX.

Summaria.

Colloquium Hemmelsburgenſe, inter Jeſuitam Auguſtinum Hildeſienſem, & Calixtum, Theol. Cand. Helmſtadienſem habitum, de primo Religionis principio.

Inter fœderati Belgii Remonſtrantes, & ContraRemonſtrantes, nova lis de Poteſtate Magiſtratûs politici circa Eccleſiam & Religionem.

Acris controverſia de divina prædeſtinatione, inter Bertium & Piſcatorem agitata.

Portentoſum axioma Lojolico-Durlacenſe, ab Oſiandro exploſum.

Irenicum Parei, ſeu de Unione & Synodo Evangelicorum concilianda liber votivus.

Balduini ſententia, de Synodo Generali Lutheranorum & Calvinianorum toties petita.

Ca-

Caſauboni, de rebus ſacris & Eccleſiaſticis Exercitationes.

ANno 1614. propridie Calend. Sept. *Colloquium* diſputatorium (privatum) fuit habitum, *inter P. Auguſtinum*, Jeſuitam Hildeſienſem, & *Georgium Calixtum* t. t. Candidatum Theologiæ Evangelicæ ex Academia Helmſtadienſi; præſentibus Dn. Rintorffio, Canonico Hildeſienſi; Paſtoribus itidem duobus Evangelicis, nempe Paulo Schmidio, & Chriſtophoro Siltmanno; & aliis quibusdam perſonis. *Locus* diſputationis, arx *Hemelsburgi: materia*, principium Pontificiæ Religionis primum, in determinationibus Papæ, tanquam infallibilibus poſitum; &, oppoſitum Lutheranæ fidei principium, S. Scripturæ oraculis fallere neſciis, ac ſufficientibus ad ſalutem, exhibitum. *Occaſionem* actui huic dedit, *junior Nobilis à Klenken*, de quo videatur an. 1606. cap. XXXIX. Hujus, quoad religionem nutantis, causâ, *Cornelius Martini*, præclari nominis Philoſophus atque Theologus Academiæ Juliæ, ad congreſſum cum Doctore Pontificio expetitus erat; quoniam autem hunc domo abeſſe prohibebat infirmitas corporis adverſaque valetudo, ejus loco mittebatur Calixtus; quem, licet initiô Lojolita naſo ſuſpenderit adunco, tamen ita ſe geſſiſſe, ut & voluntati præceptoris, & communi cauſæ Lutheranorum, egregiè ſatisfecerit, acta ab amanuenſibus coràm excepta, & à plurimis lecta, oſtenderunt. Imò, qualem ſe in iſto Colloquio præſtiterit Calixtus, mox patuit ex quæſito Eſavitæ ſubterfugio, quo declarabat, ſe paratum eſſe, ſi quid ex ipſo diſcere vellent præſentes, ad docendum; cæterùm, ajebat, neque nunc meam religionem diſputando propugnare volo, nec veſtram oppugnare: Cùm reponeret Calixtus, nil opus hìc eſſe illius inſtitutione, ſed probatione & ſententiarum collatione, ſi nolit ſuſpectam reddere ſuam cauſam; reſpondit P. Auguſtinus: Non debet Catholica religio ex mea perſona judicari; Me licet ſuperaveris diſputando, nihil officiet Catholicæ religioni, neque debet inde concludi, Catholicam religionem defendi non poſſe; de qua re proteſtor. Hoc unum eſt apprimè notandum: Addere jam aliud libet. Circa medium ferè diſputationis, cùm ſtringi ſuum Auguſtinum validiſſimis argumentis, Rindorfius obſervaſſet, quid proficimus iſtis diſputationibus? dixit, quis earum judex erit, & inter vos litigantes diſcernet? quis feret ſententiam, uter veſtrum veram defendat?

dat? Reſpondit Calixtus: Mi Domine, non eſt, quòd ſoliciti ſimus de judice; eum inventum nobis dabo, priusquam ex hoc loco diſceſſerimus. Alteruter noſtrum eò redigetur, ut aut deficiat in probando, aut ſibimet contradicat, aut neget, quæ ſunt manifeſtè vera. Tum habebit ille ſuum judicem, quò major alius dari non poterit, ſcil. propriam conſcientiam; qui illam nihili fecerit, pone mille Judices, & hos multò minoris faciet. Judex itaque noſter erit, deficere in probando, vel redigi ad contradictoria, aut abſurda; Is judex brevi nobis aderit. Dictum, factum; Lojolita delapſus ad abſurdum, contraria poſſe ſimul eſſe vera, ſurrexit, atque diſputationem abrupit. Confirmare debuiſſet id ipſum vacillantis Klenkii animum, in veritate, quemadmodum ſibi parentes hanc ſpem fecerant, & inter eos ita convenerat: Verùm, quid Error poſthabita Dei gratiâ valeat, edocuit juvenis, qui præoccupatum animum Româ exportaverat, inque caſtra Pontificiorum abiit. vide Acta Colloquii, pag. 16. 34. 53. & Program. in fun. Calixt. lit. B. 2.

Ex occaſione Controverſiarum *inter Arminiano-Remonſtrantes & Gomariſtico-Contra-Remonſtrantes*, ac eorum, quæ ad ſopienda iſthæc diſſidia Eccleſiaſtica, hucusque à ſummis fœderati Belgii Ordinibus actitata ſunt, *nova lis* oritur, *de poteſtate Magiſtratûs Politici circa Eccleſiam & Religionem*; aliis quidem in exceſſu, aliis in defectu peccantibus. In iſta navi vehuntur Arminiani ſeu *Remonſtrantes*, hac in quæſtione & cauſa, potiores atque primas partes Magiſtratui civili vendicantes; Imò Sceptrum bifidum, quod exit in apicem politicum pariter & Eccleſiaſticum, i. e. Architectonicam, Regiam, Legislativam poteſtatem in utroque foro ſpirituali atque civili, ad omnia ſacra & profana indifferenter & æqualiter ſe habentem, ei tribuentes; Unde magno molimine aſſerunt, licere læſis ad Magiſtratum merè civilem ſive ſupremum ſive ſubordinatum, à judicio Eccleſiaſtico, etiam legitimè conſtituto, appellare; cujus doctrinæ praxin exempla probant manifeſta. In altera rate verſantur Gomariſtæ ſeu *Contra-Remonſtrantes* plerique, ſeducti (ut nonnemo ſcribit) à Papiſſantibus Epiſcopis Anglicanis, contendentes, curam religionis & rerum Eccleſiaſticarum, ad Eccleſiam repræſentativam pertinere, ſeu ad Miniſtros Eccleſiarum, qui ſoli harum rerum periti, de iis cognoſcere & judicare, decernere ac diſponere poſſint ac debeant, ægerrimè ferentes, quantumque in ipſis, neutiquam permittentes provocationem à judicio quocunque Eccleſiaſtico, vel ad ſummum

totius ſtatus Magiſtratum; cui nihil, aut parum relinquunt, præter poteſtatem coërcitivam, defenſivam externam, & conſervatricem cultus ac religionis ad nutum Paſtorum. vid. diſſertation. inaugural. D. Raithii, de Poteſt. Mag. pol. circa Eccleſ. A. 3. ſeqq. B. 8. 9. pl. quoad rem confer. Hülſem. Breviar. edit. 3. in quart. cap. XX. §. VII. & ſeqq. ſupplem. theſ. II. ſeqq.

Petrus Bertius, Arminianus, anno 1614. *in controverſia de divina Prædeſtinatione*, inter ipſum & Johannem Piſcatorem rigidiſſimum Calviniſtam agitata, Piſcatorianam blaſphemiam ſequenti *analogiſmo* in apricum protulit. Fertur apud Suetonium, quondam *Tiberium* Cæſarem, virginem quandam ſtrangulari voluiſſe; cur? quia libebat; ſed cùm id vetaret patriæ mos, quo non licebat intemeratam occidere, miſit virginem ad lenonem, & Decreto ſuo viam ipſe ſternens ſtupratam occidi juſſit. Ignoſce, addebat Bertius, ò bone Chriſte, Eccleſiæ tuæ Doctoribus, qui de DEO ad exemplum Tiberii docere, loqui, ſcribere, non verentur; Et poſt aliquot folia luculentum ſchema ponebat, infrà communicandum; ne prolixiores hîc ſimus, quàm noſtri fert inſtituti ratio. Admon. Sigwart. ad Iren. Par. 330. Danh. Hodom. Calvin 991.

— Superiori anno *Lojolitæ Durlaci portentoſum hoc axioma* urgebant: „ A Lutheranis, qui toties in cauſis fidei ad Scripturam provocare „ ſoleant, omnia religionis capita controverſa, quoad literam, in „ terminis terminantibus, neutiquam verò per διάνοιαν ſeu Con„ ſequentiam probari, aut refutari debere, ſi cauſam adverſus anta„ goniſtas obtinere velint, eorumque aſſenſu gaudere. Quod uti hactenus apud Philoſophos atque Theologos inauditum, abſurdum ac intolerabile: Ita dignis modis à *D. Luca Oſiandro*, tunc Præſule Bebenhuſano Wirtemberg. exploſum eſt, & variis confutatum exemplis, in peculiari tractatu Tub. typis Werlinianis ed an. 1614. ſub titulo: Abriß und Muſter deß trefflichen Kleinods/ ſo die Jeſuiter in dem neulichſt zu Durlach angeſtellten Colloquio erfochten haben. Quem librum inprimis oppoſuit vanæ *Conradi Vetteri* jactantiæ, de neſcio quàm inſigni adverſus Scripturarios Lutheranos Durlaci obtenta victoria, quos in Triumpho quaſi duxerint Lojolitæ; luculenter demonſtrans, tùm, quomodò propria Pontificiorum vineta, homines iſti ſuo impudenti & imprudenti poſtulato ceciderint, tùm ut quantum in ipſis, Eccleſiam Chriſti fortiſſimo dejecerint præſidio, quo hactenus freta & munita, fortiter ac feliciter pugnavit contra quos-

vis

vis hoſtes: Jam diabolorum & hæreticorum omnium cauſam adverſus Orthodoxos fore bonam, imò paratam illis victoriam, ſi verum & æquum, quod *Gonterius* cum ſociennis poſtulavit, modò voluerint armis uti, ab orci filiis noviſſimè productis & ſuppeditatis. Ekhard. Theolog. Studioſ. pag 130. Sophiſt. Polycephal. D. Chriſtoph. Binder. 25. pl.

Ex Palatinatu ad Rhenum, ſub idem tempus prodiit Syrene nova-Vetus Calviniſtica, perquàm dulciſona, philomela *D. Davidis Parei*, Theologi Heidelbergenſis, pacifica; cui nomen dedit *IRENICI*, ſeu de Unione & Synodo Evangelicorum concilianda, libri votivi: „ quem quidem jam dudum anno nimirum 1606. adornârit, „ nunc demum verò, poſt ejus reviſionem ſæpiùs repetitam, ac „ moderationem, approbationemque typis excuſam evulgare vo- „ luerit, eo fine: quandoquidem nec ſcriptionibus variis ab utraque „ parte editis, neque colloquiis aliquot habitis, quidquam aut cer- „ tè parùm valdè hactenus profectum fuerit, ut Lutherani & Cal- „ viniani, in negotio religionis pio conſenſu convenirent; Ideòque „ non reſtare commodiorem ac tutiorem viam, quàm hanc unicam, „ ut diſſenſiones & controverſiæ, in cauſa religionis obortæ, ad Sy- „ nodum quandam generalem, ex omnibus Nationibus congre- „ gandam (cujus formam & proceſſum ſimul depinxit) devolvan- „ tur: Interim verò dum Synodus cogatur, utraque pars pio Syn- „ cretiſmo coëat, & quælibet alterius dogmata pro ſtipulis ac paleis, „ ex infirmitate duntaxat humana fundamento ſuperſtructis, æſti- „ met, atque invicem in unitate Spiritûs per vinculum pacis, in „ manſuetudine, tolerantia, moderatione, mutua conniventia, fa- „ cilitate amicabili, charitateque Chriſtiana amplectatur: donec de „ aliquantula illa quorundam, in quibusdam Religionis capitibus „ differentia (ut Irenici verba habent) commodè aliquando tranſi- „ gatur, & vel perfectè unum ſentire, utrique detur parti, vel Judi- „ cis voce in Synodo decidatur. Quid ſentiendum de iſthoc ſuaviloquio, & in ſpeciem ſancto conamine, *D. Johann. Georg. Sigwartus*, Tubingenſis, & *D. Leonhardus Hutterus*, Wittembergenſis, Theologi A. C. ſincerè addictiſſimi, oppoſitis libris abundè docuerunt, quò B. L. brevitatis causâ remittimus, &, ad libri primi hujus operis capp. XXXIII. an. 1605. XXXVIII. an. 1606. Unum addere libet ex *D. Dannhaueri* Myſterio Syncretiſmi detecti, proſcriptique, ubi doctiſſimus vir ſequentem adducit *Apologum*, inter acutiſſimi monita in-

ingenii: „ Erinaceus ad lepuſculum aliquando acceſſit, & rogavit „ hoſpitium; Cui lepuſculus reſponſo miti: doleo, inquit, mi frater, „ quod te cogar excludere; Veſtis tibi nimis eſt hiſpida; ſub uno „ tecto, quod facilè conjicias, non conveniemus. O frater optime, „ inquit Erinaceus, ſi de mea veſte ſolùm lis eſt, hoſpitium ſpero „ non negabis; Ita me contrahere poſſum, ut me ipſo minor „ ſim, quicquid aculeorum eſt, velut vagina condo, ut neminem „ lædam. Quòd ſi bellum ingruet, me ſimul ducem habebis & mi- „ litem; Non eſt quòd amici mea arma formident, illa ego in hoſtes „ expedio. Quicquid porrò lepuſculus objiceret, id Erinaceus ver- „ bis tàm blandis refutare novit, ut hoſpitiô demum ſit receptus. „ Sed non diu novus hic hoſpes naturam diſſimulavit, quin ſenſim „ aculeos laxare cœpit, & ſe quantum potuit, dilatare. Hic lepu- „ ſculus, ohe frater, inquit, aliud ſpoponderas, aliud præſtas! At E- „ rinaceus irridens: hic meus eſt mos, dixit, ſi cui non placet, exeat. „ Quæro, Dannhauerus addit, an unum uni tàm ſimile atque par „ eſſe poſſit, quàm Erinacei illa blandiloquentia, Irenico Pareano, &c. Myſter. Syncr. p. 72.

Synodum verò *generalem*, quam tantopere crepabat Pareus, ad componendas controverſias, quæ inter Lutheranos & Calvinianos verſantur, nec neceſſariam eſſe, nec practicabilem aut fructuoſam fore, pluribus docuit, iisque graviſſimis rationibus & argumentis, *D. Frid. Balduinus*, in oratione Jul. 19. hujus anni Wittenbergæ habita, per tot. „ Si quis putet, convocatô ex omnibus reformatis Ec- „ cleſiis Conciliô, quæſtiones, quæ tot annos doctorum Virorum „ exercuerunt ingenia, poſſe paucis menſibus aut annis, aut una „ annorum centuria, ita definiri, ut omnium conſenſus in omnibus „ his Theologiæ controverſæ capitibus obtineatur; bonâ bonorum „ veniâ dictum ſit, mihi videtur vix veriſimile; ipſius *Davenantii*, Doctoris Calviniani, verba ſunt, in Hülſem. Calviniſmo irreconciliab. pag. 182. quo cum conferatur Hornbek. in ſum. Controv. lib. 9. p. m. 709. ſeq. Prævidit hoc ipſe *Pareus*; ideò verbis: *Vel perfectè unum ſentire detur utrique parti*, addidit: *VEL, Judicis voce in Synodo decidatur.* Scilicet, mi Paree, ſi contingeret, Fridericum Palatinum (Regni Bohemiæ Candidatum) aut alium Principem è Calviniſtica gente, ad ſummam Imperii dignitatem evehi; ille mox convocaret Synodum generalem in Germania, ſuæ fidei aſſeclis directorium, committeret, perque conſtitutum ex iis præſidem, ita deciſionem

for-

formaret, ut Lutherani cauſâ caderent, porrò, vel Calviniſtarum cœtui ſe adjungere neceſſum haberent, vel, relictis omnibus locô cederent, vel, ſubirent pœnas & afflictiones falſorum fratrum, imò tunc acerrimorum hoſtium, arbitrarias &c. Vide hunc in modum prolixiùs differentes Theologos Saxonicos, in append. Deß Wittebergiſchen Beweiſes/ daß die Calviniſten im gr. deß gl. irren/ pag. 522. ſeq.

Iſaaci Caſauboni, Delphinatis, *de rebus ſacris & Eccleſiaſticis Exercitationes XVI.* ad Cardinalis *Baronii* prolegomena in Annales, & primam eorum partem, de Dn. Jeſu Chriſti Nativitate, Vita, Paſſione, Aſſumptioneque, ſimiliter hoc anno Londini primùm vulgatæ; ſed eas Bulengerus, Rosweidius, & alii deinceps, acriter irritô tamen conatu, impugnarunt, annotantibus id Erud. Lipſ. in Act. 1692. pag. 155. ſeq. nos miſſis jam iiſdem, calamum vertimus ad alia.

LIB. II. CAP. XX.

Summaria.

Fridericus V. Comes Palatinus in Collegio Electorali admiſſus.
Civium Francofurtenſium atrox tumultus.
Diſſenſio Juliac. & Clivenſ. Principum, cauſa malorum plurimorum.
Ludovicus XIII. Regimini admotus in Gallia.
Novæ turbæ Bethlenii Gaboris in Dacia.
Zarius Moſcovicus armis laceſſitus.
Nuptiæ Ducis Lignicenſis; Et, Comitis Palatini Bipontini.
Philippus Ludovicus Neoburgicus, mœrore extinctus.
In prælio cæſus Momorantius, Galliæ Conneſtabilis literarum planè rudis.

F*Ridericus V. Comes Palatinus Rheni*, Friderici quarti anno ſupra milleſimū ſexcenteſimū decimo defuncti filius primogenitus, poſtquam compleverat ætatis decimum octavū annum, Auguſto menſe, *gubernationem paternarum ditionum*, & Septemviratum *adiit*; feliciſſimus in eo ſtatu futurus, modò ſorte ſatis opima ſplendidaque contentus, abſtinere voluiſſet iis, quæ ſupra genium & captum erant. D. Wagn. limin. geneal. 119. Spener in Sylloge geneal. 77.

Francofurti ad Mœnum, Vincentius Fettmilch, dulciarius piſtor; Conradus Schopp, ſartor; Conradinus Gerngroſs, arcularius; aliique nonnulli ex præcipuis civibus, octavo menſe atrocem excitavêre

tumultum, qui velociter adeò increvit, ut plebs irritata non tantùm Judæos lectiſſimis opibus ſpoliatos, urbe expelleret, ſed etiam Senatores loci ab officiis removeret; quod primariis turbarum autoribus capite ſtetit. Gottfrid. hiſtor. part. IV. 181. ſeqq. Orb. pol. Horn. edit. 2. 309. confer anno 1612. cap. VI.

Diſſenſio Juliacenſium & Clivenſium Principum, non modò deſtructioni Mülhemianæ inſerviit, ſed & aliorum cauſa malorum plurimorum in Germania extitit, funeſtisque bellis materiam ſuppeditavit ampliſſimam; hoc ipſo enim anno, dum Veſaliam, aliaque Juliacenſis dominii loca, pro Neoburgico Spinola ſubegit; viciſſim à Brandenburgico evocatus Mauritius fœderatorum Belgarum Dux militaris, Emericum, Retſum, & Marcani Comitatus pleraque invaſit. Cluver. Ep. hiſt. 771. Calviſ. 969.

In *Gallia*, Principes Regii ſanguinis querebantur de mala publicæ rei adminiſtratione, quod expreſſis ad Reginam literis Condæus manifeſtavit; Omnia tamen cùm ad arma ſpectarent, miſſo à Rege & Regina Legato ad malè contentos, mox in pacis leges conventum eſt, & *reſtincta ſeditio*: deinde ſub finem autumni, poſt confectum illud bellum, *Ludovicus XIII.* ipſe *imperii habenas* more majorum, anno ætatis decimo quarto *capeſſit*, Major Parlamenti placito pronunciatus. Grammond: hiſtor. Gall lib. 1. 40. 52. At gravius *inter Mantuanum, Sabaudumque Duces bellum* in Italia, ſuperiori anno coortum, fervidè magis continuatum, ſuper Montferratenſi Principatu. Turſellin. hiſt. lib. 10. 261.

In *Dacia*, extincto Gabriele Bathorio, *Bethlemius Gabor* novas turbas civit, occupatamque Lippam, Geneam, & Ararum Turcis, ut ſibi Transſylvaniæ Principatus adminiſtrationem confirmaret, in manus tradidit; poſt multas autem lites de jure conſtituendi Daciæ Principes, Matthias Ungariæ Rex & Imperator Germanorum, cum Achmete Turcico tranſegit. Hofm. Lex. univerſ. 1009. A. & B. 483. Gottfr. hiſt. IV. 214.

Novo Moſchorum Duci Magno, aliis *Ruſſorum Imperatori, Federovitſio*, ſeſe oppoſuit pſeudo-Demetrii ſecundi vidua, Margaretha Gorgona, quæ ducto Coſſacorum Duce, Provincias orientales Ruſſiæ, Caſan, Aſtracan, Siberiam, Rezam, aliasque ditiones, titulo regni pro filio ſuo adhuc impubere pſeudoDemetrio quarto, occupavit. Adverſus eundem & *Guſtavus Adolphus, Suecorum Rex*, arma movit, ſed magis defenſivè, quàm offenſivè, ſub hæc in annos 15. cum

cum unitis Belgii Statibus fœdus (*Allianze*) pangens. Horn. Orb. Imper. 385. Puſendorf. in Contin. Introd. ad Not. Stat. Europ. 654. 656.

Nuptias t. t. celebravit *Georgius Rudolphus, Lignicenſis & Brigenſis Dux in Sileſia*, cum Sophia Eliſabetha, Johannis Georgii Principis Anhaltini gnata. *Johanni Caſimiro* autem, *Bipontino Comiti Palatino*, ſororem ſuam ex altero parente, Sueciæ Rex in matrimonium ſpopondit, nomine Catharinam; ea conditione, ut ſi quid ſibi accideret adverſi, adhuc in cœlibatu degenti, primogenitus ex hoc matrimonio, in Adminiſtrando Sueciæ Regno Succeſſor eſſet. Factum deinceps, ut quanquam Guſtavus Adolphus filiam propriam relinqueret, legitimam regni hæredem, Corona tamen Suecica Carolo Guſtavo, è ſorore nepoti anno 1655. imponeretur. Calviſ. 969. Pufend. cit. lib. 657.

Philippus Ludovicus, Dux Neoburgicus, ut prudentia œconomica, ita inprimis Evangelicæ religionis zelo clarus, anno 1614. conſternatus triſti nuntio de Apoſtaſia filii, *vita exceſſit*, ſepultus Lavingæ, magno relicto ſui deſiderio. *Teſtamenti*, quo religioni A. C. cavit, *Executores* equidem conſtituit Wirtembergiæ Ducem, & Marchionem Durlacenſem; at eorum autoritas tanta non fuit, ut intemerata maneret pientiſſimi Principis laudatiſſima diſpoſitio. Not. Procer. 372. Spen. Geneal. 84.

Occidit in prælio ad fanum Dionyſii *Henricus Momoranzius*, Galliæ Conneſtabilis; Vir proſapiâ illuſtris, bellica virtute, maxima poſt Regem potentia, & Gaza ſummè valens; annos natus octoginta duos. At nec omitti debet, eum non modò neſciviſſe literas, ſed ne prima quidem elementa; ut portento haud abſimile videri poſſit virum *literarum penitus rudem*, ſolo naturæ genio, ſummum rerum apicem aſſecutum, quem ambiguis temporibus tanta laude tenuit, ut aulicorum ætatis ſuæ Princeps fuerit, ſeu natales, ſeu fortunam attendat aliquis, aut animi dotes. Grammond. lib. 1. 50. Hofmann. Lex. A. 478. 471.

LIB. II. CAP. XXI.

Summaria.

Momorantius, imminente mortis agone Franciſcanorum habitu indutus.

Pœnitens latro Bohemicus.

Severum Galliæ Regis edictum in blaſphemos.
Simia Indoſtana, CHRISTO nomen veriſſimi Doctoris & Legislatoris vendicans.
Fatis concedentes, Freherus; Smetius; Sculteтus; Velſerus.

MOmorantius iſte, ubi extrema imminere ſenſit, reparandæ, quam laxiùs traduxerat, vitæ, patri Archangelo Capuccino credidit ſe totum, & fune præcinctus, *Franciſcanorum Capuccinorum ſub habitu*, in cinere atque cilicio momentum explevit, unde pendet æternitas. Ferunt, navitam, dum Pedenatio Agatham in Deiparæ ſacras ædes ſecundo amne cadaver invehebat, ſuſpenſum habitus novitate, quo Franciſcanus erat, riſiſſe in hunc ſalem: Fruſtrà mentiris te Monachum, decipiendis janitoribus cœli, qui, poſito ad fores cucullo, dignoſcêre. Grammondus lib. 1. citat. 51. pag.

Meliùs omninò feciſſe putandus eſt prædator & *latro* ille *Bohemicus*, qui poſt multas innocentum hominum patratas cædes, tandem audita piæ cujusdam fœminæ ſacra cantione, ſeria ſcelerum ſuorum *pœnitentiâ* ductus, amariſſimè flevit, interque acerbas lacrymas gratiam & miſericordiam DEI imploravit, eâdem paulò pòſt, licet Magiſtratus politici ſententia & juſſu capite truncatus, procul dubio feliciſſimè potitus. Schad. vid. pl. in Continuat. Sleid. germ. ad h. ann.

Cætera laude dignum & imitatione, & executione, *edictum novi Galliæ Regis in blaſphemos*, quo renovatæ veteres Regum ſanctiones, per quas immiſſum in linguam candens ferrum vindicabat ſcelus. Indignum autem Chriſtiano nomine & honore, quod alibi paſſim blaſphemandi conceditur impunitas, utplurimi homunciones à furiis infernalibus agitati, Deum liberrimè adoriantur modo, quo non hoſtis hoſtem invadit violentiùs; potentiam, gloriam, bonitatem, ſapientiam, veritatem, juſtitiam Ejus vellicent; Chriſtum lancinent, Ejus paſſionem, ſanguinem, ac mortem conculcent; Sacramenta, ſalutis media, execrationibus deſtinent; corpus animamque diris devoveant, ac in eam ſæpè rabiem erumpant, ut novis blaſphemandi formis, tanquam in Rhetorum Schola dicendi figuris, impetuosè luxurient. Grammond. hiſtor. Gall. pag. 56. Eckard. genuin. Chriſtian. 227. ſeq.

Admirandum omninò, quod ſequitur, factum! Anno 1614. Magno magnæ Indoſtanæ Regi, ſeu Mogoli, *ſimia* neſcio unde veniens, ſchedam obtuliſſe fertur, cui nomen CHRISTUS, elegantiſſi-

mis literis inſcriptum erat. Alebat eodem tempore quidam Bengalanus civis, aliam ſimiam, quæ credebatur Spiritum habere vaticinum, ut futura poſſet prædicere, & res abditiſſimas rimari feliciter ac prodere. Rex probationem quandam inſtituturus, in loco ſeparato annulum ſuum tradidit uni occultandum, aliis dein pueris undecim totidem annulos non minoris aut formæ, aut pretii, tandem omnes promiſcuè ſedentes, productam ſimiam aſpicere juſſit, & poſcere Regium annulum ab ejus poſſeſſore, quod ſine errore factum ocyſſimè. Tùm Rex duodecim aſſumpſit ſchedulas, iisque totidem Legislatorum nomina, e. g. Mahometis, Lycurgi, Solonis, Chriſti, Moſis &c. linguâ Perſicâ inſcripſit, in unicum ſacculum conjecit, & mandavit, ut ſimia illam tantùm ſchedulam extraheret, in qua Veriſſimi Doctoris ac Legislatoris nomen extaret; extraxitque in momento ſimia ſchedulam Chriſto aſſignatam, ac regi tradidit. Hic, idem tentavit in alia lingua; Simia verò idem, quod antè, denuò fecit. Cùm tandem ex aulicis quidam, undecim ſchedulas in vaſculum ore tectum indidiſſet, occultèque in manu ſua duodecimam ſervaſſet, repetito Regis mandato, ut ſchedulam veriſſimi Legislatoris produceret ſimia; hæc, ſchedulas ad unam omnes è ſacculo ſimul deſumptas, laceravit, ac duodecimam aulici manu ereptam, Regi oſtendit; id quod in præſentia hominum aliquot millium contigit. Recenſet Eraſm. Franciſc. in Oſt-und Weſt-Indianiſchen Luſt-Garten. pag. 414.

Emortualem hunc annum habuére: *Marquardus Freherus*, JCtus & Hiſtoricus inſignis, Auguſta-Palatinus, ætat. 49. *Henricus Smetius*, Alcſtanus Flander, Med. Profeſſor in Acad. Heidelb. 77. ex opere proſodico in Scholis notus. *Bartholomæus Scultetus*, Conſul Görlicenſis, Mathematicus celebris. Et, qui primò nominandus fuiſſet, *Marcus Velſerus*, Reip. Auguſtanæ DuumVir, operibus hiſtoricis & philologicis, tùm ſacris, tùm profanis inclytus, & illuſtri genere, quod è Beliſariis, & ſexto poſt redemptum orbem ſeculo derivare potuit; familias illuſtres cognatas habens & affines pluſculas, inter quas maximè Auſtriaca eminet, ex Ferdinandi ArchiDucis cum Philippina Velſera conjugio; Quid? quòd in India occidentali Velſerorum nomen ac fama innotuit, ob Venezuelam Americæ provinciam, à Velſeris, Caroli V. permiſſu, multis annis poſſeſſam &c. Calviſ. 959. & act. Erud. Lipſ. an. 1682. pag. 169. ſeq.

LIB. II. CAP. XXII.

Summaria.

Novus Dux Neoburgicus Papiſmum in ſubjectas ditiones introducit.

Idem Jus Reformationis in fratrum quoque territoriis prætendit.

Neoburgi dimiſſum Heilbrunnerum, Wirtembergiæ Dux ſuſcipit.

Zeæmannum gens Lojolica in tricas conjicere allaborat.

Plebejo Statui in Auſtria, MATTHIAS libertate ſacrorum interdicit.

Bohemis, qui dicuntur ſub utraque, Clerus Pontificius Majeſtaticas literas perforare ſatagit.

Inde Status Boëmicæ Confeſſionis apud Regem querelas movent graviſſimas.

Eccleſiam puriorem gens etiam Calviniana non parum infeſtat.

In ditionibus præſertim Brandenburgicis Ea telam ſuam pertexere geſtit.

MOerores & calamitates purioris Eccleſiæ, jam antè graves & cumulatas; non parum auxit hic annus. Nam in *Ducatu Neoburgico*, paucis poſt exceſſum Parentis menſibus *Wolfgangus Wilhelmus*, Ducis Philippi Ludovici primogenitus & ſucceſſor, ſubjectas *ditiones*, Miniſtro *Jacobo Reihingio*, Lojolita ex Auguſtanis Patriciis prognato, *ad Papiſmum retraxit;* facto initio in arcis Neoburgicæ templo, quod menſe Februarii ad finem vergente, dilectis Ignatii Hiſpanici filiis conceſſit; qui ſtatim Cathedram S. ſuo more, quaſi extremè temeratam ab hæreticis, repurgarunt, (*ſcilicet*) Biblia S. Germanica, priſtinam Ordinationem Eccleſiaſticam, & quicquid in publico Lutheranæ religionis exercitio cultuque obſervatum hactenus, abrogarunt exterminaruntque, viciſſim doctrinam ac ritus Pontificiales omni niſu introducentes. Narciſs. Schwelin. Chron. Wirtemb. germ. 380. & Seth. Calviſ. 370.

Inter tres Philippi Ludovici filios anno 1615. talis *ditionum paternarum* facta *diviſio*, ut *Auguſto*, qui ſecundo genitus erat, Solisbacum, cum locis eò pertinentibus, obveniret; *Johanni Friderico*, fratri Juniori, Hippoltſteinium, cum præfecturis Heydek, Allerſperg & Gözin; *Wolfgangus Wilhelmus* verò, tanquam natu major, Neoburgenſem Principatum, jusque Suprematus, ſecundum diſpoſitionem

avitam à Patre confirmatam, ſibi ſervaret. Jure pacti hujus, *Jus Reformationis*, Wolfg. Wilhelmus *in iis etiam locis, quæ fratribus aſſignata, exercere* tentavit. Auguſtus fratri quidem, jus Reformationis in ipſius territorio prætendenti, quoad fieri potuit, reſtitit, ſed, ut erat conſtantiſſimus Evangelii Confeſſor, ob hoc non ſine injuria habitus eſt; Eademque cum Auguſto, Johann-Fridericus ob religionem paſſus; W. W. utrique audentiùs inſultante, quòd Imperatorem, Pontificiæ religioni addictiſſimum, faventiorem haberet. Confer Imhofii Notit. Procer. Imper. pag. 372. pr. edit. & Spen. Syllog. geneal. pr. edit. 84. ſeq.

Sub hæc, eandem planè ſortem, quam apud Calvinianos ante multos dehinc annos Bipontii & Ambergæ, ſatis aſperam expertus erat, jam apud Pontificios quoque Neoburgi ſubiit, *Jacobus Heilbronnerus*, Theol. Doctor & hactenus ibidem Concionator aulicus, Vir de Republica Eccleſiaſtica Auguſtanæ Confeſſionis optimè meritus. Ad primum enim novi Principatûs Domini adventum, *Statione ſua dejectus eſt*; Inde autem profugus in patriam, territorium nempe Würtembergicum, à Duce Johanne Friderico clementiſſimè ſuſceptus, *Præſulem Anhuſanum*, tandem *Bebenhuſanum*, ad finem usque honoratiſſimi ſenii, laudabiliter egit, referente D. Hafenreffero in ejus concione funebri. pag. 31. 33. 36. pl.

D. Georgium Zeemannum autem Paſtorem & Profeſſorem Eccleſiæ Scholæque celebris Lavinganæ, in pejores & graviores tricas ac moleſtias gens Lojolitica ut conjiceret, nocte dieque tunc laboravit, occaſione deſumta ex *libello quodam contra Robertum Bellarminum* R. Curiæ Cardinalem, ſine autoris genuini nomine vulgato. Accidit enim ſuperiori anno 1614. quo ſcriptum illud per ſuperiorem Sueviam volitavit, ut etiam Dillingæ nonnulla illius exemplaria inter cives pariter ac literarum ſtudioſos circumferrentur; ſparſo mox rumore, ea Lavingæ, viciniſſima civitate (quippe quæ tantùm horæ ſpatio diſtat) conſcio Zeemanno, fortaſſis etiam Heilbronnero, venum exponi. Hinc igitur delata re ad Principis Wolfgangi Wilhelmi Conſiliarios Neoburgicos, ii per literas non tantùm Rectori & Scholarchis Gymnaſii Lavingani mandarunt, ut ſuper impreſſione famoſi hujus libelli, *Jacobum Winterum*, typographum, ſeriò ac medio juramento, examinarent, quod factum; ſed & eundem jam confeſſum, ad aulam vocarunt, ſpecialemque adverſus Zeemannum Inquiſitionem inſtituerunt, an autor hic, aut ſaltem ſuaſor,

ſor, aut conſcius operis approbator fuerit? ut aliquam virum affligendi cauſam extorquerent. At enim typographo conſtanter affirmante, quod ipſe proprio motu, ſpe modici alicujus lucelli, ſine ullo præſcitu Zeæmanniano, ſcartekam impreſſerit, inquiſitores acquievére. Videatur par nobile fratrum, Thummius & Zeæman, Laurentii Foreri, pag. 171. 177. 179. & conferatur annus 1625. in annotatis de Zöſchlino.

Quem in ſtatum *res Evangelicorum in Auſtria*, DEI Optimi Maximi, & ArchiDucis Matthiæ gratiâ devenerint ante aliquot annos, libro hujus operis primo, cap. L. LVII. LXIV. indicavimus; dictorum ſumma hæc eſt: Quùm ArchiDux, ut primùm ei RUDOLPHUS, frater ſenior, Auſtriam ceſſit, Sacramentum à Proceribus poſceret, hi nolebant priùs obligari, quàm de confirmatione priſtinorum privilegiorum, inprimis quoad ſacra, certi eſſent: ArchiDux juramentum requirebat ſimpliciter, ut legitimus territorii Dominus; illi recuſabant. Princeps vim oſtentabat, propulſabant Auſtriaci, omnes parati (quotquot Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcripſerant) cum jactura vitæ & fortunarum, ſi aliter fieri nequeat, in Religionis libertatem ſe vindicare. Tandem ergò, graviter intercedentibus Bohemis, Moravis, Hungaris, MATTHIAS petitis aſſenſum præbuit; facta ſacrorum Evangelicorum gratiâ paſſim in arcibus, pagis & caſtris, urbanis itidem ædibus, certisque aſſignatis templis, pro Nobilibus ac Primoribus. Haud multùm pòſt, plebejo etiam ſtatui, non minùs ac Nobilioribus, liberum quoque religionis exercitium, juxta normam A. C. conceſſit, nequicquam obſtantibus ArchiDuce Leopoldo, Forgatſio, Cleſelio, ac ipſo Pontificis nuncio. Hæc tùm ArchiDux ut ſanctè promiſit, ita præſtitit, anno redempti orbis milleſimo ſexcenteſimo nono, ac decimo; ſed jam, factus Imperator, anno 1615. promiſſa & pacta infringere, ac, ad indefeſſas Cleri Papalis inſtantias reſcindere, occepit; initio à ſtatu civium & ruſticorum deſumpto, quibus libertate ſacrorum rotundè interdixit; quod variis deinceps motibus ac turbis anſam dedit. Hiſt. Gottfrid. part. 4 186.

Bohemos quod attinet, illi, qui ſub utraque dicuntur, Status, clavum regni tenente Rudolpho II. ipſorum ex electione Domino, Romanorum Imperatore, anno currentis ſeculi nono, ſibi magno comparaverant literas Majeſtaticas, quibus ipſis cavebatur de libero religionis exercitio, de mortuorum ſepultura, de campanarum ſo-

ſonitu, de baptiſmo recens natis infantibus adminiſtrando, de copulandis novis conjugibus, aliisque pluribus, in quibus anteà non parum à Pontificiis, autore inprimis Epiſcopo Pragenſi, ſufflaminabantur. Copia inſuper collapſam Academiam inſtaurandi, templa erigendi nova, Miniſtros orthodoxos vocandi,& peculiare Conſiſtorium conſtituendi, Bohemis & concorporibus Regni provinciis permittebatur. Quin & eò res redibat, ut fidei conſanguinei extra Bohemiæ regnum conſtituti, quorum in numero reliquis facilè palmam intervertere poterat Elector Saxoniæ Chriſtianus ſecundus, collectâ certæ pecuniæ ſummâ, Bohemos, ad levandos in extruendis Oratoriis ſumptus, juvarent. Halcyoniis etiam iisdem ad tempus læti fruebantur. Verùm ab exceſſu RUDOLPHI, fratre Matthia imperante, omnes nervos intendebant *Lojolitæ*, ac cæteri Jovis Capitolini creaturæ, ut *literas* illas *Majeſtaticas* quovis modo *infirmarent*, & privilegia diſſentientium à Papanis in nihilum redigerent. Eapropter ſub anni dilapſi finem, *Bohemicæ Confeſſionis* conſtituti *Patroni ac defenſores*, à *Regio Senatu* ſuppliciter & ſolicitè *poſtularunt*, ut, quia multorum locorum habitatores partium ſub Utraque, acerbas querimonias de impedito religionis exercitio, ſæpiùs ad Collegium hoc detuliſſent, Regius Præſes, cum Aſſeſſoribus Conſilii, tùm Archiepiſcopum inprimis Pragenſem, tùm alios plures partium ſub Una, graviter hortari vellet ac dehortari, ne in poſterum ulli trium iſtorum Statuum, omniumque amplectentium iſtam Confeſſionem, circa ſacrorum ſuorum exercitium, ullam crearent moleſtiam, nec ab aliis creari permitterent; Memores RUDOLPHINI diplomatis, à moderna Majeſtate Regia confirmati, quo illud injunctum ſit omnibus regnicolis, ac ſeverè mandatum. Kromajeri H. E. Centur. XVII. pag. 624. & Apolog. Bohem. ſecund. num. allegator. 84. Ll ij. ſeq.

Cùm effectu caruiſſet Procerum Bohemicorum ſub utraque, ad Supremos Regni Conſiliarios converſa petitio; Ipſiſſimæ *Majeſtati Regiæ*, anno 1615. in ampliſſimo cunctorum Procerum & Statuum conventu, *gravamina* ſua longo ordine *propoſuerunt*, primò *in genere* conqueſti: „Quanquam per literas RUDOLPHI Majeſtaticas (de quibus vid. lib. 1. cap. LVII.) ipſis optimè proſpectum ſit, „ut nimirum ſub utraque communicantes, libero per omnia ſuæ „religionis exercitio uti fruique debeant, ubique & in omnibus Boëmici Regni locis, ac ſine ulla alicujus interturbatione aut impe-

„ dimento, illud retinere; Conceſſa etiam poteſtate, ut, ſi præter ea, „ quæ jam poſſideant ſacra ædificia, plura inſuper alia, vel Scholas „ aliquot pro informanda juventute ædificare & conſtituere Proteſtantes velint, facere id ipſis, tàm in urbibus, quàm in oppidis ac „ pagis liceat, ſine ullo impedimento ;. Interim tamen plurimos ex „ illis, qui ſub Unâ communicant, audere plurima adverſus expreſſiſſima diplomatis verba, & iniquis ejusmodi attentatis, fidelibus „ omninò, pacificis ac innocentibus regnicolis nimio plus graves „ atque moleſtos eſſe &c. *Speciatim* deinceps inter gravamina potiora retulerunt, frivolas Abbatis Brunavienſis, & ipſius Epiſcopi „ Pragenſis, actiones ac injurias, adverſus Boëmicæ Confeſſionis „ Profeſſores apertiſſimè ſuſceptas, quippe quorum exercitia Religionis variè ſufflaminarint, ſtructuras templorum impediverint, „ horum fores occluſerint, remotis demum Evangelicis Miniſtris, „ Pontificios miſeris hominibus obtruſerint &c. Petierunt itaque „ Proteſtantes Bohemi, ut, quia gravamina magna ſint, ac manifeſta, brevi ſe levari ſentirent; ſin ſecùs, nolentes volentes obligari „ ſe, conteſtati ſunt, contra quoslibet Regiarum literarum violatores, tanquam publicæ pacis turbatores, exceptâ ſolius Regis perſonâ, ſeveriùs aſſurgere. Sed lateres lavabant Boni viri, ac ſurdis narrabant fabulas. Apolog. 2. Bcëm. num. allegator. 85. lit. LL. ult. pl.

Parum id omne Cacodæmoni fuiſſet, niſi per *Calvinianos* etiam infeſtaſſet veram DEI Eccleſiam, paſſim jam non irrepentes ut olim, ſed irrumpentes, ac ſuperbo gradu per regna, Electoratus, Principatus, provincias, civitates, pagos incedentes, cum exultatione de numero ſuorum, quô non abs re cum Pontificiis (ſaltem in orbe Europæo) certare poſſe videbantur; *Totus mundus*, clamabat nuperrimè Pelargus Apoſtata, *prolabitur ad Calviniſmum!* Sanè *Pareus*, cùm in Irenico ſuo Synodum Evangelicorum flagitat, ut rem neceſſariam & unicum quaſi remedium componendi certamina, quæ Calvinianos inter ac Lutheranos de capitibus religionis agitantur, *ex parte ſuorum numerat provincias in Germania:* Palatinatum Rhenanum & Bavaricum, Bipontinatum, Haſſiam (Caſſellanam) Aſcaniam, Helvetiam (quoad partem potiorem) Rhetiam, Hollandiam, Seelandiam, Friſiam occidentalem &c. *Extra Germaniam* verò in univerſa Britannia magna, Gallia, Polonia, utraque Lithuania, Ruſſia, Podolia, Transſylvania, Hungaria, Bohemia, frequentiſſimos cœtus; gloriatur

tur de celeberrimis *Academiis*, Heidelbergenſi, Baſileenſi, Marpurgenſi, Leidenſi, Franekerana, Cantabrigienſi, Oxonienſi, Salmurienſi, Sedanenſi &c. de *Rebuspublicis* florentiſſimis, Baſileæ, Bremæ, Tiguri, Bernæ, Genevæ &c. de Generoſiſſimis *Baronum* & *Comitum* familiis, Naſſoviorum, Hanoviorum, Solmenſium, Wittgenſteiniorum, Winneburgiorum &c. de *Principibus* Illuſtriſſimis ac Potentiſſimis, Palatinis, Haſſiaco, Anhaltinis; (adde: Brandenburgico Electore) ipſoque Magno magnæ Britanniæ Rege &c. „ Illi ſunt hodie, „ (ita inſignis Theologus orthodoxus) qui Principum & Statuum „ Imperii à Papanis diſcretorum conventus indicunt; Uniones for„ mant & firmant; primas partes ubique ſibi vendicant; cauſarum „ religionis directorium crepant; Theologiam ſincerè repurgatam „ jactitant; arrepto Reformatorum ambitioſo nomine, quaslibet „ Eccleſias (inprimis Lutheranas) reformare moliuntur; Proteſtan„ tibus indigniſſimè inſultant, ſuos autem ſectatores in cœlum us„ que laudibus extollunt; Ementito Auguſtanæ Confeſſionis pallio, „ quam prætexunt, ſuam eſſe, ſimplicioribus callidè imponunt; ſi„ mulato amore ac dulciloquio, ad exprocandum Syncretiſmum, „ totalem Lutheraniſmi everſionem intendunt: Alicubi ſuaviter „ blandiri ſolent, ut fallant; alibi ſævire, ut terreant. Orat. Bald. de Synod. Evangelicor. pag. 4. 22. Calvin. irreconciliab. Hülſeman. 205. Liebhart. brev. hiſt. Calvin. 40. ſeqq. conf.

Præcipuè Calviniana gens telam ſuam, quam ſuperiori anno exordiebatur in Marchionatu & Electoratu Brandenburgico, & Berolini quidem (Electorali ſede) pertexere indefeſſo ſtudio laborat hoc anno, freta ope Septemviri Johann-Sigismundi, quem in textrinam ſuam ante paucillum temporis pellexére. Frequens enim dolus eſt illorum hominum, quòd brachio ſeculari deploratæ ſuæ cauſæ robur comparare ſolent, & quamdiu præſidio Principum deſtituuntur, operas occultant ſuas; quamprimùm autem ſe illorum autoritate ſtipatos adjutosque animadvertunt, ſtamina ſua producentes, ea fervidè tractant. Non tamen adeò multum iſto conatu proficit nova ſodalitas, Ordinibus ex altera parte, cœptis maſculè reſiſtentibus, inque officina Lutheri conſtanter permanentibus. Geſner. in Papiſm. Calvin. practic. XV. Hiſtor. Gothan. ed. 2. pag. 793.

LIB.

LIB. II. CAP. XXIII.

Summaria.

Galliæ Clerus, promulgationem Concilii Tridentini fruſtra urget.

Mox tamen Helenam Tridentinam ſuis Synodis immiſcet.

Controverſia de Pontificis in Reges poteſtate recrudeſcit.

Paulus V. Feſtum immaculatæ conceptionis Mariæ approbat.

Rebullius Apoſtata, libellos famoſos capite luit.

Nauta Belgicus, uſum ſacrarum cantionum apud Hiſpanos in igne expiat.

In Aula Pekingenſi, Lojolica Societas malè ſe habet.

Ita & Chriſtianorum res in Japonia.

DE *Concilio Tridentino, expediatne in Gallia promulgari?* multa in utramque partem his temporibus agitata ſunt. Illius Concilii in iſto Regno publicationem ſæpè quidem efflagitatam hactenus, nunquam tamen impetratam, diligentiſſimi patriæ ſuæ temporisque Hiſtorici prolixè ſatis annotâre Jacobus Auguſtus Thuanus, & Continuator ejus. Urſerunt à Rege Carolo nono Pontificis, Hiſpaniæ Regis, ac Sabaudiæ Ducis Legati, anno 1564 ad fontem Bellaqueum; Epiſcopi & Archiepiſcopi in Comitiis Blœſenſibus, anno 1577. alii aliis temporibus. Poſtulavit hoc Pontifex Clemens VIII. interque articulos reconciliationis Henrici IV. cum Papa poſuit: „Efficias, ut Concilium Tridentinum publicetur, & obſervetur in „omnibus, exceptis tamen (ad ſupplicationem ac inſtantiſſimam „petitionem tuam) ſi quæ fortè adeſſent, quæ reverà ſine tranquil„litatis perturbatione, executioni demandari non poſſent. Actum poſteà de ejus introductione, inter Perronium & Mornæum tempore Collationis anno 1600. inſtitutæ. Repetiit Hieronymus Villarius, Archiepiſcopus Viennenſis (in Gallia Narbonenſi) anno 1605. ſed nil impetratum eſt. Imò cùm anno ſequente à Clero inter articulos CVI Regi oblatos, eadem promulgatio toties ſive rejecta ſive eluſa, denuò inſtantiùs repeteretur, disertè reſponſum à Rege: Ob easdem, ob quas deceſſores ſui ſæpiùs interpellati eam diſtuliſſent, cauſas, ſe quoque prohiberi, quo minùs in eam conſentiat. Sic etiam, cùm anno 1614. & 1615. à Ludovico XIII. per Archiepiſcopum Auguſtopolitanum, ejus introductio urgeretur, offen-

ſenſionem pariebat commonefactio; & Senatus tùm Lutetiæ, tùm Rothomagi, omnia exemplaria excuſa ſecundæ hujus commonefactionis ad ſe deferri juſſit, & ne diſtraherentur, vetuit, ob rationes, ut à multis aliis, ita præſertim à Carolo Molinæo, magni nominis Juriſconſulto, in Conſultatione, qua Concilium nullum, vitiô indictum, habitum ac terminatum contra antiqua P. P. decreta, Regnique Francici dignitatem ac libertatem, admitti poſſe, contendit; quemadmodum ab initio Henricus II. Galliæ Rex, per Jacobum Amiotum publicè proteſtatus eſt: Se Concilium hoc non pro publico ſeù generali, ſed magis pro conventu quodam privato habere, qui non Reipublicæ, ſed paucorum aliquot compendii & utilitatis causâ ſit inſtitutus; Ejus ergò decretis, neque ſe, neque ſui Regni quenquam poſſe teneri &c. Carolus quoque nonus per ſuos oratores, Tridenti nullum legibus locum, nullum antiquorum Conciliorum libertatis veſtigium, Pium IV. reliquiſſe conqueſtus eſt. Quid igitur Lutheranis vitio verti poterit, ſi illud neque pro legitimo Concilio agnoſcant, neque autoritati ejus quidquam deferant? Rationes certè graviſſimas Electores, Principes, ac Ordines Imperii Proteſtantes recenſuerunt, & prolixè explicarunt in *Gravaminibus Concilio Trid. oppoſitis;* Nimirum *duodecim cauſas recuſationis* illius allegarunt; quia nempe ſolus Papa illud indixerit; quia non in Germania; quia non fuerit generale; quia non liberum; quia non Chriſtianum; quia ob vitia multa ſcandaloſum; quia Simoniacum; quia tyrannicum & heterodoxum; quia nulla decreta impia caſſare voluerit; quia nullum Concilium Papiſticum Chriſtianis proficuum fuerit; quia Papa Proteſtantes contemſerit; quia contra Proteſtantium conſcientiam. Vide Rumetſchii Collationem Concilii Niceni primi, & Synodi Tridentinæ, pag. 14. 15. & Syſtem. Theol. D. Scherzeri. 679.

Quid verò hac in re actum tandem, & *quo aſtu ſuis Tridentinam illam Helenam Synodis immiſcuerint Præſules Gallicani*, nemo meliùs exponit *Laurentio Bochelio*, in præfatione ad Eccleſiæ Gallicanæ decreta, quem audire loquentem expedit; Sic ergò ille: „ Nulli ignotum „ eſt (eſſe debet) nec Regibus noſtris, nec Supremis Parlamento„ rum Curiis, hucusque perſuaderi potuiſſe, ut Synodi iſtius Cano„ nes in acta ſua referrent, & obſervandos publicarent. At Præſu„ les demum, ſimul ac vanas ac irritas preces ſuas, quòd Regni to„ tius Eccleſiæque Gallicanæ juribus officerent, agnoverunt, con-

Bbb „ſpi-

„ ſpiratione quadam, veniâ in quaque diœceſi Synodos cogendi
„ impetrata, id effecerunt, ut, quæ in conventu Tridentino decreta
„ fuerant, iis omnibus ſine delectu Synodos ſuas infarcirent, & ſub
„ anathematis interminatione cuſtodienda diœceſanis ſuis propo-
„ nerent; ne dicam ad ipſorum tutelam furias ipſas armarent &c.
„ Utrumque illud, à Bochelio annotatum, jungit *Grammondus* lib. 1.
„ hiſt. Gall. 71. hiſce verbis: „ Eleganter doctèque Perronius Car-
„ dinalis pro Concilio; contrà inſtitére acriter Miro & Savoranus,
„ prævaluitque Clero populus. At enim, pergit Grammondus, ex
„ proborum mente nihil erat, quo inhiberemur vulgare rem ſan-
„ ctam, & ſequi: Quid vetabat Concilium admitti in hanc legem,
„ cui Clerus ipſe ſubſcripſerat? Sine præjudicio Coronæ Regiæ, li-
„ bertatem Eccleſiæ Gallicanæ, privilegiorum, aut exemptionum,
„ ſi quæ Capitulis, aut Monaſteriis, Gallorum uſu conceſſa. Qui-
„ bus conſervandis incumbet Clerus, per habitas in eam rem ad S.
„ Pontificem preces. Quæ privilegia interim ſalva erunt, non ob-
„ ſtante promulgatione Concilii. Sub his conditionibus manebant
„ privilegia Galliæ, imbuebamur Concilii œcumenici doctrinâ pu-
„ riſſima, & ſi quid irrepſerat contra politicas leges, aut privilegia
„ Regni, explicari fas erat, aut mutari prout proponebatur; Non
„ hæc eſſentialia, ut vocant, Concilio, non hæc de fide, parerga e-
„ rant, citra neceſſitatem adjecta, quæ nihil vetuit leniri, tollive pe-
„ nitùs, quæ contrà objiciebantur, vana erant. Creditum tunc, po-
„ tuiſſe conciliari opiniones Cleri & populi, factâ quaſi compenſa-
„ tione: nempe, ſi Clerus articulum tertii Ordinis admitteret, ne-
„ gantem, ſummo Pontifici jus eſſe in regna; eo caſu populi aſſenſu
„ ſalvam fore in Gallia doctrinam Tridentini Concilii. Hæc ille.
Confer Hornbek. S. C. de Papiſmo, edit. auctior. 207. ſeq. & ſuppl.
Actor. Erud. Lipſ. 60. pag.

In *Gallia* quoque t. t. *Controverſia de Pontificis in Reges poteſtate*, non minùs renovata eſt. Quanquam verò univerſus regni Clerus, in publicis ac generalibus trium ordinum Comitiis, Lutetiam convocatis, tertio Statui, nullam eſſe ſupra Regiam in temporalibus poteſtatem aſſerenti, obſtreperet, ac *Perronio* interprete declararet: Omninò Romanæ ſedis in Reges Regumque ſceptra poteſtatem agnoſcendam eſſe; populi tamen ſententia, quam etiam Parlamenti Senatores approbarunt, Grammondo teſte, prævaluit; Nec multò poſt firmatum in hanc ſummam placitum: „ Rogante Procuratore

„ Re-

„ Regio, Senatus cenſuit pro lege politica, regnoque fundamentali „ habendum poſthàc: Quòd Rex Galliæ unius DEI beneficio regnat; quòd neminem in temporalibus agnoſcit ſuperiorem; quòd „ ſacrum ipſius caput eſt; adeò ut nemini jus ſit, eum quocunque „ prætextu occidere. Conf. Schad. Contin. Sleid. pl. Act. Lipſ. Er. ſupplem. ſection. 3. 121. pag.

Paulus V. Papa, licet in ipſa controverſia de Conceptione Mariæ Virginis Deiparæ, à Dominicanis & Franciſcanis (in Hiſpania præſertim) denuò ſuſcitata, nil pronuntiare vellet; *Feſtum* tamen *Immaculatæ conceptionis*, *& officium*, quod vocatur *ſanctiſſimæ noſtræ Dominæ, approbavit,* ac libellum de eo vulgatum; ut indulgentias centum dierum, devotè illud recitantibus promitteret; quemadmodum apparet ex Brevi ejus Jul. 10, an. 1615. Mediolani impreſſo. Leideker ad Horn. hiſtor. Eccleſiaſt. 57. & Heidegger in hiſtor. Papat. 529. confer. 1678. de Innocent. XI.

Rebullius, Apoſtata infamis, poſt libellos famoſos Romæ & alibi contra Proteſtantes ſparſos, admirabili DEI judicio, hujus Pontificis juſſu, *capite truncatus*, illudque in pontis S. Angeli extremo, publicè oſtentui expoſitum eſt, anno 1615. Ex Riveti Jeſ. vapul. Hofm. in Lex. univerſ. B. 249.

Sub idem tempus, circiter, *Nantam ex fœderato Belgio*, *Inquiſitores Hiſpanici*, eò quòd ante pluſculos annos libello Davidicorum hymnorum, aliarumque ſacrarum cantionum inſtructus in iſtas ditiones veniſſet, *Vulcano tradidére*. Captivus inibi primùm ante, quàm inter Hiſpanos & Unitos Belgii ſtatus pangebantur induciæ, appulit, ſed callidæ velocitatis beneficio tunc evaſit periculum. Poſt inducias eò ſponte ſua, infelix dicam, an imprudens? navigavit, nihil mali metuens, ut, qui per pactionem veteres quasvis offenſiones oblivioni datas eſſe firmiter ſperabat; ſed miſerè ſpes ea hominem defraudavit! Mox enim tractus ad Inquiſitionis tribunal, brevi ſententia, ad rogum damnatus, & crematus eſt, nihili habitis & Statuum Belgii, & ArchiDucis Auſtriæ, & ipſius denique Regis interceſſionibus. Ita nempè, ſi quæ Biblia ſacra latent, ſi pſalteria, ſi Novi Teſtamenti exemplaria, non ſecus acſi telum veſte latens deprehenſum eſſet, aut venenum poculo propinatum, efferantur Inquiſitores illi; Spurciſſimos autem libros, epicureis & atheiſticis principiis plenos, mundi vanitatibus refertos, tolerare poſſunt, imò in laude pretioque non modico ponunt, licet maximo cum ſcandalo

ac damno, quin & æternô ſæpè luctu, legantur. Sanè hîc in mentem venit, quod Macrobius inter Auguſti jocos refert, cum dixiſſe: Melius eſt Herodis porcum eſſe, quàm filium; (gnatum enim Antipatrum occidi juſſit, à porcis abſtinuit) eodem planè modo, quantum ex hiſtoriis & communi praxi Papalis AntiChriſtianiſmi colligimus, beatiores in Eccleſia Romana ſunt Epicuri de grege porci, quàm filii veri nimirum Chriſtiani. Haud enim legimus de ullo unquam Atheo, irriſore & contemptore DEI & verbi ejus, ab *Inquiſitoribus* ſumptum eſſe ſupplicium; cùm tamen maximus eorum numerus apud illos nunquam deſit. Videatur Schadius ad an. 1614. & Bembell. de Gaudent. inſuſcitab. A. 76. & 155. pl.

In Aula Pekingenſi (Sinæ ſeu Chinæ Regis) *res Lojolitarum* vehementer tunc *afflictæ* ſunt; apud Vanlieum namque potentes illi, ſua temeritate, ac fidei Romanæ improvida propagatione, horribilem anno 1615. perſecutionem ſuis attraxére fratribus ac proſelytis. Quippe *Bonzii* (Sacerdotes Chinenſium) videntes, lucrum ſuum à nova religione imminui, & priſtina ſacra viles̄cere, non antè quieverunt, quàm eos, ceu patriæ religionis everſores, & Sinenſis Aſtrologiæ deſtructores in carceres conjicerent, variis locis expellerent, aliisque moleſtiis duris ac diris afficerent. Præcipuum, quod objiciebant Chriſtianæ fidei, Sinenſes, hoc erat: Qua ratione prædicarent, & crederent, DEUM eſſe hominem, qui tanquam maleficus eſſet crucifixus? Hinc Jeſuitæ cœperunt fidem Chriſti crucifixi tacere, ſaltem loqui de ea, tanquam de quæſtione & articulo probabili, ut ſuo dicetur loco. Horn. H. E. pag. 535. & ex eo Heidegg. in hiſt. Papan. 376.

In *Japonia*, cùm bello civili arderet ea, quies aliqua Chriſtianis fuit, brevis autem. Sedatis enim turbis, Regni Monarcha novum in illos, præſertim Sacerdotes, edictum exaſperavit; immanes cruciatus & ſupplicia in omnes conſtituens, qui Sacerdotes Chriſtianos reciperent, præmia verò iis decernens, qui latentes proderent. Edixit itidem, ut naves Europææ tantùm in portu Nangaſaqui & Firandi reciperentur, irritatus, quòd navis quædam Hiſpanica, alio loco XXVII. Monachos Franciſcanos in littus expoſuiſſet, inter quos erant, qui peccare ſe crederent, ſi ſacra in occulto facerent; unde inter hos ac Jeſuitas, ipſosque cœtus orta diſcordia; ſi firma fides habenda Jeſuitæ *Solierio* in hiſtoria Eccleſiaſtica Japoniæ, de qua videantur acta Eruditorum Lipſ. an. 1690. pag. 173. 242. Minimùm

nimùm in eo videtur Silerius erraſſe, dum ſcripſit anno 1615. mortuo Imperatore, ſucceſſorem filium Xogunum, bello civili afflictum fuiſſe, eumque devinctis æmulis, edictum exaſperaſſe; ſiquidem ex aliis hiſtoricorum monumentis pro certo conſtat, *Taykonem* initio ſeculi hujus, imperium Japoniæ abdicante *Dairo*, ad ſe transtuliſſe, relicto filio ſexenni *Fidery*; quo nefariè interfecto, thronum per vim occuparit *Ongoſchio*, jam valdè ſenex; cui proximo pòſt anno vivis exempto ſucceſſerit *Combo*, aliis Comboſamma dictus; hunc verò *Chiongon* exceperit anno 1631. Id quod patet ex Orbis lumine, ex deſcriptione peregrinationis orientalis Mandelslovii, ex Varenii deſcriptione regni Japoniæ, ex Hornii Orbe Imperante, & Politico &c.

LIB. II. CAP. XXIV.

Summaria.

Tumultus Berolinenſis, ex Calviniſtica Reformatione ortus.

Nannetici Edicti renovatio in Gallia.

Juramenti Regii, de pellendis hæreticis, declaratio.

In Bearnenſi Regione, labefactata Reformatarum Eccleſiarum incolumitas.

Decretum Fœderati Belgii Ordinum, de Tolerantia Remonſtrantium.

QUemadmodũ Princeps Neoburgicus, extincto Patre, Romanenſium ſuis in ditionibus inſtaurare cultũ cœpit; Ita *Elector Brandenburgicus* in ſuis *Calviniſmum præſcribere* perrexit; adeò in alteram declinantes ambo partem, ut ſubditis ægreſcerent animi ob intemperiem Dominorum, adque truculentam ferè ſeditionem proſiliretur Berolini; tumultuante admodùm plebe, ad ritus Lutherani ſubitaneam immutationem. Verno tempore *novi Reformatores*, ibidem in templo S. Trin. omnia pulcherrimè conſtructa altaria removebant, & ſigna Crucifixionis Chriſti, quasvis etiam imagines hiſtoricas, pictaque tabulata & epitaphia univerſa, cum baptiſterio. Hinc de utraque cathedra primùm verbis acriter diſceptatum inter Theologos Lutheranos & Calvinianos; deinceps verò manibus etiam ac armis, inter Urbis cives, ac prætorianos milites; Idque præſertim dominica Miſericordiæ, quâ circa nonam veſpertinam *populus* per plateas diſcurrens, coram ædibus prædicantium Calvini ſequentium pla-

placita, horendum clamorem edidit, earumque feneſtras lapidibus, fuſtibus, ac miſſilibus aliis, fregit ad unum omnes. Præfectus urbis, cum ad ejus aures, quid ageretur, perveniſſet, equo inſidens approperavit, cum armatis aliquot viris, tumultum ut ſedaret ocyùs; at magis irritati cives, in aream ad S. Petri templum ſe contulerunt, ac dato per campanam ſigno, totam ferè plebis multitudinem conciverunt. Videns præfectus, crabrones irritatos, mitiorem ſe præbuit, ut humanitate forſan efficeret, quod auſteritate non poſſet; parum autem & hoc modo profecit; quin potiùs innumeris contumeliis exceptus eſt, lapidibusque demum & globulis jaculatoriis petitus, cum advolantibus miniſtris aulicis, ex quibus decem percuſſi, animas exſpirarunt; ex numero civium, tres etiam occiſi ſunt, nonnullis utrinque vulneratis. Fugatis tandem iis, qui à parte præfecti ſteterant, rurſus ad ædes reformantium Calvinianorum ſe convertére cives, easque, expulſis inhabitantibus, ab imo ad ſummum ſpoliarunt. Hic fuit exitus, reverà tragicus, fervidæ illius reformationis Berolino-Calvinianæ. Conf. Cluv. Epit. hiſt. 772. Schad. in contin. Sleid. Germ. ad h. a.

Hugonotis in Gallia t.t. *Nannetici Edicti renovabatur fides*, idque ſecunda vice ſub LUDOVICO XIII. Hic ab exceſſu patris Henrici IV. Ravaillaci rabie in caſum dati, ſtatim declaraverat: „Licet „Edictum illud perpetuum & irrefragabile ſit, ut confirmatione „per novam declarationem non indigeat; ſe tamen è ſententia ſua „principumque ſanguinis, parium & officiariorum Coronæ, ſtatuere, ut in omnibus capitibus & Articulis, unà cum decretis ac „ſtatutis ſuper interpretatione & executione ejus factis, inviolatum iſthoc ſervetur, & contrà euntes, ceu publicæ quietis perturbatores, ſeverè puniantur; ſed anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum decimo quarto & ſequenti, cum de more Major, parlamenti placito pronuntiatus eſſet, primaque Comitia ordinum Galliæ generalia convocaſſet Rex, ejusdem Edicti Nannetenſis iteratam confirmationem dedit. Heidegger in hiſt. papana §. CCCXXVII. pag. 538. Grammond. hiſt. Gall. lib. 1. 22. 56.

At enim quia *ſacramento ſolenni fidem adſtrinxerat Rex*, dum inaugurabatur, *abacturum ſe ditione ſua hæreticos*; petierunt Hugonotæ, ut publico programmate Regio *declararetur*, nil eo ſacramento contineri de Gallis, qui Reformationem ſectentur, idque obtinuerunt; conceſſo diplomate, quo nihil de ipſis cogitatum Rex edixit,

cùm

cùm de pellendis regno ſuo hæreticis, votum nuncuparet. Idem Grammondus, lib. 2. hiſt. 95. & 117. pag. confer 362.

Nihilominus in *Benearnia* (regione ad radices montium Pyrenæorum, inter Bigerronium, Bajonenſium, aliorumque confinium populorum territoria, quæ cum titulo principatûs accreverat Regno Franciæ, ſub Henrico quarto) *Calvino-Reformatis incolumitas Eccleſiarum tunc infringi cœpit.* Poſtquam fatis concesſerat Henricus Magnus, præcipua Clero Gallico ſtudia fuere, reſtauratio ſacrorum Papalium in Benearnio, ac reſtitutio proventuum, quos olim in ea provincia poſſederat Eccleſiaſticus ordo Romanenſium: Comitiis dein Galliæ generalibus Lutetiæ habitis, anno 1615. utrumque impetravit à Rege clerus. Verùm haud erat facile pollicitis jam ſtare, quia longo uſu in patrimonia Antipapiſtarum decimæ tranſierunt, obventusque ſacri, priſca pietatis Benearnenſis monimenta; & hic ab anno 1569. ejus provinciæ ſtatus fuerat. *Johanna* enim *Labretana*, Henrici IV. mater, abacta Bearnio feudo ſuo fide papana, mox univerſa Eccleſiæ bona fiſco addixerat ſuo, Reformatis paſtoribus exhibenda, inſtituendoque Gymnaſio, in quo Calvini Theologia doceretur. Poſtquam illa exceſſerat, Henricus Bearnii princeps, applicato ad papiſmum animo Rex Galliæ, impetravit ab indigenis, ut Romanenſes inter ſe ferrent, ne tentata quidem de reſtituendis Eccleſiæ reditibus quæſtione, adeò ſupra vires credita tanti moles negotii. Demum poſt Henricum Patrem Ludovicus XIII. aggreditur opus, ac perficit, quo tempore magna ſuis rebus augmenta fore ſperabant Calvini aſſeclæ, ducto à tenera Regis ætate argumento. Reſtituuntur Eccleſiæ Romanenſium, quicquid uſurpaverant hactenus, Labretano beneficio, diſſentientes. Molliendæ tamen invidiæ, & amoliendæ Benearnenſium querulationi, de præreptis mediis ad ſuſtentationem paſtorum, præceptorum, ac pauperum, ut & conſervationem ſacrarum ædium, aliorumque huc ſpectantium neceſſariis, edicto Regio (ſit ſua fides hiſtorici) de prædiis ac vectigalibus tantundem repenſum, quantum ea reſtitutione ademptum; hac ratione reddita videbatur Clero papali ſua portio, factumque Paſtorum reliquorum indigentiæ ſatis largitione Regia. Quam primum autem Benearnenſes Epiſcopi cernebant, voluntate gratioſa apud Regem ſe valere, prævalebant paſtoribus Reformatis, omniaque ſtatim in pejus ruere videbantur, & mox opprimi conſcientiæ libertas, quæ ſancta & intacta hactenus fuerat.

Hinc

Hinc bella deinceps inteſtina,& innumera ferè mala! vid. Hofm. Lex. univerſ. A. 273. & Grammond. hiſtor. 315. 362. pl. edit. Mogunt. 1673.

In Belgio fœderato *Remonſtrantes*, adulto jam anno id obtinuerunt, ut ſupremorum Ordinum nomine, *decretum*, quod an. 1614 Jul. 25. editum de Tolerantia fuerat (invitis quidem & reluctantibus nonnullis ex præcipuis ac potentiſſimis Hollandiæ Weſtfriſiæque civitatibus) ad ſingulas claſſes mitteretur, ſimulque Paſtoribus, ut ſine ulla contradictione ei obtemperarent, mandaretur. Ac ut eos, qui partibus ipſorum addicti erant, ad Eccleſiaſticas functiones facilius promoverent, effecerunt inſuper, ut *alterum* adjungeretur, quo permittebatur, in vocatione Paſtorum ac Seniorum eo uti ordine, qui anno 1591. conceptus, at non approbatus ab omnibus fuerat; ex præſcripto cujus, hæc electio à quatuor è Magiſtratu, totidemque aliis è presbyterio deputandis inſtitueretur. Iſta decreta, cùm ad Claſſes transmiſſa eſſent, pleræque ſuos deputatos ad ſummos Ordines ablegarunt, ut gravamina, quæ ad ea haberent, ſcriptis comprehenſa, publicè exponerent, ac eorundem introductionem deprecarentur. Qua de cauſa, cùm Hagam veniſſent, & jam ex primarum Civitatum delegatis intellexiſſent, decreta illa, licet jam transmiſſa eſſent, plena tamen ac ſolenni omnium Ordinum approbatione nondum eſſe confirmata, ideòque legis vim nondum obtinere poſſe, à propoſito, donec ulteriùs urgerentur, deſiſtendum judicarunt. Poſterius autem decretum, novarum contentionum ac turbarum in locis haud paucis, præſertim in Eccleſia Harlemenſi, occaſionem dedit. Quippe cùm nonnulli Magiſtratus Miniſtros vocari vellent, vocarentque ſecundum novam hanc formam, eam autem Eccleſiæ non approbarent, factum, ut Miniſtros hoc modo vocatos, pro legitimis Paſtoribus agnoſcere cœtus, cum iisque communionem Eccleſiaſticam habere detrectarent. Quin imò iisdem decretis motæ in Hollandia Claſſes aliquot, quæ pacis cauſa unitatem cum Remonſtrantibus, in Eccleſiaſtica gubernatione ſervarant hactenus, jam divellebantur, quia plerique Paſtores ea haud approbare ſe poſſe dicebant &c. præfat. actor. Synod. Dordracen. ad Eccleſ. f. 2. pl.

LIB. II. CAP. XXV.

Summaria.

De fratribus Roſeæ Crucis, fuſius.
De Coſmo, Italico homine, Mago & Atheo.
De J. C Vanini Amphitheatro æternæ providentiæ.
De Wendelino Calviniſta, adverſus DEI Philanthropiam ad hunc librum provocante.

DE *fratribus Roſeæ Crucis* nonnemo ſcripſit, in fine hiſtoriarum, quas Imperii Rudolphini annis attribuit, Famam de iis aliquot annis jactitatam in tenebras, è quibus emerſerat, recidiſſe. Nec deeſt, qui retulit, eos in primis fraudum ſuarum primordiis evanuiſſe. Sed fraternitas illa, quæ tunc fortaſſe ſtudio, tanquam emortua, deliteſcere aliquandiu voluit, hoc demum tempore fortiùs erumpere cœpit, ac paſſim in urbibus celebrioribus conventicula ſua inſtituit; Mira de ſui ordinis fundatore & origine jactans, at quæ intelligentibus rerum exiſtimatoribus ficta videbantur & fabuloſa. Narrarunt fratricelli, *Autorem ſocietatis* fuiſſe Nobiliſſimum virum *Chriſtianum* Roſencreutz / aurei lapidis Equitem, Germanum tamen Monachum, qui, cùm Eccleſiam Romano-Catholicam reformationis indigam cenſuiſſet, ex illuminatione ſpiritus S. fratribus ſibi junctis, iter in Palæſtinam ad ſepulcrum Dominicum fecerit, ac poſtmodum Feſſæ in Mauritania, Magis Arabibus quotidianis præceptoribus uſus, totius Philoſophiæ, puta divinarum & humanarum ſcientiarum, perfectionem hauſerit, ac deinceps reformationem univerſalem impigrè meditatus ſit. *Natum* dixere anno redempti orbis 1378. *Mortuum* anno 1484. centenario majorem; qui, dum viveret, ex illuminatione ſpiritûs S. (anno ætatis decimô ſextò) idem, imò plus viderit, quàm Lutherus, Eccleſiam nempe Romanam reformatione indigere; propter defectum autem tergi ſubſidiarii, quod ſecum conceperat, opus perficere non potuerit. Jactarunt, mortuum Roſencreuzium, eum *ſepulchro* ſuo diutiſſimè fratres latuiſſe, uſque dum (fallor, aut in Utopia) repertus cum hoc *Epitaphio*: „ Chr. Roſ. C. ex nobili atque ſplendida Germ. R. C. „ familia oriundus, vir ſui ſeculi Divinis revelationibus, imagina- „ tionibusque ſubtiliſſimis, indefeſſis laboribus, ad cœleſtia, atque „ humana myſteria, arcanave admiſſus, poſtquam ſuam (quam

„ Arabicô & Africanô itineribus collegerat) plusquam Regiam aut „ Imperatoriam gazam ſuo ſeculo nondum convenientem, poſteri- „ tati eruendam cuſtodiviſſet, & jam ſuarum artium, ut & nominis „ fidos atque conjunctiſſimos hæredes inſtituiſſet, mundum minu- „ tum, omnibus motibus magno illi reſpondentem, fabricaſſet, „ hocque tandem, præteritarum, præſentium & futurarum rerum „ compendio extracto, centenario major, non morbo, quem ipſe „ nunquam expertus erat, nunquam alios infeſtare ſinebat, ullo „ pellente, ſed ſpiritu DEI evocante, illuminatam animam, inter „ Fratrum amplexus & ultima oſcula, creatori DEO reddidiſſet; pater „ dilectiſſimus, Frater ſuaviſſimus, præceptor fidiſſimus, amicus in- „ tegerrimus, à ſuis ad centum ac viginti annos hîc abſconditus eſt. Infrà ſociorum non nullorum ſcripta nomina. ſic illi.

Exemplo Patriarchæ ſui, neminem in fraternitatem (ſi quidem fraternitas fuit, & non potiùs commentum, capitis cujusdam male-feriati, fraternitatem ejusmodi frivolè mentiri) admiſere, niſi ſub juramento & ſigillo ſilentii, quòd ſibi concredita effutire nolint; Interim ſe omnibus, ubicunque locorum lateant, accommodare velint, donec tempus & occaſio, ad id quod meditati fuerint ea-tenus, reformationis opus effectui dandum affulgeſcat. Interdùm ſcenæ ſubſervientes, *rationem denominationis* per quandam alluſio-nem petebant ab iſto Lutheri ſymbolo: Der Chriſten Hertz auf Ro-ſen geht / Wanns mitten unter Creutzen ſteht? Megalander enim ſuis inſignibus, Cor cruce transfixum & incluſum Roſæ præ ſe ferenti-bus, iſta ſolebat apponere verba. Interdum eô nomine collinea-bant ad Prophetæ (nimirum Oſeæ) dictum: Iſraël ut roſa florebit, & radix ejus quaſi Libanon. *Scopus* ipſorum dicitur fuiſſe *Reformatio univerſalis*, & omnium Apokataſtaſis in eum ſtatum, in quo fuerunt homines ante lapſum. Ne prorſus impii viderentur, è Scripturis S. Danielem & Apocalypſin, atque ex Apocryphis, quartum Eſdræ librum, ex reliquis ea, quæ in rem ſuam facere putabant, accepe-runt; Auguſtanam Confeſſionem, Concordiæ Formulam, ac purio-rum Theologorum ſcripta, proſcindentes calumniis; Weigelii verò, Paracelſi, aliorumque fanaticorum & phantaſticorum ingeniorum portenta, ambabus amplectentes. Cum veteribus hæreticis *Phila-delphia* hæc, multa tenuit communia. Quòd nempe Ecſtaſes & pe-culiares revelationes jactavit, cum Tatianis, Marcionitis & Valen-tinianis; quòd Perſonarum in una Eſſentia Trinitatem negavit, cum

Sa-

Sabellianis, Arrianis & Photinianis; quòd peccatum originale inficiata eſt, cum Pelagianis; Quòd aureum aliquod ſeculum ante mundi finem expectavit, cum antiquis Chiliaſtis convenit &c. Homines illi, quia vitam ſocietati tribuerunt maximè longævam, & nullis morbis obnoxiam, aliquandò *immortales*; quia tàm ſublimia jactarunt, *illuminati*; quia per tempora & annos, poſtque multas fraudes deprehenſas, in publico nunquam comparuére, *inviſibiles* dicti ſunt, & *Empiricorum abortus*. vid. Hornb. S. C. pag. m. 434. ſeq. Kromaj. Scrut. relig. 142. Hofm. Lex. B. 277. confer lib. 2. hujus op. cap. IV.

Coſmus Italus, homo literatus equidem, ſed artibus magicis deditus (quarum ope futura ſæpè prædixerat) obiit in Armorica, prorſus *Atheus*. Clericos de futuro judicio, pœnis impiorum & piorum præmiis futuris verba facientes coram ipſo morituro, effusè deriſit: *ô ſtulti & veſani*, dicens, *an neſcitis, nullos eſſe diabolos, niſi noſtros in hac vita nobis graves inimicos; nec ullum uſpiam Deum, præter cujusvis loci Regem, Principem, Dynaſtam, Dominum, auxilia conſiliaque & beneficia nobis conferentem!* Monſtro huic, ut viventi placuit Carmen:

Utere temporibus, præſentibus utere rebus;
Tempus erit, nullum cùm tibi tempus erit.
Grammaticus de præterito dicatque futuro,
Tempore præſenti, dum licet, utar ego.

Sic Epitaphium illi de jure ponitur tale:

Mortuus eſt, quaſi victurus poſt funera non ſit;
Sic vixit, tanquam non moriturus erat!

Vide Owen. Epigr. lib. 1. num. 27. 28. confer Hofm. Lex. univ. A. 492. D. Müller, Hamb. Atheiſ. devict. 21.

Atheorum Cæſar, *Jul. Cæſ. Vaninus*, Atheiſmum eodem tempore, ſub ſpecie refutantis, aſtutiſſimè confirmare tentavit, in Gallia præſertim & Belgio. Librum ſcil. evulgavit ſub hoc titulo: *Amphitheatrum æternæ providentiæ Divino-Magicum, Chriſtiano-phyſicum, nec non Aſtrologo-Catholicum adverſus veteres Philoſophos, Atheos, Epicureos, Stoicos, Autore Julio Cæſare Vanino, Philoſopho-Theologo, & Juris utriusque Doctore, Lugduni apud viduam Antonii de Horrbii, anno 1615.* Conqueſtus in illo libro de Atheiſmo, ut ſectâ peſtilentiſſima, Atheiſtas nominavit ſceleratiſſimos hominum, imò beluarum; maledictis etiam inceſſit Epicurum, Pomponatium, Machiavellum, & ejus generis plures; Promiſit ſe argumentis nunquam hactenus auditis probaturum: Deum eſſe, omnia Gubernantem, & admirandam ejus

providentiam; ſed rejectis veterum argumentis, tanquam parum ſtringentibus, alia nova produxit Magica, Cabaliſtica, è Sibyllinis vaticiniis, & oraculis diabolicis petita. Sic ergò veteratoriè Divinam Exiſtentiam & Providentiam adverſus veteres Philoſophos, Atheos, & Epicureos defendit, ut potiùs eam proſtituerit, ac proſtituendo infirmiores in præſentiſſimum dubitationis ſalum conjecerit; donec, ut anguis in herba cognitus, Deique ſæpiùs (abſque pœnitentia) negati convictus, horrendum ſupplicium vivicomburio exſolvit D. Müller. in Atheiſ. dev. 62. D. Wagner. Inquiſit. in Orac. Sibyll. 24. pag.

Non poſſumus autem non mirari, *M. F. Wendelinum*, Calvinianum ſatis notum, in oppugnatione univerſalis DEI philanthropiæ auſum, *ad hunc Diaboli Apoſtolum provocare*, hiſce verbis formalibus: „ Julius Cæſar Vaninus, in Amphitheatro æternæ providentiæ, cenſuris Pontificiis approbato, Exercitat. 14. ſcribit, ſententiam: *Quòd „ DEUS largiatur gratiam omnibus ſufficientem ad ſalutem*, nec in ſacro „ Codice, nec in generali Eccleſiæ Concilio, nec Pontificio decreto „ ullo eſſe definitam. Vide Syſt. majus poſthum. Wend. p. 1176.

LIB. II. CAP. XXVI.

Summaria.

Colloquium Neoburgicum, ſuper allegatis ab Heilbronnero Patrum locis in Papatu ſuo Acatholico.

Continuatio diſceptationis inter Bertium & Piſcatorem, de Prædeſtinatione.

Sententiæ Piſcatorianæ cum facto Tiberii collatio.

Arndii genuinus Chriſtianiſmus.

Maria, ex Papiſtarum mente, diaboli conculcatrix.

Lucianus, & ſcripta ejus.

Johannis Mariani, de Republica Chriſtiana liber, & boni Principis CAPUT.

ANno 1615. menſe Junio *Neoburgi* habitum eſt *Colloquium*, inter *D. Jacobum Heilbronnerum*, Theologum Lutheranum, & *Jacobum Kellerum*, Lojolitam, ſuper allegatis ab Heilbronnero Patrum locis in libro ipſius, quem inſcripſerat: *Papatus Acatholicus*, Uncatholiſch Pabſtumb. Peſſima licet fide in tractandis Patrum Eccleſiaſticorum ſcriptis, & in allegandis eorum teſtimoniis plerumque verſari ſoleant Lojolicæ ſodalitatis fratres; Nihilominùs tamen importuni ac effrontes iſti homines, integerrimis Eccleſiæ Lutheranæ do-

doctoribus, & multa & magna facinora falſorumque crimina imputare non erubeſcunt. Hoc ſanè magno conatu egit Jacobus Kellerus, Jeſuita, in dedicatoria Papatus Catholici ad Maximilianum, Bavariæ Ducem, Heilbronnero tribuens calamum de induſtria fraudulentum, ungues alienis libris noxios, & neſcio quas alias artes inhoneſtas, quibus inſtructus H. ſpecie quadam veri lectorem illiciat, atque incautum etiam illaqueet &c. In Colloquio Neoburgico autem eò maximè tendens, ut optimum virum criminis falſi multiplicis, coram orbe Chriſtiano reum faceret, idque incredibili aſtu, nec minori quà primum intuitum felicitate, quàm impudentia. Ex inſpectione tamen, & examinatione dictorum patriſticorum, Innocentia Heilbronneriana luculenter patuit. Vid. Stratem. Theatrum hiſtor. pag. 1111. D. Dorſch. in Kircher. dev. prælim. 100. usque 106. ubi Theologus Argentinenſis, poſt vindicias locorum aliquot, concludit materiam: „ His animadverſiunculis ita confundere Docto„res noſtros allaborant Lojolitæ, ut grandia illa & numeroſa falſi „ crimina, & ſuppoſititiorum commentitiorumq; ſcriptorum agmi„ na, conſternato ſideratoque transmitteremus oculo, quibus illi „ ſuam cauſam ornant, ſuamque inſtruunt aciem. Non muſcas illi „ tantùm & curculiones imitantur, ſed tineas blattasque, & per pul„ verulenta bibliothecarũ ſubſellia famelicæ cauſæ pabulũ quærunt.

Adhucdum inter *Johannem Piſcatorem*, & *Petrum Bertium*, controverſia de *divina Prædeſtinatione* fervet: Utque ſuperiori anno *Bertius Apologeticum* emiſit ſuum, Comitibus Naſſoviis dicatum, & in eo haud obſcurè petiit, Piſcatorianam doctrinam ſcriptis publicatam inhibere vellent Comites, ac Herbornenſis Scholæ Rectori, propter aſſertiones maximè ſcandaloſas revocationem imperare; Sic anno 1615. *reſponſionem* ad Bertianum Apologeticum *Piſcator* publicavit, eâ denuò ſententiam ſuam defendens tanquam orthodoxam. Nos, miſſis omnibus aliis, ut fidem liberemus, datam cap. XIX. communicabimus tantùm *Collationem, ſententiæ Piſcatoris de divina Prædeſtinatione cum facto Tiberii*, à Bertio exhibitam.

Suetonius in Tiberio.	*Piſcator adverſus Schafman.*
Immaturæ puellæ; quia more patrio nefas eſſet Virgines ſtrangulari, vitiatæ priùs à carnifice, dein ſtrangulatæ ſunt. cap. 61.	Deus homines hoc conſilio condidit, ut reipſa laberentur: quippe cùm nonniſi hâc ratione pervenire potuerit ad fines illos ſuos principales &c. Sect. 27. pag. 26.

Decretum prius.

Tiberius vult immaturas Virgines ſtrangulari.	Deus vult maximam Mundi partem citra rationem peccati rejici.

Cauſa.

Cur? quia ipſi ita libet.	Cur? quia ita ipſi libet.

Obſtaculum.

Sed inhibet executionem mos patrius, vetans, ne virgines ſtrangulentur.	Sed inhibet ratio Juſtitiæ, vetans, ne Innocentes condemnentur.

Remotio Obſtaculi.

Εὕρημα Tiberii. Curabo, ut Virgines vitientur; ita ego & decreto meo viam aperuero, & mori patrio ſatisfecero.	Εὕρημα Dei ſecundum Piſcatorem. Faciam, ut homines peccent; ita ego & decreto meo viam aperuero, & juſtitiæ meæ ſatisfecero.

Decretum poſterius.

Volo, ut Virgines à carnifice vitientur.	Volo, ut Adam peccet; ſed & poſteà ſinguli quoq; reprobi pro qualitate & quantitate finis ejus, ad quem deſtinati.

Eventus poſterioris decreti.

Vitiantur virgines, nec id impedit Tiberius.	Peccat Adam; neque id impedit Deus; peccant ſimiliter ſinguli reprobi peccatis ſuis ſingularibus.

Eventus prioris decreti.

Strangulantur virgines ita vitiatæ.	Condemnantur reprobi, hoc modo facti peccatores.

Piſcatorem nil habuiſſe, quod in iſta collatione reprehenderet, ipſius reſponſio teſtatur, qua faſſus, eſſe ſimilitudinem in actionibus

bus Tiberii, DEIque; Verùm in qualitate diſſimilitudinem hærere prætendens: „ Tiberii actiones, dixit, malæ fuerunt & injuſtæ, quia „ pugnabant cum lege Dei; actiones verò Dei bonæ, juſtæ & ſan„ctæ, quia profectæ à Deo, qui natura ſua bonus, juſtus & ſanctus „ eſt, ac proinde nonniſi bonas, & juſtas, & ſanctas actiones edere „ poteſt: Et hîc locum habet illud, quod dici ſolet: Duo cùm faci„ unt idem, idem non eſt; Manetque, juſtum aliquid in Deo eſſe, „ quod in nobis eſſet injuſtitia. Hactenus verba Piſcatoris; de quibus penes lectorem ſtet judicium. Vid. Sigw. admon. ad Iren. par. 331. ſeqq. & reſp. Piſcat. ad Bert. Apolog. 13. 40. pl.

Johannis Arndii, Theologi & Superintendentis Lunæburgici (qui ſanctior quàm doctior, devotior quàm ſcrupuloſior; & in domo Dei fidelior, quàm clarior eſſe maluit) *Genuini Chriſtianiſmi*, juſtificatorum & renovatorum exercitio, non convertendorum & regenerandorum inſtructioni, bono rei Chriſtianæ, præſcripti *libri*, hoc anno (nî fallor primùm) in lucem prodierunt, cum privilegio Electorali Saxonico, ex typographeo Johannis Frankii. Cujus viri, de Eccleſia Lutherana optimè meriti, uſurpatæ *phraſes*, à nonnullis oppugnatæ ſunt, aliis tamen viſæ tales, quæ poſſint æquam ſuſtinere cenſuram. Johann. Valent. Andreæ in Selen. Auguſtal. pag. 64. Micræl. lib. 3. H. E 701. vid. pl. an. 1620. 1623.

Vilioris pretii *liber Cantionum, Dillingæ editus* eſt, quo autor inter alia Virginem Deiparam ita docet alloqui: Maria rein/ durch dein Gottſeligkeit; und gottſelige Demüthigkeit; haſtu dem Teuffel zerknirſcht ſein Haupt; und ihn aller ſeiner Macht beraubt! Id eſt:

Maria pura, tuam per pietatem,
Atque pientiſſimam humilitatem,
Diabolo caput ſuum conculcaſti,
Ac omni eum potentia privaſti!

Allegat in exemplum, *recentiores Pontificios non minores eſſe Mariolatras, quàm veteres fuére; neque his aut ſaniùs loqui, aut ſentire meliùs illos*, D. Michaël Waltherus, in Quadragena Miſcellaneorum pag 153. confer omninò annotata an. 1609. cap. LX. & an. 1610. cap LXVIII.

Pariſiis denuò typis vulgata, *Luciani Samoſateni opera*, per Johannem Burdelottium in folio. Lucianus iſte, humili ortus genere, cùm ad artificium quoddam Mechanicum adhibendus, nil proficeret, ſtudia, ſomniô monitus, amplexus eſt: Et quidem forenſes rixas ſibi ingratas deprehendens, ad philoſophiam ſe applicuit, declaratus

clamator inſignis. Antiochiâ in Joniam, Græciam, Galliam, & Italiam profectus, in ſolum natale rediit per Meſopotamiam; ſub Marco Aurelio magni nominis, & reditibus Ægyptiis præpoſitus. Scriptor præſtantiſſimus & facetiſſimus: primùm Chriſtianus; demùm fidei deſertor; JESU CHRISTI (quem ἀνεσκολοπισμένον σοφιστὴν, ore maledicto vocare ſolebat) contemptor & irriſor nulli ſecundus, atheis annumerandus; tandem ſuæ improbitatis ac blaſphemiæ pœnas luit graviſſimas, à canibus diſcerptus, devoratusque. D. Müller. Hamb. in Atheiſm. dev. præf. a. 2. tractat. 17. 58. Hofm. Lex. univerſ. 935. plura lectu & obſervatione digna de his operibus, ac eorundem autore habentur in Act. Erud. Lipſ. an. 1687. 570. ſeqq. & Conſil. Witteb. Theol. A. 283. ubi cum hiſtoricis Luciani Samoſ. comparatur *Caſpari Penceri*, Calvinianæ reipublicæ Medici, *Narratio hiſtorica Auguſtanæ Confeſſionis.*

Johannes Marianus autem, Hiſpanus, egregium *de Republica Chriſtiana*, vernacula ſua conſcriptum, & Regi ſuo Philippo tertio ſacratum, librum edidit anno 1615. Ubi poſt multa alia ingenioſè excogitata, cordatèque prolata, *Principis boni CAPUT* effingit, ſenſibusque ſuis ornat. Sic autem Principis CAPUT effigiat, ut omnium primùm oculis binis, velut Soli & Lunæ hujus politici Microcoſmi, ſapientiam aſſignet, Inſpectione omnium rerum & actionum accurata, edoctam, quæ ut bonos obſervet, ita notet malos ac improbos, maximè verò ad oppreſſos attendat &c. dehinc geminas AURES addit, quibus juſtitiam attribuit, nixam cognitione veritatis, auditione omnium conceptam & fido conſilio, ſubſtitutisque auditoribus bonis ſuffultam, unde commutatio omnis juſta & æqua procedere, diſtributioque pro meritis cujusque ac dignâ æſtimatione fieri poſſit &c. Sequitur OLFACTUS, quem prudentia inſignit, ſagacitate ac diſcretione diviſa, quæ caput tot aliis elatum inſigniter ornet, & quâ magnitudine & fortitudine venerabile, quâ humanitate & comitate amabile reddat, quo utroque in ſublimi hac ſtatione nihil Deo propius &c. GUSTUM verò, cùm duplicis ſit officii, ac tàm palato quàm voci per linguam articulatim proferendæ ſerviat, in abſtinentiam placitorum, quæ in magna fortuna perquàm fræno opus habent, veritatisque prolationem & cuſtodiam dividit: Illa voluptates & vitæ recreamenta moderatur atque coërcet; hæc fidem dandam & ſervandam, juxtaque ſilentium dextrè adhibendum docet, adulatoribus linguas noxias præcidit, ad eas procul abi-

git. Supereſt TACTUS, ſenſuum infimus, & cum brutis maximè communis, altera Temperantiæ ſpecie, quæ circa amores & odia verſatur, notatus; quem eò vult adſtrictiorem, quò licentiùs ſumma poteſtas extravagari, & exemplo mali peccare ſolet nocentiùs &c. Selenian. Aug. J. V. A. pag. 393. ſeq. 449. pl.

LIB. II. CAP. XXVII.

Summaria.

Cumulata ob Mülhemium deſtructum in Imperio Rom. diſſidia.

Tumultus civium Wormatienſium, ob varias malitiæ Judaicæ ſpecies.

Bellum Brunſvicenſe, brevi compoſitum.

Bellum inter Venetos, & Ferdinandum Auſtriacum: gravius inter Mantuanum & Sabaudum.

Vicennales induciæ, inter Chriſtianum, & Turcicum Imperatorem pactæ.

Pax inter Suecos & Moſcowitas.

Conjugium Hiſpanico-Gallicum: Et, Gallico-Hiſpanicum.

Nuptiæ Ducis Pomeraniæ cum Sponſa Holſatica.

Fato functa Margaretha Valeſia, à marito repudiata.

Mülhemii novæ civitatis ad Rhenum, ſuperiori anno à Spinola cœpta *deformatio*, continuatur, & ab Electore Colonienſi, deſtructis everſiſque omnibus ædificiis, ex voto Cleri Papalis abſolvitur: Cæſare interim Alberto fratri *executionem ſeverioris ſententiæ, adverſus Evangelicos Aquiſgrani cives*, mandante. Hinc ergò *ſuſpiciones ac diſſidia*, inter Status Imperii Romano-Germanici magis magisque cumulantur: Pontificiis arctiori fœdere coëuntibus; reliquis pariter, excepto Saxone, viciſſim de firmanda UNIONE, ſocia inſtituentibus conſilia. Cluverus & Schadius.

Incommoda ſecundum nonnullos metuenda, ſi ex Chriſtianorum Rebuspublicis pellantur *Apellæ*, tanti eſſe non poſſunt, quanti ea, quibus Chriſtianos, in quorum ſinu foventur, afficiunt. Nam præter horrendas blaſphemias, quibus Chriſtum, & beatam ejus matrem onerant, immani inſuper odio contra Chriſtianos flagrant, quos intolerabilibus ſuis uſuris ac fraudibus expilant & exhauriunt, rem licitam ſe facere putantes, quoniam erga alienigenas, inter quos Chriſtianos cenſent, fœnerari conceſſum ſibi putant ipſius Dei lege; ſcribit Balduinus in Caſ. Conſc. p. 154. Autor verò margina-

 lium,

lium, & hypomnematum interlinearium, allegat conſilium aliquod à Theologis Gieſſenſibus anno 1614. publicatum, unà cum tabella uſuraria, qua demonſtretur ad oculum, *viginti florenis, uſuram 5185 4. florenorum fieri à Judæis poſſe, intra viginti annos, ſi hebdomadatim unius floreni uſura, duos nummos Francofurtenſes importet.* Ob ejusmodi uſuras, & plures malitiæ Judaicæ ſpecies, anno 1615. circa tempus Paſchatis, *Wormatiæ* apud *cives* in tantum exarſére motus ac turbæ, ut *omnes recutitos* ibi toleratos hactenùs, cum uxoribus & liberis, *urbe pellerent*; Synagogam eorum, ædesque ſuperſtitionibus deſtinatas omnes, deſtruerent & ſolo æquarent; monumenta demum & ornamenta ſepulchralia frangerent ac in fruſtula comminuerent. Cùm verò res etiam ad ſeditionem civium contra Magiſtratum ſpectaret, Elector Palatinus graviter interceſſit, ac ſedatis motibus, urbis patrocinium apud Imperatorem ſuſcepit. Wagnerus in Inſtit. hiſt. & Calviſ. in Chron.

Diſſidium inter Ducem Brunovicenſem Fridericum Ulricum, Henrici Julii filium, & urbem Brunſvigam, t. t. erupit in apertum bellum, quod non niſi utrinque aliquot millibus virorum cæſis, componi potuit. Media æſtate anno 1615. *Obſeſſa* eſt à Duce *Brunſviga*, vix tandem exeunte Octobri, Daniæ Regis operâ, nec non Electorum & Principum, Civitatumque plurimarum curâ, res ad inducias & ex induciis dein ad pacificationem devoluta. Convénit autem *pax* hac lege: ut more majorum, civitas Duci Sacramentum diceret; aboleretur civitatis proſcriptio; priſca inter Ducatum & urbem commercia inſtaurarentur; ſi qua ſupereſſent litigia, non ferro poſthàc, ſed jure diſceptarentur. Vid. Wagn. Inſtit. hiſtor. & Gottfrid. hiſtor. part. ult.

Veneti, Croatarum excurſionibus offenſi, *Ferdinandum* Archi-Ducem Auſtriæ, Caroli, qui Maximiliani ſecundi Imperatoris frater fuit, filium, *armis aggreſſi ſunt*, anno 1615. quod bellum per mutua utrinque damna triennio geſtum, deinceps depoſitum eſt. Sed gravius *inter Mantuanum, Sabaudumque Duces* in Italia, anno 1613. coortum ſuper Montferratenſi Principatu, cùm, Franciſco Mantuano ſine virili mortuo ſtirpe, Ferdinandus ei frater ex Cardinali ſuffectus eſſet, hucusque continuatum fervidè: At licet ſpes pacis hoc tempore affulgeret, mox inſequente tamen ad arma reditum eſt. Turſellinus & Cluverus in Epit. hiſtor.

Sub hæc ab *Achmete* Turcarum Sultano, ſplendida *legatio* centum

tum ac triginta perſonis conſtans, cum pretioſis muneribus Conſtantinopoli miſſa, quinto anni menſe Viennam, ad Matthiam Imperatorem venit, *vicennales* cum eo *inducias* renovans; quaſi tyrannus damna prævidiſſet, quæ Turcas anno ſequente manſerunt, paſſim terra marique cladibus affectos. Ex Limin. Geneal. Wagn. pag. 354. Hofm. Lex. 1009. part. 1.

Guſtavus Adolphus Sueciæ Rex, *Plescoviam* (urbs ampla eſt Moſcoviæ, verſus Livoniam, Ducatûs cognominis caput, inter Ingriam, Livoniam, Lithuaniam, & Novogardiam) ſuæ poteſtati ſubjecit, cui & alia Ruſſorum oppida brevi acceſſêre. Hinc *Michaël Federowiz*, omnium primò *cum Suecis pacem ſancivit*, à quibus ipſi reſtitutus fuit Magnus Novogardiæ Ducatus, tractusque Plescovienſis; Sueci verò magnam auri vim acceperunt, omnem pariter Livoniam, Ingriam, Careliam, & alias ad mare Album provincias in perpetuum retenturi. Hofm. Lex. B. 178. Horn. O. Imp. 385.

Menſe Novembri, *Anna*, Philippi tertii Regis Hiſpaniæ filia, Sponſa *Ludovico decimo tertio* Galliæ Regi traditur, Sponſo; viciſſim *Philippo*, Philippi deſignato ſucceſſori, *Eliſabetha*, Ludovici ſoror jungitur, paribus utrinque gaudio & pompa. Sed intereà Ludovico nuntiatur, *confœderatos Galliæ Principes auctiore exercitu graſſari*, quàm antè, audaciùs, Pictonumque agros ferro & igne vaſtare, Buſcodelphino Mareſchallo fruſtrà renitente; ab hymenæis ergò in Bellum pergitur, quanquam glacie rigebat ſolùm, feſtivaque nuptiarum ludicra obluctabantur Martialibus cœptis. Grammond. lib. 2. 100. 106. pl. Gottfrid. hiſt. v. 241. ſeqq.

Ex Germaniæ Principibus *nuptias* tunc etiam Rugewaldi celebravit *Bogislaus* decimus quartus, *Pomeraniæ Dux* aulam Stetini habens inſtructiſſimam; in tori ſociam aſſumpſit *Eliſabetham*, *Johannis Holſatiæ Ducis filiam*. Bogislaus (aliis Boleslaus) iſte fuit *ultimus* familiæ, totiusque Pomeraniæ Dux, de quo confer an. 1637. Calviſ. Chron. 970. Imhof Notit. 123.

Sed fato functa *Margaretha Valeſia*, Henrici II. filia, Franciſci II. Caroli IX. & Henrici III. Galliæ Regum ſoror, forma & ingenio inclyta; Nupta Henrico, Principi Vianæ, qui deinde Rex Navarræ, Galliæque tandem evaſit; Nuptias ſuas Laniena Pariſienſi funeſtatas vidit, ob mores poſtmodum à marito repudiata. Valeſiæ ſtirpis ultima, ſcientiarum alumna, cujus aulam pro Academia colere, mos literatis erat. Varia Poëmata, vitamque ipſa ſuam in libros memoriales

riales digeſtam, ſcripſit, quibus pinxit ſe, qualis intus & extra erat, ingenioſa Princeps. Vitam egit variis caſibus plenam, quam odia componebant & amores, læta triſtiaque, per quæ aulæ deliciæ & gloria fuit, mox ludibrium; *ſic in Regina fortuna luſit!* Grammond. lib. 1. 78. ſeq. Hofm. Lex. A. 993. B. 517.

LIB. II. CAP. XXVIII.

Summaria.

Caſus valdè notabilis, ad concionem Paſtoris Buxtehudani.
Severum in Monomachos Gallicanos edictum.
Monſtroſi partus editi.
Inuſitatæ tempeſtates, & varia incendia.
Franciſcus Jouſa, Cardinalis & Epiſcopus Romano-Catholicus literarum expers.
Claudius la Cheſtrius, invariata fortuna ſex G. Regibus miniſtrans.

INter caſus apprimè notatu dignos numeramus iſtum: Anno 1615. Dec. 1. *Buxtehudæ* Paſtor templi Petrini, adverſus veneficos & ſagas verba fecit, illudque hominum genus ad ſeriam vocavit pœnitentiam, permagno & ardenti zelo, tandem comminatus, ni locum dederint fideliſſimæ admonitioni, Deum adverſus ipſos tonitruantem ac fulgurantem experturos eſſe. Dictum factum! Derepente *tonitru* (cœlum licet ubique ſerenum, & ante, & poſt enuntiata verba viſum) fulgure & fulmine mixtum, cœtus præſentis oculos ac aures feriit, omneſque in ſtuporem dedit; ſine dubio ad confirmandum præconis verbum & vatis Enthei: *Fluet Jehova ſuper impios,* nî reſipiſcant, *ignem, & ſulphur, & ſpiritum terrorum!* Ex Pauli Waltheri Triad. 2. concion. 3. Waldſchmid in Pythoniſſa Endorea, pag. 381.

Frequentior per idem tempus *in Gallia duellorum* uſus, Clerum excitavit, ut Montiſpeſſulani Epiſcopum Fenolietum ad Regem delegaret, qui Edicti prohibitorii cauſâ impetrandi, hæc proloquutus eſt: „ Intereſſe trium Galliæ Ordinum, ne ſanguis DEO & Regi „ debitus effundatur, qua feritate, qua barbarie hanc in diem effu- „ ſus; Intereſſe omnium, at, maximè Ordinis Eccleſiaſtici, cujus „ ſit inferno victoriam eripere, DEO & Eccleſiæ militanti trium- „ phum procurare; nemini dubium eſſe, quin principium huic la- „ mienæ ab inferno ſit, cui Chriſtianos velut victimas ab ipſis Chri-

„ ſtia-

„ ſtianis immolari ô quam impium (exclamans) quàm horrendum!
„ Exacturum aliquando Deum effuſi tàm crudeliter ſanguinis rationem, à Regibus, quorum ſit opponere impiæ feritati ſeveritatem legis &c. Rex ergò edictum promulgari juſſit, majore, quàm anteà, ſeveritate in Monomachos; verùm ex vetito deinceps gliſcebat autoritas crimini, majoreque poſt legem veſania graſſabatur iſte furor. Mirum (verba ſunt celebris Galli) Gallos, qui paſſim mutabiles ſunt, in eo pugnæ genere adeò eſſe conſtantes, ut non Dei, non Regum legibus, non manſuetudine flecti poſſint, quò ex gladiatoria palæſtra, tranſeant aliquando in mores Chriſtianos. Grammond. libr. 1. 74. ſeq. Roland. Mareſ. Epiſt. pag. 108. pl.

Monſtroſi partus, monſtroſæ vitæ indices, in diverſis Germaniæ locis editi ſunt, ſicut inprimis *Lutmeritii* mulier, quæ cum cane Anglico rem ſe habuiſſe faſſa, uno tempore quinque monſtra, humanam à vertice ad umbilicum usque, reliqua verò corporis parte caninam formam referentia, cum horrore aſpectantium, enixa eſt; Et *in Abbatia Fuldenſi* natus maſculini ſexus infans, duo capita, manus totidem, quatuor pedes habens, teſt. Chron. Calviſ. 970.

Sicuti per hyemem inuſitatæ *tempeſtates ventorum & procellarum* in Bohemia, Thuringia, Weſtphalia, & alibi locorum, frigore & gelu rigentibus, frequentesque coruſcationes, ac tonitrua horriſona contigerunt; ita æſtivo tempore varia paſſim extitére *incendia*, quibus & Fillecum & Nihuſium in Ungaria; Lochum in Belgio, & Nordenum; aliaque oppida quàm plurima, miſerè deformata ſunt; Præcipuè autem *Glogovia major*, Sileſiæ urbs probè munita, Jul. 28. trium duntaxat horarum ſpatio, tota in cineres redacta. Chron. Calviſ. c. l. & Herrenberger in Baculo bajulo venerandæ ſenectutis Johann. Spechten in Heinersdorff/ pag. 75.

Per ea tempora exceſſit *Franciſcus Jouſa*, ſacri Cardinalium Conſiſtorii Decanus, eoque nomine Epiſcopus Oſtienſis; Aulæ haud rudis, eapropter publicis & privatis negotiis haud impar, quod naturæ longæque experientiæ acceptum tulit, in reliquis malè inſtitutus, & *literarum expers*; Legationibus extra Galliam probè defunctus, præſertim Venetâ, prudenter ſopito Rempublicam inter & Pontificem Paulum V. ingenti diſſidio. Grammond. lib. 2. ab init. Hofm. Lex. B. 530.

Obiit quoque *Claudius de la Cheſtre*, magnificè ſepultus Bituri-

ci (zu Bourges in Franckreich) qui vel ob id mentione non indignus videbatur, quòd *ſex Regibus Galliæ, invariata fortuna, miniſtravit.* Cui proinde maxima, in terrenis quidem, fuit felicitas, in ipſa felicitate mori. Ex Zeil. Trag. pag. 537.

LIB. II. CAP. XXIX.

Summaria.

Executio Cæſareæ ſententiæ adverſus Evangelicos Aquisgrani reliquos.

Lis Elbingenſibus de templo civitatis parochialis mota.

Confeſſorum purioris doctrinæ ſub Epiſcopo Uratislavienſi dura conditio.

Oppelianus paſtor Lutheranus, Calviniſtam in pectore gerens.

Gronbergenſis Eccleſiæ turbator, Gabriel Rottſtok, Calvinianus.

Schönbergenſis paſtor Evangelicus nomine, re Calvinianus.

Holſatiæ Ducis, Calviniſtarum Patroni, obitus.

Sublunaribus exempti, Chriſtophorus Binderus:

Et Leonhardus Hutterus:

Nec non Philippus Heilbronnerus.

Status Eccleſiæ Græcæ, ex literis Patriarchæ Alexandrini cognoſcendus.

A*Quisgranenſes turbæ inpuncto religionis* (de quibus vid. an. 1611. 1614) ab indignatione Imperatoris ad proſcriptionem devolutæ ſuperioribus annis, & à proſcriptione fulminatrice ad executionem deductæ, tandem non modò in exilium exitiumque civium Evangelicorum, ſed & in æternam eorum ignominiam deſinunt. Etenim Ferdinandus Elector & Archiepiſcopus Colonienſis, cum Alberto Archiduce Auſtriaco & Hiſpanici Belgii Gubernatore, ſententiam Cæſaris ad finem perducturi, adulto jam anno ſubdelegatos miſére ſuos, qui reliquos adhuc Evangelicos, tanquam rebelles, aut morti adjudicarunt, aut infames declararunt, aut longa captivitate & miſeria preſſos, bonisque omnibus terrenis privatos urbe in perpetuum excluſerunt; Erectâ ſimul ante Curiam Columnâ, quæ *Johannem Kalenbornerum* in quatuor partes diſſectum repræſentaret, ad æviternam nominis ejus contumeliam, additaque inſcriptione tali: „Pereant, qui hanc Rempublicam, & ſedem Re-„galem, ſpretis Cæſareæ Majeſtatis edictis, evertere moliuntur; „Ad memoriam I. Kalenborneri, in ultimo tumultu hìc excitato in-

„ter

„ter perduelles anteſignani, Columna hæc, ex decreto dominorum „ ſubdelegatorum Cæſareæ Majeſtatis, erigi juſſa tertio Non. de„ cemb. an. 1616. Schad. in contin. Schleid. fol.

Elbingenſibus autem in Boruſſia lis ingens, ab Epiſcopo Warmienſi, de *templo Civitatis Parochiali* t. t. mota; ſed quæ tandem autoritate & conſenſu Regis Poloniæ Sigismundi III. compoſita; Eâ „lege, ut & Parochus, & Epiſcopus, jura ſua in hoc templo Civi„tati reſignent, quæ ſenatores duos, totidemque primarios cives „eligere debeat, ejus præfecturæ admovendos; Pontificiis tamen ſo„lis maneat jus, ut ſi velint, inibi ſepeliantur; ad plagam ſepten„trionalem ſita cœmeterii pars Evangelicis, reſidua Papanis cedat. Ex Chron. Calvis. 971.

In *Sileſiæ* quoque *multis locis*, confeſſorum purioris doctrinæ, *ſub Epiſcopo Uratislavienſi Carolo Auſtriaco*, Caroli Græzenſis lineæ filio, per idem tempus dura conditio, quia nominatus Archi-præſul, ſubditos non tantùm ſuos, ſed & alios ad Abbatias, in civilibus pertinentes, adigere voluit, ut ſine diſcrimine Romana ſequantur dogmata; ſecus facientibus juſſis vendere ſua brevi tempore, dein emigrare. Chron. cit. & Spener Syllog. Genealogica, pag. 28. ſeq.

Iſtas cœtibus Lutheranis Calamitates & moleſtias, à *Papanis* concitatas, non parum auxére *Calviniani*, qui dogmata ſua paſſim ingerere, tum opertè, tum apertè, omni contendebant ſtudio. Sanè *Nicolaus Urſinus*, Paſtor Oppelianus in Sileſia, cum in officio Eccleſiaſten ſimularet Lutheranum, in doctrina & confeſſione reverà Calvinianum egit, ejusque loci Miniſtris Orthodoxiæ tenacibus multum laboris ac tædii faceſſit; à functione tandem, accedentibus etiam cauſis quibusdam politicis, remotus. De eo Wittembergenſes Theologi ſuum tulere judicium ſeq. verbis: „ Depre„ hendimus in confeſſione & Epiſtola Nicolai Urſini, utramque eſſe „ ambiguam & cothurnis plenam; ubi quidem Calvinianiſmi cri„ men ſummo conatu à ſe avertere ſtudet, ſed non videmus, quo„ modò eluctari poſſit omninò. Multa enim aſtutè diſſimulat, quæ „ verbis clariſſimis, ut in confeſſionibus fieri decet, exponere de„ buiſſet, ſi rem ſeriam ageret; idque facilè innoteſceret, ſi plerarum„ que phraſium explicatio ab ipſo peteretur. In articulo de perſona „ Chriſti, non diſtinctè loquitur de communicatione Naturarum „ ac Idiomatum; De Majeſtate carni Chriſti communicata nihil ex-

„ preſſe

„preſſè habet; de Ubiquitate, quam vocat, ex B. Lutheri loco, imò „dubio an Lutheri ſit, non diſputandum eſſe ait; de orali manduca- „tione carnis Chriſti prorſus tacet; De manducatione ſacramenta- „li, & indignorum, ita loquitur, ut Calvinianorum quilibet ſub- „ſcribere poſſet; in allegatione Lutheri vel ex verſutia, vel inſci- „tia peccat &c. Conſil. Witteberg. Theol. A 471. pl.

Gronbergenſem Eccleſiam A. C. addictam, eadem tempeſtate turbavit *Gabriel Rottſtok*, ſenatorii vir ordinis, qui, ut virus Calvinianum ibi diſſeminaret faciliùs & felicius, peculiarem librum, quaſi pro ſuis domeſticis duntaxat ſcriptum, vulgavit, ſub titulo: Paterfamiliàs Chriſtianus, Chriſtlicher Hauß-Vatter. Miniſtri Eccleſiæ, cùm librum Calvinianis erroribus refertiſſimum, ac autorem iis addictiſſimum deprehendiſſent, ei mox oppoſuere, ſpiritualem Eccleſiæ patrem, Chriſtlichen Kirchen-Vatter; quo œconomicum illum confutarunt ſolidè, lectionemque ejus & uſum ſuis auditoribus maximoperè diſſuaſerunt; Rottſtokium verò, ut errores deſereret, fruſtrà ſemel iterumque admonitum, à S. Lutheranorum Communione, cum approbatione Theologicæ Facultatis Wittenbergicæ prorſus excluſerunt, eundem etiam ſolitis funeralibus indignum, ſi cœptis pergeret ad finem vitæ, declarantes. Conſil. Witteb. Theol. pag. 470 ſeqq.

Schönbergæ vero in Moravia, *Petrus Laub*, Evangelicus Paſtor, nomine, re purus putus Calviniſta fuit, licet haberi talis minimè vellet. Prodidit ſemet publicis aſſertionibus nonnullis, indubitatò Calvinianis; Quibus cùm Collega Diaconus, Johannes Urſinus modeſtè, & in privato tantùm alloquio contradiceret, adſcitis aliquot ſuæ factionis hominibus, eum à ſtatione Eccl. removit; ut nimirum liberiùs agere poſſet, ſimplicemque popellum, vel inſcium quò ferretur, in hoſtium caſtra deduceret. vid. Conſ. Witt. A. 470.

Fatis conceſſit *Johannes Adolphus*, Adolphi filius, *Dux Holſatiæ*, Sleſvici Dominus, qui Archi-Epiſcopatui Bremenſi, decem annorum puer, fuit præpoſitus, tum & Lubeccenſi Epiſcopatui; primus in ea dignitate maritus, ductâ Friderici II. Daniæ Regis filia, pater Friderici, qui ſplendidam illam ac celeberrimam Legationem in Moſcoviam & Perſiam, immani ſumptu miſit & ſuſtinuit. Mentionem autem hîc facimus Johannis Adolphi, tum ut Epiſcopi, tum ut Favitoris Calvinianorum inſignis. Et ſanè ſi penes

nes eum ſteriſſet unicè, Calviniani æquè in Holſatia, ac in aliis Germaniæ provinciis, trophæa erexiſſent ſua. Not. procer. Imper. 639. Spener. Geneal. 56. Confer. lib. 1. cap. LIX.

Emortualem præterea habuit hunc annum *Chriſtophorus Binderus*, Theologiæ Doctor, atque Ducalis Aulæ Wirtembergicæ Eccleſiaſtes, demum Præſul Maulbronnenſis, & Superintendens illius tractûs Generalis; vir eximius; tractatu de Theologia Scholaſtica; Jeſuitarum Sophiſtica; recapitulatione Examinis Würtembergici & ejus defenſione contra Paulum Toſſanum Calviniſtam Heidelbergenſem; tractatu de bonis Eccleſiæ; de uſuris itidem, & peſtis cauſis, Eccleſiæ DEI probè commendatus. D. Nicolai orat. de obit. D. Lucæ Oſiand. pag. 17. Micræl. H. Eccleſ. libr. 3. 466.

Ad meliorem quoque vitam abiit *D. Leonhardus Hutterus, redonatus* ille *Lutherus* (per anagramma) ſenior Facultatis Theologicæ in Academia Wittembergenſi celebris, anno 1596. eò vocatus Argentinâ; doctiſſimis iisque ſolidiſſimis & valdè perſpicuis innotuit ſcriptis, nempe locis Theologicis; Concordia concorde; explicatione libri Concordiæ; Calviniſta aulico-politico primo, & ſecundo; Irenico verè Chriſtiano; Triumpho de regno pontificio; Iliade morborum regni pontificio-Romani, &c. patriâ Ulmenſis Suevus, obiit anno ætatis quinquageſimo tertio. Catalog. Theol. Witteb. Conſil. præf. Calov. ſyſt. Theol. A. 1172.

Eandem Calcavit viam *Philippus Heilbronnerus*, Jacobi frater, Eccleſiaſtes Lavinganus, & inclyti Gymnaſii profeſſor Theologicus, inde Diſputationibus in Eſaiam, Jeremiam, Danielem, Zachariam, & aliis quibusdam notus; ante hac *Luſtnaviæ* Paſtor prope Tubingam. vid. Jacob. Heilbron. funebr. per Hafenreff 29. & Micræl. lib. 3. H. E. 499.

Statum Eccleſiæ Græcanicæ hujus temporis, intelligere licet ex literis *Cyrilli, patriarchæ Alexandrini*, hoc anno ad Archiepiſcopum Angliæ Cantuarienſem, nomine Georgium Abbotum, ſcriptis, miſsô ſimul alumno Græco, presbytero, ut in religione pleniùs inſtitueretur in Oxonienſi Academia. In illis, quas ita ſubſcripſerat ſacrorum Archi-Præſul: *Cyrillus DEI gratiâ Papa, & patriarcha magnæ urbis Alexandriæ & judex œcumenicus*; gratulatur ſuis Eccleſiis pacem contingere à Turca, infenſiſſimo aliàs Chriſtiani nominis inimico; verùm à Papiſtis dicit haud exiguum ipſis metum eſſe, à canibus (ut ejus verba habent) & operariis ſubdolis, & hypocritis, quibus

 ſolen-

ſolenne, aliud habere clauſum in pectore, aliud promptum in lingua; qui Deum ipſum projecta audaciâ impetere haud erubeſcant, dummodò Romani Pontificis tyrannidi quoquo modo velificentur: „ Hi emiſſarii terrorem, ait, mirum in modum nobis incutiunt, „ noſtræque imponunt ſimplicitati, cui mancipandæ varias admovent machinas, maximè freti eruditionis fuco, & ſpinoſarum di- „ ſputationum aculeis, cùm nos interea eruditorum penuriâ labore- „ mus, qui cum ſcholis iſtis æquo Marte congrediantur. Etenim „ propter peccata noſtra deſpicabiles facti ſumus præ omnibus gen- „ tibus, & cum Imperio artes quoque liberales amiſimus. Refert Johannes Hornbek. in ſumma controverſ. p. m. 981.

LIB. II. CAP. XXX.

Summaria.

In Ducatu Neoburgico Pontificia Reformatio fervet.

Melchiori Cleſelio, Papa Galerum Cardinalitium tranſmittit.

Cleſelius Hizlerum inter nuptiales ſcyphos vitâ privare contendit.

MATTHIAS Lojolitis Gymnaſium Pragenſe addicit.

Societas Dominæ de Raidt, largas impetrat indulgentias.

Paulus V. prædeceſſorum decreta, de Immaculata Mariæ Virginis conceptione, innovat.

Tranſſylvaniæ Princeps, Claudiopoli Lojolitas malè excipit.

Archiepiſcopus Burdigalenſis turbas ciet graves & periculoſas.

Wilhelmus ab Effern mundanis valedicit.

Nec minus Cardinalis Gondius Radeſianus, ſibi ipſi ante funus parentans.

IN *Ducatu Neoburgico Wolfgangus Wilhelmus*, Princeps, *novas ordinationes condit varias*; Inprimis omnibus Papicolis ubique locorum concedit publicum, quo hactenus ibi latitantes caruerant, Religionis exercitium, invitatis etiam Lutheranis, ut communioni Romanenſium ſeſe adjungant; Præfectis deinde politicis per totam regionem ſeriò mandat, ut amotis impedimentis quibuscunque, Cleri Pontificii cauſam ſuſcipiant, & promoveant, nî graviſſimam indignationem animadverſionemque ſeveriſſimam Domini territorialis incurrere velint: Ad uſurpationem etiam Calendarii Gregoriani, omnes & ſingulos adſtringit miniſtros, indigenas, inquilinos; tria quotidiè ſigna (de mane, meridie, veſpereque) pulſibus campana-

rum

rum in templis danda præſcribit; Concionatoribus Lutheranis Elencho, quantum ad Pontificios, & in doctrina & in vita, penitùs interdicit &c. Oſ. Schad. in Contin. Sleidan.

Melchiori Cleſelio (de quod vid. lib. 1. cap. XV. & XXXVI. paragr. De Bohemis ac Auſtriacis) Epiſcopo Viennenſi, Româ mittitur *Galerus Cardinalitius*, pretium procul dubio ſuæ in perdendis Evangelicis induſtriæ & laboris. Jam ergò habitum induit coccineum, adverſarius omnium puriori doctrinæ addictorum perquàm infenſus, ut oſtendat ſe ex illorum numero eſſe, quos celeberrimus Poëta jam olim in ſuo Epigrammate ſic depinxit, in contin. H. E. Horn. 141.

Semiviros quicunque patres radiante Galero
Conſpicis, & rubræ Syrmata longa togæ,
Crede mihi, nullo ſaturatas murice veſtes,
Divite nec cocco pallia tincta vides;
Sed quæ rubra vides, ſanctorum cæde virorum
Et merſa inſonti tota cruore madent.
Aut memor iſtorum, quæ celet crimina, veſtis
Pro dominis juſto tacta pudore rubet.

Inter bona opera, Epiſcopo Romanæ Communionis & Cardinali digna, haud minimum eſt, quòd *Cleſelius* ille, *Danielem Hizlerum*, natione Würtembergicum, tunc temporis Linzii ſupremum Eccleſiaſten Evangelicum, & Gymnaſii literarii Ephorum, aliquandò inter nuptiales ſcyphos, & quidem ſub ſpecioſo prætextu poculi in Cæſaris bonam valetudinem propinati, *veneno vitâ privare attentavit*; Sed Hizlerus exhauſto poculo, per extemporaneum alexipharmacum, antequam in nervos erumperet, correxit, poſteà ſuperſtes ad annum usque 1635. confer Meiſn. Philoſoph. part. 3. 401. & parentationem Hizler. per D. Wagner. pag. 17.

Anno 1616. *Pragenſe Gymnaſium* in Bohemia *Jeſuitis conceſſum*, & ab Imperatore Matthia privilegiis Academicis dotatum eſt, magno Statuum ſub utraque, ut vocari ſolebant, incommodo. Nil minùs Paderbornenſi Scholæ collatum, Nutritium agente Theodoro Epiſcopo. Micræl. H. E. lib. 3. 173.

Poſtquam ſuperiori anno à R. Pontifice impetrata eſſet approbatio & conceſſio, cum addita largiſſimarum Indulgentiarum bulla; jam nova (renovata potiùs & reſtaurata) Selenſtadii, vulgo Schlet-

ſtatt/ in ſuperiori Alſatia, colligitur *Fraternitas lectiſſimæ Dominæ de Raidt*, in honorem & recordationem immaculatæ conceptionis benedictæ Virginis Mariæ Deiparæ. „ Ad augendum Fraternitatis „ hujusce ſplendorem, Papa plenariam abſolutionem ab omnium „ delictorum culpa & pœna promiſit iis, qui ſodalitati ſeſe, prævia „ confeſſione & communione, juncturi; qui ex hac fraternitate in hora mortis confeſſuri & communicaturi, aut ſi forſan id impoſſibi„ le, ſaltem nomen JESU, ore cordeve invocaturi; qui feſto Conce„ ptionis Mariæ in Capella fratrum pro Eccleſiæ Catholicæ incre„ mento Deum imploraturi eſſent: Septem verò annorum indulgen„ tias, ac totidem quadragenas conceſſit illis, qui in diebus Nativi„ tatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſcenſionis Mariæ, in di„ cta Capella orarent: Sexaginta denique dierum veniam obtulit „ omnibus ex fraternitate iſthac, quoties Miſſas & Litanias cele„ brarent, legerent, vel audirent; quoties congregationibus frater„ nitatis intereſſent, aut actibus piorum funereis, aut præcipuè ſa„ cratiſſimis cum corpore Chriſti proceſſionibus, quotiesque pro de„ functis fratribus ac ſororibus, quinque Pater noſter, ac totidem „ Ave Maria recitarent &c. Recenſente D. Johanne Henrico Hiemero, Tubingenſi Theologo, cum confutatione, pecul. Tract. pag. 14. 44. ſeqq.

Sub hæc denuò fervente *Controverſia*, inter Dominicanos & Franciſcanos toties iterata, *de Immaculata Mariæ Virginis Conceptione*, quam illi cum Thoma negant; hi cum Scoto affirmant; *Paulus quintus* Papa R. anno 1616. Apoſtolicum *ſcil.* edictum ſtrinxit, & emiſſa ſequenti anno bullâ, Sixti IV. Concilii Tridentini, & Pii IV. Conſtitutiones innovavit, omiſſaque ſententia dubiæ quæſtionis deciſivâ, id unum prohibuit, ne quis publicè audeat aſſerere, Beatam Virginem in peccato eſſe conceptam, etiamſi id privatim tenere non prohibuerit. Sic in Papatu aliqua publicè docentur, quæ privatim tenere opus non eſt. Confer D. Joh. Bottſac. in Contradictionib. Pontif. 395. D. Joh. Micræl. lib. III. 702.

Occaſione diſſidii, quod in Transſylvania exortum erat, Humanojum inter & Gaborem, quòd hic videretur Muſulmannis Varadinum tradere velle; *Lojolitæ* Daciam iterum ingreſſi clanculùm, *Claudiopoli ſedem ſibi figere ſtatuerunt*; ſed malè excepti, & *ſuſpendio adjudicati* ſunt, mandato Principis; qui ſimul, ne quis ex iſto homi-

num

num genere poſthàc intromittatur, ſeveriſſima lege vetuit. Ex Calviſ. Chron. pag. 972.

In Gallia magnis litigiis anſam dedit *ArchiEpiſcopus Burdigalenſis*, aulæ Romanæ Cardinalis, nomine *Surdiſius*, in cauſa nobilis cujusdam Haucaſtelli. Etenim ſuperiori anno ad finem vergente, cùm Haucaſtellus patibuli reus, jamjam ex carcere ad ſupplicii locum deducendus eſſet, Surdiſius amico liberando in carcerem properavit, cruce præferri juſſa, quam ſtipabant ſatellites non pauci, violandæ, ſi opus, cuſtodiæ; dein *effracto carcere, reum in libertatem vindicavit* ac neci exemit; nec ſatis effracto carcere nebulonem liberare, niſi & carceris cuſtos (dum officio defungebatur, prohibendo privatam vim autoritate publicâ) occumberet, infeſtâ manu. Excanduit eapropter *Senatus Burdigalenſis*, & ſolenni ad Regem legatione, palàm queſtus eſt, violatum jus publicum, temeratam Regis autoritatem à Præſule, cæſam à Paſtore ovem! Querelam ſubſequuta ejusdem Parlamenti decretum, quo in Archiepiſcopum indicta manûs injectio, jamque declarandæ liti, citatio triplex præceſſerat, mox damnando per contumaciam reo, cùm interceſſit Rex, cauſam ad ſe evocatam in ſuſpenſo habens, donec ſe Archi-Epiſcopus judicio ſiſteret; nec multò pôſt Regio reſcripto (ſub & obreptitiè impetrato) Surdiſium abſolvit; Ita nimirum capitale crimen à Præſule patratum, primùm fugâ, deinde Regis clementiâ eluſum. Inde tùm orta lis, de qualitate facti Senatorii adverſus Præſulem? *Non defuére, qui* Parlamenti Burdegalenſis in ArchiEpiſcopum ſuum, eundemque Cardinalem, Citationem *improbarent*, per *corporis* (quod vocant) *decretum:* „ In Eccleſiæ Principem, dicentes, non aliter, „ quàm ex Apoſtolicæ ſedis reſcripto, inquirendum, idque magnâ „ ex cauſa. Audax eſſe facinus, temeritate haud procul, arcam Dei „ contingere profanæ genti. Clericis, iis maximè, quos in primum „ ordinem evexit Eccleſia, ſuos eſſe judices, eſſe Epiſcopalem au„ dientiam, ad quam citentur, &c. His ac talibus patrocinabantur „ Epiſcopis, quibus erat præcipua ipſorum cauſa. *Contra verò Senatus*, & quibus ea ſententia erat, ut ex lege agi poſſet coram judice laico contra Epiſcopum, utebantur jure & exemplis, dicentes: „ Per „ unctionem Reges Epiſcopis ſacri characteris conſortes fieri, ideò„ que mixtam illis jurisdictionem in laicos juxta & Clericos. Par„ lamenta Galliæ à prima eorum inſtitutione, Judicibus ex utroque „ ordine deſumptis conſtare, quò ut in laicos, ita etiam in Clericos

 „ va-

„ valeant; hinc mixtam illis jurisdictionem; Non excipiendos ab „ hac lege Epiſcopos. Cleri rerum Eccleſiaſticarum cognitionem „ eſſe; jurisdictionem in perſonam laici Magiſtratus conferri, quan- „ do gladio ſæviendum, ex crimine publico. Chriſtum ipſum Ec- „ cleſiæ Principem, exemplo ſuo docuiſſe, & Magiſtratui ſeculari „ ſummum jus eſſe etiam in Altaris Miniſtros, & Pontificibus nul- „ lam eſſe jurisdictionem, ubi de crimine publico movetur quæ- „ ſtio, cùm in capitale judicium vocatus, ſpecie criminis, quod e- „ rat publicum, coram Pontifice Caipha noluerit reſpondere, quaſi „ in limine judicii uteretur exceptione fori: Ubi verò, pergebat Se- „ natus, in prætorium accitus Pilato ſiſtitur, ſtatim agnoſcit Judi- „ cem, magnaque Perſonæ etiam ethnicæ veneratione reſpondet: „ quo patet Chriſtum, unctum DEI, qui primus in Eccleſia Sacer- „ dos, primus item Pontifex fuit, in quæſtione de crimine publico „ habenda, Pontificiam detrectaſſe jurisdictionem, agnoviſſe Re- „ giam. His & ſimilibus in Epiſcopos vindicabatur jurisdictio lai- ca; jure, an injuria, penes eos judicium eſto, qui legerint: Nemini certè per ea tempora probatũ Archi-Epiſcopi facinus. Grammond. lib. 2. hiſt. Gall. 103. ſeqq. pl.

Sub finem ſeptimi menſis obiit Ladenburgi *Wilhelmus ab Efſern, Epiſcopus Wormatienſis.* Quis prætereà & qualis fuerit Wilhelmus ille? nos ignorare non diffitemur; certi tamen *Effernorum Genus* ut antiquiſſimum, ita nobiliſſimum eſſe, quondam ordini Rhenano Equeſtri annumeratum, nec minùs officiis in militante Eccleſia Deo ſacratis clarum & benè meritum. Inprimis occaſione hac ab hominum oblivione vindicandam cenſemus memoriam *Henrici ab Effern,* qui ſuperiori ſeculo primum Schorndorffenſis Eccleſiæ Lutheranæ Diaconum egit in Ducatu Würtembergico, deinde anno 1555. & ſeq. Monaſteriorum Herbrechtingen atque Lorch, Reformatorem Evangelicum (biennio pòſt in Doctorem Theologiæ promotum Tubingæ) Superintendentem poſteà Bietighemenſem & Montispeligartenſem, demùm Antiſtitem Winnendenſem, iſthic loci anno 1575. defunctum. Calviſ. Chron. 972. Andreiſch Geſchlecht-Büchl. 28. 30. 34. pag.

Eodem hoc an. 1616. mortalitatem explevit *Cardinalis Gondius,* Radeſianus, qui ſibimetipſi parentaverat ante funus, poſueratque tumulum ea inſcriptione, quæ etiamnum proſtat in metropoli Pariſiorum, ac æde ibi Deiparæ Virgini ſacra:

D. O.

D. O. M.

Petrus S. R. E. Presbyter Cardinalis de Gondy, olim Lingonum V. tum Pariſiorum annis XXX. Epiſcopus, Comes Juniacenſis & Villæ petroſæ Dominus, Ordinis Sancti Spiritus Commendator Torquatus, vir nota in Deum pietate, in ſuos amore, domi, publicè, præſertim in pauperes vinctos, religioſasque familias liberalitate: Auctoritatis, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ tenax, ſacrarum ædium collapſarum reſtaurator, novarum ædificator, frequens ad P. P. M. M. Legatus, Regg. Carolo IX. & Henrico III. inprimis charus, Henrici Magni cum Pontifice maximo & Eccleſia Conciliator, Ludovici XIII. in Chriſto progenitor; mortalitatis memor hoc ſibi, funeri ſuo ſuperſtes monumentum P. C. 1614.

Dicto exceſſit anno, ætatis octogeſimo quarto, XIII. Calend. Martii. Grammond. lib. 2. hiſt. Gall. 143.

LIB. II. CAP. XXXI.

Summaria.

Theolog. Tubing. reſponſum Sculteto, Fraternitatis proco, datum.

Novum templum Baſileæ Hugonottis Gallicanis à Senatu conceſſum.

Epiſcopi hodie jurisdictio in Baſileam nulla.

Marci Antonii tranſitus à Pontificiis ad Calviniſtas in Anglia.

Comitis Candalii, ad Hugonotos in Gallia.

Mors Urbani Pierii, Bremenſis Calviniani.

Et Johannis Druſii, Franequerani.

Druſii filius, in pueritia ſingularis Eruditionis laude inclytus.

ABrahamus Scultetus, Theologiæ Calvinianæ in Academia Heidelbergenſi Profeſſor, t. t. à *Theologis Tubingenſibus*, poſtquam & coràm & per literas, iiscum diu *de concilianda fraternitate Eccleſiaſtica* egerat, hoc reſponſi tandem retulit: „ Se in amicitiam politicam „ ſemper Calvinianos recepiſſe, recepturosque deinceps; in Theo„ logicam, hoc eſt, fraternitatem Eccleſiaſticam, nunquam! referente Johann Hornbekio in S. C. lib. 9. de Lutheranis, pag. 689.

Superiori ſeculo Gallis quibusdam *Proceribus Hugonoticis*, interque eos Admiralis Colignii filiis, poſt lanienam Pariſienſem, ob religionem ſe *Baſileam* conferentibus, ibi Magiſtratus hoſpitium, locumque ſacris lingua Gallicâ privatim peragendis, dedit; unde iſthic

iſthic non contemnendus cœtus ex illa gente confluxit; cui dein, creſcente indies numero, anno 1616. *templum* quoque, & publicè ſacrorum cauſâ conveniendi poteſtas conceſſa. Id quod argumento eſt, jurisdictionem Eccleſiaſticam hîc loci penes Magiſtratum, non Epiſcopum ſtare. Imò & *in civitatem Baſileenſem nulla ampliùs jurisdictio Epiſcopis competit*; qui tamen olim legitimi ejus Domini fuerunt, quemadmodum Urſtitius teſtatur, & jura conſtituendorum Magiſtratuum, judicandi, de appellationibus cognoſcendi, juramentum fidelitatis exigendi, aliaque habuerunt; quæ temporum ſucceſſu ab illis vendita, bellicis impenſis conſumpta, variis contractibus & tranſactionibus alienata, in civium manus pervenerunt.截 Supereſſe nihilominùs Epiſcopis aliquam priſtinæ poteſtatis recognitionem, Æneas Sylvius tradidit, quòd annuos quatuor denarios è ſingulis familiis recipiant. Habitarunt Præſules in minore Baſilea, quæ cis Rhenum eſt, usque ad an. 1365. quo *Johannes*, natus è Comitibus de Vienna (qui multa Epiſcopatûs dominia, juraque vel prorſus diſſipavit, vel alieno ære gravavit) eam civitatis partem Leopoldo Auſtriæ Duci oppignoravit, in cujus poteſtate quatuordecim annis permanſit, donec à civibus, annuente *Himerio*, è Romſteiniis Baronibus, Johannis Succeſſore, redimeretur, atque majori urbi uniretur. Inde itaque ſedem Præſules Bruntrutum transtulerunt, ad Hallum fluvium in Comitatu Alsgaugenſi ſitum; Capitulum verò Delemontii in Salzgoja ut plurimùm degit, Rhenano circulo ſuperiori annumeratum. Hofman. Lex. univerſ. A. 258. Imhof. Notit. Procer. 284.

Sub finem anni milleſimi ſexcenteſimi decimi ſexti, *Marcus Antonius de Dominis*, primùm Jeſuita, deinde Archi-Epiſcopus Spalatenſis, Croatiæ ac Dalmatiæ Primàs, deſertis Pontificiorum ſacris in Belgium, & mox in Angliam conceſſit, Calviniſtarumque, ut putabatur, Communioni ſe adjunxit; Ob id à Rege Jacobo, qui ſucceſſerat Eliſabethæ, affatim ſuſtentatus. Vir acris ingenii magnique judicii, ſed inconſtans; aliquot enim libris contra Papatum editis, ad priſtina relapſus eſt. *Ejus etiam auſpiciis hiſtoria Petri Suavis* (cujus autor genuinus à plerisque creditur fuiſſe Pater Paulus, Sarpius, qui cauſam Venetorum adverſus Paulum quintum Pontificem Romanum acerrimè defendit) Italica primitùs conſcripta linguâ *in latinam translata*. Micræl. H. E. Syntagm. lib. 3. 662. & Gerhard. Conf. Cathol. A. 1. 3.

Per

Per idem tempus *Comes Candalius* in Gallia, rerum novarum amans, Calvini doctrinam amplectitur, & *Hugonotorum ſectæ ſe committit*, Eſpernonio natus ſummè Pontificio. Unde illi mutatio fuerit, variè dictum; Non defuére, qui crederent, à fœmina, quam deperibat, perſuaſum, exuiſſe Romanenſium fidem: „ Certè magnum „ tunc Hugonottis augmentum erat ex Comite Candalio, ſi reli„ gionis zelô ageretur; Natalibus inter Regni Magnates, fortunâ „ inter Principes, arte militari inter paucos erat; Unus illi ab animi „ levitate nævus, qua primùm Romano-Catholicus, dein Calviniſta, „ iterumque Catholicus fuit, quod inglorium viro aliàs forti; verba ſunt Grammondi lib. 2. hiſt. Gall. 99. edit. 1673.

Diem ſuum obiit *Urbanus Pierius*, Theologus Bremenſis Calvinianus, ætat. 70. Antehàc Superintendens Dresdenſis in Electorali Saxonia; deinde Davidi Voitio in Profeſſione ſurrogatus Wittenbergæ anno 1589. At quia Crypto-Calvinianis ibidem acceſſerat, & cum Petro Calamino, Pauloque Aulæandro, Dominica Lætare an. 1591. exorciſmum abrogarat, facta in doctrinam eorum Inquiſitione, D. Pierius ob perjurium (aliquandiu) Cuſtodiæ traditus, Calaminus verò & Aulæander ab officiis remoti ſunt, revocato ex Academia Jenenſi D. Georgio Mylio ad motus illos Calvinianos componendos, qui Paſtoris vicem obiit: D. Andreæ Jodoco facta tunc eſt viciſſim copia docendi in Academia temploque arcis: Adhæc D. Ægidius Hunnius, è Marpurgenſi Academia anno 1592. Wittenbergam vocatus; atque D. Polycarpus Lyſerus, è Brunovicenſi Ephoria denuò huic Scholæ Illuſtri reſtitutus eſt. vid. Calviſ. Chron. 972. & præfix. Catalog. Profeſſ. Theol. Conſil. Witteb.)( )(iij.

Ad finem etiam temporalis vitæ venit *Johannes Druſius*, Flander, Antiquitatis hebreæ ſcientiſſimus. Linguam Eberinam in Anglia potiſſimùm didicit, ibique docuit Oxonii annos quatuor, poſteà Franekeræ Friſiorum ejusdem linguæ Profeſſor fuit. Opera ejus in V. T. libros pleroſque, proſtant quamplurima; in Romano Indice prohibita, donec expurgentur. Hofmannus refert in Lex. univerſ. 846.

Idem, annotationes in totum Jeſu Chriſti Teſtamentum reliquit, Franzio teſte, ubi in præfatione mira, dictus *Druſius, de filio ſuo*, cognomine (ut puto) recenſet, hiſce verbis: „ Filium amiſi, „ quem unicum ac proinde chariſſimum habebam, qui, ut alia taceam, eos progreſſus fecit in L. L. Orientalibus, ut, non dico ſupe-

Fff riorem,

„ riorem„ ſed ne parem quidem ullum in Europa habuerit. Qui no-
„ verunt eum plurimi cùm in Anglia, tùm in Belgio, ſciunt, me ve-
„ rum dicere. Anno quinto ætatis cœpit cum latinis diſcere literas
„ Ebraicas, quibus poſteà Græcas, Chaldaicas & Syras adjecit. An-
„ no ſeptimo interpretabatur optimè Davidem in ſua lingua, ſic a-
„ deò, ut Judæus quidam, qui tunc Leidæ Arabicum profitebatur,
„ cum admiratione illum audiverit. Biennio pòſt legebat Ebræa ſine
„ punctis vocalibus, & quod ipſi Rabbini doctiſſimique Judæorum
„ hodie ignorant, rationem callebat ex arte Grammatica, quâ ſingulas
„ voces punctare deberet. In lingua latina, quam uſu magis, quàm
„ ex præceptis Grammaticis didicerat tàm promptus & expeditus
„ erat, quàm in vernacula. Anglicè garriebat cum Anglis, ita, ut
benè ipſum intelligerent. Anno duodecimo, ſcribebat ex tempore
„ tàm proſa, quàm carmine rythmico, ut mos eſt Ebræis. Anno ſe-
„ ptimo ſupra decimum cum in Anglia eſſet, oratiunculam habuit
„ latinam coram Rege, tanta animi præſentiâ, ut omnes admiraren-
„ tur. Aderant Regi, præter Walliæ Principem & ArchiEpiſcopum
„ Cantuarienſem, Proceres aulici; quorum omnium conſpectus vel
„ virum fortiſſimum facilè conſternaſſet. Ingenium ei erat prom-
„ ptum, judicium ſupra ætatem exactum & maturum, quale ferè
„ præcocia ingenia habent, memoria tenax, labor indefeſſus, mores
„ amabiles gratique omnibus; unde ab omnibus amabatur, juxta
„ illud: ut ameris, amabilis eſto. Prætermitto indolem egregiam,
„ qualis eſſe ſolet eorum, queis meliore luto finxit præcordia Titan,
„ ac raram pietatem. Quicquid audiebat memoriâ dignum, nota-
„ bat in pugillaribus ſuis, quos ad hoc ſemper paratos habebat; in-
„ de in codicem referebat, cùm domum veniſſet. Reliquit poſt ſe
„ Hebraicas epiſtolas puro ac eleganti ſtylo, in quo genere feliciſſi-
„ mus erat; item rythmos quamplures, & notas breves in proverbia
„ Salomonis. Redegit etiam Nomenclatorem *Eliæ Levitæ* Ger-
„ mani in ordinem Alphabeticum additis vocibus, quæ in prima e-
„ ditione deſiderabantur. Cœperat vertere in latinum ſermonem
„ ex Hebræo, Chronicum templi ſecundi, & Itinerarium Benjamini
„ Hiſpani Tudelenſis Judæi. Quòd ſi vita ei longior contigiſſet, ac
„ ad juſtam ætatem pertingere potuiſſet, dicam breviſſimè (abſit
„ verbo invidia) fuiſſet interpres literarum ſacrarum eximius, qua-
„ lem fortaſſe Orbis Chriſtianus alium non habuiſſet. Nam præter
„ ea, quæ diximus, verſatiſſimus erat in textu ſacro, notaveratque
„ in

„ in editione quadam vulgata, cui charta erat inſerta, expoſitiones „ variorum Theologorum, tàm veterum, quàm recentium &c. obiit ex calculo, anno ætatis vigeſimo primo. Vide tractatum D. Wolfgangi Franzii de Interpretatione S. S. pag. 13. 14. pl.

LIB. II. CAP. XXXII.

Summaria.

Petri Laubii Paradoxa.
Methiſtarum ſomnia.
Pſeudo Meſſias Judaicus, in India exortus.
Calviniſtæ, ex conſilio & voluntate Dei peccantes.

PEtrus Laub, Evangelicus (qualis putabatur) Eccleſiaſtes Schönbergenſis in Moravia, de quo præcedent. cap. XXVIII. præterquàm quod in multis cum Calvinianis faceret, etiam docuit: „ Quemlibet in ſua religione, ſive ſit Arrianus, ſive Anabaptiſta, „ ſive Suencofeldianus, ſive quivis alius, modò S. Biblia legat, ſalvari poſſe; Evangelium duobus modis implantari nobis, nimirum „ per nativitatem ex parentibus fidelibus, &, per Baptiſmum: bonos „ quoque Angelos, non rarò piis hominibus cauſam præbere delin„ quendi &c. Torvum videntibus quibusdam ex Eccleſiaſtico cœtu, quòd ſine ſufficienti cauſa Laubius ille Diaconum Collegam officio deturbaſſet; Stolidus homo culpâ ſe liberare voluit ineptiſſimo hoc ſimili: „ Sutori omninò licet, ſervum ſibi minùs gratum offi„ cinâ excludere; Eccleſia noſtra habet ſe ut ſutrina, ubi hactenus „ laboravimus ego tanquam ſutor & Magiſter, Urſinus autem ut mi„ niſter & ſervus; quid ergò mali putatis me patraſſe, ſervulum de „ ſede ſua dimovendo mihi adverſum, & ſutrinâ excludendo? Ex conſilio Theol. Wittenb. part. ſa. pag. 470

Quondam David Georgius, Hollandus, peſtilentiſſimus hæreticus, reliqua inter paradoxa, quæ in hiſtoria Baſileenſi de ipſius vita & morte commemorantur, etiam hoc propoſuit: Se eſſe verum illum Davidem à Deo miſſum, ut extremis hiſce temporibus regnum Iſraëlis reſtitueret, Jacobique tabernaculum erigeret; ſe eſſe Regem & Chriſtum, Patris cœleſtis filium, non ex carne natum, ſed è Spiritu Sancto &c. „ Hujus Davidis Georgii (verbis Gerhardianis utor) „ ſoboles noſtri *Methiſtæ* ſunt, novi Enthuſiaſtæ, Ezechielis Methi, „ qui ſe Eliam Sionis vocat, aſſeclæ; quorum quidam hoc ipſo anno

„ 1616. Academiam Jenenſem turbabant, ſed præpotentis Dei gra-„tia, piaque Profeſſorum diligentia, tandem ad ſaniorem mentem „reducebantur. Illi præter errores alios complures, à veteribus hæ-„reticis mutuatos, Chiliaſtarum ſomnia, magna ex parte amplecte-„bantur. Tria enim ſtatuebant ſecula, juxta numerum trium in „Divinitate Perſonarum. Primum tribuebant Patri, quod cœpiſſe „dicebant in promulgatione prot-Evangeli; Secundum Filio, quod „cœpiſſe arbitrabantur in ipſius Incarnatione & adventu; Tertium „Spiritui Sancto, cujus initium ſeculi hoc noſtro tempore futurum, „idemque per mille annos duraturum ſuſpicabantur. Primum, vo-„cabant vetus; Secundum novum; Tertium noviſſimum Teſta-„mentum, in cujus limine ſe verſari gloriabantur. Inde porrò infe-„rebant, diſtinguendum eſſe inter renovatos primi, ſecundi, ac ter-„tii ſeculi. In primo ſeculo, dicebant, regeneratio non potuit ex-„ternis ſenſibus deprehendi, quia externus homo in renatis hujus „ſeculi fuit fortior interno. In ſecundo ſeculo, internus homo fuit „fortior externo, nondum tamen homo externus plenè fuit aboli-„tus in ſecundi ſeculi renatis. In tertio autem ſeculo planè abo-„lendum in renatis dicebant hominem externum, unde renatos il-„lius ſeculi negabant ulteriùs peccare poſſe, nec dubitabant reſpe-„ctu perfectionis in tertio illo ſeculo ipſis Prophetis & Apoſtolis „ſeſe anteferre, quippe quibus nondum obtigerit illa Spiritûs San-„cti menſura, & plena regenerationis perfectio. D. Gerhard. L. C. tom. ult. de Conſummat. Seculi §. 75. pag. 456. ſeq. confer. an. 1614. cap. XVIII.

Quod verus Meſſias olim dixerat: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recipitis me; Si alius venerit in nomine proprio, illum recipietis:* Id experientia ſubſequentium ſeculorum ad hoc usque comprobat. Neque enim ullum propemodum, poſt Chriſti Servatoris unici ætatem, effluxit ſeculum, quin unus & alter Pſeudo-Meſſias exſurrexerit, perniciemque recutitis ingentem attulerit, ſaltem eorum auxerit in orbe contemptum. Certè *hoc ſeculo tres*, quantum nobis quidem conſtat, ejusmodi *Pſeudo-Meſſiæ* & Impoſtores, degeneri Abrahamicæ genti propalam illuſerunt: Prodiitque primus, incerti nominis, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum decimo quinto, in India Orientali, quem & Judæi Europæi, præſertim Luſitani, venerabantur; ſed anno inſequenti evanuit nebulo, credulamque Nationem in ruborem dedit, memorante Johanne à Lent. Lingg. Orient.

&hi-

& Hiſtoriar. Profeſſ. in Lyceo Naſſ. Herborn. Schediaſmate Hiſtorico-Philologico de Jud. Pſeudo-Meſſ. vid. Act. Lipſ. Erudit. an. 1684. 291. 294.

Calvinianorum (ſanè Piſcatorianorum) doctrina eſt: Quòd Adamus, primus ex hominum genere peccator, neceſſariò lapſus, & hocce conſilio creatus à DEO ſit, ut laberetur in peccatum, & per peccatum; Quòd ad peccata, quæ palàm Deus prohibet, occulta ratione homines impellat; Quòd ex aliqua vi ſuperiore, ac irreſiſtibili, delicta committantur; Summatim, quòd omnes peccatores & flagitioſi, vi voluntatis Dei faciant, quicquid faciunt. Inde, cùm ex Aulicis Mauritii, Principis Naſſovienſis, anno 1616. *Johannes de Parys*, & *Jean de Lavigne*, mercatorem quendam, nomine Icon de Wely, Amſtelodamenſem, clanculùm interfeciſſent, poſtmodum tamen per certa indicia agniti, ut illius cædis rei, interrogarentur, quo impulſore facinus tàm atrox commiſiſſent? reſponderunt: „ Sic in fa- „ tis fuiſſe; Nam à juventute ſe informatos, & perſuaſos, quòd, qui „ ex conſilio & voluntate DEI, ad hoc vel illud agendum patien- „ dumve deſtinatus, actionem aut paſſionem illam effugere nec de- „ beat, nec poſſit; Juratò aſſeverantes, hac opinione duci aulicos omnes ac ſingulos, nec aliter à ſuis concionatoribus inſtructos eſſe. Taufrer. diſputation. Apologet. cont. Piſcator. de abſol. reprob. decret. præfat. A. 3. & Conſil. Theol. Witteb. C. 123.

LIB. II. CAP. XXXIII.

Summaria.

Synodus Calvinianorum Zeravitcenſis in Moravia.
Perthenſis in Scotia.
Controverſia Gieſenſium Theologorum, de Præſentia DEI & CHRISTI.
Parei de Pace & Unione Eccleſiarum Oratio Inauguralis.
Lojolitarum Generalis, de curandis ſuæ Societatis morbis Induſtriæ.
Inſtructio pro ſuperioribus ejusdem ſocietatis.
M. Ant. de Dominis liber de Republica Chriſtiana.
Thomæ Erpenii verſio Arabica Novi Teſtamenti.

ZEravitzii (oppidum eſt Moraviæ) celeberrima *Calvinianorum Synodus* habita, cui non ex Bohemia ſolùm, ſed & ex Polonia, Antiſtites cum Miniſtris interfuére; concluſum inter alia, ut ordo Eccleſiæ conſcriberetur & publicaretur. Hofm. Lex. B. 593.

In *Scotia* verò, *Perthenſis* acta ſacrorum Antiſtitum *congregatio*, tanquam continuatio Synodi Hamptencurtenſis, & eorum, quæ ibi anno 1603. ratione Hierarchiæ Eccleſiaſticæ tentata fuerant. *Reſtituti* tùm *Epiſcopi Scotiæ*, qui ferè per annos jam quinquaginta exulârant. Prætendebat Rex uniformitatem, & niſi Eccleſia Scotica in omnibus conformaretur Anglicæ, nunquam unionem Regnorum fore perpetuam ac ſtabilem, dicebat. Si fateri velimus, quod res, Epiſcopalis ordo magis videbatur cum Regia Majeſtate congruere, unde Jacobus aliquandò ad Reinoldum: *No Bishop no King*, Epiſcoporum vacillante reſpectu, aut amoto, vix Regia conſtabit Majeſtas; Præſules autem continuè in Regem deſtillabant illud axioma, corroborantes mitram eadem potentia, qua corona ſuſtinetur. Propoſiti etiam t. t. feruntur *quinque Anglicanarum ceremoniarum articuli controverſi*, nempe, de genuflexione in S. Cœna; celebratione dierum aliquot ſacrorum præter dominicos; Baptiſmo privato; privata S. C. adminiſtratione; & confirmatione Anglicana; quibus cùm non ceſſarent ſe Puritani opponere, majora contentiones incrementa ſumſére deinceps. At enim notari meretur *Burgeſii*, viri doctiſſimi, diſcurſus coram Rege, quo ceremonias iſtas comparabat *Pollionis*, viri Senatorii Ordinis apud Romanos, *vitris*, tempore Auguſti: Pollio nempe, cùm ob unum fractum, ad Murænas damnaret ſervum, interceſſit Auguſtus, imò etiam omnia alia fregit, dicens: Melius eſſe, ut omnia perderentur, quàm ut unus homo; finiens Burgeſius: *Ego*, ajebat, *ô Rex, applicationem Tibi relinquo.* Horn. Orb. Imp. 337. Micræl. lib. 3. 438 Leidek. ad Horn. H. E. 335. 411. ſeq.

Anno 1616. ſerius & publicus conflictus, *de præſentia DEI & Chriſti*, Gieſſæ inter D. D. *Menzerum*, *Winkelmannum*, & *Giſenium*, Theologiæ Profeſſores, obortus eſt. Quippe cùm *Balthaſar Menzerus*, *præſentiam* illam, etiam generalem, ſimplici affirmatione *definiret per operationem ſeu gubernationem* in caſu recto, atque id quidem diceret fieri omninò debere propriè, exquiſitè, & accuratè loquendo; tandem ipſius Collegæ, Johannes Winkelmannus, & Johannes Giſenius, hoc aſſertum, licet contra adverſarios id proponere videri volebat, in illo animadverterunt, ut minùs Eccleſiarum γνησίως Lutheranarum doctrinæ conveniens, occaſioneque theſ. 6. diſp. XVII. in tom. Gieſſ. 6. in qua hæc eadem definitio præſentiæ Divinæ, per actionem, habebatur, eundem publicè de periculo hujus

aſſer-

aſſertionis admonuerunt, & privatim cum ipſo collegialiter collocuti ſunt, nil tamen promoventes. *Menzerus* enim in conventu collegiali non modò tenaciter illam ſuam theſin defendit, aſſeruitque: Præſentiam DEI & Chriſti Theantropi etiam Generalem, propriè, accuratè, & exquiſitè loquendo, eſſe Actionem ſeu Operationem, & rerum omnium Gubernationem, adeò, ut inter præſentiam ac operationem, nullum formale diſcrimen occurrat; Item, eſſe illam ipſiſſimum Chriſti officium Regium, neque pro ea immediatè demonſtrandâ firmum ex unione hypoſtatica & perichoreſi naturarum mutua fundamentum deſumi poſſe &c. Sed etiam octiduo pòſt, publicè denuò in publica diſputatione, eandem ſuam opinionem data opera propugnavit, imò de eadem privatim, & publicè in promotione Generi ſui, nempe Feurbornii, Doctorali, etiam peroravit. Quam viri contumaciam ubi *Collegæ* viderunt, atque ſub iſta omnipræſentiæ definitione rem majoris momenti periclitari, hoc eſt, Calvinianorum omnipræſentiæ energeticæ multum accedere, & noſtra etiam argumenta antiqua pro omnipræſentia carnis Chriſti ab unione hypoſtatica & perichoreſi mutua deſumpta, omni ſuo robore privari, animadverterunt, eodem anno 1616. contra Menzerum itidem publicè diſputarunt, oſtendentes illius opinionem de omnipræſentia per Gubernationem formaliter definiendâ, ſtare non poſſe, quia non ponat verum genus, diſtinguenda confundat, multaque abſurda Calvinianis, Photinianis & Neſtorianis non ingrata pariat. Vid. act. Menzer. Tubing. præfat. b. 3. 4. pl. & pag. Tract. 22. ſeq. pl.

Heidelbergæ verò *Davidis Parei*, celebris illa *de pace & unione Eccleſiarum Evangelicarum ORATIO Inauguralis* habita, in ſolenni Univerſitatis panegyri d. 11. April. qua Conrado Dekero Theologiæ, novemque Juris Candidatis inſignia Doctoralia conferebantur. In iſta oratione leviter equidem perſtrinxit ea, quæ D. D. Balduinus & Hutterus, Theologi Wittembergenſes, fucato ipſius Irenico, ac inani conſilio de modis mediisque pacis Eccleſiaſticæ & fraternitatis inter Calvin. & Lutheranos conciliandæ, graviter oppoſuerant; ſed *Sigvvarto* Doctori ac Profeſſori Tubingenſi, cenſorem ſe præbuit peracrem & iniquum, ob ejus *Admonitionem*, de Irenico Parei ante ſeſquiannum ſcripto, publicatam, quam ſcopticè riſit exagitavitque Moderator Collegii Sapientiæ Heidelbergicæ, „eam appellans volumen Hecatomphyllon (centifolium) das groſ„ſe Buch von Tübingen/ plauſtrum chartarum & nugarum, Suevica lo-

„ loquentiâ turgidum, præter garrulam dicacitatem & Coccysmos, „ futiles item argutias putidasque calumnias multoties protritas, „ Irenico ipſo refutatas, nil quicquam ad rem proferens; de ſuo au- „ tem Irenico gloriatus eſt ipſemet, eſſe id ſcriptum valdè modera- „ tum, non tàm ſuô, quàm ſuperiorum & plurimorum bonorum „ judicio. Deinde placuit oratori ſummam ferè Irenici de pace ac Unione Eccleſiarum Evangelicarum, pro ſvaſu nutuque ſuo efformanda & componenda, repetere, cauſamque turbarum à ſuis datarum, & adhucdum continuatarum, in Lutheranos (quo jure, judicabunt alii) retorquere, ac de calamo poſthàc non ſtringendo, gnaviter (quod ſilentium ipſius in præjudicium Calvinianæ cauſæ nullo modo allegari debeat) proteſtari. Cùm verò interim in eo potiſſimùm laborarit Pareus, ut partim deſtrueret momenta præcipuarum rationum denegatæ fraternitatis dextræ, partim Doctorum dogmatumque Calvinianorum ſinceritatem adſtrueret; *D. Johann. Georg. Sigvvartus* (vicario quidem calamo *M. Danielis Efferhen*, Diaconi Eccleſiæ Uracenſis) *reſponſionem* ad utrumque mox adornavit, & publici juris fecit; quid autem ex una & altera parte præſtitum, æquo lectorum judicio relinquitur. vid. ipſ. Orat. par. & Sigvv. reſponſ. per tot. anno 1616. & 1617. excuſ. Heidelb. ac Tub.

Claudius Aquaviva, Lojolitarum præpoſitus Generalis, ſcripſit *Induſtrias de curandis hujusce ſocietatis morbis*, qui liber editus Romæ anno 1616. inter alia hæc nobis verba exhibet: „ Secularitas & „ aulicismus inſinuans in familiaritates & gratiam externorum, „ Morbus eſt in ſocietate, intra & extra periculoſus, & iſtis, qui „ eum patiuntur, & Nobis (ſuperioribus) ferè neſcientibus paula- „ tim ſubintrat; ſpecie quidem lucrifaciendi Principes, Prælatos, „ Magnates, conciliandi ad Divinum obſequium hujusmodi ho- „ mines ſocietati, juvandi proximos; ſed revera quærimus interdum „ nos ipſos, & paulatim ad ſecularia deflectimus. Allegante Gerhardo, in Conf. Cathol.

Idem Claudius in ſua *inſtructione pro ſuperioribus ſocietatis*, ad augendum in ſocietate ſpiritum, qui liber eodem anno prodiit Romæ, capite primo ſic ſcribit: „ Eſt & alia malorum radix longè „ periculoſiſſima, eòque periculoſior, quò minùs vulgò noxia cen- „ ſeri ſolet, rerum ſcilicet externarum occupatio (ſecularitas & po- „ lypragmoſyne) in quam ſuperiores ut plurimùm, & variis nomini- „ bus

„bus ſupra modum effundi ſolent. Sunt enim, qui Naturæ „quadam propenſione ad distractiones (ad ſecularium negotio-„rum nihil ad ipſos pertinentium) proni, non ſolùm oblatas occa-„ſiones cupidè arripiunt, ut operam ſuam impendant, ſed eas ipſi-„met ultrò quærunt, & naſci quodammodo ac ſuccreſcere faciunt. „Alii (Superiorum) per ſpeciem lucrifaciendi proximos, multis „ſeſe viſitationibus implicant, iisque non modò non neceſſariis ſed „parum etiam utilibus, atque in his ita verſantur, ut à ſecularium „moribus parùm abſcedant. D. Joh. Gerh. Confeſſ. Cathol. A. 906.

Sub finem anni milleſimi ſexcenteſimi decimi ſexti *Marcus Antonius de dominis*, poſtquam Romanenſium communionem (non tàm animo, quàm corpore deſeruerat) Librum ſuum in quatuor volumina digeſtum, *de republica Chriſtiana*, in publicum producere cœpit. Eum, ceu hæreticum, inſequente anno ſtatim damnavit atque proſcripſit P. R. A multis aliis, præſertim Syncretiſtis, liber applauſum habuit; ab Orthodoxiæ tenacibus autem non adeò magni æſtimatus eſt, eò quòd multa proponeret, quæ ſinceræ fidei doctrinæque confeſſoribus probari minimè poſſent; Inprimis libro ſeptimo contenta, ubi negatur Papam Rom. eſſe Antichriſtum; numero hæreticorum idem eximitur; conſenſus Chriſtianæ religionis in fundamento, ex partibus pontificiorum, Calvinianorum, & Lutheranorum aſſeritur, &c. Grammond. lib. 3. H. G. pag. 196. Calov. ſyſt. Theol. A. 207. 1027. 1124. plur.

Tabernas quoque librarias auxit ſcriptum, cum approbatione Paſtorum Eccleſiæ Sedanenſis, autore *Paulo Ferrio* Metenſi Calviniano, hac Epigraphe: *Scholaſtici orthodoxi ſpecimen, h. e. ſalutis noſtræ Methodus analytica, ex ipſis Scholaſticorum veterum & recentiorum intimis adornata & inſtructa.* Hujus libri pag. 315. doctrinam prædeſtinationis Calvinianam, de abſoluto Electionis ac reprobationis decreto, ex lacunis Scholaſticorum, & quorundam recentiorum ſcriptorum Pontificiorum, autor his confirmat verbis: „Hæ „autoritates (Scholaſticorum) ſufficient, quarum centonem non „ideò contexuimus, ut numero dimicare videamur, ſed ut præ-„ſtemus, quod ſumus ab initio polliciti, nos videlicet ex ipſis Scho-„laſticorum fontibus doctrinam noſtram aſſerturos. Gerh. Conf. Cathol. D. 515.

Meliorem navavit operam *Thomas Erpenius*, *verſionem Arabicam Novi Teſtamenti* edendo, Lugduni Batavorum, in quarta forma.

Spem etiam fecit, Veteris Teſtamenti verſionis in eodem idiomate, cum interpretatione & notis vulgandæ; ſed immatura morte præventus, promiſſis ſtare non potuit: veteriſque Teſtamenti editio Arabica tantisper dilata, dum *opus* illud *Gallicano-Biblicum*, circa ſeculi hujus medium lucem aſpexit. Cujus Magnificentiam deinde compendioſa utilitate *Angli* alio *Bibliorum opere*, ſuperare ſategerunt. Gerhard. annot. poſthum. in Matth. pag. 19. pl.

LIB. II. CAP. XXXIV.

Summaria.

Lis Palatino-Bavarica, de Electorali dignitate.
Judæi Francofurtenſes pompoſe ad priſtinum locum introducti.
Foederatis Belgis, oppignorata quædam ab Anglis reſtituta.
Tumultus Amſtelodamenſis, ac Delphenſis.
Inter Galliæ Regem, ex Regni Pares, grave diſſidium.
Acerba Regis Anglicani Oratio contra Nobiles, ob ruris contemptum.
Annus Turcis paſſim infelix.
Tartari Niuchenſes, in Chinam irrumpentes.
Ongoſchio, perfidus tenerrimi Regis Japoniæ Tutor.
Plures Inſulæ, à Batavis in utraque India detectæ.

E*Lectoralis dignitas, utrum in Palatina familia prior, an in Bavarica fuerit?* ſuperioribus annis à viris doctis diſputatum eſt. Hoc autem ſeculo cœpit illa lis denuò agitari, ubi Maximilianus Bavarus, per *Gevvaldum* Conſiliarium, libro de Septemviratu Imperii Germanici publicato, theſin propugnari juſſit: Electoratum Bavaris, ratione Ducatûs Bavariæ, non ratione Comitatus Palatini, ab antiquo debitum fuiſſe. Gevvaldo huic, à Palatini parte ſe maſculè oppoſuit *Marquardus Freherus*, Elect. palatini Conſiliarius, epiſtolâ reſponſoria de Electoratu Rom. Imperii, Comitivæ Palatini Rheni antiquitus annexo. Eventum controverſiæ B. L. inveniet anno 1623. Burgold. Notit. rerum Imp. A. 412. ſeq. Spener. Syllog. Geneal. 100. vid.

Francofurti pœnas dedere, qui ante biennium Judæos ob immanes uſuras urbe exegerant, & ſenatores ab officiis removerant. Poſtmodum *Judei* ad priſtinum locum rediere, ſolenniter & *pompoſè introducti*, haud ſine Chriſtianorum opprobrio, exitiale illud

Rei-

Reipublicæ virus proprio paſſim gremio foventium. O felicem Germaniam, ſi multis in locis tanto Zelo ſarta tectaque ſervarentur privilegia, quondam ab Imperatoribus, Regibus, Statibus, & Rebus-publicis, juratò & ex pacto Chriſtianis A. C. addictis data, quanto Francofurti, Wormatiæ &c. quæ Apellis, Chriſtiani nominis hoſtibus infenſiſſimis, aliquando liberè gratuitòque conceſſa fuerant, ſervata, & à qualicunque violatione vindicata vidit maledicta gens iſta cum tripudio! Calviſ. 971. Cluv. 772.

Briela, Fliſſinga, aliaque oppida & Caſtella, Anglis anno 1585. à fœderatis Belgis oppignorata, debitis perſolutis, evocatisque Britannicis præſidiis à Rege Jacobo primo, fide optima *reſtituebantur Statibus unitis*; Itaque præter fœdera, deſinebant alia nomina omnia, quibus fœderati Anglis hactenus obſtricti erant. Boxhorn. Chron. edit. pr. 150. Hofm. Lex. A. 309. 647.

Amſtelodami tumultuatum in ædes, quas deſtinarant Arminiano-Remonſtrantes ejus loci ſacris ſuis. Alibi quoque Batavicam felicitatem non parum armata ſuper religione diſſidia perturbarunt; Summæ virtutis enim eſt, in ſecunda ſervare fortuna modum! *Delphis* nec *mulieres* temperâre manibus! Etenim cognito, quòd vectigal vini minutum, auctumque frugum eſſet, impetum in Curiam fecere, omnes pecunias ex frumentis factas effundentes, viroſque ſeditionem inhibituros domum redigentes, compulére Senatum, ut ipſarum arbitrio vectigal recideret. Amazonum integrata videbantur prælia, unde opus fuit exercitu Comitum Naſſoviorum, quò muliebris reprimeretur audacia. vid. Gottfrid. part. 5. Monarch. Rom. 255. ſeq. alleg. à D. Dannh. conc. 7. Chriſtlich Hauß-taf. pag. 54.

In Gallia diſſidium, Regem inter & Principes regnique Pares, videbatur equidem ſedatum; ſed quia initio Septembris, dum Principes Pariſiis, nupera pace freti, liberiùs verſabantur, *Condæus* in cuſtodiam abreptus eſt; brevi pòſt ad arma reditum. Fine anni, Regio diplomate facta *Principum*, eòrumque ſequacium *proſcriptio*; quam excepit illorundem declaratio ac proteſtatio; Intereà Pariſienſes, Ancræi domum ac theſauros diripiebant, ægrè à ſatellitio Regio placati. Grammond. hiſtor. Gall. lib. 2. pag. 113. 128. 145. & ſeqq. Gottfrid. part. 5. 246. pl.

In Anglia t. t. *Jacobus Rex* in Oratione, quam Londini menſe Julio habuit, *Anglicanæ Nobilitati* exprobravit acerbè, quòd illa in-

 gen-

gentia & innumera ruris commoda non ſatis intelligens, vel faſtidiens, magno civium incommodo Londinum frequentiſſimè incoleret. Magni Regis verba erant: „ Mos Italorum obtinuit, Neapoli „ præſertim, quæ ex ditiſſimis urbibus una eſt, ut viri generoſi, aliique permulti, relictis agris in urbes migrent. Nos in veſte & aſſeclis, Gallorum; ruris autem contemptu, ac domeſtica parſimonia, „ aut veriùs miſeria, Italorum morem affectamus. Sed, obſecro, peregrina hæc & vana rerum eò relegemus, unde orta ſunt; & antiquum Angliæ morem poſtliminiò revocemus. Nobilitatis Anglicæ Decus olim fuit ruri vivere, hoſpitalitatemque colere: ex his „ ſupra gentes cæteras famam meruimus. Lanſ. in Mantiſſ. Conſultat. pag. 231. ſeq.

Hic annus Turcis illuxit *infeliciſſimus*, terra marique cæſis, ab Hiſpanis quidem in mari mediterraneo, ſimulque à Florentinis & Melitenſibus; tum verò in palude Mœotide à Coſſacis; denique à Perſis in Aſia; quibus malis acceſſit in ipſa Conſtantinopoli furens incendium; ut ipſa Elementa adverſus Achmetem Sultanum conſpiraſſe viderentur; quas clades *Achmetis mors* inſequuta, poſtquam annos circiter quatuordecim imperaſſet, relicto filio Oſmanno ſecundo. vide D. Wagn. Limin. geneal. 355. Türckenbüchl. pag. 100.

Sub hæc *Tartari Orientales ex Regno Ninchæ*, quòd ipſorum Mercatores malè à Chinenſibus tractati fuiſſent, ſuperato ingenti illo muro (460. milliarium longo, quo Tartaria ſeparatur à Sina) irruperunt in vicinum regnum, nec ab eo tempore deſtiterunt, donec totum *Chinenſe Imperium*, quod amplitudine ſua Europam vincere dicitur, *expugnarunt*. Horn. orb. pol. edit. 2. 441. 443. Hofm. Lex. B. 357.

In *Japonia, Ongoſchio* perfidus Tutor, *adverſus pupillum ſuum Regem Fidery*, Taykonis filium, de quo vid. l. 1. cap. XLVIII. futiles prætendens rationes, atrox bellum inſtituit, contractisque in Siruga copiis quàm poterat maximis, ad urbem Oſaka, ubi Aula Fidery erat, perrexit, arctâque obſidione cinctam, tertium poſt menſem expugnavit. In ſummum vitæ diſcrimen adductus Rex, humiliter vitam ſibi ut concederet, Ongoſchionem rogabat, Imperiumque ultrò ipſi cum Regni Majeſtate permittens, vaſallus tantùm & ſatrapa quidam eſſe cupiebat; Utque hanc petitionem faciliùs impetraret, ablegabat ad eum uxorem ſuam, quæ Ongoſchionis filia erat, & ab ipſo in matrimonium pupillo data. Tyrannus verò, mortuum

leo-

leonem non mordere cogitans, filiæ precibus aures præbere abnuit; quin potiùs perfidum ſuum propoſitum proſequens, devicta arce, ædes illas, in quibus ſe Fidery cum matre & præcipuis ex Nobilitate tàm viris quàm fœminis abſconderat, lignorum ſtrue ad magnam altitudinem circumdari juſſit; quâ ſuccensâ, ædes illæ cum omnibus intra latentibus in cineres redactæ ſunt. Omnes quoque Dynaſtas, qui ex parte Fidery ſteterant, interfecit Ongoſchio, totoque regno in poteſtatem ſuam redacto, formam Imperii ex voluntate conſtituit. Varenius, in deſcriptione Japoniæ pag. 44. ſeq. & 95.

A' Batavis tunc *plures Inſulæ in utraque India detectæ* ſunt, v. gr. Inſula Arimoa; Barnefelde; Mauritia; Mayene; Inſula Muſcarum, & aliæ; unde res Indicæ ſocietatis, atque totius Reipublicæ fœderatorum Belgarum & Statuum, ſubſequentibus annis in immenſum auctæ. Hofm. Lex. A. 831. ſeqq. & 1012. alibi paſſim; confer Horn. orb. pol. 570.

LIB. II. CAP. XXXV.

Summaria.

Philippus Pomeraniæ Dux pius.
Inſignis æquanimitate Væræus, Galliæ Cancellarius.
Induſtanus Mogul, Trutinæ impoſitus.
Oſtentum in Cœlo, Nusdorfi viſum in Auſtria.
Incendia, & Inundationes.
Mulieris Polyandræ exemplum in Belgio.

SPecimen flagrantis erga Deum pietatis edidit anno 1616. *Philippus, Dux Pomeraniæ* Stetinenſis, dum inter plures alias *ordinationes Chriſtianiſſimas*, hanc inprimis eſſe voluit, ut, quoties ex aulicis ſuis quisquam, ſine gravi cauſa, ſacris concionibus audiendis ſe ſubduceret, vel frivolis jurandi formulis aulam Ducalem, ac menſam præſertim oneraret, ille toties certa pecuniæ ſumma mulctaretur, in pauperes diſtribuenda. Zeiler. in Epiſt. tom. 2. 280. ſeq.

Æquanimitatis exemplum præbuit *Væræus*, Galliæ Cancellarius & Sigillorum Procurator, qui, cùm officio fungeretur, ſanctam & innocentem habuit adminiſtrationem; cùm juſſu Regis (Ancræi quidem inſtinctu) loco moveretur, animo nil motus Mangoto ceſſit; ac Parlamento Lutetiano, per oratores cauſas dejectionis exploranti, hanc in ſummam reſpondit: „ Factum ſi Regi probetur, non „ ultra quærendum; Unam placiti rationem Regi ſatis eſſe, ſibi glo-

„ riam obſequi; planè vacuum ſe ira & ultione in autores exilii ſui, „ dolore item ex facto planè vacuum; nec defuturam ſeni ſapien- „ tiam, quam adoleſcens, quam vir immenſo aluerit ſtudio &c. Refert Grammondus, lib. 2. 135. ſeq. additque: Inſignis æquanimitate Væræus, non fortuna lætâ intumuit, non indoluit triſti &c.

Thomas Rous, Angliæ Legatus ad *Mogulem* in India orientali, die magni Regis natali, *vidit* eum *trutinæ imponi ac ponderari*; qua de cauſa? quo fine? id Rous ad liquidam veritatem explorare non potuit. Agebant ſanè barbari, quod ipſi non intelligebant. Vero non eſt abſimile, hiſtoriam de Belzaſare Monarcha Perſico, in has quoque terras & populos emanaſſe, ac Indoſtanos vel inſcios Dominorum ſuorum ponderatione mirandum ac tremendum TEKEL DEI ab oblivione vindicare potuiſſe, ſaltem debuiſſe; ſignificantes: Deum non ignobile tantùm vulgus, ſed etiam Reges atque Magnates hujus Mundi, ad juſtitiæ ſuæ trutinam appendere & examinare, cum ipſorum actionibus, conſiliis, cogitationibus, inſtitutis; toleraturum, imò præmiis ornaturum eosdem, ſi tantùm pietatis erga IPSUM, & juſtitiæ ſeu æquitatis erga homines habeant, quantum decet ac poſſibile; Sin minùs, illosdem excuſſurum ac perditurum. vid. Albr. Mandelſl. Morgenl. Reyßbeſchr. per Olear. ed. pag. 96. quoad rem conferendus omninò Drexelii Daniel Prophetarum Princeps moral. illuſtrat. 196. ſeqq. ubi hæc in verba ſcriptor deſinit: Quisquis es, hoc jam unicè age, tuisque actionibus quantum potes, adde ponderis, ne cogaris illud audire: Inventus es minus habens!

Nuſsdorffi (oppidum eſt in Auſtria) menſe Majo tale *in cœlo apparuit oſtentum*: hora circiter decima nocturna, primùm equidem Luna ex nubibus prodiit ſatis clara, ſed quaſi tremula; mox obfuſcata paulùm extitit eadem; bis deinceps in cranii humani figuram transformata; porrò in grandius humanum caput cum dependentibus caninis auribus; hanc figuram excipiebant rubicundus cancer unus (non contemnendæ magnitudinis) ac duo piſces, quibus è medio ſublatis, dictum luminare ad priſtinam rediit ſpeciem & claritatem, iterum tamen tremens. Poſt hæc omnia, in conſpectum venit Galea cum longula cuſpide, quæ modico temporis interjecto, in Draconem nigri coloris verſa, lunam deglutivit, unde per quadrantem horæ triſtes ac denſæ tenebræ, donec tandem reproducta Selene, prodigiorum finem fecit; recenſente Oſea Schadio, in Contin. hiſt. Sleid. germ. fol.

Oſſa-

Oſſatium in Miſnia, tunc ferè totum *igne concidit;* ut & *Monaſterium Capuccinorum Paderbornenſe*, fulmine accenſum, cum civitatis parte non minima; *Fuldæ* verò, *Collegium Jeſuiticum* feralibus quoque flammis exuſtum. Alibi, *ſolis æſtus inſolitus*, terras, fontes, lacus, & flumina exiccavit, ut ſegetes, gramina, herbæ, vites, plantæ, magnam partem (in Suevia præprimis, Franconia, & Bohemia) paſſim areſcerent, magno hominum pecorumque damno. Calviſ. & Suelin. Chron. ad h. a. Zeil. Epiſt. tom. A. 15.

Comitatus verò *Avignionenſis* in Gallia, tantam ex turbulento Imbre *paſſus inundationem*, ut & pagus de Perne, & urbes Bederidis, Aubiniique penitùs abſumerentur, nullo propemodum de iis aut ſacrorum, aut civilium ædium, hominumve relicto veſtigio. Schad. in Continuat. Sleid.

Unum ne omittamus, exemplum nempe *mulieris Polyandræ*, cui ſimile vix reperire eſt in omni hiſtoria; vixit ea in pago Sloterdica, non procul ab Amſtelodamo, & viginti quatuor ex ordine maritis nupſit; *Viceſimo quinto,* Dithmarſo viro, *ſuperſtes tandem eſſe deſiit.* Cluver. in Epit. hiſtor. p. m. 776. Si cui ad manus eſt Hierarchia œconomica Albrechti, conferat conc. 13. pag. 194. ſeq.

LIB. II. CAP. XXXVI.

Summaria.

Jubilæum in recordationem Reformationis Lutheri primum.

Epiſcopus Paderbornenſis in Evangelicos durus.

Durior Breslavienſis in Sileſia.

Inclinatæ res Religionis Utraquiſtarum in Bohemia.

Præparatio futurarum Zæemanni calamitatum, per calumnias & mendacia.

Scandaloſi Paſtores Lutherani apud fœderatos Belgas.

Fato defuncti Theologi: Andreas Oſiander; Johannes Taufrerus; Albertus Grawerus; Chriſtophorus Helvicus.

C*Enteſimus* jam agitur *annus, ex quo Martinus Lutherus* felici auſpicio, & favente ſingulari Numinis æterni pronæa, *Romanum Pontificatum aggredi & convellere cœpit.* Nam anno 1517. ultimo die Octobris, omnibus rubricato Sanctis, affixit valvis Templi arcis Wittebergenſis, publicèque propoſuit Megalander ea themata, quibus Indulgentiarum enormes abuſus, & fraudes Inſtitorum ſive Impoſtorum

ſtorum illorum, quos autoritate Pontificis abuti exiſtimabat, reprehenderet, atque Chriſtianos de veriore ac tutiore ad ſalutem via commonefaceret: Ita verò multos mortales excitavit è veterno, aliisque, ut de ſalute ſua ſoliciti veritatem ſtudiosè inquirerent, occaſionem dedit, ſibimet autem ipſi neceſſitatem impoſuit. Seculum igitur elapſum, quo denſa ſuperiorum temporum nox rareſcere, & magnum deſuetæ lucis jubar terrarum orbi, Germaniæ præprimis, denuò illuceſcere; quo dirum & horridum R. Curiæ jugum à cervicibus ſuis noſtri Majores amoliri; quo teterrimos errores, & iniquiſſimas fraudes animadvertere; quo ſuis fortunis, ac animæ ſuæ conſulere occeperunt. Quantas hoc nomine gratias Deo Opt. Max. debeamus, ne mente quidem concipi, multò minùs voce aut verbis exprimi poteſt; vocem tamen penitùs comprimere & verba continere, non modò ingratorum eſſet, ſed impiorum. Id ſecum ponderantes Imperii Principes, Status ac Ordines, aliique doctrinam γνησίως Evangelicam ſincero corde amplectentes, ſub finem anni 1617. qui centeſimus à ſuſcepta per B. Lutherum Reformatione, & ſecularis fuit, *feſtos* imperare *dies*; quibus occaſio oppugnati primùm à laudato viro Romani Papatus, & locatorum fundamentorum exoptatæ repurgationis, Chriſtiano populo è Cathedris Eccleſiaſticis atque Academicis expoſita; ſimul etiam piæ & graves inſtitutæ fuerunt adhortationes, ut omnes ubique inter devota animorum gaudia & exultationes, pro accenſa Evangelii luce, & hactenus inter tot potentes adverſarios conſervata, Deo Opt. Max. gratias agerent, ac ut eandem poſthàc ad finem usque Mundi, ab omni tenebrarum & errorum admixtione, puram ac fulgentem tueretur, humiliter invocarent. Etenim exiſtimandum non eſt, absque Dei providentia & arcano nutu auxilioque potentiſſimo, hoc tantum opus Lutherum vel aggreſſum eſſe, vel ad eum perduxiſſe finem, quem dudum plurimi mortales optarant, pauci aſſecuti erant, nos demum obtinuimus. Certè quidquid hîc factum, Divinæ providentiæ & ſapientiæ meritò acceptum ferimus; Neque enim ipſius Lutheri, cùm ante exactos centum annos themata de Indulgentiis Papalibus publicaret, animus erat, Indulgentias ex orbe Chriſtiano tollere, multò minùs R. Pontificem vel verbo offendere, vel re ulla lædere; ſed quæſtores, Tezelium ejusque ſocios confutare, quòd ſolius pecuniæ interventu peccatorum, quantacunque ea forent, pœnas dimitterent, ac animarum è purgatorio liberationem promitterent. Sanè do-

doluit Lutherus vicem Papæ Leonis X. quo inſcio & invito ab avaris & iniquis hominibus iſta geri, Germaniam expilari, ac non tantùm argento ſpoliari, ſed in periculum æternæ ſalutis conjici credebat; Pontificis, inquam, doluit vicem, ejusque honori & famæ conſulere voluit. Sed cùm ſatis diu humano generi illuſum fuiſſet, ac jam adeſſet fatalis ille terminus, Pontifex ſua ſe ſponte in præcipitium, unde emergere nunquam poterit, abjecit, & Lutherus vel invitus eò adactus eſt, ut ruentem propelleret. Agnoſcamus ergò æterni Numinis providentiam, inſcrutabilia ejus judicia, & vias imperveſtigabiles; humano enim conſiliô hæc cepta perfectaque fuiſſe, nemo dixerit. Confer Calixti Senioris orationes de Pontif. Rom. pag. 44. 49. ac Schmidii Diſſert. Theolog. de Aug. Confeſſ. in ſeculari memor. exhib. hab. 8. pl.

Celebrata feſtivitas illa *indignantibus admodùm Pontificiis*, dicentibus, velut re benè geſta Proteſtantes pæana canere, ac nova inter ſe cudere *fœdera*; Tale enim tunc *Heilbronnæ* inter pleroſque Superioris Germaniæ Principes coierat; animo, ſe defendendi, ſi forſan foret opus, non lædendi quenquam. Hinc & plures & majores moleſtiæ indies accreſcebant *Evangelicis*, e. gr. *ſub Epiſcopatu Paderbornenſi*, ubi Præſul Romanenſium religionem omnibus ſubditis ſuis, ſub pœna proſcriptionis ex territorio ſuo imperavit; quod cùm ægerrimè ferrent Nobiles, & alii, ad Unitorum Ordinum in Hollandia interceſſionem ac opem confugerunt. Calviſ. Chron. 973. Cluver. Epit. 777.

Nec in *Sileſia* mitiùs habebantur Proteſtantes, ab *Epiſcopo Breslavienſi Carolo Auſtriaco*, qui, quod elapſo anno cœperat, continuavit; cultum religioſum eorundem impedivit; unum & alterum Confeſſorem purioris doctrinæ, in carcerem conjecit, ac tertium capite plecti mandavit: quorum patrocinium dum Principes illarum ditionum ſuſcipiebant, ex adverſo *Polonorum Rex* ſtare, & contracto exercitu minari propter affinem auſus eſt. Verùm Sileſii defenſionem parantes, rem Imperatori referebant, eique niſi contra vim conſilio & auxilio ipſis adeſſe vellet, omnem ei Cenſum denegabant: Imperator ergò interceſſit, Regemque ad pacem flexit. ibid. & Apol. Boh. ſec. append. Num. 132.

Bohemis præcipuè, Confeſſioni quondam Regi & Imperatori Maximiliano traditæ, ac ab eo approbatæ, addictis, Papani magis magisque graves extitére, quinimò verbis & factis propemodum intole-

tolerabiles; maximè poſtquam *Ferdinandus*, ArchiDux Auſtriæ, hyperaſpiſtes Pontificiæ religionis acerrimus, pro ſucceſſore in Regno Boëmico declaratus eſſet; Interim & *Matthia* ejusmodi decreta publicante, quæ non poterant non oneri ac damno, *ſub utraque* nominatis Statibus eſſe, horumque privilegia, & ipſas literas Majeſtatico-Rudolphinas, infringere, cujus manifeſtum præbet exemplum Apologia Bohemica ſecunda, in allegatis Num. 49. lit. T. iii. confer lit. Bb. ſeqq. pl.

Tunc temporis per impudentiſſima mendacia, trucesque ſycophantias, poſita fuére *calamitatum Zeæmanniarum*, quæ poſt undecim annos innocentiſſimum virum exercuére, *initia*, „ In Algovia „ (queritur alicubi) nonnullæ perſonæ haud infimi ordinis, anno „ 1617. me diffamarunt, imò apud Clericalem quendam Imperii Prin- „ cipem inſimularunt horrendarum criminationum, adverſus DEI „ Sanctos, beatiſſimam inprimis Chriſti Matrem, quaſi publicè ſcri- „ pſiſſem, & prædicaſſem, illam poſt Joſephi mortem non modò plu- „ res liberos peperiſſe, ſed & cum impio milite, ut proſtibulum ali- „ quandiu caſtra ſecutum. Licet autem plus ſatis, tum ore tum calamo imputatas criminationes declinaſſet, & confutaſſet; vim tamen tritiſſimi dicterii: *Calumniare audacter, ſemper aliquid hæret*, penitùs evadere non potuit; Apologia teſte, quàm ex arce Ehrenberg ad ArchiDucem Leopoldum ſcripſit, pag. 48.

Apud Lutheranas Belgii fœderati Eccleſias multa turbarunt concionatores aliquot ſcandaloſi, Leidæ præſertim, ubi quidam *Juſtus Zythopotius*, aliàs Brauer, multiplici ſcortatione & adulterio ſe fœdavit; cùmque hanc ob cauſam à ſacra functione deturbatus eſſet, periculoſo ſchiſmati occaſionem dedit; unde Conſiſtorium illius loci pœnam Excommunicationis adverſus hominem decrevit, judicio & approbatione Facultatis Theologicæ Wittebergenſis confirmatam. *Daniel Fettius*, propter ebrioſitatem & aſotiam, ab officio fuit ſuſpenſus; & *Andreas Peterſen*, ob audaciam concionandi coram adſcito peculiari cœtu, ſine tamen prævia vocatione & ordinatione legitima, peracrem ſubiit reprehenſionem. Vid. Conſil. Wittenbergenſ. Theolog. part. 2. 198.

Terrenis hoc anno valedixerunt ſequentes Theologi: *D. Andreas Oſiander*, primùm Diaconus Eccleſiæ Uracenſis, deinde Paſtor Güglingenſis, Concionator aulicus Wirtembergiæ Ducis & Conſiliarius, Abbas Adelbergenſis, denique Præpoſitus Eccleſiæ Tubingenſis,

genſis, & Academiæ Cancellarius, Theologus vigilans, prudens, conſtans: Contra Waldenſes, & Gregorium de Valentia, nervoſiſſima edidit ſcripta; ſuccinctas etiam annotationes in univerſa Biblia S. Diſputationes in librum Concordiæ; atque Papam non Papam, addidit: Hafenreffer. in Orat. fun. 20. 28. ſeqq. Hofm. Lex. B. 73.

Johannes Taufrerus, Theol. Profeſſor Argentinenſis, eruditis diſputationibus de Prædeſtinatione contra Piſcatorem Calvinianum, celebris; Carniolià-Labacenſis; de quo notari meretur, quod legimus in Actis Jubilæi ſecundi Academiæ Tubingenſis pag. 140:
„ Taufrerus magna ingenii vi totum philoſophiæ circulum cùm ab-
„ ſolviſſet, & inde ſacris literis probè imbutus, S. Theol. Profeſſor in
„ Academia Argentinenſi conſtitutus eſſet, Tubingam ad ſummos
„ in Theologia honores capiendos conceſſit; quoniam verò dere-
„ pente ſuperiorem locum petere, aut progredi per ſaltum nolebat,
„ primo Baccalaurei, deinde Magiſtri titulo ſolenniter in Aula Uni-
„ verſitatis nova donatus atque condecoratus fuit.

Albertus Grauerus, Theologus & Philoſophus inſignis. Anno 1595. vocatus à libero Barone Gregorio Horwatho, ad Scepuſiani Gymnaſii Ephoriam in Hungaria, ſuaſu D. Ægidii Hunnii eò abiit; poſt biennium ad Rectoratum Caſſovienſem expetitus, iſti quoque vocationi paruit, Scholæque Metropolitanæ Superioris Hungariæ præfuit usque ad ann. 1599. diutiùs ibi manſurus, niſi præſentiſſimum periculum imminentis Turcicæ tyrannidis eum diſcedere juſſiſſet. A diſceſſu D. Graueri ex Ungaria, ubi Matæologiam & verſutiam Sebaſtiani Lamii, aliorumque Calvinianorum, egregiè detexerat, Gymnaſio Islebico inſerviit; inde promotus ad Mansfeldenſis Eccleſiæ Decanatum; ex hoc ad Profeſſionem Theologicam Jenenſem; denique ad Generalem Epiſcopiam Vinarienſem, cui etiam immortuus anno 1617. æt. 41. magno Eccleſiæ deſiderio poſt ſe relicto. Ex bello Calvini & Chriſti, abſurdis Calvinianorum abſurdiſſimis; Commentario in Michæam; Prælectionibus in Auguſtanam Confeſſionem; Quæſtionibus Theologicis illuſtribus; aliisq; ſcriptis contra Calvinianos & Photinianos, celeberrimus. Stratem. theatr. hiſt. 1112. Præfat. Apologet. ad abſurd. Calvin. A. pl. & præf. prælect. in Aug. Conf.)(2.

Chriſtophorus Helvicus, D. Profeſſor Gieſſenſis, Chronologus & Hebræus excellens; vindicationibus locorum S. Scripturæ; Tabulis Chronologicis; Ternario Chronologiæ Sacræ; Elencho Judaico;

Compendio Hebraico; Theatro hiſtorico; Synopſi hiſtoriæ univerſalis; atque tractatu de Paraphraſibus Chaldaicis, ut alia tranſeant, eruditis notiſſimus. Obiit anno ætatis trigeſimo ſexto. Micræl, Syntagm. hiſt. lib. 3.499. Orat. fun. per Winkelm. hab. lit. B. pl.

LIB. II. CAP. XXXVII.

Summaria.

Gramondus, de Jubilæo Lutherano, & ipſo Luthero.
Lanſius, de Jubilæis Romano-Catholicis.
Arcus triumphalis Lojolicus, Ferdinando II. paratus Olmutii.
Nova Salisburgenſis Academia.
Ordo Charitatis à Paulo quinto confirmatus.
Acta in Comitiis Gallicanis de Clero.
Dies Ludovici Gallis feriatus.
Decretum Ludov. XIII. de Bearnia Galliæ unienda.
Defuncto Julio Herbipolenſi Epiſcopo, ſuffectus Johannes Godofredus.
Machadus, & Petrus de aſcenſione, capite multati in Japonia.

ANno reparatæ ſalutis humanæ 1617. Pontificatûs autem Pauli V. Papæ Rom. 12. Calendis Juniis indictum eſt magnum *Jubilæum*, Chriſtianoque mox promulgatum orbi, quà nempe Capitolinus ille Jupiter venerabilis habebatur & adorandus. Ex præſcripto Sedis, ut vocatur, Apoſtolicæ, ſupplicationum DEO faciendarum *ſcopus* erat: Eccleſiæ militantis (à parte Pontificiorum) triumphus, hæreſeos extirpatio, Unio & Concordia Principum (Ligiſtarum) DEI in omnes miſericordia, gratiaque, ſacri effuſione theſauri (Papalium Indulgentiarum) fidelibus, fide Romano-Catholica, conferenda. Cùm hæc in medium protuliſſet *Gramondus*, Jubilæum Lutheranorum riſit exagitavitque, ſcribens: „ Ridiculum eſt, „ quod aggredior: Ubi Germanis hæreticis indictio Jubilæi inno„tuit, obſtrepere, ſcriptoque vulgare Romani ea in re Pontificis „ impotentiam. Statim arrogat ſibi jus idem Johannes Georgius, „ Dux Saxoniæ Lutheranus, promulgatque in æmulationem Ca„tholici, Lutheranum Jubilæum: Paruit Indictioni non modò Sa„xonum Circulus, ſed etiam quodcunque in Germania Lutheri er„roribus imbutum eſt: Indixére ludicrum Wormatienſes, Franco„furtenſes, Norimbergii, Argentini, alii: Lutheranos imitati Calvi-

„ niſtæ,

„ niſtæ, Jubilæum itidem indicunt, quibusdam immutatis. Sic imitatur, pergit Empæcta, homines ſimia, putidum & infame animal; Sic mentitur humanam pſittacus vocem, cujus non capit articulos, nedum abſtruſa ſenſûs; Sic Hyæna devorat, quem imitata voce allexit, hominem. Lutheranorum in id præcipua fuére ſtudia, ut maneret rei memoria per nummos argenteos, quos Saxones, Francofurtenſes, Wormatienſes, & Norimbergenſes ediderunt: Norimbergenſes, ut mittamus alios, menſæ ſuperimpoſitam lampadem oſtendebant, poſito ſubtus modiô, in hæc verba: Jam lucet omnibus, modiô remoto! Ex adverſo aſſurgebat olor, capite coronato, his circùm characteribus, JEHOVA; numiſmati hæc erat inſcriptio: Olor invictus virtute divina! Hinc ductâ in Lutherum, ut audio, religione; quòd Concilio Conſtantienſi habito circa 1415. Huſſium hæreſiarcham, cùm in proximo eſſet ſubeundæ, quam meruerat, pœnæ, exclamaſſe fidem faciunt Lutheranorum monumenta: Anſerem in necem datis, cujus è cineribus centum abhinc annis olor redivivus emerget; Anſere ſeipſum deſignans, quippe linguâ Boëmicâ, *Hus*, anſerem ſignificat; Olore Lutherum centum poſt annos hæreſiarcham, quem Lutherani fatidica ſic voce prænuntiatum velut à DEO jactant, neſcio unde ducto ab olore in Lutherum augurio? niſi quod olor nigra intus carne, pelle extima albus eſt, quod probè hæreticis convenit paſſim hypocritis. Olor amphibium eſt animal, utrique elemento æquè debitum, qualis Luthero vita fuit, primùm Catholico Romano, & inter Catholicos Monacho; poſtmodùm Apoſtatæ & hæretico. Calviniana & Lutherana Jubilæa tunc primùm excogitata expoſui, quò ſciat poſteritas, ætate noſtra fuiſſe Jubilæa hæreticis, prodita, ut ipſummet Ducis Saxonum programma teſtatur, irridendis Indulgentiis, quas Romana Sedes impertitur. Hactenus Gramondus, Hiſtor. Gall. lib. 2. 175. 178. quo jure, quave injuria, lector judicabit.

Ne verò neſciat poſteritas, *qualia hactenus fuerint Jubilæa Romanenſium*, adſcribere hîc liceat B. Doctoris *Lanſii* verba, ex Mantiſſa Conſultationum & Orationum p. m. 498. ſeq. ſic ſe habentia: „ Non talibus in feſtivitatibus honorem Dei, non Eccleſiæ decus, non gloriam reipublicæ Chriſtianæ ſpectat Romanus Papa; ſed paſcendæ potiùs crudelitati, & explendis cupiditatibus profanis, ſplendidos pietatis ac religionis titulos aſtutiſſimè prætexit ille. In

„ bello graviſſimo inter Stephanum Poloniæ regem, & Johannem „ Baſilidem magnum Moſcorum principem, geſto, *Johannes Oſtromenus* novam fraudum machinam militari virtute indignam, arcam „ nempe ferream, & in ea duodecim tubos ſclopetarios de induſtria tenuatos, ut faciliùs rumperentur, paraverat, ac ciſtæ ligneæ incluſerat, alligatis ad fundum atque operculum ciſtæ funibus, qui ad ſclopetos pertinebant; ita, ut cum arca ferrea educeretur, attractis funibus rotam laxari, & igne è venis filicis diſſiliente diſplodi ſclopetos, qui confractis tubis circumſtantes diſcerperent, neceſſe eſſet. Arca illa ad Suiſcium, qui tunc Plescoviam „ adverſus Polonos tuebatur, perlata eſt Johannis Molleri nomine, „ qui ſimulato transfugio, eam quaſi gemmis & auro, ac pretioſiſſimis rebus ſuis plenam præmiſerat; eo quidem doli non boni exitu, ut cùm abſente Sviſcio, Andreas Choroſtinus præproperanter „ decipulam aperiret, ipſe & Koſecius perierint, compluribus aliis, „ qui ad rei novitatem confluxerant diſcerptis; tecti etiam conclavis parte convulſa. At verò pontificum jubila, Religionis causâ „ indicta, plerumque idem monſtri alunt: quæ cùm foris oſtentent „ & jactitent fidei puritatem, ſanctitatem cultus, diſciplinæque innocentiam, promittant inſuper ſumma omnia, infinitos gratiarum & benedictionum theſauros, peccatorum veniam, atque regnum ipſum cœlorum; intùs tamen præter funes ac rotas, gladios „ & ficas, equuleos & flammas, craticulas & thiriomachias, & innumera alia carnificinæ inſtrumenta, nusquam gentium ſic invenienda, callidiſſimè occultant abominabiles impietatis, idolomaniæ, & omnipotentiæ papalis tragulas, peſtem corporis & animæ interitum eis allatura mala, qui propiùs acceſſerint. Hæc „ Lanſius de Pontificiis Jubilæis, tandem in talia deſinens: Quòd nos „ jam centeſimum annum ab ejusmodi fulminatricibus arcis in „ Germania ſatis tuti ſumus; quòd vel grandis perfidiæ, & horribilium papatûs impoſturarum vel tandem facti ſumus intelligentes; poſt DEUM opt. Max. Martino Luthero rectè referimus acceptum. Seculum abiit, beneficium autem in omnia ſecula perdurabit, digniſſimum, quod non ſeculari tantum, ſed perpetuo „ jubilæo, & nos & poſteri in omnem æternitatem grati proſequamur!

Poſtquam *Ferdinandus Archidux Auſtriæ*, ad caſum patrui ſui Matthiæ, in Regem Bohemiæ electus & coronatus erat, ei in Moraviam

raviam ſecedenti, *Lojolitæ Olmutiani arcum triumphalem* erexerunt, inter alia ornamenta, inſignia Auſtriaca, unà cum alligato catenæ hinc Böemico leone, inde Moravicâ Aquila, appingentes; quo quid prodiderint, intellectu facilimum? refert Joh. Henr. Heidegger. in hiſtor. papatûs, p. m. 340.

Salisburgi (urbs eſt præcipua ditionis Archiepiſcopalis, inter Auſtriam ſuperiorem, Stiriam & Carinthiam ad ortum; Bavariamque inferiorem, & comitatum Tirolenſem ad occaſum.) *Schola Benedictinorum, Academica Privilegia* accepit. Micræl. Syntagm. hiſtor. lib. 3. 173.

Tunc temporis etiam inſtitutus olim à Johanne de Dieu *Ordo Charitatis*, in Romana communione ſacer, ad inſerviendum ægrotis, diplomate pontificis Pauli quinti *confirmatus* legitur. Ordinem Charitatis Chriſtianæ, in uſum militum, bellicis actionibus mutilatorum, condere quondam Henricus 3. Franciæ ac Poloniæ Rex geſtiit; ſed eo morte prævento, inſtitutum executione caruit. Hofm. in Lex. Univerſ. A. 426.

Adulto anno *in Comitiis Gallicanis multa de Clero dicta*; ut flexi „in abuſum antiqui ritus, ut peſſimæ diſtributi obventus Eccleſiæ, „populi ſudor & ſanguis, nempe in Venatica, in luxum, in amo„rum vana & lubrica, in augmentum gentis cuique ſuæ; quadri„gas, ephebos, Nobiles, equos phaleratos, auream ſuppellecti„lem, ceteraque id genus Epiſcopis eſſe ad nauſeam per ingentes „ſumptus, dum frigore riget, dum inediâ extinguitur pauper, cu„jus ſanguine ſaturentur. Hinc hæreticis ſcandalum & Romanæ „ſedis contemptum eſſe, ire in ruinam Eccleſiaſticum ordinem, „niſi quamprimùm proſpiciatur. Exin de Epiſcoporum *ſtabilitate* „(reſidentiam vocant) actum, in diœceſi cuique ſua manendum, „nulla in contrarium excuſatione valitura. Id ſuperadditum fir„mandæ legi, obligationem eſſe, juris divini ex verbis Chriſti, cùm Pe„tro dixit: *Paſce oves meas*, i. e. cave ne pereant pabuli defectu; pabu„lum Sacramenta eſſe, prædicationem Evangelii, & ſolatia, quæ „debeant Epiſcopi diœceſanis ſuis jure divino, quia ſic juſſerit „DEUS, paſce oves meas, quo verbo ipſius Petri actus contineatur; Non dixiſſe Dominum: procura, ut paſcantur oves, ſed, pa„ſce oves; neceſſitatem impoſuiſſe *perſonalis curæ*, quam quis debeat „rebus alienis ſibi commiſſis, præſertim cùm DEI ſint; Non eſſe

Re-

Regum, non ſummi Pontificis diſpenſare. Sunt Gramondi verba, hiſt. lib. 3. 188.

Sub idem tempus Ludovicus decimus tertius, Galliæ Rex, *ſacram Ludovici* (nempe Ludovici noni, à Bonifacio VIII. Papa R. inter ſanctos numerati anno 1297.) *diem*, quam hucusque inter minora feſta Galli coluerant, *inter feriata* juſſit haberi. Haud immeritò, ut hiſtoricus putat, indicta ſolennitas iſthæc pro Rege, cujus vita fuerit ſancta & innocens, expers omnium, in quæ vitio regnandi ſæpè declinent principes. „Ferunt, inquit, ejus temporis „annales, Apotheoſin ſeu Canoniſationem dilatam diù, quòd in„dictione tributi, nummis centies mille exhibendi, gravaſſet po„pulum; At levis nævus viro, qui inter aulæ lubrica cuſtoditè vixit „& ſanctè. Is, zelo ferventiore dum in Africa propagavit Chriſti „nomen contra infideles, vitamque poſuit, quam Seraphica vir„tute traduxerat, verè Ludovico moderno prototypus, indefeſsè „hæreſes extirpanti regno ſuo; prototypus vitam ſanctè ac innocen„ter traducenti in aula, qualem in monaſterio viri regulares. Gramond. l. c. 193. confer. Platinam de vitis pontif. p. m. 232. Hofm. Lex. Univ. A. 942. ſeq.

Ludovicus XIII. Gall. Rex, qui à Societate Lojolitica S. Ludovici præceptis ac regulis, ad ſanctam & Romano-Catholicam ejus vitam fideliſſimè inſtructus fuerat, & ex uberibus matris eandem fidem imbiberat, clauſit annum edicto, quo *Benearnii Principatum*, Ducum Labretanorum antiquam ditionem, uniri Galliæ placuit; magno Indigenarum, Calvini dogmata ſequentium, damno; papanorum autem commodo & incremento. Cudſem. in deſperat. Calvin. cauſ. pag. 120. Gram. 193. ſeqq.

Stolam ſimul, ac Enſem, depoſuit nolens volens *Julius*, inquietus ille ac politicus *Herbipolenſis Epiſcopus*, de quo egimus lib. 1. cap. XLI. & XLIV. poſtquam annis quadraginta integris præfuiſſet; in ejusque locum ſubſtitutus eſt Johannes Godofredus, Bambergenſis. Lundorp. part. 3. hiſt. 700. 801. pl. Calviſ. Chronol. 974.

Johannes Baptiſta Machadus ex Ignatiana Societate; & Franciſcanus, qui ſe *Petrum de aſcenſione* vocabat, *capite mulctati ſunt in Japonia*, quod etiam aliis duobus accidit N.N. ibidem, quia veſtibus induti clericalibus inceſſerant, & extructo ſacello, publicè ſacra more pontificio fecerant. Idque mortis genus pro beneficio reputandum erat, cùm in Japonenſes Chriſtianos immenſis ſæviretur cruciatibus.

Te-

Temeritatem illorum, qui ſpreto Imperatoris edicto, palàm religionis ceremonias exercuére, hiſtoricus quidem non probat, ſed nec eos culpare audet, cùm ſancti fuerint ac Martyrii coronâ honorati. Ex act. Er. Lipſ. an. 1690. pag. 241.

LIB. II. CAP. XXXVIII.

Summaria.

Jubilæum Heidelbergenſe Calvinianum.
Status Waldenſium in Pedemontio.
Triſtis rerum Calviniſticarum facies in Bearnia.
Decretum fœderati Belgii Ordinum, de ſynodo Nationali convocanda.
Marcus Antonius de dominis, de Roman. ex Calvin. Eccl. differentia.
Johannes Jacobus Grynæus, morte extinctus.

DE *Calvinianorum Jubilæo* adſcribere placet, quæ habentur in hiſtorica narratione Davidis Parei, primæ parti operum ejus exegeticorum præfixa lit. C. hiſce verbis: „ Anno 1617. in Cal. Nov. „ incidit Jubilæus Evangelicus, quem (præcipuè) Academia Hei„delbergenſis celebravit de doctrina Evangelii, centum abhinc annis „ à tenebris Romani papatûs in lucem revocati, Eccleſiaque Chriſti, „ à ſordibus ejusdem repurgari cœpta. Et quia in prodecanatum „ Davidis Parei ſacra feſtivitas illa incidit, programmate primùm „ ſtudioſam juventutem ad diſputationem ſecularem invitavit die „ 29. Octobris; tum ipſis Calendis horis matutinis in nova Juris„conſultorum Aula, ſolenni panegyri totius Academiæ, ipſo præ„ſide, reſpondente Andrea Pragai, doctiſſimo juvene Hungaro, diſ„cuſſum fuit Thema ſeculare hoc: Quicunque vult ſalvus eſſe, ante „ omnia neceſſe eſt ut fugiat Papatum Romanum: ducentis trigin„ta ſeptem propoſitionibus declaratum, ac demonſtratum. Quod „ poſteà à ſannione quodam Lojolitico ſcopticè deluſum; ſed à Pa„reo ad ipſum Thema, & inprimis parabolico proceſſu juris, cu„jus Titulus: BABIA MERETRIX, ſtrenuè aſſertum fuit. Poſtri„die habita fuit oratio ſecularis de miſeria Eccleſiæ, à R. Papatu op„preſſæ, deque felicitate ejusdem, ſuperiore ſeculo, fidorum ali„quot teſtium miniſterio reſtitutæ. Carmen item ſeculare, de An„ti-Chriſto Romano, in conventu Academico die 4. Novembris re„citatum fuit à Simone Steinio, Eloquentiæ, Poëtices, ac Hiſtoria-

 rum

„rum Profeſſore; quibus Concio ſecularis, in Templo Spiritûs S. „habita, acceſſit. Hactenus illa Narratio hiſtor. lit. C. Concionem habuit *Abrahamus Scultetus*, Eccleſiaſtes Aulicus, qui tùm dixiſſe fertur: Lutheranos oportet eſſe FRATRES noſtros, velint, nolintve. Vid. Joh. Conrad. Göbel, Concion. 10. ſuper A. Confeſſ. part. 2. pag. 79.

Waldenſes, intra Alpium anfractus & Pedemontii convalles, ſuperiori ſeculo gravia paſſi per Ducem Sabaudiæ, anno 1567. de quibus fusè agitur in Martyrol. Gall. lib. 8. Pacem verò demum atque ſecuritatem ſua Conſtantia illi extorſerunt; etſi poſteà ſubindè novas ſenſerint procellas, quibus ſopiendis *Lesdiguerius*, Delphinatûs Præfectus, Equitum Galliæ Tribunus, & poſteà, ubi ad ſacra pontificia tranſiit Comes ſtabuli, hoc tempore cum effectu interceſſit, illuſtri Pleſſæo in id incumbente anno 1617. ut in hujus vita narratur. Vid. Diſſertatiunculam Hiſtorico-Theologicam Samuelis Mareſii, de Waldenſibus, pag. 8. Neque tamen ita ſtabilis conceſſa pax atque tranquillitas fuit, quin ſubinde atrocior perſecutio recrudeſceret. Confer. an. 1622.

Bearnienſes regnante Henrico quarto Gall. Rege vixére legibus ſuis, neque ut Regem eum coluére, ſed ut Principem. Vetus illis conſuetudo pro lege erat, disjunctus à Corona Galliæ Principatus, &, quanquam ſub eodem Rege, diverſi mores: Nunc uniri feuda, unamque poſthàc haberi gentem Bearnienſes & Galliæ Ludovicus XIII. voluit. Interceſſerunt Indigenæ, rati (non injuria) mutationem ſibi ac provinciæ exitialem fore, his fermè rationibus: „Nihil „Bearnio, cum Gallia commune; eundem, qui Galliæ Rex, eſſe & „Benearniæ Principem, diverſo tamen jure: Multum intereſſe pro„vincialibus, ne uniatur Bearnium Galliæ: ſpecie futuræ Concor„diæ ſubverti privilegia, peti religionem, deſolari provinciam: Ma„jora flumina ubi mare ſubierint, confundi aquis dominantibus, „& nomen amittere; Sic hodie Bearnium ſua vivens lege, tributo „modico, religione, qualem à Majoribus accepit, ubi Galliæ ad„jungatur, paſſurum æqua, iniqua, pro libidine adminiſtrantium. Contrà, quibus feudorum unio è republica eſſe videbatur, tenuére ſententiam, ſcripto per id tempus vulgato confirmatam; cui tandem ſubſcripſére Benearnienſes vi, aut metu. Exin de reducendo ubique Romanenſium cultu, & reddendis Eccleſiæ Bonis pronuntiatum, Bearnenſibus fruſtrà renitentibus. Prævaluit quippe Regis autori-

tas,

tas, reſtitutaq́; præter omnium expectationem *toto latè Bearnio Miſſa*, cui ſimul acceſſerunt prædia, & obventus; atque ſic ad interitum ſe Calviniſmus Gallicus inclinare poſt mortem Henrici IV. ſub regimine filii cœpit, primo contra Sectæ muros ariete in Bearnia validè admoto. Grammond. lib. 3. 193. 196. Supplem. ad act. Lipſ. Erud. 277. pl. confer 1615. cap. XXIII.

Sub hæc *in Belgio fœderato*, augeſcentibus indies Remonſtrantium & Contra-Remonſtrantium, Arminianorum puta & Gomariſtarum diſſidiis, Angliæ Rex, Uraniæque Princeps, ac alii nonnulli, convocationem Synodi Nationalis iterum iterumque commendabant & urgebant: *Arminiani* autem ſeu Remonſtrantes, conſpicati, ſe impares Adverſariorum viribus, & Synodo, quæ debebat inſtitui, diffidentes, prævertendum periculo cenſuére, hinc inprimis conati quibusdam è Proceribus perſuadere: „ Synodi, de qua tum „ agebatur, convocationem, Majeſtati libertatique Provinciarum „ adverſari; Unamquamque enim Provinciam habere jus de religio„ ne ſtatuendi, prout ipſi viſum eſſet: Indignum eſſe aliarum pro„ vinciarum judicio libertatem hanc ſubjicere; Jus hoc Majeſtatis „ omnibus modis, etiam armis, tutandum. His ac ſimilibus rationibus concitati *nonnullarum Civitatum* (ubi Remonſtrantium factio prævalebat) Rectores, inita *conſpiratione* decreverunt, milites, qui nec Ordinibus Generalibus, nec Principi Uranienſi, ſed ipſis tantùm obſtricti eſſent juramento, conſcribere, ad hanc Remonſtrantium cauſam, autoritatemque ſuam, quam propter eandem periculo expoſuiſſent, pro viribus tutandam. *Ultrajectinorum, Leidenſium, Harlemenſium & Roterodamenſium* inprimis id erat conſilium, autoribus, ut ferebatur, præcipuis, *Johanne Barneveldio, Johanne Utenbogardo, Ægidio Ledenbergio, Rumoldo Hogerbertio, Hugone Grotio, &c.* Atque ita religionis diſſidia florentiſſimas haſce Provincias in belli etiam civilis procellas adduxiſſent, niſi Ordinum Generalium prudentia ſingulari, atque Principis Auraici admiranda celeritate, deſperata illa conſilia maturè oppreſſa fuiſſent. Eò magis ergò præpotentes *Ordines Nationalem Synodum* maturandam judicarunt, adque Calendas Majas futuri anni *decreverunt inſtituendam.* Præfat. Act. Syn. Dordrac. f. 4. Horn. H. E. edit. Leidek. 378.

Marcus Antonius de Dominis in concione Londini habita: „ Inter „ navem Romanam, inquit, & Calvinianam hanc animadverto dif„ ferentiam præcipuam, ex qua naſcuntur & oriuntur quàm pluri-

„ ma, aliaque diſſentanea & pugnantia, nimirum, Gubernatorem „ navis, qui clavum tenet Romanæ navis, repudiaſſe ordinariam py„ xidem, atque praxin reliquiſſe & uſum mappæ hydrographicæ re„ ceptæ, unde eſt quòd vertigine quadam è ſuo cerebro novam char„ tam procuderit, pyxidem ſibi duntaxat propriam, falſam ac ine„ ptam effinxerit, quæ polum nequaqam intuetur, & cujus lingula „ magneti non eſt infecta. Hæc Antonius, haud abſurdè quidem reſpectu Pontificiorum; quid verò de pyxide in altera navi Calviniana ſentiendum aut pronuntiandum? judicent alii; Videatur interim Hyæna Friburgica, ab ovili Chriſti depulſa, per D. Dannhauer. pag. 24. ſeq.

Obiit *Johannes Jacobus Grynæus*, Thomæ filius, Eccleſiæ Baſileenſis Antiſtes, ubi docuit per annos complures; inde anno 1584. *Heidelbergam*, à Johanne Caſimiro, Palatinatus Electoralis Adminiſtratore vocatus, de Evchariſtia cum Theologis Lutheranis publicam *diſputationem* ſubiit; Cujus (licet argumentis oppoſitis minimè ſatisfeciſſe dicatur Præſes) Is fuit ſucceſſus, ut Lutheranis Profeſſoribus dimiſſis, Georgius Sohnius, ac Franciſcus Junius in eorum locum ſurrogarentur, totusque Palatinatus Helveticam confeſſionem amplexaretur. Vitam finiit Baſileæ, anno ætat. ſuæ Climacterico undecimo. Scripſit in ſacros libros Enarrationes, Explicationes, Prælectiones &c. dicere (invitâ quidem veritate, nec ſine contumelia in Reformationis opus longè graviſſimum) ſolitus: *Eraſmum plus Papæ jocando nocuiſſe, quàm Lutherum ſtomachando.* Refert ex Melch. Adam. Hofmannus in Lex. Univ. A. 719. B. 581. Confer omninò de Grynæo iſto Cent. Oſ. XVI. Hiſt. Eccl. 962. ſeqq. Liebhart. hiſt. Reform. 15. 40.

LIB. II. CAP. XXXIX.

Summaria.

Altera Remonſtrantia Arminianorum, Ordinibus Fœderati Belgii exhibita.

Fama Fraternitatis Roſeæ crucis ſparſa.

Seidelianiſmus interpolatus, diſſeminatusque Semi-Judaiſmus.

Arminiani *Remonſtrantes*, quùm ab Adverſariis Gomariſtis, h. e. Calviniſtis rigidioribus in Batavia, plurimorum errorum arguerentur, præprimis in articulo de Scriptura Sacra, de Trinitate, de

de Providentia DEI, de Satisfactione Chriſti, de Eccleſia, fide, bonis operibus, peccato originis &c. diluere accuſationes iſtas conati ſunt anno 1617. exhibitâ Ordinibus fœderatarum provinciarum Generalibus *altera Remonſtrantia,* diſertè *proteſtati,* ſeſe nonniſi quoad *quinque articulos,* ut puta de Abſoluto Prædeſtinationis Decreto, de particulari Redemptione Chriſti; Servo hominis arbitrio; irreſiſtibili gratia Dei in converſione; Perſeverantiaque fidelium & fidei inamiſſibilitate, à cæteris Calvini ſectatoribus diſſentire. Sed ſtatim *Gomariſtæ* prolixam oppoſuére reſponſionem, quam iisdem quoq; Ordinibus obtulére; Hinc dein turbæ non exiguæ. Calov. in Conſid. Armin. pag. 4. præfat. actor. Synod. Dordrac. f. 3.

Fratres Roſeæ Crucis, de quibus cap. IV. & XXV. nonnulla diximus, pro augmento Societatis varia tum protrudere, & ſpargere ſcripta cœperunt, qualia ſunt *Fama fraternitatis; Confeſſio; Frater roſatæ Crucis &c.* Ac *Famam* quidem publicare in quinq; linguis, quaſi hiſtoriam ſuæ fundationis atque Originis continentem. Sed mera videtur *fabula.* mirumque ſomnium, quicquid iſti homines de ordine ſuo jactant, ac de Chriſtiano Roſencreuzio, de arte ſua & ſeculi reformatione; auſi omnia polliceri, & una arte ſua non opes tantùm, ſed & vitæ humanæ productionem, ac morum diſciplinarumque correctionem promittere talem, nil ut ampliùs deſiderari poſſit. *Hornbekius* non dubitat, quin ex furnis illa Societas enata ſit, nihilque aliud, quàm hominum, quorum in Germania ſæpè magnus numerus, Alchymiæ ac lapidi, ut vocatur, philoſophico inveſtigando intentorum conſpiratio & ſecta; qui ut ſua magis reddant commendabilia, tantâ propbaſi ſoleant uti. „ Societatem, ait porrò, „ appellant, neque tamen illam aliquis aut novit, aut format; Au„ tor *Chriſt. Roſener* fictum nomen eſt, & nugatorium drama; Et le„ ges tamen jactant, ſive ordinem à fundatore fraternitatis conſti„ tutum, quæ ſcilicet in Utopia, aut regno Lunæ obtinent. Ego mi„ hi velim oſtendi aliquem iſtorum fratrum, qui aliter ſua ſacra poſ„ ſit explicare. Ac certè ſi tanti ſecta iſthæc, ut ab ea Mundi Re„ formatio, & hominis tantum Bonum, pro animæ etiam ſalute, „ breviter, *omnia* expectari debeant, non oportet abſcondi illam, & „ ignorari, ſed in propatulo omnibus proſtare. Quid ſi etiam quàm „ maximè vellet quis nomen ſuum ſocietati dare, quomodò poſſet? „ Imò ſi ad annua comitia convenire, qua id obſecro liceret facul„ tate, aut quo modo? Ita ſcilicet egregiè fratres Roſeæ Crucis lu-

„ dunt homines, & ad Anticyras ablegant. Verba ſunt J. Hornbekii, in Summa Controv. 434. 459. pl. Confer Kromaj. Scrutin. Relig. 143. ſeqq.

Seidelianiſmum etiam t. t. denuò interpolare, & *Semi-Judaiſantium* errores diſſeminare per manuſcripta, nonnemo ſtuduit, ac fidelibus Chriſtianis lapides offenſionis objicere. Teſtis exceptione major eſt *D. Jacobus Martini*, Theologus & Profeſſor Wittenbergenſis, in lib. 3. de tribus Elohim, cap. 63. pag. 337. ubi ſcribit: „ Vir quidam latinè, græcè ac hebraicè doctiſſimus, & in lectione Biblica „ non mediocriter exercitatus, Semi-Judæorum argumentis haud „ leviter perturbatus, dubiusque factus, mihi manuſcriptum, in quo „ Autor Semi-Judæus blaſphemus, demonſtrare conatur, Meſſiam „ non veniſſe, & nunquam venturum eſſe, obtulit, ſimulque illud, „ ut tum propter ſeipſum, tum etiam propter alios, quorum fides „ maximè periclitaretur, refutarem, & cum diſputationibus contra „ Judæos conjungerem, majorem in modum petiit. Hanc vocem „ & adhortationem, quia Divinam judicavi vocationem, nihil in „ me deſiderari volui, manumque ideò ad opus applicavi. Ut igi„ tur propiùs ad rem ipſam accedamus, eamq; ab ovo, quod ajunt, „ exordiamur, *religio Semi-Judæorum* (inter quos olim non poſtre„ mum fuiſſe *Martinum Seidelium*, Olavienſem Sileſium, apparet ex „ diſputationibus, quas cum Fauſto Socino habuit) his verè conti„ netur capitibus: Novum Teſtamentum, tanquam aliquod veteri „ ac Prophetis contrarium, planè rejiciunt; Meſſiam, ſi veniſſet, „ mundanum Regem, non cœleſtem fuiſſe, nugantur; Ex Veteri „ Teſtamento nihil ad ſe attinere ajunt, niſi decalogum, qui ipſis „ naturâ notus ſit; Meſſiam Judæis tantùm eſſe promiſſum ſomni„ ant, ſicuti terram Canaan, ideòque ad hanc religionem (Semi-Ju„ daicam) nil pertinere, & neque circumciſionem, ſacrificia, cæte„ raſque ceremonias Moſaicas; Meſſiam Judæis promiſſum eſſe, ſed „ ſub conditione, ſi pactum atque ſtatuta divina ſervarent; Hanc „ autem conditionem quia non compleverint, præcepta divina, Dei„ que fœdus & pactum non ſervaverint, ſed violarint, Deoque ino„ bedientes facti fuerint, Deum illis viciſſim denegaſſe Meſſiam.

„ Hæc, inquam, ſunt præcipua capita Semi-Judaicæ Religionis, „ quæ omnia ferè Seidelius in Epiſtola prima complexus eſt. Poſt„ quam enim ſuo more, h. e. hæretico, probavit, Meſſiæ regnum de„ bere mundanum eſſe, tandem in hæc blaſphema deſinit verba:

„ *Ce-*

„ *Ceterùm ut ſciatis, cujus ſim religionis, quanquam id ſcripto meo, quod*
„ *habetis, oſtenderim, tamen breviter hic repetam. Et primò quidem doctri-*
„ *na illa de Meſſia ſeu Rege promiſſo, ad meam religionem nihil pertinet.*
„ *Nam Rex ille tantùm Judæis promiſſus erat, ſicut & Canaan. Circumciſio,*
„ *ſacrificia, & reliquæ ceremoniæ Moſis, ad me non pertinent; Iſta enim non*
„ *mihi, ſed populo Judaico promiſſa, mandata, data ſunt; Neque illa fuére*
„ *cultus Dei etiam apud Judæos, ſed inſerviebant cultui Divino, & ad cul-*
„ *tum deducebant eos. Verus autem Dei cultus, quem meam religionem*
„ *appello, eſt Decalogus, æterna & immutabilis Dei voluntas: qui decalo-*
„ *gus ideò ad me pertinet, quia & mihi à Deo datus, non quidem per vocem*
„ *de cœlo ſonantem, ſicut populo Judaico, at per Creationem inſitus eſt menti*
„ *meæ. Quia autem inſitus decalogus per corruptionem naturæ humanæ,*
„ *& pravis conſuetudinibus aliqua ex parte obſcuratus eſt, ideò ad illu-*
„ *ſtrandum eum adhibeo vocalem decalogum; qui vocalis decalogus ad me*
„ *pertinet, ac ad omnes populos, quia cum inſito nobis decalogo conſentit,*
„ *imò idem ille eſt. Hæc mea eſt ſententia de Meſſia ſeu Rege illo promiſſo,*
„ *& hæc eſt mea religio, quam coram vobis ingenuè profiteor, Seidelius.*

LIB. II. CAP. XL.

Summaria.

Conventus Darmſtadienſis, ob controverſiam inter Theologos Haſſiacos inſtitutus.

Literæ Schlüſſelburgii, Pelargum ab amplexanda Religione Calviniana dehortantes.

Biblia Lutheri Germanica, cum annotationibus marginalibus Toſſani Heidelbergæ edita.

Venatoris Arminiani Theologia vera & mera, ſic dicta, lactantium & infantium in Chriſto.

Italici cujusdam Anonymi libellus, de Origine, Progreſſu, & Exſtinctione Papatus.

Bodinus olim, & moderni Pontificii, de Expeditione Mauritiana adverſus Carolum quintum.

INſtitutus ob controverſiam inter Theologos Haſſiacos A. C. *Darmſtadienſis Conventus.* Cùm enim de litigio, ſuperiori anno (vide cap. XXXII.) inter Profeſſores Gieſſenſes exorto & agitato, LUDOVICUS Haſſiæ Landgravius certior fieret, quàm ocyſſimè ſcandalo remederi voluit, ac ideò ſub initium anni 1617. quatuor ſuos *Theologos Gieſſanos* Darmſtatum vocavit, ipſisque injunxit, ut propter Eccleſiæ tranquillitatem, & ſcandalorum averſionem, enatum diſſi-

diſſidium amicabiliter inter ſe componerent, ac denuò concorditer coirent. Poſtquam igitur per aliquot dies in illa controverſia, ſuper præſentiam DEI & CHRISTI, tractatum, & ab utraque parte in medium fuerat prolatum, quod ad eam rem pertinere videbatur, totum tandem *litigium ſepoſitum* quidem, & amicitia inter partes renovata, ſed per omnia *minimè compoſitum* eſt. Nam uti *Winkelmannus* (cum Gieſſenio) omnipræſentiam Dei & Chriſti Theantropi generalem, formaliter ac definitivè propinquitatem ſubſtantialem apud omnes creaturas, ſemper ante conventum Darmſtatinum, eſſe *ſtatuit*; ita etiam in eadem ſententia cùm IN conventu, tùm POST eum, perſtitit. Sicut Winkelmannus omnipræſentiam (vel potiùs ipſum DEUM & CHRISTUM) nullibi & nunquam ſtatuit otioſam, vel ab operatione ſeparandam; ita etiam in Receſſu Darmſtatino, atque poſt eundem, plus non minusve *conceſſit*. Sicuti D. Winkelmann ſemper, ante Conventum illum, *negavit*, omnipræſentiam Dei & Chriſti, propriè exquiſitèque loquendo, ipſiſſimam eſſe operationem ſeu gubernationem rerum omnium formaliter ac definitivè; ita etiam in Conventu Darmſtatino, & poſt eundem, ſemper ſibi conſtitit: *Admiſit* autem in Receſſu, & alibi, cum Gieſſenio, Operationem in deſcriptionem omnipræſentiæ concomitanter, accidentaliter, ſecundarióque, quatenus operatio cum præſentia ſemper conjuncta, neque DEUS ullibi otioſus eſt. Sicut Winkelmannus, Omnipræſentiam Chriſti Theantropi influere quidem in officium ejus, non tamen eſſe ipſiſſimum officium Regium, ſemper *faſſus eſt* ante Conventum; ita idem conſtanter fecit, neque latum unguem in tranſactione illa Menzero ceſſit. Sicuti D. Winkelmannus Omnipræſentiam generalem DEI ex immenſitate, & Chriſti ut hominis ex participatione Infinitæ hypoſtaſeos, ſeu unione perſonali firmiter ac ſolidè deduci poſſe, imò debere, ſemper ante concertationem cum Menzero, & ante Conventum Darmſtadienſem, *credidit*; ita etiam in Conventu illo judicavit, & poſt eundem. Quæ cùm ita ſint, ſanè nemo perfectam iſtius controverſiæ compoſitionem Darmſtadii tunc temporis factam eſſe, ſed potiùs (per amicum quendam ſyncretiſmum) duntaxat ſepoſitionem, credat, ſi præſertim alteram quoque partem, videlicet Menzerum, intueamur.

Nam licet *Menzerus*, propter evidentes rationes à Winkelmanno & Gieſſenio in medium productas Darmſtadii, propinquitatem aliquam ſubſtantialem in definitionem Omnipræſentiæ Dei & Chri-

ſti

ſti admittere viſus fuerit; mox tamen ita ſe explicuit, ut omnibus pateſceret, ſe data verba, & ſubſcriptionem articuli receſſûs primi, non intellexiſſe de immutabili (exiſtentibus creaturis) ac neceſſariò ex immenſitate Divinæ Naturæ, & infinita hypoſtaſi ratione humanæ Chriſti naturæ, fluente; verùm de alia ex libertate voluntatis dependente, & mutabili adeſſentiâ, quæ tamen ab operatione formaliter diſtincta non ſit; proinde *luſum feciſſe*. Menzerus etiam, ut ante receſſum Darmſtadienſem, Omnipræſentiam, de qua potiſſimùm diſputabatur, formaliter, eſſentialiter, accuratè & propriè, in caſu recto. actionem ſeu gubernationem rerum omnium eſſe *ſtatuit*; ita poſt receſſum idem tenaciter, permiſſivè ſaltem juxta receſſum, propugnavit. Demum ut Menzerus ante Conventum illum, omnipræſentiam ipſiſſimum Chriſti officium Regium eſſe, atque illam non ex immenſitate Divinæ Naturæ, neque ex infinitæ hypoſtaſeos participatione, reſpectu aſſumptæ H. N. ſed ex liberrima voluntate communicante ac uſurpante *deduxit*; Sic idem poſt Conventum & Receſſum Darmſtatinum fecit, non conſentientibus Collegis. Nulla igitur tùm facta Compoſitio plenaria, ſed litigii depoſitio; at ex parte Menzeri nec diuturna, nec ſincera ſatis. Quippe cùm ipſi, & Genero Feurbornio, permiſſum eſſet, ut modeſtè, & ſine Collegarum irritatione, ſuam opinionem Collegarum ſententiæ non per omnia conformem, contra adverſarios defenderent; Illi hac permisſione nimio plus abuſi ſunt. Videatur Præfat. ad Acta Menzeriana Tub. ed. lit. b. 4. & ſeq.

Triennium eſt, ex quo *D. Schlüſſelburgius*, *D. Pelargum* ab amplexanda Calvini doctrina graviter *dehortatus*, hiſce ac ejusmodi pluribus verbis: „ Cogita mi Pelarge, qua fronte & quanam, quæſo, „ Conſcientia, Tu, Apoſtata inconſtantiſſime, coram horrendo filii „ Dei, cujus Miniſter hactenus fuiſti fidelis, in noviſſimo die, Tri„ bunali comparebis? Et quid J. C. Domino tuo, quem turpiter (ut „ audio) abnegaſti, te accuſaturo de fœdiſſima tua Apoſtaſia, re„ ſpondebis? Quòd veritatem ſemel agnitam & profeſſam in gratiam „ hominum, in quibus non eſt ſalus, deſeruiſti, & Sp. S. in multo„ rum cordibus contriſtaſti. Si tu voles, mi Pelarge, patronus eſſe ac „ defenſor Calvinianorum, reſponde ad meos quatuor Theologiæ „ Calviniſtarum libros, jamdudum publicis typis evulgatos, in qui„ bus ceu ad oculum, velut in tabella, plusquam ex trecentis ſcriptis „ demonſtravi, Eos de nullo ferè Chriſtianæ articulo doctrinæ rectè

„ ſentire ac docere. Andreas Gurgevitius, Jeſuita Vilnenſis in Lithuania celebris, in publico ſcripto vos Calviniſtas provocat, ut ad „ Schlüſſelburgii libros publici juris factos reſpondeatis. Nullus verò hactenus ex blaſphemis Sacramentariis inventus eſt, qui mecum aperto Marte de meis libris dimicare auſus fuerit. Tu novus „ illorum propugnator & patronus, prodito tandem in lucem, ac „ demonſtra, ſi potes, me Calvinianis, quos ego tanquam S. Scripturæ falſarios & hæreticos manifeſtos in meis libris publicè accuſo, injuriam facere. Revertere, mi Pelarge, in viam, deſere Calvinianos ipſius Cacodæmonis miniſtros, & veritatem cœleſtem, in „ libro Concordiæ repetitam, ac à te anteà probatam nobiſcum, defende, antequam janua Divinæ gratiæ tibi præcludatur &c. Nihilò ſeciùs *Pelargus* ille, hoc ipſo anno *Compendium ſuum reformatum*, Francofurti ad Viadrum *excudi curavit*, quo ſe, quantus quantus erat, Calvinianum prodidit. Confer an. 1614. cap. XV. Krom. Theolog. poſit. polem. 334.

In confinio ann. 1616. 1617. *Paulus Toſſanus Biblia Lutheri Germanica*, Heidelbergæ excuſa, paſſim in lucem protruſit publicam, eademque non ſolùm variis *annotationibus marginalibus* (quæ quales hinc inde ſint, viri cordati judicabunt) conſperſa; ſed etiam erroribus Calvinianorum ubique contaminata. Sic ergò cogitur Lutherus ſub nomine ſuo falſiſſimam propagare doctrinam, de quo in vivis adhuc exiſtens jam olim graviter fuit conqueſtus. Bibliorum illa editio Toſſaniana, *D. Balthaſari Menzero* fraudum & Impoſturarum Calvinianarum exemplar ſingulariſſimum cluit, quo Cacodæmonem imitatus autor, Templo Domini, ſuam quoque voluerit „ adponere Capellam ſeu peculiarem ædiculam; qui addit, nullum „ vel craſſiſſimum errorem Calviniſticum eſſe, quem ſuis gloſſis veterator ille non infarſerit; Monetque tandem fideliſſimè, ut qui „ (ſaltem è ſimplicioribus & minùs exercitatis lectoribus) nolit veneno infici Calviniano, is Biblia Toſſaniana, velut peſtem & angues fugiat. Nec tamen primus fuit fraudum ejusmodi promus condus, Doctor Heidelbergenſis Palatinus: Verùm Anteceſſores habuit ſuperioribus annis & *Neoſtadienſes*, quos caſtigavit Jacobus Andreæ; & *Herbornenſes*, quorum Impoſturas detexit Facultas Theologica Wittebergenſis; perinde ac Toſſanum confutavit Winkelmannus. vid. Calov. Syſt. Theol. A. 491. Polymathiam Kromaj. pag. 190, & Conſil. Witteberg. A. pag. 29. 31. pl.

Eodem

Eodem tempore *Adolphus Venator*, Arminiano-Remonſtrantium primipilus, librum vulgavit miro & ſuperbo titulo: „ Theologia vera & mera lactantium & Infantium in Chriſto; Liber fundamenti, purus, dilucidus ac univerſalis, per meras Scripturas Veteris ac Novi Teſtamenti; Sine præjudicio cujuscunque inter „ Chriſtianos ſectæ, & in uſum cunctarum Eccleſiarum; quo Chriſtianiſmus quidem per quatuordecim ſecula caruit &c. ſed autorem non præſtitiſſe, quod præ ſe fert atque promittit, Hornbekius demonſtravit; ſimul docens, quàm nullius momenti ſit reliquorum *Arminianorum ſententia, qua jubeant in Eccleſia ſolum S. Scripturæ contextum legi, haberique velint pro omni vel Catecheſi, vel Confeſſione*: Iſto „ quippe pacto nec hæreſes vel ſectas caveri poſſe, aut imminui; „ neque ſententias in religione diverſas coire, aut conſopiri ullo pacto poſſe; Neque etiam Eccleſiam erigi, confirmari, & conſtitui „ certam; Hæc enim nec agnoſci poteſt, inquit H. niſi ejus diſtincta ſuper articulis religionis omnibus, an hoc, an illo ſenſu è S. Scriptura deductis, atque intelligendis, habeatur cognitio & confeſſio; Summa Controverſ. lib. 6. de Enthuſiaſt & Libertin. p. m. 539.

Londini autem, *Itali* cujusdam *Anonymi libellus* prodiit, *de Origine, progreſſu & exſtinctione Papatûs*, in hanc ſummam deſinens: „ Paparum & omnium Cardinalium dignitatem jam pridem exſtinctam eſſe, cùm tot jam olim intruſi fuerint per fraudes, per Satanicas artes, per Simoniam &c. qui cùm ipſi legitimè haud electi, „ jus non habuerint alios eligendi ſucceſſores. Ad hunc libellum provocavit Johannes Crocius in Anti-Becani Controverſia tertia de Eccleſia, ſect. X. pag. 385. part. A. Cui nimis frigidè reſponderunt Jeſuitæ Moguntinenſes in Animadverſion. pag. 125. confer. Croc. in juſta vindicat. A. 348.

Superiori ſeculo *Johannes Bodinus*, pro Satyrico ſale, quod in ipſo erat, acriter invehebatur in *Mauritianam* illam *Expeditionem*, qua Carolum V. non tantùm ad concedendam liberationem exauctorati & captivati Electoris Johannis Friderici, ac Philippi Haſſiæ Landgravii, ſed ad ineundam Paſſavienſem quoque Tranſactionem anno 1552. permovit; Ac dubiam facere laborabat, ejusdem operis juſtitiam, imò penitùs evertere; Mauritium ideò vocans perfidiæ Licentiatum, uti Albertum Brandeburgicum Doctorem. Nunc temporis, cùm Pontificii Tranſactionem Paſſavienſem anno 1555. in ſanctionem pacis Imperii pragmaticam (quantum quidem ad negotium

Religionis ſpectat) ſolenniter commutatam, infringere vellent, iisdem ferè, queis Bodinus, gaudent commentis. Vindicias Mauritianas oppoſuit Oſwaldus Hilligerus, Juriſconſultus Jenenſis, ann. 1617. quanquam diu ante Hilligerum, Eberhardus à Weyhe, Petrus Heigius, Andreas Knichen, Antonius Heringius, aliique eandem Mauritii cauſam tutati ſunt. Licent. Feller in not. ad Horn. orb. Imper. Num. 40. 41.

LIB. II. CAP. XLI.

Summaria.

Maximilianus Bavariæ Dux, de ſumma Imperiali dignitate hodierna.

Ferdinandus Archi. Dux Auſtriæ, Succeſſor Matthiæ, in Boëmiæ R. declaratus.

Ditiones Grubenhagenſes, per ſententiam Cæſaris Lunæburgenſibus adjudicatæ.

Barones Criechingenſes, in claſſem Comitum cooptati.

Executio in autores tumultus Wormatienſis contra Senatum & Judæos.

Caſus Ancræi tragicus & ſubitaneus in Gallia.

Belli Veneto-Ferdinandei, & Mantuano-Sabaudici continuatio.

Armiſtitium Moſcovico-Polonicum; Et fœdus Sueco-Danicum.

Novus Japoniæ Rex Combo.

Anglorum & Batavorum diſſenſio in Java.

Cùm unus ex primariis Germaniæ Principibus t. t. *Maximiliano Bavariæ Duci* ſpem de adipiſcendo Imperio injicere vellet, ſic reſpondiſſe fertur ſapientiſſimè: „ Se ad propoſitam dignitatem nullo pacto aſpirare; Suprema Imperatorum Regumque ſubſellia, non „ alia ipſi ſpecie obverſari, quàm multorum caſibus inſignita præ„cipitia; diademata eſſe reverà curarum periculorumque aculeis „ conferta redimicula; Sceptra notas eſſe quidem Dominationis, at „ Indices quoque ſervitutis ſplendidæ: Enimverò quid hodiè ſit in „ Imperio, quod magnoperè alliciat ſapientem? Unum quidem eſſe „ in orbe Solem debere, perinde ac unum in Imperio Imperatorem, „ & viciſſim: Sed Ordines Imperii in Factiones diviſos pergere in„ter ſe, & adverſus ipſum Cæſarem, uti Avorum memoria cœperint, „ committi; quid tandem ſuperfuturum ſit, præter magnum nomen „ Imperii, inter meras diſcordias, & ſubjectarum gentium dimica„tiones?

„ tiones? Non enim regnare eum, qui regnet precariò, qui ſubje-„ ctos (niſi nominetenus) non habeat, quive ſubjectorum nutus pro „ legibus accipere cogatur: Difficile olim fuiſſe, & futurum ſemper, „ populorum tametſi obſequentium & quietorum frenos modera-„ ri; quid hodie, quandò inquieta pleraque, ac turbis quàm obſe-„ quio propiora? Ex annalibus Bojariæ Alzreuteri, allegat hæc in politico ſcelerato impugnato, Chriſtoph. Peller, edit. 2. Norimb. an. 1665.

Sub hæc *Ferdinandus*, ArchiDux Auſtriæ, qui *ſecundus* hujus nominis erat ex iſta familia, ſuffragantibus Ordinibus *Rex datur Boëmis*, ea *conditione*, ſi ſolenniter de more juraret, conſervaturum ſe Procerum Regni Ordinumque privilegia & patrias leges; nec vivo Imperatore Matthia gubernationi ſe immiſceret, interim vacuo Regis titulo contentus. Diademate inſignitus, cum Cæſare Dreſdam vehitur ad Saxonem Septemvirum, inde ad Sileſios, Moravos, Luſatos, in ejus verba juraturos. Horn. orb. pol. edit. 2. 317. Cluver. Epit. hiſt 774.

Exaruit *Henrici Julii, Ducis Brunovicenſis* ætate, ſtirps *Grubenbagenſis*, cujus ditiones ille, magna celeritate adhibita occupavit, atque Agnatos *Lunæburgicos* prævertit, verùm in jus propterea vocatus ab eis, causâ cecidit. Sententia quidem anno 1609. ſub Imperatore Rudolpho concepta, ſed anno 1617. demum publicata eſt, vi cujus Brunovicenſis, *poſſeſſionem Principatus* illius Lunæburgicis cum fructibus & ſumptibus *reſtituere juſſus*; Id quod præſtitit Fridericus Ulricus, Henrici Julii filius. Notit. Procer. Imhof. p. m. 461. 466. Spener. Syllog. Geneal. 171.

In Claſſem Comitum Imperii Romano-Germanici hoc tempore cooptatos eſſe *Barones de Criechingen*, ſive de Crehenges in Auſtraſia, notavit D. Philippus Jacobus Spenerus; ii licet in ſubſcriptione Receſſuum Imperii, inter hujus Ordines expreſsè non reperiantur, à Sprengero tamen in Jurisprudentia publica, nec non à Zeilero in Suтractatu de Circulis, inter Imperii, ac ſpeciatim Circuli Rhenani Superioris, membra collocantur, ſymbolaque ſua ferendis oneribus publicis eò conferre memorantur. Notit. Procer. 944.

De *turbis Wormatienſibus*, ob intolerabiles *Judæorum* uſuras exortis, dictum anno 1615. cap. XXVI. quæ licet jam tum interventu Septemviri Palatini ſedatæ, novum tamen Principi negotium nunc faceſſunt, ob *executionem pœnæ* in autores iſtius tumultus, non con-

tra Judæos tantùm, ſed ex parte etiam contra Senatores urbis commoti; Siquidem, volente & jubente Cæſare, Palatinus per ſubdelegatos, ſufficienti numero militum inſtructos, poſt iteratum Examen delinquentium, civitate & Epiſcopatu Spirenſi, & Palatinatu proſcripſit *Jurium Doctorem*, qui *Advocatum* cauſæ civium ac Patronum egerat; ac *tres* deinde *cives* virgis cæſos, totius Imperii finibus ejecit. Calviſ. Chron. & Schad. contin. Sleid.

Concinus Florentinus, Marchio Ancræus, incantamentis (ut fertur) acquiſitâ Mariæ Reginæ gratiâ, Mareſchallus Franciæ creatus, totum in poteſtate Regnum habuit, eò ſe provectum potentiæ credens, ut ipſas tempeſtates & nimbos infra ſe aſpiceret, ac aſpernaretur. Id anſam dedit Henrico Condæo, aliisque Principibus, indignè potentiam ejus ferentibus, civilis belli, ſed quod captivitate Condæi, & Ancræi exitio terminatum. Hic multarum autor turbarum, tandem juſſu Regis in cuſtodiam ducendus, cùm reſiſtere vellet, à Vitrio Prætorianorum Præfecto, duplici glande transfoſſus eſt. Mors approbata Regi, atque tanto plebis gaudio excepta, ut *cadaver exhumatum* per plateas raptaret, perque omnia volutatum ludibria traheret, laniaret, ac inter ſe divideret. *Sic venit populo in tributum, quem tributo exhauſerat!* Uxor autem rea veneficiorum, capite plexa & igne combuſta. Sic interitu pauciſſimorum, dira Galliæ tempeſtas conquievit. Hofm. Lex. univ. A. 473. Gramond. lib. 4. 156. ſeqq.

Fervet *bellum inter Venetos, & Archi-Ducem Ferdinandum;* Illi *Baſcajam* urbem gravi obſidione premunt, fruſtrà liberationem tentantibus copiis Ferdinandino-Tampirianis: At enim *fœminarum conſtantia* & fortitudine factum, ut hoſtis cederet, rebus ad Inducias primùm, dein ad pacem deductis. Nec minor Martis furor in Italiæ altera parte: reſumptis enim armis Mantuano-Sabaudicis, Vercellas Gubernator *Mediolanenſis* expugnat; *Sabaudus* verò multa Mediolanenſis Ducatus loca vaſtat, nec modicis hoſtem cladibus multat. vid. Franciſci Schaubühne/ part. 3. 771. Calviſ. 973. ſeq.

Poloniæ Rex cùm exercitu *adverſus Moſcovitas* movet iterum, ſucceſſu tamen ob irruptionem Turcarum ac Tartarorum in Poloniam intereà factam, minùs proſpero; Armiſtitium ergò quatuordecim annorum init: Inde *Svecus* pacem cum Ruſſis firmat; cumque Daniæ Rege fœdus pangit, ſi fortè Sveciam Polonus turbare vellet. Pufend. in Introd. ad not. Stat. Eur. 684. & Contin. 660. Cluver. Hiſt. 776.

On-

Ongoſchio, *Japoniæ Tyrannus*, poſt occupationem Regni, non diu poſſeſſione potuit gaudere; ſed proximo jam anno, vitam valdè ſenex cum morte mutavit, relinquens filium nomine *Combo*, ſive *Comboſamma*, acerrimum Chriſtianorum perſecutorum. Varen. in deſcript. Japon. 45. Morgenl. Reyß-Beſchr. Mandelsl. per olear. edit. pag. 240.

In JAVA hactenus & *Angli* & *Batavi*, cum Barbaris exercuére commercia, præſertim in Jacatra, ſine mutuis offenſionibus; hoc ipſo autem anno, exorta *diſſenſione* de cauſa non adeò magna, Batavi tum viribus potentiores, Anglos & navibus, & nautis, & omnibus quoque mercibus ſpoliarunt, occiſis quibusdam ex Britanica Natione, quibusdam abreptis in vincula; quam injuriam Rex Jacobus atroci bello vindicare jam decreverat, niſi reſtitutionem & compenſationem ſufficientiſſimam ab unitis ſtatibus acciperet. Mandelsl. cit. lib. 215. confer. Hofm. Lex. A. 809.

LIB. II. CAP. XLII.

Summaria.

Frugifera Societas inſtituta.
Admirabilis grando; & inundatio horribilis.
In Germania, Italiaque, magna murium copia.
Calumniæ crimen, pœnâ capitis expiatum.
Ludicrum, quo Luynæis fratribus illuſum.
Triſti fato interemptus Otto, Haſſiæ princeps.
Jacobus Auguſtus Thuanus vita defunctus.
Comes Bobienſis capite plexus.

ANno 1617. excolendæ linguæ Germanicæ causâ, *Societas*, quam *frugiferam* dicunt, inſtituta eſt, autore *Ludovico*, *principe Anhaltenſi*; Cœthenſis lineæ; cujus ipſe quoque cùm *Caput* eſſet, ſuis auſpiciis non paucos aliunde verſos libros in vernaculo Idiomate prodire fecit. Not. procer. 666. Spen. Syllog. Gen. 259. Andr. Epiſtol. part. 2. 169. ſeq. pag.

Apud Hollandos Menſe Majo horrenda tonitrua, fulmina, fulguraque extiterunt; *grandines* inprimis facierum humanarum figuras perſpicuè repræſentantes, aliasque nonnullas referentes formas notabiles, ceciderunt, campos & ſata paſſim lædentes plurimùm. *Barcinonenſis* verò Comitatus, & reliquus *Cataloniæ* tractus, pluviis & oceani *inundatione* totus ferè obrutus, ut quatuor majora oppida, triginta pagi, hominumque multa millia abſorberentur ac perirent. Calviſ. 973. & Spener. Geneal. 20. De

De *Heliogabalo* Imperatorum monſtro, ſcribit Ælius Lampridius: Jubebat ſibi decem millia murium exhiberi, & mille muſtelas, mille ſorices. Potuiſſent hoc tempore plures habere noſtri Heliogabali, *mures*, quorum ut in Germania, ſic in Italia, magna paſſim copia, variorum colorum, rabiem ſuam in frugibus, & aliis rodendis rebus exercens, viſa. „Ecquid verò DEUS Optimus Ma-„ximus in hanc fundi calamitatem homines labi paſſus eſt; eccur „tantum hoſti noſtro juratiſſimo, Chiliarchæ Murium Satanæ, con-„ceſſit aut indulſit? Fuerat nempe hominum ſic præſentandum In-„genium. Muribus ſimiles, murium imitatores diu fuerunt, & „ſunt hodieque mortales; debuerunt ergò tandem tot Mures habe-„re hoſpites. Chronic. Svelin. 383. diſſertation. Dorschei ſext. de Angel. 486. pl.

Ea tempeſtate in Gallia *Crimen Calumniæ, pœnâ Capitis luit Giniæus*. Inſuſurraverat, peſſimus nebulo, Regi, à Duce Vindocinenſi paratas Ei truces inſidias, ut inter epulas veneno necaretur; dein aggreſſus Vindocinenſem, illi à Rege vincla parari & carcerem, dixit; hac ratione diffidentiam utrique incutiens, ac timorem. Rex delatoris fidem ſuſpectans, in judicium vocavit, reum habitum Calumniæ, qui tandem criminis convictus, & confeſſus, pœnam ſubiit. Gramond. lib. 2. 169. pl.

Nec illud memoratu indignum eſt ludicrum, quo tribus rerum Dominis *(Luynæo & fratribus)* in Gallia illuſum. Iis erant alta conſortia, unaque ſub eodem tecto habitatio; huic de nocte ad fores appenditur tabella, myſterium Epiphaniæ repræſentans, hac inſcriptione: Eo tres ſtabulo Reges; Haud illepidè dictum, ſcribit hiſtoricus. Adjicitur etiam revocata Ancræi memoria, Tyranno ſupervixiſſe Tyrannidem, renataque in populi necem tria, ab exciſo unico, capita; Erymanthæo apro, ſucceſſiſſe tricipitem Cerberum, neque Gallis Herculem eſſe; denique ſucceſſoribus anteiſſe Ancræum opprobrio minore. Idem. pag. 171.

Verùm triſti fato tunc *Haſſiæ Princeps* occidit, vivente adhuc patre, *OTTO*, Adminiſtrator Hirsfeldiæ, Landgravii Mauritii filius. Cùm enim ſub initium Auguſti menſis Hirschfeldiæ morbillis infeſtaretur, & ſeptima die, paulo poſt horam quartam matutinam, diro ululatu obſcœni canis irritaretur, atque ad eum feriendum arrepto ſclopeto, ſibi non ſatis provideret, ſubita & inopinata ejus diſploſione trajectus, exſpiravit. Imhof. not. procer. 540.

In-

Inter vivos eſſe deſiit *Jacobus Auguſtus Thuanus*, de quo ſupra lib. 1. operis, cap. ult. hiſtoricus celebris, natione Gallus, qui ſuæ ætatis hiſtoriam ſummo judicio & fide, ut Lanſii verba habent in Conſult. p. m. 182. ſine odio & gratia, ad gloriam DEI, & publicam utilitatem, prudentiſſimè conſcripſit; opus & ſtyli elegantia, & graviſſimarum rerum copia ac Majeſtate cum quibusvis, ſive Veterum ſive recentium in eo genere ſcriptis, conferendum. *Jeſuitis* e. gr. Forero, Erbermanno, Creuzio, aliisque ſociennis, *malè audit*, qs. à vertice uſque ad talos hæreſi delibutus, peſſimæque fidei hiſtoricus, &c. conf. Manual. Forer. 703. Myſter. ſyncret. Dannh. 34. defenſionem Lutheri defenſ. Müll. Hamb. dedic. 6. 2. & pag. lib. 76. ſeq. At quis tàm obeſæ naris eſt, qui tantæ cauſam Calumniæ non olfaciat?

Sabaudiæ Ducis juſſu, *Hannibal Grimaldus*, *Comes Bobienſis*, quòd ſe in clientelam Regis Galliæ dediſſet, *capite plexus*, ejusque Comitatus in fiſcum redactus fuit. Orbispolit. Horn. 2. Edit. 266.

LIB. II. CAP. XLIII.

Summaria.

Incipit bellum Bohemicum, toti propemodum Germaniæ internecinum.

Ejus occaſiones & cauſæ ſunt, mala uſurpatio Juris Collaturæ in Archi-Epiſcopum translati.

Sacrorum Utraquiſticorum in territoriis Præſulum ſufflaminatio.

Variarum item injuriarum in Confeſſioniſtas Boëmicos accumulatio.

Denique defenſorum Confeſſionis, actio adverſus Regios officiales nimis præceps.

Duram quoque ſortem experiuntur Evangelici variorum locorum in Sileſia.

Et Elbingenſes in Poruſſia

Ex Theologis obdormiunt in Domino: Johannes Georgius Sigwartus; Et Jacobus Heilbronnerus; nec non Conradus Schlüſſelburgius.

JUbilæum, proximè celebratum, ſecutus eſt extemplo annus, quem verè poſſumus *Ejulæum* appellare, multis cœleſtis iræ ſignis formidabilis, quo inprimis fax diri ſyderis luxit ſupernè, hominum iniquitati condigna ſupplicia denuncians; Et infernè diu gliſcentes bellorum flammæ, Böemicæ, toti Germaniæ ac finitimis provinciis ferales, in apertum eruperunt incendium: Cui ligna ſubmini-

miniſtravit omnis papicolarum cœtus, inprimis cucullatus; prunas Prunavienſis Abbas ſubjecit; ſtramina ac ſulphurata Pragenſis Epiſcopus addidit; Ignatiana ſocietas folles admovit, plenisque buccis auram inſufflavit. Cluver. 777. Apol. Boh. pl.

Longa *turbarum Bohemicarum* (quibus occaſionem & cauſam religio dedit) eſt hiſtoria, longæque ambages; At *ſumma* huc redit. Anno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum nono Rudolphus Imperator, Böemiæ Rex, publicæ pacis causâ iis, qui à Romanenſium ſacris diſceſſerant, ac ſeſe Confeſſores *ſub utraque* appellabant, publicum ſuæ religionis exercitium indulſerat, dato ſuper ea re diplomate, quod *Literas Majeſtatis* nominabant. Iſthæc proteſtantibus data libertas, malè quidem tunc habuit Pontificios, inprimis Eccleſiaſticos, qui tamen, quousque Rudolphus vivebat, & immatura erant conſilia Clericalia multifariè & multipliciter agitata, intra ſedatæ terminos tolerantiæ ſubſiſtebant, ut ideò diſſentientes privilegiis, clementiſſimè largiſſimeque conceſſis, aliquandiu ſatis quietè fruerentur. Vivis autem exempto Rudolpho, Matthias Rex, dogmatum & rituum à Majoribus acceptorum tenacior, quò ſuæ fidei conſortibus rem gratam faceret, mox primo Regni anno in *Pragenſem Archiepiſcopum* Johannem Lohelium *Jus Collaturæ*, ut vocant, omne contulit, in omnibus Böemiæ dominiis nomine Regis exercendum; ea quidem ratione, quæ modo conſtituendi ſacerdotes ac Miniſtros Eccleſiarum anno milleſimo & ſexcenteſimo nono ritè obſervato, nec non Tranſactioni Ordinum ſub una, & ſub utraque tunc inita, conformis eſſet. Verùm enimverò Archi-Epiſcopus poteſtatem ſibi collatam latiùs extendens, in ſacra & ſacros doctores diſſentientium, ipſosque etiam cœtus, dehinc ineluctabiles moleſtias devolvere cœpit, quippe Regio nomine ſuſtentatus; cùm deinceps *Utraquei* apud Regem querelas moverent, hic aut ſiluit; aut, ejusmodi rebus nolle ſe fatigari, reſpondit; aut Papæorum partes non obſcurè tenuit. Apolog. Böem. 1. num. 84. Ll. 2. num. 88. Mm. 3 conf. ſup. XXII. cap. & XXXV.

Præcipua per aliquot annos Confeſſioniſtis Böemiæ, cum Romaniſtis, erat controverſia de templis Utraqueorũ exſtructis & extruendis, conſequẽter de ſacris à Romanenſib⁹ diverſis liberè exercẽdis *in territorio*, quod vocabant, *Eccleſiaſtico*, ſeu Epiſcopis & Abbatib⁹ pontificiis aſſignato, e.g. Brunaviæ & Cloſtergrabii; quorũ hoc in fundo Archiepiſcopi Pragenſis Joh. Lohelii, illud in oppido Abbatis Brunavienſis

Wolf-

Wolfgangi Selenderi, utrumque in patrimonio Romano-Catholicorum, ſic dicto, extabat. Cùm igitur iſtorum tractuum habitatores, qui à Romanenſium partibus diſceſſerant, religioni ſuæ templa molirentur, præſules obſtabant conditoribus; At eosdem fidei proteſtanticæ defenſores in opere perficiendo firmabant; ideòque res primùm ad contentionem venit. Negabant *Præſules*, diſſentientibus ab ipſorum religione, jus eſſe in ſolo Eccleſiaſtico Rom. templa erigere; præſertim eo tempore, quô Epiſcopo Pragenſi conceſſum atque traditum ſit, quicquid juris Eccleſiaſtici penes ipſum Regem hucusque fuerit. Verùm *diſſentientes* opponebant Literas Rudolphicas, queis omnibus Böemiæ regnicolis Confeſſionem, olim Regi & Imperatori Maximiliano exhibitam profitentibus, expreſsè facta poteſtas, ut ubique & in omnibus Regni locis, liberum probatæ religionis exercitium habeant, absque ulla alicujus interturbatione; ac, ſi præter ea templa, quæ poſſideant, plura inſuper alia ædificare velint, facere id ipſis tàm in urbibus, quàm in oppidis & pagis, ſine ullo impedimento liceat. Vanas eſſe blaterationes de fundo Eccleſiaſtico ceu Præſulum patrimonio; Rudolphi enim tempore fundos iſtos patrimonio Regis, ac ejusdem bonis Cameralibus in hoc Regno, annumeratos, proque talibus in Comitiis omnium Statuum generalibus declaratos; Conſequenter Clericos tantùm pro uſufructuariis fundorum, proque Curatoribus appertinentium ſubditorum, in quos utrinque Regi ſuperioritas plenumque dominium eſſe ac manere debeat. Quoniam ergò Rudolphus Rex, in toto Boëmiæ Regno, tanquam ſuo fundo ac patrimonio, Confeſſioniſtis libertatem religionis, ac templorum neceſſariorum extructionem largiſſimè conceſſerit, juſtam non adeſſe cauſam, ex qua Cloſtergrabii, Brunovienſes, aliique Evangelici ullo modo in ſtructura ſua impediri poſſint, aut in cultu ſacro, licet à Romanenſi alieno, turbari. Quidquid verò jurium, nomine Regis Matthiæ exercendum, Archi-Epiſcopus impetrarit (ſubreptitiè forſan) id ea lege datum, ne conſtitutionibus vel declarationibus in Comitiis anno 1609. publicatis contraveniat; aut initæ Tranſactioni Statuum ſub una & utraque, fraudi ſit. Turſell. append. 2. hiſtor. & Schad. contin. Sleid.

Intereà *Pontificii*, tum Regis gratia & favore ſuperiores, tum *Ferdinandi Archi-Ducis in ſucceſſionem Electione ferociores facti*, utpote brachio ſeculari magis inſtructi, quas hactenus ex parte texerant machinationes, velut agmine conſtituto, in apricum producere au-

debant contra Proteſtantes; maximè poſtquam Pragâ Viennam abiiſſet Matthias, Regni adminiſtratione Proregi & Conſiliariis commiſsâ. Parum fuiſſet Bohemicæ Confeſſionis profeſſoribus, variis paſſim ſarcaſmis, eluſionibus & picturis (anſerum præſertim è calicibus potum ingurgitantium) oſtentui haberi, nefariis proſcindi mendaciis, calumniis & conviciis; in multis etiam civilibus poſtponi ac fraudari; nî ſimul innumeris *realibus injuriis* eos afficerent Pontificii; ſtructuras ædium ſacrarum pro purioris fidei hominibus denegarent; Templa, horundem & exterorum ſumptibus jam exſtructa, partim diruerent & ſolo æquarent, partim occluderent, partim in alios uſus converterent; plurimis in locis plebejos ad Communionem ſub una, nec minùs ad proceſſiones Romano more inſtitutas, ad juramenta quoque religioni & conſcientiæ illorum adverſa, multoties adigerent, ac renitentibus frequentes mulctas, incarcerationes, aliasque afflictiones decernerent; Miniſtrorum Evangelicorum annua ſalaria eriperent, aut minuerent, haud paucos etiam ex iisdem ſacra ſtatione, ſuffectis miſſificis, dejicerent; exercitio ſinceræ religionis publico remoras undiquaque injicerent; & ad opprimendam ſaniorem doctrinam nihil non attentarent. Kromaj. hiſt. Eccleſ. pag. 624. ſeq. Apolog. Bohem. 2. 204. pag.

Abſente Matthia, *rumor* prætereà erat *publicus* in Boëmia, quaſi novus Rex Ferdinandus, quamprimùm regimine potiretur, Literas Majeſtatis à Rudolpho conceſſas, ac dein à fratre confirmatas, penitus abrogare vellet; inque *ſuſpicionem* propoſiti ac tentaminis ejusmodi Ferdinandus venit, ob auctas ab ejus electione injurias & moleſtias, Proteſtantibus hoc in regno illatas, dignitatumque collationem in ſolos ferè Pontificios ab iſto tempore factam, reliquorum autem excluſionem ac remotionem obſervatam, Bohemorum privilegiis inſuper habitis. Rebus ita ſtantibus, *Magnates Confeſſioniſtarum* menſe Majo *conventum egerunt Pragæ*, in Collegio Carolino, deliberaturi, quomodò literas Majeſtatis, & libertatem religionis tueri queant? Id factionis diverſæ Proceres mali exempli eſſe perhibentes, Matthiam induxerunt, ut miſſo diplomate, adverſus Majeſtatem ſuam hæc agi conventicula, extemploque diſſolvenda pronuntiaret, quod brevi contigit; firmatum dein, ad humilem Statuum ſub Utraque excuſationem, altero mandato, ut ab ejusmodi conventibus & conatibus abſtineatur, pœna abnuentibus indicta. *Defenſores* itaque *Confeſſionis Boëmicæ*, cùm ſupplicibus literis toties

repe-

repetitis, apud Majeſtatem Regiam remedia cauſæ ſuæ fruſtrà flagitaſſent, exaſperatis indies malis; nec ab officialibus Regiis in arce Pragenſi quicquam ſolatii & auxilii obtinere poſſent; *rèm aliâ viâ*, ſed perniciosiſſima, *aggreſſi*, optimam cauſam, eheu! malè agendo perdiderunt. Burgold. Notit. Rerum Imper. A. 63. 65. edit. 4.

Parilem propemodum ſortem t. t. experti ſunt *Evangelici* Auguſtanæ Confeſſionis in *Sileſia*, præprimis Teſchinæ, in Ducatu ejusdem nominis ſub Adamo Wenceslao, loci Domino; in ſuperiori Glogavia, Ducatus Oppeliani, ſub Rudolpho & Georgio fratribus Oppersdorffianis; Ratiborii, Ducatûs cognom. ſub Capitaneo Cæſareo N. aliisque in locis pluribus, ut videre eſt in literis Principum & Statuum Sileſiæ Lutheranorum ad Ordines Evangelicos Bohemiæ, allegatis in Apol. Boëm. B. Num. 131. Fff. & ſeqq. Gravamina verò Auſtriacorum, & Moravorum, Sileſiacis juncta, Theatrum Europæum recenſet, pag. 97. ſeqq.

Elbingenſibus in Boruſſia, puriori addictis Religioni, *Templum urbis præcipuum*, de quo diutina iis à Pontificiis mota lis erat, hoc anno, ex mandato Regis Poloniæ Sigismundi tertii, ſub acerba proſcriptionis pœna *eripiebatur*, more Romanenſium initio Januarii conſecratum. Schad. in Contin. Sleid.

Mundanis valedixit *Johannes Georgius Sigwartus*, S. S. Theol. D. & Profeſſor Tubingenſis Ordinarius, quem Orbi celebrem fecére diſputationes in Auguſtanam Confeſſionem editæ; & Irenicum Pareanum, cujus fucum graphicè aperuit, detexit ac deterſit. Addi poſſunt, imò debent, Corruptionum Parei, queis Biblia Neoſtadienſia corruperat, refutatio; Manuale locorum communium, doctis & indoctis gratiſſimum & promptiſſimum rerum Theologicarum promptuarium: Conciones etiam typis expreſſæ plures, & quæ integros tractatus complectuntur, utpote in Orationem Dominicam; De Cœna Dominica; de Reſurrectione mortuorum; de Catalogo ſcelerum; de tribus divinæ ultionis generibus, peſte, bello, fame, &c. Tractatus inediti ſunt, præter explicationes Catechiſmi, Evangeliorum, & Epiſtolarum Dominicalium, expoſitiones librorum Hiobi, Joſuæ, Judicum & Samuelis, Prophetiæ Jonæ, Actorum Apoſtolicorum, Epiſtolæ ad Romanos, utriusque ad Corinthios, Galatas, &c. Natus Winendæ, ad ludum literarium ductorem habuit Ægidium Hunnium, ætate & literarum notitiâ paulò profectiorem, diſcendi tamen cupiditate æqualis æqualem. E' Stipendio Theologico

logico Tubingenſi, ad vacantem Diaconiam Eccleſiæ Civitatis vocatus anno 1584. in eo munere triennium (haud integrum) complevit, & mortuo Theodorico Schnepfio huic in Paſtoratu ſucceſſit, ſimul in Profeſſorem Academicum deſignatus atque confirmatus. Obiit officio Rectoratûs defungens, anno ætatis 64. Patientiæ in doloribus egregium exemplar, conſtantiæ & aſſiduitatis in laboribus nobile documentum. Orat. funebr. per D. Hafenreff. pl. Jub. 2. Tubing. 103.

Inſequutus eſt *Jacobus Heilbronnerus*, D. de quo ſupra, lib. 2. oper. XXII. vid. Theologus excellentiſſimus, & ſervus in domo Domini fidiſſimus, Præſul Bebenhuſanus digniſſimus. Quid præſtiterit vir inclytus, teſtantur tàm in lucem edita, quàm manu ſcripta ipſius in multos libros Biblicos, didactica, & contra Adverſarios, Calvinianos atque Pontificios, polemica multa, e. g. Tractatus de Papatu Acatholico; Synopſis doctrinæ Calvinianæ prima & ſecunda; liber Apologeticus pro Wolfgango Comite Palatino, Lutherano non Calviniano, ubi hiſtoria mutatæ Religionis in Ducatu Bipontino nectitur; Relatio & informatio de quinque primariis capitibus Catecheticis, quæſtionibus item & reſponſionibus per Viſitatores Calvinianos Eccleſiis Lutheranis in Superiori Palatinatu obtruſis; Schwenkfeldio-Calviniſmus; Dæmonia Piſtoriana, Carnificina Jeſuitica, &c. Micræl. lib. 3. H. E. 498. Hafenreff. in concion. funer. pl.

D. Conradus Schlüſſelburgius, eandem ivit viam; Saxo-Schaumburgenſis, Regiomonti primùm Löbicenſem Diaconatum obiit, functus deinde Paſtoratu Wiſmarienſi, Antverpienſi, & Stralſundenſi; cum poſteriore conjunctam habens Profeſſionem Theologicam, in Illuſtri Gymnaſio urbis, & Epiſcopiam citerioris Pomeraniæ; Vir ſinceræ tenax doctrinæ, quam ſtrenuè defendit, ore & calamo; ſcripſit Hæreſiologiam, Theologiam Calviniſtarum, quatuor libris propoſitam & confutatam, deciſiones quæſtionum Theologicarum, Expoſitiones Evangeliorum & Epiſtolarum Dominical. & Feſtival. nec non hiſtoriæ Paſſion. Jeſ. Chriſti prolixas. Acer præprimis in Calvinianos Doctores, quos acres olim habuerat perſecutores; Eum etenim, dum ſtudioſum agebat Wittembergæ, ob aſſertam veritatem Lutheranam, non modò incarcerarunt, ſed & ex Academia proſcripſerunt, ut videre eſt in ipſius Theol. Calvin. lib. IV. pag. 216. Micræl. cit. lib. 541.

LIB. II. CAP. XLIV.

Summaria.

Föreiſenius Lutherum, adverſus Rœſtii calumnias vindicat.
Ferdinandus Bohemis ore jurat, Papæ verò corde.
Utraqueiſtica gens, Lojolitas Bohemiâ exire jubet.
Societatis Collegium viſitat.
Ferdinandus, Cleſelium in cuſtodiam Tyrolenſem trudit.
Lis Academiæ Pariſienſis cum Societate Lojolica, de aperiendis Scholis.
Papa R. Gallis & Hiſpanis gratiam æqualiter diſtribuit.
Mortalitatem explet Cardinalis Perronius, in Gallia.
Ambroſius Ferdinandus, in Japonia.

TUnc temporis *Molshemii*, urbe Inferioris Alſatiæ ad Bruſchæ amnem, *Schola Lojolitarum* privilegiis & reditibus aucta, inque *formam Academiæ* redacta eſt. Ibi præ cæteris Profeſſoribus primis & primariis famam quæſivit *Petrus Rœſtius*, in Lutherum, ob imputatam craſſam *ſanæ Philoſophiæ* ignorantiam, immaneque ejus odium, & contemptum execrandum, audaciſſimè injurius. Turpiſſimas autem calumniæ maculas, à perfrictæ frontis & corruptæ mentis viro, in pſeudo-Jubilæo Papali nuper Megalandro aſperſas, feliciſſimè abſterſit *Iſaacus Fröreiſenius*, publica quadam diſputatione pro Loco in Facultate Philoſophica Jenenſi habita, ſub titulo *Vindiciarum Lutheranarum*. Initio quidem Fröreiſenius monuit lectorem, nihil ferè Rœſtium, niſi obſoletas Piſtorii, Vetteri, Conradi Andreæ calumnias; ſpiſſa Serarii, Kelleri, Heiſſii mendacia; Valentes Valentiani fraudes; craſſos Tanneri dolos; Ventoſas aliorum è Societate nugas, jamdudum profligatas, poſtliminiò quaſi in Eccleſiæ proſcenium reduxiſſe, vetera novis verborum ampullis ornantem; præſertim è putida Gretſeri culina crambem, quam in Luthero Academico decoxit, repoſuiſſe: dein probavit Megalandri vindex, veram & ſolidam ſcientiam philoſophicam, Lutherum nec odio unquam habuiſſe, nec execratum eſſe, ſed eam commendaſſe, debitisque laudibus evexiſſe; Ipſum etiam ſaniorem philoſophiam non ignoraſſe, ſed optimè calluiſſe: Virum DEI, ſi quando Philoſophiam rejicere viſus fuerit ac diris eam devovere omnibus, non aliam intellexiſſe, quàm Sorboniſtarum mixto-theologo-philoſophiam, & communem *Scholaſticorum* taxaſſe abuſum, &c. Ex Program. Jenenſ. ac Fröreiſen. Tract.

In

In dedicatione cujusdam libelli, hoc anno ex recens fundata Molshemienſi Academia publicati, fundatorem Scholæ Leopoldum, Sodales Ignatiani ad igneum adverſus Evangelicos zelum concitare fratris *Ferdinandi* exemplo, qui, utut hæreticis in Boëmia, ſub coronationis horam pro more *juramentum* præſtiterit, priùs tamen in Eccleſiæ Sacrario depoſuerit, nil ſe unquam hæreticis in Eccleſiæ fraudem conceſſurum. Id quod allegarunt Status Boëmici Proteſtantes, in Apologiæ ſecundæ appendicibus, num. 126. Rebusque & experiundo conſtitit, Ferdinandum Evangelicis ore, Papæ verò corde juraſſe; Statim enim ab initio coronationis ejus, homines nefarii, conſultores peſſimi, huic uni operam dedére, ut literas Majeſtatis ocyùs convellerent, libertatisque adeò in religione conceſſiones illas cuniculis ſubruerent, injuriis denique injurias cumulando patientiam Ordinum fatigarent, quò inconſulto impetu abrepti, ſeſe in tricas inextricabiles conjicerent. Heideg. in hiſt. Pap. pag. 340.

Poſt factam defeneſtrationem Boëmicam, Lojolæ Sodales juſſi ſunt intra octiduum *Regno exire*, nunquam reverti; Sclopetariis interim quinquaginta præ Collegii Templique ipſorum foribus, ad coërcendum populum conſtitutis. Reliqui Ordines Monachorum in Monaſteriis manſerunt, Comite Turenſi Capuccinis & Mendicantibus de cibo potuque in ſingulos dies proſpiciente. Regno autem expulſi pronunciantur Lojolitæ, tanquam Turbatores pacis, Religionem & Politiam concernentis. Cæterùm hiſce Sociis multa admodùm Proteſtantes objecerunt, utpote: quòd nunquam non ſummoperè ſtudeant, omnia ſub jugum Pontificis R. trahere; plebem ſeducere injurioſis concionibus, quibus nomen Proteſtantium indignis modis proſcindant; corradere variis technis, fraudibus ac impoſturis plusquam Regias opes; Regum & Principum, quos ab ipſis norint alienos, cædes, immiſſis percuſſoribus, machinari; mediô Confeſſionis omnia explorare arcana; immiſcere ſe curis & negotiis reipublicæ; ſemper in perniciem Evangelicorum conſilia ſtruere; hæreticis non eſſe ſervandam fidem, publicè docere, &c. Theatr. Europ. 25. & Notit. Rerum Imper. Burgold. 68. pl.

Fertur, Commiſſariis, viſitandi *Collegii Lojolici* cauſa eò miſſis, in manus veniſſe ex multis aliis *clavem* quandam, cui ſchedula, ex membrana, fuerit annexa, cum inſcriptione: *clavis ad horti capellam, ubi aſſervantur arma;* ſed in horto, ſupra terram equidem, neque capellam, neque arma inveniri potuiſſe; unde Inquiſitoribus enata ſuſpicio,

ſpicio, infra terram alicubi, quicquam ejus occultari. Conſpectum tamen Inquiſitorum effugere neutiquam debuit, *Sella obſtetricalis*, in Oratorio Magnifici Domini Rectoris depoſita, cum culcitris aliquot benè adaptatis, in ſignum perpetuæ caſtitatis Lojolicæ. vid. Apolog. Bohem. ſec. pag. 184. Bekii Luther. ante Luther. 281.

Melchior Cleſelius, Cardinalis, menſe Julio ab Archiducibus Auſtriæ Ferdinando & Maximiliano, clam Imperatore Matthia, ad aulam vocatus, nil mali metuens comparuit; Ibi verò per Sigiſmundum Prainerum in cœnaculum ductus, primùm ut, Cardinalitio habitu depoſito, nigri coloris vulgarem aſſumeret veſtem, juſſus eſt, ob malam rerum, quæ imputabatur ei, adminiſtrationem ac ſeminatam inter ArchiDuces diſcordiam; dein, proteſtatione in vanum adhibita, per occultum tranſitum ex arce deductus, rhedæ impoſitus, ad Styriæ fines, & porrò *in Tyrolenſem regionem deductus eſt*. Matthias demum certior ea de re factus, cum non poſſet mutare, conatum tacendo ſuſtinuit ac probavit. Chron. Calviſ. contin. 976. Spener. Syll. Geneal. a. 30.

Ineunte anno milleſimo ſexcenteſimo decimo octavo, gravis iterum orta *lis inter* almam *Pariſiorum Academiam*, & *Lojolæ Societatem*. Hi poſt receptionem, initio noſtri ſeculi factam, paulò pòſt aperuére Scholas, diffuſis latè per Galliam Seminariis; una Lutetia, regni caput, obſtitit hac in parte Societati, donec Henricus IV. privatam illis concederet ibi domum, qualem anteà ſub nomine Collegii Claromontani poſſederant; ſub finem anni 1609. Theologiam publicè docendi poteſtatem idem ille fecit Ignatianis. Poſtea Ludovicus, Henrici Succeſſor, Scholarum facultatem in omnes ſcientias dedit. Obluctabatur diu multùmque Regis placito Sorbona, obſtrepebat & Senatus Pariſienſis, tum averſatus Jeſuitas, procurante Servino, cui erant in Societatem odia per omnem vitam. Ingens controverſia erat, infinitas datura contentiones, nî ſummo jure Rex evocaret ad ſe litem; unde medio Februarii ſancitum arctioris Concilii placito: Poſthabitis Academiæ oppoſitionibus, redactisque in nihilum Parlamenti eam in rem placitis, *Lojoliticæ Societati Scholarum facultatem fore in omnes artes* & *ſcientias*, ea lege, ut Academiæ ſubjaceat, nec ſibi ab illa appellandi jus eſſe præſumat; cui placito quàmprimùm exequendo committendos è Concilio hocce judices, non obſtantibus appellationibus, oppoſitionibus & interdictis, quorum ad idem Concilium cognitio referri debeat, juri dicun-

 do,

do. Mittendæ in poſſeſſionem Societati, delegebantur duo libellorum ſupplicum Magiſtri, Amelotus & Foquetus; aperiebantur Scholæ, elegantique oratione gratiæ habebantur clementiſſimo Regi, ſub eo themate: ut opus ab Henrico Patre inceptum, dignus tanto Parente filius perfecerit? ut artium liberalium cultor, ut ſcientiarum amans? ut illi ſempiternum ad obſequium ſit, maneatque mancipata Societas? Gramond. hiſtor. lib. 3. 197. Joh. Val. Andr. hiſt. Eccleſ. epit. 422.

Invaluit in Aula Papali conſuetudo, ut Galliæ ac Hiſpaniæ Regibus, gratiæ diſtribuantur æqua lance; v. g. Si quando in Cardinalem Eccleſiæ Romanæ provehitur Hiſpanus, ſtatim fit electio quoque Galli & viciſſim, ſervata utrique Regno æqualitate. Cùm ergò Gallus hoc tempore propoſuiſſet *Gondium*, galero decorandum, *Lernæum* Hiſpanus; utrique conceſſa ſacri Collegii *purpura*. Ille Pariſienſis Epiſcopus erat; hic rerum Hiſpanicarum arbiter. Gram. 201.

Per ea tempora Cardinalis *Jacobus Davius Perronius* vita defungebatur, vir magni nominis in Gallia; altiſſima eruditione, dignitate, fama ornatiſſimus, ut Lanſii verba habent; Ex Calviniano, & quidem Hugonotici Paſtoris filio, Pontificius. Primam ab infantia ætatem applicuerat ſtudio literarum, quo tempore familia anguſta, & arcta penu operam diſcenti locabat; adultus, genio prævalente, imperio quaſi literarum natus, ſervire deſiit. Regis Henrici tertii animo poëticâ primùm inſinuatus, dein majora ſapiens in aulam vocatus, Reginæ Scotiæ parentavit, Ronſardo deinde, ac Joyeſio; exuta poëſi, qua ſibi coætaneos omnes anteverterat, Philoſophum ac Theologum exhibuit Pontificiorum præſtantiſſimum, Profeſſorem quoque Pariſienſis Academiæ nemini ſecundum. Henrico quarto is potiſſimùm, ut Romanam religionem amplecteretur, perſuaſit, mox Epiſcopus Ebroicenſis declaratus, & à Rege, regnum Galliæ Miſſâ dignum judicante, cum Oſſato ad Papam Clementem octavum, pro impetranda benedictione miſſus eſt. Reverſus in Galliam, Pleſſiaci Mornæi librum de Evchariſtia, caſtigandum ſibi ſumſit; *cumq; Mornæo*, ſuper allegatis in iſto tractatu, Fontibellaquei *Colloquium* habuit, coram ipſo Rege, in conventu illuſtrium virorum, quibus caſtratis mutatisque, uti fertur, editionibus impoſuit; purpuram ſacri Aulæ Romanæ Collegii, tanquam victoriæ præmium, accepit à Pontifice, qui præter morem proprio motu, illa virum donavit. Perhibent, *aiùn Fontibellaqueo Henricum*, hactenus in fide dubium, *haud pa-*

rum

rum fuiſſe confirmatum, quòd Mornæus de ſalute Romanenſium benè ſperandum, & Perronius extra Romanenſium cœtum ſalutem expectandam non eſſe, dixiſſent; reſpondiſſe ad hæc talia Regem: Quia concordes pro ſalute Romano-Catholicorum utriusque partis Doctores, tutiùs Catholicum ſe fore, quàm Hugonotam aut Calvinianum. Teſte Gentilleto, in Evangelio Romano, Perronius Archipræſulem Urbis & Eccleſiæ Tyberinæ tanti æſtimavit, ut probandum ſuſciperet: *Quicquid à Papa proceſſerit, pro lege & fidei articulo accipiendum eſſe.* Venetos jam in proclivi poſitos ut à Pontifice R. deficerent, à caſu revocavit; Gallorumque res adeò provexit extraordinaria legatione, qua diu Romæ functus, ut, qui apicem Theologiæ Papææ tenuit, numeraretur inter primæ notæ Politicos; quod rarum; per varia ſcripta, Theologica, Poëtica, aliaque Orbi Erudito ſe commendavit. Hofm. Lex. 534. Gram. 101. ſeq. Bembell. A. 158.

Jeſuita N. *Japonicæ Nationis* tunc lento igne, cum aliis quibusdam Chriſtianis, conſumptus eſt; carceris verò moleſtia extinctus *Ambroſius Ferdinandus* Lojolita Luſitanus, qui mercator olim & miles fuerat, ſed tanta abſtinentia & religioſitate vivebat, ut pro Sancto haberetur. Ex act. Erud. Lipſienſ. de an. 1690. pag. 143.

LIB. II. CAP. XLV.

Summaria.

Molitiones Arminianorum in Belgio fœderato, per Auraicum Principem reprimuntur.

Ordinibus Belgicis firma fixaque manet ſententia, de Synodo Nationali Dordracum convocanda.

Inter Anglos & Scotos augentur diſſenſiones, ob ceremonias quasdam Eccleſiaſticas.

Paulus Toſſanus moritur.

ALiquot abhinc annis inter Eccleſias fœderatorum Belgarum, ſemet Reformatas nominantes, magis magisque diſſenſiones creviſſe, donec tandem in factiones politicas degenerarent, ac nonnullæ civitates novis molitionibus haud ſegniter ſtuderent, ſuprà dictum eſt. Ut igitur intra gyrum obedientiæ urbes iſtas redigeret *Mauritius, Princeps Auraicus*, ſpe factâ Synodi Nationalis, militem ipſis, Trajecto inprimis, admovit. Interim ob diſſenſiones hasce in ſinu gaviſi fuére vicini *Papicolæ*, oleumque camino inſtillare, latibula Remonſtrantibus ac tutum receptum, aliaque polliciti, non dubitârunt.

târunt. Poſt redactas ab obedientiam inquietas civitates, necdum ceſſare *Trajectini* periculoſis operam dare conſiliis. Ex Utrechtanis ergò Senatoribus (cum Secretario *Ledenbergio*) & ex aliis civitatibus, viri quidam primarii Hagam vocati, armatâque manu adhibitâ, eodem anno 1618. *in cuſtodiam dati* ſunt, quos inter Hollandiæ Advocatus *Johannes Barnefeld, Romulus Hogerbertus*, Roterdamenſis Conſiliarius, & *Hugo Grotius*, Leydenſis Reipublicæ Syndicus, &c. Ledenbergius fertur confeſſus, eos id egiſſe, ut vinculum unitatis fœderatarum Provinciarum rumperent, reſpublicas disjungerent, mutarentque ſtatum religionis, & Mauritium Principem ab Imperio removerent. Eapropter, & quia jam antè conſtitit, Ultrajectinos milites elapſo anno in hunc potiſſimùm finem fuiſſe conſcriptos, ut futuræ Synodi Nationalis decretorum, ſi forſan ea Remonſtrantes probare non poſſent, Executio armata manu impediretur, ſtatutum ab Ordinibus Generalibus, omnes iſtos milites quamprimùm exautorandos & abdicandos eſſe; quod ipſum à Principe incredibili fortitudine animi, prudentia, celeritateque, ſine ulla tamen ſanguinis effuſione confectum. Krom. hiſt. Eccl. 666. Gottfr. part. 5. 259.

His ita geſtis *Remonſtrantes* primò quidem Synodo *Provinciali*, dein *œcumenicæ*, controverſias ſuas obtulére dijudicandas, ut Nationalem, vel impedirent, vel enervarent, vel differrent; ſed fruſtrà omnia! Reſponſum ipſis: per unius aut alterius Provinciæ Synodum, exortas controverſias, quippe per totum fœderatum Belgium diffuſas, tolli jam non poſſe; alienum ergò à ratione, hoc in rerum ſtatu de Synodo ejusmodi, tanquam reſtituendæ pacis & concordiæ medio cogitare. Cœterò incertiſſimum eſſe, an & quomodò Synodus œcumenica poſſit convocari, mala verò præſentia, præſens remedium requirere; imò *Nationalem* ab Ordinibus convocandam Synodum, *quaſi œcumenicam* & generalem fore, cùm ex omnibus ferè Reformatis Eccleſiis deputati ſint eidem interfuturi; denique ſi talis etiam Synodi judicio, gravari ſe exiſtimarent, integrum licitumque ipſis fore ſemper, ab hac Nationali ad Oeconomicam provocare, modò intereà priori obtemperarent. Effectum tamen hiſce tergiverſationibus, ut Literæ convocationis aliquantiſper detineri, præſtitutumque conventui diem immutari ac differri neceſſe fuerit. *Repetitum* dein *decretum*, ſine ulteriori mora aut dilatione, ſæpè dictam Synodum Nationalem convocandam, poſitisque certis legibus, ſecundum quas & convocatio inſtitui, & ipſa Synodus celebrari debeat:

Con-

Conventui deſtinatum eſt pro commodo loco *Dordrechtum;* tempus Calendæ Novembris proximæ; cum expreſſa declaratione adjecta: Nihil Majeſtati, Juribus ac libertati ullius provinciæ detractum, aut de aliis, quàm Eccleſiaſticis controverſiis actum iri. Dehinc ad ſingularum provinciarum Ordines datæ ſunt literæ, à Statibus Generalibus, quibus propoſitum ſignificare ſuum, data ſimul admonitione, ut illi quamprimùm Provinciales, conſueto more, Synodos convocarent, & ex his viros idoneos deputarent, qui prædicta in Synodo Nationali, ſecundum leges conſtitutas (quarum exemplar transmiſſum) controverſias hactenus agitatas examinarent, ac tollere juvarent. Quoniam autem Remonſtrantes, Eccleſiarum Belgicarum judicium non magnifacere videbantur, petitum à vicinorum Regnorum, Principatuum, & Rerumpublicarum dominis atque præſidibus, ut & ſuorum Theologorum quosdam ad hanc Synodum ablegare dignarentur, qui ſuis conſiliis & judiciis Belgicarum Eccleſiarum deputatis aſſiſterent. Horn. hiſt. Eccleſ. ed. 2. 378. ſeq. præfat. actor. Syn. Dordr. lit. g. pl.

Sub hæc *inter Anglos & Scotos* quoque *diſſenſiones* haud parum *augebantur*, ob nonnullas *Anglicanarùm ceremoniarum* conſtitutiones, ante biennium in Synodo Perthenſi propoſitas: quas illi hactenus obtrudere Scoticis Eccleſiis; hæ retundere viciſſim, pari ſtudio laborarunt, in futuram totius Britanniæ concuſſionem. Vide ſup. lib. 2. op. cap. XXXII. & Hülſem. Calviniſm. irreconciliab. pag. 41.

Ex vita Mortalium emigravit *Paulus Toſſanus*, Theologus Palatino-Calvinianus, qui nuper gloſſata Biblia vulgaverat, c. XXXIX. memorata, inter Calviniſtas rigidos numerandus; genuinis Lutheri aſſeclis oppidò infënſus & infeſtus; utpote quos *verrucas* nominare ſolebat, *excrementa, dedecus Eccleſiæ*, & quid non viliſſimarum ſpurciſſimarumque rerum? Nec id miramur valdè, cùm à tali *parente* ſatus ac educatus, cui, tanquam alteri Caligulæ in votis erat, Lutherani Prædicantes ut unum haberent caput, eique liceret idipſum ſecuri percutere. Hofm. Lex. B. 481. Wittebergenſ. fundam. deduction. contra Calvin. ac Rintelenſ. Syncret. append. 523.

LIB. II. CAP. XLVI.

Summaria.

Georgius Calixtus, Calviniſmi inſimulatus.

Recuſa Bradwardini diſputatio de cauſa DEI adverſus Pelagium inſcripta, eaque rigidè Calviniſtica.

Libellus Georgii am Ende / de Eccleſia & S. Cœna blaſphemus.

Julii Cæſaris Vanini liber, de Arcanis Naturæ, Atheiſticus.

Dictum Anonymi cujusdam de DEO, plusquam Diabolicum.

GEorgius Calixtus, novaturientis vir ingenii, ante triennium, & quod excurrit, in Academia Julia (Helmſtadienſi) Theologiæ Profeſſor conſtitutus, tum temporis à D. Baſilio Sattlero, Superintendente Guelferbytano Generali, à D. Julio Strubio, Superintendente Helmſtadienſi, à D. Johanne Fuchten, à D. Caſparo Pfaffenradio, profeſſoribus in eadem Univerſitate, ut & à pluribus aliis verè, ac ſincerè Lutheranis, non leviter *Calviniſmi inſimulatus eſt*; jure an injuria? hiſtoricum non attinet. Id autem pro certo conſtat, G. Calixtum in diſputationibus Theologicis, quas edidit, primis, & anno quidem 1611. Calvinianorum haud obſcurè veſtigia preſſiſſe, v. g. in diſp. III. de perſona & officio Chriſti, thes. 43. ac ſeqq. ubi manifeſtum eſſe dixit, & ſcripſit, ab Eutychianiſmo non alienos haberi debere aut poſſe, quicunque *Carni Chriſti communicatam Omnipræſentiam* adſcribunt; idque vi perſonalis Unionis; & iisdem planè, queis uti ſolent Calviniſequæ, argumentis Majeſtatem Carnis Chriſti auſus eſt explodere. Hinc etiam procul dubio factum, ut à Johanne Sigismundo, Electore Brandenburgico, *ad profeſſionem Francofurtanam* in Marchia *vocaretur*. progr. Calixt. fun. B. 1. diſpp. de præcip. Chriſt. rel. cap. 3. edit. & Hartnak. in contin. Micræl.

Et horrenda profectò eſt, inquit N. N. *Thomæ Bradvvardini*, quondam Archi-Epiſcopi Cantuarienſis diſputatio, hoc anno Londini recuſa, deque cauſa DEI adverſus Pelagium inſcripta, quâ paſſim aſſeritur: „DEUM omnes omninò actiones tàm propriè, imò „immediatiùs in homine producere, quàm homo ipſe; denomina„tionem autem boni vel mali, præmii vel pœnæ, hærere in ſubjecto „actionis proximo: Quomodò propter diaboli peccatum ſerpens „eſt maledictus, etſi paſſivum fuerit inſtrumentum, &c. Quem autorem alioquin, tanquam Gratiæ Divinæ defenſorem, Caſſander alicubi laudat: Leydekerus autem, Bradwardini libros de cauſa DEI (quos Pelagianis ſeculo decimo tertio, caput in Anglia denuò extollentibus oppoſuerit) à pluribus legi exoptat; Rhetorfortis iſtem ipſa Bradvvardini veſtigia preſſè calcat. Et hi tamen ſancti, *ſcili-*

ſcilicet, in fundamento fidei conſentire dicuntur cum Lutheranis; Ipſique ut cohæredes præſentis gratiæ & futuræ gloriæ ſuſcipi jubentur à Calixto, etiam inviti. Hülſem. de auxil. gr. 333. 315. Leidek. in contin. H.E. Hörn. 76.

Georgius am Ende / Lojolita, in libello trium utiliſſimarum quæſtionum de Eccleſia & ſacra Cœna, anno 1618. Moguntiæ vulgato, non minùs blasphemè ſcripſit: *Cogitationes de S. Cœna ſub utraque*, Carnales eſſe, Satanicas ſuggeſtiones, & Imaginationes merè beluinas atque pecuinas. Crepare Societatem Jeſu, & JESU CHRISTI Teſtamentum ita flagellare, quomodo conveniunt? Refert Georg. Albrecht. in Conc. de S.C. 29. pag. 350.

Eadem tempeſtate *Julius Cæſar* (aliis Lucilius) *Vaninus*, de quo ſupra lib. 1. op. XXIV. Toloſam venit, Medicinæ in ſpeciem profeſſor, re autem ſeductor incautæ juventutis, de quo hiſtoricus Gallicanus hæc recitat: „Naturam pro Matre optima & omnium „Auctrice adorabat gente Italus; literarum rudimentis Romæ im„butus, Philoſophiæ ac Theologiæ incubuerat magna ſpe; cùm „ad impia & ſacrilega prolapſus, ſacrum ſacerdotii characterem „polluit *libro infami*, quem ſcripſit in hunc titulum: *De arcanis Na„turæ*; quo non erubuit profiteri, *Naturam omnium DEAM.* Grammond. lib. 3. p. m. 210. pl.

Eandem tibiam inflavit *Atheus* ille, cujusmentionem fecit Claſenius, ſuppreſſo quidem nomine. „Quàm diu (dicebat monſtrum „plus quàm diabolicè impium) ingenio ac judicio meo uti potui, „nihil dementius mihi quicquam viſum fuit unquam, atque do„cere pleroſque: Dari aliquem DEUM, ſupremum Numen, cujus „nutu fiant & regantur omnia. Quæ fiunt, Naturæ vi ac operatione „fiunt; pluviam producit natura; Natura producit herbas & plantas, „ad quarum generationem tamen concurrit ſiderum influxus, qui „tàm neceſſarius eſt, ut aliter ſe res habere non poſſit. Quæ ergò „dementia, aut ſimplicitas eſt, precari in templo pro hoc vel illo „ægroto? ſi natura, & præcipuè aſtrorum influentia, diverſimodè „valet, nunc pluet, nunc ſerenitas erit aëris, preces utique pluviam „cœlitus non trahent; ſic & ægrotus moritur, naturâ in ipſo debili„tatâ, quamvis mille pro ejus ſalute orent; neque credas oratio„nem tuam ægroto revaleſcenti reddere ſanitatem. Interim ſi hæc „fiant ad imperitum vulgus detinendum, non improbo conſilium „iſtud, ſatis prudenter olim à priſcis politicis ſuggeſtum. Aliàs

„& do-

„ & doctis iſta velle obtrudere, ſtultitia eſt. Nam, quæſo, perſva-
„ derine poteſt viro prudenti, corpora noſtra poſt mortem reſurre-
„ ctura? Corpus exanime reſolvitur in ſua Elementa, uſque dum
„ perveniatur ad materiam primam, ut filii phyſicorum loquuntur:
„ hæc materia prima fit ſubjectum alterius corporis generandi, ut ita
„ meum deſinat, & alterius incipiat corpus eſſe; tunc & ego alter
„ habebimus unum corpus in reſurrectione? nam poſita principii
„ identitate in corpore, ponitur identitas ipſius corporis: Quid ſi tu
„ fueris in hac vita bonus, ego malus, vel contra? unum idemque
„ corpus afficietur pœnis & præmiis, & ſimul in cœlo ac inferno erit,
&c. Vid. Daniel, Claſ. Rel. pol. c. 5. pag. 66. ſeq. *Increpet te DEUS, Satan!*

LIB. II. CAP. XLVII.

Summaria.

Colloquium Caſtrieraldenſe in Gallia.
Rothomagenſe; & Vezeſianum.
Synodus Nationalis Belgico-Dordracena.
Paræneſis Theologorum Wittenbergenſium ad Studioſos Theologiæ, de frequentiore S. Bibliorum lectione.
Urciani & Hakeri D.D. pontif. de cauſa prædeſtinationis diſſidium.
Abrahami Bzovii Annales Eccleſiaſtici.
Senioris Buxtorfii opus Biblicum, Hebræo-Chaldæo-Rabbinico-Maſorethicum.
Hommii ſpecimen Controverſiarum Belgicarum.
Buceri, Paſtoris Veriani, liber de gubernatione Eccleſiæ.
Philoſophici Collegii Tubingenſis Remonſtratio, quantum noceat fundamenta in ſcholis trivialibus non bene locaſſe!

ANno 1618. vergente Julio, *Caſtrieraldi* in Gallia, inſtitutum *Colloquium*, ad petitionem locum-tenentis Regii Pidoux, inter Johannem Carre, Paulumque Geſſinum de la Pittiere, loci miniſtros Eccleſiæ Hugonoticæ; & Pontificiæ partis Johannem Breardum, Doctorem Sorbonicum, ac Danielem Bandri, Baccalaureum Theologiæ papanæ; *de purgatorio, invocatione ſanctorum, ac transſubſtantiatione:* Habitæ *Seſſiones quatuordecim*, quouſque autoritate publica interdictum fuit ulteriùs progredi. Hornbek. S. C. 276.

Menſe Novembri adulto, aliud *Colloquium Rothomagi de Miſſa* fuit habitum inter Johann-Maximilianum Langlæum, Calviniſtam; Et Franciſcum Verronum. Quomodò uterque ſteterit, Andreas Ri-

Rivetus in dedicatione Catholici Orthodoxi, hiſce verbis expoſuit:
„ Quid, *Langlæe*, poſſis in redarguendis & convincendis adverſa-„ riis veritatis, tu olim comprobaſti, triumphato inſigni illo bala-„ trone Franciſco Verrono, qui, cùm omnibus verbi DEI Miniſtris „ inſultaret, & epiſtomium, ut ille quidem jactitabat, eorum ori inji-„ ciendum pararet; Ipſe ad ſilentium redactus, ut mutire non poſ-„ ſet, ſpectatoribus & auditoribus, quos è ſuis advocaverat, indi-„ gnantibus, victoriam tibi ſolidam reliquit. Hornbek. S. C. 991. Rivet. dedic. *. 3.

Denique menſe Decembri, *Vezeſi*, prope Tolleburgum, *de poteſtate Petrina papali*, ſermones miſcebant Guilielmus Rivetus, ac Dom. de Londe, ex Hugonottis; Ex Jeſuitis N. Teſſierus, ac N. Deſprueles; quo ſucceſſu & eventu? non liquet. Joh. Hornb. 991.

Sed inprimis hìc memoranda, celebris apud Calviniſtas *Nationalis* illa *ſynodus Belgico-Dordracena*; quam Ordines fœderati Belgii Generales, pluſculis aliis conventibus fruſtrà præmiſſis, ex Angliæ Regis Jacobi primi, & Mauritii principis Auraici conſilio & ſvaſu, indixerunt: Idque occaſione Arminiano-Remonſtrantiſmi; qui Leidæ anno ſeculi hujus tertio cœperat, inde hactenus in omnes Unitorum Statuum provincias diffuſus. Huic ſynodo, inchoatæ decimo tertio Novembris die, anno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum decimo octavo, interfuére, præter ſelectos Myſtas aliosq; Belgicarum Eccleſiarum deputatos Reformatorum nomen jactantes, Theologi Anglo-Calviniani, Brandenburgici, Palatini, Haſſiaci, Wetteravi, Helvetii, &c. Gallos, prohibente Rege, legimus non adfuiſſe, miſiſſe tamen ſuum de controverſiis quæſtionis judicium, & poſteà Dordracenis Canonibus, in ſua ſynodo Nationali Francica, ſubſcripſiſſe. *Præſidem* egit *Johannes Bogerman* (aliis Boyerman) Eccleſiæ Leovardenſis antiſtes: Præſidis *Adjuncti*, *Jacobus Rolandus*, Amſtelodamenſis paſtor; & *Hermannus Faukelius*, Mittelburgenſis Eccleſiaſtes, extitére. Officio *ſcribarum ſynodalium* functi ſunt, *Sebaſtianus Damman*, Zutphanienſis Paſtor; & *Feſtus Hommius*, Leidenſis; omnes Gomariſtarum, ſeu rigidorum Calviniſtarum & contraremonſtrantium partibus addicti, *Aſſeſſores & judices.* Ex *Remonſtrantibus* etiam nonnullis licuit adeſſe, ſed non eodem cum cæteris jure; Non iis, primùm, quos Remonſtrantes de ſuo cœtu idoneos actioni tàm ponderoſæ judicarent, ſed alijs quibusdam peculiariter citatis; & quanquam impetrare poſteà primarios cauſæ ſuæ defen-

ſores, his tamen minimè conceſſum citatos juvare publica, ſed privata ſolùm actione; Ipſos etiam citatos, in publico ſeparatim duntaxat comparere oportuit, unius denegata corporis conſtitutione &c. *Materia tractationis* in ſplendido iſto Conventu potiſſima, fuit Articulus de Electione ſeu prædeſtinatione hominum ad ſalutem æternam, cum annexis, de merito Chriſti, gratia Dei converſiva, fideliumque perſeverantia &c. *Remonſtrantes*, Arminii Veteraquinatis veſtigia legentes, ut ante Synodum in Remonſtrantia ſua Ordinibus Generalibus tradita, & alibi, conditionatum prædeſtinationis decretum, Chriſti meritum univerſale, Divinam converſionis gratiam reſiſtibilem, fidem denique hominum per Spiritum Sanctum hîc regeneratorum amiſſibilem docuére; ſic etiam fecére in Confesſione ſua, Synodo exhibitâ: Contradictoriam autem ſententiam tenuére *Contra-Remonſtrantes*, decretum prædeſtinationis Abſolutum, particulare meritum Chriſti, particularem gratiam, ejusque operationem irreſiſtibilem, & fidem verè regeneratorum inamiſſibilem ſtatuentes. Quod *Formam* attinet ſeu modum agendi, potiſſimùm ſcriptis hac in Synodo actum, non viva voce, inſtitutis *centum & quinquaginta Seſſionibus*, eo maximè proceſſu, quem erga ſe uſurpatum Patres illi non probaſſent unquam aut usquam. *Finis & Exitus* fuit, ut articuli Remonſtrantium damnarentur, Confeſſio Belgica & Catecheſis Palatina denuò approbatæ confirmarentur, Arminiani, qui has reviſas ac emendatas volebant, functionibus exuerentur ſuis, nonnulli proſcriberentur, alii carceribus compeſcerentur, quidam etiam (ob cauſas tamen politicas) capitalibus afficerentur ſuppliciis. Confer Krom. H. E. 379.

Tum temporis cùm *Theologi Wittenbergenſes* obſervaſſent, adoleſcentes Academicos, eos etiam, qui functionibus Eccеſiaſticis deſtinati erant, lubentiùs ſcrutari Metaphyſicas aliasque ſubtilitates philoſophicas, quàm S. literas, quæ ſolæ hominem DEI perfectum reddunt, ad omne bonum opus inſtructum; fideliſſimam *parænesin ad univerſos ac ſingulos Theologiæ Studioſos, de frequentiore & accuratiore S. Bibliorum lectione*, publicarunt. Non poſſum, quin huc transferam verba pathetica, quibus paterna illa adhortatio concluditur: „Veſtri cauſa, inquiunt, hæc monere voluimus, Adoleſcentes optimi; veſtrum eſt veſtigia monſtrata premere, non recalcitrare. Chriſto Jeſu deſponſati eſtis, S. Eccleſiæ miniſterio vos ipſos conſecrâſtis, per vos, imò per vos ipſius JEHOVÆ, verbum cum tempore

vul-

„ vulgari debet; ad rem igitur, ad rem maturè pergite. Cur infructuo-„ ſas, cur vobis & eruditis etiam philoſophis exoſas ambages ſectami-„ ni? Ecce revocamus vos, imò etiam per Deum immortalem, per „ publicam propriamque ſalutem vos obſecramus & obteſtamur, ut „ vel tandem aliquando Scripturas, Scripturas ſacroſanctas, & domi „ diligentiùs evolvere, & publicas earum Enarrationes frequentiùs „ auſcultare incipiatis. Maledictum Jeremias pronuntiat, qui opus „ Domini fecerit negligenter. Hoc veſtrum principale, hoc Domi-„ ni opus eſſe, memineritis, Scripturas primùm legere, & intellige-„ re, pòſt alios ad vitam æternam informare. Negligenter ſi fiat, quid „ aliud expectare poteritis, quàm horrendam tremendamque ſeveri „ judicis ſententiam: diſcedite maledicti! ô miſeram Eccleſiam, tot „ hæreticis, falſiſque fratribus preſſam & ferè oppreſſam! Gemit, „ gemit omninò, & plures, qui ſubſidium ferant, expetit. Auditis „ hos gemitus? videtis ſqualentem faciem? Miſeremini, Ah! miſe-„ remini tandem, & ſuccurrite! Fiet hoc, ſi fidelibus monitis noſtris „ obſecundantes, & in lectione Biblica, & Scholarum noſtrarum vi-„ ſitatione, diligentiores fueritis. Non in extremo margine ſubſi-„ ſtendum eſt, ad perfectionem aſpirate. Non ſufficiunt milites le-„ vis armaturæ, non ſatis eſt concionem formare; In acie ſtandum, „ veritas aſſerenda, hoſtes fugandi ſunt, quod ſine adminiculis lin-„ guarum artiumque, & ſine ſolida eruditione Theologica factu eſt „ impoſſibile. Nos teſtes hodie invocamus cœlum ac terram, quòd „ propoſuerimus vobis vitam & mortem, benedictionem & male-„ dictionem. Eligite ergò vitam, ut & vos vivatis, & ſemen veſtrum, „ atque obediatis voci ejus (Domini) & illi adhæreatis. Hucusque Theologi Wittebergenſes, ut refert D. Michaël Waltherus in Quadragena Miſcell. Theol. 568.

Sub hæc inter Fratrem *Andream Urcianum*, Franciſcanum, & D. *Jacobum Hakerum*, Profeſſorem Friburgenſem, de cauſa Prædeſtinationis *diſſidium* fuit *acerrimum*. Scripſerat Hakerus diſputationem de Prædeſtinatione; Contra illam calamum ſtrinxit Urcianus; Unde Hakerus Apologiam edidit, Friburgi anno 16 8. cum hac Epigraphe: *Diſputationis de Prædeſtinationis cauſa falſo & mentito autore Daniel Neidingero, vero autem & germano ejus fabro Fr. Andrea Urciano, Ordinis Minorum obſervantiæ regularis in urbe Mantuana nuper editæ, & ibidem à tredecim diverſorum Ordinum fratribus & patribus ſuſceptæ, in quatuor, ex quibus coaluit, Elementa, nempe mendacia. hæreſes, antilogias, ſer-*

 monis

monis ſordes, Analyſis, autore J. H. Dedicationis Hakerianæ hæc ſunt verba: „ Scriptionem hanc extorſit, vel invito mihi, fr. Andreas Ur-„cianus, ex ordine & familia Franciſcana, peſſimum ex optimo vi-„ridario germen. Is famoſum libellum (quanquam Punicâ, alte-„rius titulo ſe melioris ſuppoſito, nominis fraude frauſus) edidit, „quo me & exiſtimationem meam, ceu efferata belua furiosè in-„ceſſit, impetu invaſit. Et quidnî beluam dicam? quem, niſi ob-„brutuiſſet, debuerat à tàm atroci facinore, ſi minùs vel gravior æ-„tas, quam ſuſtinet, vel religio arctior, quam profitetur, potuére, „terror ſaltem Legum Imperialium in eos, qui libellis famoſis vel „autores, vel promotores, ultore gladio graſſantium, cohibere ac „reprimere, &c. D. Joh. Gerh. Confeſſ. Cathol. B. 1186.

Prodiére tunc *Abrahami Bzovii*, natione Poloni, Theolog. D. Ordinis Prædicatorum ſive Dominicanorum, poſt Illuſtr. Cæſarem Baronium R. E. Cardinalis Bibliothecarii, *Annales Eccleſiaſtici*, Coloniæ Agrippinæ apud Antonium Bœzerum, in folio. Johann. Müller. Hamb. Catalogo libr. reſponſionib. ad Object. Pontif. præfixo. *D. Nicolai Hunnii, de hoc autore ac ejus libro, judicium* eſt: „ Pontificius ille „ſcriptor A. B. Annales, quos vocat, Eccleſiaſticos, tàm frivolis, „puerilibus & ſtolidis narratiunculis refertiſſimos edidit, ut ſimpli-„citatem viri, & hebetudinem ejus Ingenii, Eruditorum nemo ſatis „mirari poſſit. Abraham Bzovius, Polonus Dominicanus, Conti-„nuator hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Baronii, vel potiùs *Annalium ſui Or-„dinis* eſt, Johann. Jacob. Hofmann ſcribit. Vid. Pell. Ovin. Pontif. detract. pag. 1031. & Lex. univerſ. A. 329.

Meliorem navavit operam, Senior *Johannes Buxtorfius*, in *opere Biblico* verè *Magno, Hebræo-Chaldæo-Rabbinico-Maſorethico*, quod hoc anno Baſileæ publicavit in folio regali. „ Margini autem *ſuperabun-„danter* vir doctiſſimus addidit Anonymum illum, *Autorem Ordinum*, „qui aliàs *R. Jacob* dicitur. Commentationes ejus Cabaliſticæ in loca „Biblica, præter legem Moſis, rariſſimæ, locum ibi extimum occu-„pant, & charactere minutiſſimo, plerumque etiam abbreviatè ſunt „ſcriptæ. Cento autem quidam eſt, è pluribus Judaicis pannis con-„ſarcinatus, cùm adeò varium ſe monſtret, aliàs opportuna profe-„rens, non rarò ridicula; eſt &, quandò prorſus delirat. Unde ap-„paret, eſſe mera tàntùm diverſorum autorum in unum chaos di-„geſta ſcholia, citra delectum & judicii dexteritatem. Veſcantur „iſtis glandibus, quibus Chriſtianorum fruges non placent, & ha-

„beant

„ beant ſibi ſimiles labra lactucas. Noſtrates vix ex illis arma, im-„ bellia in ſeſe, deſumunt unquam, niſi contra ſuperſtitioſos admi-„ ratores talium nugarum; Unde parum intererat ſpecimine aliunde „ adducto innoxiam chartam commaculare; Verba ſunt D. Balthaſaris Raithii, Prof. Tubing. in Specimine Collegii Biblici, pag. prim. & ult.

Paulò ante celebratam Synodum Dordracenſem, *Feſto Hommio*, Leidenſi Theologo, Gomariſticæ partis, viſum fuit in uſum Synodalium conferre Arminii, Epiſcopii, Bertii, Barlæi, aliorumque Complicum (quibus Vorſtium addidit; jure an injuria?) ſententias cum Confeſſione Eccleſiarum in Belgio Reformatarum, ſub titulo *Speciminis Controverſiarum Belgicarum*, anno 1618. eo fine procul dubio, ut viſa, à Patribus conſcriptis, ab hoc lydio lapide diſcrepantia, Remonſtrantes citiùs calculo damnatorio ſubjicerentur. vid. D. Calov. Conſideration. Armin. dedicat. A 4.

Haud pridem quoque lucem publicam aſpexerat Paſtoris Veriani, nomine *Buceri, liber de gubernatione Eccleſiæ*, quo caſtigata Dounami, Præſulis Anglicani concio, Epiſcopatum coram ipſo Rege, quaſi de Jure Divino deberet in Eccleſiis obtinere, commendans; Cùmque *Rex Jacobus primus*, flagrantiſſimus Epiſcoporum Pater, *ob librum iſtum vehementer excanduiſſet*, ut pœnas de autore poſtulari exigeret; Seelandica *Synodus provincialis Zericeæ* h. t. habita, pientiſſimi & eruditiſſimi viri defenſionem ſuſcepit, facta interpellatione, apud Mauritium Principem, cui liber inſcriptus erat. Ex actis ineditis recenſet Leidek. in not. ad Horn. H. E. 395. 411.

Quantum referat, ut *fundamenta in Scholis trivialibus* ſolidè ponantur, didactici uno ore inculcant. Neque enim in eventu trivialia ſunt, quæ in principio talia dicuntur. Fundamenta hæc rudimenta ſunt, quibus univerſa Eruditionis ſtructura eſt ſuperædificanda, ut iis neglectis, lapſus in dictis & ſcriptis non aliter ac fiſſuræ murorum, gliſcant, quorum ſubterraneus pes ſolidè non eſt fixus i. e. angularis lapis immobiliter non jactus, juxta Grammaticorum proverbium: Superbum animal eſſe Grammaticam, quod ſui contemptum per omnem ætatem vindicet; quem defectum alii cum tergemino concoctionis vitio conferunt, quod in ſecunda difficulter, in tertia nunquam, aut difficillimè corrigi poteſt. Graviſſimè hoc, *Philoſophicum Academiæ Tubingenſis Collegium* in peculiari ſcripto, inſcripto: Gründlicher Bericht von jetziger Beſchaffenheit deren bey der Univerſität

ſität ſtudirenden Jugend/ anno 1618. die 19. Martii oblato, remonſtravit; nempe quantum noceat, trivialia fundamenta, Grammaticæ inprimis, benè ac ſolidè non locaſſe; Concluſio ſcripti tandem ita ſonat: „ Proinde defectus & culpa ſtudiorum apud multos haud feliciùs procedentium, in prima Inſtitutione maximam partem hæret; parvus error ab initio commiſſus, in fine parit magnum, & ex uno plures ſequuntur. Facilè ergò colligere datur, pergunt, quæ tanti cauſa & origo mali, ut Baccalaureos & Magiſtros, imò & alios honoratioris conditionis, aliquando minùs doctos producamus, & conſpiciamus. Culpa profectò nulla nobis, in erudienda juventute ſummam adhibentibus diligentiam, imputanda, ſed Scholarum Trivialium defectibus, quæ ut obſerventur & amoveantur, valdè deſideramus ac flagitamus. D. Tobias Wagner in funebr. D. Pregizeri Sen. pag. 13. pl.

LIB. II. CAP. XLVIII.

Summaria.

Philippoburgi munitiones ab Elect. Palat. deſtructæ.
Hamburgum, civitas Imperialis libera.
Marchionum Brandenburgicorum nova Infeudatio in Boruſſia.
Ferdinandus, Matthiæ ſucceſſor in Hungaria declaratus.
Furioſa defeneſtratio Pragenſis.
Atrox conjuratio in Senatum, & ipſam urbem Venetorum, detecta.
Mors Philippi, Pomeraniæ Ducis Stetinenſis: Et Adami Wenceslai, Teſchinenſis Ducis in Sileſia.
Item, Philippi Wilhelmi Auraici; Et Wilhelmi Fürſtenbergii; nec non Chriſtophori Ludovici C. Werthemenſis.

EMericus, qui ſeculo XIV. vivebat Spirenſem Epiſcopum agens, aliquot pagos à Nobili Henrico von Cöln cöemit, inter quos etiam *Udenbemium*; Hoc poſteà Epiſcopus Gerhardus, muro foſſaque circumdedit; ſucceſſor verò Georgius, circa initium ſuperioris Centenarii, arcem ibi condidit, & Epiſcopalem eò ſedem transtulit; Hoc demùm ſeculo Philippus Chriſtophorus, novas easque ſolidas munitiones per aliquot annos adſtruere cœpit, locoque à ſe nomen dedit, & *Philipsburgum* vocavit, contra dehortationes *Palatini* diverſimodè adhibitas; Cùm ergò non deſiſteret Epiſcopus à vallorum & foſſarum additione, Elector *Fridericus V.* miſſis aliquot

equi-

equitum peditumque millibus, & operariis mille ac ducentis, novum opus *deſtrui*, foſſas oppleri, cauſasque everſi fortalitii publico ſcripto exponi curavit. Not. procer. Imhof. p. m. 203. ſeq. Schwelin. Chron. 386.

Die ſexto Julii hujus anni, *Hamburgum* in Camera Spirenſi *pro Civitate Imperiali libera*, per ſententiam *declarata eſt*; ſed Reviſionem actorum petiit *Holſatiæ Dux*, illaque pendente anno 1621. Dux & Civitas hunc in modum convenerunt, ut ſalvo Imperii Jure, poſterior priori fidelitatis diceret ſacramentum. Inde Reinkingius *Hamburgum inter mixtas civitates* refert. Sed plura de his alibi; videatur interim Burgold. Not. rerum Imp. a. 394. c. 107. Binch. Catech. pſalmod. dedicat. non procul. à fine.

Alberto Friderico, *Marchione Brandenburgico*, vivis exempto, nulloque ex ejus linea mare relicto, *Johann-Sigiſmundus* pro ſe & fratribus, ratione *Boruſſiæ*, à Polonorum Rege *novam infeudationem* impetravit, cujus poſtmodum per *pacta Bidgoſtienſia* Franconicæ etiam lineæ Marchiones facti ſunt participes; Ab iſto igitur tempore, Ducatus Pruſſiæ feudum fuit Poloniæ, donec Elector Fridericus Wilhelmus à Rege Johanne Caſimiro ſupremum ejus Imperium obtinuit. Notit. procer. Imhof. 119. Horn. orb. Imp. 395. iter. edit.

Ferdinandus ſecundus Bohemiæ deſtinatus Rex, à Matthia commendatus, *declaratur etiam Hungariæ ſucceſſor*, ea tamen expreſſa lege, ſi omnes & ſingulas libertates, privilegia, immunitates, ſtatuta fideliter obſervare, utque ab aliis inviolabiliter ſerventur, operam dare promitteret, gravamina pariter tollere, libertatem ſacrorum aſſerere, omniaque in ſtatu pacato, quoad nempe fieri poſſit, conſervare. Promiſit Ferdinandus; Matthias in fidem ſubſcripſit; facta dein Coronatio, ſed quam infauſtum præceſſit omen. Theatr. Elect. & Coron. Cæſ. 252. Theatr. Europ. 44. ſeq.

Interim in Bohemia, novæ bellorum faces excitatæ. Proceres enim *Utraquiſtæ*, in ſacrorum libertate multis ſe modis lædi judicantes, Conventum inſtituerunt Pragæ, fruſtrà reclamante MATTHIA; de Regni afflicto ſtatu poſtquam conſultaſſent, in aulam vel arcem plerique vecti, gravamina ſua Cæſareis Miniſtris expoſuerunt, libertatem religionis, liberationemque captivorum Brunavienſium exigentes. Neutro horum impetrato, & culpâ malorum in *Wilhelmum Slavvatam*, Conſilii præſidem, ac *Jaroslaum Smeſianſcium*, Regni Mareſchallum, nec non *Philippum Fabrum* ſcribam rejecta,

jectâ, eos, tanq. turbatores pacis, *ex Cancellariæ feneſtris* die Maji vigeſimo tertio *dedere præcipites*, quibus vitam incolumem Divina benignitas texit. Furioſa iſthac defeneſtratione facta, defenſores partium Utraquiſticarum, juramento ſibi obſtrinxere cives Pragenſes, mutuumq; fœdus iniere, de Regionis ac Religionis Libertate propugnanda; Mox etiam Auſtriis, Moravis, Luſatis ac Sileſiis in partes vocatis, Directoribusque velut in interregno conſtitutis, novam ſibi condidere Rempubl. Hoc eſt illud incendium, quo tota deinceps Germania ferè conflagravit. Boxhorn. Chron. ed. 1. 150. Turſell. Epit. hiſt. app. 3. 4.

Bellum inter Mantuanum, Sabaudumq; Duces, in Italia coortum anno 1613. demũ anno 1618. *finitum*, Galliæ Regis operâ, & reſtitutis utrinq; iis, quæ armis occupata fuerant, ſoluta diſcordia; Nec minùs *inter Ferdinandum Auſtriacum, & Rempublicam Venetam pax* coiit. Sed his, Majo menſe, majus malum in ipſa Urbe imminebat per *clandeſtinam conjurationem* peſſimorum hominum, quibus propoſitum erat, Curiam urbis invadere, Senatores opprimere, armamentarium incendere, pontes diſturbare, totam denique Urbem evertere, ac devaſtare. Fertur ergo ductorem primarium egiſſe Alphonſum de Cueva, Marchionem de Bedemar, Legatum Hiſpaniæ Regis ad Venetos ordinarium, jamque rem eò perductam fuiſſe, ut, niſi paucis antè horis à quodam ex complicibus, quem conſcientiæ ſtimulus pupugit, detecta, pleniſſimum effectum habitura fuiſſet. Animi tamen lenitas, an prudentia dicam, Senatorum poſt evitatum tàm grande malum, permagna, & admiratione digna fuit, in diſſimulatione omnium, quæ ad Regis Hiſpaniarum ejusque Conſiliariorum, qui conſcii facinoris eſſe dicebantur, contumeliam aut rumpendam pacem pertinere poſſent; Mirum etiam, tanti criminis convictum Marchionem, non modò impunitum evaſiſſe, ſed & poſteà in Cardinalium Collegium fuiſſe cooptatum. Turſ. hiſtor. 261, Act. Erud. Lips. an. 1689. vid. pag. 242.

Mortalia tum explevit, ex perſonis Illuſtribus, *Pomeraniæ Dux Stetinenſis Philippus*, Juſtitiæ, pietatis & virtutum potiſſimarum laude perinclytus princeps. Verbi divini lector & auditor flagrantiſſimus; legum politicarum conditor, & Executor, æquè prudens ac probus; diſciplinæ Chriſtianæ tam in aula propria, quàm Republica maximè tenax. Confer ex cap. XXXIV. hujus libri notata, & ejusmodi plura ex Epiſtol. Zeil. tom. 2. pag. 180.

Fato

Fato quoque functus eſt *Adamus Wenceslaus*, *Sileſiæ Teſchinenſis Dux*, qui anno 1579. patri ſucceſſerat in regimine. Hic in aula Chriſtiani primi Saxon. Elect. educatus, & religione Lutherana imbutus, poſteà in bello Turcico ſe ſtrenuè geſſit, & anno 1617. ſupremus in Sileſia Capitaneus Cæſaris conſtitutus, an. ſeq. mortuus, poſtquam ad Romanenſium ſacra tranſiiſſet; in quibus etiam filius Fridericus Wilhelmus, ex Eliſabetha Curlandica natus, adolevit, ac tandem totam Micislai lineam terminavit. Spener. in Syllog. Geneal. 284. Hofm. in voce Teſchina.

Item *Philippus Wilhelmus*, Wilhelmi Auraici filius, Mauritii verò è ſecundo conjugio pater, qui, poſtquam ſuperiori ſeculo, Albani juſſu, ex Academia Lovanienſi decimo tertio ætatis anno abreptus, & in Hiſpaniam avectus fuit, ubi per ſpatium *octo & viginti annorum in cuſtodia detentus*; demum anno 1595. libertati redditus, & cum Archiduce Alberto in Belgium reverſus eſt; ab eodem non ita multò poſt in Hiſpaniam remiſſus, ut ſponſam Iſabellam Claram Eugeniam, Regis filiam, ad ipſum deduceret. Notit. procer. Imhof. 791. 794. pl.

Et *Wilhelmus*, *Princeps Fürſtenbergius*, qui ſua in omni genere prudentiâ meruit, ut conſilii Imperialis Aulici præſes conſtitueretur; ſed præmaturè, anno ſcil. 1618. ætat. 32. vitâ eſt orbatus, nullis ex uxore Lobkovvizia ſuſceptis liberis. A fratribus ejus duo rami provenerunt, Heiligenbergenſis, & Doneſchingenſis. Imhof. Notit. procer. Imp. 843.

Vivendi finem non minùs fecit, *Chriſtophorus Ludovicus*, *Comes Werthemenſis & Lövvenſteinenſis*, Evangelicæ religionis, novam, dum viveret, exorſus lineam, nempe Virneburgicam, ob Comitatum Virneburg, quem ex matrimonio uxoris Manderſcheidiæ accepit. videlib. citat. 1350. Burgoldenſ. not. rer. Imper. A. 510.

LIB. II. CAP. XLIX.

Summaria.

Vacca, gemellos in forma humana pariens.

Plurium in Rhætia, abſciſſa rupe obrutum, verſumque in lacum.

Ingens Cometa, futurarum Germaniæ calamitatum præſagus.

Palatium de Cœlo accenſum: Fluvius in ſanguinem verſus.

Certa jam, olim incerta Nili origo.
Terra Concordiæ inventa; Ceilanum à Danis viſitatum.
Durandus & Sitius, ob carmina Satyrica ad necem rapti.

MIſcellaneis noſtris non poſſumus non inſerere, quæ *Johannes Rhodius* in obſervat. Med. Centur. 3. O. 58. habet: Anno 1618. (referens) die 12. Maji. ad Jacobum Feſchium, Juris in Academia Baſileenſi Anteceſſorem perſcriptum fuit, in vicina provincia *vaccam gemellos peperiſſe forma humanâ*, qui cum ipſa (vacca) rogo traditi, viro quodam fuga ſibi conſulente. Quæſitum fuit à JCTis, num partus iſte tàm præcipiti judicio rectè fuiſſet igne expiatus? Ex communicat. fil. Theod. Caroli. Exemplum ejusmodi partus monſtroſi *Wolfius* etiam poſuit in Memorab. tom. 2. 1058. in Hiſpania menſ. April. 1597. dicens, vacca duos vivos & integros homines, maſculum & fœminam enixa eſt in lucem; quibus aliquandiu Archi-Epiſcopus Baptiſma negabat, rei novitate, quid faciendum, dubius? Legati Pontificii facultatem & permiſſum expectans. Confer. Zeil. Trag. p. m. 377. Caſ. conſc. Catech. D. Königii, 258. ſeq.

Tunc temporis ſtupendum in Rhætia emicuit, rariſſimumque divinæ indignationis exemplum, quo *rupes altiſſima*, DEI manu abſciſſa, veſperascente vigeſimo quinto Auguſti die, *Plurium* (Plurs) pagum ingentem & opulentum, ad oppidi modum excultum, uno momento ita *obruit*, ut ictu oculi ad ſeſqui mille homines interirent, nec oppiduli vola aut veſtigio relicto; loco caſtelli lacus apparet, ſesquimilliari Italico longus. Ex vicinia è ſaxo lebetes torno ad coquinæ uſum cavati, venenum injectum ejicere dicuntur, unde per totam Italiam expetiti. Cluver. 777. Hofm. Lex. B. 179.

Motus ferales Orbis Europæi, & inprimis luctuoſum Germaniæ fatum, *ingens Cometa* minaci cauda, tanquam flagello, armatus, & per triginta dies viſus, prædixit atque præſagiit anno, quo

VIsVs CoMeta }
orbI ſpatIoſo } i. e. an. 1618. ut verum ſit illud:
horrenDVs propheta }

Semper adhuc diri quoties arſére Cometæ,
Signa ſecuturi certa fuére mali!

Cometam hunc, admirandæ ſtellæ, quæ in ſidere Caſſiopeæ an. 1572. & 1573. apparuit, ſobolem & quaſi interpretem, D. Dælingus appellat.

lat. *Erycius Puteanus* de face iſta formidabili, ex puteo ſingularitatis talia quidem auſus eſt effundere: „ Omnes Scriptores errarunt, ab „ ignorantia metûs, læta potiùs fuiſſe luminis omina, præſagia feli- „ citatis ad Pontificem, Imperatorem, Regem, Catholicos & Sere- „ niſſimos Principes relata. Sed fefellit virum paralogiſmus. Burgold. Not. R. Imp. A. 72. Dannh. Hodoſoph. 807. Colleg. decal. 347.

Lutetiæ in Gallia, *palatium de cœlo tactum conflagravit*, Antiquitatesque & Statuæ Regum in igne conſederunt. *Siſſeci* autem in Pannonia ſuperiori, *fluvius*, medium urbis interfluens, *in ſanguinem verſus* eſt menſe Decembri, glaciesque adhærens, eundem induit colorem, cujus fruſta longè latèque transmiſſa, ſpectantes in ſtuporem dedére; Nec tamen his, & ejusmodi pluribus emendati ſignis mortales, ut ſemetipſos præcipites in pœnas agere ſcelerum ſuorum formidarent. Cluver. 777. & Schad. in Contin. Sleidan. ad h. a.

Quanquam incerta olim *Nili origo* ſic erat, ut in proverbium abiret: Certa tamen nunc temporis habetur; Siquidem *Pater Petrus Pays* anno 1618. ab ipſo Abyſſinorum Rege ad fontes Nili fuit deductus, qui & de ſe lætabundus ſcribit, ſe ſumma cum animi voluptate id vidiſſe, quod Cyrus, Cambyſes, Alexander Magnus & Julius Cæſar nullis conſequi votis potuerint. Vocatur autem provincia, ubi oritur, Agaos, vicina Regno Goæ; Fons geminus eſt, vel unus duobus; ut ſic dicam, oculis donatus, jactu lapidis ferè diſtantibus. Nilus aliàs exundare ſolet, ſole *Leonem* ingrediente; hinc leo tanquam promus condus aquæ exhibitus; qui mos ex Ægypto in Græciam ac Italiam, indeque in Germaniam tralatus eſt, multis teſtibus locis, ubi leones in fontibus repræſentantur. Cæterùm non eſt abſurdum, ſi Nilum ab Abyſſinis averti poſſe quis dicat; Cùm enim fontes ejus in apice montis ſint, ecquis ambigat, eos in aliam partem deflecti deducique poſſe? Licent. Feller. not. ad Horn. Orb. Imp. num. 179.

Tùm etiam fœderati Batavi, *in ultima parte Oceani Indici terram firmam* invenerunt, ab Inventoribus dictam *Concordiam*; quam tamen non penetrarunt, ora duntaxat littorum luſtrata. Ad usque *Ceilanum* verò Indorum Inſulam, Danorum etiam quinque naves excurrerunt. Hofm. Lex. un. A. 474. Cluver. 779.

Sub hæc in Carinthia non procul Cœnobio D. Pauli, è lapicidina integrum *hominis cadaver* fuit erutum, *in lapidem converſum*, ſtatuæ marmoreæ perquàm ſimile, niſi quod inteſtina, non obſtante duritie, nativum adhuc colorem, eandemq; formam exactè ſervarent.

vid. act. Erud. Lipſ. Supplement. V. ex Topographia Carinthiæ antiquæ & modernæ completa, Johannis Wichardi Valvaſor, Barone & Societatis Regiæ Anglicanæ conſorte, pag. 225.

Per idem tempus in Gallia, *Durandus & Sitius,* extraordinario judicio rapiebantur *ad necem:* In utrumque poſtulatio *ex Carmine Satyrico in Lynæum* Stabuli comitem, primarium Regis miniſtrum. Dira ſcribendi libido! dira ſævitia in ſcriptores, queis autoritas nonnunquam ex vetito eſt! horum quidem nomina in obſcuro forent, niſi ex pœna claruiſſent. Sanè coërceri debet ſcribentium procacitas, dum plerumque invidiosè primo aulæ Miniſtro per maledicta obganniunt, queis perſæpè Rex, aut Princeps, etſi maximè laudatur, maximè petitur. Gramond. hiſtor. Gall. 3. 200.

LIB. II. CAP. L.

Summaria.

Armatis Boëmiæ Utraquiſtis arma opponens Rex Matthias moritur.

Diffidentia illorum in fidem Ferdinandi, turbas in immenſum auget.

Statibus inferioris Auſtriæ hæſitantibus quid faciendum? ſuperioris Auſtriæ Proceres Bohemis accedunt.

Utraquiſtica factio Moravos ad Unionem adigit, Sileſiis interim Ferdinandeum Imperium deprecantibus.

Sectam Heroicam Beatricem, Reformatricem, & Jeſuiti-perdam nonnemo adornare geſtit.

Sed ſublunaribus Matthias Hafenrefferus ultimum Vale dicit.

JAm in funeſtiſſimam trahimur Scenam, belli nimirum per omnem Germaniam & finitimas regiones geſti, quo an ob atrocitatem, aut diuturnitatem, triſtius aliquod aut magis exitiale ullius temporis hiſtoriæ noverint, meritò quis ambigat. Horrenda ſanè tricennalis illius Germanici belli Tempeſtas; initiò conſtans duabus quaſi atris nubibus, adverſis, puta Ligiſtarum & Unitorum, humoribus maximè gravidis, quæ tandem in Imbrem ſævo cum impetu ſolutæ ſunt, Germaniam, plurimasque terras alias veluti diluvio quodam inundantem; qui priùs exſiccari ac diſpelli non potuit, quàm candidæ columbæ, Evangelium pacis in ore gerentes, Monaſterio & Oſnabrugâ emitterentur. Primus turbo illius impetus in Bohemia conſedit, poſteà deflexit in Saxoniam, demum, Suecis Imperii turbulentis

lentis rebus ſeſe immiſcentibus, univerſum pervagatus eſt ſolum ſalumque Teutonicum. Id quomodò acciderit, in ſequentibus dicetur. Sed quoniam Eccleſia continetur in Republica, fieri haud potuit, quin hac turbata plurimùm, plurimùm turbaretur & illa!

Superiori anno *Utraquiſtæ Boëmi*, peracta cum aliquot officialibus Cæſareis defeneſtratione, omnibus, qui Literis Majeſtatis à RUDOLPHO conceſſis deinceps adverſarentur, bellum indixerant; Et mox conſcripto milite, pro iſthoc diplomate defendendo, ipſimet Imperatorem quid Pragæ geſtum, certiorem fecerant, factum excuſantes ut jure contra peſſimos conſultores, in publicas conſtitutiones Regni delinquentes, adeòque pacis publicæ violatores ac Turbatores patratum. Sed Imperator *Matthias*, id ſeditioſum facinus dicere non dubitavit, exhortarique Principes, ne qui auxilio irent, vetare collectionem Exercitûs, polliceri, ſi deſiſterent vim parare Boëmi, ſe quoque milites non ſcripturum; nî parerent, non defore copias, contumaciæ pœnam exacturas. Dehinc geminâ ſe Imperatori Proteſtantes purgaverant Apologia, Cæſaris reſponſo compenſata. Cùmque literis ultrò citròque miſſis nil proficeretur, & nullâ res tranſactione componi poſſe videretur; Imperator in ultionem ſe accingens, aperto bello refractarios aggredi per *Tampierium* & *Buquojum* juſſit, qui duo Auſtriacæ domus Rolandi, Utraquiſtas non parum afflixerunt. At enim ab hac parte opponebantur *Turrenſis* Comes. & *Mansfeldius*; quorum ille firmatus Luſatorum & Sileſiorum auxiliis, brevi tempore triginta millium exercitum eduxit, belli vim in proximas ArchiDucum ditiones protendens; hic autem *Pilſenam* urbem, conſtantis in Cæſarem fidei, armis expugnavit, editis aliquot crudelitatis in victos exemplis. Inter fœdos hoſce tumultus, cū *inducias* Elector Saxonicus urgeret, quibus durantibus Egræ, haud ægrè de reducenda pace ageretur, *Matthias* Imperator, proſcripto Mansfeldio, ætate ac novis curis fractus, tertio hujus anni menſe *vitâ deceſſit*. cumque eo ſpes extinguendi feralis incendii mox etiam tota concidit, maximo Eccleſiarum Evangelicarum, non tantùm in Bohemia, ſed & in omnibus latè patentibus Auſtriacorum Dominorum territoriis, irreparabilique damno. Burgold. Not. Rer. Imp. a. 66. Cluver. 778.

Mortuo Matthia Cæſare, cùm ad *Ferdinandum* potentiæ domûs Auſtriacæ ſumma perveniſſet, maximè turbata. Is equidem *Regio diplomate* in lucem edito teſtatus eſt, ſe totum Bohemiæ Regnum in-

gratiam atque tutelam ſuſcipere, omnes in eo Proceres, civitates, ſubditosque univerſos patrocinio ſuo fovere, Privilegia, Majeſtatis diplomata, religionis quascunque aſſertiones, & ejus generis alia, ſarta tecta conſervare velle, nec à recepta Regni conſuetudine unquam aut uspiam recedere. At *Status Utraquiſtici*, præterquàm quòd exploratum haberent, Ferdinandum Pontifici juramento ſe obſtrinxiſſe, nullo tempore ſuis in ditionibus libertatem religionis à Romana diverſæ conceſſurum, officiales etiam, per Proceres abdicatos, in integrum reſtituiſſe; verbis, utut jucundis & gratioſis fidere noluerunt, quin potiùs decreverunt, libertatem religionis omnibus modis, queis fieri queat & pro re nata oporteat, aſſerere; Præſertim quia hoſtes ab armis non deſiſtere, ſed in infeſtando regno perſeverare, militiamque ſuam indies augere cernebant. Electori Saxonico iteranti conſilium de pangendis *induciis*, reſcripſerunt Ordines Utraqueorum, id conſilii ſe meritò grata mente agnoſcere, paratos ad amplectendum, ſi modò aſſecurationis induciarum ſibi ſuisque Sileſiis confœderatis præſtari poſſent media; verùm hæcce propalàm deficere, tum ob alias plures cauſas, tum inprimis ob ſubleſtam adverſæ partis fidem: Triſtes haſce turbas omnes ex *non ſervatis promiſſis* originem traxiſſe; Ac Tampierenſem Comitem in ſuperioribus Auſtriacis motibus, durante induciarum tempore, in Kinsbergii ditionem impetum feciſſe, ac violandis iisdem cauſam dediſſe, pœnas tamen, præter verbalem fortè reprehenſionem, nullas, imò majorem promotionem expertum. En, quæſo, malum ingens, *non ſervare promiſſorum fidem*, malum vel orco dignum! Prudenter certè *Campanella* ſcripſit: „ Nihil tàm animos offendit ſubditorum (addo quo„rumvis aliorum) & abalienat, quàm cùm vident pacta & conven„tiones ſecum initas, à Dominis (aut aliis) alterari ac mutari. Hoc „dum non obſervabat Albanus ille Dux, homo avarus & injuſtus, „rebusque ſuis augendis invigilans, totum Belgium turbavit, & in „Hiſpaniæ Regem rebellare fecit. Hactenus Campanella, ſcriptor Pontificius. Cùm anno 1546. incendiô Boëmorum privilegia periisſent, illique ambigerent, an renovationem & confirmationem de integro à *Ferdinando primo*, Rege, obtenturi eſſent, inclytus Imperator generoſam ac verè Germanam ſententiam protulit, hoc ferè ſenſu: Licet ipſorum chartæ privilegiorum, flammis correptæ & combuſtæ ſint, fidem tamen ac promiſſa Regis adhuc ſalva & integra ſtare; promptum ſe paratumque, omnia & ſingula eorum privilegia novis di-

diplomatibus non tantùm reſtituere, ſed etiam in multis augere. Utinam & idem ab omnibus in regimine ſucceſſoribus obſervatum fuiſſet ſedulò; crede, non adeò ingemuiſſet Europæus orbis tantis Bohemiæ tumultibus, ac infinitis Germaniæ malis! Verùm toties læſis Literis Rudolphino-Majeſtaticis, aliisque pactis & conventionibus inverſis, perverſis & everſis, Boëmi Utraquiſtæ cœco quaſi furore abrepti, ea agitarunt, quæ in Teutonia nullius exempli ſunt. „ Privilegia ſanè ſubditorum, prudentiſſimè monet *Forſtnerus*, non „ ſunt comparanda (nec etiam promiſſa quælibet) cum puerilibus „ crepundiis, quæ plorantibus offerri ſolent, auferenda rurſus, cùm plorare deſierint. Burgold. c. l. pag. 67. & 55. Calviſ. in Chron. pag. 979. & 978. pl.

Miſſis à Ferdinando literis, in ſuperiorem & inferiorem *Auſtriæ Archiducatum*, ad præſtandum ipſi juramentum fidelitatis & obedientiæ; Status Evangelici primò magnitudinem rei prætendentes, tempus aliquod ſibi ad deliberandum permitti, militemque interim ex regionibus abduci, & ſuis gravaminibus remedium adhiberi petierunt; nimirum ut à novo Principe exprimerent, quæ coalita dominatione ſperare vanum foret. Animadvertentes autem *ſuperioris Auſtriæ Proceres*, aliud non agi à Papicolis, quàm Religionis Proteſtantium ruinam quæri, mox cum Boëmis fœdus inſtaurarunt. Auſtriæ inferioris Ordines, Pontificiis capita quædam propoſuére deliberanda, nempe: Ut Pontificii cum Proteſtantibus unum Corpus forment, & pars una alteram, ingruente neceſſitate, defendat; Privilegia omnia ut cuilibet Statui libera ſint, nihilque in iis mutetur; Sepulturæ, hoſpitalia & noſocomia omnibus, ſine ullo religionis reſpectu adminiſtrentur; In Academiam Viennenſem viri docti, ſine religionis etiam diſcrimine, vocentur; In conſcientia ſua nemo religionis cauſa turbetur; à perſecutionibus utrinque abſtineatur, & libertate ſuâ cuique frui permittatur. De quibus capitibus etſi convenire non poſſent, præſidium tamen ab *urbe Labacenſi*, expetente ita Turrenſi Comite, abductum; atque hoc facto, Turrenſis aliud quoddam introduxit, donec ab Ordinibus de præſidio urbi proſpectum eſſet. Epit. Rerum Germanic. 12. Calviſ. 982.

Sed quia *Moravi* hactenùs Bohemis, adverſus Regem arma tenentibus, noluerunt accedere; Turrenſis Comes accepto à Directoribus Utraquiſticis mandato, cum ſedecim equitum peditumque millibus in Marchionatum illum irrupit, interceptaque *Iglavia*, & aliis

aliis urbibus ac locis præcipuis, incolas ad Unionem adegit, omniaque ex voluntate ſua diſpoſuit: Sub hæc *Sileſiis* Imperium Ferdinandi deprecantibus, donec non ſolùm Boëmiæ adminiſtrationem, cui ſint incorporati, ſuſcepiſſet, ſed compoſitis etiam turbis regnum omne in eum, quem privilegia ſua requirant ſtatum, nempe pacatum ac tranquillum redegiſſet. Cluver. 780. Gabriel Tſchimmern in Contin. Sleid. de 4. Monarch. lib. 3. 310.

Tunc temporis quidam *Eugenes Philanthropos* adornare geſtit *Sectam Heroicam Beatricem, Reformatricem, & Jeſuitiperdam.* Obſervavit vir de publico bono piè ſolicitus, in caſtris adverſariis ſectam eſſe audaculam, corruptricem, deformatricem, eandemque Chriſtianiſmi perdam; Illi ſectam felicem opponendam cenſuit, qua de ſub anno ſequente plura dicemus, ne longiùs caput hoc, quàm noſtri fert inſtituti ratio, excreſcat. Vid. D. Dorſch. Admirandor. J. C. Septenar. Differt. Acad. præfat. b. 4. ſeqq.

Morte inobſervata hinc evocatus eſt anno 1619. ætat. 59. *D. Matthias Haſenrefferus*, Theologiæ Profeſſor, Eccleſ. Præpoſitus, & Academiæ Cancellarius Tubingenſis meritiſſimus; Cujus obitu Chriſti Eccleſia in terris militans jacturam tantò paſſa eſt graviorem, quantò hominum ejuſmodi proventus noſtro ſeculo ſterilior eſt; quippe in magni nominis viro PIETAS atque ERUDITIO videbantur omninò fœdere amiciſſimo ſociatæ ita conſpiraſſe, ut in exornando tam raro cœli depoſito, certamine quodam perofficioſo ſuas vires experirentur; quo vivente id compendii Theologia noſtra habuit, ut verecundæ Virginis nomen poſſideret, lapſu temporis non parum de priſtina illius venuſtate delibante, poſtquam privatæ charitates (verba ſunt *J. M. Rauſcheri*) prævaleſcere, ac divinæ gloriæ currum albis equis anticipare cœperunt. In illo omnia, Judice *J. V. Andreæ*, ſumma fuére, pietas, eruditio, candor, temperantia, & eximia quæque Theologi ornamenta. Memoriam nominis æternitati conſecravit, ut aliis quibusdam ſcriptis doctiſſimis, ita inprimis per *Compendium Theologicum*, quod non minùs in Suecia publicam autoritatem obtinuit, quàm in Wirtembergiæ, ubi natum, Ducatu. In prælectionibus publicis omnes, majores minoresque, Prophetas accuratis Commentariis, nondum tamen publicatis, illuſtravit vir laborioſiſſimus; quantumque in iis præſtiterit, facilis eſt conjectura, ex unica illa Templi Ezechielis delineatione, typis excuſa; quam inter alios plures *D. Hieronymus Kromajerus*, in Polymathia Theo-

Theologica, pag. 548. hiſce laudat verbis: „ Dicturus de templo E-
„ zechielis, quod Eccleſiæ N. T. inſignem quandam delineationem
„ continet (nec enim ſecundum literam ſunt accipienda, quæ de
„ ſtructuris ibidem dicuntur) ſaltem addo inſigne iſtud εὕρημα ce-
„ leberrimi Theologi D. Haſenrefferi, quo linearum aliquot propor-
„ tione, in dimenſione iſtius templi ad quadraturam circuli tàm
„ propè acceditur, ut ipſe Keplerus, Mathematicorum phœnix, qui
„ plerarumque artium inventiones fortuitas ſtatuit, ſatis id mirari
„ non poſſit, & ſummoperè commendet. Confer Jubilæum 2. Tub.
103. & ſummam Theol. Chriſt. trigem. proleg. a. 9. Joh. Val. Andr.
Mantiſſam it. Lanſii, 540. pag. ſeqq.

LIB. II. CAP. LI.

Summaria.

Proſcriptio & ejectio Lojolitarum ex Moravia, Ungaria, Sileſia.

Jeſuitarum in hoc Orbe Regimen.

Equeſtris Ordo Nivernianus, de Sancta militia dictus.

Speculum miraculorum Zeæmanni, Pontificiorum jactantiæ oppoſitum.

Utraquiſtæ Bohemici, magnæ petulantiæ erga Clerum Pontificium falsò delati.

Ferdinandi votum, de hæreticis è ſuis ditionibus ejiciendis.

Suppetiæ P. R. Ferdinando, in cauſa Bohemica latæ.

Obitus Epiſcopi Breslavienſis; & Salisburgenſis.

EA tempeſtate *proſcripti & ejecti* ſunt, vi decretorum publicorum, *Lojolæ filii, ex Moravia, Ungaria, Sileſia;* quòd eorum in quarto modo proprium ſit, callidis artibus ubique ſe inſinuare, conſilia ſanguinolenta peſtilentiſſimaque alia comminiſci, ac turbas omni ratione & modo dare. Aliàs *autor* deſcripti *belli Bohemici* de iſthoc hominum genere ſic ſcribit: „ Quid non peſtilens Jeſuitica Societas
„ auſa? Rudolphum II. veneno extinxit; nec Matthiæ pepercit, Fer-
„ dinandum ſecundum in Mancipium adſcivit, eodemque conta-
„ gio Cæſaris Conſiliarios omnes infecit; Univerſæ Chriſtianitatis
„ Magnates Jeſuitica ſub contributione premuntur; Ipſe enim Sa-
„ tan ſeſe amicivit ſpecie ſobolis iſtius Lojoliticæ, mortalitati ut imponeret. Hæc ille. Callidum verò regimen illorum depingit ficti nominis autor, *Lucius Cornelius Europæus* in *Monarchia Solipſorum*, ubi mores hominum ita deſcribit: „ Nil hac gente curioſius aut natura,

„ aut aſſuetudine; Student ſinguli novis plusquàm olim Athenien-„ ſes, quæ deinde in ſymbolum collata ad Monarcham referunt; pe-„ riti rumorum collectores, omne forum faciunt ſuum; Inde Mo-„ narcha certiùs deſignare futura poteſt, quàm ex aſtrorum poſitu „ cœlique directione; Ad Monarcham autem certis temporibus per-„ ſcribuntur, & referuntur, quæ in tota Monarchia univerſim pu-„ blicèque ſpectantur, & quæ in ſingulis provinciis, urbibus, domi-„ bus, atque etiam in angulis clàm geruntur, nulla re, quantumvis „ minima, præteritâ &c. In *diſſertatione* quadam *Italica*, in obſerva-tionibus politicis Berneggeri latinè reddita, regimen eorum plenius deſcribitur hoc modo: „ Fixam ſedem Romæ tenet *Pater Generalis*, „ cui omnes cæteri exactiſſimam præbent obedientiam. Hic ex o-„ mni Societatis numero nonnullos eligit, ex eo, quòd ipſi perpe-„ tuò adſint, *Aſſiſtentium* nomen obtinentes. Uniuscujusque horum „ officium eſt, quicquid in illa provincia ſive regno, cujus ipſe aſſi-„ ſtens, accidit, ad Patrem Generalem referre; qua quidem in re u-„ titur opera *Correſpondentium* ſuorum, qui in metropoli provinciæ „ ſive regni domicilium habent, & in ſtatum, qualitatem, ingenium, „ inclinationem, conſiliumque Principum, & ſi quid noviter dete-„ ctum ſit, vel recens acciderit, exactiſſimè inquirunt; inquiſita per „ Veredarios ad Aſſiſtentes illos perſcribunt; hi tum omnia iſthæc „ referunt ad Patrem Generalem, qui vocatis ad conſilium omni-„ bus Aſſiſtentibus ſuis, totius Mundi velut Anatomiam inſtituit, „ proponendo Chriſtianorũ Principum quorumvis conſilia & quic-„ quid Statûs eorum intereſt: In deliberationem dehinc omnia vo-„ cant illa, quæ de novo, Correſpondentium ſuorum literis accepe-„ runt, eaque diligenter examinando & inter ſe comparando, tan-„ dem concludunt, hujus Principis res eſſe promovendas, alterius „ impediendas, prout privati ſui commodi res poſtulat. Quemad-„ modum autem ſpectatores ludi, faciliùs ipſis colluſoribus obſer-„ vant jactus; ita Patres iſti, cùm habent in conſpectu poſita omnium „ Principum conſilia, optimè poſſunt obſervare, locorum tempo-„ rumque conditionem, & exin applicare media, promovendis re-„ bus illorum Principum, quos ſuis rationibus commodaturos eſſe „ nôrunt. Additque idem auctor: „ Cùm Pius V. Pontifex Jeſui-„ tas conſtituiſſet in ordinem redigere, & ad ſacra officia, cæteraque „ Monaſticæ profeſſionis, more aliorum religioſorum, exequenda „ munia vellet adigere; tantum abeſt, eos morem ipſi geſſiſſe, ut

„ etiam

„ etiam inſigni ſe contumelia putarent affectos, & pauculos illos, „ qui ſe Pontificis voluntati ſubmiſerant, quaſi per contemptum „ *Quintinos* appellarent, nec ad ullum ſuæ Societatis honeſtiorem gra- „ dum admitterent. Hæc ille Italus, ob rarum candorem prolixè lau- „ dandus. Tſchimmern Contin. Sleidan. lib. 3. Monarch. 4. 310. pag. Burgoldenſ. Not. Rer. Imp A. 69.

Anno 1619. Viennæ in Auſtria, *Carolus Gonzaga Nivernius* novum inſtituit *Ordinem Equitum de ſancta* (ſcilicet) *militia*, ſummis viribus contra infideles & hæreticos exercenda; Cui ſolenniter ſacrandæ, haſce legimus adhibitas eſſe ceremonias: Nivernius, Razivilius, Lauenburgicus, Althemius, Buchemius, Arhenſis, Buquoyus, Tampierius, & alii, octavo Martii die, peractis more ſuo ſacris, templo egreſſi, protinùs in genua ſe demiſere ſub dio, atque tacto Evangeliorum libro jurarunt, quòd per omnem vitam hæreticos & infideles ubivis extremè perſequi, ad extirpandam eorum doctrinam & abominationem; viciſſim fidem Romano-Pontificiam, quaſi Catholicam & Apoſtolicam defendere, & pari ſtudio, imò majori promovere velint: Poſteà ſurgentes, evaginatis gladiis aërem divaricatim percuſſerunt, iterumque templum ingreſſi, ordinis inſignia, nempe Crucem, & Mariæ effigiem, acu pulcherrimè depictam, (quæ palliis affixa geſtarent) ſolenni cum devotione acceperunt. Cluver. 778. Calviſ. 978.

Circa *Ländsfridſium* prope Campidonam, rumor ingens tunc temporis exiit, magna Papicolarum gloriatione, de Romanæ Eccleſiæ miraculis, ipſis etiam *diabolorum ejectionibus* per Clericos Pontificios ſubinde auctis, in quibus patrandis & perficiendis *Michaël Spalt*, in obſcuro hactenus deliteſcens Monachus, præ aliis excelleret ac polleret plurimum. Fama de his aliquandiu nimiùm jactata, properè iterum in tenebras, è quibus emerſerat, recidit, occaſionemque *D. Georgio Zeæmanno*, Eccleſiaſtæ Evangelico Campidonenſi, non minimam præbuit edendi *Speculi Miraculorum Pontificiorum*; ſed ob id à Lojolitis, à Forero præſertim Dillingano, vir pio flagrans zelo, multùm vapulavit. *Campidonam* quod attinet, urbs eſt Algoviæ pervetus (germanicè Kempten) ſedes olim Sueviæ Ducum; inter quos magni nominis Hildebrandus fuit, cujus filia Hildegardis Carolo Magno nupta, fundavit ibi fanum antiquiſſimum; Sub Ducibus civitas ſtetit, usque dum libertatem grandi ære redimeret; poſteà privilegiis donata eſt ab Imperatore Friderico tertio, qui conceſſit ei

Aquilam dimidia parte auratam, cum corona; Inter primas Germaniæ ſuperioris urbes, Evangelium amplexas, numeratur. vid. Apolog. Zeæmanni, ex cuſtod. Ehrnberg. artic. accuſ. 2. & Hofm. Lex. univerſ. A. 361.

Fama malum! id eſt, quod hiſce temporibus experti ſunt *Boëmici Utraquiſtæ.* Fama percrebuit apud exteros, magnam illos petulantiam erga Clericos Papales exercere, cujus inprimis exemplum Pilſnæ dederint, ubi milites fœderatorum, loci præpoſitum aſperrimè & indigniſſimè tractarint; quæ cùm ad aures Maximiliani Bavariæ Ducis perveniſſent, ſcripſit is Directoribus aculeatas omninò literas: Ni petulantiæ pœnas poſcerent, ſed rerum conſcii connivendo tacerent, liquidò jam apparere, commotionem iſtam Boëmicam non tàm inſtitutam eſſe, ad aſſerendam religionem ſuam, quàm opprimendam Romano-Catholicam, &c. At Ordines reſpondére: meram eſſe malevolorum calumniam, ipſis talia imputantem, eaque propter ſe ad ipſius Præpoſiti Pilſenenſis confeſſionem libenter provocare. Calviſ. Chron. 978.

Cùm ſuperioribus annis *Ferdinandus II* Carolo patri ſuccederet in regimine Styriæ, Carinthiæ & Carnioliæ, fertur, Laureti coram imagine Virginis Deiparæ, DEO *voviſſe:* Vel cum vitæ diſcrimine abacturum ſe ditionibus iſtis omnes planè ſectas, earumque Doctores & Magiſtros; Idemque pòſt, ſe in Bohemia & illi regno adjunctis provinciis acturum, Cellis, in Styriæ finibus, ubi præcipua religione Maria Virgo colitur, juratò & conſtanter promiſiſſe; Sæpiùs etiam aſſeruiſſe: Sancto *Ignatio* ſua ſe omnia peculiari cura commiſiſſe, votaque ab illo ſua dirigi, & per illum DEO exhiberi velle. Ph. A. B. Notit. Rerum Imp. A. 296.

Et proinde expeditionem contra Bohemos, Auſtriaca Sceptra, religionis cauſa, detrectantes, nec non adverſus alios quoscunque hæreticos (ita dictos) molienti, impoſitis univerſo Statûs Eccleſiaſtici Romani Clero in ſex annos *decimis*, & exinde triginta millibus nummûm ſcutatorum in ſtipendia militum, in ſingulos menſes numeratis, nec non *confœderatione* Principum Romano-Catholicorum procurata, *ſuppetias Paulus quintus Papa tulit;* ad ſacerrimumque ita bellum, claſſico veluti cantato, conclamavit. Plat. contin. de vitis Pontificum Rom. pag. 523. Oſ. Schad. in Contin. Sleid.

Ex hac vitæ Scena deceſſit *Carolus, Epiſcopus Uratislavienſis*, ac Teutonici Ordinis Magiſter, qui perſuadente Eggenbergio & Werdem-

dembergio ſuam Auſtriacæ hæreditatis partem, ſolo Marchionatu Burgovio, & paucis in Sileſia dominiis retentis, Ferdinando Cæſari remiſit; Vocatus autem in Hiſpaniam, ut pro Rege Luſitaniam gubernaret, vitam cum morte commutavit; in Evangelicos, dum viveret, auſterus & acer. Calviſ. 985. Spener Syllog. geneal. 29.

Eum anteceſſerat *Marcus Sitticus*, Comes ab Hohenems, Jacobi Hannibalis filius, qui Clericatu ſuſcepto, Conſtantienſis Capituli Præpoſitus, poſteà *Salisburgenſis Archi-Epiſcopus* electus fuit, vitamq; anno 1619. finiit. Notit. Procer. Imhof. 1181.

LIB. II. CAP. LII.

Summaria.

Quæſtio de Secta Calviniſtica, nonnullis in Academiis agitata.

De Spiritu Calviniano Matthias Hoë; & Lucas Oſiander.

Iconomachia Calviniano-Bohemica.

Libertas religionis privatim exercendæ, ſectis omnibus in fœderato Belgio per decretum conceſſa.

HIſce temporibus apud Academiarum celebriorum Auguſtanæ Confeſſionis Doctores Theologos, iterum iterumque, præſertim, cùm Friderici quinti, Electoris Palatini auſpiciis turba Calviniſequa criſtas paſſim erigeret, quæſitum eſt: *An Calviniſmus in ſe pro ſecta verbo Dei contraria ſit habendus? Et, an illi, qui Controverſias intelligunt, parteſque Calvinianorum usque ad finem vitæ pertinaciter tenent & propugnant, ſeducendis etiam aliis operam navant ſedulam, in periculo damnationis hæreant?* Quoad *prius*, planè in Affirmantem itum eſt; quantum ad *poſterius*, facta *diſtinctione* inter ſeductos & ſeducentes, interque corrigibiles & incorrigibiles, reſponſum: Hos è ſtatu & conditione damnandorum vix, & ne vix quidem eximi poſſe; illos, ut quâdam commiſeratione dignos, patienter omninò tolerandos, ac ſpe meliori fovendos eſſe. Cui libitum eſt integras Cenſuras Theologorum Saxonicorum & Wirtembergenſium, ex Acadd. Lipſienſi, Wittembergenſi, ac Tübingenſi, perſpicere, Deductionis fundamentalis Leucoreorum contra Novatores & Syncretiſtas Rintelenſes, quòd errores Calvinianorum fidei fundamenta attingant, appendicem evolvat pag. 488. 494. & ſeqq. Omnium ferè ſumma habetur in præfatione Statuum Evangelicorum ad Formulam Concordiæ, paragrapho: *Ad condemnationes, reprobationes & rejectiones quod attinet:*

 ,, Ne-

„ Nequaquam conſilium & inſtitutum noſtrum eſt, eos homines, qui „ ex quadam animi ſimplicitate errant, nec tamen in veritatem do- „ ctrinæ cœleſtis blaſphemi ſunt, multò minùs autem totas Eccle- „ ſias, quæ vel ſub Romano Imperio Germanicæ Nationis, vel alibi „ ſunt, damnare; quin potiùs mens & animus noſter eſt, hac ratio- „ ne falſas opiniones, earumque pervicaces doctores & blaſphemos „ duntaxat palàm reprehendere ac damnare: quòd nimirum Erro- „ res illi expreſſo DEI verbo repugnent, & ita quidem, ut cum eo „ conciliari nequeant; utque pii omnes de his diligenter vitandis „ moneantur &c.

Cùm in eo eſſent occupati Bohemiæ Proceres, Legatis Moraviæ, Sileſiæ & Luſatiæ præſentibus, ut Fridericum quintum, Electorem Palatinum, ſacris Calvinianis addictum, in Regem ſuum eligerent, *Matthias Hoë* t. t. Concionator aulicus Dreſdenſis, *Epiſtolam* ſub 23. Aug. ſcripſit *ad Joachimum Andream Slikium*, qua (poſtmodum typis excuſa) vir celeberrimus fideliſſimè monuit, ut quid, præſertim intuitu religionis, Ordines iſti facerent, facere ſaltem deberent, probè perpendant? Inter alia ſpiritum Calviniſticum appellans Anti-Chriſtum Orientalem, atque componens cum Occidentali, ut non multò meliorem, allegante Hornbekio in ſumma Controverſiarum religionis, libro nono de Lutheranis p. m. 699. Id quod viro huic vehementer dolet, ſimul conquerenti de *Luca Oſiandro* juniore, qui Calvinianos deteriores habeat Pontificiis, aſſerens: miſerè Romanum equidem AntiChriſtum Eccleſiæ faciem deformaſſe; at non meliorem ſe gerere ſpiritum Calviniſticum, & in quibusdam ſuperare Papam &c. Abſit à nobis, longiſſimè abſit, ullum de his judicium ferre; nulli tamen dubitamus, & Hoëo, & Oſiandro, certiores fuiſſe ſcriptorum ſuorum rationes, quàm *Hornbekio*, tandem poſt relationes illas in hæc deſinenti verba: „ Omninò ſtratagema diaboli „ notandum, quod illis Lutheranorum adverſus Nos odiis, atque „ horrendis criminationibus ſubeſt, ut ſciamus, ex qua cauſa ema- „ neant. Eſt autem hoc, quòd ſentientes doctrinæ noſtræ & verita- „ tis vim, adverſus cruda ſua dogmata, putent, niſi ſuos homines „ validis vociferationibus, calumniis ac diris à nobis abſterreant, fa- „ cilè doctrinam noſtram admiſſuros eſſe; unde, ne hoc eveniat, iſta „ methodo agendum ſibi cenſent; ſed quam norint à Pontificiis mu- „ tuatam, eoque vel ſolo nomine debere omnibus eſſe exoſam. Hactenus Hornbekius.

Nec

Nec ſilentio prætereunda hìc eſt *Iconomachia Calviniano-Bohemica*, Pragæ præprimis in templo Arcis aulico Novi Regis Friderici Palatini, die Decembris duodecimo anni 1619. peracta; quæ tumultuaria & violenta deformatio, quam Reformationem vocabant, licet non ſine gravi infirmis dato ſcandalo, eorumque vulnere ſuſcepta, tantum tamen abfuit, ut corrigeretur ab Ergodioctis, ut eam potiùs, tanquam præclarum quoddam & ſacris literis conſentaneum opus, publico ſcripto aſſerere non dubitarent. Id quod ex edita concione *Abrahami Sculteti*, cuivis manifeſtum eſſe potuit. Cum verò Iconoclaſta hic Princeps, eam ob rem ſibi non tantùm placeret mirificè, nec modò craſſum ac Idololatricum errorem Papiſtarum, reprehenderet; ſed Lutheranas etiam Eccleſias eo nomine perſtringeret, quòd Imagines ſculptas, fuſas, fictas & pictas, opere ac artificio humano effectas, in ſacris ædibus ferant, quæ tamen (ut ille ſomniabat) etiam quoad uſum hiſtoricum, planè removendæ ac abolendæ forent; Eapropter operæ pretium ſe facturum exiſtimavit Academiæ Tubingenſis Doctor & Profeſſor Theologus, *Theodorus Thummius*, ſi quicquid ejus rei eſt, juſtum ſub examen revocaret, quod in peculiari tractatu, ſub titulo: *Scultetus Iconoclaſtes*, cum laude præſtitit. Theatr. Eur. 306. quocum conferri meretur Hodomoria Calviniana Dannhaueri, phantaſmate VI. pag. 1129. ubi parilis Iconomachiæ exempla producuntur, à Batavis, Anglis, Gallis, aliiſque hujus gentis, patrata.

A *Statibus fœderati Belgii Generalibus, decretum* hoc anno publicatum, quo *libertas* facta eſt *ſectis omnibus, religionem ſuam in ædibus privatis exercendi, ſolummodò ne cogant publicos cœtus.* Hinc *Daniel Claſenius*, Hollandiam non immeritò vocat Nidum Hæreticorum, ubi unicuique, quidquid ipſi credere lubitum fuerit, indultum; „Et propterea, inquit, multis probata fuit ea Reipublicæ forma; „Sic enim autor Commentarii de ſtatu fœderati Belgii ſcribit: ſingulis de religione diverſa ſentientibus, eandem datam eſſe & manere conſcientiæ, quam vocant, Libertatem; quæ cùm omnibus „grata, non poſſe non omnibus, hac ſaltem ratione, iſtam reipublicæ formam probari. Neque velim ego negare, Claſenius addit, „Magnum Hollandiam conſequi emolumentum ex diverſitate religionum, adeò, ut quicquid deliramentorum nuſpiam toleratur, „in Anglia & Hollandia locum inveniat; ſcio tamen, & multis in Belgio tantam libertatem diſplicere, non quòd ignorent, eam ſtatui

„mul-

„ multum prodeſſe; ſed quòd ſtolidis hæreticorum doctrinis quamplurimi ſeducantur. Hülſem. de auxil. grat. 226. Claſ. de relig. polit. 499.

LIB. II. CAP. LIII.

Summaria.

Fratrum Roſeæ Crucis admiranda, quam jactant, longævitas.

Johannes Robinſon, Bruniſtarum ſoboles; Independentum plaſtes.

Generatio Filii DEI, & proceſſio Spiritus S. metaphorica.

Julius Cæſar Vaninus, Tholoſæ vivicomburio abſumptus.

DE *fratribus Roſeæ Crucis* jam aliquoties egimus, utpote hoc libro cap. IV. XXIV. & XXXVIII. ſed præter dicta, ſilentio non involvamus gloriationem eorum, de *admiranda ſociorum longævitate*, quorum alii ducentorum, alii quadringentorum, alii quingentorum annorum ſuperarint curſum, exemplo Antediluvianorum patriarcharum; Id quod patet ex Admonitione ad diſcipulos, hoc ipſo vulgata anno, ſub titulo: *Frater non frater*, qua illos jubent ſibi cavere de falſis fratribus (ne ſcilicet ſeducantur ſeducentes) & quam communi nomine claudunt & obſignant: „ datam die 16. Martii ex in„viſibili noſtro domicilio, in agro Damaſceno an. 1619. Hugo Al„verda, ætatis ſuæ quingenteſimo ſeptuageſimo nono. Edoardus „Wodſtrang, Anglus, ætatis quadringenteſimo tertio. Zacharias „Benz, Francus, ætatis ducenteſimo octavo. Jacobus Pacherius, „Pomeranus, ætatis ducenteſimo quinto. Ad mandatum glorio„ſæ fraternitatis proprium, ſubſcripſit Irenæus Agnotus, C. W. ejus„dem fraternitatis per Germaniam indignus Notarius. Ride, & co„gita in Utopia quadam te verſari; & tamen hi fratres magno cum „ſtrepitu volunt aliquid eſſe; quoniam decipi vult mundus, decipia„tur! verba ſunt Joh. Hornbekii, S. C. libr. VI. de Enthuſiaſtis & Libertinis, pag. 435. auct. Edit.

Johannes Robinſon t. t. factæ ſeceſſionis à communione Eccleſiarum Anglicarum, imò & Belgicarum ac ſimilium, Reformatarum nomine ſuperbientium, peculiarem *Apologiam* in publicum emiſit, *Bruniſtarum genuina ſoboles*; *Independentûm verus plaſtes*; licet ipſe & ſequaces Bruniſtarum nomen repudiârint, neque etiam Independentes

dentes appellari, ſed potiùs *Congregationales* audire voluerint. *Hornbekius* virum expreſsè Bruniſtis annumerat, & autorem Independentum, qui deinceps in utraque Anglia emerſere, principem deſignat, ſed optimum inter illos nominat; Ejus verba ſic ſonant: „ Optimus inter illos (Bruniſtas) fuit J. R. Leidenſium Separatiſtarum Miniſter, vir ſupra reliquos probus, ac eruditus, qui „ initiô quidem ſui adventûs ex Anglia in Hollandiam, varios „ pro ſeparatione ab Eccleſia Anglicana, & Belgicâ noſtra, illiusque juſtificatione ſcripſit tractatus; at poſteà crebris Ameſii, „ & Parkeri literis & collationibus admonitus, meliùs ſapere didicit, ac de reducendo ſuo ad Eccleſiam cœtu, à qua ſe ſecreverat, ſeriò deliberare cœpit, concedens ſuis ſaltem communicare „ Eccleſiæ noſtræ verbo, & precibus, quà publicis, quà privatis. Atque ſpem non ſolùm fecerat de plena reſtauranda communione, in „ ſacramentis etiam, ac diſciplina, niſi morte immatura præventus „ fuiſſet; Verùm poſt ejus exceſſum oborta in cœtu contentione & „ ſchismate, ſuper communione cum Eccleſia Anglicana, in auditione verbi, D. Robinſoni vidua, liberi, reliquique propinqui ac „ amici, in communionem Eccleſiæ noſtræ recepti fuerunt. Is „ ipſe Auctor extitit Independentiſmi, & primus ejus parens, qui & „ rem, & vocem poſuit in Apologia ſua, ubi cœtus particularis, (rectè „ inſtitutus ac ordinatus) ipſi cluit Tota integra, & perfecta Eccleſia ex ſuis partibus conſtans immediatè ac INDEPENDENTER, quoad alias Eccleſias, ſub ſolo CHRISTO. Cœtus ejus, cui Leidæ præerat, quemque ad ſuam regulam gubernabat, valdè exiguus, cum ipſo ferè interiit; ex eo tamen aliqui mare trajicientes in *Americam*, quò & multi hinc inde Angli ducebant colonias, & novam formabant Angliam, in *Neo-Plemmuda* cœtum Independentem (uti dicitur) erexerunt, poſteàque in veterem Angliam reverſi, conſimiliter fecerunt, Cronvvellii potiſſimùm tempore in immenſum aucti, ut ſuô dicetur locô. *Hornius*, in eandem ſententiam ſcribit: „ Languentem & animam agentem ſeparatiſmum, olim à Roberto Brownio propugnatum, reſtituit ROBINSONUS, Paſtor Leidenſis, „ doctiſſimus ac modeſtiſſimus omnium Separatiſtarum, qui ab N. „ N. in viam revocatus, rigidas Separatiſtarum opiniones mitigavit, „ ac *ſemiſeparatismum* fundavit; Et hic Robinſonus verus autor INDEPENDENTIUM hodiernorum (qui ſcilicet Hornii tempore „ caput erexerant) & in nova & in veteri Anglia, eſt &c. Hornb. S.

C. pag. 741. ſeq. & 775. pl. Horn. hiſt. Eccleſ. ed. Leidek. 398. ſeq.

In *Academia Marpurgenſi* Haſſiaca, non ita pridem autore & præſide Joh. Molthero, Theol. Profeſſore Calviniano, hoc anno ibidem defuncto, publicè, ſed inconſideratè (ut molliſſimè dicam) aſſerta fuit *Generatio Filii DEI Metaphorica*, nec non *Metaphorica Spiritus Sancti proceſſio*: Quam theſin Arianiſmo favere, adeòque ab Arianis foveri, certum eſt, annotante Menzero in Exegeſi A. C. pag. 39. edit. 6.

Julius Cæſar (qui & Lucilii nomen aſſumpſit) *Vaninus*, Atheorum Coryphæus, quarta Lunâ Neapoli in Italia, diabolorum, ut Joſephus Hallus loquitur, patriâ natus, *Tholoſæ* in Gallia, corruptæ juventutis per novum dogma, ac DEI perſæpè negati convictus, *vivicomburio abſumptus eſt*. Cujus Monſtri vitam & mortem Gramondus lib. 3. hiſtor. 210. ita deſcripſit: „Vaninus apud pleroſque „pro Hæreſiarcha habitus, mihi pro Atheo, neque enim hæreſiar-„cha, qui DEUM negat; Medicinæ in ſpeciem profeſſor erat, re „ſeductor incautæ juventutis. Illi in irriſum ſacra & religioſa; Chri-„ſti humanitatem execrabatur, DEUM ignorabat, ſorte omnia „fieri exiſtimabat. Et ut novis allicimur præcipuè dum caleſcit pri-„ma adoleſcentiâ ſanguis, ſtatim errorum ſequaces habuit non pau-„cos ex iis, quos ſchola recens dimiſerat. Ob crimen, cujus in „Italia reus erat, in Galliam profugus, Tholoſam venit. Delite-„ſcit Vaninus per tempus, donec illum libido in gloriam adigit, ut „fidei Catholicæ arcana vulgaret in problemata primùm, deinde in „irriſum. Statim alta admiratione defigi adoleſcentes, quibus in-„ter nova placent maximè, quæ probantur paucis, mirari quæcun-„que diceret, imitari, & ſequi cœperunt. Poſtulatus corruptæ „per novum dogma juventutis, in vincla conjicitur, & ſolenni pla-„cito poſt exactum in lite inſtruenda ſemeſtre, capitali judicio „condemnatur. Vidi ego, dum plauſtro per ora vulgi traducitur, „illudentem Theologo è Franciſcanis, cujus cura, mollire feroci-„tatem animi obſtinati. Lucilius ferocitate contumax, dum in „patibulum trahitur, monachi ſolatium aſpernatus, objectam Cru-„cem averſatur, Chriſtoque illudit in hæc eadem verba: Illi in ex-„tremis præ timore imbellis ſudor; ego imperterritus morior. Fal-„sò ſanè imperterritum ſe dixit ſceleſtus homo, quem vidimus de-„jectum animo, Philoſophiâ uti peſſimè, cujus ſe mentiebatur pro-„feſſorem. Erat illi in extremis aſpectus ferox & horridus, in-

„quieta

„quieta mens, anxium, quocunque loquebatur; Et quanquam, „philoſophicè mori ſe,clamabat, finiiſſe ut brutum nemo negaverit. „Antequam rogo ſubderetur ignis; juſſus ſacrilegam linguam cul-„tro ſubmittere, negat, neque exerit niſi forcipum vi, apprehenſam „carnifex ferro abſcindit; non aliàs vociferatio horridior; diceres „mugire ictum bovem; reliqua abſumpſit ignis; in aërem ſparſi „cineres. Hic Vanini finis, cui quanta conſtantia fuerit, probat „belluinus in morte clamor. Vidi ego in cuſtodia,vidi in patibulo, „videram antequam ſubiret vincula; flagitioſus in libertate, & vo-„luptatum ſectator avidus, in carcere Catholicus, in extremis o-„mni Philoſophiæ præſidio deſtitutus, amens moritur. Vivens „arcana naturæ ſectabatur, medicumque ſapiebat magis, quàm „Theologum, quanquam pro Theologo audiri amabat. Capta „cum ipſo ſuppellex omnis, inventusque incluſus vaſe cryſtallino „immanis inter aquas buſo; objicientibus veneficium, reſpondit,ex „vivo buſone, poſtquam ad ignem liquatus fuerit, malo remedium „eſſe aliàs lethali. In carcere ſacramentis frequenter utebatur, diſ-„ſimulans aſtutè Conſcientiam; ubi videt ereptam vitæ ſpem, lar-„vam exuit, qualisque vixerat, moritur; Hactenus Gramondus. Confer D. Wagneri Atheiſ. ſpecul. exam. pag. 10, & D. Müll. Hamb. Atheiſm. dev. pag. 24. ſeqq. 60.

LIB. II. CAP. LIV.

Summaria.

Finita Synodus Dordracenſis.
Ejusdem proceſſus à Nicolao Hunnio notatus.
Queſtus Remonſtrantuum, & ſcripta de modo agendi ſynodico.
Controverſia inter Schillingium, & Martinium, de DEI Notitia naturali.
Concertatio de omnipræſentia & operatione CHRISTI HOMINIS, Scholaſtico-Menzeriana Gieſenſis.
Tractatus Abrahami Bzovii de Romano Pontifice.
Claſſicum belli ſacri, à Scioppio in lucem protruſum.

S*ynodus Dordracena*, ſuperiori anno Novembris decimo tertio die cœpta, hoc *finita* eſt, Vigeſima ſexta luce Aprilis; ita verò celebrata terminataque, ut Conditiones, quas ipſi Calviniani legitimis præſcripſére ſynodis, neutiquam ſervarint Remonſtrantibus, Contra-Remonſtrantes, & adſciti Synodales homopſephi; quin contra-

rio prorſus uſi proceſſu, neq; liberam, neq; ſecuram, neq; ullo modo æquam Synodũ permiſerint; ſed iniquitatem cum inſigni hypocriſi, patefecerint orbi Chriſtiano. Id quod luculenter demonſtravit *Nicolaus Hunnius*, in dedicatione diaſcepſeos de fundamentali diſſenſu Calvinianorum & Lutheranorum. „Conqueſti fuere, ſcribit, ha-„ctenus Calviniani, neque deſiſtunt conqueri, quàm Lutherani ſint „in ipſos iniquè duri, quàmque eos indignis modis tractent; magno „conatu poſcentes, piâ ſe tolerantia & animorum manſvetudine, „tractari; quo in negotio tria inprimis agunt, nempe: Cùm in fun-„damento fidei nos ipſis conjunctos credant, turpe eſſe, tot illos „conviciis proſcindi, atque ceu hæreticos damnari; cùm nondum „ſint auditi, fraternitatem ſpiritualem, cum ipſis colendam, recu-„ſari; nec tolerari ſtipulas errorum, uſque dum ſuo tempore DEUS „errantes meliora doceat: Foveri diſcordias, atque odia magis ma-„giſque accendi, quandò ipſis multiplices errores, nonniſi ex pri-„vatorum autorum ſcriptis collecti, imputentur, quaſi, Scripturâ „ſepoſita, Rationis ductum, ſenſuumque judicium in fidei nego-„tio ſequantur: Verum reconciliationis medium ferè unicum re-„cuſari, nempe Synodum, in qua pars utraque plenè audita, jun-„ctis votis, quid tandem in controverſiis hucusque tanta cum acer-„bitate agitatis, ſtatuendum, per æquos minimèque ſuſpectos ju-„dices decernat; quod priusquam fiat, neminem ad quamcunque „confeſſionem amplectendam cogendum eſſe. Hæ querelæ, ſeu la-„mentationes veriùs, agitatæ fuerunt inprimis à Theologis Heidel-„bergenſibus, variis in lucem editis Irenicis ſcriptis; & loquitur ipſa „res, non paucos ea Sanctitatis ſpecie deceptos, ut animam ſuam „paſtoribus concreditam exiſtimantes, lupo committerent; usque „dum anno ſalutis 1618. Ordines Hollandiæ Synodum indicerent, „ad componenda religionis diſſidia inter Calvinianos Remonſtran-„tes & Contra-Remonſtrantes exorta, quæ Dordraci coacta cauſam „definiit, acta publicavit, nil certè minùs, quàm Chriſtianam man-„ſuetudinem, toties à nobis poſtulatam, oſtendens, ut verè dicam, „Reformatos ita nuncupatos, mutaſſe veſtem, proque ovina lupi-„nam aſſumſiſſe; ſeu veriùs, cùm priùs amicitiam ac amorem ſimu-„larent, nunc, qualis ille fuerit, cœpiſſe re & facto monſtrare? Nem-„pe non alium, quàm quem Cain fratri, Abnero Joab, Judas Do-„mino Jeſu probarunt. Quid ergò aliud Concilium Dordrechtanum „egit, quàm ut univerſum apparatum deſcriptæ formæ Synodi legi-

„timæ,

„ timæ, una quaſi litura deleret? Quia, Synodum iſtam nec liberam „ fuiſſe, nec legitimam, ratione perſonarum, circumſtantiarum, Pro„ ceſſûs, Terminationis & Conſequentium, abundè docuit Magiſtra „ rerum Experientia. Poſtquam hæc latiùs deduxiſſet Lubeccenſis Theologus, in talia tandem deſinit: „ Satis luculenter demonſtra„ tum, qualem Synodum à Lutheranis per tempus benè longum ex„ petierint Calviniani? Nimirum toto cœlo ab ejus deſcriptione, no„ bis adeò ſpecioſè exhibita, diſcrepantem! Summa: Ad ingenium „ Papale compoſitam, qua pari violentia noſtras Eccleſias ſupprime„ rent, atque fecerunt fratribus ſuis Remonſtrantibus, multò pro„ piore cognatione junctis. In proverbio eſt: Ex ungue leonem; „ quis non videt leoninum unguem Reformatorum illorum, quem „ tanto cum ornatu & pompa, toti mundo ceu agninum oſtenta„ runt. Benè autem factum, ut in ſe invicem potiùs iſti ſævirent, „ quàm Eccleſiis noſtris, pro ſuo voto, imponerent. Nunc Nos magis „ etiam aliorum damno ſapimus, certiores, quàm antè, Calvinianos „ nec aliam aut aliûs formæ Synodum in finibus Imperii Romano„ Germanici deſideraſſe, quàm cujus exemplar ac typum nobis Dor„ drechti exhibuerunt, &c. Calov. Conſid. Armin. pag. 4. Hunn. Diaſcepſ. ded. a. 4. d. 1. h. 5.

Quid ergò mirum, *Remonſtrantes* ad cauſam Dordrechti dicendam citatos, adverſus Judicis, proceſſûs, aliorumque incompetentiam *excepiſſe*, quòd Contra-Remonſtrantibus tanquam parti, pro lubitu agenti, munus Judicis committeretur? Et condemnatos ibidem, queſtos eſſe, ſe nunquam ſatis & convenienter auditos, nedum confuſos aut convictos, damnationi ſubjectos, ſed ſolo tantùm auctoritatis bruto fulmine percuſſos fuiſſe; ut videre licet ex eorum libro, cui titulum fecerunt, *Acta Synodalia*, in publicum emiſſo. Synodalibus illis actis *Ameſius* quidem oppoſuit *Anti-Synodalia*, & *Petrus Molinæus Anatomen Arminianiſmi*; ſed *Remonſtrantes Hiſtorica relatione, Antidoto & Cenſura*, ſe vindicare perrexerunt. Nec alii defuére, magni nominis viri, qui præterquàm, quòd ſine ſufficienti cauſæ Remonſtrantium cognitione ſententiam in ipſos latam faterentur, hanc etiam Synodum iniquitate violentiaque ſua, Concilio Tridentino palmam feciſſe ambiguam, dicere non dubitarunt. Quemadmodum verò *Dordraceni Patres* decretis ſuis omnes alios à poſſeſſione veritatis Divinæ prorſus excluſiſſe ſibi videbantur; Ita *ſub Remonſtrantium nominibus, Eccleſiarum* quoque *Lutheranarum* de Prædeſtinatione & co-

gnatis articulis *doctrinam*, eos *conculcaſſe* certum eſt; Etenim è re ſua fore judicarunt, ſi duris ac diris anathematiſmis Arminiano-Remonſtrantiſmum (in multis quidem non approbandum) Orbi exoſiſſimum reddendo, Lutheranorum ſententias vel tecto nomine, tùm in Synodalibus, tum in ſubſequentibus ſcriptis, interſpergerent, & communi contaminarent infamia, uti Dorſcheus in prooemio Interpellationis neceſſariæ ad meditationes Jacobi Triglandii, de Voluntate DEI, conqueritur. Nihilominus iſthæc Synodus *Hornio* talis cluit, qualem Eccleſia Chriſtiana à multis retrò ſeculis viderit nullam. *Samuel Mareſius*, eâ ſanctiorem, auguſtiorem & meliùs ordinatam, nulla retrò ſecula hinc à tempore Apoſtolorum vidiſſe ſcribit. *Leydekero*, propter decreta, planè Apoſtolica eſt, cum omnibus certè oecumenicis Conciliis comparanda. Quæ cùm univerſam gentem Calviniſticam noſtro ſub hemiſphærio repræſentarit, eam obtinuit autoritatem, ut *Synodo Dordracenſi ſubſcribentes* quoquo ſenſu, pro Reformatis habeantur ſine ſchiſmate, ſive ſint Supralapſarii, ſive Sublapſarii, ſive hypothetici, &c. vid. Micræl. H. E. lib. 3. 437. 706. Hülſem. Calvin. irrec. 45. 52. 77. 185. pl.

Autore & motore *Wenceslao Schillingio*, Eccleſiaſte Magdeburgenſi, t. t. agitata Controverſia *de Dei Notitia Naturali*, quam in gentilibus ille negavit. Contra eundem verò *Jacobus Martini*, Profeſſor Logicæ in Academia Wittenbergenſi, talem in homine notitiam aſſeruit ac defenſavit; Cujus omninò ſententiam, ab utraque parte pro danda deciſione rogata, *Facultas* loci *Theologica* approbavit & confirmavit. Sed huic oppoſuit ſe deinceps *Johannes Schraderus*, ex lite litem, de reliquiis Divinæ Imaginis, novam ferens, chartis perquàm virulentis ac injurioſis; quibus in homine audaculo vindicandis & reprimendis, opus fuit autoritate ac inhibitione Principis Chriſtiani Wilhelmi, Adminiſtratoris Archi-Epiſcopalis. vid. Conſil. Theol. Witteb. A. 817. 820. ſeqq. pl.

Hoc etiam anno præter opinionem, & quaſi contra voluntatem, Theologi Tubingenſes devenerunt in odioſam iſtam *concertationem Scholaſtico-Menzerianam*, de Omnipræſentia & Operatione Chriſti Hominis apud creaturas in Statu Exinanitionis, deque ipſa Exinanitione. Non equidem Tubingæ, ſed Gieſſæ primùm ortæ & agitatæ fuerant iſtæ controverſiæ inter D. Balthaſarem Menzerum, atque D. Johannem Winkelmannum, uti ſuprà notatum lib. 2. capp. XXXII. & XXXIX. Menzerus autem, ut ſtatim in ipſo concertationis

nis

nis ortu, ſic & poſteà non tantùm hinc inde ad alios viros doctos, verùm etiam ad Prof. Tub. D. Haſenrefferum de ſua opinione ſcripſit: Utq; anno 1616. transmiſſa *oratione*, in promotione Doctorali Feurborniana Gieſſæ recitata, ab ipſo petiit judicium, communi Collegarum Tubing. nomine impertiendum ſibi, quô ſignificetur, quid in illa oratione, Omnipræſentiam definitivè ac formaliter gubernationem aſſerente, reprehendendum videatur? ſic an. 1617. & 1618. iterum iterumque ad eundem Haſenrefferum ſcripſit, non quidem ampliùs Collegarum commune votum (dubio procul quia non reſponderant) ſed Haſenrefferi privatum expetens: Verùm ut ad priores literas Menzeri, tùm Stutgardiani tùm Tubingenſes Theologi conſentienter certis de cauſis judicârunt, ipſi reſpondendum non eſſe; Sic poſt iteratas petitiones ad impetrandum privatum Haſenrefferi judicium factas in dicto biennio, etiamnum collatis votis ac ſententiis unanimiter idem aliquandiu exiſtimatum eſt. At enim quùm *Studioſi* Gieſsâ Tubingam venientes, in ſingulis ferè diſputationibus Theologicis novam illam ſententiam pertinaciſſimè tutarentur, Menzerus etiam & Feurbornius quavis data occaſione idem facerent oretenus & ſcriptotenus; tùm rupto ſilentio, Tubingenſes ad Menzerum *literas* miſere *monitoriales*, quibus non modò ſuum ab eo diſſenſum, appoſitis rationibus, oſtendebant; ſed & graviſſimam jungebant obteſtationem, per Dei amorem, per Chriſti gloriam, per Eccleſiæ tranquillitatem, ut ſententiam ſuam aut miſſam facere, aut ſaltem per ſcripta non divulgare vellet. At Menzerus non acquievit, ſed in reſponſione ſua ſtylum ita formavit, ut innueret haud obſcurè, ſe ab illa opinione nec privatim nec publicè propugnanda velle unquam deſiſtere; Tubingenſes ergò, cùm admonitione privata nil proficerent, exiſtimarunt publicè, absque tamen ullius acriori inſectatione, agendum. Interim circa finem anni ſexcenteſimi decimi noni, *D. Lucas Oſiander* in diſputationibus ordinariis quoad articulum de Perſona Chriſti & Communicatione Idiomatum, pervenit ad Idioma Omnipræſentiæ, quod proinde *publica diſputatione* ita exhibuit, ut pro re nata, dataque occaſione, & ſuadentibus Collegis, veterum ſolummodò Theologorum Würtembergenſium, utpote ſuorum Anteceſſorum ſententiam, in Formula Concordiæ contentam repeteret, Menzeri verò („ quòd Omnipræſentia ſit formaliter ac definitivè ipſa operatio vel gubernatio, &, quòd humana Chriſti natura cum λόγῳ ἀδιασπάστως unita, tempore Humiliationis à maxima tamen

„ ſites profert &c. Confeſſ. Cathol. Gerhard. B. 643. Rumetſch. in Collatione Concilii Niceni primi, ac Tridentini pag. 17.

Caſpar Schoppius autem, ſive ut appellari maluit *Gaſparus Scioppius*, Cæſaris R. Germanici, & Hiſpaniæ Regis Conſiliarius, Apoſtata, & exinde ordinis Evangelici acerrimus perſecutor, in publicum emiſit libellum feralem, ſub titulo: *Claſſicum Belli Sacri*, hoc eſt, ſuaſoria de Chriſtiani Cæſaris erga Principes Eccleſiæ (nimirum Romanæ) rebelles officio, deque veris compeſcendorum Hæreticorum, & Eccleſiæ in pace collocandæ rationibus. Ubi nil niſi horrendum ac totale excidium Doctoribus Evangelicis, cum cœtibus eorum univerſis, ipſisque adeò Electoribus, Principibus & Statibus, in Germania ſaltem, & vicinis regnis ac provinciis, parandum crepat ac ſuadet. Etenim Jure Cæſareo Proteſtantes eſſe hæreticos, blaterat; Ultimoque exin ſupplicio afficiendos; ex Imperio proſcriptos aut proſcribendos; Injuſtos eſſe rerum, quas tenent, poſſeſſores; Principes hæreſin (religionem à Pontificia diverſam) ſuis in provinciis tolerantes, Catholicorum prædæ expoſitos; Nec ſolùm ipſos hæreticos, verùm & Romano-Catholicos hæreticis faventes, declarat infames &c. inprimis capite ſecundo hæc ejus verba legimus cum ſtupore:
„ Iniquiſſimum eſt, Lutheranos Catholicorum terras tenere, & jure
„ Tu Cæſar auditum facies fremitum prælii, ac Wittenbergam in
„ tumulum diſſipabis, igneque ſuccendes, poſſidebuntque Catho-
„ lici, ac ſub ditionem ſuam redigent eos, qui ſe priùs poſſederunt,
„ & Lutheraniſmus in transmigrationem ducetur, ſive ex Germania exterminabitur, prædicantes ejus, & Principes ejus ſimul. Tanti tùm à Papicolis æſtimatus hic libellus, Ticini ſeu Mediolani excuſus, ut illius exemplar florenô veniret. vid. Burgold. Not. Rer. Imper. B. 13. Confeſſ. Cathol. Gerh. lib. 1. Gen. 849. Sed claſſicum belli Scioppianum, in ſequenti anno *Theodoſius Berenicus* (quod ſibi nomen *Matthias Berneggerus* induerat) *proavlio Tubæ pacis*, doctiſſimè diſcuſſit. D. Pfeiffer in Ind. autor. Lutheraniſmi ante Luther. & Heidegg. in hiſt. Papat. pag. 343.

LIB. II. CAP. LV.

Summaria.

Vita excedit Imperator Matthias.
Turrenſis Comes Viennæ arma oſtentat.
Ferdinandus II. Rex Romanorum creatur, mox defuncti Matthiæ Succeſſor.

Imperio Ferdinandi à Bohemis abrogato, Fridericus Palatinus eligitur.
Bethlem Gabor, cum Bohemis conſpirans, in Ungaria Ferdinando negotium faceſſit.
Factio Correſpondentum Noribergæ, Ligiſtarum Herbipoli, conventum agit.
Gallus, ob inteſtinos motus neutrarum eſſe partium ſuſtinet.
Hiſpaniæ Regi ſalutare Conſilium nonnemo ſuggerit.
Hollandis cedit Jacatra, Indiæ Orientalis urbs Regia.
Conjugia ineunt, Lotharingiæ,& Sabaudiæ Duces.
Mortalia explent, Elector Brandenburgicus, & Lauenburgicus Princeps.

MUndanis valedixit Viennæ in Auſtria, decimo Martii die, *Imperator Matthias*, cùm vixiſſet annos ſexaginta duos in multa ægritudine; imperaſſet ſeptem; amplioris ſpei quàm gloriæ Monarcha; pro *ſymbolo* uſus vocabulis: *Concordi lumine major!* ſub eo triſtia Germaniæ fata, diu inteſtinis diſcordiis provocata, ſe aperuerunt; cùmque totus ferè ab arbitrio Hiſpanorum penderet, bellum anteà utcunque preſſum erumpere cœpit, ac perpetua motuum ſucceſſione totam corripere Europam. Cluver. 779. Not. Rerum Imp. Burgol. A. 63.

Turrenſis Comes, militiæ Boëmicæ Dux Generalis, rebus ex voto in Moravia confectis, *inferiorem Auſtriam* cum exercitu ingreſſus, Labam ſuæ poteſtatis fecit; movens inde *Viennam*, ei arma oſtentavit, occupatôque ſuburbiô, dies aliquot, velut in conſpectu Regis Ferdinandi, ſtativa habuit. Cùm verò Auſtrios Proteſtantes Hungarosque in fœdus ipſe ſollicitaret, *Bucquojus* interim, Dux Ferdinandi, quotidiano militum affluxu validior, Mansfeldium, alterum Archiſtrategum Bohemicum, acri certamine profligabat, cui victori mox munita quædam loca cedebant; quare Boëmiam Turrius repetiit, ibique Valonum & Heiduccorum copias paſſim carpſit; Bucquojus autem diverſa inſuper oppida deditione cepit, miſſo adverſus Moravos Tampierio. Calviſ. 981. ſeq. Cluver. 780.

Sic majori æſtatis parte exacta, Francofurti ad Mœnum conſenſu Electorum omnium, ipſius etiam Palatini ſuffragio, *Ferdinandus II.* Caroli Auſtriæ Archi-Ducis, lineæ Græzienſis, filius, *Rex Romanorum*,& mox *Imperator*, ſub finem Auguſti *electus & creatus eſt*; fruſtrà obnitentibus Bohemis, ne Ferdinandi,tanquam Regis Bohemiæ atque adeò Electoris, in eo Septemvirûm conventu ratio haberetur.

Tur-

Turſellin. append. 2. hiſtor. 6. & Contin. Sleidan. Tſchim. l. 3. 311.

Poſtridie, quùm Francofurti Ferdinandus Imperator deſignatus eſſet, *Ei Regnum abrogare Boëmi*, ac domum Auſtriacam in perpetuum excluſerunt. Cùm dein aliquandiu de novo Rege creando fruſtrà diſceptatum fuiſſet, atque Johannes Georgius, Elector Saxonicus, oblatam ſibi coronam renuiſſet, *Fridericus V. Elector Palatinus, Bohemiæ Rex*, ab iſtius regni & incorporatarum provinciarum Statibus *declaratus* eſt, exeunte Auguſto menſe, dein quarto Novembris Pragæ ſolenniter coronatus anno 1619. juxta diſtichon Streithagii:

SCeptra paLatInVs, qVæ noLLet taCta boheMa
aLIte non faVſta CepIt In arCe Pragæ.

Turſell. l. c. & Burgold. A. 67.

Sub hæc magnum rebus Ferdinandi damnum dedit Gabriel Bethlemius, patrio idiomate dictus *Bethlem Gabor*, celebris Transſylvaniæ Vaivoda, qui cum Bohemis conſpirans, Hungariæq; inhians dominationi, Caſſoviam, Fillecum, Poſonium (ubi diadema Hungaricum & reliqua Regni inſignia ſolent aſſervari) aliaque oppida, vi aut deditione cepit, & Eccleſiaſticos Pontificios dirè tractavit paſſim, translataque ad ſe coronâ Hungaricâ, *Principis Ungariæ titulum ſumpſit*, ac protinùs in ipſam Auſtriam ſe victor effudit, exercitumque ipſis *Viennæ* mœnibus applicuit; ſed nuntiis acceptæ domi cladis, quam *Humanajus*, Cæſarearum partium Dux, intuliſſe ferebatur, motus, urbem deſeruit, anteà quoque fruſtrà per Turrenſem tentatam. Epit. Anon. Rerum German. pag. 13. Hofm. Lex. A. 281.

Paulò pòſt habitis *Conventibus Correſpondentium* (ſic vocabantur, qui Palatino & Bohemis favebant) Norimbergæ, & *Ligiſtarum* (ſeu Confœderatorum ex parte Ferdinandi Cæſaris) Herbipoli, actum utrobique de modo ſuas res promovendi, & conſervandi religionem, quam profitebantur. Et quia maximum in *Rege Gallico* momentum eſſe videbatur, ut, cui Gallus cœtui accederet, illius fortuna ſuperior fore crederetur; certatim ad eum *Legationes* miſſæ tùm à Ferdinando, tùm à Friderico. Sed Gallus ex ratione ſtatûs, hoc tempore medium ſe gerere maluit, quàm huic aut illi aſſociare. Cluver. hiſt. Ep. pag. 781. Theatr. Europ. 283. ſeqq.

Credibile, cauſam haud minimam fuiſſe *Gallicano Regi*, quòd nollet exterorum bellis implicari, quia res inter ipſum, & *matrem Reginam*, Henrici quarti viduam, ad *bellum inteſtinum* ſpectabat; imò Rex

 jam

jamjam ſedecim millium exercitu contendebat conatibus Matris & Eſpernonii Ducis obviam ire. Sed inter ipſos belli tamen apparatus, per internuntios de pace (ſuaſu Conſiliariorum Regni, aliorumque) mox agi cœptum, & honorificis in eam conditionibus itum eſt. Gramond. hiſt. lib. 3. 224. 228. Calviſ. 979.

Hiſpaniæ Regi Philippo III. hoc, tum temporis, dabatur *Conſilium:* Quovis poſſibili modo contenderet, curaretque, ut opificum & agricolarum, ac aliorum ejusmodi hominum copiâ, ſubditorum numerus in omnibus regnorum ſuorum provinciis augeretur, minutis eo fine tributis, & conceſſis eapropter peculiaribus privilegiis ac immunitatibus: Econtrà non permitteret nova monaſteria, domosve Clericorum conventuales novas, extrui; nec indulgeret, quoslibet nomine fratrum in vetera Monachorum receptacula ſuſcipi; ſumptus etiam Aulæ & Regiminis in arctius redigeret; aliàs nec Occidentis, nec Orientis immenſas opes in poſterum futuras ei ſufficientes. Zeiler. in epiſt. a. 748. orb. lum. 368.

Jacatra, urbs Indiæ Orientalis in Inſula *Java*, victo barbarorum Rege, Hollandis ceſſit, qui *Bataviam* ejus loco condiderunt. Permunita hæc eſt, in plano perferaci, & Emporium celebre, cum caſtro & valido præſidio, reſidetque ibi Hollandicæ Societatis in Or. Ind. Præfectus Generalis. Eſt autem *Java*, Inſula Aſiæ perampla, in mari Indico; Tota dives aromatum proventu & abundantia; inde *Compendium Orbis* dicta *Scaligero*, ob omnium rerum facilem ac uberem proventum. Ex iſto Indiæ tractu, & Moluccis, aliisque pluribus Inſulis, quas jam olim Luſitanis eripuére fœderati Belgæ, tantas colligere dicuntur opes, quæ non uni tantùm Regi ſufficere poſſent. vid. Hofm. Lex. A. 261. 809. & Mandelſl. itiner. Or. per Ol. ed. 219.

Nuptias celebrarunt, *Carolus Elbovius*, Lotharingiæ Pr. cum *Henricæa Borbonia*, Ludovici Regis per naturam ſorore. Et, *Victor Amadeus, Sabaudiæ Dux*, cum *Chriſtina* Henrici IV. filia ex Maria Medicéa, quo viduata anno 1637. illa ditiones minorenni adhuc filio Carolo Emanueli II. difficilimis temporibus adminiſtravit; *in Pedemontanarum vallium incolas*, reformatæ Religionis conſtantiſſimos cultores, *valde ſevera*. Gram. lib. 3. 212. Hofm. Lex. A. 436. 384.

Sed *Mortalia expleverunt, Johann-Sigiſmundus*, Marchio & Elector *Brandenburgicus*, qui ante ſexennium Calvinianis acceſſerat. vid. l. 2. op. cap. XVII. XXIII. Et, *Franciſcus II. Princeps Lauenburgicus*, Pater novendecim liberorum, è quorum numero ſex filii matrimo-

nia

nia inierunt, eaque haud infœcunda; unde mirari ſubit fatorum vim, quæ familiam tot fulcris præſidiisque redundantem, intra ſemiſeculum circiter, ad extremam orbitatem redegit. Spener. in Syllog. Gen. 147. Imhof. Not. Procer. 651.

LIB. II. CAP. LVI.

Summaria.

Judicia de ſcriptis Piſcatorianis Calviniſtico-Dordracena.
Narratiuncula Schuppii, de cauſa peccandi, DEO imputata.
Vatidicum & Auſpicatum juvenis Dordraceni ſomnium.
Lugubris caſus Lipſienſis.
Exhibitum hominis Marini exemplum.
Falſa accuſatio detecta, punitaque.
Johannes Barnefeldius, capite plexus.

Cùm in Synodo Dordracena monerent Angli, Haſſi, Bremenſes, aliique, rejiciendas conceptis Antitheſibus *duras & incommodiores locutiones*, quæ in nonnullis Reformatorum, e. g. *Piſcatoris*, reperiantur ſcriptis, quia infirmioribus offenſionem, adverſariis calumniandi anſam præbeant; rationibus utrinque diligenter expenſis, decretum eſt: Rejectionem illam incommodarum locutionum eſſe omittendam, ne calumniari poſſint adverſarii, rejectione duriorum phraſium; etiam doctrinam (Synodicorum judicio) orthodoxam damnari, quam profeſſi ſint illi, qui duris aut imprudentibus loquendi modis uſi; Imò Synodi Præſes *Boyerman*, Piſcatorem Heroa, cœlo terræque chariſſimum nomen, & Eccleſiæ lumen prædicavit, cujus ſcripta notari nefas, &c. Hülſem. Calvin. irreconciliab. 52. Deduct. fund. Witteb. contra Rintel. 372.

Fallor, aut hoc ipſum eſt, quod *Schuppio* dedit occaſionem fingendæ narratiunculæ, de diabolo ad Patres Dordracenos, tanquam cauſæ ſuæ Patronos provocante; *Narratiuncula* ſic ſe habet: „Nuper „navis quædam diabolo onuſta, mercatoribus occurrit in Oceano: „Mercatores inaſſueto hoſpitis aſpectu perterriti, dixére: quò pro„peras? Diabolus reſpondit, in Hollandiam, & quidem Dordracum „tendo. Mundum univerſum, veluti Leo rugiens tranſivi, latro„nibus, furibus, aliisque hominibus nequam interfui; Tandem qui„dam agentes pœnitentiam: Diabolus, ajebant, me ſeduxit. Sanè „dici non poteſt, quàm infinito & effrænato odio tum proſecuti ſint

 „mi-

„ miſerum me diabolum; Ergò Dordracum ibo, ubi diſputant, aſſe-
„ runtque: Deum eſſe cauſam peccandi; quod ſi verum, ſi *ſoli* fato, „ aut inevitabili Naturæ (Naturantis) decreto peccandi arbitrium „ (cauſam) imputant, mihi certè imputabunt NIHIL. Vide Schup. Scripta German. in f. octav. 405. pag.

Vatidicum & auſpicatum fuit *ſomnium* (quo præcisè anno, non liquet) *juveni* cuidam *Dordracenſi.* Debebat ille multis nominibus grandem pecuniam, perditâque re ac ſpe omni, magno in dolore verſabatur; cùm in ſomnis videret, qui ipſum moneret, ut Campos, Buſactrorum urbem (Campen) proficiſceretur; inventurum ibi in Iſalce ponte hominem, qui ipſum difficultatibus ſuis expediturus eſſet. Sequitur ſomnii fidem juvenis, viam ingreditur, monſtratam nocturnô indiciô urbem accedit, pontem fatalem repetitis crebrò veſtigiis à prima luce in ſeram usque veſperam, anxius ſolicitusque percurrit. Et jam fruſtrà ſumptam damnârat operam, ſomniique ſui fallacem promiſſionem; cùm mendicus quispiam, qui ad petendam ſtipem in ponte illo conſederat, notatis in juvene ægri animi indiciis, eum ad ſe vocat, monetque, ut, quam gereret in animo ſolicitudinem, liberè profiteretur? dum juvenis detecta mente ſuſcepti rationem itineris explicabat: Næ tu, Mendicus inquit, ſtultus ſis, quem hucusque à patria domo ſomniorum trahunt ludibria! quæ ſi ego attendam, tua ſecutus veſtigia, Dordracum contendero, ut grandem ibi in horto, quem in ſomnio vidi, theſaurum ſub Roſeto diffoſſum, eruam. Juvenis intelligens hortum demortui parentis deſignari, confeſtim patriam repetit, theſaurum reperit, æs contractum ſolvit, ſomnioque ſuo beatus, omnem animo ſolicitudinem evolvit. refer. Danhau. in Collegio Decalog. p. 312.

Sed *lugubris* fuit *caſus, qui Lipſiæ contigit:* Ex diutina peregrinatione ibidem adveniens juvenis, divertit apud parentes cauponariam exercentes, eisque, extraneum ſimulans, bonam pecuniæ particulam tradidit, fideliter cuſtodiendam; viſitatis deinde fratribus & amicis, invitatisque, ut altero die vellent fratris, ad patriam domum reverſi, hilares agere convivas. Quid fit? Infelix hoſpes, inſumpta modica cœnâ, ſomno ſe recreaturus, lectum petit; parentes autem pecuniæ inhiantes, advenam de nocte trucidant. Accurrentibus poſtridie liberis & amicis, ad fratris convivium paratis, parentes, cum ſtupore intelligentes, proprium ipſos jugulaſſe filium, ſemetipſos etiam interimunt; liberi ſuperſtites ad ultimum ferendis animi dolo-

doloribus impares, conſimili morte pereunt. Vid. Tſchimmern, in Contin. Sleid. Monarch. lib. pag. 305. ſeq.

An dentur homines Marini? Non ſemel inter Eruditos diſputatum, quibusdam id affirmantibus, negantibus aliis. Exemplum Viri, externa ſaltem formâ talis, imò non modò membris omnibus, verùm & ipſa loquelâ hominem exhibentis, quem anno 1619. Conſiliarii Daniæ Regis, ex Norwegia remeantes, curarunt ſalo extrahi, & probè conſpectum, rurſus immitti, autor Theatri Europæi allegat, pag. 519. & ex eo Dannhauerus Part. ſept. lact. Catechet. 122. Confer omninò J H. Urſinum Ratisponenſem in lib. VI. Sacrorum Analectorum Problemat. cap. 4. 334. ſeq. & Waldſchmidium in notis ad concionem ſecundam de ſpectris, pag. 449.

Notabile *exemplum falſæ accuſationis*, adverſus Beliardum quendam, civem & mercatorem Marſilienſem in Gallia ſuſceptæ, ſed ſingulari vindicis DEI judicio *detectæ*, inque Ventierio, peſſimo nebulone, eo ipſo ſupplicii genere, quod ſubire debuiſſet accuſatus, nimirum ut primò extractâ forcipe linguâ, vivus deinde in ignem conjiceretur, & abſumpti corporis maledicti cineres in aërem ſpargerentur, *punitæ*, Zeil. in Trag. 1081. 1096. exhibet.

Johannes Barneſeldius, ab anno 1588. Hollandiæ celebris Advocatus, rerum politicarum ſcientiſſimus, deque ſtatu Batavorum fœderatorum optimè meritus; tandem ſeptuageſimo tertio ſuæ ætatis anno, poſt finitam Synodum Dordracenam, veluti ſeditionis ab Arminianis excitatæ, & colluſionis cum hoſte ſuſpectus, HagæComitum *capite plexus eſt*. Hofm. Lex. univ. 255. & Calviſ. Chron. 980. pl.

LIBER

LIBER TERTIUS,

Continens Memorabilia, nata ſub Imperatore FERDINANDO Secundo, ab anno 1619. ad usque trigeſimum, quo Sueciæ Rex GUSTAVUS ADOLPHUS, Ferdinandum & Ligiſtas aperto bello petiit.

CAPUT PRIMUM.

Summaria.

Actionis, qua Lutherus tum Jus Pontificium, tum decretum Papæ combuſſit, Memoriam Secularem celebrat Wittenberga.

Heroicorum inſtitutum delineatum.

Bohemia cataſtrophen ſubit, Eccleſiæ puriori maximè lugendam.

D. Johannes Hauberus Beatis additur.

ANte centum abhinc annos, Papa Romanus, Leo decimus LUTHERUM excommunicavit, ſævamque in eum edidit bullam, omnes ejus aſſeclas hæreticos proclamavit, ipſiusque effigiem, cum ſcriptis, Romæ in foro publicè flammis tradidit, quod factum die Junii decimo quinto, anni ſupra milleſimum & quingenteſimum vigeſimi. Commotus inde *Lutherus* decima Decembris luce, convocata omni multitudine Scholaſtica Wittembergenſi, & magna doctorum hominum comitante turba, *Jus Pontificium*, quod *Canonicum* vocant, & illud nuper evulgatum *Pontificis decretum,* in publico etiam foro *combuſſit*; & poſtridiè, cum doceret, vehementer admonuit, qui ſuæ ſaluti conſultum eſſe vellent, ut à regno Pontificio ſibi caverent. Poſteà ſcriptum emiſit Megalander, in quo facti ſui rationes adduxit graviſſimas, & allegando præprimis aliquot (ex plurimis certè) loca, quæ ad contumeliam DEI, Magiſtratûs injuriam, ſtabiliendamque Anti-Chriſti tyrannidem propriè ſpectant, meritò ab ipſo Pontificium illud Jus exuſtum eſſe, demonſtravit. Vid, Oſ. Cent. XVI. pag. 75. Hiſt. Eccleſ. & Heideg. hiſt. Pap. 109.

Actio-

Actionis iſtius *memoriam Secularem* anno 1620. celebravit *Academia Wittembergenſis*, deque Pontificio Jure, in peculiari ſcripto publico tale pronunciatum dedit *Bartholomæus Reuſnerus*, Profeſſor Juris & Collegii ſui Senior: „ Continentur in eo partim decreta Con„ciliorum & ſententiæ Patrum, partim Regulæ & axiomata Juris Ju„ſtinianei, accommodata foro Eccleſiaſtico atque litibus Clerico„rum, prout res & cauſa quoquo loco & tempore poſtulare viſa eſt; „Sed ſingula ferè ſunt vel aſperſa ſuperſtitione & hypocriſi, vel in„fecta ambitione ac avaritia, Pontificibus ad molendinum ſuum „omnia trahere conantibus, atque Papocæſariam illam exſtruenti„tibus, quam provexerunt, quousque Deus permiſit. Addidit ibi Reuſnerus, magnâ dignum admiratione, Lutherum ob crematum Jus Pontificium, in proximis Comitiis Wormatiæ habitis, à nemine accuſatum fuiſſe, aut reprehenſum; inde colligens, ex ipſis Pontificiis Megalandri factum, tacitè ſaltem, approbaſſe non paucos, inter quos numerandus ille Rhythmicus,

Vive, vive, mi Luthere, ſcribens,
Cuncti dicunt tibi: Chære,
veritatis columen.
Læti eſte Lutherani,
Nam vos eſtis Chriſtiani;
AntiChriſtum temnite.
Libertatem Chriſtianam
Non exiſtimantes vanam,
Fortiter defendite.
Nil nocebit Bulla minax;
Veritatem timet vorax
Satanæ inventio.
Jam Primatus ille ruit,
Quem doloſè nobis ſtruit
Phocæ Bonifacius.
Jus combuſtum nos non urit,
Quanquam Canoniſta furit,
Fœdum virus evomens. &c.

Refert Müller, D. Hamburgenſis, in Def. def. Lutheri contra Jeſ. Creuzen/ pag. 424. & 429. pl.

Autor ſectæ Heroicæ adornandæ, propoſitum urget, inſtitutumque Heroicorum eſſe dicit, Humanam felicitatem publicam privatamque

que omnibus numeris abſolvere, quantum quidem natura tum agentis, tum patientis, humana utraque & imbecilla, latura eſt; Idque tum malorum nunc homines affligentium ſublatione & correctione, tùm bonorum vel omninò, vel ex parte deficientium repoſitione. Heroicis debere felicitatem utramque, tum privatam ſingulorum, tum publicam univerſitatis, eſſe propoſitam. Illam quidem, quæ in comparatione inſtrumentorum viget, quibus ſumma felicitas obtinetur, quæ ſive Natura præſentat, ſive confert informatio, ſive ſuperior diſpenſatio impendit; Hanc verò rurſus, quæ Eccleſiam concernit, ſummumq; humani generis bonum publicum, & in cœteras humanæ vitæ neceſſitates ſe diffundit. Perfecturos eſſe Heroicos, ut ſummi cultus DEI purè effulgeat, ac unusquisque diu ſit, benè ſit; benè ſit per æternũ diu, & benè ſine menſura; ut Eccleſia eniteſcat è caligine, ſalutisq; inſtrumenta probè diſpenſet. Incomparabile malum oſtenſuros eſſe latiſſimam & profundiſſimam DEI veræque religionis ignorantiam, Eccleſiæ anguſtiam, impuritatem, oppreſſionem, & periclitationem extremam inter diverſiſſimorum hoſtium machinas, mœrorem lànguoremque publicum, inter immanem bellorum perennitatem. Mali hujus cœterorumque cauſas, monſtraturos, eſſe hyperphilautiam, ſingulos ordines inficientem, nonnullorum ingenioſam nequitiam, ſtoliditatem aliquorum imprudentem, publicam ingratitudinem, privatamque negligentiam boni publici præſidum. His oppoſita totidem bona Heroicos promoturos, mala verò iſta remoturos, & tum contẽplatione tum actione felicitati litaturos atque adeò reformaturos eſſe ſingula, ut Univerſitati benè ſit. Tandem iſtos fore Jeſuitiperdas. Jam olim per conſenſum conjunctionemque optimorum, quam ſectam vocarint quidam, conſultum eſſe cultui Divino, Eccleſiæ bonoque publico. Diſſolutionem per ſectarum inordinatarum, quas Ordines malè vocant, Papam R. operatum eſſe. Poſt reformationem B. Lutheri debuiſſe illicò reſtaurari veterum conſilia, & ſociari præſtantiſſimos religionis antiſtites, ut reſidua malorum evellerentur. Segnibus ad talia, pontificem oppoſuiſſe novam ſectam, quæ ſacro civilique bono negotium faceſſeret. Hanc, Eccleſiam Chriſti pervicaciſſimè hactenùs oppugnâſſe, ac tantùm non oppreſſiſſe, Papæ etiam totique orbi formidabilem factam. Eſſe ſummam ſtupiditatem, quòd Eccleſiaſticorum inerti præſumptione foveatur, & politicorum proditoriis conſiliis in hunc uſque diem perducatur. Servatam

vatam quidem eſſe Eccleſiam, ſed DEI virtute, præter ſocordiam eorum, qui maximè obligati ſunt Eccleſiæ; ſed in ſuis membris noſtra ſocordia, deſertione, proditione, miſerè mutilatam. Conſilia adverſariis oppoſita eſſe vaniſſima, & hoſtem animoſiorem audentioremque facientia. Non ſatis eſſe, ſi oppida ditionesque cuſtodiamus; latiùs omninò proſpectandum, & videndum, quâ virtute Jeſuitis occurrendum? Præter media generalia, quibus Chriſtiana prudentia ex omni antiquitate collectis abundat, etiam Jeſuitica ad eosdem perdendos, ſervandamq; Eccleſiam, uſurpanda, quatenus huic ſectæ ſanctæ commoda videbuntur &c. De *Secta* hac *Heroica* ſuum cuique eſto judicium. Miſcentur ſanè in ejus delineatione aliqua, quæ monſtrum parturire videntur. Illud tamen, quod ad beanda, reformanda, ædificanda, deſtruendaque plurima, quæ cultum DEI, Eccleſiam, & ſalutem publicam ſubvertunt, pollicetur illa, præſtitura videtur *Sacrorum Collegiorum Unio*, quam alicubi Dorſcheus commendat, & qua quibusvis conſiliis obviam iri poterit, queis veræ felicitatis poſſeſſioni ruina paratur. Vide Admirand. J. C. Septenar. *præf.* b 4. 7.

Quamvis multa ſibi promitterent *Bohemi*, ſub novo Rege *Friderico* Palatino, lætioraque ſe darent regiminis ejus principia, brevi tamen *tragica cataſtrophe* fabula terminabatur, poſt infelix illud prælium in albo monte, non procul à Praga; cæſo enim Friderici exercitu, diſſipatoque, parvo temporis momento, maxima ſimul momenta rerum vertebantur; inenarrabili purioris Eccleſiæ damno, ut ſequentia docebunt. Krom. H. E. 626. Boxh. Chron. 151.

Interim vivis exceſſit, vel potiùs ad veram demum ac immortalem beatè viventium vitam abiit, *Johannes Hauberus*, Theologus Wirtembergicus, Conſiſtorialis & Eccleſiaſtes aulicus inclyti Ducis Johannis Friderici; Vir tàm de Scholaſtica, quàm Eccleſiaſtica Republica optimè meritus; qui tùm caſtra ſui Principis ex officio ſequutus, Wormatiæque dyſenteriâ malignâ proſtratus, obiit, Balthaſare Raithio teſte, in Orat. funeb. Chriſtophori Zelleri pag. 18.

LIB. III. CAP. II.

Summaria.

Oritur Jeſuitiſſarum Ordo.
Indultum primariarum precum Ferdinandus II. Imper. à Papa Paulo V. impetrat.

Jus primariarum precum, quale!
Vienna Auſtriæ Jubilæum obit.
P. Dominicus, Carmelita, prælio Pragenſi præſens cum Imagine B. Virginis Mariæ.
Saliani gloriatio de terrore exercitui Bohemico Divinitùs incuſſo.
Drexelii perſuaſio de Victoria Pragenſi, auxiliis Angelicis reportata.

HOc tempore in regno Papali exortus eſt novus *Ordo Jeſuitiſſarum*, ſeu mulierum Jeſuitici Ordinis ac nominis, de quibus *Leydeckerus* in notis ad Hornii hiſtoriam Eccleſiaſticam, hæc habet: „Quòd „ſi Papiſtæ rideant, inter carcinomata noſtræ (Calvin.) Eccleſiæ „*Hutchinſoniam*, & alias mulierculas Concionatrices in Anglia; attendant ad ſuarum Jeſuitiſſarum hiſtoriam. Sanè fuerunt Anglicanæ mulieres, quæ Jeſuiticum Ordinem inceperunt. Audiamus „Wilſonum in hiſtoria Jacobi primi, ad annum 1620. ſcribentem: „Hic ordo natus eſt, per quandam *Wardam* ac *Twittiam*, Anglicas „fœminas in Flandria. Et illæ quidem Ignatianam veſtem induerunt, excitatæ ac animatæ per P. Gerhardum, Leodii Rectorem „Collegii, P. Flaccum & Morum; At P. Singleton, P. Benefield, aliiq; „ſe oppoſuerunt, nec eas cum benedictione ſua, ite, prædicate, dimittere voluerunt: Nam ipſarum conſilium erat, Evangelium prædicare ſuis fœmellis in Anglia. Sed brevi *Warda*, Papali indulgentia evaſit *Mater Generalis* circiter ducentarum domicellarum, quas „emiſit quaquaverſum ad prædicandum, rationem ipſi laboris Apoſtolici reddituras. Hæc à Waſwortho narrantur, qui in juventute S. Oldomari in Jeſuitico Collegio educatus eſt, & haſce machinationes comperit. Tales viperæ naſcuntur in viſceribus hujus regni! Aſt eas ſupprimere coactus fuit poſteà Urbanus octavus, indignantibus licet Jeſuitis, & lugentibus defunctas ſororculas. Leidek. ad Horn. H. E. pag. 422. ſeq. confer Act. Erud. Lipſ. 1682. 178.

Notari meretur *Indultum primariarum precum*, novo Imperatori *Ferdinando ſecundo*, à Pontifice Tiberino tranſmiſſum, ob egregia illius in Eccleſiam R. cujus fidelis Advocatus, & fortis Athleta ſit adverſus fidei & Chriſtiani nominis hoſtes, merita. Sic autem Papa Romanizat: „Paulus V. Epiſcopus, ſervus ſervorum DEI. chariſſimo filio Ferdinando, Romanorum Regi illuſtri, in Imperatorem electo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem! Cùm poſt

„factam

„ factam de perſona tua per S. R. Imperii principes Electores in Re-
„ gem Rom. electionem (ac per nos univerſæ reipubl. ſalute confir-
„ matam) nuper nobis ſignificâris, Te ſummopere deſiderare, perſo-
„ nas tibi gratas & acceptas, gratiâ & munificentiâ aliqua beneficia
„ Eccleſiaſtica conſequi poſſe, Nos, quemadmodum magis merentur
„ efferri laudibus, inſignibusque præconiis commendari, ea ſubli-
„ mium Principum deſideria & vota, quæ in Divini nominis ac per-
„ ſonarum, illi vinculô clericali adſtrictarum, amore feruntur, ac
„ opere poſtmodum conſequente tutum deducuntur in actum; ita
„ etiam dignum, vel potiùs debitum exiſtimamus, ut, quoniam in
„ fidei ſinceritate ac devotione illibatæ Eccleſiæ, ſponſæ noſtræ, te
„ fidelem advocatum devoviſti, eamque humili profeſſione Matrem
„ atque Dominam tuam recognoviſti, & ad ipſius honorem, & S. R. J.
„ decus ac unionem victoriæ, diadema etiam noſtro miniſterio, ad-
„ veniente tempore ſuſcipere, & in eis immobilis perſiſtere intendis,
„ nec minùs tanquam ipſius Eccleſiæ legitimus pugil & athleta, tu
„ adverſus ſchismaticorum Hæreticorumque inſanias & furores,
„ Turcarum tyrannum, ac fidei & Chriſtiani nominis hoſtes, ſpiri-
„ tualiter ac temporaliter armaris, ac indies arma hujusmodi jugi-
„ ter exequeris, ea tibi fovorabiliter concedamus, quæ Celſitudini
„ T. cedant ad honorem, & per quæ iisdem benè meritis perſonis te
„ munificum reddere poſſis, ope auctoritatis Apoſtolicæ, exhibi-
„ tione gratiarum. Hinc eſt, quòd ſupplicationibus tuæ Celſitu-
„ dinis inclinati, dicta autoritate præſentium ſerie, eidem T. C. con-
„ cedimus, & indulgemus, quòd ſi per te quibusvis collatoribus ſeu
„ collatricibus quorumcunque beneficiorum Eccleſiaſticorum ſecu-
„ larium & regularium, ordinum quorumcunque, per S. R. J. vide-
„ licet conſtitutorum &c. preces porrigi, ſeu de perſonis ejusdem
„ ad hujusmodi beneficia Nominationes fieri contigerit primarias,
„ iidem Collatores & Collatrices, hujusmodi precibus ac Nomina-
„ tionibus parere & intendere, nec non perſonas ipſas ad hujus-
„ modi beneficia, poſtquam ipſis de illis canonicè proviſum fuerit,
„ juxta earundem precum, aut Nominationum tenorem, recipere
„ & admittere debeant ac teneantur &c. Nulli ergò hominum li-
„ ceat hanc paginam noſtræ declarationis, conceſſionis, indulti, dero-
„ gationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario
„ contraire. Si quis autem hæc attentare præſumpſerit, indignatio-
„ nem omnipotentis DEI, ac beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum

„ejus, ſe noverit incurſurum! Romæ, apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ 1620. prid. Non. Jun. pontificatûs noſtri XVI. vid. Manual. Vivianum juridico-Theologicum, pag. 150. 172. pl. & Burgold. Notit. rerum Imp. B. 97.

Ad meliorem Intelligentiam Indulti Paulini, non ignorandum, uti *primariæ preces* ratione nominis nil aliud ſunt, quàm Interceſſiones primò petentibus concedi ſolitæ; ſic in Inſtrumento pacis Oſnabrugo-Monaſterienſis, primarias preces accipi pro ipſo Regali jure nominandi ad beneficium, quod mediantibus illis exercetur. Eſtque adeò *jus primariarum precum*, poteſtas, cujus vi Imperator benè meritis, vel aliis perſonis idoneis, ſuper beneficio Eccleſiaſtico, primùm vacaturo, promiſſionem facit. *Hermannus Conringius* in animadverſionibus ad bullam Innocentii decimi, hôc ferè modô diſſerit: „Papa de precibus primariis ita loquitur, quaſi illæ ſoli ſuæ liberali- „tati debeantur. Non equidem negaverim, ſolere Cæſaribus à Pa- „pis jam aliquandiu tale quid concedi. At verò jus hoc Cæſareum „ſolis niti Paparum conceſſionibus, id neutiquam videtur admit- „tendum, &c. quin videtur potiùs hoc jus, ejus eſſe generis, quale „illud, quòd vi Coronationis Imperator fiat Aquisgrani quidem „Canonicus Collegii S. Mariæ & Eccleſiæ majoris Colonienſis, Romæ „verò Canonicus D. Petri. Quæ itidem Papis haud debentur, ſed „potiùs tenues ſunt reliquiæ antiqui juris Cæſarei circa collationem „Epiſcopatuum, Abbatiarum, aliorumque beneficiorum Eccleſia- „ſticorum. Hæcce Conringius, ex allegatione *Burgoldenſis*, qui „addit ſequentia: „Poſtquam Papa R. ingentem tempeſtatem civi- „lem in Germania feciſſet, & auxiliô Epiſcoporum, Imperatores „hinc & illinc in varios illiſiſſet ſcopulos, tandem hi procellis & „jactationibus fracti atque attriti, fecerunt ingens naufragium ju- „ris conferendi Epiſcopatus & Prælaturas. Ex illo autem naufra- „gio primarias preces, tanquam tabulas quaſdam rurſus collegerunt: quas non ex Papali Indulto ac privilegio; ſed ex proprio „jure, & primordiali ſuperioritatis præeminentia ſibi vendicant. Ne verò per jus illud primariarum precum, Auguſtanæ religioni, & Capitulis reformatis damni aliquid immineat, Pontificiis in ſocietatem admiſſis, cautum eſt Inſtrumento pacis Weſtphalicæ, ut Imperator, ubi Auguſtana religio floret, non niſi ejusdem religionis conſortem præſentare debeat; ſi Burgoldenſi, quod ſperamus, tuta fides, citat. loc. pag. 98. ſeq.

Vi-

Vigeſimo tertio Februarii hujus anni, rurſus *Jubilæum*, diſponente ac jubente Paulo quinto pontifice Romano, *Viennæ* in Auſtria, pro Cæſaris Ferdinandi ſalute, ac pacis religionisque Romanenſium in Imperio conſervatione, celebratum eſt; Et quidem *omine non bono*! Fulgura enim atque tonitrua, inſolito planè modo, magna cum conſternatione hominum plurimorum, viſa & audita eſſe, relatio fide digna nunciavit. Calviſ. in Chron. pag. 985.

Octavius Pancinorola, in Explicatione Theſaurorum almæ civi-„tatis Romæ, meminit, factum fuiſſe, ut, cùm in Bohemia octa-„vo Novembris utraque acies (Ferdinandi nimirum, & Friderici) „ad arduum cruentumque prælium ſtetiſſet, *P. Dominicus*, Carme-„lita natione Hiſpanus, *Imaginem tabellamque Marianam*, inter fra-„gmenta lignorum in ædibus cujuſdam pontificii repertam, & eam „quidem hæreticorum (quos vocat) audaciâ oculis privatam, è col-„lo ſuſpenderet, duces anteiret, ac univerſum exercitum hortaretur, „atrocem injuriam Chriſto & ejus Matri turpiter illatam, ulciſceren-„tur, actutum in acie hoſtili trepidatum fuerit, ita, ut Chriſtianus „Anhaltinus, locum-tenens Generalis, non ſine commotione men-„tis conqueſtus ſit, nunquam viſum ipſi militem, quem terror ma-„gis confudiſſet panicus. Hæc Pancinorola, penes quem ſit narrationis fides. Hoc omninò certum & in vulgus notum, Imagunculam B. Virginis eo uſque à Monacho fuiſſe commendatam, ut poſt ei acceptam ferrent Papicolæ Pragenſem victoriam, eique nomen indiderint, *Dominæ noſtræ de victoria.* Iſtam, Pragenſem puta Imagunculam, dicunt Papam ipſum de geniculis adorâſſe; quæ deinceps adorata fuerit ab omnibus eam conſpicientibus Romano-Catholicis, quippe præcipuo altari, cum radiantibus ornamentis impoſita, in tabernaculo ex auro & argento affabrè facto. D. Dorſch. in ſingular. Angelicor. Septenar. diſſertat. 5. pag. 360. confer D. Dannhauer. Colleg. decalog. 87.

Jacobus Salianus, Lojolita, de prælio Pragenſi ad Imperatorem Ferdinandum ſcribens, hæc inter alia ſuis inſeruit literis: „Ut vi-„ſum eſt noſtris Ducibus, ineundum eſſe certamen, & in DEI, ſan-„ctiſſimæque Genitricis ejus, ac omnium Sanctorum, quorum eo „tempore feſtus agebatur dies, patrocinio fiduciam collocandam: „Hinc Bavarus, inde Buquojus, hymno, ad beatiſſimæ Virginis o-„pem implorandam, ab uno è patribus noſtris decantato, ſigna „prælio tubarum clangore dari jubent, ac militem infeſtis animis

„te-

„ teliſque perfidum hoſtem invadere. Viſus eſt à principio Catho„licorum exercitus, ut ipſemet Bavariæ Dux fatetur in ſuis ad ſum„mum Pontificem literis, nutare nonnihil; cùm ſe Wallonum for„tiſſimus cuneus occulto è calle in hoſtem improviſum infudit, ma„gnamque ei trepidationem injecit. Timore inprimis perculſus eſt „Hungarus, cùmque loco pulſus eſſet, toti exercitui terrorem at„tulit, ſuaque fugâ omnes partium ſuarum ordines perturbavit. „Hîc videlicet Catholicis ex hoſtili timore audacia creſcit, toto „monte præcipites agunt perduelles, & Pragam usque cæſim pun„ctimque feriendo, ac dorſa fugacia ignominioſô vulnere fodien„do perſequuntur, &c. Hæc Tuis auſpiciis, religioſiſſime Impera„tor, ad gloriam DEI ſuſcepta perfectaque, Tuis inprimis apud „Deum precibus, meritisque; hæc intenſis fideliſſimorum ſubdito„rum votis, ſupplicibusque deſideriis; hæc totius Eccleſiæ Catho„licæ ſacrificiis & voluntariis corporum afflictationibus, pro Impe„rio Tuo ultrò ſuſceptis; hæc tot ſanctiſſimorum virorum exiliis, „proſcriptionibus, ſuppliciis, mortibusque debebantur. Dorſch. citat. diſſ. de Angelis pag. 344. ſeq. 348. p[1].

Drexelius autem Jeſuita, Maximiliani Bavari Confeſſionarius, poſt plurima, quæ de certiſſima *Angelorum cuſtodum in bellicis etiam expeditionibus præſentia*, Domino ſuo perſuaſa eſſe voluit, quæque de Pragenſi victoria affert, ſanctiſſimorum Angelorum virtute atque dominio parta, tandem addit: „ Primarium quendam ex W. belli „Ducem, Auguſtæ Vindelicorum Pontificio militi confeſſum fuiſſe, „poſt initia nominatiſſimi illius prælii, in quibus Statuum Boëmi„corum exercitus ingenti fiduciâ & fortitudine incredibili ad pu„gnam proruit, erupiſſe ex adverſaria acie Legionem peregrinam, „munitiſſimam, lætiſſimo concitatiſſimoque auſu progreſſam, ra„diantem penè ac fulgurantem, quæ tantum incuſſerit non equiti„bus peditibusque ſolùm horrorem, ſed etiam equis terrorem, ut „è veſtigio ad fugam & cladem omnia prolaberentur. Ita Drexelius audacter pronunciat, &, fuiſſe illam Angelorum triumphantium legionem, quæ ad maximam victoriam ſummum attulerit momentum, concludit. Hinc paſſim jactantiſſimæ voces de *Angelis* Papali regno propitiis, pro Papali regno pugnantibus, omnibus etiam infenſis, quotquot jurisdictioni Monarchæ Romanenſis in Eccleſia immenſæ non parent, pugnantibus denique contra hæreticos Lutheranos & Calvinianos, eosque debellantibus: At verò *vanus* eſſe

Pa-

Papiſtarum jactationes, quibus in ſuis victoriis atque triumphis contra purioris fidei confeſſores, angelicarum ſanctarumq; turmarum præſidium ſecretius & ſingulare ſibi aſſeruerunt, dictus *Dorſcheus* egregiè docuit, oſtendens nimirum, Pontificios ſtantibus aliquot hypotheſibus ſuis, de angelicarum excubiarum gratioſa præſentia & auxiliis, ad pericula vitanda, victoriasque parandas neceſſariis, certos eſſe non poſſe. Diſſert. de Angel. quint. 359. 335. 337. pl.

LIB. III. CAP. III.

Summaria.

Pragæ, cum offendiculo mutantur Ceremoniæ tàm Lutheranæ quàm Pontificiæ.

Dux Brigenſis, Calvinianis accedit.

Abraham Scultetus, immodicum Syncretiſmi ineundi ſtudium ad Pontificios quoque extendit.

Regionis Bearnenſis oppreſſio ſubitanea, cui Hugonotica Religio ſuum debet exterminium, paulo altius heic evolutum.

Oppreſſio illa à Bzovio deſcripta.

Reformati, quos vocant Valtelini, miſerè trucidantur.

D. Cunradus Dåkerus fato fungitur.

FRidericus Palatinus, à Bohemis nuper deſignatus & coronatus Rex, præcipiti tàm Lutheranarum alicubi, quàm Romanarum ceremoniarum in arce Pragenſi abolitione, & mutatione, multorum utrinque animos offendit. *Sed Johannes Chriſtianus, Brigenſis Dux*, & Sileſiæ Capitaneus, hactenus Lutheri ſententiam ſequutus, jam inſtitutis Calvini adhærere incipit, Regemque ſuum in percipienda Eucharistia æmulatur. Cluver. Epit. hiſtor. 781. Spen. Geneal. 275.

Interim uti hactenus Calviniani, præſertim Palatini, pro Syncretiſmo inter ſeſe ac Lutheranos conficiendo enixiſſimè laborarunt; Sic *Abrahamus Scultetus*, Friderici Regis Eccleſiaſtes Aulicus, propenſionem ſuam ad *Syncretiſmum* quoque *cum Pontificiis*, non obſcurè teſtatus eſt, nempe in concione anno 1620. die 15. Aprilis Pragæ habita, Papicolas non errare in fundamento fidei adſtruens. Eam verò intempeſtivam facilitatem *D. Lucas Oſiander*, Theologus Würtembergicus, eodem an. Aug. 25. & 26. diſputatione publ. ſub titulo *Scultetus Atheus*, correxit. Ex ipſis etiam Calvinianis, alii aliter hac de re, v. g. *Pareus*, licet Syncretiſmi ſtudioſiſſimus, mentem explicare ſuam. Vid. Calovii Syſt. Theol. A. 783. 1140. & inprimis Hülſeman. Calviniſm. irreconciliab. pag. 16. 17.

In *regione Bearnenſi*, à Galliæ Regno jurium & privilegiorum ratione ſeparatâ, quamvis eundem cum Gallis agnoſceret Principem, improviſo Regis adventu oppreſſi tùm Calviniani, ejectisq; horundem plurimis, ubique Romanæ fidei confeſſores triumphârunt, & Provincia liberrimi anteà juris, non tàm annexa Galliæ, quàm ſubjecta eſt. Inde verò cùm *exterminii Hugonoticæ religionis initium* dependeat in Francico Regno, rem paulò altiùs, per compendium tamen, repetemus. Ab exceſſu Henrici quarti, Papicolæ ſtatim, gentem illam, quæ Reformata dicitur, penitùs perdere ſtuduerunt. Arduum erat Edicti Nannetenſis fidem, tot Sacramentis confirmatam, aperta vi, unoque ictu convellere; actum dolo, cuniculisque clàm petita fundamenta, quò mole ſua rueret ædificium. Prima mali labes è *Sacramento à Rege* (Ludovico XIII.) die, qua inauguratus fuit, *præſtito*, ſub cautione data in hanc formulam: *Juro in fide Regia, quos Eccleſia hæreticos renunciaverit, me tentaturum, quâ vi potero, finibus Regni mei expellere.* Apertiùs erupit vis inimica, cùm anno 1615. habitis Lutetiæ Comitiis generalibus petitum à Papali Clero, Regis ut fides, juramento ſolenni firmata, exſolveretur, valeretque poſthàc in Gallia Concilium Tridentinum; Concilium, quo interdicitur Regno, qui conſcientiæ libertatem concedit hæreticis Papæ judiciô talibus; Adjectæ his de proſcriptione hæreticorum declamationes, ſpecie inſtruendi populi, in templis habitæ, queis in diſſentientes à Rom. Religione excitata omnium odia. Mox Bearnenſes Epiſcopi prævaluére Paſtoribus Reformatis, omnia in pejus collapſa, conſcientiæ libertas oppreſſa, quæ in eam diem ſarta & intacta fuerat. Armata quoque in Hugonotas Parlamenta, religionis prætextu crudelia & iniqua, ſi fortè in manus illorum inciderent. Si quis officii ratione acceſſit ad Regem, inſinuatus in aurem ſuſurrus, abſtinendum ipſi aulâ, aut Calviniſmo. Si quis in Parlamentis, Romanæ ſervitutis impatiens, Hugonoticam Religionem amplexus, continuò ſub ſpecie hæreſeos profeſſæ Senatu motus eſt. Eorum corrupta fides, quibus credita urbium Hugonoticarum cuſtodia. Seditioſis in homines hosce concionibus, velut in hoſtes publicos, excitatus eſt populus. Direpta multis in locis templa; temerata religio; effoſſa cadavera; ægris in ſtrato moribundis (niſi protinùs religionem exuerent) negata crudeliter fomenta in vitam; rapti hìc & ibi ab ubere matrum infantes, Romana credulitate faciliùs deinceps imbuendi. Suprema miſeris anchora, ipſiſſimum Regis genu, quod ſæpiùs amplexari

plexati, commiſeratione tentârunt ſuam defendere cauſam, quandoquidem interdictum experiri lege; at in irritum fuit etiam ſupremus iſte conatus; advoluti genibus Regis, perduelles audiere. *Lodunum* nuper an. 1619. convocata Hugonotarum *Comitia generalia*, permiſſu Regis indicta, ſed ejusdem juſſu iterum ſoluta. In eo conventu multa queſti, ludibrio fuerunt adverſariis Reformati; querelarum hæc erat ſumma: „ Ereptam querentibus Lectoræ arcem; non „ adſcriptos (vi ſtipulatûs) duos ex ipſis Lutetiano Parlamento; di„ repta ſuorum templa; depulſos omninò Pontificiis urbibus, qui „ religionem ſectantur diverſam, & municipes & Paſtores; raptos „ parentibus pueros vi Monachorum aperta, non exuendæ religioni „ tantùm, ſed & cucullo induendo; ſævitum atrociùs in mortuos; „ His accedere Parlamentorum aviditatem, quæ reliquas adeò juris„ dictiones abſorbeat, ut planè vacent Cameræ ſemipartitæ, quas „ conceſſerint olim edicta Regia; Inveterata præſertim in ipſos To„ loſani Parlamenti odia, cujus indefeſſum ſit ſtudium eos affligen„ di, & ex omni cauſa condemnandi. Lodunenſia ut ſolverentur comitia, *conventum ſub his conditionibus*: „ Lectoram poſt ſemeſtre re„ ſtituendam Reformatis; Lutetiano Parlamento duos ex ipſis ad„ ſcribendos; querelas Benearnii audiendas; quæ ſi conditiones de„ ficerent præſcriptô tempore, permiſſa Conventûs reſtauratio eſſet, „ quandòcunque liberet. *Conditio defecit*; ſequuta ergò *novæ Congregationis Indictio*; hinc atrox crimen *imputatum Calvinianis* Gallicis, *crimen* ſcil. *perduellionis*; Hinc ſequuta ſub finem præſentis anni, & initium ſequentis, *Expeditio* illa Ludovici XIII. *Bearnenſis*. Turſell. append. 2. Epit. hiſt. 9. Gramond. 316. ſeqq. 330. 362. pl.

Expeditionem Ludovicianam adverſus Bearnenſes, *Abrahamus Bzovius*, in vita Pontificis Pauli quinti his deſcripſit verbis: „ Pauli „ opus eſt, quòd Ludovicus Rex nondum adulta ætate, animum ad„ jecit, ad novas provincias, non tàm ſibi quàm Deo, neque armis „ ſolùm, ſed & pietate ſubjiciendas, quòdque uberrimum inde fru„ ctum tulerit, referat & expectet. Maximè quandò ſanxit edicto „ publico, ut in omnibus ac ſingulis locis provinciæ Bearnenſis, hæ„ reſeos contagione admodùm infectæ, cultus religionis Catholicæ „ liberè exerceretur, & bona Eccleſiaſticis ante 50. aut 60. fermè „ annos erepta, omninò reſtituerentur: Et, quandò contra obſtina„ tiſſimos hæreticorum, reſtitutionem bonorum negantium, cum „ copiis non contemnendis in Aquitaniam profectus, venit, vidit,

 „ vicit,

„ vicit, attonitisque illis rebellibus, intra ſolos quinq; dies, præſidia „ ubiq; mutavit; præfecturas armorum, quibus duces hæretici Catho- „ licos opprimebant (*ſcilicet!*) extinxit; Templa Catholicis, bona Ec- „ cleſiaſticis, Eccleſiaſticos priſtinis honoribus reſtituit; provinciam, „ antè legitima ſui Regis imperia detrectantem, ſibi ſubjecit; & Se- „ natum novis Conſiliariis Catholicis auxit, inque Parlamentum e- „ rexit. Hactenus Bzovius, apud Platinam in hiſt. de vit. Pontific. pag. 522. confer ſup. lib. 2. cap. XXIII. & XXXVII. annotata.

Valtelinorum, Reformatæ Religioni ad normam Theologiæ Calvinianæ addictorum, per eadem ferè tempora, *duriora*, quàm Bearnenſium, extitére *fata*. Etenim Vallis inhabitatores Pontificii, occultis inter ſe conſiliis initis, Calvinianos omnes horrendum in modum trucidarunt, imploratoque *Ducis Feriani* (veriſſimè feri) totum tractum pro ſe ſolis, Gryſonibus fruſtrà renitentibus, occuparunt. Primum tyrannidis impetum exeruére *Tyranii*, Volturez oppido, quod ſecundæ præfecturæ caput eſt, ubi ſub ſacrorum tempus oppreſſi, quotquot à ſacris Romanenſium abſtinebant, nullo ſexus aut ætatis diſcrimine habito. Tilii ſimiliter ſævierunt, quosdam in Campanile profugos, fumo flammaque ſuffocantes. *Sondrii*, primaria urbe, aliisque in locis pluribus, rabioſa turba hæreticos, ut vocabant, omni crudelitatis genere affligebant. Multos vel pulvere tormentario, ori intruſo accenſoque, perdentes miſerè; infantes tenellos, ab uberibus matrum avulſos, ac terræ alliſos, occidentes; corpora defunctorum ſepulchris extracta, canibus ac feris objicientes laniánda, &c. Peracto raræ atrocitatis ſcelere, Monſtra hominum de læto ſucceſſu magnoperè gloriati, *ſanctam reſolutionem* & *honorificum facinus* inſignire non erubuerunt. Micræl. H. E. Syntagm. lib. 3. 654. Heideg. hiſt. Pap. pag. 346. ſeqq.

Emortualis fuit hic annus, *Conrado Dikero*, Theologo Heidelbergenſi Palatino, in cujus promotione Doctorali, David Pareus famigerabilem illam, ſed aculeatam, Orationem habuit, de Pace & Unione Eccléſiarum Evangelicarum, vid. an. 1616. cap. XXXII. & Stratem. Theatr. hiſt. 1117.

LIB. II. CAP. IV.

Summaria.

Studioſi quidam Jenenſes regnum Chiliaſticum ſomniant.
Pauli Nagelii Phantaſmata.
Perſonati Gottliebii Heilandi aſſertiones, D. Gerhardi examini ſubmittuntur, & ab eodem refutantur.

Tunc

TUnc temporis *Academia Jenenſis* denuò non parùm turbata fuit à doctioribus nonnullis (ut videri volebant) *Studioſis*, novum aliquod *regnum in his terris feliciſſimum* fingentibus. Hi Palæſtinam inter ſe diviſam ſpe magna jam jam tenebant; Et, conſtituto Rege, diſtributisque in ſingulos officiis, neſcio quos montes aureos, in fortunata Utopia, exſpectabant. Meliora tamen edocti, per Theologum quendam ejus loci celeberrimum, errores agnoſcebant ſuos, dataque *ſcandala publicè deprecabantur*. D. Müller, Hamb. im Quaker-Greuel/ pag. 323. confer an. 1616. cap. XXXI.

Hiſce, præter alios fanaticos, præivit *Paulus Nagelius*, inauditæ Reformationis inter populos extra Eccleſiam Dei conſtitutos, & inſequentis tùm aurei ſeculi, falſus vates. Fuit Nagelius ille Philoſophus Lipſienſis, Mathematicus non contemnendus, ſcriptis quoque celebris; qui fanaticam Theologiam, pro Junone nubem, amplexus, ad exemplum ferè Carolſtadii, quas didicerat bonas literas & artes, aut contemptui poſtmodum habuit, aut ad palliandos errores ſuos adhibuit; ſua verò ſomnia phantaſtica ſub Calendariis, & prognoſticis variis, hinc inde diſſeminavit. Fundamentis autem, ut Hieronymus Kromajerus ſcribit, præcipuè tribus utebatur Nagelius, nimirum *diſtinctione ſenſualium, rationalium, & mentalium*; deinde *myſticis beſtiæ Apocalypticæ numeris, & ſanctorum Solymorum*, aliisque ſimilibus, demum etiam *divinationibus ex aſteriſmis & conſtellationibus cœleſtibus*. *Diſtinctio ſenſualium, rationalium & mentalium*, ex diſtinctione trium hominis partium, ſcilicet corporis, animæ, ac ſpiritûs, quas Paracelſiſtæ fingunt, proficiſci videtur, e. gr. cùm φαινομένων cœleſtium obſervatores ſenſuales facit homines ex fece vulgi rudes, cortices duntaxat rodentes, qui tantùm id, quod ſenſus incurrit, apprehendunt; rationales, qui ſecundum artis præcepta judicant; Mentales, in Scholâ Spiritûs S. doctos, & quaſi thyrſo prophetico percusſos, quos ſolos Scripturas cœleſtes cum Daniele legere ac intelligere poſſe, cenſet. Cùm autem iſthæc diſtinctio dudum à Theologis protrita, non eſt opus, nec inſtituti noſtri, pluribus in eam inquirere. *Numeros myſticos* quod attinet, miris hîc utitur ſupputationibus, e. gr. ex figura ſtellæ ſexangulari (licet ſtellæ ſint corpora globoſa) ac numero literarum ſenario, è quibus vox Cometæ, anno 1618. viſi, conflatur, numerum ſenarium; ex poſitu verò libræ, quod ſeptimū in Zodiaco ſignum ſit, & Cometæ dicto domicilium ad tempus præbuerit, ſeptenarium colligit; hos componit, & numerum myſticum

42. elicit, eò tendens, ut inde numerum Beſtiæ, currentis ſeculi annum 1620. &, ut ſeptenarius compleretur, magnaque conjunctio Saturni ac Jovis includeretur, annum 1624. finem ſecundi, & initium tertii ſeculi figat. En ſolertem fingendi magiſtrum! cujus exemplum ſi liceat imitari, ſine magna difficultate ex quovis ferè, quodvis nonnemo colligat. *Aſteriſmos cœleſtes*, ac ſi naturâ in cœlo eſſent, miris æquè modis urget Nagelius, & cum ſacris literis componit, ſuavibus ſuis ſomniis fidem facturus. Cùm v. g. dictus Cometa, magnæ conjunctionis prodromus, per Bootem & urſam majorem motu proprio latus fuerit, Bootes verò clamantem denotet, ac venabulo inſtructus pingatur, eum ad gentes nuncium, afferre ait, ſeculi ſecundi finem: Ex urſa, beſtiam quartam Danielicam, cujus interitus inſtet, facit. Verùm dictas conſtellationes in cœlo non eſſe phyſi, ſed theſi, eruditorum nemo ignorat. Licet autem in ſacris, ut in Hiobo & Amoſo, Plejadum, Orionis, plauſtri, mentio fiat, non tamen in fontibus hæc nomina ſpecialia, ſed generalia colligationum ſive congregationum legi, ex interpretibus autem Hieronymo & Rabbinis citerioribus illa deſumpta eſſe, conſtat. Quemadmodum denique hic noſter, aureis ſuis ſomniis de aureo inſtante ſeculo, plures etiam ſummo loco viros naſo, quod dicitur, aduncô ſuſpenderat; ſic præterlapſo deinde anno 1624. cùm promiſſis non reſponderet eventus, & ipſe falſus propheta deprehenderetur, recidivam illa catervatim patiebantur. Vide Kromajeri Polymathiam Theolog. pag. 597. ſeq. & Pezoldi Schnee-Tractat. 96.

Circa idem tempus vir quidam non indoctus *Geræ* in Voigtlandia, ſub fictitio nomine *Gottliebii Heilandi* (verum nomen erat, *Henricus Gebhartus Weſener*, J. U. D. ſi tuta fides peculiari, quod legimus, manuſcripto habenda) tractatus aliquot in publicum edidit, v. gr. Examen Chronologicum; Examinis hujus partem ſecundam, ſeu reſolutionem Apocalypſeos, & capitum quorundam Ezechielis ac Danielis; Cantici Canticorum expoſitionem hiſtoricam; veroſimilia hiſtorico-prophetica; Expoſitionem hiſtorico-literalem, coronidem, ac depulſionem. In iis cùm quædam obſervâſſet Rever. Miniſterium loci à communi ſententia Theologorum A. C. addictorum diſcrepantia, ne Eccleſiæ Rutheno-Geranæ, earumque Paſtores, eadem ſuo ſuffragio approbare, & ab Auguſtana Confeſſione ſeceſſionem feciſſe viderentur, ſui muneris eſſe cenſuerunt, è ſcriptis illis certa capita & quæſtiones quaſdam colligere, easdemque autori exhibere,

re. ut ſuam de omnibus perſpicuè ſententiam exponeret, Scripturæ dictis munitam, quò manifeſtum fieri poſſet, quatenus cum Orthodoxis conſentiret, vel ab iis in diverſum abiret. Obſequutus voluntati Myſtarum Heilandus, primò declarationem quandam veroſimilium Prophetico-hiſtoricorum, cum annexa repetitione hypomneſium correctiore; poſteà verò reſolutionem etiam quæſtionum exhibuit. Quid ſtatuendum de utraque, à *D. Johanne Gerhardo*, Academiæ Jenenſis Profeſſore Theologo, ſibi ſignificari miniſterium Geranum per literas flagitavit; quod ipſum inſtitutum prænominatus etiam autor approbavit, & petito peculiari confirmavit. *Gerhardus* igitur utriusque partis deſiderio ut ſatisfaceret, ſententiam ſuam candidè expoſuit, & ſequentes potiſſimùm Heilandi aſſertiones notavit, ut rejectaneas: *in genere*, quòd ſcripſiſſet, omnia Prophetarum vaticinia juxta literam ac verbaliter eſſe intelligenda: *In ſpecie*, quòd idem Chriſtum, ut filium DEI, Regem cœli eſſe; ut filium hominis, Regem terræ, pronunciâſſet: Judæos in orbe diſperſos, per inſignem Doctorem, è tribu Gad oriundum, convertendos; Eosdemque ad Chriſtum converſos in terram Canaan, paulò ante noviſſimum diem, reducendos; Terrenam Hieroſolymam ante mundi finem reſtaurandam; Chriſtum etiam in ea urbe peculiari modô præſentem regnaturum eſſe ſtatuiſſet; Inſuper mortuorum duplicem reſurrectionem, eamque corporalem; &, reſtitutionem totius Mundi, ac omnium creaturarum in priſtinam, quæ fuit ante lapſum, integritatem, vel etiam renovationem multò præcellentiorem & glorioſiorem, in noviſſimo die exſpectandam eſſe, aſſeruiſſet &c. Ex Tract. Gerhard. de Fundam. Chiliaſ. deſtruct. procem. & per tot. Kromaj. hiſt. Eccleſ. Cent. XVII. 661.

LIB. II. CAP. V.

Summaria.

Collatio inter Tilenum & Cameronem amica.

Libri Johannis Arndii de vero Chriſtianiſmo, diverſimodè excepti.

D. Joh. Valent. Andreæ judicium de iis.

D. Menzeri Epicriſis de D. Georgii Calixti Epitome Theologica.

Bohemi, & alii, à Theologis Wittenbergenſibus de Calviniſmo fugiendo monentur.

D. Keſslerus, de bello ubiquiſtico libellum edit contra Forerum.

Johan-

Johannes autem de Rada, volumen de Controverſiis inter Thomam & Scotum.

Res Aulæ à Ludovica Margaretha Lotharinga depictæ.

ANno 1620. inſtituta eſt amica illa *Collatio* in Gallia, in ſuburbano ad Aureliam, *inter Danielem Tilenum*, olim profeſſorem Heidelbergenſem, *ac Johannem Cameronem* Salmurienſis Academiæ Doctorem; Illum Remonſtrantium ſeu Arminianorum, hunc verò contra-Remonſtrantium ſeu Gomariſtarum partes defendentem, inſtituta. Quærebatur inprimis, *cur ex duobus adultis, æquè corruptis ac improbis, alter convertatur, altero in tenebris mortis relicto*; Ubi *Camero* quidem, Deum omnibus gratiam exhibere nolle, & in ſola ejus voluntate acquieſcendum eſſe, dixit; Univerſalem è contra DEI gratiam *Tilenus* defendit, & in pertinaciam impiorum, qui Spiritui ſancto reſiſtant, cauſam condemnationis rejecit. Fertur tamen, ipſum Cameronem poſt Collationem hanc, univerſalem quandam DEI gratiam aſſerere cœpiſſe; quam deinceps *Toſtardus*, & cumprimis *Moſes Amyraldus* in Gallia adverſus Fridericum Spanhemium, nec non in Germania *Ludovicus Crocius, Hermannus Hildenbrand*, ac alii ex profeſſo defendere non dubitarunt. Micr. Syntagm. H. E. part. 3. 640. Calov. in Conſiderat. Arminian. 14. Confer. an. 1612. Cap. IV.

Johannes Arndius, de quo an. 1615. cap. XXV. vid. huc uſque vapulavit ob librum quatuor partibus conſtantem, ac de vero Chriſtianiſmo inſcriptum; quem dubio procul ſincera mente & orthodoxa fide autor concepit, non autem parili modo lector excepit, ſivè reſpiciatur ad partem ſuæ religionis, ſive ad partem fanaticæ & inprimis Wigelianæ ſectæ. Digna notatu ſunt verba D. Joh. Valentini Andreæ in Oratione Inaugurali, dicentis: „ Non deſunt Principes „ Germani, ad miraculum eruditi, ſine exemplo religioſi, & cum „ invidia in Chriſtianam diſciplinam intenti, per quos non ſtat, quò „ minùs doctrinæ Chriſtianæ ſinceritati, vitæ etiam integritas, & mo- „ rum ſancta inſtitutio combinetur, opusque reſtaurandis Hieroſo- „ lymæ muris, quà telo in una manu defenſore, quà malleo in alte- „ ra laboratore perficiatur. Obſtat verſutiſſimus juxta & verſatiſſi- „ mus Satan inſigni artificio, quod audire non pigeat. Serpit cir- „ ca Eccleſiam Chriſti fex hominum peſtifera, quam Weigelianam „ vocant, religione monſtroſa, moribus comptula, dicacitate viru- „ lenta. Hanc ſubornat mendacii pater, ut quemcunque in familia „ Chri-

„ Chriſti, vitæ inculpatioris ſtudioſum, cenſuræve Chriſtianæ appe-
„ tentem deprehendit, maculoſo ſuo infamique fanaticiſmi nomi-
„ ne conſpergat, quod vix ulla teſtatæ innocentiæ, & conſpicuæ
„ orthodoxiæ ſpongia abſtergat. Multum hæc vexatio quondam
„ exercuit venerandum ſenem Johannem Arndium, ſanctæ memo-
„ riæ, qui quòd has emaculandæ vitæ Chriſtianæ partes ſibi unicas
„ ſumeret, propugnandæ ſcientiæ aliis relinqueret, fidemque cha-
„ ritate operantem valdè urgeret, ob phraſes aliquas minùs dedo-
„ latas & lævigatas, ſitum fortaſſe ſuperioris ævi olentes, non opti-
„ mè eſt exceptus, qui tamen cùm ſua, tùm aliorum Apologia ſin-
„ ceritatis fidem Eccleſiæ probavit; quo factum eſt, ut poſt incom-
„ modiores phraſes declaratas, præclarè de eo ſenſerit magnus no-
„ ſter Gerhardus, Theologiæ Phosphorus, qui hoc ipſum enixè egit,
„ ut religionis rectitudo vitæ innocentiâ corroboraretur, exornare-
„ turque, quod publicis ſcriptis, & ad me familiaribus literis fre-
„ quentibus luculenter teſtatus eſt. Hactenus J. V. Andr. in cit.
orat. anno 1641. Tub. hab. pag. 86. confer Conſil. Wittemberg. par-
te A. pag. 876. & ſeq.

De *Georgii Calixti*, profeſſoris Theologi Helmſtadienſis, *Epitome Theologica, D. Balthaſar Menzerus* Gieſſenſis, anno 1620. literis ad Generum ſuum D. Wideburgum, tunc Aulæ Guelferbytanæ Concionatorem primarium, ſequentem dedit *Epicriſin*: „ Gratiam ha-
„ beo pro transmiſſa Epitome D. Calixti, in qua animadverto inge-
„ nii dotes haud vulgares; ſed & veſtigia apparent errorum haut-
„ quaquam levium. Opus habet accuratâ limâ liber iſte, ſi recipi
„ debeat. Non faciam mentionem erratorum in veſtibulo & pro-
„ legomenis occurrentium, in quibus excuſandis ſcio, quid prætexi
„ ſoleat. De *Imagine DEI*, deque *peccato*, video multa ad palatum
„ Papiſtarum, quæ cordatis Theologis probari non poſſunt. Do-
„ ctrina de prædeſtinatione rectè proponitur; ſed miror hanc locu-
„ tionem uſurpari, *Electionem noſtram* nil aliud eſſe, quàm *decretum de*
„ *noſtra ſalute*; nam Electio eſt facta ſecundum decretum ſive pro-
„ poſitum DEI, tanquam regulam. De Unione hypoſtatica quæ-
„ dam eruditè diſſeruntur; ſed de *Communicatione Idiomatum* ſermo
„ lubricus eſt; & ubi de officio redemptionis agitur, pia mens ac-
„ quieſcere non poteſt in eo, quòd humanæ naturæ tribuitur tan-
„ tùm, quod humanum eſt, non facta mentione communicationis
„ operationum, juxta Canonem Concilii Chalcedonenſis. Neque

„ probare poſſum verba, *Meritum Christi* eſſe *aliqua ex parte infinitum.*
„ *Juſtificationi* aſſignantur duæ partes, remiſſio peccatorum, & impu-
„ tatio juſtitiæ Chriſti; Atqui non ſunt illæ diverſæ partes, ſed qui un-
„ um dicit, dicit alterum, idque neceſſariò includit, nimirum remiſ-
„ ſis peccatis juſtitia imputatur, & imputatâ juſtitia, peccata re-
„ mittuntur. In *diſcrimine Veteris ac Novi Teſtamenti* quædam ad-
„ miſcentur Calvinianis non ingrata; quemadmodum de ſacramen-
„ tis etiam ita loquitur, ut eis placere queat. Inprimis vehemen-
„ ter offendunt pios animos verba: *Deum eſſe cauſam peccati indirectè,*
„ *impropriè, & per accidens.* At inquam ego, nullo modo DEUS eſt
„ cauſa peccati, quod etiam naturæ ipſius & voluntati, nobis in
„ verbo revelatæ, eſt contrarium, ac proinde illud odit, deteſtatur,
„ prohibet & punit. Quæ & plura ſimilia miror in Academia Julia
„ publicè doceri ab illis, qui Corpori Doctrinæ Julio nihil contra-
„ rium ſe velle profiteri jurarunt; Et magis miror Conſiſtorium
„ connivere. Tu liberato animam tuam, & proteſtare ſolenniter,
„ tibi vehementer iſtam perniciosiſſimam licentiam diſplicere. Im-
„ buitur juventus iſtis erroribus, qui difficulter poſtmodum depo-
„ nuntur: Mihi ſi otium eſſet, excerperem ex eo libro ſententias
„ plurimas, ſanæ verborum formæ haudquaquam conſentientes,
„ quas quidem autor, ſi humaniter & amicè moneatur, corriget,
„ DEO clementer annuente. Dato igitur operam, nequid in te de-
„ ſiderari poſſit; Pridie Cal. Aprilis. Ex Hülſeman. Dialyſ. Apolog. problem. Calixt. de Myſterio Trin. præfat. pag. 101. Confer Hartnak. in Continuat. H. E. Micræl.

Ex reliquis notabilioribus hoc anno publicatis ſcriptis, jure meritòque poſteris commendanda videtur *Facultatis Theologicæ Wittenbergenſis Amica & fidelis Admonitio*, germanicè concepta. *Bohemiæque, Moraviæ, Sileſiæ &c. incolis* Auguſtanæ Confeſſioni addictis transmiſſa, *de Calviniſmo fugiendo*, ex rationibus ut veriſſimis, ita graviſſimis, quarum nonnullas repetendo produxere Wittenbergenſes in ſolida Deduct. Calvinianos in fundam. fid. errare, contra Rintel. ſyncretiſt. ed. append. 517 ſeqq.

Poſtquam *Laurentius Forerus*, Lojolita celebris ac Papanæ Theologiæ Profeſſor in Academia Dillingenſi, libellum in publicam lucem emiſerat, ſub nomine *Belli Lutheranorũ Ubiquiſtici*; quo virulentus Lojolæ filius non ſine dentato riſu, Eccleſiæ Luth. fidei Unitatem perq; negatã unitatem, ipſam veritatem, abjudicat; Ei hoc anno *D. Andreas*

Kes-

Keslerus, Coburgo-Francus, t. t. Eccleſiaſtes ac Superintendens Eisfeldenſis in Thuringia, tàm Philoſophus quàm Theologus acutus, refutationis loco aliũ libellum oppoſuit, ejusdem tituli: *De bello ubiquiſtico contra Forerum*; quo ſycophantam dignis excepit modis, & Eccleſias Evangelicas, in fundamentalibus fidei articulis optimè conſentientes, ab injuria maſculè vindicavit. Vide D. Melchioris Nicolai vitam, à D. Wagnero Tub. perorat. pag. 16. Micræl. H. E. III. 507 D. Pfeiffers Lutherthum in catal. autor. annex.

De diſſenſionibus autem ac litigiis Scholaſticorum Doctorum in regno Pontificio, Thomiſtarum & Scotiſtarum præcipuè, magnum volumen evulgavit *Johannes de Rada*, Epiſcopus Bactenſis, quo *controverſias inter Thomam & Scotum* plurimas prolixè recenſet, impreſs. Colon. Agrippin. an. 1620. unde planum evadit, quid habendum de papicolarum gloriatione quoad punctum Unitatis & Concordiæ præcipuorum Doctorum in Eccleſia Romana. D. Joh. Müller Hamburg. in defenſione Lutheri defenſi, contra Carolum Kreüzen Lojolit. Boruſs. pag. 701.

Coronidem hic addit opuſculum illud aulicum, Lotharingo-Borbonianum. Etenim *Ludovica Margareta Lotharinga*, Henrici Guiſiæ Ducis, ex Catharina Cliviaca filia, quæ anno 1605. nupſit Franciſco Borbonio Contii Principi, Muſas patrocinio dignata ſuo, inter alia, *Aulæ res, ſub fabulæ involucro, ſcite deſcripſit*, ſcriptumque in lucem emiſit anno 1620. vivis dein erepta anno 1631. Hofm. Lex A. 941.

LIB. III. CAP. VI.

Summaria.

Electorum curæ in cauſa Palatina.
Induciæ Transſylvanicæ.
Velitationes Bohemicæ.
Vallonum & Coſſaccorum petulantia.
Copiæ UNIONIS & LIGÆ producuntur quidem, ſed nildum tentant.
Bavarus movet verſus Bohemiam.
Spinola Palatinatum invadit, eluſo ſæpius Marchione Onoldino, & in tædium conjecto Principe Auraico.
Joh. Georg. I. Elect. Sax. cum Budiſſina utramque Luſatiam ſubigit.
Bethlemii Gaboris expeditio: prælium Pragenſe: Friderici Palatini fuga.

Prælia Turcas inter & Polonos commiſſa: Riga expugnata.
Nuptiæ Suecicæ: Crojus & Naſſovius decedunt: Sinenſia.

TUm vere novo *Electores Mülhuſii* in Thuringia, præter Brandeburgicum, congregati, per literas *hortantur Palatinum*, ut Imperatori Boëmiæ Regnum rurſus cedat. Nec minùs ad Ordines Unitos, Comites ac Nobiles in Franconia & Wetteravia, itemq; ad præcipuas Urbes Imperii, ne Majeſtatem Cæſaream in Regno iſto recuperando impediant, perſcribunt. Maximè verò, Bohemiæ Ordines eorumque vicinos confœderatos monent, ut priſtino Regi & principi ſuo debitam præſtent obedientiam; ſanis Conſiliis nî detur locus, ad reſtituendam pacem & quietem, ſe non poſſe non adverſus turbatores pacis & quietis auxilium Cæſari decernere, ſuoque capiti fideliter adhærere. Burgoldenſ. notit. rerum Imp. A. 73. Turſell. append. 2. hiſt. 6 pag.

Sub hæc *inter Cæſarem Ferdinandum II.* ac *Bethlenium Transſylvaniæ Principem*, pactæ ſunt *induciæ*, ad finem usque Septembris duraturæ. Verùm *in Bohemia* continuè minutis variatum præliis, ad rerum tamen ſummam hujus aut illius partis nihil tentatum, toto veris ac æſtatis tempore. Aliquot millia *Vallonum* & *Coſſacorum* ex Polonia venientium, vehementer infeſtâre Moraviam, Auſtriamque inferiorem, etſi non tàm cædibus, quàm rapinis, incendiis ac libidinibus fœdiſſimis miſcuerint omnia, nullo religionis, Papanæ vel Antipapanæ, habito diſcrimine; ſed magnam partem ad extremum, ſummæ petulantiæ debitas luére pœnas. Tſchimmern in Continuat. Sleid. de 4. Monarch. Calviſ. 985.

In ſuperiori Germania, cùm *Unio* propè Ulmam coactum exercitum ſub ſignis haberet, pro tuendis Evangelicorum rebus, *Bavarus* quoque *Dux Maximilianus*, productis Papanorum copiis, caſtra caſtris contulerat; ſed neutrâ partium illic fortunam, quam fata alibi locorum tranſactura erant, experiri auſâ, mediantibus Galliæ legatis, pro tempore decretum, ut intra ſolius Bohemiæ ac incorporatarum ei provinciarum fines contineretur fax Bellonæ, aliique nemini, ne Palatini quidem avitis ditionibus, periculum crearetur. Epit. Rerum German. Pappi Conſtant. 15. Cluver. hiſt. 783.

Compoſitis ita rebus extemplò *Bavarus*, auxiliis, quæ à Leopoldo Cæſaris fratre in Alſatia conſcripta erant, firmatus, jam apertè Cæſaris miles, *movet verſus Bohemiam*, & ex itinere ſuperiores Au-

ſtrios,

ſtrios, Bohemis fœderatos renunciare ſocietati cogit, ac reliquis illarum regionum Proteſtantibus, qui Ferdinando jam Sacramentum dixerant, accedere. Vid. loc. cit. autor.

Jubente Hiſpaniarum Rege *Ambroſius Spinola*, durantibus adhuc Hollandicis Induciis, cum flore Belgici exercitûs *Palatinatum Rhenanum invadit*, plus ibi prædæ, quàm belli, offendens; Atque is primus Friderico Electori ac Regi cœptorum fructus fuit, ut aliena appetens, amitteret propria. Licet enim *Joachimus Erneſtus, Marchio Auſpacenſis*, exercitum Unionis videretur Hiſpanicis turmis efficaciter oppoſiturus, eum tamen quoties in aciem prodire tentabat, ita eluſit Spinola, ut Onoldinus in magnam ſuſpicionem veniret, quaſi res & cauſam Unionis parum fideliter adminiſtraret. Fama fuit, Hiſpanos aureis & argenteis haſtis pugnaſſe cum Unitorum exercitu in Palatinatu, pluraque tum auro, quam ferro agitata; Ac ea quidem ſuſpicione motus *Henricus Fridericus Auraici Princeps*, qui à fratre Mauritio, cum firma equitum manu, & Anglis aliquot peditibus Unioni ſubſidio miſſus erat, poſtquam dominari Spinolam, & Palatinatu Wetteraviaque nullo impediente potiri percepiſſet, ex rerum tædio cum ſuis Batavis in Belgium revertit, indeque anſam *proverbio* dedit: *Proripit ſe Hollandico more*, Er gehet durch wie ein Hollånder. Spener. Geneal. 150. Burgold. A. 75.

Elector autem *Saxonicus, Johannes Georgius primus*, tùm antea offenſus Boëmicis tumultibus, tum fruſtrà hortatus nuper ad conſilia pacis Collegam Fridericum, impoſita ſibi à Cæſare executione proſcriptionis Bohemicæ, in Luſatiam ducit exercitum, *Budiſſinamque* metropolin ejus, vi tormentorum fœdiſſimè laceratam, *ad deditionem trahit*; utramque dein *Luſatiam* lento Marte preſſam *ſubigit*, ac Bohemorum vires diſtrahens, maximum Imperatori ad victoriam momentum affert. Sleid. 4. Monarch. Contin. per Tſchimmern lib. 3. 319. 325. Cluver. hiſt. Epit. univ. 784.

Interim *Bethlemius Gabor*, actis Neoſolii Comitiis, Hungarorum Rex proclamatus, poſtquam ad finem veniſſent induciæ, Auſtriam incurſat, Boëmis auxilia mittit, *Tampirium*, Poſonium tentantem, tormenti globo *proſternit*, magna patraturus, nî ſocii res *in Bohemia* uno *infelici prælio* corrupiſſent: Ibi enim adveniens Maximilianus Bavariæ Dux, collatis cum Buquojo caſtris, Bohemorum exercitum *in albo monte* adoritur, eumque (ſtipendiis defraudatum, & proinde officio parum ſatisfacientem) memorabili clade afficit, octavo No-

vembris die, cùm paſſim legeretur per Chriſtianum orbem: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt DEI, DEO:* Initium cladis à fuga Hungarorum fuiſſe dicitur, qui, ut externis auxiliis mos eſt, prædæ magis, quàm ſociorum cauſæ ſtuduerant; quod utrosque in exitium impulit. *Palatinus* autem accepto triſti de his nuncio, ſumma feſtinatione ex arce Regia in veterem Pragam confugit, neque ibi plus, quàm una nocte, moratus, poſtridie cum Conjuge, Jacobi Britanniæ Regis filia, liberisque & multis Bohemicis Dynaſtis, Uratislaviam in Sileſia, mox longâ fugâ Germaniam emenſus in Hollandiam conceſſit, nil ex priore fortuna præter animum ac titulum retinens. Fugam Palatini, *deditio Pragæ* conſequuta eſt; cujus exemplum reliqua dein Boëmia, Moraviaque, & Sileſia imitatæ, metu partim & vi, partim ſpontaneâ deditione, ad obſequium Ferdinandi rediére. Turſell. ap. 2. hiſt. 7. Calviſ. Chron. 986.

In *Valachia & Moldavia, Gratianum* Vaivodam tuebantur Poloni, Turcæ eum ac Tartari oppugnabant. Propter conſpirationem Gratiani cum Polonis, Oſmanes, novus Muſelmannorum Sultanus, eum ſublatum cupiebat è medio, Campagiumque ad id miſerat legatum, ſed à Gratiano præventum cæde. *Bino* inter partes certatum eſt *prælio*; fauſtum Polonis primum, alterum exitiale fuit, quo Gratianus cum auxiliaribus periit. Ferunt, Polonos nonaginta millibus virorum in Walachiam irrupiſſe; ſed eorum paucos fugâ elapſos, in patriam rediiſſe. Hofm. Lex. B. 514. D. Wagn. lim. Geneal. 555.

Riga, urbs Hanſeatica permunita & ampla, totius Livoniæ primaria, quam ſuperioribus annis fruſtrà tentaverat Sueciæ Rex Carolus IX. hoc anno fortiter ab ejus filio, Guſtavo Adolpho, *capta*. Etenim Polonis in Valachia Moldaviaque occupatis, Guſtavus Adolphus cum valida claſſe & exercitu 24000. in Livoniam irruit, obſesſâque mox Rigâ, poſt ſex hebdomadarum obſidionem, ſuæ poteſtatis eam fecit. Hofmann. Lex. B. 266. Pufend. Contin. not. Stat. Europ. 665.

Poſt feliciſſimam expeditionem Livonicam, *nuptias* celebravit *Sueciæ Rex*, cum Johannis Sigiſmundi Electoris *Brandenburgici* relicta filia, *Maria Eleonorâ*, Georgii Wilhelmi ſorore, id quod factum Stokholmiæ, 26. Novembris. Calviſ. 986. Turſell. cit. ap. 2. 17.

Vivere deſiit *Erneſtus*, alter Caroli Philippi filius, *Dux Crojus*, ex Anna Bogiſlai XII. Pomeraniæ Ducis filia, pater Erneſti Bogiſlai, qui Electoris Brandenburgici Locumtenens fuit & ſupremus Guber-

bernator in Boruſſia. Mortalitatis quoque legem explevit, *Guilielmus Ludovicus, Comes Naſſovienſis Dillenburgicus*, Friſiæ, Gröningæ, & Omelandiæ Præfectus, poſtquam Ordinibus Confœderatarum Provinciarum per annos quadraginta ſalutarem ac laudabilem operam præſtitiſſet. Imhof. Notit. Procer. 916. 80.. Calviſ. 986. ſeq.

In *Sina* fato functus eſt *Vanlieus*, Regni Monarcha, ex *Taimingæ* familia decimus tertius. Eo regnante, *Tartari Niuchenſes* iterata in Sinas irruptione facta, tantos fecére progreſſus, ut Princeps illorum Sinarum Imperator, ac *Thieminngæ* familiæ autor dici voluerit. Vanlieo ſucceſſit filius *Thaichangus*, & huic poſt quatuor menſes *F. Thienkius*, qui rebus egregiè ordinatis geſtisque, Tartaros ultra murum rurſus expulit. Sed illi mox reverſi, amiſſa receperunt. Neuhofii Sineſiſche Reyßbeſchreib. pag. 396. 402. & Hofm. Lex. univ. B. 357.

LIB. III. CAP. VII.

Summaria.

Fridericus Henricus, Frider. Palatini Patris in Bohemiæ Regno ſucceſſor, inter cœli tonitrua declaratus.

Friderici emigratio ex Heidelberga triſtioribus ominibus non caruit:

De eodem Fr. judicia politica.

Liberior lingua E. L. Lauenburgico exitialis: uti Siamiis concubinis riſus temerarius.

Surdus & mutus, præ Miſſa ſupplicium eligit.

Farina admiranda: Grando horrenda: Particulare Diluvium: Pluviæ ſanguineæ.

Parricidium Sigiſmundo Polonorum Regi intentatum.

Henricus Wellingus obit, quo promotore Joh. Taufrerus, jam Theologiæ Profeſſor, Baccalaurei & Magiſtri titulum ſuſcepit.

BOhemi ab Electorali Collegio fideliſſimè moniti, ut ſceptro Ferdinandi ſe iterum ſubmitterent, adeò retinuére perſeverantiam prioris propoſiti, ut *Fridericum Henricum, Friderici Palatini primogenitum* ſexennem, jam tum *ſucceſſorem Patris* declararent; accedente *malo omine*, mali eventûs prænunciô; ſub ipſo enim declarationis actu, tres ictus tonitruales derepente auditos fuiſſe, à viris fide dignis relatum eſt. Cluv. 783 Zeil. Trag. 1037.

De ipſo autem *Friderico* parente memorant, eum, quo die Heidelbergâ, cœlo triſtiſſimo ac nimboſo, tonitribus inſuper fremente, ſuperiore anno diſceſſit Pragam verſus, viſum illacrymari; Matremque

que Ludovicam Julianam, Wilhelmi Auraici Principis filiam, Fridericum filium è feneſtra reſpicientem, hanc ominoſam edidiſſe vocem: *Jam eheu Palatinatus migrat in Bohemiam!* Ach nun gehet die Pfaltz in Böhmen! Sapienter ſanè Politici moderatiores, de ſuſceptione illa coronæ Boëmicæ, à Friderico Palatino factâ, judicâſſe videntur, dicentes: „ Deliberandum fuiſſe diu, quod ſtatuendum erat ſemel, „ regnumque tumultibus involutum, relinquendum; Spem pretiô „non eſſe emendam, notumque Apologum de cane Æſopico, car„ nes ex dentibus, dum captare volebat umbram, dimittentem, & „quæ alia t. t. jactata. O utinam, inquit non nemo, in interioris „ Conſilii Camera Heidelbergenſi benè expenſum fuiſſet: Regna „ alienata non in rem actione civili conficiendam tranſire, nec tri„ bus Prætoris verbis, ſed cruentis plerumque judiciis repeti ſolere; „ In quibus actio bellum eſt, judex gladius, probatio victoria, de„ nique ſententia & rei judicatæ executio mors aut ſervitus. Burgoldenſ. Notit. Rerum Imp. part. 1. pag. 480. & 71.

Inconſideratam locutionem eo tempore, ſui ſuorumque ſanguine ac morte luit *Erneſtus Ludovicus, Princeps Lauenburgicus.* Is enim, cùm anno 1620. menſe Julio Viennam, Cæſari militaturus, tenderet, ac prope Linzium in pago Aſchau, temulentis ac tumultuantibus ruſticis inter cœnandum fortè diceret : Indulgerent ſaltem genio, & cuticulam curarent, alios brevi hoſpites habituri; unà cum Ephoro ac famulo trucidatus eſt. Spen. Geneal. 254. Imhof. not. Procer. 652.

Concubinis autem, licet primariis, *Ragibapi Siamenſis Regis, temerarius riſus* capite ſtetit ac internecione crudeliſſimâ. Tyrannus enim cùm ægrotaret, ac fortè in alio conclavi audiret ridentes aliquot, ex miniſtris quæſivit, quisnam eſſet, qui rideret? pellicibus indicatis, illicò juſſit eas abduci, & in fruſta diſſecari; proptereà quòd ſuſpicaretur, illas gaudere de domini calamitate ac lætari, quòd eum à morte non longè abeſſe agnoviſſent. Bernhard. Varen. in deſcript. regn. Siam. 277.

Cætera notatu dignum, in *perſecutione* illa *Valteliniana*, de qua præcedenti capite tertio dictum, fuiſſe hominem *ſurdum & mutum*, ex Reformatis prognatum parentibus, qui ad Miſſam ire juſſus, imperata conſtantiſſimè abnuerit, ſigna etiam intentandæ necis animosè riſerit, ſuppliciumque ipſum intrepidè ſuſtinuerit, recitante Scriverio in theſ. an. part. 4. 653.

Miraculi loco habendum, quod ex *Marchia Brandenburgenſi* fama

ma tulit non ſpernenda, nempe cùm triſtis invaluiſſet annonæ caritas victûsque omnis penuria, plures miſellos & famelicos homines alicubi congregatos, inopinatò in monte quodam *farinæ magnam* inveniſſe *copiam* (nullo mortalium labore ac ſtudio ibi depoſitam) qua panes pararint ſapidiſſimos, ad commodam vitæ ſuſtentationem, recenſente Lamperto Alardo, in calamitatibus Hiobiticis, concion. 5. de fame, pag. 91. additque exemplum non diſſimile, quod contigerit anno 1590. prope civitatem *Raveſchinum* in Bohemia, &c.

Sed in *Haſſia*, *Caſſellana* præprimis, & in *tractu Donawerdano*, ſub initium æſtatis *maxima tempeſtas* horrendum ſævîit, ſic ut à *grandine*, ova gallinacea & anſerina magnitudine ſatis æquante, pecora in paſcuis, piſceſque in Danubio quamplurimi fuerint enecati. *Diluvium particulare*, in agro Montferratenſi *ſubortum*, adulto anno, ex Tanari & Bormi fluviorum inundatione, qua integri pagi, homineſque non pauci, cum copioſa multitudine pecorum, aquis obruti ac ſuffocati miſerrimè interierunt. Antequam exercitus Polonicus in Valachiam, adverſus Turcas, in favorem Gratiani Principis Valachiæ & Moldaviæ, moviſſet, *ſanguineæ pluviæ* defluxerunt è nubibus, quarum præſignificatio brevi pôſt, per cruentam Polonorum ſtragem plus ſatis innotuit. Calviſ. 986. Theatr. Europ. 484.

Deinceps & *Sigiſmundus Rex*, domeſticis ferè oppreſſus inſidiis; Etenim *à Nobili quodam, Michaële puta Piecarſio*, dum ingrediebatur templum, in ipſo limine, bis telo Polonico (alii dicunt enſe curvato) petitus eſt, & *ſanciatus*. Ad judicium raptus tractuſque nebulo, nil tàm ſibi dolere profeſſus dicitur, quàm quòd perficere deſtinata non licuerit. Pœnas tanto ſceleri debitas luens, totâ prius dextrâ, & ſiniſtræ manus digitis amputatis, quatuor equis diſcerptus eſt, igneque combuſtus, cineribus in auram ſparſis ac diſſeminatis. Turſell. app. 2. hiſtor. 8. Cluver. 785.

Naturæ debitum hoc anno, inter alios eruditos *Henricus Wellingus*, Tubingæ ſolvit, Humaniorum ibi Profeſſor benè meritus; de quo notabile, ipſo promotore *Johannem Taufrerum*, cùm jam Theologiæ Profeſſor Argentinenſis eſſet, creatum & Baccalaureum & Magiſtrum; cujus proinde verba in perpetuam rei memoriam Albo Facultatis inſcripta ſic ſe habent: „ Hoc admirabilis doctrinæ viri „ exemplum ſingulare, & incomparabile, huic honoratorum Albo „ mandari, verbis pluribus, viſum eſt, ut ejus, qui hoc ſuo facto, to- „ tius Academiæ Argentinenſis conſilio ac autoritate ſuſcepto, non

„tàm ſe, quàm Baccalaureatûs & Magiſterii honorem ipſum coho-„neſtavit, apud poſteros etiam memoria permaneat; iidemque, „quod laudabiliter imitentur, habeant; nec dehinc vel Baccalaurei, „vel Magiſtri, quicquam ad cumulatiorem nominis ſui ſplendorem „& gloriam, deſiderare meritò poſſint. Jubil. Tub. 2. pag. 140. confer. 1617. cap. XXXV.

LIB. III. CAP. VIII.

Summaria.

Seculum inde à confeſſione Lutheri Wormatiana elapſum.
Argentoratum jura Univerſitatis adipiſcitur.
Academia Rintelenſis aperitur.
Converſio Jacobi Reihingi.
Hujus propria de eadem Confeſſio; ut & Retractatio.
Res Orthodoxorum in Auſtria.
Daniel Hizlerus in carcerem conjicitur, ac falſiſſimè licet accuſatus, ægrè tamen liberatur.
Imperatori Ferdinando, liberum promittenti Religionis purioris exercitium, Sileſii juramentum fidelitatis præſtant.
D. Garcæi conatus crypto-Calvinianus.
In ſedes beatiores migrant, Johann. Schröderus; & Joh. Arndius.
Timotheo Patriarchæ Conſtantinop. veneno ſublato, Cyrillus, ſatis Calvinianus, ſuccedit.

CEnteſimus hic eſt annus à *Confeſſione Lutheri Wormatiæ*, in primis Caroli quinti Comitiis, *edita*. Eò enim vocatus Megalander, comparuit, ac die Aprilis decima ſeptima, coram Imperatore, & Imperii Proceribus, magna animi conſtantia de doctrina ſua reſpondit. Joh. Krom. Indic. hiſt. Eccleſ. 413. & Oſiand. Cent. XVI. 75. pl.

Anno ſuperioris Centuriæ ſexageſimo octavo, *Gymnaſium literarium Argentinenſe*, à Johanne Sturmio fundatum, qui primarium Senatorem & Syndicum loci agebat, gratiâ Maximiliani ſecundi privilegia Academica accepit, & Sturmius, qui commodam rationem inſtituendæ juventutis monſtraverat, perpetuus Rector creatus eſt; Sed hoc demum anno *jus Univerſitatis* ei Ferdinandus II. impertiit, ac poteſtatem, conferendi omnium Facultatum gradus honorarios, dedit. Micræl. Hiſt. Eccleſ. 172. D. Johan. Schmid in Samuels-Recht. pag. 195.

Rinthelii quoque in Comitatu Schaumburgico, aperta fuit *Academia*, quam Cæſar largis privilegiis & immunitatibus, Princeps au-

tem

tem Erneſtus, ampliſſimis reditibus dotavit, ſub initium ſequentis anni vivis exemptus, relicto ſui deſiderio permagno. Calviſ. 987. Stratem. 1117. confer. 1612. cap. 1.

Rectiſſimè Tubingenſis quidam Theologus: „ Si qui, ſcribit, „ è Papiſtarum caſtris ad nos tranſeunt, & ejurato Papatu Evange-„ licam Confeſſionem, hoc ultimo præſertim tempore amplectun-„ tur, id veriſſimè tandem eſſe mirum, ſingularique tractui Spiritûs „ S. indubitato adſcribendum, omninò ſtatuimus. Tranſeunt enim „ hi ab Eccleſia, quæ mundo dilecta eſt, ad Eccleſiam mundo exo-„ ſam; ab Eccleſia, quæ in portu ſecuritatis navigat, ad Eccleſiam „ perpetuis perſecutionum procellis ſubjectam; ab Eccleſia, quæ „ mundi domina eſt, ad Eccleſiam, quæ contemptibilis anima eſt, „ abominata gens, & ſerva Dominorum, ut Prophetæ verbis uta-„ mur; ab Eccleſia, quæ ut Regina ſedet, glorians, vidua non ſum, „ & luctum non videbo, ut habet Apocalyptica deſcriptio, ad Eccle-„ ſiam, quæ paſſim terrarum Codro pauperior eſt, circumiens in „ melotis, in pellibus caprinis, egens, anguſtiata, afflicta, qua di-„ gnus non eſt mundus, juxta deſcriptionem Apoſtoli; ut intuitu „ eorum, qui, rebus Eccleſiæ noſtræ ita ſe habentibus, è Papatu ad „ nos ſe conferunt, regnum cœlorum vim pati, & à violentis rapi, „ Salvator noſter non abs re dixerit. Hos inter jure meritòque numeratur *Jacobus Reibingius*, Lojolita ex Patriciis Auguſtanis, Wolfgangi Wilhelmi, Principis Neoburgici, Concionator aulicus; qui, dum in eo verſabatur negotio, quo Lutherana dogmata refutaret, adſtrueret Pontificia, eaque millibus aliquot, callidè corruptis, perſuaderet, ipſe tandem Verbi Divini virtute victus eſt, ut *abdicata religione Papana, Lutheranis partibus accederet.* D. Wagn. in Program. ad Revocat. Beerii Luxemb. B 2. Hiſtor. Gothan. 792.

Non poſſumus, quin *Verbi Veritatis victoriam* enarremus, de qua ſibi gratulatus eſt, Numiniq; ſolvit gratias, ex-Jeſuita, factus Theologiæ Luth. Profeſſor Tubingenſis, Reibingius. Ita enim ipſe in *Laqueis contritis:* „ Auditores in Palatinatu Neoburgico magnam par-„ tem Evangelici, aut ad Papatum recens allecti, Scripturas requi-„ rebant; Adverſarii, contra quos dicebam aut ſcribebam, ad Scri-„ pturas me provocabant & compellebant. Quid agerem? Scripturis „ Sacris inſiſtendum ac inhærendum fuit, ne inter tenellos, ſed Scri-„ pturæ tenaces, auditorum animos cauſæ diffidere, imò cauſam „ prodere viderer. Itaque hoc egi, ut è Scripturæ Divinæ libris Pa-

„ patum ſtabilirem, Confeſſionem Auguſtanam everterem; hic mea-
„ rum concionum, & colloquiorum, ſcriptorumque ſcopus fuit. Fe-
„ liciter pugnare multis, imò mihimet videbar, & tanquam clarus
„ victor ibam ac paſſim habebar. Sed alius cœli calculus fuit; alium
„ cœleſti conſilio pugna exitum habuit. Tandem enim quaſi per
„ cœleſtem radium cœca ſuperbæ mentis caligine deterſa, ab anno
„ & ampliùs, indies clariore cœlitùs illuſtratæ mentis obtutu cernere
„ cœpi, in maximis quibusque controverſiis, Sacras Scripturas con-
„ tra Pontificios, pro Evangelicis apertiſſimè ſtare. Atque ita de-
„ mum Pontificiis erroribus mendax veritatis larva detracta, Evan-
„ gelicæ veritati fraudulentus erroris fucus abſterſus eſt; Ita demum
„ turpis error, diu quaſi veritas propugnatus, ſuccubuit, & candi-
„ diſſima veritas, erroris inſtar impugnata, in animo meo ſtetit, vi-
„ cit, triumphavit. Et mox, ſola veritatis maxima vis, & firmiſſima
„ Scripturæ S. autoritas, à Tridentina ad Auguſtanam Confeſſionem
„ me commovit, pertraxit, abripuit. Hæc ille, ex allegatione Doct. Dannhaueri, Hodoſoph. auct. 98. ac D. Johannis Gerhardi Confeſſ. Cathol. 192. pag. pr. part.

Aliàs etiam Reihingius non ſemel faſſus eſt: *Se Neoburgi, ne quidem calentes à taberna opifices, aut ad colum fuſumque intentas quaſillarias aniculas, ſolido ictu referire potuiſſe, &c.* Ex-Jeſuita, dein *Retractationibus* ſcriptorum ſuorum conatus eſt equidem id, quod olim deſtruxerat, reſtituere; exigua tamen ſpe fructûs, poſtquam ſemel tota regio Neoburgica jugo Papali ſubjecta fuit. Vid: Arc. Triumph. D. Röberi part. 2. 781. & hiſtor. Goth. 793.

Interim dum procelloſi turbarum venti totam, ô infelicem! Bohemiam velut agmine facto perflarunt, *in Auſtria* quoque *res Lutheranorum* ſimul ſubverti cœperunt. Ut aliæ hîc tranſeant, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum vigeſimo primo, Julii primo die, *Daniel Hizlerus*, de quo lib. op. 1. cap. XLIV. ab Herbersdorffio, Cæſaris Camerario, & Bavariæ Ducis Linzii locum-tenente, fuit conſtrictus, ac mobilibus ejus obſignatis in maleficorum carcerem per apparitores, non ſine minis, vi adactum iri, nî protinùs iret, conjectus, vix impetrato, ut priùs pallium indueret, nedum ut cum domeſticis verbulum communicaret. Poſt elapſas decem hebdomadas, *accuſatio* viginti quinque articulis diſtincta ei fuit objecta, quorum vix tres dignos reſponſô habuit, nempe: Fuiſſe cum inclinatione Calviniſtam; Confœderationis cum Bohemis conſcium, parti-

ticipemque per data conſilia; publicâ demum concione confœderationem initam approbâſſe. Primum comma extemporaneo doctrinæ, quam publicè profeſſus fuerat, objectu diluit. Ad alterum, ſe deliberationibus nunquam interfuiſſe, nunquam conſiliis adhibitum, reſpondit. Ultimum, quoniam infectum erat, factum conſtantiſſimè negavit; ut in cauſis duriſſimi proceſſûs præter flammam Lojolitici odii, quod Hizlero nondum remoto in deliberata, quam vocant, reformatione ex voto erumpere non potuit, nihil reliquum manſerit, qualicunque vel tandem pro ſchemate veritas in injuſtitia fuerit detenta. Ubi contra laudari ſatis non potuit Provincialium hac ſui Danielis innocentiâ corroborata animoſitas, in movendo omni lapide, ut injuſta captivi vincula ſolverentur. Sicuti quercus cædua ictibus, ita Cæſar, Bavariæ Dux, & Herbersdorffius, perpetuis ſupplicationum incurſibus fatigabantur, etiam intercedente Julio Friderico, Wirtembergiæ Duce; omnia tamen tantisper fruſtrà & in caſſum, quantisper Herbersdorffius furendo mentem explevit ſuam. Tandem cautione per Provinciales præſtita, & fide de Miniſterio Linzii ampliùs publicè non obeundo data, trecentisque ſexaginta florenis, in carcere conſumptis & ſolutis, anno poſtero vigeſimo ſecundo, die Januarii vigeſimo ſexto, poſt *triginta hebdomadum* decurſum, Hizlerus noſter fuit emiſſus. D. Tobias Wagner in Parentatione Hizler. pag. 25. ſeq.

Vergente Octobri, poſtquam Elector Saxoniæ Johannes Georgius, arma minatus erat *Sileſiis*, nî ad obedientiam Regi & Imperatori Ferdinando ſecundo ſervandam redirent; hi quidem præſtitére *juramentum ſubmiſſionis & fidelitatis, ea* tamen *lege*, ut libero religionis exercitio quietè poſthàc fruerentur, Evangelicæ nimirum, juxta normam Verbi Divini, & formam Auguſtanæ Confeſſionis, id quod ſanctè promiſſum, effectu deinceps caruit: ut ſuo dicetur loco. Chron. Caſp. Bertrami. vid. & an. 1628. Cluv. 786.

Eodem hoc anno Brandeburgi, quod eſt oppidum & Metropolis mediæ Marchiæ, *D. Garcæus*, Paſtor loci & Superintendens hactenus profeſſione Lutheranus, de favorabili ad Calviniſmum inclinatione, ac ejus apud concreditum cœtum promovenda introductione, apertiſſima dedit indicia; præter plura ſaltem in hoc, quod Flöringii, Calviniſticis erroribus propalàm addicti, admiſſionem ad ſacram Synaxin Eccleſiæ Luth. ſeriò ac ſæpiùs apud Collegas urſit, iis autem obnitentibus, hominem nulla probabili neceſſitate com-

pulſus, inſcio planè miniſterio, inconſulta Eccleſia, proprio tantùm auſu privatim S. Cœnam communicavit, factum dein ex indultu & conceſſione Electoris, ac Senatus aulico-Calviniani propugnans, adeòque *alterum Pelargum agens*, & apud oves Chriſti lupum, vid. Conſil. Witteb. Theol. part. A. 473. pl.

Ad meliorem vitam transmigravit *Johannes Schrôderus*, Theologus & Eccleſiaſtes Altorfino-Noribergicus, fidiſſimus Chriſti ſervus, & acutiſſimis libris, quos emiſit in publicum, celeberrimus, nempe tractatu de Eutychianiſmo; Neſtorianiſmo; Theologico Calvinianorum principio; de Chriſti Throno atque Sceptro Regali; de donis increatis Carni communicatis; Communicatione proprii; de Imaginibus, &c. Stratem. 1118. Micræl. Syntagm. H. E. pag. 541. part. 3.

Extremum quoque hunc annum habuiſſe, & Chriſti gloriam ante beatam analyſin ſibi repræſentatam vidiſſe dicitur *Johannes Arndius*, Ducatûs Lunæburgici Superintendens Generalis, practicis ſcriptis, quibus ad ſtudium pietatis excitat, utpote Commentariis in Pſalmos, Catechiſmum & Evangelia Dominicalia, præprimis libro, quem verum Chriſtianiſmum vocat, clariſſimus. Modell. & Micræl. confer an. 1615. cap. XXV. & 1620. cap. V.

Conſtantinopoli non minùs debitum commune perſolvit ille *Timotheus*, quem produximus an. 1613. cap. VIII. cùm annos octo Patriarchatûs munere functus eſſet. Scriptor non incelebris de illius exceſſu ex hac vita ſic loquitur: „ Timotheus mortem obiit, *veneno* „ apertiſſimo, ut fama fuit, *ſublatus*, dum apud N. N. (Parthenium „ Secundum intelligit) exquiſitiſſimis epulis compotaretur. Vene- „ num propinaverat Joſaphatus, Andrius Archimandrita, poſt epu- „ las, cùm alter alterum invitaret ad bibendum; compoſuerat Apol- „ lonius Chius, Medicus non infimi nominis. Timotheus domum „ reverſus, mox inteſtinis doloribus cruciari, & gravedine capitis af- „ fligi incipit, lumenque oculorum turbari, & abire in confuſionem „ ac tenebras, cor contremiſcere, totum denique corpus vacillare „ ſentit. Accerſitur ad curam Apollonius; alvum clyſmo trahendum „ eſſe ait, ſi quidem convaleſcere velit; hoc enim modo, nec alio, „ fore malo medelam. Infundit, mille conductus aureis, clyſmum, & „ unà novum venenum injicit. Sic Archi-Præſul vi duplicis veneni oppreſſus, vitam efflat, &c. Hilar. in Chron. Cyprii, pag. 438.

Vacanti œcumenicæ, ut vocant, ſedi, anno reparatæ ſalutis humanæ

manæ 1621. die 5. Novembris legitimæ Synodi ſuffragiis impoſitus eſt *Cyrillus*, Alexandrinæ Eccleſiæ hactenus Antiſtes egregius, vir doctiſſimus, verùm *totus propemodum Calvinianus*; id quod patet ex propria ejus Epiſtola ad Antonium Legerum Italicè ſcriptâ, ex cujus translatione, inter alia plura, ſic fluunt verba: „ Abhorreo ab „ erroribus Papiſtarum, & ſuperſtitionibus Græcorum. Probo & am„ plector doctrinam Doctoris meritiſſimi Johannis Calvini, illorum„ que omnium, qui cum eo ſentiunt. Hac in re volo, Domine Le„ gere, ut mihi teſtimonium perhibeas; ſiquidem è ſincera conſcien„ tia ita ego teneo, ita profiteor & confiteor, quod & confeſſio mea „ monſtrabit. Ex alleg. Hilarii ad Chron. Cypr. 439. 441. plur. vid. an. 1631.

LIB. III. CAP. IX.

Summaria.

Jubila Pontificiorum, victoria Pragenſi elatorum.
Jeſuitæ Pragenſes, in Collegium ſuum iterum introducti.
Lutherani à Bohemiæ Pro-Rege proſcripti, Electore Saxonico fruſtra conquerente.
Papa Paulus V. decedit; æſtimator Thomæ ſingularis.
Thronum Papalem occupat Gregorius XV.
Hujus curæ priores, inprimis ob Hugonotas in Gallia.
S. Maurus apud Gallos.
Gregorii XV. Conſtitutio nova de modo eligendi Papas.
Petrus Bertius Pontificiis accedit.
Robertus Bellarminus obit.
Elogia nonnulla, quibus ornatur à contribulibus.
Ejusdem patientia ſingularis.
Animæ Bellarm. dimidium Virgini Mariæ, dimidium Chriſto legatum.
Bellarminus Virgineus, nulliusq; mendacii ſibi conſcius.

„ POſtquam *Boëmis infeliciter ceſſit repudium Ferdinandi Regis*, quem „ nuper ſolio Rom. Imperii admoverat Electorale Collegium, „ quanta proh! Deum immortalem *jubila* (verba D. Dorſchei ſunt) „ quanta jactantia, quanta gloriatio *in Regno Pontificio?* Hîc Trium„ phi, trophæa, gratulationum monumenta paſſim conſpicieban„ tur. Etiam Paſquinus ſuas exequebatur partes. Quaſi in illa pu„ gna de Veritate Religionis Chriſtianæ, de S. S. Trinitatis Gloria, „ de ſanctiſſimorum Angelorum Principatu, de univerſo Myſterio„ rum & Sacramentorum Divinorum apparatu ex compromiſſo de-

„ cer-

„certatum fuiſſet. Quaſi Deus cum ſanctiſſimo cœlitum Senatu „pro tribunali ſediſſet, ac pro Pontificiorum Idolomania ſententiam definitivam pronunciaſſet, donata ingenti illa, in Albo monte, victoria; quaſi omne id, quod hactenus Evangelici bonâ conſcientia, ſumma patientia, ſolida demonſtratione ex Divinis codicibus de Religione docuerunt ac defenderunt, atro notatum foret calculo, damnatumque; hinc mota contra illos à Pontificis Tiberini ſectatoribus molimina varia, tanquam contra eos, quos „jam Deus proſcripſiſſet è regno ſuo, & in orbe reſtare nollet. Diſſert. 5. ſingularium Angelicorum pag. 338.

Lojolitæ, ante biennium ab Ordinibus Bohemiæ Utraquiſtis proſcripti, à Carolo Liechtenſteinio *in Collegium ſuum Pragenſe iterum introducuntur*, ſub initium anni; ſed ſub finem, ab eodem Boëmiæ Pro-Rege *Lutherani proſcribuntur* iſthic loci, eorumque duo templa occluduntur; licet Ferdinandus Rex, non tantùm ante turbas iſtius Regni, ſed & poſt eas, hoc ipſo anno in peculiari tractatu Dresdæ inito, Evangelicis liberum religionis exercitium promiſerit; Unde *Saxonici Electoris* graves, per Legatum D. Hoëum *quiritationes*, fruſtrà tamen motæ. Calviſ. Chron. 987. Burgold. part. 2. 135. ſeq.

Romæ, *MortVVs eſt VICe DeVs*, Papa *Paulus quintus*, Januarii die vigeſimo octavo, poſtquam ſediſſet in Cathedra quindecim annos, & quod excurrit. Inſignem apud ſuos laudem ſibi conciliavit, ob cauſas, quas Bzovius ebuccinavit apud Platinam de vit. pontif. pag. 509. ad uſque 529. Potiora de hoc Pontifice jam in præcedentibus libris annotavimus nos; unum hîc addere placet, quàm nimirum *ſingularis æſtimator & commendator Thomæ Aquinatis* fuerit Paulus ille; „Cui majorem autoritatem, contra calumniam aut odium, „ut conciliaret, eum fidei ſplendidiſſimum Athletam, cujus ſcriptorum clypeô Eccleſia, in terris militans, hæreticorum tela feliciter „eluderet, ſæpiſſimè appellavit, honoreſque tanto Divinæ voluntatis & quaſi Angelico Interpreti, ut Clemens octavus nominarit, „in Urbe Neapolitana decretos, ab eodemque Clemente conſtitutos, „comprobavit; hac intentione, ut ad Divinum, quod vocabat eloquium, cœleſtemque doctrinam, oraculis & miraculis illuſtratam, „ac apud remotiſſimas etiam nationes ſumma cum Chriſtiani nominis laude, & Eccleſiæ utilitate celebratam, Clerum erudiendis populis, tuendæque fidei Catholicæ deſtinatum, alliceret; utpote „ex quo ſolo & unico, veritatis omnis promptuario, abunde colli-

„ge-

„ gerent radios ad illuſtrationem mentium, clypeos ad Eccleſiæ de-
„ fenſionem, omnemque armaturam fortium, ad deſtruendam, li-
„ cet à portis inferi conferruminatam, unitionem atrociſſimorum
„ hoſtium; recenſente Bzovio cit. loc. 517.

Poſt Paulum V. ſedem Romanam conſcendit *Gregorius XV.* Alexander Lodoviſius anteà vocatus, Bononienſis, per viam adorationis, uti loquuntur, die 9. Februarii Electus, anno 1621. Qui ſtatim initiô ſui pontificatûs pleniſſimum indixit *Jubilæum*, pro pace & Unione Chriſtianorum Principum, ſcil. Papiſticorum, ad extirpandos hæreticos. Mox etiam, ut fertur, *ad Alvarum, Congi Regem* in exterioribus Africæ partibus agentem, *pro Capuccinis*, eò miſſis, literas dedit, quibus hos de meliori commendabat. Menſe octobri conſtitutione peculiari *privilegia Theatinorum* confirmavit, ſeu Congregationis Clericorum Regularium in Communione Romana, per Johannem Petrum Caraffam, Epiſcopum Theatinum in regno Neapolitano, inſtitutæ, & à Clemente VII. primitùs approbatæ an. 1524. Nil proprii habent ſodales hujus ordinis, quin potiùs eo ſolùm vivunt, quod aliorum liberalitate, citra preces illorum, ſuppeditatur. Contin. Plat. 530. Hofm. Lex. B. 441.

Idem Gregorius *Galliæ Regem Ludovicum XIII. ad bellum Hugonotis inferendum exſtimulavit*, non tantùm Epiſtolâ privatâ, quam hiſce clauſit verbis: „Sequere, chariſſimè fili, orbis decus, cœle-
„ ſtia juſſa, effunde iram tuam in gentes, quæ dominum non nove-
„ runt, ut æternæ miſericordiæ theſauros compares Majeſtati tuæ,
„ cui Apoſtolica autoritate amantiſſimè benedicimus; dat. Rom. Jul. 10. 1621. Sed etiam vulgatâ per totam Galliam adverſus Reformatos, ceu vocantur, bullâ, ſuos fideles ad excidium eorum impellente; tum denique miſſo Franciſcanæ ſectæ Monacho Hiſpano, *Dominico JEſu-Maria*, quem Ferdinandus II. Imperator cum ſpoliis ac manubiis prælii Pragenſis Romam transmiſerat, cujusque precibus victoriam illam acceptam tulerat, qui ceu Divus quidam cœlô delapſus, à Rege & populo exceptus, nō deſtitit Conſcientiam ejus onerare mandato extremæ internecionis hominum à Romano-Catholicis diſſentientium. Hinc *ardens in Gallia perſecutio*, & partim vi, deditione partim, receptæ urbes nonnullæ, quas ſecuritatis gratiâ Hugonotis Henricus IV. conceſſerat. Heideg. hiſtor. pap. pag. 351. Gramond. l. 9. 439. ſeq.

Apud Gallos tum temporis invaluit *S. Maurus*, Congregatio ordi-

ordinis Benedicti, à dicto Papa in gratiam Ludovici decimi tertii inſtituta, diviſaque in ſex provincias, quarum quælibet viginti domos continet. Monachi hujus Congregationis elegantioribus inprimis literis excolendis vacant, in quem finem ſeminaria in qualibet provincia erecta, ut in iis erudiatur juventus. Hofm.Lex. A. 1012.pag.

Adulto hoc anno *Gregorius Conſtitutionem de forma ſeu modo eligendi Papas edidit,* quâ in poſterum Electiones per ſecreta ſuffragia, ſchedulis conſignata, celebrandas ordinavit, adeòque libera eligentium vota reddidit, ac ita quidem, ne principibus innoteſcere poſſit, qui electores ſuffragia præbuerint. Publicatæ & affixæ fuerunt Pontificis literæ, ad valvas Baſilicarum S. Johannis Lateranenſis, & Cancellariæ, quam vocant, Apoſtolicæ, ac in acie Campi Floræ, die vigeſima ſexta Novembris. Ex Antonio Cicarella, apud Platin. 530.

Petrus Bertius, antehac Profeſſor Lugduni Batavorum, & Regens in Collegio Statuum Hollandiæ Weſtfriſiæque, Calvinianus, dein Arminianus. Pariſiis *Communioni Romanenſium acceſſit,* à Ludovico XIII. Regius ibi Profeſſor Geographiæ factus; quem ea de cauſa Miniſtri Eccleſiæ Leidenſis, cui priùs adhæſerat, in feſto Paſchatos Banno innexuére. Quid ipſum ad Apoſtaſiam, in puncto quidem juſtificationis, inclinarit, in Hodoſophia ſua D. Dannhauerus docet, pag. 914. auctæ edit. *Bertianæ* autem *orationi,* qua rationem reddere voluit, cur Pontificiam ſit amplexus religionem, *D. Joh. Balthaſ. Schuppius* peculiarem *Diſputationem* oppoſuit, annotante Zeilero in Epiſt. tom. 2. pag. 845.

Sub hæc mortalia explevit *Robertus Bellarminus,* Marcelli ſecundi P. R. nepos è ſorore; Jeſuita primùm, dein Cardinalis, Papæ promachus omnium ferè agilimus, magnus inter ſuos Apollo, & gregis Romanenſis vitula, quâ diſputaturi cum diverſarum religionum hominibus arare ſolent, uſitatiſſima. Illum apud Alegambium in Bibliotheca Scriptorum Societatis JESU, Cardinalis de Surdis *ſydus, malleum hæreticorum, Theologorum ſeculi verticem* vocat; & apud eundem alter Cardinalis Viſinus, quoad *caſtitatem,* in florenti etiam ætate, cum Joſepho; quoad *paupertatem* inter divitias, cum Davide; quoad *liberalitatem* in egeſtate, cum Tobia; quoad *ſolitudinem* interiorem inter occupationes aulæ, cum Gregorio; quoad *humilem de ſe opinionem* in conferta multitudine virtutum excellentiſſimarum, cum Paulo; quoad *liberam vocem* erga dominantes, cum Johanne Baptiſta, liberaliter ſatis comparat. Vaſtum *Opus controverſiarum,*

tribus

tribus tomis in folio abſolutum publicavit, libellum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, aliaque nonnulla. *Guilielmum Barclajum* è communione Romana ſenſit acerrimum, circa poteſtatem Pontificis ſecularibus, Antagoniſtam; imò ipſam ſupremam Galliæ Curiam, quæ librum ejus, de hac materia ſcriptum, Lutetiæ anno 1610. nov. 16. condemnavit. Heideg. Hiſt. Pap. 311. Hofm. Lex A. 269.

Inter inſignes *Bellarmini* virtutes, alii ponunt miram ejus in perferendis vexationibus *patientiam*, quam *Jacobus Fuligatus* laudat ſequentibus verbis: „Culices, modicellas aviculas, ſicut & alia parva naturæ incommoda, velut à DEO traditas ad exercitium patiendi, vultu adeò miti perferebat, ut nec ipſe oppoſita manu, nec „exciente ventulum aliquo eas conaretur abigere. Aliquando Clementi Merlino R. rotæ auditori, dum ſermones familiares, ut fit, „poſt negotia deciſa, ſererent, retulit, ſe nocte ejus diei, qui eſt Catharinæ virgini ſacer, adeò ad renes à beſtiolis quibusdam nequam, „ac damnificis, morſu fuiſſe vexatum, ut magno ſenſu converſus ad „Chriſti, præpendentis è cruce Domini, ſimulacrum dixerit: ô Domine, ſi hoc quicquid eſt damni, quod certè parum eſt, mihi tantum affert moleſtiæ, ecquænam erunt ſupplicia damnatorum? ſi „apud gehennam impios manent tormenta tàm ærumnoſa, ne, precor in ea me projicias, etenim *impar ero iisdem ſuſtinendis*. Cardinalis *Creſcentius* addit, Bellarminum ita ſe patientiæ velut victimam deſtinaſſe, ut muſcas à vultu ne depelleret quidem, tametſi odioſæ nimiùm eſſent, ſicuti Romæ in æſtu ſolent; cùmque hoc mirarentur, qui aderant, ipſe ſuaviter: „Haud æquum eſſe, ajebat, perturbare „animantes illos, quibus non utique ſupereſſet paradiſus alius, „quàm volitandi libertas, ac poteſtas, ubi malunt, commorandi. Parum abeſt, quin ſuſpicetur aliquis, Bellarminum fuiſſe ſobolem ex *Ichthyophagorum* gente ſub Troglodytica ora, extra ſinum Arabicum, habitante, qui tantæ patientiæ dicuntur homines, ut, ſi quis educto enſe eos percuſſerit, non diffugiant, verbera & injurias miti perferentes animo; percutientem ac lædentem ſolùm aſpiciant, nullum neque iræ, neque miſericordiæ ſignum oſtendentes. Vide Dorſchei Antikircherum, pag. 69. ſeq. & Johannis Böemi Aubani lib. 1. de moribus, legibus ac ritibus omn. gent. pag. 62. 64.

Cætera fertur *Bellarminus*, cùm ætatis anno octogeſimo mori deberet, *Virgini Deiparæ dimidium animæ ſuæ, reliquum filio ejus JEſu Chriſto legaſſe*, quod inter alios Marcellinus Cervinus affirmat. „An for-

„ formalem ſeu ſubtilem, an verò craſſam hypocriſin ſpiret Epigra-„ phe illa, Iconi Cardinalis Bellarmini ſubjecta: Quam à Matre Vir-„ gine carnem acceperat, quam à ſacro lavacro innocentiam, DEO „ reddidit, ſibi nullius in omni vita mendacii conſcius? Ultrajecti diſputavit Voëtius. vid. D. Pauli Röberi Centuriam funeralium ſingularem, part. 2. 248. Hülſemanni Tract. de Auxil. Grat. in dedicat. 62.

LIB. III. CAP. X.

Summaria.

Comitis Schlikii ſupplicium in Bohemia; ut & Jeſſenii.

Status Bearniæ ſubita violentaque mutatio, unde bellum Galliæ inteſtinum, Hugonotis infauſtum.

Obſidio Montalbani Chamiero fatalis.

Principum ex India filii, Chriſtianæ inſtitutionis ergo in Hollandiam delati.

Fructus Hollandicarum negotiationum ſacri.

Malaicæ Linguæ natura & origo, ipſiusque urbis & gentis Malaccanæ.

In Anglia Liber Liturgicus ex voluntate Epiſcoporum prodit; unde malorum Ilias.

IN triſti & ſevera Exequutione Pragenſi, directore Liechtenſteinio, *Comes Joachimus Andreas Schlikius ad ſupplicium tractus eſt*; inter alios plures viros Illuſtres & primarios Utraquiſticarum partium, qui pro libertate religionis non tàm verbo, quã ferro, contra præpotentẽ domũ Auſtriacam pugnare auſi fuerant. Supererat ex poſteris *Caſpari Schlikii*, Sigismundi Boëmiæ Regis, & Imperatoris, quondam Cancellarii; qui cùm in Concilio Conſtantienſi de nece Huſſi deliberaretur, in illam non conſenſit, ſed ſurgens, è conſeſſu egreſſus eſt, ad Comitatûs honorem evectus poſteà. Dictus autem *Joachimus Andreas*, dicitur conſenſûs Unionisve inter Calviniſantes Pikardos, & reliquos Evangelicos in iſto regno, ſub ſeculi hujus initia præcipuum egiſſe pararium. Deinde Boëmiâ per Ferdinandum ſubactâ, Perduellionis damnatus, & atroci ſupplicio affectus eſt; poſtquam ab Inquiſitoribus innumeris penè quæſtionibus diu fatigatus, diſrupta veſte & pectore nudato exclamaſſet: *Diſcerpite in mille fruſta corpus hoc, atque rimamini viſcerum intima, nihil tamen reperietis, præter quod in Apologia expreſſimus; Libertatis ac religionis amore gladium ſtrinximus, &c.* Hofm. Lex. B. 321. Cluv. 787.

Abreptus tum quoque *Johannes Jeſſenius*, vir profundæ eruditionis,

nis, Bohemus; quo de memorabilis eſt vatidicus ille gryphus, ab ipſo ſcriptus, & à Ferdinando ſecundo enodatus. Jeſſenius nimirum in reditu ex Ungaria, quò Legatus à Bohemis miſſus fuerat, captus anno 1619. Viennam ductus eſt; mox autem, permutatione cujusdam Itali, dimiſſus, è carcere prodituros, parieti inſcripſit literas I. M. M. M. M. Quas cùm interpretari multi in caſſum niterentur, unus Ferdinandus ingreſſus, rem acu tetigit, ſic illas explicans: *Imperator Matthias menſe Martio morietur;* qui ſtatim acceptâ creta repoſuit: *Jeſſeni mentiris, mala morte morieris!* Quod cùm Jeſſenio relatum eſſet: *Ut ego*, dixit, *mentitus non ſum, ita Ferdinandus operam dabit, ne vanus audiat Vates.* Contigit utrumque; Cæſar Martio diſceſſit; Jeſſenius poſt cladem Bohemorum anno 1620. acceptam, & ſubactum ab Auſtriacis regnum, ſupplicio affectus eſt. Cluv. citato loco, & D. Dannhauer in Collegio Decal. ex Deut. pag. 331.

In *Gallia*, quaſi ex condicto, *Reformatorum privilegia*, quæ ab Henrico quarto Nannetenſis edicti beneficio acceperant, non ſecus atque in Germania Bohemorum, aliquot abhinc annis damna patiebantur plurima. Initium à *Bearnenſi Ducatu* ad Navarræ Regnum pertinente, factum, è quo totos jam ſexaginta circiter annos Papiſmus exulaverat prorſus, à Johanna Labretana, Ludovici XIII. avia, exactus. Illam ergò provinciam, hactenus à Galliæ Regno ſeparatam, quamvis eundem Principem haberet, uniri Galliæ, legibus & religione, Richelius, qui tunc emergere cœperat, ſuaſit: Effectui datum id, invitis licet Bearnenſibus; reſtituta Pontificiis bona Eccleſiaſtica, introductaque Miſſarum ſolennia; erepta paſſim præcipua templa &c. Exemplum hoc putantes ad ſe quoque pertinere, qui in toto Galliæ Regno erant Hugonotæ (ita enim à Pontificiis vocantur Galliæ Calviniani) *Synodum generalem* agunt, in qua Bearnenſium auditæ querelæ; decretum etiam, iis opem eſſe ferendam. Habita dein *Rupellæ* queritantium *Comitia*, quibus futuro bello proviſa parataque ſunt omnia, & literæ ad Regem transmiſſæ, ex quibus ille de defectione facilimam cepit conjecturam, nec reſponſo, ſed armis agendum ſibi ac tuendum jus Regium exiſtimavit; Inde natum Galliæ *bellum inteſtinum, Regio-Hugonoticum*, quod Ludovico tàm feliciter ceſſit, ut brevi tempore urbem Santonum permunitam *San-Johannem*, ſubigeret, ac dirutis mœnibus vicum faceret. Mox & *Cleracum* in Vaſconia pari vi ad deditionem compulit; aliasque multas urbes, præſidiis tumultuantium hactenus munitas, quà ferro, quà

 minis,

minis, perdomuit, magna variis certaminibus reſiſtentium ſtrage: *Montalbanum* tamen, obſidione aliquantisper cinctum, graſſantes morbi & hybernæ inundationes derelinquere Regios coëgerunt. Hiſt. Eccleſ. comp. Gothan. ed. 2. pag. 794. Gramondus hiſt. Gall. lib. 6. usque ad 11. pl.

In iſta obſidione Montalbanenſi *Daniel Chamier*, inſignis Theologus, & Paſtor loci, Panſtratiâ contra Pontificios edita inclytus, vivis exemptus eſt inopina morte, perquàm lugubri; etenim obambulans in vallo, majori globo tormentario percuſſus, concidit, poſtquam interroganti amico, an poſtridie concionaturus? reſpondiſſet: *An neſcis craſtinum diem quietis meæ eſſe? Gramondus* de eo ſic loquitur: „Chamierus, vir magni apud ſectarios nominis, qui Montalbani „Paſtorem agebat, quanquam propugnaculo tegebatur, in fruſta „discerpitur tormentaria pila, vix agnito, unde globus, & quà im„miſſus? in utrumque paratus homo audax, thorace ferreo, haſtaq; „ad manum, venerat in hunc locum, additurus militibus animos, „poſtquam eadem die, in templo patheticè habita concione, de Re„giis finierat in hæc ipſa verba; quæ diſtincta ter voce repetierat: „*Non ingredientur*! Hic finis, dicit Hiſtoricus, viro ſeditioſo, qui eo „nomine aura populari plurimum valuit. Confer Hofman. Lex, A. 528. & Gram. lib. 10. 501.

Media æſtate *ex India Orientali, appulerunt in Hollandia Regulorum ac Principum aliquot filii, ut in religione Chriſtiana, bonis moribus, artibusque inſtituerentur*; quò deinceps reverſi ad ſuos conterraneos, exemplo iisdem eſſe poſſent, ad iſtam fidem venandam, & amplectendam ſimilem probitatem ac eruditionem. Sanè hic optimus eſt *Negotiationum Hollandicarum* in diſſitiſſimas illas regiones *fructus*, nempe, non tantùm privatæ utilitatis in ſublunaribus & corporalibus, apud fœderatas Provincias, inſignis augmentatio; ſed etiam præprimis Chriſtianæ Reipublicæ in ſpiritualibus atque cœleſtibus pia & ſalutaris apud Barbaros promotio & propagatio. Cùm enim placuiſſet nonnullis Batavis, apud Indos commorari, donec ipſos loquentes probè intelligerent, ac ſimiliter ſermones cum iis conferre poſſent, hìc & ibi quosdam infideles eòusque produxerunt, ut ſacrum baptiſma ſuſciperent, ac in fide Chriſtiana laudabiles profectus facerent. His autem porrò juvandis, pluribus alliciendis, aliqui pio zelo flagrantes viri, & ſenſus exercitatos in Scriptura Sacra habentes, Novum J. C. Teſtamentum, Catecheſin Palatinam atque conciones pluſculas

las

las à Reformatis Doctoribus in Europa, typis traditas, in *Malaicam Linguam*, Indis paſſim tàm uſitatam, quàm Europæis Latinam, aut Gallicam, tranſtulerunt; ea ratione barbaris communicantes media ſalutis, & ſufficientia & accommoda. Calviſ. 987. Zeil. Epiſt. tom. 2. 841. ſeq.

Quæ autem de *Malaica Lingua* diximus è Zeilero, ea *Hornius* confirmat, ſequentibus verbis: „ Cùm tractus ille inſaluberrimus ſit, „ diu incultus manſit, nec niſi caſæ ad littus piſcatoriæ ſeptem vel „ octo reperiebantur, donec numerus, plurimis è Pegu, Siam, Bengala confluentibus, augeretur; inter quos tandem convenit, ut novam urbem, rempublicam, linguam legesque conderent. Urbs „ Malacca dicta, quæ brevi tempore ita crevit, ut cum maximis & „ cultiſſimis totius Indiæ certaret. Id admirabile, quod Malaccani „ novam penitus Linguam excogitarunt, delectis aliarum gentium „ elegantiſſimis vocabulis, cujus tanta eſt ſuavitas & elegantia, ut „ hodiè per univerſam Indiam communis ſit, ac nemo habeatur doctus, vel moribus excultus, niſi ejus peritus ſit. Vartomanus tradit, Malaccam circa annum 1420. conditam, & ejus Incolas à Javanis potiſſimùm originem traxiſſe. Reges habuit Mahumedanos, „ ſub quorum ultimo Alphonſus Albuquerkius eam Regi Luſitaniæ ſubjecit, cui dein à Batavis erepta. Hæc Horn. in Orb. Imper. pag. 454. ed. auct.

In Anglia t. t. à Rege Jacobo primo, ut & à Parlamento, acceptatus & confirmatus eſt famigerabilis ille *Liber Liturgicus*, per Epiſcopos concinnatus & commendatus; factaque ſanctio, ut paſſim apud Eccleſias Anglicanas introduceretur ac obſervaretur: Hinc origo & cauſa turbarum, quæ totam deinceps Britanniam, ſub Jacobi ſucceſſore horrendum in modum concuſſerunt; Novaque iſta Liturgia jure meritòque *pomum ferventis Eridos* appellata. Hülſem. Calviniſ. irreconciliab. pag. 35. 99. confer. 1638.

LIB. III. CAP. XI.

Summaria.

Auguſtinus à Peyn ad Anti-Trinitarios tranſit, à Wittenberg. Theol. fruſtra revocatus.

Arminianorum ad Socinifmum inclinatio, per eorum confeſſionem, ejusque Apologiam, ſatis manifeſtata.

De illis tum Vedelii, Peltii, Bodecheri, Hornbekii, tum Calovii judicia.

Adoptata ab Arminianis Libertas prophetandi.

Augu-

A*Uguſtinus à Peyn*, junior, qui Wittebergæ in Saxonia ſtudiis liberalibus & ſacris operam dederat, dein Amſtelodami Eccleſiæ Auguſtanæ Confeſſioni addictæ ſemet aſſociaverat, partibus orthodoxis deſertis, *ad Antitrinitarios*, qui hodie Socinianorum nomine veniunt, *acceſſit*; nec tamen priſtinum cœtum deſeruiſſe videri voluit. Fidelisſimam & Wittebergenſes Theologi, & Amſtelodamenſes, hominem ab erroribus ut revocarent, præſtitére operam, ſed nullo ſucceſſu. Accidit Peynio, quod mulieri apud Senecam, quæ cùm tota cœca eſſet, talis haberi noluit, quin potiùs domum, in qua habitabat, adeò tenebricoſam eſſe dixit, quæ oculorum uſum impediret; Ipſe enim erroribus humanis præoccupatus, Eccleſiam Chriſti, cujus membrum ſe hactenus profitebatur, ex præconceptis opinionibus errare putavit, & proinde ſcripſit, hæſitare ſe, nec videre firmum, cui innitatur. Interim ſe, tanquam infirmum in fide ſuſcipi petiit, adductis eam in rem ſententiis Apoſtolicis; licet Verbo Dei, etiam principia rationis, tanquam fidei normam conjungeret; Unum eſſe Deum in tribus Perſonis, Patrem, Filium & Spiritum S. expreſsè negaret; duas itidem in Chriſto naturas inficiaretur &c. Vid. Conſil. Theol. Witteb. part. A. 765. ſeqq.

Eodem tempore, quàm *ad Socinianiſmum inclinent Arminiano-Remonſtrantes* in Belgio fœderato, patére cœpit publicè, ut ex aliis pluribus indiciis, ita etiam è ſcriptis communi nomine vulgatis. Æquitati omninò conſentaneum eſt, quòd plerique puriores Theologi *diſtinguendum* judicant *inter Arminianos Remonſtrantesve priores*, quales ab initio contentionis cum Gomariſtis & Contra-Remonſtrantibus, fuerunt, propemodum usque ad Synodum Dordracenſem, quantum quidem publicè conſtabat; *Ac poſteriores*, quales nempe ſucceſſu temporis, ab Arminio degenerantes, poſt Synodum & remotionem ab Officiis prodiderunt ſe & exhibuerunt. Quantumvis ergò in quæſtionibus cum Gomariſtis de Prædeſtinatione controverſis, Arminius non tàm ſegregationis, quàm reductionis Calvinianorum ad veram veræ Eccleſiæ doctrinam autor extare voluerit, ejusque diſcipuli Remonſtrantes *priores*, à cæteris Calvini Sectatoribus in quinque tantùm ſæpè jam allegatis articulis in diverſum abierint; *Poſteriores* tamen deprehenſi ſunt in multis dogmatibus vel in theſi cum Socinianis conſpirare, vel certè Socinianorum placita ceu tolerabilia, nec fundamentum fidei tollentia, venditare. Ita ſeſe rem habere, teſtimonium præbet ſufficiens & luculentum hujus gentis,

hoc ipſo anno edita *Confeſſio*, quæ merus cothurnus eſt, verbis è Schola Socinianorum depromptis conſarcinatus. Nec melior æſtimanda Remonſtrantium adverſus cenſuram Theologorum Leidenſium *Apologia;* cum inſequuta *declaratione*, Socinianorum erroribus non parum infecta. Hinc aliqui Calvinianorum, Arminianos poſteriores directè Socinianiſmi arguunt cum *Vedelio*, licet occulti, & cum ſimulatione profeſſionis myſterii de Trinitate conjuncti; alii eundem è ſcriptis ipſorum variis eruunt, &, inſtituta harmoniâ Remonſtrantium ac Socinianorum, in apricum producunt cum *Peltio;* alii à ſuſpicione ſaltem iſtius hæreſeos eosdem non eſſe liberos cenſent, & in multis explicationem planiorem plenioremque deſiderant, cum *Bodechero: Hornbekius*, quamvis eos ab imputatione non abſolvit, fatetur tamen, ne in illa quidem omnia, quæ in Confeſſionem, & Apologiam ejus, ab Epiſcopio infarta ſunt, ſocietatem Remonſtrantium conſenſiſſe; eaque adeò non probata huic, ait, ut ne quidem intellecta; Et, nomen quoque Socinianorum, ipſorum plurimos ex animo horrere, teſtatur. *Calovius*, Theologiæ Lutheranæ Doctor ac Profeſſor Wittebergenſis, facta omnium diligenti collatione, ſententiam ſuam ſequentibus enunciat verbis: „Quicquid ſit „de Doctoribus nonnullis, qui inter Remonſtrantes in publico et„iam munere conſtituti fuére, Socinianiſmi poſtulatis, de Commu„ni Remonſtrantium Doctrina, quæ maximè reſpicienda, non vi„dere poſſumus, quomodò eadem pro Sociniana haberi debeat, ta„metſi in multis ad Socinianæ hæreſeos confinia accedant. Non „quòd excuſatos ullâ ratione cupiamus Remonſtrantes, quorum „certè doctrina omni deteſtatione & execratione digniſſima eſt; ſed „quòd cenſeamus diverſa dogmata non confundenda, neque cui„quam injuriam inferendam, ſed quemque ex confeſſione ac do„ctrina ſua propria dijudicandum eſſe. Kromajer. in Scrut. Rel. vid. pag. 191. & Calov. in Conſiderat. Arminianiſmi, à pag. 6. ad uſq; 21.

Tunc etiam in Belgio, inter Arminiano-Remonſtrantes natus eſt, & ſequentibus annis educatus ab illis, novus quidam *Libertiniſmus*, non vivendi, ſed credendi, cujus natura in hoc ferè conſiſtit, quòd, absque ſalutis periculo, in articulis controverſis aſſentiri quis poſſit, cui parti velit, modò in hiſce tribus, nempe *reverentiâ Scripturarum, fide promiſſorum, & obedientia mandatorum Divinorum*, non deficiat. A Remonſtrantibus *Libertas prophetandi*, ab aliis verò Pyrrhoniſmus & Scepticiſmus Theologicus, à quibusdam ſubtilis Atheiſmus

ſmus vocatur, de quo alibi ν. θ. plura. Hier. Krom. Scrut. Relig. 344. & in Locis Anti-Syncret. 259.

LIB. III. CAP. XII.

Summaria.

Conventus Hugonotarum, ob cauſam Bearnenſem habiti, ſed in bellum ipſis minimè fortunatum deſinentes

De Chriſti Exinanitione Theologi Gieſſenſes ac Tubingenſes inter ſe diſputare pergunt.

Inde Legatio Darmſtadiana, & Receſſus Stutgardianus.

Harmoniæ Evangeliſtarum Chemnitio-Lyſerianæ Doct. Gerhardo commendatur.

Novum Teſtamentum Syriacum à Troſtio editur.

Oſanna B. Virgini à pueris Hiſpalenſibus dictum, Dilingæ recuditur.

Annexa eidem Pauli V. Indulgentia.

FOrtè per ea tempora indicto *Montalbani* Hugonotarum conventu, quem *Circulum* vocant, huc ſe conferunt Benearnenſium legati, provinciæque ſuæ calamitate propalata vulnus exhibent, remedium quærunt. Circulo parum erat autoritatis patrando, quod deſtinabatur, bello: Ea cauſa fuit Synodi indicendæ *Amiliani*, ad quam frequentiore conventu omne jus transferretur; inſtituitur Amiliana congregatio, ibique Bearnenſibus decernitur auxilium, & protectio. Dein *Rupellæ* generalia, gentis Calvinianæ per Galliam, comitia habentur, & leges, quibus bellum geri volebant, promulgantur. Sed Rex arma parantes, armis properè antevertit, & brevi multas eorum urbes inopinatò ſubigit, ut ſuprà indicatum cap. X. confer Gramond. lib. 6. ac 7. pag. 335. 341. ſeq. pl.

In ipſa verò Germania, ſub atrocibus Principum belligerantium conatibus, non ceſſarunt *ſcripta* Theologorum *polemica*, præſertim *inter Gieſſenſes ac Tubingenſes*, ob quæſtiones quasdam de CHRISTI HOMINIS Omnipræſentia & Operatione apud Creaturas, *Exinanitionis* tempore conſiderati. Propterea menſe Septembri an. 1621. advénit Stutgardiæ *Legatio*, quam Ludovicus, Haſſiæ Landgravius Darmſtattenſis, ad Johannem Fridericum Wirtembergiæ Ducem adornavit, eo fine, ut ageretur de mediis Amicabilis Compoſitionis inter utriusque partis Doctores, inprimis de pangendis induciis, usque dum ab aliis decideretur controverſia. Poſtquam autem per aliquot dies totum negotium ſummo ſtudio, candore optimo, &

ger-

germanâ fide tractatum fuiſſet, ſuper omnibus actis & actitatis RECESSUS formatus, isque ex utraque parte ſubſcriptus, ac Haſſiacis communicatus eſt. Receſſum hunc ita Landgravius acceptavit, & approbavit, ut conſeſtim peculiari reſponſo ad Wirtemb. Ducem, ſpem faceret, velle ſe Theologis ſuis mandare, ut quamprimùm brevem ſuper ſententiâ Tubingenſium declarationem, eodem ferè modo, quo ab hisce factum, transmittant, quæ deinceps Dresdenſibus ac Durlacenſibus Theologis, unà cum ſtatu controverſiæ & ſententiarum fundamentis, ad explorandum eorum judicium, non equidem deciſivum, ſed conſultivum, communicari poſſit. Neque Landgravio diſplicuit, ſi altera pars prægnantes ob cauſas in Cenſura, ſeu Judicio illo, acquieſcere non poſſet, ut ad Amicum Colloquium res omnis devolveretur. Act. Menzerian. Tub. excuſ. lit. d 2. ad e 2.

Jenæ tum occaſione Doctoralis promotionis, in conſeſſu Theologorum (erant Matthias Hoë, Vincentius Schmuck, Fridericus Balduinus, Balthaſar Meiſnerus, Henricus Höpfnerus, Caſparus Finkius, Johannes Major, Johannes Himmelius, &c.) quùm de variis rebus neceſſariis ac utilibus ageretur, de *Harmoniæ* etiam *Chemnitio-Lyſerianæ continuatione* deliberatum fuit, & unanimi ſuffragio *labor* iſte *Johanni Gerhardo*, à prædictis Theologis *commendatus*; quorum ſententiam Balthaſarus Menzerus, aliique non infimæ ſortis Doctores per literas mirificè comprobarunt, & Gerhardo, ut hanc in ſe provinciam ſuſciperet, calcar addiderunt; Is proinde abſolutis priùs ultimis Locorum Theologicorum tomis, & Scholæ Euſebianæ libris quinque vernacula linguâ exaratis, operi manum admovit, idque feliciter ad finem deduxit. Ex primæ partis Gerhardinæ præmiſſa dedicatione † 2.

Operâ *Martini Troſtii*, prodiit in publicam lucem *Novum Teſtamentum Syriacum.* Jam antè proſtabant aliquot N. T. Syriaci editiones. Quamprimùm enim in arduo hoc negotio feliciter glaciem fregit *Johannes Albertus Widmanſtadius*, Jurisconſultus & provinciarum Auſtriæ orientalium Cancellarius (hujus enim cura & ſolicitudine, ſed ſumptibus Imperatoris Ferdinandi I. primùm anno redempti orbis 1555. Viennæ typis expreſſum eſt Novum Teſtamentum Syriacum) ſecuti mox alii, qui partim in characteres Hebraicos textum Syriacum transfundentes, partim verſionem Syriacæ translationis adornantes (id quod duodecimo pòſt, quàm Viennenſis editio vulgata, Tremellius tentavit an. 1568. & circa eadem tempora

Fabricius Gallus) ſuam Eccleſiæ diligentiam probare ſategerunt. Eadem quoque translatio Syriaca, ſed veſte Hebræa, prodiit Antwerpiæ in forma minuſcula an. 1575. Inſerta etiam conſpicitur Bibliis polyglottis Eliæ Hutteri, tum quoque operi Bibliorum Hiſpanico, Gallicano & Anglicano. Separatim verò nativis literis, ac nova verſione Martini Troſtii, Cothenis Anhalt. ed. anno Chr. 1621. Ex annotationibus poſthumis Gerhardi in Evang. Matth. pag. 19. ſed pag. 15. & ſeqq. de ipſa Syriaca verſione agitur pl. Conferri poteſt ejusdem quoque Gerh. Method. Stud. Theol. pag. 55. 62.

Pium (quod vocabant) *Oſanna, magnæ Matri Virgini, absque originalis peccati labe conceptæ, ab Hiſpalenſibus puerulis divinitùs* (ſcilicet) *inſpiratis depromptum*, & ex Hiſpanicis rhythmis, Hiſpali excuſis, latinè redditum, Dilingæ recuſum eſt, & ſic ſe habet:

Veridici infantes, qui morantur Hiſpali,
Alphabetum lallantes, ut tinnitum crotali,
Negant Originale tetigiſſe Virginem
Peccatum, quod tàm malè fœdavit hominem.
Sic, ſic pium Oſanna Mariæ depromite,
Quam parit nobis Anna, non infectam fomite.
Procul, procul agones diſputantis populi;
Credo, quod puſiones, qui morantur Hiſpali.
Quod in Scholis Doctores Dei matri ſubtrahunt,
Hoc infantes ad fores clamantes reſtituunt.
Sic jam fruſtrà ſunt bella, fruſtrà fervet quæſtio;
Parvos docet tabella; ceſſet diſputatio.
Ceſſent jam altercantes & Oſanna audiant,
Quod Mariæ lactentes cantibus ingeminant.
Nolo magnos clamores diſceptantis Circuli;
Sequor parvos Doctores prophetantes Hiſpali:
Clamant conceptionem absque omni macula;
O pulchram concionem primâ dignam Infulâ!
Lac adhuc tingit ora, & cantatis canticum,
Docentes mitiora Doctorem Angelicum:
Qui ſi vita reſtaret, veſtram hanc ſcientiam
Mallet, quàm ſi quis daret Mundi ſapientiam.
Ducor tàm claris aſtris (ſic lucetis parvuli)
Parvis magiſtris noſtris, qui docent Hiſpali,

Eſſe

Eſſe DEI Parentem DEI privilegiô,
Nec ſubjeciſſe mentem peccati contagio.
Sic tua Sponſa, Pater, deviârit penitus?
Sic tua, Fili, mater templum ſancti Spiritus?
Forſan objiciatur nobis Ignoratio,
Non tamen hinc minatur nobis Inquiſitio.
Colam ſemper ſermones, Theophraſti parvuli,
Quos funditis tyrones, DEO dante Hiſpali!

Oſannæ huic ſubſcripta
accipe ſequentia:

„ S. D. N. Paulus Papa V. Indulgentiam centum dierum, futu„ris perpetuis temporibus valituram conceſſit omnibus, Antipho„nam hancce, cum verſu & oratione recitantibus, datô ſuper ea re „ſpeciali Brevi, die 10. Jul. an. 1615.

Antiphona: *Hæc eſt virgo, in qua nec Nodus Originalis, nec Cortex actualis culpæ fuit.*

Verſus: *In conceptione tua Virgo Immaculata fuiſti.*

Reſponſorium: *Ora pro nobis Patrem, cujus filium peperiſti.*

Oratio: *Deus, qui per immaculatam Virginis conceptionem, dignum Filio Tuo habitaculum præparaſti, quæſumus, ut ſicut ex morte ejusdem filii ſui prævisa, eam ab omni labe præſervaſti; ita nos quoque mundos, ejus interceſſione ad Te pervenire concedas, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen!*

„ NB. Sed, ſi nondum definita eſt, & per ſententiam infallibi„lem determinata immaculatæ conceptionis Mariæ veritas, quo„modò ſuper eam fundari poteſt, vel Antiphona, originalis culpæ „nodum negans, vel Indulgentia Papalis? quæ hîc judicandi dexteritas? Ita refert, & quærit D. Dorſch. in Kirchero devio. pag. 48, ſeq.

LIB. III. CAP. XIII.

Summaria.

Friderici Palatini, aliorumque proſcriptio; ac UNIONIS diſſolutio.

Lætus Spinolæ, ex Palatinatu in Belgium reditus.

Franckenthalium à Gonſalvo Corduba fruſtra tentatum.

Daniæ Angliæque Regum conatus pacifici, ſed iidem irriti.

Invaſio Hungariæ per Bethlemium Tranſſylvanum.

Armis quæſita per Chriſtianum Brunſvicenſem Palatini reſtitutio.

Daniæ Regis cum novo Principe Schaumburgenſi contentio.

Finitis induciis Hiſpano-Belgicis, nova Societas navigantium in Indiam Occidentalem ab Hollandis inſtituitur.

Oſmannus Turcarum Sultan à Polonis profligatus, ad petitionem pacis adigitur.

Philippus III. Hiſpaniæ Rex morte abſumitur; ut & Belgii Hiſpanici Gubernator, Albertus Auſtriacus.

INitio anni, *Solſtitialis* ille *Rex* (quo nomine eum inimicorum inſignivit ludibrium) *Fridericus Palatinus*, ob arreptum Boëmiæ diadema, *Banni fulmine ab Imperatore petitus eſt*; nec minùs *proſcripti* ſunt *Chriſtianus Anhaltinus, Johannes Georgius Jægerndorffenſis, Principp. & Hoënloicus Comes N.* Executio proſcriptionis commendata Maximiliano Bavariæ Duci, quoad Palatinatum ſuperiorem; ArchiDuci Alberto, quantum ad Palatinatum inferiorem; Epiſcopo Bambergenſi & Herbipolenſi, quoad Principp. Anhaltinum & Jägerndorffium, Comitemque Hoënloicum. Quod ipſum tamen indignè non pauci Status Imperii tulerunt. Cluv. 786. Burgold. Not. R. I. 77. a.

Seneſcente partium Concordia, ex rerum improſperè cœptarum tædio, *fœdus inter quosdam ſuperioris Germaniæ Principes exſpiravit*, in Conventu Moguntiæ habito; Et ſic celebris illa UNIO, quæ Margaritæ ſimilis credebatur, auſtrô blandientium perſuaſionum gravida, cum equabus Hiſpaniæ ventos vanitatis peperit, ut Burgoldenſis loquitur lib. cit. 75. Pappus Conſtant. in Epit. Rerum Germ. 17.

Spinola, rebus in Palatinatu confectis, ovans rediit in Belgium, poſt exitum induciarum, quæ ante duodecennium inter Philippum III. Hiſpaniæ Regem, & Unitarum Belgii Provinciarum Ordines, initæ erant, armorum Hiſpanicorum directione ad Rhenum penes *Gonſalvum Cordubam* relicta, qui laudem illius vanè æmulatus, Frankenthalio fruſtrà tentato, magni Ducis nomen poſteà temperantiùs inſectari didicit, Epit. R. G. 20. Calviſ. 987.

Mansfeldius, deſerti & fugati Friderici partes hactenus conſtantiſſimè tenens, aſſumptis Boëmiæ exercitûs reliquiis, movit in Palatinatum Rhenanum, ut militem ab Unione dimiſſum ad ſe pertraheret, brevique juſtum ibi exercitum collegit, *obſidionem Frankenthalii ſolvit*, perpopulatusque Spirenſium & Argentinenſium Diœceſes, Hagenoam occupavit, quò ex præda præferoces Martis filios alere poſſet, atque ſucceſſus hoſtium ſufflaminare tantiſper, donec ad *pacis* tractationem perduci poſſent. Huic promovendæ, multum

ſtud i-

ſtudii *Daniæ Angliæque Reges* impendebant, ſed fruſtrà; licet abundè commonſtrarent, ſi Cæſar decretis adverſus Palatinum inſiſtere moroſiùs, & clementiam ſeveritati poſthabere pergeret, id futurum absque dubio periculoſæ plenum opus aleæ; Non quieturam Angliam, non Daniam, Sueciamque, nec alios Principes omiſſuros indignum talem caſum florentiſſimæ Domûs, tot Illuſtrium familiarum ſanguini ac matrimoniis immixtæ. Cluver. 787. Burgold. A. 78,

Sub hæc, *morte Buquoji*, dum Neohuſaliam obſederat, fortè ab erumpentibus hoſtibus occiſi, fato planè pari cum Tampierio, *Ferdinandi res in Hungaria procubuére*, emerſitque novo cum exercitu è Transſylvania *Bethlemius*, cujus adventu ſoluta obſidio Neoſolienſis, & miles per urbium præſidia diſpoſitus. Ita hoſtili exercitu vacuam Hungariam nactus Bethlemius, Turriano & Jägerndorffio Comitibus Tirnaviam ſumma vi adhibita expugnavit, ſævisque populationibus latè graſſatus, invitante Jägerndorffio in Moraviam perrexit, ubi occupatis expilatisque variis locis impetus victoris hæſit, Ferdinando Auſtriaco novos hoſtibus tribunos, Eſterhaſium, Wallenſteinium, Donavium, ac alios objiciente. Turſellin. hiſt. app. 2. 10. Tſchimmern in Sleid. de 4. Monarch. Contin. lib. 3. 329.

Contrà verò *Chriſtianus Brunſvicenſis*, Halberſtadienſium Præſul, cùm expetitam Palatini reſtitutionem fruſtrà flagitari, & eundem undique ab hoſtibus premi videret, invitis aliis pro Friderico, jam in Bataviam digreſſo, conſcripſit militem, & extrema hujus anni, novarum turbarum metu, ſollicita reddidit; „Dux ætate ac no„bilitate ferox, congruenti hisce temporibus ingenio, dum parata „magnis auſis materies etiam ſegnes animos excitare poſſet. Hic „ut pretium naſcendi exſolveret, iis factis innoteſcere cupiebat, „quæ eum natum ubique loquerentur; verba ſunt Epitomes rerum germanicarum, pag. 25. Cluv. 786.

Medio tempore *Daniæ Regi Chriſtiano quarto, cum Erneſto Schaumburgico*, qui ex nupera creatione Cæſaris, titulum Principis & Comitis Holſatiæ uſurpabat, *contentio* orta. Rex enim in ſui præjudicium hoc fieri aſſerebat, quùm ex majoribus nullus *Principatûs* nomen, nec *Holſatiæ* titulum geſſiſſet; unde nec ſeſſionem in Imperio haberent, nec onera Imperialia, exempti ab Holſatis, portarent. Hæc, & quòd in præjudicium Regis quicquam factum, negabat Erneſtus, contendens Principatûs nomen illis ditionibus datum, quæ ſine controverſia ad ſe ſpectarent; Holſatiæ titulum ab ipſis ſibi Holſatis

tis tributum. Pro Erneſto Cæſar etiam literas ſcripſit. Rex tamen Erneſto bellum intulit, eumq; ut à titulo Principis & Comitis Holſatiæ abſtineret, armis coëgit. Spener. in Sylloge Geneal. pag. 50. Imhof. Notit. Procer. 612.

Poſt finitas duodecennales inducias inter Unitos Belgas & Hiſpanos, arma repetuntur. Ne tamen Negotiatio Nautica fatiſceret, *novam* Hollandi *Societatem*, commercia *in Indiam Occidentalem* ſive Americanam extendentium, inſtituerunt ad annos viginti quatuor, certis legibus firmatam. Præſcripti limites à Tropico Cancri, ad Promontorium Bonæ Spei, per Africæ ac Æthiopiæ littora, inde dextrum in latus Braſiliam legendo, ac rurſus transmiſſo Magellanico per immenſos Americæ maris tractus ad fretum usque Anian. Prohibita privatorum commercia, intra hos terminos, ne ſingularis lucri ſolicitudine boni publici ſpes everteretur. Deſignati quæſtores, præſidesque rei nauticæ, & mercatoriæ periti. Indultum Societati cum externis Regulis ac Dynaſtis inire fœdera, bella gerere, arces regionesque invadere, terras incultas inductis populis excolere, demum ſecuritati & fortunæ ſuæ pro arbitrio præſidum, & opportunitate temporis, omni ſtudio conſulere. Hac ſocietate Imperii Hiſpanici vitalia dehinc petuntur, ac annuæ auri argentique ex America meſſes vel ſiſtuntur, vel rapiuntur ſubinde ac diſtinentur. Turſell. Epit. hiſt. app. 2. 13. & Boxhorn. Chronol. p. m. 151.

Succeſſor Achmetis *Oſmannus II. Turcarum Sultanus* t. t. trecenta equitum millia, duodecim Janitſarorum, ac Tartarorum octoginta millia in Polonos duxit, quanquam irrito conatu. Quippe Poloni, Deo juvante, acceptam ſuperiore anno cladem, egregiè compenſarunt, ut *pacem* peteret Sultanus, quæ Octobri menſe inſtaurata, hâc inter alias lege, ut ad Walachiæ Principatum nonniſi Præſides Chriſtiani eveherentur, omnibus, qui Turcicæ religioni eſſent addicti, excluſis. Hornii Orb. pol. 129. Boxhorn. Chron. 152.

Vitâ exceſſit *Philippus III. Hiſpaniæ Rex*, Philippi II. qui phtheiriaſi abſumptus fuit, ſucceſſor & filius; Obiit ultimo Martii die, ſex liberis relictis, nempe Philippo quarto Regni hærede, Carolo & Ferdinando fratribus ejus, & ſororibus Anna Maria Mauritia, Maria Anna & Margarethâ; quarum iſta (media) Imperatori Ferdinando tertio nupta, mater LEOPOLDI; Illa, Ludovici XIII. uxor, invitis Galliæ Principibus ducta, peperit Ludovicum XIV. Moriturus dixiſſe fertur: *Sibi ſatius fuiſſe, ſi ignoti potiùs nominis Monachus decederet,*

quàm

quàm tantarum Rex opum; adeòque tot provinciarum titulos tum demum graviſſimos expertus, cùm depoſuit. Spen. Geneal. 20. Turſell. cit. lib. pag. 11.

Menſe Julio *Albertus*, Matthiæ Cæſaris frater, æquè fato functus eſt, *Hiſpanici Belgii Gubernator*; Poſtquam enim fruſtrà per Legatum obedientiam Hollandis inculcaſſet, obtendentibus, *ſerò nimis eam cani cantilenam iis, qui pridem ſuæ confeſſionem libertatis ab ipſo hoſte expreſſiſſent*, morbô correptus, Bruxellis obiit. Calviſ. & Cluv.

LIB. III. CAP. XIV.

Summaria.

Fridericoſtadium Holſatiæ ab Arminianis conditum.
Fidei uxoriæ exemplum oppido memorabile.
Grotii uxor eo etiam nomine commendanda.
Ruſticus per caprum ad veneficam deportatus.
Gallus gallinaceus probè aſſus, Bononiæ redivivus.
Luynæus Galliæ Conneſtabilis, ante obitum ab omnibus penè deſertus.
Calderonii Hiſpani felicitas, uti ad ſummum apicem progreſſa, ita caſu miſerrimo terminata.

FRidericus Holſatiæ Dux Gottorpienſis, *Fridericoſtadium* in territorio ſuo, *ab Arminianis è Belgio condi* paſſus eſt, in vicennium libertate religionis promiſsâ, quæ deinceps prorogari poſſit, uti quoque factum legimus. Spener. in Syllog. Geneal. pag. 57.

In *exemplum conſtantis dilectionis & fidelitatis Conjugum erga maritos*, in quavis etiam fortuna, exercendæ, ſiſtimus imitandam *Catharinam Herpinam, uxorem Chriſtophori Theunii*, Officialis Palatini, in Abbatia Principali Hertana, dimidio milliari à Germershemio diſtante; Illa enim Catharina, tempore irruptionis Hiſpanicæ an. 1621. virum ex infuſa potione toxicata ægrotantem & claudum, per milliaria plusquam centum & ſeptuaginta, humeris impoſitum variis in provinciis circumtulit, peragrans hoc modo Alſatiam, Helvetiam, Sueviam &c. ſummâ ſolicitudine Medicos perquirens & medicamenta, queis priſtinæ ſanitati poſſet reſtitui maritus; quod Amſtelodami tandem feliciter factum, per adhibita media adverſus venena, ſtomacho inhærentia. Pluribus recenſet Eraſm. Franciſc. in der Schaub. part. 2. pag. 1031. ſeqq.

Tunc temporis, vel certè anno proximè dilapſo, etiam *Hugo Grotius fidem ſuæ conjugis*, æviterna laude dignam, *expertus eſt*. Eum

enim, cùm in cauſa Arminiana diuturno vel perpetuo carceri addictus eſſet, ac jamjam per biennium in arce Lovenſteinia detentus, uxor ſua, mulier haud minoris in maritum fidei quàm ſagacitatis, aſtu incluſum ciſtæ, locô librorum exportari cuſtodiâ, locarique in tuto curavit, ipſa pro viro in carcere manens. Vide J. A. Oſiand. in Prolegom. Obſerv. ad lib. Grot. de Jure Belli & Pacis pag. 2. 20.

Juvenes aut viros aliquandò, *vel invitos, Deo permittente, magicis artibus & incantamentis diabolicis, per capros huc aut illuc abduci poſſe*, quin & abductos eſſe, docet Magiſtra plurimarum rerum Experientia. Exemplum in Diſſertatione Inaugurali, de Sagarum Denunciatione, Tubingæ anno 1664. ſub D. Mauritii Præſidio habita, Chriſtophorus Daurer adducit, ex Benedicti Carpzovii Jurisprudentia forenſi, Scabinorum Lipſienſium teſtimonio confirmans, anno ſupra milleſimum vigeſimo primo, faſſam eſſe veneficam N. N. ſe Urbanum Volkium, formoſum ruſticum, poſt nonnullas herbas aliquantiſper decoctas atque certas voces pronunciatas, juſſiſſe ex pago N. N. ad ſe in domum advehi per aliquem cornutum, ad explendam cum eo carnalem concupiſcentiam; ſed hominem paganum, licet ocyùs advenerit, conceptam ſpem fefelliſſe ac eluſiſſe. Daurer in citat. diſput. grad. pag. 38.

Quoniam Gregorius XV. hoc anno creatus Pontifex Rom. patriam habuit *Bononiam* (Civitatem Italiæ, inter alia ampliſſimis D. Petronii ædibus, quarum ædificationi finem dicunt eundem fore, qui & mundi erit, celebrem) haud ineptum, nec ingratum lectoribus erit percipere, quod Eraſmus Franciſci refert, aliquando (tempus non determinat) Bononiæ factum cum *gallo gallinaceo*, in menſa convivarum, qui jam ad ejus eſum parati erant, *redivivo*. Aſſociaverant ſeſe, ſcribit, nonnulli ad convivandum lautè & hilariter, quibus cùm appoſitus fuiſſet gallus probè aſſus, hoſpes activus eum diviſit in fruſtula, dixitque dein ſubridens: *Hunc ſanè Petrus non revocabit ad vivos*; Cui mox alius de tribu Levi, tanquam diffidens potentiæ Theanthropi, addidit: *Nec ipſe Chriſtus!* Vix eructatis hiſce verbis, pergit autor, diviſi fruſta galli movêre ſe, adunataque rurſus vivum exhibuére gallum, qui ambabus alis patinam percutiens, præſentis ibi liquoris guttas in facies frivolè loquutorum conjecit, ipſe autem, relictis duobus illis leprâ notatis, per feneſtram evolavit. Hæc Franciſci part. I. Schaub. 140. in fidem illius vulgiverbii: Cum Sanctis.

ctis, ne te malè ſignent, jocari, quæſo, noli; die Heiligen zeichnen gern!

Hunc annum emortualem habuit *Carolus Albertus, Dux Luynæus, Galliæ Conneſtabilis*, humili è loco indulgentiâ Ludovici XIII. ad invidendam potentiam evectus, atque vel eo nomine memorandus, quòd occupatum ſemel Regiæ amicitiæ locum, inter infinitos æmulos indejectus obtinuit, miraculô potentiæ rarò invariatæ. Ad ultimum tamen triſte vir tantus humanæ vitæ ſpeculum factus eſt. Nondum enim exhalârat animam, cùm defuére amici, familiares, medici, & ſupellex omnis; Statim deſertum Luynæi limen, quique turmatim litaverant fortunæ adultæ, dum ſtabat, execrantur cadentem & abdicant. „ Quanta amicis fides, qui aulam ſequuntur? Ne„mo ambiget, dum munia Coronæ omnia, dum Eccleſiaſtica bene„ficia, publicamque ad libitum pecuniam diſtribuebat Luynæus, „conciliâſſe ſibi largitione pleroſque, quos inter vix duo morienti „oculos claudunt: reliquis ejerantibus gratiam, Abbas N. & N. „mortuæ fortunæ litant, quod in aula rarum; deficientibus ad ju„ſta exequiarum cereis ac ſyndone, ære illi ſuô comparant. Poſſide„bat, quæ in Aulicum cadunt, omnia, nec inventa in tanta ſupel„lectile carbaſus tumulando; in quo ſpirabant omnia, deſtitutus „omnibus exſpirat ferè ſolus. O ſpectaculum, cui, ſi Luynæi for„tuna non ignorabitur, vix ſit habitura fidem poſteritas! fluxam „aulæ fortunam! quam ſi attentiùs introſpicient aulici, ſpernent, „quæ tanti faciunt, honorem inſtabilem, familiarum decora, divi„tias & Luxum. Verba Turſellini ſunt, append. 2. hiſt. contin. 12. & Gramondi hiſt. lib. 11. pag. 520.

Miſerabilior in Hiſpania *Roderici Calderonii caſus* fuit. Is tenuiſſima fortuna, mox pares Principibus opes, tituloſque ac matrimonium, & majorem his omnibus invidiam, quæ indiviſa felicitatis comes eſt, ſuo etiam vitio adeptus, an, invidiam quod attinet, inſitâ mortalibus naturâ, ut recentem aliorum felicitatem ægris oculis introſpiciant, modumque fortunæ à nullis magis exigant, quàm quos in æquo vidére. Igitur ad extremum impar invidiæ, & graviſſimorum criminum reus, poſt biennii cuſtodiam, mortuo Philippo III. à filio ipſius, Mantuæ Carpentanorum ſupplicio affectus eſt; nunquam ſanè eò redactus, ſi tanta moderatione ſecundam fortunam coluiſſet, quanta conſtantiâ tulit adverſam. Nempe res ſecundæ acrioribus ſtimulis explorant animum, quia

 mi-

miſeriæ tolerantur, felicitate corrumpimur. Contin. Turſell. 12. Spener. Syll. Geneal. 20.

LIB. III. CAP. XV.

Summaria.

Eccleſiarum Evangelicarum ſtatus in Imperio Romano.

Bohemiâ Moraviaque Religio purior exulare jubetur.

In cauſa Badana Imperator pro filiis Eduardi pronunciat; hinc Lutheranæ ditioni Reformatio pontificia.

Daniam tentant emiſſarii Papæ, conatu tamen irrito.

Clero Græco non bene convenit cum Patriarcha Cyrillo Lucari, qui h. t. etiam loco pulſus in Rhodum relegatur.

Quibus artibus ea occaſione Pontificii in Eccleſias Conſtantinop. irrepſerint?

QUalis *Eccleſiarum Evangelicarum*, in Imperio potiſſimùm Romano-Germanico, *Status* hoc anno extiterit, D. Melchior Nicolai, D. & Profeſſor Theol. Tub. propoſuit ſequentibus patheticis verbis: „Videmus proh! dolor, & ingemiſcendo deploramus, juratiſſimum humanæ ſalutis hoſtem, non Imperiorum, Regnorum & „hominum ſtrage miſerrima, terrarum & regionum depopulatione „acerbiſſima, incolarum cum uxoribus & liberis ejectione lamentabili, modum ac finem furori ſuo ſtatuere; parum pro deteſtabili „in ſummum Numen, & nos ejus figmenta, odio profectum putare, ſi res atque corpora perdat, animam autem nobis, gloriam „DEO illibatam relinquat; aliud ac longè funeſtius animo meditari, & ſi Divina non intercedat providentia, jamjam effectum „dare conari malum, animas perdere, veritatem DEI intervertere „ſubintroductis Idololatricis ſacris opprimere. Unus hic, ſaltem „præcipuus, armorum, barbara immanitate ac tyrannide Chriſtianis indigniſſima ſævientium, ſcopus, Chriſtum exturbare, Evangelium DEI conculcare, ſanguine Chriſti aſſertos, & à duriſſimo „traditionum jugo vindicatos, triſtiſſima Conſcientiæ ſervitute obſtringere, excruciareque. vide Conſiderat. quat. quæſt. de Exinan. Chr. præfat. 2.

Occluſis primùm *Pragæ* Lutheranorum templis, ejectiſque Miniſtris Auguſtanæ Confeſſioni addictis, alibi deinde paſſim è *toto Bohemiæ Regno*, ut & *Moraviæ Marchionatu*, Præcones renati Evangelii exulare juſſi ſunt, Electore Saxonico fruſtrà deprecante; adhibitumque ſimul, quicquid artis reperiri poterat, delendo ex ani-

mis.

mis hominum Chriſtianiſmo puriori; quam ſortem etiam Auſtria eodem experiri tempore cœpit. Cluver-Hiſtor. 791. Papp. Conſt. Epit. R. G. 31.

Per ſententiam quoque Aulico-Cæſaream, in *cauſa filiorum Eduardi Badani*, res Evangelicorum procubuére in iſto territorio. *Eduardus Fortunatus*, Marchio Badenſis, Chriſtophori filius, & Bernhardi (qui ſaniorem purioremque Numinis cultum primus in iſtas ditiones introduxerat) nepos, vergente ſuperiori ſeculo patri, nec minùs poſteà Philippo patrueli, ſucceſſit in regimine; ſed paterna & avita religione propalàm ejurata, pontificiam ſibi ſequendam elegit. Mox tamen derelictô ditionum regimine, perpetuâ peregrinatione vitam contrivit; cùmque debitorum, & avitorum, & à patruele contractorum, nullam rationem haberet, penſiones annuas non ſolveret, bona mobilia à Philippo relicta dilapidaret, æs alienum cumularet, eôque Principatum obrueret, adeò, ut periculum eſſet, ne ditiones ejus, quas jam tunc Rudolphus II. Imperator, Ducibus Bavariæ ac Lotharingiæ adminiſtrandas commiſerat, quò ex earum proventibus debita diſſolverentur, illi autem Fuggero conceſſerant, in alienas manus dilaberentur, atque à familia omninò divellerentur; cauſam juſtam & magnam ſe habere putavit *Erneſtus Fridericus*, agnatus è Durlacenſi linea, ut vigore pacti gentilitii, ſuperioris Marchionatûs poſſeſſionem apprehenderet, cujus etiam facili negotio potitus eſt, factique rationes publicæ luci expoſuit, datis quoque eam in ſententiam literis anno 1594. Nov. 26. ad Imperatorem Rudolphum. Nec verò minùs Durlacenſi diſplicuit, & principali faſtigio indignum viſum eſt Connubium, quo Eduardus Fortunatus Mariam, Jacobi ab Eicken, domini Rivieræ, & Gubernatoris Bredæ, Equeſtris loci apud Belgas viri, filiam ſibi ſociavit; unde etiam filiis, quos ex ea genuit, de ſucceſſione ac ſtatu, controverſia deinceps nata fuit. Hos autem tres Eduardus, cùm anno 1600. Bruxellis per gradus ſcalarum lapſus, cervice fracta exanimatus eſſet, poſt ſe reliquit, eosque impuberes, Wilhelmum, Albertum, ac Hermannum Fortunatum. Eis cùm provinciam reſtituere Durlacenſis renueret (quam Philippus etiam, eorum patruus, armis recuperare irritô conatu molitus eſt, idque auſum captivitate luit) tandem poſt longam altercationem, & multas, at in caſſum rei componendæ tentatas vias, ad Tutorum aliorumque Magnatum, maximè Caroli Caraffæ, Nuncii Apoſtolici (qualis vocari amabat) inter-

ceſſiones & hortamenta, anno 1621. die 4. Sept. in judicio Cæſaris Aulico, ſententia adverſus Durlacenſem pronunciata, illeque Marchionatum ſuperiorem, unà cum fructibus perceptis ac percipiendis, nec non ſumptibus in litem impenſis, Eduardi filiis reſtituere juſſus eſt; idque publicatum Viennæ, præſente ipſo Imperatore Ferdinando II. legatoque Turcico, & miniſtris quamplurimis. Et, quamvis Durlacenus trina vice, à Cæſare malè informato ad meliùs informandum appellarit, hoc ipſum tamen tanquam nullum ac irritum fuit habitum. Occaſionem duriori ſententiæ dedit, quòd Marchio Durlacenſis *Georgius Fridericus*, non tantùm elapſis aliquot annis Unioni nomen ſubmiſerat, ſed & hoc ipſo anno cauſam Palatini, ſcripto in id non contemnendo exercitu, defendendam ſuſceperat, à Tillio tamen mox profligatus. Inde ſententia pro Fortunati liberis juxta fortunam favorabilis judicis viſa fuit lata. Secuta dehinc *provinciæ Reformatio*, quâ proſcriptâ religione Lutherana, ſucceſſit ubique pontificia. Imhof. Not. procer. 567. ſeq. & Burgoldenſ. notit. rer. Imp. A. 497.

Dum hæc in Germania fiunt, miſit in *Daniam Papa* Inſtitores perſonatos, reipsâ Doctores Theologos, avitas ſuperſtitiones ſcholis ac rebuspublicis inſeminaturos; quorum tamen conatus DEI beneficio fruſtrà fuit; quemadmodum & anteà *Laurentii Nicolai*, Norvvegi, qui anno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum quarto, idipſum orecalamoque attentaverat; verba ſunt Cluveri. hiſt. pag. 791.

In *Eccleſias* autem *Conſtantinopolitanas* eôdem tempore multi ex Pontificiis clanculùm irrepſére, dum cœtuum Græcorum Ordini ſacro, magna ex parte, non benè conveniebat cum *Cyrillo Lucari*, præcedente annô in ſedem Patriarchalem evecto; tum quia ſuſpicabantur, eos à doctiſſimo viro propter ignorantiã deſpicatui haberi; tùm quia obſervabant, hominem non tàm tenacem eſſe religionis Græcæ, quàm Calvinianæ. De poſteriori teſtantur clariſſimæ ipſius Cyrilli ad Antonium Legerum literæ, à nobis allegatæ ſub an. 1621. cap. VIII. de priori autem ſcriptor non minimæ æſtimationis, hiſce verbis nos certiores facit: „ Multi ex Epiſcopis & Presbyteris Græcis, melio„ris literaturæ imperiti, Patriarchæ Cyrilli eruditionem, quaſi per„petuam ac vivam ignorantiæ ſuæ cenſuram, adeò impatienter fere„bant, ut dicerent, ſe coram illo gandaros i. e. aſinos videri. Ho„rum ergò ignavæ ſimplicitati illudentes naſutiores ſeminariorum „Papalium alumni, dogmatum & placitorum, quæ Cyrillus tueba-

„tur,

„tur, odio imbuti, & venenato contra ipſum livore turgentes in „Orientem miſſi, atque ab Eccleſia Græcorum incauta, in mediis „illis confuſionibus, ad Eccleſiaſtica officia admiſſi, vel Simoniacis „artibus, variiſque fraudibus irrepentes, avitam religionem foris, „habitu & externis ritibus ex compacto mentientes, ut internum „Papatum imprudentibus popularibus ſuis faciliùs inſtillarent, „Cyrilli doctrinam in ſuſpicionem vocare, ac eidem curioſæ novi-„tatis invidiam conflare ſatagebant. Accedentibus autem alio-„rum papicolarum auxiliis, confluentibus præſertim pecuniis, effi-„caciſſimis inter infideles ad ſcelera quælibet inſtrumentis, aula Ro-„mana jubente, nihil intentatum relinquebant, ut ex alta illa ſede „Cyrillum deturbarent; & poſtquam ampliſſimis Papæ promiſſis, „per Cannachium ad ipſum delatis, ad Papoduliam illum abduci „non poſſe experti ſunt, in omnes mutationum occaſiones emiſſi-„titus ſuis oculis Romana curia invigilabat, ut honore Cyrillus, „imò tandem vita ſpoliaretur. Ita quidem anno 1622. à ſubditis „interfectô Turcarum Imperatore Oſmanno, parricidarum illorum „operà Cyrillus loco pulſus, & in Inſulam Rhodum relegatus eſt, „cujus intereà ſedem Gregorius quidam, Epiſcopus Amaſeæ, tres „ferè menſes, deinde Anthymus ſeptuaginta dies, occuparunt, & „maturè corruerunt cum fautore ſuo parricida, Vezirio, talionis „lege ſtrangulato, & quidem prope locum illum, in quo Lucarim Pa-„triarcham captum malè habuerat. Tùm Eccleſiæ ſuæ reſtitutus „Cyrillus, aliquot annos eam quietè gubernavit; vices interim „Antiſtitis primarii Romanenſium ſacrorum in tractu Conſtanti-„nopolitano gerente Angelo Petricca. vid. commentar. Hilarii, in Chron. Cyprii, pag. 429. & 439. Defenſ. Exercitat. de Eccleſ. Gr. contra Allat. 100. 101.

His conſona ferè ſunt, quæ *Allatius* literis prodidit: „Jeſuitæ, „ſcribens, Byzantii ante multos annos fixerunt ſedem, amplas Col-„legii ædes extruxerunt, bibliothecam comparârunt numeroſam, „& ſua non parùm promoverunt commoda, multoſque ex plebe in „partes ſuas pellexerunt; &, cùm abſque ullo ſtipendio pueros eru-„dirent, aliaq; ſacra miniſteria exercerent, magnam ſibi auram capta-„runt. His cùm ſe opponeret Patriarcha Cyrillus Lucaris, an. 1622. „Græci, qui Græcanicas traditiones ac Patrum doctrinam ſecta-„bantur, ne labes Calviniſtica, Patriarchæ autoritate in eam Eccle-„ſiam irreperet, Patriarcham communi ſuffragio cathedrâ movent,

„ac

„ ac in ejus locum ſubſtituunt alium, qui, ſedi Romanæ obſequium „ per literas pollicitus, Pontifici ſe ſubmiſerat. Sed cùm ille nollet „ cedere, & ſectam ejurare, imò novis machinis Patriarchatum ſi- „ bi vendicaret factione nonnullorum Epiſcoporum, qui idem fer- „ mentum ſapiebant; Græci (ſcribere debuiſſet, *Papiſtæ*) viginti „ millium Thalerorum promiſſione impetrarunt, ut apprehenſus, „ captivus in InſulamRhodum relegaretur, & Catholicus Græcus ſuf- „ ficeretur. Hæc Allatius, ex allegatione D. Vejelii Ulmenſis, indefenſ. Exercitat. de Eccl. Græc. pag. 106. Conf. Hil. in Chron. Cypr. 461. 465.

LIB. III. CAP. XVI.

Summaria.

Gregorius XV. quaslibet legendi libros prohibitos, atque adeò & Biblicos, licentias revocat.

In numerum ſanctorum idem refert Lojolam, Xaverium, Nerium &c.

Garnettus parium honorum candidatus.

Novorum ejusmodi Sanctorum Sanctitas qualis?

Legatio Hiſpanica Papam ad deciſionem controverſiæ, de Mariæ Virginis conceptione, ſollicitat.

Gregorii, eam decidere non auſi, Bulla & indultum; perſcripta item ad Philippum IV. Hiſp. R. excuſatio.

Sanctorum etiam Chimæricorum cultores Pontificii hucuſque neglexerunt Joſephum, nunc demum canoniſatum.

M. Antonius de Dominis iterum ad pontificios relapſus.

Moſci à communionis R. hominibus abhorrentes, Galliæ Regi Lud. XIII. petitum negant.

Quo honore iidem Pontificem R. habeant?

Galliæ Rex pro Jeſuitis apud Venetos fruſtra intercedit.

Perſecutio Chriſtianorum atrox in Japonia.

CUm vulgò crederetur, in regno Papano, facilè plebem conſecuturam *licentiam legendi ſacros libros*, eam ſi modò peteret à ſuis Paſtoribus vel Confeſſariis, *Gregorius XV.* d. 30. Decembris anno 1622. *ſolenni diplomate revocavit* quaslibet licentias legendi & habendi quomodolibet libros prohibitos, quibuscunque perſonis, ab omnibus, etiam Romanis Pontificibus, conceſſas. Inter libros autem prohibitos eſſe S. Biblia in lingua vulgari, & alias Scripturæ S. tam Novi, quam Veteris Teſtamenti partes, ac ſummaria, & compendia etiam hiſtorica Bibliorum ſeu librorum Scripturæ S. quôcunque vulgari idiomate conſcripta, teſtis eſt regula quarta Hiſpanici Indicis Expurgatorii. Samuel Mareſ. in fœderat. Belg. de Can. Script. pag. 83. Confer ſub an. 1602. de Ind. libr. prohibit. Sixti V. & Clem. VIII. cap. XII.

Sed

Sed antequam ad hanc edendam Bullam animum applicaret Gregorius, ad quæſtuoſiſſimum *Deificandi artificium* ſe convertit, ac per auream Apotheoſeos ſcalam in cœlum (Pontificium) intulit non unum, ſed plures æternitatis candidatos, hactenus quidem inter *Beatos*, at non inter *Sanctos* à Romanenſibus numeratos, nempe *Ignatium Lojolam*, Jeſuiticæ Societatis Patrem; Franciſcū Xaverium, Indorū, ut vocant, Apoſtolū; Philippum Neriū, Congregationis oratoriæ Inſtitutorem; *Thereſiā Hiſpanicam*, Carmelitarum diſcalceatorum Matrē; & *Iſidorum Agricolam*, &c. Parum abfuiſſe dicitur, quin *Garnettus* etiā, propter ſtramineam quandam impoſturam, ſi non ad ſanctitatis, certè ad Beatitudinis declarationem veniret; Eam ſcilicet commeritus, quòd in gratiam Romani Molochi, non tantùm filios & filias, ſed Regem & patriam, per ignem ſulphureum transmittere conatus eſt in Anglia, ut ſupra dictum, lib. 1. op. cap XXXIV. & XLI. Hîc fortaſſe non immeritò quis diceret cum *Beſſarione*, R. E. Cardinali, natione Græco: *Novi hi ſancti de veteribus mihi dubium movent.* Sanè velut juxta Tannerum, Canum, Vivaldum, aliosque, Pontificis judicium in Canoniſatione Sanctorū non eſt infallibile; ita novum non eſt canoniſari, qui nō ſanctè vixerunt, ſed fuére vel latrones, vel ſicarii, vel ejusmodi nebulones alii, vel perniciosiſſimi hæretici; Hinc *Boſſarius*, referente Mortono, ſcribit: *Multos vidi, qui malè vixerant, Romæ canoniſatos.* Ac vereor, ut confidenter negari poſſit illud *Auguſtini: Multorum exuviæ coluntur in terra, quorum animæ torquentur in Gehenna.* Contin. Plat. de vit. Pont. 536. Dav. Chriſtian, Diſp. Jnaugur. de R. P. & ſanctor. Canoniſ. pag. 37. 53. 63.

Miſſa præterito anno Romam ſplendida *legatione* à Philippo 3. Hiſpanorum Rege, & hoc ipſo à Philippo 4. confirmata in eundem finem, puta, *ut Pontifex vel tandem ex officio Controverſiam*, quæ per aliquot ſecula exercuerit Eccleſiam, *de conceptione B. Virginis Mariæ, decideret*; Conſequenter tot Regnorum, Provinciarum, Civitatumque deſideria, tot Monaſteriorum ſuſpiria, tot Academiarum poſtulata ſedaret, ſcandala removeret, populum Chriſtianum inſtrueret, Orbi univerſo prodeſſet; Impetrari tamen deciſio potuit nulla. *Gregorius* duntaxat an. 1622. die 24. Maji, editâ *Bullâ* decretum anteceſſoris Pauli V. paululum ampliavit, hoc modo: „Ne quis, do-„nec articulus ille à ſede Apoſtolica definitus fuerit, etiam in ſcriptis „ac ſermonibus privatis, audeat aſſerere, quòd B. Virgo in peccato „concepta ſit; exceptis, quibus id à ſede dicta, fuerit ſpecialiter

„indultum. Ita proinde, ne novo hoc decreto illorum opinioni, qui maculatam conceptionem aſſerunt, præjudicium inferatur. Mox etiam, Julio Menſe, Dominicanis nova conſtitutione, ſub forma *Indulti* permiſit, ut inter ſe tantùm, non inter alios & cum aliis, in privatis colloquiis diſſerere, de materia quæſtionis, ex animi ſui ſententia licitè poſſint. Quâ in re, non nemo dicit, imitatus eſt Gregorius ingenium illius Meretricis, quæ dum Amaſiorum ſuorum uni arriſit ore, alterius manum apprehendit ac preſſit, utrique ut ſatisfaceret. Contin. Plat. 536. Heideg. Hiſt. Pap. pag. 336.

Ad Hiſpaniæ Regem, Philippum quartum, ſcripſit inter cætera *Pontifex:* „Ne quid novi decernatur in præſentia, monet tùm negotii „magnitudo, tùm Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtro„rum exemplum. Spiritûs Sancti enim voci auſcultare, non huma„narum rationum ponderibus rem examinare debemus, qui in Di„vinæ Sapientiæ cathedra Orbi Chriſtiano à DEO præfecti ſumus. „Quare cùm nondum æterna Sapientia Eccleſiæ ſuæ tanti myſterii „penetralia patefecerit, in DEI, Romanorumque Pontificum auto„ritate debent fideles populi conquieſcere. Vid. Hieronymus Kromajer in Hiſt. Eccleſ. 677. & Gerhard. in Confeſſ. Cathol. A. 309.

Quamvis à Pontificibus aliàs in *Album Sanctorum* relati ſint etiam, qui nunquam in rerum natura fuerunt, ſaltem in ea, qua proponuntur forma, ut patet exemplo Chriſtophori Gigantis, ſub Outide Dagno martyrio coronati; Catharinæ, neſcio cujus Coſti, Regis ſine regno, filiæ; Georgii equitis armati, & interfectoris Utopici Draconis, equitum equorumque Patroni; & aliorum Chimæricorum Cœlitum; Nec ipſi Papicolæ, v. g. Baronius, Becanus, Canus, Caſſander, Janſenius, &c. hoc diffiteantur; *Joſephus* tamen, quod mireris, Mariæ deſponſatus, cui ſecundum quoſdam Romanenſes, adhuc in cœlo Chriſtus obedit ut Patri, tot ſeculis manſit inglorius, donec ejus eſt miſertus Papa Gregorius XV. & Joſepho, qui curæ habuerat partum Virgineum in ſtatu aſſumptæ humiliationis, Martii diem decimum nonum ſolenniter celebrandum conſecravit. Diſp. David. Chriſtian. de Canoniſat. 43. Dannhauer. Gorg. Leontin. Sophiſt. in Valerian. Mediolan. pag. 194. ſeq.

Marcus Antonius de Dominis, qui anno 1616. Eccleſiam Romanam, incitatus, ut ajebat ſolo Jeſu Chriſti nomine, deſeruerat, & in Anglia, quò ſe contulerat, libros de Republica Chriſtiana conſcripſit, à Becano & Eudæmone Lojolitis deinceps oppugnatos; Hoc tem-

tempore à Gregorio Papa, olim condiſcipulo, ſpe ingentium promiſſorum illectus, *Romam diſceſſit*, Eccleſiæque Pontificiæ denuò ſe aſſociavit; brevi tamen in carcerem S. Angeli, quippe ingratâ nihilominùs accidente ejus palinodia, detruſus. Stratem. 1118. Hofman. Lex. A. 138.

Scarga, Vilnenſis Jeſuita, in tractatu de Moſcovitarum Religione & Ritibus, adeò *Moſcos*, ait, *abominari ac deteſtari Romanæ Eccleſiæ homines*, ut illos tanquam Ethnicos habeant, & ſi occidant, obſequium ſe Deo præſtare ſibi perſuadeant. Sic Scarga. Ex hoc Moſcorum in Pontificios odio evenit, ut cùm Lutheranis & Calvinianis aliquod concedant in Ruſſia Religionis exercitium, nequaquam tamen id concedere velint Pontificiis. Hinc factum, ut *Rex Galliæ Ludovicus XIII.* anno 1622. per Legatum ſuum Ludovicum de Hayes, à Magno Moſcoviæ Duce petens & negotiationis libertatem, & unici templi erectionem, repulſam tulerit. Refert etiam *Olearius*, in omnibus pactis & contractibus, Perſicæ negociationis ergò peractis, ſingulariter à Moſcis cautum eſſe, ne Holſati Pontificiæ Religionis hominem in ſocietate ferrent. Quæ *Moſcorum erga ipſum Pontificem Romanum* ſit *reverentia*, numque ei tanquam Chriſti Vicario ſuperioritatem quandam deferant, breviter addere placet è *Sacrano*, qui in Elucidario ſuo fatetur: „ Dominum Papam cum Eccleſia Romana „ haberi ab eis hæreticum, hæreſi Ariana infectum, vocari omnes „ Catholicos (jure, an injuria) Arianiſtas, & anathematiſari ipſum „ tempore Cœnæ Dominicæ cum ſuo Clero, omnemque ligandi ac „ ſolvendi plenam poteſtatem ei detrahi. Errorem Ruthenorum primum hunc facit Idem, quòd negent Rutheni, S. Petrum verum Papam, & verum Rom. Sedis Antiſtitem, & Eccleſiæ militantis caput unicum fuiſſe, nec accepiſſe dicant plenitudinem autoritatis à Chriſto; quod & de quolibet R. Pontifice Succeſſore ejus teneant, atque communem eum cum aliis Pontificibus eſſe ſtatuant. *Laſizius* quoque in Theologia ſua Moſcovitica refert: Magnum Ducem anno 1581. Legato Romani Pontificis, mandata ſedendo exponere volenti, callidè ſedem ſubtrahi, ut ponè caderet, juſſiſſe, & quod ſuus, quem Romam is miſerat, orator pedem Papæ oſculari coactus fuerit, indigniſſimè tuliſſe. Ruſſi non patiuntur etiam ſibi unionem cum P. R. vel ſuaderi, vel à quoquam ſuorum in eam deſcendi. Refert Siricius, D. & Prof. Gieſſ. in Diſquiſ. Acad. de Relig. Moſcov. pag. 17.

Idem *Galliæ Rex*, eodem ferè tempore, *Venetis, ut Lojolitas reci-*

perent in ſuas ditiones, perſuadere voluit, ſed fruſtrà; Senatus enim Status priſtinum decretum, ne in æternum illud hominum genus recipiatur, magno conſenſu repetiit, ac reſpondit: Si Rex negationis cauſas omnes haberet ſatis exploratas cognitasque, non interceſſurum fuiſſe unquam, ſed aliter planè ſenſurum; periculoſum eſſe, iſtam Societatem in Republica fovere, quæ Religionem præ ſe ferat, facto autem Regionem petat, &c. Vid. Theatr. Europ. 782.

Sublunaribus intereſſe deſiit *Franciſcus de Sales*, Epiſcopi & Principis Genevenſis titulô notus; Autor Ordinis Viſitationis; obiit Lugduni Gallorum an. 1622. poſt annos quadraginta, & quod excurrit, Sanctis Romanæ Communionis adjectus. Hofm. Lex. A. 658. confer. an. 1665.

In *Japonia* verò, ſub Comboſamma, totius Regni Monarcha, *Chriſtianorum flagrantiſſima exarſit perſecutio*, præprimis *Nangeſacqui*, ubi ſub anni 1622. exitum, & in exordio 1623. combuſti & capite multati ſunt perſonæ centum ac triginta circiter, partim viri, mulieres partim, partim pueri ac puellæ. In illorum numero erant Sacerdotes duo Papales, qui hactenùs in Belgico mercium repoſitorio captivi ſederant, poſtquam cum navi Eliſabetha in Batavorum veniſſent manus, ex Inſulis Philippinis huc delata; cum Luſitaniæ quippe Regno ad Hiſpanum devenerant Japonica quoque commercia, & quicquid juris Luſitano nomini locis in illis competierat; ideò ex Philippinis Inſulis, quas dudum poſſedit Hiſpanus, primô earum inventore Magellano, in Japoniam naves mittebantur, inque iis, præter alios, *Don Pedro de Suynego*, Hiſpanus; & *Ludovicus Pieters*, Antverpiâ oriundus. Hi, cum *Carolo Spinola*, qui diu carcere clauſus multas pertulerat moleſtias, cumque pluſculis è Luſitania & Hiſpania Sacerdotibus, nec non Japonenſibus, qui Sacerdotes illos in ſuas ædes receperant & occultaverant, ad ſupplicia rapti ſunt, atque unà homines, uti dictum, primò centum ac triginta; proxima dein vice, centum, ſexu, ætate, ſtatu & conditione diverſi. Bernh. Varen. tract. de Relig. Japon. 161. & Eraſm. Franciſc. in der Schaub. 502. pl.

Cùm *Don Pedro de Suynego*, ac *Louys Pieters*, extincti eſſent, magis tamen ſuffocati ac toſti, quàm cremati aut combuſti, nocte proximâ quidam Luſitani & Japonenſes Chriſtiani ad locum ſupplicii ſe contulerunt, multas à cadaveribus illorum particulas ſemitoſtas reſecuerunt, ſecumque abſtulerunt, aſſervaturi has juxta Eccleſiæ R. morem pro ſacris martyrum reliquiis, ita ut altero die parum

rum

rum de cadaveribus ſupereſſet. Bilem hoc movit Rectoribus urbis Nangaſaque, & vehementer excanduerunt; Itaque cùm brevi pòſt *Spinola, & Belga quidam* Bruxellæ natus, cum ſociis ſuis igni adjudicati eſſent, mandârunt iidem, ut in factam foveam lignorum ſufficiens copia injiceretur, hisque ſuffocatorum corpora imponerentur, corporibus autem alia ligna deſuper, ſicque lignis incenſis omnia in cineres redigerentur, qui cineres deinde, ex juſſu Magiſtratûs, in mare procul à terra transvecti diſpergebantur, ne ulla illorum memoria, ad ſuperſtitionem relinqueretur. Antehàc nonnullis Nangaſacqui capita fuerant amputata, & hæc cum truncis ad quinque Japonenſia milliaria à terra in pelagus abducta, & in mare projecta; nihilominus credidére ſuperſtites Chriſtiani, ac pro certo duxére, quòd illa capita in terram rurſus ejecta ſint; eapropter valdè etiam, reverenter habita fuerunt, & tanquam ſacræ reliquiæ in alia loca peregrè transmiſſa. Vid. citat. loc. iidem autores.

Inter Jeſuitas eminebat *Spinola*, ex illuſtri celeberrimaque inter Genuates familia, vivicomburium, ut fertur, admiranda patientiâ & conſtantiâ paſſus; reliqui ex Clero Pontificio viginti ac duo, capite truncati ſunt, cumque illis puerulus quatuor annorum, qui matris hortatu, ſimul necatæ, intrepidus collum porrexit. Ante memoratus *Belga Bruxellenſis*, adductus in circum vinculis ad palum ligari non ferebat, ſed in genua procumbens, unum palum amplectebatur ambabus ulnis, facie in terram proſtrata, & in hoc ſitu manens, extinctus eſt. *Quinque alii* ad vicinos palos revincti, flante ita vento, ut ignem ſeu flammam in averſam ab illis plagam impelleret (inde fiebat, ut lentam ab eo noxam paterentur) conabantur ſuperiori corporis parte ventulum facere, quô alter alterum refrigeraret, ſimulque ſe invicem conſolabantur, donec ſuffocarentur. *Duo alii*, ad quos ventus flammam vehementer deferebat, ita, ut funes, quibus alligati erant palo, rumperentur, per medium ignem ſe proripuerunt, ambuſti, ſpondentes, fidem ſe deſerturos, modò vita ipſis concederetur; verùm ab apparitoribus, quibus executio demandata erat, denuò fuſtibus & haſtis in ignem contrudebantur, dicentibus: quòd non ex animo & verè fidem ſe deſerturos profiterentur, ſed ideò tantùm, quòd violentiam ignis ferre nequeant: Tempus gratiæ jam præteriiſſe, maturiùs eis capeſſendum hoc fuiſſe conſilium. Varen. de Rel. Jap. 164. confer. Act. Erud. Lipſ. an. 1690. pag. 241.

LIB. III. CAP. XVII.

Summaria.

Nova Waldenſium perſecutio.

Excluſio Jeſuitarum ex fœderato Belgio.

Gallicana pax Regio-Hugonotica, ejusque conditiones.

Anna Barnesloa, ex Anglia, tunc à Moſcis rebaptiſata, maximè invita.

Davidis Parei Doctoris Calviniani obitus: quomodo is Calvinianus evaſerit?

Fato quoque functus hoc anno Petrus de Spina, cum Johanne non permutandus.

INcidit & nova *perſecutio Waldenſium*, à Romanenſibus diſſentientium, ſub *Carolo Emanuele primo*, Sabaudiæ Duce. Tunc enim non modò ex Marchionatu Salutiano cedere iſtud hominum genus oportuit, quò ſuperioribus annis, quùm Henrici IV. Galliarum Regis dominio ſubjaceret regio, conceſſerant magno numero; ſed in aliis quoque locis infeſtabantur plurimùm. Inſtinctu quippe Clericorum Papalium, anno 1622. nominatus Dux, per Veadorem Taffinum, tribus militum millibus ſtipatum, omnia Vallenſium Reformatorum templa deſtrui, & quoslibet Romana ſacra detrectantes expelli juſſit; id quod inprimis exſequutioni datum in Valle Suſa & Barcellonette; reliqui habitatores militibus aditum prohibuerant, ut rebus infectis recederent. Brevi, Dux bello cum extraneis denuò implicabatur; unde factum, ut à ſubditorum expulſione deſiſteret. Heideg. Hiſt. Pap. 414. & præcipuè pecul. Tract. J. G. D. T. de Ducat. Sab. & Piemont. lib. 3. 293.

Viciſſim ſub idem ferè tempus, *fratres* ita dictæ *Societatis JESU, & alii Romanæ religionis Ordines, ex unitis Belgii Provinciis excluſi ſunt*, ac parentes, qui filios ſuos ſub Lojolitarum diſciplina haberent, eos revocare domum iteratò juſſi. Calviſ. Chron. 989.

Decimo hujus anni menſe, poſt varios *in Galliæ Regno* excitatos motus inteſtinos, plurimasque Hugonotarum urbes à Rege interceptas, partim etiam incendio deletas, *pax* tandem in caſtris ad Montis Peſſulum conſtituta, *his conditionibus: Ut omnium primò Edicti Nannetici fides ſalva ſit & integra omni ex parte; dein valeant poſthàc ſequentes articuli:* „ Reſtaurandum Religionis Romanæ exercitium, quale „ fuit ab antiquo. Decimæ, & quicunque obventus Eccleſiæ, re„ ſtituendi legitimis (i. e. Romanæ confeſſioni addictis) poſſeſſori„ bus,

„bus, non obſtantibus uſurpationibus, & longo in contrarium uſu.
„Religionis, quam Reformatam appellitant, liber uſus in omni loco, ubi antè fuerat, eſto; Judiciale etiam forum, Rationalium, Vectigalium, Edictique Cameræ, ſunto Sectariis, quales ante bellum „& ubi fuerant, exceptâ Neracenſi Camera, quam juſtis de cauſis „aliò transferri placuit. Munimenta in ſectariis urbibus recens „constructa diruantur, neque aliud maneat præter muros, portas „ac turres. Poſthàc nemini Sectariorum in municipio ſuo, quôcunque tandem prætextu, muros aut munimenta conſtruere liceat. „Quia conventuum indictio ſæpè exitialis fuit ipſismet, qui indixerant; ideò inhiberi placet quoscunque tandem conventus, exceptis iis, qui corrigendis moribus, aut pro Eccleſiarum diſciplina, „haberi ſolent, qualia ſunt Colloquia, aut Conſiſtoria. Geſta perperam, ab ineunte Januario anni 1621. usque in diem hujus Pacificationis, condonata maneant, exceptis criminibus execrabilibus, quæ Edicti Nannetici articulo octogeſimo ſeptimo continentur. Briſono, & Privatienſibus concedendum ſingulare diploma, „noxæ omnis liberatorium. Rationales, qui vi, & juſtè ærarii Regii pecuniam in provinciis hoſti ſe numeraſſe probaverint, plenam „liberationem conſequantur, juxta Edicti Nannetici articulum ſeptuageſimum octavum & nonum. Irritæ erunt quæcunque ſententiæ in ſectarios rebelles latæ; nec non & Parlamentorum placita, juxta ejusdem Edicti articulos 58. 59. ac 60. Valitura qualiacunque militaria judicia, ſeu civilia, ſeu pœnalia fuerint, ab exordio ſeditionis, in hanc diem compoſitionis. Liberandi utrinque „captivi ſine pretio, eruntque in irritum quæcunque obligatoria inſtrumenta, liberationi obtinendæ contracta, niſi ſolutione extincta obligatio probetur. Schedulas privatas & publica inſtrumenta, „quibus bonorum poſſeſſio per officia gradûs ex proſcriptione „adempta, redhiberi placet; nihil obſtantibus factis fiſco addictionibus, donisque quibuslibet in privatos ex largitione Regia collatis. Mandatum denique à Rege viris, in Parlamenta & Cameras Edicti delegatis, ut procurent ſedulò redigi hæc in acta ſua, palàmque legi, &c. Octobr. 20. an. 1622. vide Gramond. hiſtor. Gall. lib. 12. 572. pl.

Ne omittamus hiſtoriam Petri Remontii, & uxoris Barneslojæ, in puncto Rebaptiſationis apud Moſcovitas, quæ ſic ſe habet: Baro quidam Gallicanus, qui ſeſe nominabat *Pierre de Remont*, venit eo tem-

tempore in Moſcoviam, & conjugaliter ſibi ſociavit *Annam, Johannis Barnesloji*, Nobilis Angli, *filiam* quindecim annorum. *Remontius* ille (neſcio an hactenus Pontificiæ, an Hugonoticæ religionis) ſpe magnorum honorum & bonorum, ad Moſcoviticam communionem animum applicuit, ac in ſignum hujus, *Rebaptiſationem à Ruſſis admiſit*; mox auſus *uxorem* juvenculam urgere, mariti ut ſequeretur exemplum. Ea cùm recuſaret, addita declaratione, citiùs morituram ſe, quàm deſerturam aut mutaturam religionem hactenus approbatam à conſcientia ſua; vi tùm adigi cœpit, patre fruſtrà intercedente. Ad rivum deducta Barnesloja, de novo ut baptiſaretur, omnibus queis potuit modis, reſtitit; juſſa religionem patriam ejurare ac reſpuere, ſputum in facies conjecit ita loquentium devotarum virginum, Nonnas vocant, quæ denudatam pro more immergere debebant; Aquis intincta jam & aſperſa, clamavit: *quamvis corpori hanc violentiam infertis, animum tamen cogere, ut aſſentiat operi, non poteſtis.* Elapſo tempore non diuturno, Remontius moritur in urbe Moſcovia; ideò repetere priora fidei ſacra geſtit vidua; ſed prohibetur, ac duobus, quos interim pepererat, filiolis privata, inter Moſchos educandis, ipſa in Monialium detruditur clauſtrum, ibi latitans usque ad obitum Patriarchæ *Nikidi*, quo ſublato demum, cœnobio ut exire liceret, præviis interceſſionibus quàm plurimis, obtinuit. Refert Olearius in deſcript. Legat. Holſat. in Moſcov. & Perſ. lib. 3. p. m. 189. Zeil. Epiſt. tom. 2. 828.

Mortalia explevit ſeptuagenario major, *David Pareus*, Franco-ſtenii Sileſiorum natus an. 1548. Theologus Heidelbergenſis celeberrimus, Commentariis in Scripturæ S. libros, diſputationibus adverſus Robertum Bellarminum, Irenicô præſertim, & expolitione corporis doctrinæ à Zacharia Urſino collecti, aliisque ſcriptis probè notus. Obiit Heidelbergæ, ubi 38. annos docuit, anno Salutis Humanæ 1622. ætat. 74. „ Poſtquam triennio antè per quietem vidiſſet totam urbem undiquaque fumigantem, arcemque ſæviſſimis „ flammis conflagrantem, atque hoc viſo exclamaſſet: O Deus clementiſſime, averte ſiniſtrum omen, ac ſerva Sareptam tuam! ita Hofm. in Lex. univerſ. B. 99.

Prognatus equidem Pareus Lutheranis Parentibus, invariatæ Confeſſioni Auguſtanæ addictis; *opinione* autem *Sacramentariorum* de Evchariſtia, & erroribus exin dependentibus, in Schola Hirſchbergenſi fuit imbutus atque *corruptus à Præceptore crypto-Calviniano*,

M. Chri-

M. Chriſtophoro Schillingio. Id verò qua ratione factum, legere eſt in hiſtorica narratione de vita obituque Davidis Parei, Part. 1. operum Theologicorum exeget. ejus præfixa, lit. A. 3.

Omnis quoque carnis viam tunc ivit *Petrus de Spina*, Electoris Palatini Archiater; Adeòque alius ab autore libelli de DEI providentia, egregii, ad fidelium conſcientias aſperis temporibus confirmandas & tranquillandas, editi. Hunc enim, vergente ſuperiori ſeculo adornavit *Johannes de Spina*, eumque dedicavit Galliæ ac Navarræ Regi Henrico quarto, tertia vice anno 1600. typis publicatum. Ex Calviſio, & ipſo Sp. tractatu.

LIB. III. CAP. XVIII.

Summaria.

Weigelianorum ſecta invaleſcit.
Mennoniſtarum Confeſſio prodit in lucem, ut & Martyrologium
Sectæ Mennoniano-Anabaptiſticæ errores.
Somnia Hieronymi Vechieri de excidio Romæ, & Belgæ anonymi de Frider. Palat. eam deſtructuro
Andreæ Hobernfeldii Hieroſolyma reſtituta.
Foreri ſymbolum Lutheranis affictum.
Melchior Nicolai de eo ex Prudentio.

OPpidò tùm temporis invaluit *Wigelianorum ſecta*, licet abſurdiſſima. Utrumque *D. Theodorus Thummius* Theologus Tubingenſis, expreſſit ſequentibus verbis: „ Quanquam ſectæ hujus ea eſt „ vanitas, abſurditas ac impietas, ut ſi vel mica judicii ac pietatis „ alicui ſit reliqua, protinùs eam averſetur ac deteſtetur; quia tamen „ quodam purpuriſſo & ceruſſa fucata, ficta pictaque, idcircò non „ paucis, ſimplicioribus præſertim & incautioribus, inſidiatur ac im„ ponit: Imò, quod multorum magni nominis virorum nunciis & „ literis affirmatur, veluti contagium & gangræna quædam, inſignes „ aliquot Germaniæ provincias, atque celebriores urbes, ita jam, „ proh dolor! invaſit ac infecit, ut prurientibus multorum auribus & „ animis quibus nimirum doctrinæ divinitùs reſtauratæ puritas at„ que ſimplicitas amareſcit & ſordeſcit, applauſum etiam ac patro„ cinium paſſim obtineat, & periculum ſit, niſi gliſcenti ac invale„ ſcenti malo maturè providèque conſilium & remedium adhibeatur, „ fore, ut plures cùm homines, tùm civitates ac regiones, hiſce „ præſtigiis faſcinati, dementertur & involvantur. Hæc Thumius

in epiſt. dedic. tractatui præmiſſa, quem fanaticorum illorum paradoxis ac ſophiſmatis, Titulo: *Impietas Wigeliana*, oppoſuit, ubi vid. pl. & conf. an. 1601. 1612. cap. l. 1. XI. & lib. 2. IV.

Menniſtæ autem, vel *Mennoniſtæ* in fœderato Belgio ſuos quoque errores varios diſſeminarunt, editis in eum finem *Confeſſione* peculiari, & *Martyrologio*, Hornæ impreſſis. Nomen tulerunt à *Mennone Simonis*, Anabaptiſta celebri prioris ſeculi, qui natus in Friſiæ pago N. prope Harlingam, è tenebris quidem Papatûs fuit eluctatus, at Anabaptiſticis commentis & portentis faſcinatus, circa ortum Humanæ Chriſti naturæ, pædobaptiſmum, Magiſtratûs officium, & alia id genus dogmata, non tantùm varias hæreſes arripuit, ſed inſuper voce, colloquiis, atque ſcriptis easdem propugnavit & propagavit. Hic Menno Simonis, ex Monaſterienſibus etiam prodiit; ab eo deinceps, qui diem ſuum inter Lubecam & Hamburgum obiit anno 1559. vel ut alii volunt an. 1561. Sexagenario major, Anabaptiſtæ plerique in Belgio Menniſtæ, vel Mennoniſtæ hactenus appellati ſunt, & appellantur etiamnum. Scripturam S. floccipendunt, ab eaque ad Enthuſiaſmos deflectunt, ad viſiones, & revelationes Divinas immediatas. In DEO trina ſolùm nomina dari fingunt, perſonas totidem non agnoſcunt. Chriſti tum humanitatem, tum Deitatem, tùm officium ac meritum impugnant. Peccatum originis, ab Adamo in poſteros derivatum per carnalem generationem, negant. Regenerationem hominum in hac vita perfectam ſomniant. Juſtificationem & ſalutem hypocriticis operibus adſcribunt. Pædobaptiſmum exſibilant; Sacramentorum virtutem in univerſum, officium Eccleſiæ Miniſtrorum, magiſtratûs dignitatem elevant; polygamiam & promiſcuas libidines approbant. Animas filiorum DEI, à corporibus in morte ſeparatas, ante extremum judicii diem non ſuſcipi in cœlum, ſed eòusque dormientium inſtar eſſe: Carnem & ſanguinem, ut hîc habent homines, etiam quoad eſſentiam, regnum DEI non poſſe ingredi: Chriſtum ante noviſſimum diem erecturum in his terris corporale regnum in quo dominaturi ſint ſancti, Regibus ac Principibus oppreſſis: Diabolum & impios tandem in gratiam redituros & ſalvandos eſſe, nugantur. Conferantur Hartnak. in contin. Micræl. H. E. de Mennoniſtis, & Hieron. Krom. Scrut. Relig. de Catabapt. pl. 111. 114.

Veluti

Veluti *Hieronymus Vechierus* ab an. 1621. præciſè intra centum & viginti ſex annos deſtruendam cenſuit Romam: Sic alius quidam *Tubæ*, quam vocat, *Belli ſacri buccinator Belga*, anno 1622. Fridericum Palatinum, licet exulem, Babylonis myſticæ expugnatorem ſalutavit his verbis: Erit procul dubio Sereniſſimus Boëmiæ Rex F. R. qui è Germania progrediens, ac Divinæ vocationis inſtinctu excitatus, multisque Regnorum titulis & nomine auctus, terribilem hanc Italiæ expeditionem demandaturus eſt. Theophil. Spizel. in exam. Vaticin. de excid. Rom. pag. 3.

Ex fanaticorum quoque ſchola t. t. prodiiſſe putandum eſt, quod editum Hagæ Comitis, ab *Andrea Hobernfeld*, *Hieroſolyma ſc. reſtituta*, uti Scriptum vocat, ſive *ſeculum Spiritus S. igneum*, ſub præſentis magnæ illius tribulationis quaternarii finē, magno lumine ſūm accepturum initium; quo etiā minæ interitûs Romanæ Beſtiæ & Mahumetiſmi ad annum 1624. è Scriptura S. recenſentur ac deducuntur. Ubi ſtatim in præfatione ad Ordines Belgii Generales Hobernfeldius ille prodidit Spiritum ſuum Weigelianum, diſtinctione Luminis mentalis, rationalis & ſenſualis. At alibi de hiſce plura dicendi dabitur occaſio. vid. Hornbek. Sum. Contr. lib. 6. de Enthuſiaſt. pag. 530.

Cætera non poſſumus, certè non debemus, inerti ſilentio præterire, *Symbolum* illud Satanico-Lojolicum, quod *Laurentius Forerus*, Jeſuita Dillingenſis, hoc anno luci publicæ expoſuit, & *Lutheranis affinxit*, ac ſi hæc eſſet Confeſſionis illorum teſſera: „Credo fide „mortua ac tantùm hiſtorica, in DEUM fatuum, iniquum, mendacem, corporeum, & omnium ſcelerum autorem; patrem habentem duas Deitates, nec omnipotentem, nec Creatorem cœli ac „terræ. Et in JEſum Chriſtum filium ejus Patre minorem; nec „unicum Dominum noſtrum. Qui conceptus eſt Ubiquiſticè de „Spiritu ſancto, & natus non magis ex Maria Virgine, quàm ex „Herode. Paſſus ſub Pontio Pilato etiam ſecundum Divinam naturam; Crucifixus non ſine blaſphemiæ ac DEUM maledicendi „periculo; mortuus etiam quoad Divinitatem; & ſepultus; Deſcendit ad Inferos, ubi dolores damnatorum ſenſit & guſtavit. Sicut aſcendit ad cœlos, in quibus per ubiquitatem jam antè fuit; „ita ſedet ad dexteram DEI Patris Omnipotentis. Inde venturus „eſt, iniquiſſimè judicare vivos ac mortuos de obſervatione impoſſibilium mandatorum. Credo in Spiritum Sanctum deſidem & inertem, ſui officii per multa ſecula deſertorem, & fautorem pſeu-

„ doprophetarum, pſeudoque Apoſtolorum. Sanctam Eccleſiam „ tantum imputativè, minimèque Catholicam; ſanctorum Com„ munionem mutilam, remiſſionem peccatorum imaginariam vel „ nullam; carnis reſurrectionem miſeram, & ſomnum in Scheolah „ ante vitam æternam, Amen! Forer. tractat. pag. ult. & Operæ Pret. Nicol. dedicat. 4. 5.

Venit mihi in mentem, cùm iſta legerem, ſcribit *Melchior Nicolai, Theologus Wirtembergicus*, *Prudentii* non imprudens zelus, ad Marcionitarum blasphemias obſtupeſcentis, ac dicentis:

Damna aures, Pater alme, meas, & claude meatus
Obbruteſcentis capitis, ne pervia tales
Concipiat flexura ſonos. Eſt perdere tanti
Extinctum vitæ officium de parte cerebri,
Immunem modò ſeſe anima, expertemque nefandi
Auditûs, felix ſtolidâ conſervet ab aure.
Quis ferat hæc injecta DEO convitia? qui ſe
Divinis meminit præcellere nobilitatum
Muneribus? Ex dedicat. Symb. vind. 2.

Calumniarum & mendaciorum impudentiſſimi Monachi, brevem ac ſummariam confutationem, germanice conceptam dictus Theologus Tubingenſis exhibuit in tractatu, ſpeculo Brandenburgico principis Chriſtiani Wilhelmi oppoſito, pag. 622. & ſequent. prolixiorem verò & exactam in *ſymbolo vindicato*, cujus mentionem DEO volente faciemus an. 1624.

LIB. III. CAP. XIX.

Summaria.

Saxonici Electoris literæ ad Wirtembergiæ Ducem, controverſiam Theologorum Gieſſenſium & Wirtemb. concernentes.

Libellus de Vita & Morte Ignatii Lojolæ recuſus; quàm ſit ille fabuloſus?

Joh. Bapt. Lauri Tractatus de annulo B. Virginis pronubo, materiâ litis inter Cluſinos & Peruſinos acerrimæ, typis exſcriptus.

Parei in Epiſtolam ad Romanos commentarii, combuſtio Oxoniæ facta.

Philippi Parei, filii proteſtatio.

Valetudinarium Poëticum à Jeſuitis Ingolſtadienſibus extructum,

An-

ANno 1622. Sept. 27. *Elector Saxoniæ Johannes Georgius I. ad Principem Wirtembergicum Joh. Fridericum* literas miſit, in quibus petiit, ut, cùm ex *controverſia Theologorum Tubingenſium & Gieſſenſium* apud infirmos ſcandala, apud publicos verò hoſtes veritatis tripudia oriantur, aut propediem ipſi, autoritate publica & Principali, illam inter ſe componerent, aut in ſuæ Serenitatis Theologorum deciſionem compromitterent. Verùm, quia eo tempore Gieſſenſes declarationem ſuam, vi Receſsûs Stutgardiani, de quo præcedente anno dictum eſt expectatam, nondum transmiſerant, reſponſio ad Septemvirum ſufflaminata. vid. act. Menzerian. Tub. edit. præfat. ad lect. e iij.

Iterata editione, cura Lojolicæ ſodalitatis, Auguſtæ Vindelicorum prodiit in publicum, *libellus* elegantiſſimis figuris exornatus, *de vita & morte ſancti patris Ignatii, fundatoris almæ ſocietatis*. Libellus fabulis & narratiunculis commentitiis pleniſſimus, utpote dum perhibetur: Ignatium aliquando Pampellonæ Miſſam in templo fratrum Dominicanorum frequentantem, Chriſtum JEſum, ſub conſecrata hoſtia, corporalibus oculis vidiſſe. Cùm Venetiis in foro S. Marci pernoctare voluerit Ignatius, humi jacens; M. A. Treviſanum, ſenatorii Ordinis virum, ea nocte ſomno excitatum his verbis: Tu quidem benè recubas in molli lecto, Meus autem ſervus in area publica, humi ſtratus! abiiſſe proin mox Treviſanum, ut quæreret ſanctum DEI ſervum, eumque inventum continuò, & humaniter exceptum, domi liberaliſſimè tractaſſe. Alio tempore, Ignatio non procul Româ, in collapſo quodam templo DEUM Patrem apparuiſſe, & illum vocâſſe ad Miniſterium Filii ſui Crucifixi; dein & Salvatorem, ejus viſui ſe objeciſſe, dicentem blandiſſimis verbis: Inter Meos perpetim numeraberis, & Ego tibi Romæ propitius ero! hinc mirificè confirmatum in ſuo propoſito Ignatium, ut ſocietati, quam tunc inſtituere geſtierat, nomen à JEſu mutuaretur. Ignatio conſcribenti regulas novi Ordinis, S.S. Trinitatem, & Mariam Virginem deiparam, viſibiliter adſtitiſſe, poſitasque leges largiter approbâſſe. Denique, cum Ignatius Romæ mortuus eſſet, nobilem quandam fœminam Bononiæ vidiſſe illius animam, clariſſima luce ſplendentem in cœlum deduci, &c. Vide Johannis Jacobi Bekii Lutheraniſmum ante Lutherum, pag. 303 ſeqq.

Tractatu etiam ſingulari beavit orbem Pontificium *Johannes Baptiſta Laurus* Romæ typis vulgatô, *de annulo B. Virginis pronubo*,

propter quem inter *Peruſinos* & *Senenſes* diuturna extitit controverſia, quam *Sixtus quartus* Pontifex Romanus dirimere conatus fuit. Supponit Laurus, Joſephum deſponſaſſe ſibi B. Virginem dato annullo pronubo, & quaſi res eſſet extra controverſiam, aut apud omnes in confeſſo, narrat, quomodo in manus Peruſinorum venerit, eisque ſententiâ Pontificis adjudicatus. Cluſii nempe primò, ſi ipſum audimus, ut ſacrum Lipſanon, aſſervatus iſte annulus; furtiva verò manu dein ſubreptus, à Monacho quodam Peruſinis dono datus eſt. A Cluſinis re delata ad Epiſcopum Senenſem, hic Cimelion repetere, ſuæque annulum ſponſæ, admotis precum pariter ac minarum machinis, vindicare conabatur, ſed nullo ſucceſſu; hinc parum aberat, quin ad arma inter Senenſes (Cluſinorum Patronos) & inter Peruſinos veniretur, præſertim poſt Sixti IV. mortem; ſed cùm & ſucceſſor ejus Innocentius VIII. denuò Peruſinis (jure, an injuria) ſolenniter adjudicaſſet Lipſanon, pars altera tandem, ne in Pontificis indignationem prolaberetur, patienter quieſcebat. vid. hiſt. Eccleſ. Hotting. part. IV. ſecul. XV. pag. 129. usque 142.

Superioribus annis *Commentarii Davidis Parei in Epiſtolam Pauli ad Romanos* prodierant, ubi *capite decimo tertio* hæ propoſitiones defendebantur: „ Subditi non privati, ſed in Magiſtratu inferiore con„ ſtituti, adverſus ſupremum Magiſtratum ſe, & rempublicam Ec„ cleſiamque, ſeu veram religionem, etiam armis defendere, jure „ poſſunt, poſitis conditionibus, &c. deinde: Subditis etiam merè „ privatis, ſi tyrannus tanquam latro & graſſator, aut ſtuprator, in „ ipſos faciat impetum, & ipſi nec poteſtatem ordinariam implora„ re, nec aliâ ratione periculum effugere poſſint, in præſenti pericu„ lo ſe, & ſuos contra tyrannum, ſicut contra privatum graſſatorem, „ defendere licet. Propterea, cùm liber ſeu commentarius iſte in conſpectum *Angliæ Regis Jacobi* veniſſet, ejusdem juſſu, *Oxoniæ manu carnificis*, menſe Jul. anno 1612. *publicè combuſtus eſt*, propoſitionibus illis à tota Univerſitate priùs damnatis. Johannes Meiſner. in Vindicat. art. V. Aug. Conf. per diſp. pag. 13. & Hülſem. in Tract. poſthum. vind. S. Script. 178. Equidem *Philippus Pareus*, Davidis filius, exculpare parentem annisus eſt, proteſtatione tali: „ Teſtor ego „ ſanctiſſimos manes paternos, ſumma ab adverſariis injuriâ affici, „ ne quid gravius dicam, innocentiſſimam patris mei doctrinam! „ quippe ne quidem per ſomnium ei in mentem venire potuit, quod

„ ſe-

„ ſevera adverſariorum virgula illi intentavit. Ac duobus quidem „ Anonymis Pontificiis vernaculo ſtylo ita ipſemet vivus os obtu- „ ravit, ut contrà hiſcere ampliùs non ſint auſi; ſatisfacturus quo- „ que Davidis Ovveni cenſuræ, niſi ſupremo Numini fuiſſet bene- „ placitum, eum ex hac militante concertantium palæſtra, antè in „ cœleſtem triumphantium ſanctorum baſilicam transferre, quàm „ novus ille antagoniſta ei innoteſceret; quô nomine DEUM lau- „ do, &c. An verò hæc erudito & ſapienti lectori ſufficiant, no- ſtrum non eſt inquirere. Ex oper. Theolog. Exeget. Parean. parte ſec. in fol. pag. 306. ſeq. 308. 314. confer Velthemii Inſtitutiones Metaphyſicas part. 1. cap. 7. 500. ſeq.

Exſtructum etiam iſthoc tempore legimus, famoſum illud *Valetudinarium Poëticum*, ſuper gratulationibus Doctori *Reibingo*, cùm poſt ſuum à Pontificiis diſceſſum, Tubingæ nuptias celebraret, oblatis; Libellum, puta merè ſcopticum, in deſpectum & ludibrium almæ Univerſitatis Tubingenſis Profeſſorũ, *Ingolſtadii à Jeſuitis publicatum*. D. Tobias *Wagnerus* alicubi fœdum illi titulum tribuit: Sciendum, „ inquiens, has cacatas Valetudinarii chartas eſſe libellum famoſum, „ præſertim quia Autor nomen ſuum non profitetur, adeòque vi legis „ non calamô ſed gladiô plectendum; quantocunque vel tandem ap- „ plauſu eas Jeſuitæ approbent, dum tempore bacchanaliorum, locô „ lectionis ſacræ inter prandia & cœnas in Collegia ſua publicè præ- „ legendas introduxerunt; ſcilicet ut hoc ſcoptico acroamate ad in- „ ſtantem paſſionis Dominicæ meditationem corda ſua præpararent: „ Atque ne poſteris deeſſent exemplaria, elapſis octodecim annis li- „ bellum iidem ſodales denuò Monachii curarunt imprimi, nonnul- „ lis additis. Ex vita Melchioris Nicolai Tubingæ ſollenniter perorata, pag. 26. 28.

LIB. III. CAP. XX.

Summaria.

Sancita pax inter Ferdinand. II. & Bethlemium Gaborem.

Mansfeldius in cauſam Palatini juvandam valdè intentus.

Tillius in præliis prope Wimpinam, & ad Höchſtem, Victor.

Prælio Floreacenſi, obſidio Bergæ ad Somam ſoluta.

Expugnatio Heidelbergæ; Manhemii deditio.

Oſmannus Turcarum Sultan, dum internecionem Janitſarorum meditabatur, turpiter interemptus.

Ormus, à Perſis erepta Luſitanis.

Fœmellæ ex Belgio in novam Bataviam deportatæ: Ferdinandi II. nuptiæ ſecundæ.

Ulricus Pomeranus; Magnus Wirtembergicus; Erneſtus Schaumburgicus, è mortali vita ſublati.

INter *Ferdinandum II.* Auſtriacum & *Bethlemium Gaborem pax* conſtituitur, in has fundata conditiones: ut Bethlemius ſub titulo Principis Imperii, retentâ Caſſoviâ, & ſeptem in Hungaria, nonnullisque in Sileſia ditionibus, Corona, & Regni Ungarici reliquis urbibus ac provinciis cederet, ſtatus verò religionis & Societas Lojolæ, reſtitueretur in eum locum, quo ante bellum fuiſſent. Contin. Sleid. 4. Mon. per Tſchimm. lib. 3, 330, ac Turſell. app. hiſt. 2. 11. Epit. rerum Germ. Papp. 25.

Mansfeldius, licet à Cæſare tertiùm proſcriptus, *Palatini cauſam proſequitur* pro viribus, eò magis, quòd is ipſe Hollandiâ in ſuas ditiones Rhenanas, diſſimulato habitu rediiſſet: Ex Alſatia, ubi Hagonoam occuparat, & Leopoldum Archiducem hanc recuperare geſtientem, clade mulctarat, in agrum Spirenſem revertitur, concepta ſpe, nonnulla in Electoratu loca recuperandi; ſed plura Tillius intercipit, datis & acceptis utrinque damnis. Epit. R.G. Cluver. 789.

Georgius Fridericus, Marchio Badenſis, raptim conſcripto non contemnendi roboris exercitu, contra Tillium movet, cum dicto Mansfeldio, eum Palatinatu iterum ejecturus. Hic, poſt modicam cladem acceptam, paulisper *Wimpinam* verſus cedit, uſque dum firmatus à Corduba Hiſpanicis copiis Badenſem, Mansfeldicis imprudenter exutum cohortibus, ad prælium trahit, pellectumque in inſidias, fundit, fugatque, nec non omni ejus inſtrumento bellico, pecuniaque potitur, & eam in militum prædam vertit. Hoc modo, dum G. F. Marchio res Unionis collapſas rurſus erigere intendit, memorabili clade ſua hoſtium vires auget. Calviſ. 989. Epit. R.G. 27.

Chriſtianus intereà *Brunovicenſis*, è ſubactis & exhauſtis Epiſcopatibus Paderbornæ ac Monaſterii, ad majoris ſpei momentum in Palatinatum contendens, in Victorem Tillium incurrit, prope Huechſtom ad Mœni ripas, malè exceptus, & in fugam actus, meliori militum parte aut in acie cæſa, aut flumine abſorpta; reliquias tamen cum Mansfeldio conjungit. Igitur *Palatinus* duplici clade,

clade, Marchionis nempe ac Ducis, perculſus; conſilia belli ſeponit, & Mansfeldium ac Brunovicenſem prope Tabernas Alſatiæ dimittit; hinc Sedanum, & poſteà in Hollandiam ignotus redit. Spener. Geneal. 78. Burgoldenſ. Notit. rer. Imp. A. 79. 81.

Mansfeldius dein *ac Brunovicenſis* ex Alſatia in vicinam Lotharingiam progreſſi, tandemque à fœderatis Belgis acciti, magnis itineribus Brabantiam petivére. Hos dum *Gonſalvus Corduba* apud *Floreacum*, prope Namurcum eſſet aſſecutus, commiſſum eſt ibi *prælium* Auguſto menſe. Pugnatum utrinque acriter, & ferè æquo Marte diſceſſum, cognitoque adventu Brunſvicenſium & Mansfeldenſium, *ſoluta* eſt *obſidio Bergæ ad Somam fluvium*, quam Spinola exercitûs magna parte premebat; atque ita hac pugna intereſſe Belgarum fœderatorum egregiè promotum. In ea verò *Dux Chriſtianus brachio graviter vulneratus*, eoque, grangræna accedente, privatus à chirurgis. Stratem. Theatr. hiſt. 118. Burgold. cit. lib. 81.

Liberata Bergâ ad Somam, quam capto Juliaco Spinola petierat, *Mansfeldius in Friſiam Orientalem*, tanquam alter Annibal velut in Campaniam quandam, capiendis hybernis & ſimul infirmo exercitui reficiendo, diſceſſit, fertilemque hanc regionem, quam indictâ causâ invaſerat, miſerè depopulatus eſt. Is primus, ut fertur, exemplum prodidit, provincialium opibus militem ſuſtentandi, quod poſteà in juſti propè moris imitationem acceptum. Calviſ. 990. Epitom. R. G. 30. pag.

Tillius autem, Palatinatum hoſte vacuum nactus, eum quaſi per otium ſubigit. *Heidelbergam*, ſedem Electorum, & Palatinatûs inferioris caput, immani barbarie *expugnat*, Nerviô cum Legione Anglicana, eam fruſtrà fortiter defendente. Secuta dein *Mannhemii deditio*, fortalitii ad confluentes Rheni & Nicri, quod Horatius Verus, ſubſidiis deſperans, æquis conditionibus Tillio ceſſit. Theatr. Europ. 738. Cluv. 799.

Interim *Conſtantinopoli rerum Turcicarum ingens mutatio* exorta eſt. *Oſmannus* eorum Sultanus, re contra Polonos malè geſta, inglorius, præcipuam ejus rei cauſam ignaviæ Janizarorum adſcribebat; quare infenſus illi militiæ, Janizaros interficere, in eorumque locum novos ex Arabibus ſcribere conſtituit. Ob id multi eorum quotidie, ſub ſpecie, quòd vini potu leges Machometis violâſſent, necati ſunt. Conſilio tandem Dilaverii, principis Baſſarum ac ſummi Veſieri, ſimulat indicitque profectionem in Arabiam ad

 ſepul-

ſepulchrum Machometis, reverà ſedem Imperii Damaſcum in Syriam translaturus. Tum Janizari, Spachiique (honoratiſſima apud Turcas militia) ſubodorati, quod res erat, primùm averſati profectionem, dein, ubi ſe fruſtrà eſſe intelligunt, clamant, prodi rempublicam Chriſtianis, ſe ad cædem duci; facto itaque impetu in palatium irrumpunt, intimos quosque Imperatoris crudeliter trucidant, *Muſtapham* patruum Oſmanni ex carceribus extractum, & ſe ad cædem duci arbitrantem, ſubitò Sultanum conſalutant; demum etiam Oſmannum ipſum, novi Imperatoris juſſu, quaſi nefarium latronem, carnificis manu interficiunt ſtrangulando, nulla ætatis commiſeratione habita, nam annorum duntaxat octodecim erat, ſeductumque ſe pravis conſiliis querebatur: Cadaver ejus Imperatorio quidem ſepulchro, ſed ſine ullo honore illatum eſt; Id quod multi *ſignum inclinantis Ottomannici Imperii* notaverunt, violatâ tàm petulanter ſummi Principis Majeſtate, quæ hactenus illibata, & inſtar Divinitatis apud Turcas culta erat. Orb. polit. Horn. 2. edit. pag. 44. hiſt. Turſell. append. 2. 17.

ORMUS, potentiſſimum Luſitanorum, ad fines Perſiæ Arabiæque, *emporium*, à Perſarum Rege & Anglis *expugnatum*, prædâ victores implevit. Ex ejus ruinis deinceps crevit urbs Bander Gambron, aliis Bandar Abaſſi, proxima Perſiæ continenti. Cluver. 789. Hofman. Lex. A. 186. B. 68.

Fœderatorum Belgarum Generalis & Senatores in nova Batavia, iterum iterumque petunt à Societate in Europa, ut *fœmellas* ipſis mittant, propagandæ nationis ergò, cum Batavicis militibus, & negotiatoribus ibi locorum degentibus, matrimonialiter copulandas. Ex orphanorum igitur gente, ex ancillis item, aliisque pauperculis puellis, plures magnis bonorum ac honorum pollicitationibus illectæ, conſentiunt eò deferri, magno Societatis, atque totius Batavici Statûs, commodo. Similiter fecerant hactenus *Angli* apud Indianos, præprimis in *Virginiæ* continenti; quos æmulantur haud ſegniter *Galli*, in *Madagaſcaria*, & alibi. vid. Franciſci Schaub. part. 2. 633. & ſeq. Conf. ſup. lib. 1. oper. cap. LV.

Ferdinandus 2. Rex & Imperator Germanorum, rebus ex Auſtriacorum voto in Bohemia & Ungaria conſtitutis, menſe februario *nuptias* celebravit, cum *Eleonora*, *Vincentii Gonzagæ*, Mantuæ & Montisferrati Ducis *filia*; quam deinceps diademate Regiô Poſonii, à Bethlemio Gabore reſtitutô, in Reginam Hungariæ, ſexto Julii die

die, coronari voluit, *poſt quinquennalem viduitatem.* Ejus enim prima conjunx Anna Maria, Wilhelmi, Bavariæ Ducis gnata, fatis conceſſerat, an 1617. ut quidem referunt Calviſ. in Chron. contin. 990. ac D. Wagner in limin. geneal. 48.

Debitum Naturæ ſolverunt ex Illuſtribus perſonis, *Ulricus Pomeraniæ Dux; Magnus, Dux Würtembergiæ*, in conflictu ad Wimpinam occumbens; *Erneſtus, Comes Schaumburgicus*, nuper ad principis faſtigium evectus, fundator Academiæ Rintelenſis, &c. Calviſ. 990. Schvvel. Chron. 402.

LIB. III. CAP. XXI.

Summaria.

Legati Hiſpanici vox ad Papam.
Parelii & paraſelenæ Heidelbergenſes, cum phænomeno Crucis atræ.
Manus perjurorum è ſepulchris protentæ.
Grande malum ex canibus in rabiem actis.
Nummorum elevatio multis afflictionibus Germaniam committit.
Fœminarum Toneinſenſium ſcelus nefandum, condignè à compenſatum.
Antonii Foicarini innocentia poſt mortem glorioſa.
Furcâ delapſus, vitam recuperat.
Philippus Caulius vivis excedit, honeſta morte.

CUm *Hiſpanici Regis Legatus*, apud *Pontificem Romanum* controverſiæ de B. Virginis conceptione, maculata fuerit ea, nec ne? deciſionem enixiſſimè peteret, inter cætera ſic loquutus eſt: „Ad te, „ſanctiſſime Pater, confugio, & ſupplex tua Numina poſco. Aperi „ tu manum tuam, qui imples omne animal benedictione. Unam „ ac tantam benedictionem tribuas nobis! refert Joh. Gerhardus in Confeſs. Cathol. B. pag. 349. tu verò B. L. tene riſum, & mirare!

Heidelbergæ hoc anno, die Converſionis Pauli *tres apparuére ſoles*, ut & *paraſelenæ* die octavo Februarii, cum triſti portento cœleſti, nempe *atra cruce*, per medium Lunæ corpus tranſeunte; quæ quid præſignificarint, poſt elapſos aliquot menſes plus nimio patuit, ex immani barbarie Tilliana, cum Urbem expugnaſſet. Calviſ. 989.

In Rhætia verò, Griſonum territorio, inter atroces belli motus obſervatum, quòd *perjuri* quidam homines, poſt obitum & ſepulturam, *ſuas manus, erectis tribus digitis protenderint, è ſepulchro quilibet*

bet ſuo, in teſtimonium, dubio procul manifeſtiſſimum, ſeveræ DEI, adverſus frivolè jurantes ac pejerantes, iræ & vindictæ. Theatr. Europ. 793.

Daciam eo tempore magna calamitas afflixit; multos enim *canes* vidit *in rabiem actos*; qui cùm in pecudes ac *homines* irruerent, plurima dedére damna, & cauſas diffuſi furoris in pueros atque puellas, fœminas, ipſos etiam viros. Hi tàm grandi malo affecti & infecti, cæteris triſtia & horrenda exhibuére ſpectacula, cum canibus demum ac pecudibus, imperante ſic dura neceſſitate, è medio ſublata. Ex theatr. Europ. 806.

Per infelices pecuniarum aucupes & lucripetas, in perplexo & ancipiti Germaniæ ſtatu, monetæ pretium adeò excrevit, ut inauditô exemplô, *nummus Imperialis argenteus ad decem florenorum* (nonnullis in locis ad ſedecim) *æſtimationem* elevaretur, unde caritas annonæ omniumque victualium intolerabilis, funeſta fames, & cum hac propemodum quodvis dirum ac durum. Hinc origo eſt, præter bella, Teutoniæ ad inſuperabilem redactæ paupertatem. Boxhorn. Chronic. 153. D. Thum. de fame, pag. 1.

Toneinſii, Gallicana urbe in Aquitania, à Forcæo intercepta tempore civilis belli Hugonotici, patratum planè novum, & præter naturam in fœminis, immanitatis genus, adverſus Vauguyonios milites præſidiarios inferioris caſtelli. *Fœminæ* Urbis, inquit hiſtoricus *inſultabant mortuis*; atrox & horrendum ſpectaculum! Non ſatis, amputatis auriculis, naribusque; non ſatis, oculis per ludibrium effoſſis; in ipſamet virilia ſævitum à fœminis; excifis procaciter illudunt, projiciuntque ſibi invicem, & rejiciunt, veluti pilas! ſed brevi poſteà *laſciviam atroci morte luerunt atroces*, cùm adveniens hoſtis, muro aſcenſione ſuperato, urbem expugnaret, ac nulla victor miſericordiâ graſſaretur in utrumque ſexum, & crudelitate compenſaret ludibrium! Grammond. hiſt. lib. 11. 527. ſeq.

Quandòque Innocentia, morte ſuppreſſa, poſt mortem altius eminet! Dictum egregiè confirmat exemplum *Antonii Foſcarini*, Nobilis Veneti, ſenatorii ordinis. Qui cùm aliquandiu Legati munere pro Republica ſua functus eſſet apud Angliæ, Galliæque Reges, carceri dein mancipatus, adjudicatus morti, clanculùm ſuffocatus laqueô, demum (noctu quidem) in patibulo loci publici ſuspenſus eſt; ut qui ab Hiſpaniæ Rege, & Imperatore Romano, annuas penſiones accepiſſet, ac pro iſta mercede, ſenatûs Venetorum conſul-

ta,

ta, illorum ſecretariis percontantibus reſcripſiſſet, prodidiſſet. Brevi pòſt, viri benè meriti, ex ipſis ignominiæ tenebris emicuit, inque claram lucem ſe diffudit Innocentia. Senatus & ipſe Dux, re penitiùs cognita, publico programmate teſtati ſunt, Foſcarinum nullo ſuo merito in carcerem detruſum eſſe, nedum ignominioſæ mortis pœnæ ſubjectum, ſed quicquid mali ſuſtinuerit, falſis malevolorum quorundam accuſationibus, atque teſtificationibus frivolis deberi. Hinc etiam effoſſum ejus cadaver, ac deſumptum ex obſcuro loco delinquentium, ſolenni pompa, nobiliſſimarum familiarum & ipſius Ducis comitatu, juxta majores honoratiſſimos Foſcariniani nominis, honoratiſſimè tumulatum eſt. Liberorum autem & agnatorum famæ cautum ſeveriſſimo ſplendidiſſimoque diplomate, ne quis auderet, eis hunc ob caſum, ſeriis lacrymis dignum, loco probri vel minimum objicere; pœnâ capitis in delinquentem conſtitutâ. Zeiler tom. 2. epiſt. 868.

Nec admiratione multorum caruit, *Glazii*, (urbs eſt Bohemiæ) *hominem furcâ pendulum*, qui fracta jam cervice, poſt horæ quadrantem deciderat in terram, reſpiraſſe ſtatim, & manſiſſe vivum; affirmantem, ſeſe dum pependerit, clamores & loquelas turbæ circumſtantis audiviſſe quidem, ſed non intellexiſſe; addentem, putaſſe in profunda ſe fovea verſari, ex qua corpus efferre modis omnibus, fruſtrà tamen, laboraret. Minimè verò nobis conſtat, an reus ille fuerit gravioris alicujus delicti, nec ne? vid. Zeileri Tragic. 303.

Naturali & honeſta morte vitam clauſit ſublunarem *Philippus Caulius*, vir de re ſcholaſtica, in Ducatu præſertim Würtembergico, multorum annorum decurſu optimè meritus, pædagogarcha Stutgardianus; Ei ſuffectus dein Johannes Glöklerus, qui fatis etiam conceſſit anno 1651. teſte Schübelio in concion. fun. Glökl. pag. 43.

LIB. III. CAP. XXII.

Summaria.

Marpurgum domui Darmſtadinæ adjudicatum.
Academiæ Altorffenſis, & Sorana, inſtitutæ.
Profeſſorum Jenenſium cura in profligendo Pennaliſmo.
Religionis purioris confeſſores in Bohemia duriter habiti; ad Jeſuiticam diœtam adacti.
Calix Pragenſis, ſtatuâ Mariana permutatus: Et, Capitanei N. caballus (per blaſphemiam) ſub utraque nominatus.

ANno 1623. *Marpurgum*, de quo lis erat inter utramque Domum Haſſiacam, *Ludovico Darmſtadienſi adjudicatum eſt*, Res ea altius repetenda. *Philippus*, cognomento *Magnanimus*, Haſſiæ Landgravius, qui anno 1567. Naturæ debitum ſolvit, ex Chriſtina Saxonica quatuor filios reliquit, nempe *Wilhelmum, Ludovicum, Philippum* & *Georgium*, ac ita inter eos partitus eſt provinciam, ut *Wilhelmo* primogenito ſemiſſem tribueret, nempe totum inferiorem Principatum Haſſiæ, potiora Comitatus Ziegenheimenſis, Dynaſtiam Itter, quæque in Smalkaldiam ei competebant, & vi pacti hæreditarii, Hennebergicis extinctis ad Haſſos delapſura eſſent: *Ludovico* ſecundo genito aſſignavit quadrantem, principatum ſcilicet ad Lanum, cum comitatu Niddano: *Philippo* & *Georgio* reſiduum quadrantem conceſſit, puta Comitatum Cattimelibocenſem; illi partem ejus inferiorem, huic ſuperiorem: de ſucceſſione verò mutua conſtituit, ut uno alterove ſine prole moriente, ſuperſtites hæreditatem ejus æquabiliter cernerent: quare cum *Philippus*, qui *Rheinfelſam* incoluit, anno 1583. improlis vitam finiiſſet, fratres æquis partibus in ejus ditiones ſucceſſerunt. Poſtquam autem *Ludovicus* etiam, qui *Marpurgi* habitavit, anno 1604. ſupremum diem obiiſſet, nullosque liberos reliquiſſet, acris ac diuturna de ejus hæreditate controverſia extitit. Nimirum is omnium ſuorum fratrum ſuperſtes fuit, ac teſtamento ſcripto ſuas ditiones in duas partes diviſit, in *Marpurgicam* & *Gieſſenſem*, atque illam lineæ Caſſellenſi, hanc Darmſtadienſi aſſignavit; Religioni etiam præprimis cavit, iſti diras imprecatus, qui aliquid in eâ mutaret, utque talis juribus ſuis excideret, ſanciens. Agnovit hoc teſtamentum *Mauritius Caſſellenſis*, Wilhelmi frater; rejecerunt autem *Darmſtadienses*, & quod eorum tres eſſent, *Georgio* nati, in capita, non in ſtirpes, Ludovici hæreditatem partiendam eſſe, idque conſtitutioni avitæ magis reſpondere contenderunt. Regeſſit Mauritius, eos omni in hæreditatem jure multandos, quòd ſupremam defuncti voluntatem impugnare ſuſtinuerint, & hoc ex capite univerſas ditiones ſibi arrogare cœpit. Quùm verò Religionem ſecundum Calvini dogmata reformaret, atque ex Marpurgenſi Academia Theologos Evangelicos pelleret, Darmſtadienſes eum violati Teſtamenti Ludoviciani palàm poſtularunt, & quòd eo ipſo omne jus amiſerit, viciſſim dictitarunt, provocaruntque ad Cæſarem; qui, licet Caſſellenſis rem coram Auſtregis expediendam eſſe acerrimè diſceptaret, ſententiam hoc an-

no

no pronunciavit, omnemque hæreditatem Darmſtadienſibus addixit. Facta tamen poſteà *transactio*, de qua ſuo agemus loco. vid. Burgoldenſ. Not. rerum Imper. part. 3. 132. ſeq. Imhof. Notit. procer. 537.

Aperiebatur t. t. *Academia Noricorum Altorffenſis*, tot inter bellicos tumultus & armorum ſtrepitus, conceſſis ab Imperatore Ferdinando II. inſignioribus privilegiis, quibus Univerſitates plenè optimèque ſimul conſtitutæ gaudent; juvandæ rei literariæ gratiâ, nec non conferendis honorum quibusvis gradibus inter eruditos uſitatis. Matth. contin. theatr. hiſtor.

Soræ non minùs in Seelandia, ſurrexit nova (*præprimis in gratiam Nobilium*) Academia, ſumptibus à Daniæ Rege Chriſtiano quarto liberaliter ei attributis. Atque ſic Ars ingenua, ex DEI Optimi Maximi provida cura, non ubique debet exulare, multò minus interire, licet Mars ferox præſentiſſimum illi minetur exterminium. Cluver. hiſtor. 792.

Ut verò Juventus Academica tùm Eccleſiæ DEI, tum Reipublicæ ſalutarem operam præſtare queat, opus eſt, eos, qui ſcholis præſunt, omnem (quoad fieri poteſt) petulantiam cöercere, eique peſſulum obdere. Inde laudabilem operam hoc ipſo anno navarunt Profeſſores *Univerſitatis Jenenſis*, in exterminando *Pennaliſmi* monſtro; ſic enim ſcriptum legimus: „Patres Academiæ cùm viderent, pa„rum ſimplicis relegationis profici exemplis, eò uſque in delinquen„tes editis, neceſſarium duxerunt enumeratis, prolixè publico Pro„grammate malis, morbis atque detrimentis, quæ Pennaliſmus „(tanquam in cujus Camarinam, lernam, Avernum, & lacum Aſ„phaltiten, quicquid vitiorum eſt ac flagitiorum, quicquid facino„rum ſcelerumque, confluxerit) complectitur; graviorem delin„quentibus pœnam conſtituêre, hanc ſcilicet: Ut non ſolùm eos „omnes, qui pennaliſmum foverint, aluerint, auxerint, ſervarint, „relegatione publica ſubmoturos ſe, nulla vel interceſſionis vel „commiſerationis ratione habita; ſed etiam typis evulgare velle „omnia relegationum programmata, & cùm in patrias eorum ter„ras, qui hanc luunt pœnam, tùm in vicinas Academias mittere, „ſignificarent, quò hiſce à ſerpentibus Libycis, ſcorpiis, viperis, „Draconibus, omnes boni maturè ſibi caverè diſcerent. Hæc tamen „quia optato ſucceſſu caruére, mox ipſi Principes, Academiæ Nu„tritii, ſuam autoritatem interponendam arbitrati ſunt. Proinde

„Dux

„Dux Albertus, loco & nomine Joh. Erneſti junioris, tanquam Do-
„mini territorii, principis regentis, adulto anno promulgavit Edi-
„ctum Germanica linguâ conſcriptum, poſt enarratas varias actio-
„nes pennaliſticas, conqueſtus, ingens ob eas odium famamque
„ſiniſtram Academiæ conflari, qua moti parentes haud pauci liberos
„ſuos aut nolint huc ſtudiorum causâ ablegare, aut ablegatos quanto-
„cyus avocent; Eaque propter ſeverè edixit: Ne quis Studioſorum,
„Novitium ullum odioſo, ſcandalique & contemptus pleno, ac
„Studioſis omnibus, ipſisque litterarum ſtudiis maximè igno-
„minioſo, ac ſine dubio ab hoſte ſtudiorum & virtutum dia-
„bolo ex orco producto, impediendisque & ſupprimendis omni-
„bus artibus ac diſciplinis ſalutaribus comparato pennaliſmi, aut
„aliis ejus generis cognominibus, clam palamve traduceret, con-
„temptui haberet, offenderet, oneraret, aut ejus amoliendi causâ
„convivium, aut quidpiam aliud, ullo prætextu exigeret, extor-
„queret, &c. qui ſecus fecerint, pro ratione perſonarum, faculta-
„tum, delictorum, gravem Principum indignationem, ademptio-
„nem privilegiorum, beneficiorum, munerum, honorum, carce-
„rem, exilium, pœnam corporalem, rationeque ſumptuum ac
„impenſarum pœnam quadrupli, indubiè incurſuros; Utque tantò
„certior ſit executio, captivos ad aulam principis deducendos, ſpe
„omni interceſſionis aut remiſſionis præciſa. Quo quidem prin-
cipum Zelo, providaque Senatus Academici cura, & ſeverâ animad-
verſione, effectum eſt, ut illa pennaliſandi prurigo, & reliqua
ſtudioſæ juventutis petulantia, *ex parte* ſedata & extirpata fuerit,
uſque ad annum 1630. Videatur Pennaliſmus ab Academia Jenenſi
proſcriptus profligatusque, typis excuſus an. 1661. A. 2.

In Bohemia, cùm Lojolitis Academiæ Pragenſis directorium
rurſus fuiſſet conceſſum, & eorum ſtabilita poteſtas, *puriori exer-
cendæ religioni nullus in toto Regno tutus manſit locus.* Hinc in ipſo Na-
tivitatis J. C. celebrandæ feſto, non procul à *Kuttenberga*, Evangelici
ad cultum Sacrum congregati, à militibus papanis ex improviſo
ſunt oppreſſi, veſtibus exuti, aliisque ornamentis fœdè ſpoliati; ſub
hæc pane Euchariſtico & Calice in terram dejecto effuſoque, ac pe-
dibus conculcato, mulierculis etiam & virginibus quibusdam con-
ſtupratis ac violatis, in ipſo templo, & conſpectu hominum. Calviſ.
991. Theatr. Europ. 862.

Juvabit autem novæ ac triſtis *Bohemorum* (à Papicolis diſſen-
tien-

tientium) *perſecutionis methodum ferè novam* cognoſcere, qua puriorem religionem ex Böemia, aliisque circumjacentibus provinciis, Lojolitæ & reliqui Jovis Tyberini cultores, profligarunt. Neque enim eodem, quo ſuperioribus annis & ſeculis in Anglia, Belgio, Gallia, Hiſpania, &c. uſi ſunt modo, rem aggredi placuit; Experientiâ ſcilicet edoctis, fortiores illas purgationes, ſanguinis innocentis effuſiones Cainiticas, vivicomburia Huſſitica & Hieronymiana, præcipitationes in fodinas Kuttenbergenſes, &c. ad hæreſeon ſcil. morbos pellendos olim adhibitas, parum profuiſſe. Tentandum eſſe jam putarunt, utrum commodà *diœta* curari poſſint? Hæreticos itaque, quos vocarunt non mortibus afficiendos (quibus illi tanq. Martyriis exultarent) ſed aliis viis fatigandos, & ad obedientiam reducendos eſſe; Proin & odioſum illud nomen *Inquiſitionis*, in mollius *Reformationis* commutandum. Initiò igitur imbelles Anabaptiſtas, tum verſatiles Pikarditas proſcripſerunt & ejecerunt; Evangelicos deinceps variis artibus aggreſſi, ſenſim eos tum nimiis exactionibus, tum oppreſſionibus, minis, incarcerationibus, &c. partim ad Apoſtaſiam, partim ad fugam & exilia compulerunt. Commodaque hàc, ſi diis placet, DIOETA, univerſam Bohemiam, nec minùs Moraviam & Auſtriam, poſtliminiò Pontifici Romano ſubjecerunt; non tàm Neronis, Diocletiani, Maxentii truculentas &c. quàm Juliani Apoſtatæ vulpinas cum Leoninis mixtas artes, imitati, ſcribit Joh. Henric. Heidegg. in hiſtoria Pap. pag 341.pl.

Anno 1623. Januarii vigeſimo tertio die, à Lojolitis è ſummo Utraquiſtarum templo Pragenſi, *Calix deauratus* ingentis capacitatis, in odium Communionis ſub utraque ſubmotus, ejusque loco *ſtatua Mariæ Virginis* ad publicam venerationem poſita fuit. Alibi capitaneus, *Hinco Czervvenohorsky*, equo calicem conſecratum (quo tempore tamen præcisè, non conſtat) propinàns, contumelioſè dixit: *Ecce, caballus quoque meus ſub utraque eſt*. Scherzer. Lipſ. Theol. in Syſt. 395.

LIB. III. CAP. XXIII.

Summaria.

Ziſcæ cineres, Pontificii Bohemici fruſtra quærunt.

Bibliotheca Heidelbergenſis Romam deportatur.

Cornelii à Lapide pietas, in perorando contra Anti-Papanos, impia.

Gregorius XV. Venetis, conducto militi Græco Templum & ſacra permittentibus libera, indignatur.

Mox idem vitâ decedit, Cathedram relinquens Urbano VIII.
Urbani, ut Papa fieret, artificium Aſtrologicum callidè adhibitum.
In Apes Barberinas luſus arguti.
Urbanus fratrum & nepotum promotor.
Idem Canoniſationem Lojolæ, Xaverii &c. abſolvit.
Ex ordine Lojolico legit Confeſſarium, confeſſorem.
Mortem obeunt, Lotharius Elector Trevirenſis; & Leonhardus Leſſius.

C*Zaslaviæ* in Bohemia (urbs eſt ſatis ampla ad Crucimcam amnem, ubi Ziſca Huſſitarum quondam Dux ſepultus) *Papani* tum temporis *cineres Ziſcæ quæſiverunt* ſtudioſiſſimè, ut eos ignominioſè habitos, diſpergerent; ſed lapide tantùm, cui Ziſcæ effigies obtrita inerat, repertô, furor inanis & pudefactus abiit. Hoſm. Lex. A. 520.

Maximilianus Bavariæ Dux, poſt expugnatam per Tillium ſuum *Heidelbergam*, & ſubactum inferiorem Palatinatum, *Bibliothecam Electoralem* inſtructiſſimam & auro contra caram, velut victoriæ monumentum, anno 1623. Pontifici *Gregorio* in Italiam transmiſit. *Primus inſtitutor inſignis illius Bibliothecæ* fertur fuiſſe Otto Henricus, Ruperti virtuoſi filius, Philippi poſthumi nepos, Friderici ſecundi patrui in Palatinatu & Electoratu ſucceſſor, anno 1502. natus, anno 1559. denatus apæs; quem excepit è linea Simerenſi & Bipontina Fridericus 3. Calvinianæ religionis aſſertor. Ab iſto tempore paulatim ſuccrevit iſthæc Bibliotheca, in eam amplitudinem atque celebritatem, ut inſtructior & major vix haberetur in Europa; codicibus, manuſcriptis præſertim, incomparabilibus longè refertiſſima, hinc à nonnemine nomen obtinuit *optimi quondam Germaniæ literatæ theſauri*, ſed cujus maxima pars in lamentabili Urbis & Academiæ direptione donata Papæ, ac Romam translata, ubi etiamnum aſſervatur. Hoſm. Lex. Univ. 664. Hottinger. hiſt. Eccleſ. part. IV. 43.

E peſſimorum conſiliorum officina, Româ, contra Lutheranos, Huſſitas & Calvinianos, hoc modo arietavit *Cornelius à Lapide*, cùm de Ferdinando II. perſcriberet, & ad S. Trinitatem peroraret: ,,Tu ,,ſanctiſſima Trinitas, Trinaque Unitas, Ferdinandum Imperato-,,rem invictum, ſpem & columen Germaniæ, tot tantisque victo-,,riis, iisque continuis decoraſti, ut Te pro eo manifeſtè pugnante, ,,illud Julii Cæſaris, imò propatrui ſui Caroli V. Imp. jure dicere poſ-,,ſit: veni, vidi, vicit Chriſtus! Ac illud Deboræ: Nova bella ele-,,git Dominus, portas hoſtium ipſe ſubvertit; de cœlo dimicatum

,,eſt

„ eſt contra eos &c. Inſtar fulminis enim victor ejus exercitus, Duce
„ Bavaro, quaſi redivivo Juda Maccabæo, pervaſit ſubegitq; Auſtriã,
„ Bohemiam, Moraviã, Sileſiam Hungariam, utrumque Palatinatum,
„ ex iisque hæreticorum patriarchas Huſſitas, ac rebellionum faces
„ Calviniſtas, expulit & profligavit. Qua in re ſuas quoque partes
„ præſtiterunt egregiè inſignes ex Italis Belgisque duces, cum vali-
„ dis copiis ab optimo Rege Catholico opportunè in auxilium ſub-
„ miſſi. Ut jam Germania putidis ac peſtiferis membris refectis li-
„ bera, redintegrari, revaleſceie, priſtinasque vires & robur queat
„ colligere: quibus in unum collectis roborata, non tantùm Turcis
„ reſiſtere, ſed & eos bello laceſſere & invadere audeat, Hungariam-
„ que, hæreſis diſſidio perditam, unitis Germanorum ac vicinorum
„ armis repetere & recuperare valeat. Hæc eorum æterna erit glo-
„ ria, hi immortales triumphi, hæc trophæa, quæ in omne ævum
„ perennabunt. Agite Principes generoſi, pergite magnis animis,
„ opus felicibus adeò auſpiciis cœptum conficite, paribus ſtudiis
„ rebellem Calvini hæreſin & N penè evulſam ſtirpitùs ubilibet eradi-
cate. vid. Dorſch. ſingular. Angel. diſſert. V. 349.

Venetis indignatur Papa Gregorius XV. quòd ii conductis militi-
bus Græcis Templum, & in eo religionis exercitium permiſiſſent,
eo nomine per Cardinales Molnium ac Ludoiſium graviter cum
Venetorum legato expoſtulans. Cùmque legatus reſpondiſſet,
neceſſitate adactos eſſe Venetos, ad conducendum è Græcia mili-
tem, quem è ſua ditione conſcribi Papa vetuerit; Cardinales ſubje-
cerunt, ſi adverſus *infideles* milite Romano uti vellent, integrum
id fore. Quibus ſalsè idem Legatus regeſſit: *Omnes infideles eſſe, qui
Reipublicæ Venetæ ob injuſtas cauſas adverſarentur.* Permitti Romæ ut
fœno & avena oppleantur templa; præſtare utique, ut ea Chriſtia-
nis ad cultum aperiantur. Heidegg. hiſt. pap. 152.

Mortuus eſt deinceps, hoc ipſo anno *Gregorius*, cùm biennio
& quinque circiter menſibus Romanam Cathedram poſſediſſet, &
paulò antè à Bavaro *Bibliothecam Heidelbergenſem*, qua tota Germa-
nia celebriorem t. t. non habuit, procurante Carolo Caraffa Nun-
cio Apoſtolico, ut vocari amant iſtiusmodi homines, dono accepiſ-
ſet; quam paulò poſt ſucceſſor, ceu ſacri belli manubias, in Vatica-
ni delubro, magno ſumptu ornatuque ſuſpendit. Turſell. app. 2. hiſt.
19. Gramond. lib. 13. 602.

Gregorio defuncto, negotium de conſtituendo ſucceſſore ſuſ-

ſcipiebatur per factiones, *Ludoviſianis & Burgeſianis* pila minantia pilis opponentibus. Tandem ſublectus eſt *Maphæus Barberinus*, prævio *omine* examinis apum, ejus Muſeum inopinatò involantium; nomen *Urbani VIII.* aſſumpſit; vir celebris tùm ob functiones varias, quas hactenus obiverat, tùm ob florens ingenium, artificium poëticum, & multiplicem eruditionem, quam in Scholis Lojoliticis, ſub Horatio Turſellino & Franciſco Bonæo, plurimum auxit; Verùm *in Theologia nimis jejunus*, ut Alphonſus de Vargas propalàm affirmarit, Eum ne quidem diſcipulum Theologiæ unquam fuiſſe. Ex cit. autor. confer Oſiand. Janſeniſm. 26. Pfeiff. Luther. 237.

Miris artibus ajunt luſiſſe Maphæum iſtum, donec factionis capita cum membris, in ipſum, ut caput, conſpirarent. Gottofredus certè in ſua continuata & aucta Chronica refert, quòd hac *aſtutia aſtrologica* Cardinales, cum in Conclave ad eligendum Papam ingrederentur, luſerit, ſuo comiti dicendo in proceſſu, *ſe in cœlo ſignum conſtellationis obſervare, ex quo colligat, Pontificem, qui nunc electus fuerit, ſex hebdomadas non ſuperaturum eſſe vivendo;* qui ſermo, cùm exiret inter fratres Cardinales, cauſa extiterit, ut Urbanum ſpe brevioris fati, elegerint; ejus autem Pontificatus ſedecim annos duravit. Allegat D. Wagnerus, Theol. Tub. in Aſtrologia Genethliaca pag. 97. Waldſchmid. in Pythoniſſ. Endor. 179.

De futuro Urbani Pontificis regimine, Gallus, Hiſpanus, Italus, diverſa ſic ominabantur, ut ad apes, quas in Inſignibus Barbarina domus habet, ſinguli alluderent, ita enim

GALLUS; *Gallis mella dabunt, Hiſpanis ſpicula figent.*

HISPANUS: *Spicula ſi figent, emorientur Apes!*

ITALUS DENIQUE:

Mella dabunt cunctis, nulli ſua ſpicula figent;
Spicula nam Princeps figere neſcit apum.

Ex Actis Eruditorum Lipſienſ. de an. 1689. pag. 113. Menſ. Febr.

Statim ac Pontifex factus eſt Barbarinus, *tres fratres ad altiora evehens*, Carolum natu maximum, Eccleſiæ Romanæ Generalem; ſecundum, nomine Thaddæum, arcis S. Angeli Præfectum; ac tertium, Antonium, ſatellitum ſeu apparitorum ſuorum Ducem creavit. Neque id ſatis ei; Franciſcum etiam Barberinum, è fratre nepotem, adoleſcentem adhuc, in Cardinalium numerum cooptavit, cui pædagogum Aſcanium Filomarinum præficere neceſſum habuit, referente Heideggero in hiſtoria Papatûs, pag. 354.

In

In officialibus ante omnia animum applicuit Urbanus VIII. ad condendas *Canoniſationis tabulas*, quas Gregorius, cùm *Lojolam, Xaverium*, aliosque albo Cœlitum inſeruiſſet, ſive præventus morte, ſive alias ob cauſas non confecerat. Et, in Bulla quidem Ignatii præfatus eſt Urbanus hunc in modum: „ Cùm veterem Religionem, „omnemque perfectioris profeſſionem LUTHERUS, monſtrum „teterrimum, aliæque deteſtabiles peſtes, blaſphemis linguis in Se-„ptentrionis partibus corrumpere, ac ſedis Apoſtolicæ autoritati „detrahere conati eſſent, excitâſſe Deum Ignatii Lojolæ ſpiritum, „qui ex medio honorum curſu, & à ſeculari ac terrena militia admi-„rabili quadam ratione vocatus, ita ſe divino imperio regendum „ac formandum tradiderit, ut demum nova Societate JESU, quæ „inter alia pietatis & charitatis opera, gentilibus convertendis, hæ-„reticis ad fidei veritatem revocandis, Romanique Pontificis pote-„ſtati tuendæ, ex inſtituto ſe totam impenderit, adornatâ, & reli-„gione fundata, vitam admirabili ſanctitate traductam, ſanctiſſimo „pariter concluſerit exitu, ac plurimis ſit miraculis illuſtratus. Poſteà Clementis octavi & Pauli quinti laudatis ſtudiis, decretum prædeceſſoris (ut *Ignatius* inter Sanctos omninò transſcribatur, Templa & altaria in ejus honorem ædificentur, ac feſtum illius die ultimo Julii celebretur) commemorans, ex proceſſibus & actis Cardinalium pluſcula de Lojolæ ortu, vita, ſanctitate & miraculis repetiit. Simili verò Methodo *Xaverii*, cujus inprimis miracula fusè prædicantur, Canoniſatio concepta eſt. Meritò tamen *in dubium* alii, *Pontificii* etiam, *Miracula* (de vita eorum quicquid ſit) utriusq; ab Urbano tantoperè celebrata, *vocarunt*. „ Quin & *Petrus Deza*, in oratione ſua de „Ignatii Beatificatione, hoc ſolum iis (ac toti Societati) Miraculum „tribuit, quòd ſecùs, quàm cæteri ordines religioſi, non modò men-„dicent, orent, blandiantur, palpentur; ſed etiam feliciſſimè emen-„dicent, exorent, eblandiantur & expalpentur. Allegante Heidegg. in citat. hiſtor.

Sub initium quoque ſui Pontificatus, ex *Lojolitarum ordine* quendam ad ſe vocavit Urbanus, & cùm intelligeret, Patrem Societatis Generalem homini perquàm infenſum eſſe, *Confeſſarii* munus ei commiſit. Hic in limine functionis equidem, ut Societatem ſibi commendatam haberet Papa, enixè petiit, continuò tamen addens: *Magna opus habere Societatem reformatione; Dici enim non poſſe, quàm in ea degenerarit religioſa diſciplina, in ſecularitatem ac Aulicismum verſa, &c.*

Papam autem eo ſermone plurimùm ſe delectaſſe, ferunt, eodem die de Confeſſario tàm candido & aperto apud familiares gloriatum. Ex actione perduellionis in Jeſuitas, juratos Imperii hoſtes lit. h iij recenſet Gerhardus in Confeſſ. Cathol. A. 908.

Diem ſupremum obiit, menſe Septembri, *Lotharius, Trevirenſis Elector & ArchiEpiſcopus*, cui ex familia Baronum de Soteren Philippus Chriſtophorus, Epiſcopus Spirenſis à Collegio Metropolitano ſurrogatus eſt. Calviſ. Chron. 991. Turſellin. 19.

Atque *Leonhardus Leſſius*, Brabantus, Lojolita celebris, Profeſſor Lovanienſis, tractatu de juſtitia & jure tunc publicè dictato, aliisque ſcriptis, apud Papanos inclytus. Eum à Jureconſultis ipſis magni fieri, Gobatus probat ex illorum elogiis, quibus omnia Leſſii opera condecorent, e. g. Nicolai Vernulei. apud quem in ſua Academia hæc legi poſſint: „Quicquid publici juris ſcribendo fecit, omni„um applauſum tulit; quicquid è Cathedra dictavit, ab omnibus „quæritur, deſcribitur, aſſervatur; ita dignum prelo judicatur, quic„quid ab ejus ore, vel calamo prodit. *Græcas literas proprio marte*, quod P. Alegambe in Bibliotheca Societatis teſtatur, *addidicit*. Hofman. Lex. A. 906. G. Gobat in vindiciis adverſus JCtos, pro Theologis ſcribentibus de materiis alterutro jure comprehenſis, pag. 128. 123.

LIB. III. CAP. XXIV.

Summaria.

D. Gieſenius iniquè ac duriter tractatus à Calvinianis.
Carolo Britanno pro petita ſponſa Hiſpanica, Gallicana obtingit.
Inter mortales vivere deſinit Philippus Mornæus.
Item Philippus Cluverius.

C*Alviniani* t. t. egregium ſuæ humanitatis & *fraternitatis documentum* erga Lutheranos, inprimis *D. Johannem Gieſenium*, *Rintelii* dedére, id quod optimus Theologus verbis expreſſit ſequentibus: „Cùm milites nonnulli, Chriſtiano Brunſvicenſi militantes, civita„tem Rintelenſem, quæ Academiæ hoſpitium præbet, anno 1623. „invaderent, & poſt ejus occupationem ipſe Dux ingrederetur, at„que mihi Academiæ tum Rectori mandaret, ut cum uno ac altero „Profeſſore in ipſius hoſpitio comparerem, compareo, & ſtatim da„tâ Salvaguardiâ, quam ſic vocant, nullum in ædes Profeſſorum im-

„mitti

„ mitti debere militem, clementiſſimam promiſſionem accipio. Ego, „ qui ſolus has literas, propriâ ſubſcriptione Ducis & ſigillo cohoneſtatas corroboratasque in ædibus mihi aſſignatis habebam, præ „ reliquis omnibus, immunitatis ſpem mihi faciebam; ſed ſpes me „ miſerè fruſtrata eſt! Illuſtrium perſonarum nobis aderant plures, „ quàm duodecim, omnes Calvinianæ Religioni addictæ, excepto „ Brunovicenſi, & forſan uno aut altero Comite; quos habebant ſe- „ cum concionatores, erant omnes in Scholis Calvinianorum infor- „ mati, perque iſtos variæ mihi creabantur moleſtiæ, varia infere- „ bantur mala, imò carcer aſſignabatur. Inde igitur in terrorem con- „ jecti primùm Studioſi, quorum non exiguus erat nobis numerus, „ à nobis abeunt, Profeſſores etiam & Collegæ tutiora loca adeunt. „ Miniſtri enim iſti Calviniani, continuis ſuis poſtulationibus ex- „ pugnant Comitem ab Eiſenberg & Budingen, ut milites aliquot in „ ædes meas introducantur, mihique injungatur, ut equitibus & „ equis victum ac alia ſuppeditem. Equidem coactus obtempero; „ Equites in ædibus meis indies tumultuantur, & hoc ſibi injun- „ ctum eſſe ſubinnuunt. Itaque liberationem, cùm ego nec feram „ nec metam, atque Ducali Salvaguardia, ad quam provoco, muni- „ tus ſim, humilimè peto. At, his ipſis forſan literis Calvinianos „ alieniores reddo, nam, in abſentia Ducis circa veſpertinam deci- „ mam Febr. 24. carceri demandor, nullâ indicatâ causâ, captivus „ detineor. Duci redeunti ſignificant, Rectorem Scholæ captivum „ detineri, ad ipſius enim mandatum in occupatione civitatis ali- „ quot milites emiſſis globis eſſe peritos & interfectos. Dux, Scholæ „ oppidanæ Rectorem in carcerem conjectum opinatur, non indi- „ gnatur factum; Ubi verò negotium totum per alios fide digniſſimos „ ei exponitur, libertati reſtituor, dato innocentiæ ſcripto teſtimo- „ nio, &c. Cùm iterum Dux abiiſſet, necdum Calviniani dicta in „ perſecutione quieſcunt; ſed Collegii purgationem injungunt mi- „ hi, ſignificantes, quod ſecum conſtituerint in Collegio noſtro ſua „ deinceps proponere, neſcio quæ & qualia, exercitia; quam purga- „ tionem intelligerent, facilè percipiebam; Opinione mea intellige- „ bant ejectionem doctrinæ in A. C. propoſitæ &c. Ecce, quàm bonum, & quàm jucundum, habitare Calviniſtas & Lutheranos in unum! vid. D. Joh. Gieſen. in repurgatione Theologici Auditorii Rintelenſis, à Sacramentariis commaculati, dedicat. A. 4. part. 3. Calvin.

Jaco-

Jacobus Angliæ Rex hujus nominis primus, iſto tempore ſueto Principum delinimento, *conjugali fœdere filii ſui & Mariæ Hiſpanæ*, obliterare exortas inter ſuam & Auſtriacam domum offenſas meditabatur, reique peragendæ, *jam multa Romanenſibus in Britannia licebant.* Feruntur & literæ, neſcio an veræ, quibus *Carolus Walliæ Princeps*, Pontificem perhonorificè compellat. Verùm poſt immenſa utrinque commutata munera, quùm, inſolenti propemodum inter tantos Principes exemplo, diutulè Anglicus Princeps in aula Hiſpanica eſſet commoratus, nihilque certi ad ſuæ ſororis (quæ Friderico Palatino nupſerat) filiorumque ejus, in avitas ditiones reſtitutionem proveniret, evanuit conſilium, & alia conjunx è Gallicana Regia, *Henrica Maria*, Ludovici decimi tertii ſoror, Carolo Britannico ſociata eſt. Extemplò *renata Romanenſium apud Anglos licentia iterum concidit*, non ſine *prodigio* ruentis eorum ſuggeſti, dum ex eo Druerius Lojolita concionem alloquitur. Fracta enim, inſiſtentium pondere, contignatione, circiter nonaginta auditores oppreſſi, araque diffracta, ipſe concionator miſerè contuſus interiit. Joh. Cluv. hiſt. 793. Hofm. Lex. A. voce Londin. pag. 928. Gramond. hiſtor. Gall. 603. 608. ſeqq.

In his terris vivendi finem hoc anno nactus eſt *Philippus Mornæus*, Pleſſiaci Dominus, Nobilis Gallus, Henrico quarto Regi, à quo Salmurienſibus dabatur Præfectus, chariſſimus. Scriptis publicis inclitus, & optimè meritus, e. g. tractatu *de Veritate Religionis Chriſtianæ*, adverſus Atheos, Epicureos, Ethnicos, Judæos, Mahumediſtas, atque cæteros infideles; *Myſterio iniquitatis*, contra Pontificios; adverſus eosdem *de Evchariſtia*, &c. qui poſtremus liber, linguâ vernacula ſcriptus, cùm ob elegantiam ſtyli per omnium volitaret manus, Theologi Pontificii periculum veriti, paſſim in concionibus in eum invehebantur. Hinc dum *collatione* inſtituta, ipſo Rege Henrico quarto, Proceribusq; Regni præcipuis præſentibus, *David Perronius*, Epiſcopus Ebroicenſis, quædam falsò, quædam verbis truncatis, in illo libro ex Patribus, à Mornæo allegata, contenderet, anno 1600. hic ſibi à Perronio editionibus caſtratis ac mutatis impoſitum conqueſtus, edito dein alio libello, cauſam ſuam defendere conatus eſt. „*Thomas Lanſius* tantis eum laudibus extollit, ut appellet eundem „ Doctorum nobiliſſimum, & nobilium doctiſſimum; Virum, quem „ unum Platonis, Demoſthenis, & Auguſtini, ſimul compoſitorum Idéa vix exprimat. Stratemann, 1120. Hofm. Lex. 154. B. Lanſii Conſultat. 179.

Vitæ

Vitæ periodum quoque abſolvit *Philippus Cluverius*, Gedanenſis, ſeculi hujus *celebris Geographus*, qui deſcriptione veteris Germaniæ, Italiæ, Siciliæ, & introductione in univerſam Geographiam, tam veterem, quam novam, apud eruditos immortalem famam meruit; Lugduni Batavorum ſolutus. Hinc aliquis: „ quantam jacturam, ſcribit, in illius morte, eruditis omnibus acerba Reſpublica „ literaria fecerit, non unius paginæ res eſt, aut paucularum linearum; Nec ex alio diſces B. L. hoc meliùs, quàm ex Heinſio, viro „ ingentibus meritis ac fama evecto, qui de more Majorum, Collegæ ſui exequias funeris, diſertiſſima Oratione ex pio officio celebravit. Hofm. Lex. univerſ. B. 153. & Epiſt. dedic. ad Introduct. Geograph. Cluver. pag. pr. Error igitur in perſona commiſſus eſt, quando in disquiſitione de Eccleſia Judaica N. N. dicitur pag. 90. Cluverum, qui de obambulante neſcio quo Judæo immortali, nonnulla ſuis hiſtoriis inſeruit, Calvinianum fuiſſe. Nam *Johannes Cluverus*, qui Epitomen hiſtoriarum ſcripſit, non fuit Calvinianus; *Philippus Cluverius*, Calvinianus fuit, ſed hiſtoriam illam non annotavit.

LIB. III. CAP. XXV.

Summaria.

Eſaiæ Stifelii Paradoxa.
Illuminatorum Hiſpanico-Sevilienſium ſecta.
Atheiſmi per Galliam graſſantis incrementa horrenda.
Merſenni de eo teſtimonium.
Verulamius de Atheis.

E*Saias Stifelius*, de quo lib. I. cap. XXV. circa hoc tempus quarta vice recoctos errores apponere cœpit; utque citiùs incautos homines caperet, breves aliquot libellos publici juris fecit, ex quibus errorum fanatici & abſurdi viri ſumma huc redit: „ DEUM eſſe tri„ plicem eſſentiam, nempe paternam, quam vocat, virtutem & po„ tentiam, omnibus eſſe ſuum impertientem; Filialem eſſentiam, „ quam vocat Verbum, quô Pater omnia dicendo crearit; Moven„ tem denique ac vivificantem eſſentiam in patre virtutis & verbo, „ per quam omnia vivant, ſeſeque moveant. Amorem eſſentialem, „ vocem Divinam, ſonum & clangorem Deitatis, eſſe ſponſam atque „ uxorem DEI, in qua & cum qua Filium ſuum verbum prolatum „ genuerit. Scripturam, quæ verbum DEI vocetur, mortuam eſſe

„ literam nullius virtutis & efficaciæ. Hominibus ac Angelis (quos „ corporeos finxit) eſſentiam Divinam eſſe ingenitam & concreatam. „ DEUM condidiſſe Adamum in ſua imagine, puta in JEſu Chriſto. „ Adami animam eſſe DEI ſpiraculum triunum, conſiſtens in virtu- „ te, verbo, & vita, inque hoc ipſo imaginis concreatæ ſimilitudinem „ apparere. Nil in cœlo ac in terra bonum eſſe, excepto ſolo DEO; „ Chriſtum autem in homine eſſe illud ESSE, quod ſolum in homi- „ ne bonum eſt. Carnem & ſanguinem Adami non regenerari, nec „ regenerationis capacem eſſe. Chriſtum eſſe DEUM triunum, „ ſemen mulieris æternum, ex quo concipiantur & naſcantur ho- „ mines. Chriſtum conſtare ex duabus perſonis, Magnâ & parva; „ Magnam quotidie adhuc hominem fieri; ſecundum parvam Chri- „ ſtum ab æterna imperfectè incarnatum fuiſſe. Meritum Chriſti „ noſtram juſtitiam non eſſe, ſed facere tantùm, ut rurſus eſſentia- „ liter DEUS, vel Theanthropos, aut antropotheus homo fiat. „ Chriſtum in hominibus immediatè omnia, internè & externè ope- „ rari ac facere, ut concionari, edere, dormire. Chriſtum etiam An- „ gelos redemiſſe. Verè credentes ex DEO ipſorum patre, ac ejus „ dilectione (ſeiner Gemahlin) regenerari eſſentialiter fierique Thean- „ thropos & Homini-Deos, non duo, ſed unum cum DEO. Se- „ men eſſentialis regenerationis eſſe Chriſtum. Fideles eſſentialia „ corporis Chriſti membra eſſe. Eſſentialiter regeneratos eſſe o- „ mnipotentes, omniſcios, ſedere ad dexteram DEI, non poſſe mori „ morte peccati. Eccleſiam DEI conſtare ex puris ſanctis eſſentia- „ liter regeneratis, qui ſine peccato & macula ſint, qui divina hu- „ manaque omnia intelligant; qui Medicinâ non indigeant, & æ- „ grotos impoſitione manuum ſanare poſſint. Miniſtros verbi ab „ hominibus tantùm vocatos, ad hominum regenerationem nil face- „ re. Miniſterii verbi eradicationem, artium liberalium extermi- „ nium, Romani ruinam Imperii cum ſuis membris futuram eſſe. „ Regnum æternæ plenitudinis, Chriſtum in terris erecturum, & im- „ maculatam hæreditatem illam, hactenus in cœlo reſervatam, „ in terra manifeſtaturum, &c. Ita recenſent Hieron. Krom. in H. E. pag. 657. ſeq. & autor conſiderationis Germanicæ controverſ. inter Saxon. & Helmſtad. notarum 100. pl.

In *Sevilia*, ditione Hiſpanica ſub Epiſcopo Hiſpalenſi, denuò prorumpit *Illuminatorum* ſecta, cœtus hominum à communione Romana declinantium, quibus non tantùm ex ignobili vulgo, ſed

ex

ex illuſtribus etiam ac ſplendidis familiis oriundi, ſe adjunxerant; jamque numerus eorum ad aliquot millia excreverat. Et quo graviori ab Inquiſitoribus crudelitate in eos ſævitum, hoc magis crebreſcere illi, & radices agere viſi ſunt. Quamobrem perſecutione tandem ſuperſedere, ac ſpe veniæ ad Eccleſiæ R. gremium deficientes invitare, propoſito tamen graviorum etiam ſuppliciorum metu, ſi qui animum adverſus oblatam gratiam obfirmaturi eſſent, coacti ſunt. Blandâ iſthac vi, & graviore metu ſeducti, paulatim alii pontificia ſacra poſtliminiò amplexi ſunt; alii verò extera in loca conceſſerunt. *Incertum, an eadem cum Evangelicis ſtatuerint, an erronea & fanatica dogmata ſectati fuerint? prius* nonnulli affirmant ex eo, quòd jam anno 1555. occulta purior Eccleſia Hiſpali extiterit, ſed mox oborta perſecutione, iterum diſſipata; *poſterius* alii tenent, quia Illuminati iſti feruntur docuiſſe, vi orationis mentalis & unionis cum Deo, hominem eò perfectionis ſubvehi, ut neque Sacramentis, neque bonis operibus opus habeat; adeòque *Molinoſio*, de quo ſuo loco dicendum, præluſiſſe. Firmatur hæc ſive conjectura, ſive ſententia, ex *actis Molinoſianis*, quæ teſtantur expreſsè, ipſum Sevilienſem Epiſcopum à partibus Molinoſii propalam ſtetiſſe. Lex Hofm. A 821. & Rang. in novo Molinoſ. Quakeriſm. pag. 119.

In Gallia horrendè graſſatur *Atheiſmus*; quippe de una Lutetia ſcribit autor fide digniſſimus, quod anno 1623. Atheorum ſocietas ibidem in quinquaginta millia excreverit, & in unica ſæpè domo duodecim reperti fuerint, qui hanc impietatem confiterentur. Hinc *Johannes Müllerus*, Hamburgenſis, cùm ex magni nominis quodam Gallo quæreret, cujus Religionis eſſet Armandus Cardinalis Richelius, per ea tempora in primam Regni curam vocatus? id reſponſi accepit, *planè nullius*! ſubjicienti, cujus religionis Gallicani principes? repoſuit ille ſecunda vice, *planè nullius!* Roganti, quiſnam in Gallia religionis curam haberet? *plebs*, quæſitus regeſſit. vid. D. Wagneri Exam. Atheiſm. Speculat. 11. Joh. Müll. H. Atheiſ. devict. pag. 27.

Marinus Merſennus, Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, volumine quæſtionum in ſex priora Geneſeos capita, hoc ipſo anno typis exſcripto, potiſſimùm contra monſtroſam Atheiſtarum ſectam, ſtatim in præfatione fatetur, Pariſiis ingentem eorum numerum inveniri, qui DEUM aliquem eſſe negent obſtinatiſſimè & pernegent; qui fortè in ſimpliciorum aliquem, ſeriò de DEO verba

facientem, incidentes, eum ſalsè exagitent, interrogantes: „Ubi „eſt DEUS tuus? cur alium tibi fingis DEUM, quàm Rationem „tuam? An neſcis inſtitutum DEI cultum, non quòd iſte reverà „ſit quippiam, ſed ut credulum vulgus intra obedientiæ ac officii „cancellos faciliùs retineatur? Imò addit Merſennus, Pariſiis inter ſeculares eò deveniſſe Impietatem, ut nullum credant Eruditum, qui non ſit Atheiſta. Hi faſtuoſa ſibimet fingunt, imponuntque nomina; nempe *de grues* inter populares dici amant, quòd non facilè fallantur ut grues; *Eſprits forts*, quòd induruerint in formam nihil credendi; *Gens de Service*, quod maximè apti aulis &c. Johannes Schmid/ Argentoratenſis, in Concion. 17. de Conſcient. 335. J. A. Oſiand. Exercitat. V. de Notit. Dei, theſ. 4.

Quis ad hæc non ingemiſcat, dum ejusmodi *monſtra hominum* inter Chriſtianos homines tolerantur; imò & honorantur, qui non digni ſunt, ut homines vocentur? cum eum eſſe negent, à quo tamen homines orti, & in quo vivunt, moventur atque exiſtunt. Rectè benèque *Fr. Bac. de Verulamio:* „Qui Deos (rectius: Deum) negant, „inquit, nobilitatem generis humani deſtruunt; nam certiſſimum „eſt, hominem brutis cognatum eſſe, quatenus ad corpus. Quodſi, „quatenus ad animam non intercedat ei cognatio cum DEO, vilis „eſt planè & ignobilis creatura. Deſtruunt quoque magnanimita„tem, & humanæ naturæ exaltationem, Athei. Cape exemplum à „cane; & obſerva quantos ſibi aſſumat animal illud ſpiritus,& quan„tam generoſitatem induat, cùm ſe ab homine (qui ei eſt vice Dei, „aut melioris naturæ) impulſum perſpiciat? quam fortitudinem li„quidò cernas tantam eſſe, quantam creatura illa, absque fiducia „melioris naturæ, quàm propriæ, æquare nullo modo poſſit. Simi„liter & Homo, ubi innititur & ſpem collocat in Divina providen„tia, gratiaque, fiduciam & vires colligit, quales humana natura, ſibi „relicta, nequiſſet attingere. Quare ut Atheiſmus in omnibus o„dium meretur, ita in hoc, quod privet naturam humanam, facul„tate ſe ultra fragilitatem humanam attollendi. Quod quemadmo„dum fit in perſonis individuis, ita ſimiliter in Nationibus, &c. de Verulam. ſermon. fidel. XVI. de Atheiſm. pag. 64. Claſen. de relig. polit. 74.

LIB. III. CAP. XXVI.

Summaria.

Querelæ Orthodoxorum, de novaturientis G. Calixti heterodoxia.

A Gieſenſibus Theologis, declarationem de controverſis quæſtionibus Wirtembergenſes impetrare non poſſunt.

Arndii libros de Chriſtianiſmo, impugnat Oſiander, Varenius & alii vindicant.

De iis Dannhaueri, & Nicolai judicia.

Reihingius Apologiam edit, ac de contemptu Scripturæ S. Jeſuitico teſtatur.

Proteſtantium cauſam Juſtus Mejerus contra Caſparum Sciop. agit.

Meiſnerus Conſultationem Catholicam exhibet.

Forerus Lutherum Thaumaturgum protrudit.

ANno 1623. in arce Jenenſi à *duodecim Theologis*, qui convenerant ibi, multæ & graves *querelæ* movebantur, ob varios *Georgii Calixti* Helmſtadienſis errores, ejusque periculoſas in pluſculis articulis novitates. Quoniam autem intra queſtus t. t. omnia propemodum permanebant, nec ultrà factus progreſſus, ideò ſequentibus annis è ſtudio illo novitatis in Academia Julia, cæteris Academiis & Eccleſiis purioribus multum negotii, tædii, atque ſcandali ſubortum eſt per totam Germaniam. Hartnak. in Contin. Micræl. H. E. tit. diſſid. ad Helmſtad. excitat.

Poſt acceptas ab Electore Saxonico literas, de quibus vid. præced. cap. 19. Wirtembergiæ Dux, Haſſiæ Landgravium iteratis epiſtolis admonuit, ut vi tranſactionis ac receſſus Stutgardiani ſub 26. Sept. 1621. Theologi Gieſſenſes, declarationem ſuam ſuper Wirtembergicorum fundamentis & propoſitis compoſitionis mediis communicare velint, quò, quid utraque pars de quæſtionibus inter ipſos controverſis teneret, Electori propediem transmitti, ejusque poſtulato ſatisfieri poſſit, votumque Theologorum ejus conſultivum exquiri. Sed ad hanc repetitam petitionem *Wirt. Princeps, ut Menzerus & Feurbornius declarationem vel reſponſionem ſuam darent, impetrare non potuit, &c.* Inde ſub initium ſequentis anni prodiit *Saxonicorum Theologorum*, qui ſtabant à parte Gieſſenſium, ſic dicta Controverſiæ DECISIO; ſed eâ non tàm ſubſtitit, proh dolor! concertatio, quàm accrevit. Act. Menz. Tub. ed. præf. ult. pag.

D. Lucas Oſiander, Theol. Wirt. & Academiæ Tubingenſis Cancellarius, poſtliminiò *adverſus Joh. Arndii libros de vero Chriſtianiſmo inſurgit*, eosque impugnat ſtylo perquàm acri; Etenim in præfatione ſtatim dicit: „ Eos eſſe veneno hæretico imbutos, peſtilentes, puro „Evangelio contrarios, Papiſmo, Calviniſmo, Flacciani ſmo, Sven-„ cofeldianiſmo, Wigelianiſmo &c. turgidos, qui ſine periculo ſalu-„ tis, à ſimplicioribus, nullâ planè ſincerorum Theologorum admo-„ nitione præmunitis, legi haud poſſint. *Arndium* verò, *Henricus Varenius*, *Paulus Egardus*, & alii plures, vel *excuſarunt*, vel etiam *defenſarunt* ſtrenuè, ſiquidem ad excitandum verum pietatis affectum utiliter adhiberi ejus libri certiſſimè poſſint. Cum hisce autem non omninò facere vult *Job. Conradus Dannhauerus*, in Illice & Obice pacis Eccleſiarum pag. 351. ſcribens: „ Haud longè abſunt à Paulini opi-„ nione, qui in Arndiana ſcripta præ amore furunt. Arndio ipſi ſuas „ admetior laudes, quas eidem D. Gerhardus etiam admenſus; non „ exaggero, non recoquo aliorum monita, dummodò hoc ſcire ve-„ lint Arndiani, non ſufficere viri illius ſcripta ad ſolidam pietatem, „ adque ſuccos Evangelicos è myſteriis fidei, & hinc generoſos fru-„ ctus eliciendos; quos longè dexteriùs, puriùs, ſolidiùs in ſuis Com-„ mentariis in Moſen, Pſalmos, Prophetas, cœleſti nectare plenis, „ deduxit Magnus Lutherus, ab ingrato licet orbe faſtiditis, inve-„ nias: Deſiderari adhuc ad pietatis lucem, & Aſphaleian, conſcien-„ tiæ informationem in mille caſibus, qui cruciare poſſunt conſcien-„ tiam non omninò abdicatam, inexpeditis, ut certus ſis, pietatem „ reverà eſſe, quam ſimulas; nec ſolùm ſcias, quòd oporteat pium „ eſſe, ſed & quomodò oporteat? ne præpoſtero Conſilio fructus col-„ ligantur, ante plantatam in corde arborem. Confer an. 1615. cap. XXV. & 1620. cap. V. Micræl. H. E. 461. Rem acu tetigiſſe videtur *D. Melchior Nicolai*, in Operæ pretio ad Manupretium Foreri pag. 28. „ De Arndio, inquiens, certum eſt, illum, quæ incautiùs ſcripſit, „ voluiſſe ex norma Auguſtanæ Confeſſionis intelligi, neque tamen „ minùs Oſiandrum, qui non injuriâ metuebat, ne quibusdam ex „ novis & incircumſpectis locutionibus, nemine reclamante, novi „ errores, aut novæ veterum incruſtationes orirentur, ſat cauſæ ha-„ buiſſe, cur cenſoriam virgulam in eum ſtringeret, acriorem qui-„ dem, multorum judicio, qui non animo, ſed lingua (calamo) la-„ pſum credebant, optimo tamen ex animo, Deum ſolum & Eccleſiæ „ utilitatem præ oculis habente, profectam. Et, in umbellæ ſomnio

Fo-

Foreriano, idem Theol. Wirt. breviùs, pag. 161. „ De Arndianiſmo „ paucis dico, controverſiam eſſe verborum, non rerum, & à Luca „ Oſiandro, Collega olim honorando, zelo retinendæ puritatis, non „ tantùm in rebus, ſed etiam in verbis, vehementiùs, quàm res poſtulabat, exagitatam. Hæc D. Nicolai.

D. *Jacobus Reihingius*, olim Lojolita, poſt veritatis Confeſſor & Profeſſor, hoc anno *Apologiam* pro Laqueorum P. (quos Araneorum operas indigitarat) contritione in lucem emiſit, ubi inter alia notatu digna de ſeipſo, ut Jeſuitâ, ſcripſit: „ Quatuor annis integris Ingolſtadii inter Jeſuitas, Theologiæ Studioſos, vixi, & tamen non „ modò non quotidiè, aut alternis diebus, ſed nullo omninò die, „ nec ego, nec quisquam condiſcipulorum è Jeſuitis Scripturam „ explicari audivimus; Profeſſor ibi Scripturæ nullus fuit. Qui de „ externis clericis publicus S. literarum Profeſſor fuit, ejus lectionem „ adiri & audiri à ſuis, pro arrogantia ſua Jeſuitæ dedignantur, &c. Et hæc Reihingius adduxit, ut illud, quod in Laqueis contritis poſuerat, probaret: „ Nempe Jeſuitas ſplendidiſſimo Divinarum tradi„ tionum nomine deceptos, humanorum figmentorum laqueis ca„ pi, unde nunquam, niſi aſſiduâ Scripturæ Divinæ lectione ac vo„ lutatione, evadere queant; ſed ne evadant, plerisq; obſtaculo eſſe, „ quod frequentiùs ac ſtudioſiùs Theologorum Scholaſticorum, „ quàm Divinorum vatum & Apoſtolorum volumina, ab iis legan„ & terantur; ſæpiùs Thomæ, quàm DEI codex in manibus ſit; Ad „ audiendum Thomam in Academiis concurrant plurimi, ad Scri„ pturæ Sacræ interpretationem perpauci. Allegat Joh. Gerhard. in Confeſſ. Cathol. tom. general. 348.

De Proteſtantibus in Germania, temerè *Gaſpar Scioppius*, in Claſſico belli ſacri pag. 17. pronunciarat: *Illos jure Cæſareo hæreticos eſſe*, & ob hanc, ut Principem cauſam proſcribendos, interficiendos, extirpandos. Sed Evangelicos Proteſtantes, Auguſtanæ Confeſſioni addictos, jure Cæſareo non eſſe hæreticos, eorumque religionem non eſſe hæreſin, pulcherrimè demonſtravit JCtus *Juſtus Mejerus*, Anteceſſor Academiæ Argentinenſis in *Quæſtione Capitali Juris publici*: An Proteſtantes Jure Cæſareo ſint Hæretici? contra Claſſicum Scioppii, editâ anno 1623. confer. 1629. cap. LIII. vid. D. Dorſch. Diſſert. ſecular. de Conſequentibus A. C. inſignioribus. pag. 65.

Anno 1623. Wittembergæ typis Gormannianis excuſa eſt *Balthaſaris Meiſneri*, Profeſſ. ibid. Theolog. *Conſultatio Catholica, de fide* Lu-

Lutherana capeſſenda, & Romano-Papiſtica deſerenda, contra Leonhardum Leſſium. Ea, uti à purioris Theologiæ Confeſſoribus approbata eſt, & allegata ſæpiſſimè cum honorifica autoris mentione; ita peſſimè audit à *Forero*, ceu deteſtabilis liber. D. Pfeiffer in Lutheraniſmo ante Lutherum, lit. U. Forer. in Par. nob. fratr. Thum. ac Zeæman. 137. ſeq.

Claudat præſens Caput venenatiſſimus libellus, *Lutherus Thaumaturgus, Laurentii Foreri*, Lojolitæ Dillingenſis, ſub idem tempus in lucem editus. *Forerus*, ut alibi, ſic etiam in Symbolo Lutherano, falsò inſcripto, Viri DEI vocationem, præſertim extraordinariam, ad Veritatem Evangelicam ab ejusdem ſuperinductis ſordibus repurgandam, odioſiſſimè exagitavit, & nullitatis arguit ex defectu miraculorum patratorum; Illi ergò reſponſum ab *A. C. Theologis* in hanc ferè ſummam: Miraculum omnium miraculorum maximum fuiſſe, unius inermis Monachi, nulla autoritate, nulla externa potentia ſuffulti voce (& calamo) quaſi repentino impetu labefactatam Papæ poteſtatem, quæ multis ſeculis vel potentiſſimis Regibus & Monarchis inſultarit; Ac Idolomaniam AntiChriſtianam inſimul plurimis in regnis atque provinciis extirpatam, &c. Hîc autem tàm calumnioſè, quàm ſcopticè regerere auſus *Lojolita:* Non à Domino, ut Prædicantes glorientur, ſed à Dæmone factum eſſe iſtud Miraculum, & eſſe miſerabile, non mirabile in Papicolarum oculis! At os ei poſtmodùm obturavit an. 1627. Lutherus Thaumaturgus vindicatus &c. D. Pfeiff. Luther. ante Luth. 193. Nicolai D. in Luthero à Characteribus Forerianis vindicato, pag. 135.

LIB. III. CAP. XXVII.

Summaria.

Dignitas Electoralis N. Palatini, in N. Bavarum transfertur.
Jacobus M. Britanniæ Rex ſpe ſua excidit.
Fr. Palatinus infelicis Principis exemplum.
Chriſtiani Brunovicenſis fortuna adverſa.
Novi motus Bethlemii, novæ viciſſim induciæ.
Utraque Luſatia Electori Saxoniæ conceſſa.
Ad faſtigium Principale evehuntur Zolleranus, Salmenſis, Eggenbergius.
Intra ſedecim menſes Turcia tres videt Sultanos.
Auguſti, Ducis Brunovicenſis nuptiæ.
Johannis, Comitis Naſſovii Sigenſis mors.

Initio

INitio hujus anni Cæſar, indictis Ratisbonam *Comitiis Electoralibus*, quæ tamen Saxo & Brandeburgicus nonniſi per Legatos obiére, proſcripto jam antè Friderico Palatino, *Electorale faſtigium Bavariæ Duci Maximiliano* contulit, qui in coërcenda Auſtria Boëmiaq; multum operæ ſumptuumque impenderat. Tum temporis maximè intererat Imperii *Univerſalia* indici atque celebrari *Comitia*. Quare autem hoc ſit intermiſſum, variè eſt à multis acceptum, inprimis quòd *Palatino*, lege Majeſtatis abrogatâ ſeptemvirali dignitate, ſufficeretur alius. Nam etſi meritus pœnam Palatinus videbatur, non tamen Cæſaris autoritate ſola, ſed de conſilio conſenſuque Electorum, eſſe puniendum exiſtimabant. Quod ad *pacem Germaniæ reſtituendam* attinet, inter Principes ac Status Imperii quidam erant, putantes, eam clementiâ & benignitate Imperatoris longè meliùs, quàm ullâ ſeveritate aut pœnis revocatum iri; nempe, ſi Palatinus renuncians Regno Boëmiæ culpamque deprecans, in gratiam reciperetur, ac in dignitates & provincias avitas reponeretur; aut, ſi hoc fruſtrà eſſet, ſaltem filiorum, & cognatorum in translatione Electoratûs ratio haberetur. Sed *Imperator* propoſiti tenax, menſe Martio comitia diſſolvit, & beneficium Bavaro deſtinatum, ratum voluit. Turſell. hiſt. append. 2. 18. Burgold. Rerum Imp. A. 86.

Intereà *Jacobus, Magnæ Britanniæ Rex*, Hiſpanici occaſione matrimonii, Palatinum generum reſtituere ſperaverat; Sed *Frankenthallo* dedito, deluſum ſe vidit. *Fridericus* autem, *Infelix Princeps*, vanis promiſſis jam exutus omnibus copiis, ditionibus atque dignitatibus, documentum præbuit mortalibus, magna negotia faciliùs incipi, quàm terminari; Et conſanguineos, fœderatosque ſocios, inania eſſe nomina, niſi quis propriis inſtructus viribus per ſe ſtare ac reſurgere poſſit. Oſtendit porrò Deus in ſublimibus & ad ſplendorem propoſitis perſonis, quid ſit homo? Qui ante paucos annos erat Princeps Elector, & inſtinctu Bohemorum Rex, nunc ab omnibus ditionibus extorris, Exilium cogitur agnoſcere regnum; Feliciſſimus Electorum, niſi regnaſſet. Adeò verum eſt illud: Quantò altior gradus, tantò gravior caſus! Etiam præſens fortuna, ſummos dignitatum apices à ſe tenui filo ſuſpendit; & cùm ita viſum eſt, abrumpit. Horn. Orb. pol. 320. ſeq. & Burgold. loc. cit. 84.

In *Saxonia inferiore*, cùm *Principes* finium tutandorum cauſa conſcripto milite, *Chriſtianum Brunovicenſem* copiarum Ducem legiſſent, ſed mox offenſionem Cæſaris veriti, exautoraſſent iterum; Ille

armis haud ſeciùs retentis, adverſus Ligiſtas nova denuò molitus eſt; Mox autem *Tillius* prope Statloam aggreſſus eundem, in finibus Weſtphaliæ, *memorabili clade profligavit*, antequam ſcil. Mansfeldio jungeret, exercitum in Friſia reficienti. Cluver. hiſt. 792. Theat. Europ. 839. 845.

Dum hæc in Germania fiebant, *Bethlemius* Transſylvaniæ Princeps, ope Turcarum, & inſtigantibus Auſtriacorum hoſtibus, iterum *Hungariam* aſſuetis populationibus *incurſavit*, atq; Cæſaris exercitum, quem ducebat Montenerius, vehementer attrivit. Sed novis adventantibus Cæſareanis copiis, diffugientibus inſimul Turcis Tartarisque, queis ſubita magis quàm diuturna bellorum ratio, *ad inducias compulſus eſt*, ea lege, ut Principis Imperii deinceps titulo abſtineret, Oppeliæque ac Ratiboriæ Ducatibus cederet; in cæteris eò faciliore Ferdinando, quòd novum bellum ex Germania metueret. Europ. Theatr. 860. & Epit. Rer. Germ. Papp. 36.

Tum temporis menſe Junio Imperator *Ferdinandus II.* Pragam Vienna profectus, miſſis ad *Johannem Georgium primum, Electorem Saxonicum*, Legatis, ei pro navatæ operæ in bello Bohemico ſufficienti præmio, *ſuperiorem ac inferiorem Luſatiam* liberaliter conceſſit; ab eoque tempore delinitus Princeps, in translationem ſeptemviralis dignitatis à Palatino ad Bavarum, faciliùs conſenſiſſe dicitur. Turſell. hiſt. ap. 2. pag. 19. Birken Sächſiſcher Helden-Saal. 636.

Sed *Johannem Georgium, Comitem Zolleranum*, Eitelii Friderici filium, qui olim à Rudolpho ſecundo in Cubiculariorum & Conſiliariorum numerum cooptatus, & à Matthia Imperialis Judicii Aulici Præſes lectus erat, Ferdinandus II. *in Principum Imperii Claſſem evexit*; dato diplomate, quo Cæſar conſtituit, ut ipſe ac filius ejus primogenitus, omnesque eorum poſteri, quicunque Principalem Comitatum, & Caſtrum Gentilitium Hohenzollern poſſeſſuri eſſent, Principali axiomate in perpetuum eminerent. Notit. Procer. Imhof. 757. Calviſ. Chron. 990.

Eundem honorem nactus eſt *Philippus Otto, Salmenſis Comes*, in cujus dignitatis partem ejus etiam filius major natu, cunctique poſteri qui Comitatum Salmenſem poſſeſſuri ſunt, vocati fuerunt. *Johannes Ulricus Eggenbergius* autem, hactenus inter Barones numeratus, virtute duce, comite fortunâ, cùm multis magnisque meritis apud Imperatorem Ferdinandum valeret, multis quoque cumulatus eſt præmiis; Etenim non ſolùm Crumloviâ, egregio in Bohemia ca-

ſtro

ſtro, quod Roſenbergiorum quondam fuerat, ſub Ducatus titulo auctus, ſed & in Comitiis Ratisbonenſibus ad Principale faſtigium, cum omnibus ac ſingulis poſteris ſuis, utriusque ſexus, elatus, Notit. Procer. 764 779.

Muſtapha, Turcicus Imperator, qui Oſmanno, ex fratre nepoti, à Janizaris trucidato, nuper ſuffectus fuerat, cùm Imperio ferendo, ipſe mentis non ſatis compos, impar eſſet, ſolium ceſſit *Amurathi IV*, ſedecim annorum puero. Sic intra totidem menſes, nempe ſedecim, Turcia tres vidit Sultanos. Cluv. 793. Wagner. Limin. Geneal. 356.

Tunc temporis *Auguſtus*, Dux Brunovicenſis & Lunæburgenſis, in thalamum aſcivit *Rudolphi, Principis Anhaltini, filiam Dorotheam*, ex qua pulcherrima prole in ſubſidium ſimul & ſolatium auctus eſt. Ex Imhof. Notit. Procer. Imp. Germ. 470.

Sed ſeculo valedixit, *Comes Naſſovienſis Johannes*, cognomento Medius, *lineæ Sigenſis*, quibus per Teſtamentum ditionem ſuam diviſit, filios tres poſt ſe relinquens, nempe Johannem, Wilhelmum, & J. Mauritium. *Johannes* autem, cùm vivo adhuc parente *ad Romana ſacra deſciviſſet*, eo mortuo Teſtamentum impugnavit, multisque ac diuturnis litigiis anſam dedit. Vid. Notit. Procer. 802. ſeq. Calviſ. 991.

LIB. III. CAP. XXVIII.

Summaria.

Ludovicus XIII. non ſine ſplendida pompa Lutetiam ingreditur.

Abſtinentiæ à cibo & potu rariſſimæ exemplum.

Annona nimium quantum cara: Farina admiranda.

Conjunctio Saturni & Jovis: Globus igneus cœlo delapſus.

Portenta ſanguinea: Pluviæ cruentæ: Papilionum copia & conflictus.

Conflagratio Hægerana, Slebuſcenſis, & Bergenſis.

Legatus Saxonicus à proprio ſervo interfectus.

Henrici Slatii conſpiratio &c. detecta & vindicata.

PAce cum *Hugonotis* inita, *Rex Lutetiam* redire ſtatuit, ovansque urbem *ingreditur*. Majori *triumpho*, quem paraverant ingenti pompa Pariſienſes, obſtitit, quòd Gallico de ſanguine triumphari non poterat ſine luctu. Non aliàs populi acclamatio major; ſtat circumfuſa Regi plebs, & ſequitur. Ad portam urbis provolvitur in genua municipalis magiſtratus, & humilimè ſalutato Rege, offert ex

auro Obryzo cor, ſpecie palpitantis, ex cujus concavo lentus ignis in Sabæum odorem evaporatur, ea inſcriptione: *Rex victor pacem revehit, pacisque ſorores*. Ex adverſo inciſum: *Optatam ingredere optatus feliciter urbem!* In limine, arcus triumphalis, cui appenſa tabella, aureo charactere inſignita: ,, LUDOVICO XIII. Chriſtianiſſimo, pio, ,, felici, victori, P. P. avitâ religione omnibus Imperii finibus reſti- ,, tutâ, debellatis terrâ marique perduellibus, expugnatis ſeu vindi- ,, catis autoritati Regiæ CENTUM URBIBUS, caſtellis, præſidiis- ,, que innumeris, pace partâ poſt tàm felices ſucceſſus urbem intran- ,, ti, Præfectus atque Ædiles Numini, Majeſtatique ejus devotiſſimi, ,, P.D. M DC XXIII. Gramond. lib. 13. 582.

Cæterùm penè fidem ſuperat, quæ tamen ex fide dignis autoribus refert Eraſmus Franciſci, nempe tum temporis extitiſſe quandam, nomine *Evam Fliegin*, Mörſæ natam & educatam cœlibem perſonam, *ſine ullo cibi potusque uſu inde ab anno 1597. ſuperſtitem*. Diu paſtorem loci, Conradum Feldhuſium, noluiſſe credere, ex vero eſſe, quòd nominata nullis omninò eſculentis & poculentis ad vitæ ſuſtentationem uteretur, eaque propter illam aliquandò poſt auditam concionem veſpertinam ſecum duxiſſe domum, ſolicitèque longiuſculo tempore cuſtoditam detinuiſſe, donec viderit, nullam dubitandi de hominis inedia cauſam adeſſe. Nec ſilentio involvendum, Fliegam iſtam fortè à Comitiſſa de Mörſa perſuaſam ad eſum unius tantùm ceraſi, continuò ceu moribundam procubuiſſe, dein lentè & ſucceſſivè ad priſtinum ſtatum rediiſſe. Franciſc. in Theat. memorab. part. 2. 921. ſeqq.

Circa tempus autumni tanta *annonæ caritas in Sileſia, Moravia &c.* fuit, agris paſſim ſegete deſtitutis, ut unicus tritici modius triginta, ſiliginis autem viginti Imperialibus venierit, fameq; & peſte quàmplurimi perierint. *In Alſatia* verò juxta Obernburgheimenſe oppidum, ingens *farinæ* cumulus ex terra, in patenti campo prorupit; quam homines egeni ad conficiendos panes, pulmentaque pro infantibus inde paranda convenientem, magna ſecum copia aſportarunt. Enarraute Calviſ. cont. 991.

Menſe Julio accidit magna illa & ominoſa *conjunctio Saturni & Jovis*, in ſexto gradu leonis, de qua Mathematici multa. Menſe Novembri *globus igneus cœlo delapſus*, Argentorati, Ulmæ, Spiræ, Tubingæ, aliisque in locis conſpectus, multis terrorem incuſſit. Lampert. Alard. Præf. Hiobitiſcher Trübſ. 3, Calviſ. l. c.

Ju-

Juſtiſſimam indignationem ſuam adverſus continuata hominum peccata, luculenter t. t. Deus patefecit. evidentibus hinc inde *prodigiis*. „ Vidimus, inquit fidei probatæ hiſtoricus, in Saxonia Inferiore ac Dania, aquas *cruore* congelatas in ſtagnis, vidimus è trabibus deſtillantes *ſanguinis* guttas; audivimus quorundam panes, menſas, ocreas, alia *ſanguinem* ſudaſſe; viſi exercitus inter ſe confligentes in aëre. Viſæ in arboribus natæ fruges, quaſi terra iis indigna foret, hominum ingemiſcens nequitiæ. Verba ſunt Johan. Cluv. in Epit. hiſt. 794.

Cruentas quoque *pluvias Wirtembergia* vidit, *Herprechtingæ* præſertim; aliaque variis in rebus portenta ſanguinea obſervavit. Similia non minùs apparuére in Boëmia, in Franconia, in Haſſia, in Rhætia, &c. Nec tacendum de *fuſcorum papilionum copia*, qui menſe Junio prope Imperialem Sueviæ urbem *Eßlingam*, in aëre ſe tanto numero congregarunt, ut ſplendorem ſolis interciperent; Ii denique in duo agmina diviſi, pugnabant invicem, plurimique decidentes mortui, terram obtegebant. vid. Theat. Europ. 889. ſeqq. Schwelin. Chron. 406.

Hægera, Comitatus Naſſovii Dillenburgenſis oppidum, incendio caſuali oborto, trium horarum ſpatio totum in cineres converſum. miſerè periit. *Slebuſcum* verò in Juliacenſi ducatu, ab Hiſpanicis militibus, cum præſidium admittere recuſaret, exuſtum. *Bergaque* totius Norvvegiæ celeberrimum Emporium, hoc etiam tempore maximam partem flammis abſumptum. Calviſ. Chron. Hofm. Lex. A. 276.

Saxonici Electoris Johannis Georgii primi, Conſiliarius & Legatus ad Comitia Ratisbonenſia, nomine *Johannes Georgius à Polnits*, per miniſtrum proprium (ut videri volebat) ebrium, Januario menſe cultro transfoditur; proprio id ſervi motu, an aliorum inſtinctu factum, non liquet. Stratem. theat. hiſtor. 1119. Theat. Europ. 810.

Henricus Slatius, Theologus ex Arminianis durior, ſcriptis notus, at paulò ferocior, unà cum aliis circa initium anni 1623. *conſpiravit* adverſus *Mauritium* Principem Auriacum (quem paucô ſatellitiô ſtipatum in venatione cogitabant opprimere) ſed conſpiratione maturiùs detectâ. captus autor primarius, cum ſociis, cuſtodiæque traditus, mox Unitorum Belgii Statuum ſententia capite truncatus, rotæque impoſitus eſt, palo capite affixo; Tres alii, ut *Cornelius Gertſen*,

ſen, *David Comvvinder*, & *Hadrianus à Diek*, poſt decollationem decuſſatim diviſi, & publico ſpectaculo expoſiti; *Barnefeldius Junior*, & reliqui, gladio fuére percuſſi, ac ſepulti. Hieron. Krom. hiſt. Eccleſ. 668. Scrut. Rel. 190.

LIB. III. CAP. XXIX.

Summaria.

Religionis purioris exercitio Bohemia ex Moravia prohibentur penitus.

Ex Auſtria item Superiori pelluntur orthodoxi, unaque cum illis Hizlerus.

Nec ægris ibi uſus beneficiorum Eccleſiæ Evangelicus indulgetur;

Uti nec ſanis ad illum vel peregrè pertingere conceditur.

Guſtavi Adolphi, Suecorum Regis, curæ religioſæ.

Beata exodus Johannis Affelmanni; Henrici Eckhardi; Matthæi Vogelii jun.

Cyrillus Lucaris, Patriarcha Conſtantinopol. ſedi reſtitutus, Metrophanem Critopulum in Angliam & Germaniam mittit.

Critopuli confeſſio de Capite Eccleſiæ.

Friderici W. D. erga Critopulum clementia.

ANno 1624. *purioris religionis exercitium* univerſis Regni *Böemiæ* & Marchionatûs *Moraviæ* ſubditis, mandato Ferdinandi 2. Regis ac Imperatoris, Viennæ & Pragæ publicitùs promulgato, *interdictum fuit*; atque nihil non operæ, cremandis Lutheranorum libris, diſturbandis ſacris, exagitandis & pellendis renati Evangelii confeſſoribus, impenſum; generale inprimis Eccleſiarum ſcholarumque Miniſtris exilium ſeverè impoſitum. klein Chur-Sächſ. J. G. Chron. D. Bertram. & Cluv. 796.

Superiorem Auſtriam quoque penetrans excepit *perſecutio*, in qua univerſos Concionatores & Ludimagiſtros, juſſu Cæſaris, intra octiduum, ex univerſa provincia exeſſe oportuit, aut mutaſſe religionem: quæ luctuoſa ſors *Danielem Hizlerum*, patriâ Würtembergicum, de quo ſup. cap. VIII. Antiſtitem Linzii partis Evangelicæ primarium, cöegit ovium agmen, miſerando cum balatu migrantium, ducere, ac ducentem cum familia in patriam regredi, regreſſumque ulteriores caſus triſtes exſpectare juſſit. Calviſ. Chron. 993. D. Wagner. in parentat. Hizler. 28.

Nondum verò ſatis factum Clero Papano Lutheranorum ejectione

ctione Doctorum, & ſufflaminatione omnis publici cultûs à Pontificio alieni; ſed ulteriùs ac eousque proceſſit furor, ut *vel animam agentibus interdictum*, uti *Communione privata ſub utraque*, & ſolamine, à vicinis Concionatoribus Evangelicis impertiendo, frui. Præſertim Viennæ, ad petitum Epiſcopi, publicatum Imperatoris mandatum, ne quis prædicantium Auguſtanæ Confeſſioni addictorum audeat in poſterum ullo tempore aut caſu, Metropolin iſtam, aliaque Cæſaris oppida circumjacentia ingredi, ſive ad informandum, ſive conſolandum, ſive ſacramento reficiendum ægrotos, nedum alios quosquam, ſed omnibus ejusmodi actibus ubique, ſemper, & in totum abſtineant, niſi graviſſimas animadverſiones experiri malint. Calviſ. ac alii pl.

Neque ſanis licuit è loco habitationis peregrinari, ſaltem in ſolennioribus feſtis, *ad audiendos Concionatores Evangelicos, aliarum ditionum*, Auſtriacæ jurisdictioni non immediatè ſubjectarum. Id memorabili exemplo confirmat Georgius König D. & Profeſs. Theol. Altorfinus, in Caſibus Conſc. Catech. pag. 371. & ſeqq. „ Factum eſt, „inquit, cùm in Auſtria vehementer premerentur Evangelici, & „non tantùm publico Religionis exercitio, ſed & ſuis Miniſtris pri„varentur, cacodoxis autem onerarentur, magnus eorum nume„rus diſtinctis anni periodis, præſertim ſolennibus feſtis, Orten„burgum conflueret, ac Lutherani ejus loci Paſtoris, tàm in au„dienda confeſſione, quàm impertienda S. Domini Cœnà, operam „efflagitaret: quod cùm Imperator Ferdinandus ſecundus ferre nol„let, non modò publico edicto illud ſubditis interdixit ſuis; ſed & „Comiti Ortenburgico imperavit, ne hujusmodi excurrentes ad„mitteret, nec à Paſtore ſuo admitti concederet, niſi gravem Cæſa„ris indignationem atque offenſam vellet incurrere. Perculſus tàm „ſevera inhibitione Balthaſar Eder, Eccleſiæ Ortenburgicæ Antiſtes „Lutheranus, dubiusque redditus, utrum Cæſaris voluntati de„ferre deberet, & anhelantes animulas in poſterum à ſe dimittere „inanes; aut, inſuper habito mandato, deſideriis & votis adven„tantium ſatisfacere, illisque tàm in audienda confeſſione, quàm „Cœna Dominica miniſtranda, operam ſuam præſtare? Igitur ut „cautè ambularet, ac inprimis conſcientiam] ſuam tranquillaret, „fidele Conſilium à Facultate Theologica requiſivit, quod ei de„promptum eſt, &c. Quoad rem juvabit conferre D. Bald. Caſ. Conſc. lib. 4. cap. 9. caſ. 5.

In

In Suecia *Guſtaphus Adolphus*, Rex, ut alia multa, quô *religioni* ſua conſtaret *puritas*, & *Eccleſiaſticæ diſciplinæ integritas*, laudabiliter ordinavit; ſic idem *Generale Conſiſtorium* anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum vigeſimo quarto, inſtituit, in quo Controverſiæ de Religione dijudicarentur, & in Eccleſia legitimus ordo ſervaretur. Micræl. H. E lib. 3. 631. edit. 3. ex Joh. Bazii Inventar. Eccleſ. Svec.

Emortualem habuit hunc annum *D. Johannes Affelmannus*, Patriâ Weſtphalus, qui admodum juvenis annorum XXII. ob excellentia animi dona, promotus fuit ad profeſſionem Theologicam in Academia Roſtochienſi, quam egregiè, quoad viveret, exornavit: In ſcriptis præſertim polemicis elegans ac nervoſus: ex cenſura Lampadiana, de omnipræſentia Chriſti; Locuſtis Calvinianis; & ſyntagmate variarum diſputationum de Cœna, Philippiſmo, prædeſtinatione, aliisque articulis probè notus; in ipſo ætatis flore occubuit. Micræl. Hiſt. Eccl. 3. 456. confer Hornbekium, à quo ferè ſolo vapulavit; cur? vide ſumm. ejus Controverſ. lib. 9. de Luther. p. m. 698.

Et, *Henricus Eckhardus*, unus ex Theologis Gieſſenſibus, poſteà Superintendens Schvvarzenburgicus & Altenburgenſis. Compendio Theologiæ Patrum; Faſciculo & Pandectis Controverſiarum; Confutatione Piſcatoris; Tractatu de deſcenſu Chriſti; de Papa Phariſaizante; Commentario in Pſalmos, & Epiſtolam Johanniticam; nomen meruit. Sed Hornbekius etiam hunc Theologum, inprimis ob Faſciculum Controverſiarum inter Theologos Auguſtanæ Confeſſionis & Calvinianos, falsè ridet atque exagitat. Strateman. in Theat. Hiſt. 1122. Hornb. citat. lib: pag. 730.

Ad meliorem vitam abiit quoque *Matthæus Vogelius*, Abbas Herprechtingenſis, patris ejusdem nominis, qui Abbatem egit Monaſterii Alperſpacenſis, ac Theſaurum Theologicum (opus prægrande) conſcripſit, filius. Hic theſaurum parentis, germanico idiomate conſignatum, in compendia, latinè & germanicè redegit, pro iis, quibus aut ære aut tempore deſtitutis, integrum non eſt prolixos tractatus perſolvere, vel ſolutos evolvere. Schvvelin. Chron. 410. Micræl. H. E. ſyntagm. lib. 3. 551.

Hoc tempore *Cyrillus Lucaris* Patriarcha Conſtantinopolitanus, poſt relegationem in Inſulam Rhodum, Eccleſiæ ſuæ reſtitutus, *in Angliam & Germaniam miſit* proto-Syncellum ſuum, *Metrophanem Critopulum*, ad propiùs cognoſcendum, ut ait Conringius (qui olim Helmæſtadii Metrophanem optimè noverat) Eccleſiarum utriusque

que regionis ſtatum. Hic ſatis curioſè mandata Cyrilli executus eſt, amoreque prætereà doctrinæ in famigeratiſſimis Academiis, Helmſtadienſi ſcilicet, Altorffina, Wittenbergenſi, Tubingenſi, & Argentinenſi, longiuſculè ſubſtitit, & in doctiſſimorum intimam familiaritatem ſe inſinuavit. Tandem ex his regionibus in Italiam, ac porrò Venetias delatus, per mare ad ſuum Patriarcham rediit, ipſe poſtmodùm Alexandrinus Patriarcha electus & conſecratus. Eidem *Eraſmus Schmidius*, literarum tunc temporis Græcarum in Academia Leucorea Profeſſor, quem Julio menſe acceſſerat anno 1625. hoc *teſtimonium* perhibuit: Quòd fuerit Græcorum, qui ad nos venerint, & quos ipſe viderit, omnium doctiſſimus. Helmæſtadii dum Commorabatur, Profeſſorum rogatu ſcripſit *ConfeſſionemEccleſiæ Græcæ* ſeu Orientalis, ac ut vulgaretur illa, majorem in modum petiit. Verùm delituit illa, à tempore abitûs Metrophanis, in ædibus D. Conradi Horneij, ad annum uſque 1661. quo tandem accurante Johanne Hornejo, Conradi filio, in Latinum ſermonem verſa, publicisque typis edita eſt. Henric. Hilar. ad Chron. Gr. Eccleſ. Cyprii. pag. 459. ſeq. D. Elias Vejel. confer. in def. Exercit. de E. Gr. pag. 59. ſeq.

In iſta confeſſione Critopulitana, *de capite Eccleſiæ* continentur hæc notatu digna: „Nunquam in Eccleſia Catholica (vera) „auditum fuit, hominem mortalem, & quàmplurimis obnoxium „peccatis, caput Eccleſiæ vocari; Homo enim cùm ille ſit, morti „ſubjectus eſt: Intereà dum alius ipſi ſucceſſor eligatur, Eccleſiam „ſine capite eſſe neceſſe eſt, &c. Indiget porrò Eccleſia tali capite, „quod in ſublimi conſtitutum, & naturæ quidem Divinæ particeps, „omnia obſervare, ac ad melius dirigere queat, &c. Hæc igitur „cùm ſciant quatuor ſanctiſſimi & beatiſſimi Univerſalis Eccleſiæ „Patriarchæ, ſucceſſores Apoſtolorum, atque veritatis propugnatores, neminem in Univerſum caput (Eccleſiæ) appellari volunt; contenti Capite illo, de quo anteà dictum, Deificato & omnipotente, quod ad dextram patris ſedet, rerumque omnium „ſupremam habet inſpectionem ac poteſtatem. Hilarius ad Chron. Cypr. append. lit. 4. d. Vejel. Ulmenſ. Theol. cit. loc. 108.

Thomas Lanſius, in vita *Ducis Wirtembergici Ioh. Frid.* honorificam quoque *Critopuli* facit mentionem, hiſce verbis: „Et in „Turcia reos debendi habebat noſter Titus; Et ſine dubio Eruditiſſimus Græcus, Metrophanes Hieromonachus Kritopulus, Ami-

„ cus noſter, jam ſalvus pervenit Conſtantinopolin, ubi ſingularem „ ille benignitatem Sereniſſimi Wirtembergiæ Ducis, Domino Pa- „ triarchæ, & Eccleſiæ Orientis, grata mente denarrabit. Mantiſs. Conſult. pag. 696. 724.

LIB. III. CAP. XXX.

Summaria.

Jeſuitæ circulum Saxonicum curioſe nimis perluſtrare feruntur.

Contra domum Auſtriacam Fœdus à compluribus conflatur.

Militia Conceptionis S. Mariæ confirmatur.

Abyſſinia, Patriarcham ex Lojolitis nacta, Pontifici R. ſe ſubmittit.

Japonia Chriſtianos crudeliter perſequi pergit.

Decedit Wilhelmus, Bavariæ Dux, in cœnobio Carthuſiano.

Ad plures item abeunt Martinus Becanus; & M. Ant. de Dominis.

Vivere deſinens Antonius Faber, deſinit Lutheranos, in Rempublicam peccantes ſcil. accuſare.

Ei opponitur Illuſtris viri de Religione L. judicium politicum.

FAma fuit hoc tempore, *Lojolitas* mutato habitu, totum *Saxoniæ circulum pervagatos* eſſe, & accuratiùs omnes provincias perluſtraſſe, fluvios ac munimenta peculiaribus Geographicis mappis delineaſſe. Quem in finem? facilis erat conjectura; nempe, quia Pontificii præcipuam illam Germaniæ partem ſibi vendicare conſtituerant, ubique ſuam religionem introducturi, volebant S. Lojolæ filii & ipſi aliquid conferre adjumenti. Burgoldenſ. Not. rer. Imp. A. 90.

Sed cùm totius Europæ intereſſe videretur, ut creſcenti Auſtriacorum potentiæ junctis viribus obviam iretur; Ingens *fœdus contra Auſtriacos & Hiſpanos* t. t. conflatum eſt. Quippe non tantùm Angliæ, Daniæ, Sveciæ, Galliæque Reges, Hollandi & Brunsvicenſes, verùm & Veneti, Sabaudiæ Dux, Rhæti, quin imò (ut ferunt) ipſe Pontifex *Urbanus octavus*, aliique ſimul, communi Auſtriacæ potentiæ odio, conſpirarunt. Mireris fortaſſe B. L. Papam in hoc fœdere, in quo multi à Romana religione diſcrepantes continebantur, intereſſe ſuum putaſſe ſitum eſſe! ſed hoc mirum non eſt. Etenim jam olim Lanoius, Prorex Neapolitanus, dixit: *ſolenne eſſe*

Ponti-

Pontificibus, timere & odiſſe Imperatores. Alius quidam affirmavit: *Pontifici non abs re tàm timendum in temporalibus Cæſarem, quàm in ſpiritualibus Turcam.* Nimirum urget Papam Urbis Romæ & patrimonii, quod S. Petri vocant, injuſta poſſeſſio; Hoc etiam fine olim excogitata *Expeditio in Terram ſanctam*, de qua legi poterit *Wilhelmus Tyrius*, & inſigne volumen, cui titulus: *Geſta DEI per Francos.* Quùm itaque Papa hoc tempore increſcentem potentiam Auſtriacam metueret, fœderi allegato, ſaltem tacitè, intereſſe voluit. Burgoldenſis cit. loc. confer. Epit. rerum German. Papp. 40.

Intereà tamen idem Urbanus *militiam novam*, quam anno hujus centuriæ decimo nono, Viennæ ſacratam diximus lib. 2. cap. L. atque adverſus infideles & hæreticos, pro ſola Religione Romanenſi exercenda, impoſito ei *Conceptionis S. Mariæ* titulo ſcriptam, confirmavit: Cluver. 796. Hofm. Lex. confer A. 473. voce conceptio.

Vigeſimo primo Decembris, auſpicatus eſt Pontifex Romanus *Jubilæum* ſuum, inſtitutaque ſolenni proceſſione ad Baſilicam S. Petri, conſvetis inibi ceremoniis *portam ſacram* aperuit. *Invitationis formulam,* nomine Pontificis factæ, Henricus Epiſcopus Auguſtanus publicavit ſub ſignatura Dillingæ 23. Novembr. 1624. exhibuitque verbotenus D. Theodorus Thummius, Profeſſor Theol. Tubingæ typis Wildianis, in diſquiſitione peculiari, ſtatim ab initio. v. Calviſ. 993. Straem. 969.

Quo in ſtatu *res Papanorum*, circa initium ſeculi hujus fuerint *apud Habeſſinos Æthiopes*, indicavimus lib. 1. cap. XXXVII. Cùm igitur hactenus omnia ferè, Romanenſibus ex voto fluxerint, Urbanus VIII. Pontifex, ex conſueta ſuorum formula Maximus, cooperante Philippo IV. Hiſpanorum Rege, è Lojolitarum ordine creavit *Æthiopiæ Patriarcham*, *Alphonſum Mendez*, natione Luſitanum, qui receptis ceremoniis Ulyſſiponæ conſecratus, menſe Majo an. 1624. ad Goam Indiæ appulit, ac inde in *Abyſſiniam* ad *Regem* penetravit, qui mox in genua procumbens, in verba Summi Pontificis Rom. hoc modo juraſſe fertur: „Nos Sultan Saghedus (proprium „nomen erat Suſneus) Rex Regum Æthiopiæ, credimus & confite„mur, quod S. Petrus Princeps Apoſtolorum, à CHRISTO Do„mino noſtro, totius Eccleſiæ Chriſtianæ caput, conſtitutus fue„rit; Et, quòd principatus atque poteſtas totum in Mundum ipſi „data fuerit, verbis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo „Eccleſiam meam; daboque tibi claves Cœlorum! Ac alia vice, dum

„ ei dictum: paſce oves meas. Credimus conſimiliter, Papam Ro„ manum legitimè electum, in regimine verum S. Petri Apoſtoli ſuc„ ceſſorem eſſe, ac eum eandem poteſtatem, dignitatem atque pri„ matum Eccleſiæ Chriſtianæ totius tenere. Sancti Petri ergò ſuc„ ceſſori, Urbano hujus nominis octavo, per DEI gratiam Papæ ac „ Domino noſtro, & ſucceſſoribus ejusdem in Adminiſtratione Ec„ cleſiæ, promittimus, offerimus, atque juramus veram obedien„ tiam; & humiliter perſonam ac Imperium noſtrum pedibus ejus „ ſubjicimus. Sic DEUS nos juvet, ſanctaque hæc Evangelia! Idem, poſt Regem Baſilides, futurus ſucceſſor, fratres Regis, proreges ac Proceres omnes, nec non clerici, & Monachi præſentes jurarunt. Pronunciatum ſimul eſt Anathema in omnes juramenti hujus futuros immemores, & ſequuta ſunt Edicta, ne quis in poſterum Miſſam diceret, aut ullo fungeretur officio Eccleſiaſtico, ſine licentia Patriarchæ; utque omnes Romana ſacra ſequerentur; nec quisquam *rebellibus* (R. Pontifici obedientiam negantibus) receptum daret; qui ſecus faxit, ſupplicio afficeretur. Tum in Debſon ædificata ſedes Patriarchalis, ac diverſis in regni locis pro Lojolitis, quos Patriarcha ſecum adduxerat, Reſidentiæ ſunt extructæ; Introductus etiam computus Romanus, baptiſati ordinatique denuò, qui jam antè baptiſati & ordinati, Alexandrino ritu erant. Ex Jobo Ludolpho, J. H. Heidegger. in hiſt. Papat. pag. 370.

Sed in *Japonia* flagrabat *Clericorum Romanenſium, aliorumque Chriſtianorum, iis addictorum perſecutio*, præſertim in Urbe *Jedo*, ubi aula magni Regis. Captus ibi & ad ſupplicium raptus quidam *ſacerdos*, & cum eo *hoſpes*, in cujus ædibus delituerat, cum *tota familia*, & aliis hominibus *centum viginti octo* circiter, qui omnes cremati ſunt; Valdè enim Rex indignabatur, quòd in ea urbe, ubi aula ipſius, Chriſtiani, & quidem ſacerdotes reperti eſſent. Vir ille, apud quem ſacerdos latitarat, prædives erat, & prodebatur à quodam Apoſtata, qui ſe adhuc ſimulabat Chriſtianum, eleemoſynam ab eo petens. Quam cum nactus eſſet, edoctus jam de largitoris Chriſtianiſmo, deferebat illum ad judices: In proditionis compenſationem ipſi concedebantur ædes & omnia bona illius, quem prodiderat; addito inſuper mandato ſub gravi pœna, ne quis ipſi hoc factum exprobraret, nimirum ut plures ad ſimiles proditiones allicerentur. *Firandone* non pauci erant Chriſtiani, attamen *triginta ſex vel ſeptem tantùm* oppetierunt mortem, reliqui omnes abjecerunt olim ſuſceptam reli-

religionem. Eos inter, qui necati ſunt, puerulus fuit *ſex vel ſeptem annorum*, qui tanto animi gaudio geſtiens, prædicans, & cantans Chriſtianos Pſalmos Japonico ſermone, ad mortem properavit, ut omnes eum conſpicientes in admirationem raperet: Omnes ad mortem damnati, naviculæ impoſiti devehebantur ad latus Inſulæ (Firando) ubi profundum eſt mare ac impetuosè fluit; & ibi, lapidibus alligatis ad corpora, in mare præcipitabantur. In provincia tamen *Omuræ* accidit, ut quidam *adoleſcens* præ cæteris animoſus, à judice juberetur, digito flammæ immiſſo experiri, an ſupplicium ignis tolerare poſſet? Cùm verò ſtatim paruiſſet adoleſcens, totumquo digitum nullo doloris edito ſigno concremaſſet, hanc fortitudinem ita miratus eſt judex, ut illum & alios, quos in vinculis habebat, Chriſtianos dimitteret. Varen. de relig. Japon. 166. ſeqq. Act. Erud. Lipſ. de an. 1690. 244.

Fato functus eſt anno 1624. *Wilhelmus Bavariæ Dux*, à quo Wilhelminæ lineæ nomen, cujus in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ fit mentio. Princeps literis excultus, Jeſuitis autem deditiſſimus; eapropter hîc memorandus, quòd, Maximiliano filio regimine tradito, Monaſticam ingeſſus eſt, ac ſenii tempora in Cœnobio Carthuſiano, ab ipſo magnificè extructo prope Ratisbonam, quietè tranſegit, vivendi finem adeptus ætat. an. 86. devotiſſimus B. Virginis Mariæ cultor, ad cujus ædes Lauretanas inter alia donativa dicitur miſiſſe librum, gemmata ſigilla, & egregias imagines continentem, auro atque gemmis indutum, octo aureorum millibus æſtimatum. Spener. in ſyllog. Geneal. 99. Urſin. Ratisb. analect. ſacr. lib. 2. 106.

Ad metam quoque ſuam pervenit *Martinus Becanus*, ex Hilvarenbeca Campaniæ Brabanticæ municipio, undè illi nomen; Jeſuita celebris, Confeſſionarius Imperatoris Ferdinandi ſecundi. Antè in Academiis, Epiſcopali Würzeburgenſi, Archi-Epiſcopali Moguntina, Archiducali Viennenſi, Theologiæ Profeſſor. Varia ſcripſit, quæ duobus voluminibus comprehenſa Moguntiæ prodierunt, poſt autoris mortem. Obiit Viennæ, ſecundum Hofmannum, an. 1624. juxta Stratemannum an. 1626. Hofm. Lex. a. 1002. Strat. Theat. Hiſt. 1124.

Marcus Antonius de dominis, licet vivente Gregorio XV. ad Eccleſiæ Romanæ gremium, facta revocatione, iterum ſe contuliſſet, ac Pontifici propterea reconciliatus videretur; ab Urbano VIII. ta-

men, Gregorii ſucceſſore, quaſi ad novam defectionem inclinaret Apoſtata, cuſtodiæ traditus eſt ſatis arctæ, in eaque detentus; donec ſub finem hujus anni tepidam ac trepidam efflaret animam. At biduo pòſt cadaver ejus in Campo Florum, unà cum libris quibusdam ab ipſo ſcriptis, combuſtum eſt, & quicquid inde cinerum extitit, in Tyberim diſperſum. Cluver & Calviſ. 796. 992.

Horundem veſtigia preſſit in ſemita Mortis, *Antonius Faber*, Senatus in Sabaudia ſupremi Præſes. Scripſit is Conjecturarum viginti libros de Erroribus Pragmaticorum ac interpretum Juris Civilis, & alia. Obiit an. 1624. ætat. 67. Lutheranorum hoſtis acer, eaque propter ſilentio non omninò prætereundus; vel ob id unicum, quòd, cùm *Religionem Lutheranam* complurium Eccleſiaſticè dictarum hæreſium ream egiſſet, in Codice ſuo Fabriano lib. 1. Tit. 1. de ſum. Trin. & fide Cathol. contra eandem etiam ex capite *hæreſium*, quas vocat, *Politicarum*, ſeu, ut alibi loquitur, in rempublicam peccantium, perrecturus ſcribit, præmiſſis præmittendis: „Aperiam, ſed paucis, ſi „potero, quantam perniciem rebus Chriſtianorum civilibus minen„tur ac adſtruant ingenia noſtrorum Novatorum, ne dubitare quis„quam poſſit, *non minus in politicis, quàm in Eccleſiaſticis, hæreticos eſſe* „*illos*: Id verò facilè fiet, propoſitis aliquot ipſorum propoſitionibus, „quas perinde tuentur mordicùs, ac ſi eſſent articuli fidei, &c. De Sycophantia hac Fabriana, Benev. Lectori committimus judicium; Non poſſumus tamen, quin ei *Virum Illuſtrem* (ſaltem quoad principalia atque huc ſpectantia; reliquis, ut quæ ſatis cruda, juſtæ animadverſioni permiſſis) opponamus, apud *Monzambanum*, libro de ſtatu Imperii Germanici, ſic diſſerentem: „In Lutheranorum „Religione *nil* animadvertere licuit, *quod principiis doctrinæ Civilis* „*repugnaret*. Poteſtas circa ſacra principibus aſſerta; opes Sacerdo„tum ad tenuitatem magno Reipublicæ bono adactæ; plebi incul„catum, ut Magiſtratus tanquam DEI vicem gerentes in terris ve„reri meminiſſent: denique bonorum operum ſumma officiô boni „viri definita. Neque diſplicet, inania (ut ipſi videntur) quædam „ceremoniarum, & aliquem publici cultûs adparatum, relicta, di„vertendis ſimpliciorum animis, quorum captum nudæ pietatis „meditatio ferè ſuperat. Jam religionis myſteria uti non ad por„tentoſæ ſuperſtitionis horrorem adórnata; ita decorum videtur, „abs humani ſubtilitate ingenii tantum impetrare ſapientiam & po„tentiam Divinam, ut ſublimius quiddam ab hac præſtari poſſe

„creda-

„credatur, quàm quò iſti penetrare conceſſum. Quin ipſa craſſi-„ties, quam nonnulli exagitant, ad ingenuitatis opinionem con-„ciliandam facit. Hinc, uti *nulla Religio de Principibus Germaniæ* (ac „omnibus aliis) *meliùs mereri poterat;* ita in univerſum Monarchico „ſtatui vix ulla magis idonea videtur. Hæc Illuſtris ille apud Mon-„zambanum. Hofman. Lex. A. 138. quo cum conferri poteſt A. D. Caroli Diſputatio Politica de Religione Lutherana, Wittembergæ anno 1585. habita, cap. 2. §. 10. & ſeqq. ad fin.

LIB. III. CAP. XXXI.

Summaria.

InMarchiaBrandenburgica intermiſſioExorciſmi urgetur.
Hugonotis in Gallia libri de Regi cidio nefarie ſupponuntur.
Oblatæ reſtitutionis conditiones, Frid. Palat. averſatur.
Kniphuſiani à Com. Oldenb. libertatem Religionis Calvinianæ obtinent.
Jacobus M. Br. Rex, Clericos Pontificios Angliâ & Hybernia proſcribit.
Conſpiratio Virginiana adverſus Chriſtianos Anglos.
Obitus Abrahami Sculteti.

C*Alviniani Marchico-Brandenburgici*, de novo Lutheranis moleſtias crearunt, callidè urgendo *intermiſſionem Exorciſmi* (horum in Eccleſiis uſitati) ſaltem in eorum Baptiſatione infantum, quos fortè ex ipſis Lutheranorum cœtibus aliqui ſine tali ceremonia baptiſari vellent, præſertim quandò ex Reformatis ita dictis patrinos elegiſſent; Idque ut faciliùs obtineret gens vafra & argutula, Electorale mandatum, de gratificando petentibus, procarunt ac impetrarunt. *Requiſitum eſt* hoc in caſu fidele *conſilium*, *à Facultate Theologica Wittenbergenſi*, quod communicatum legitur part. 2. Conſil. Witteb. pag. 112. K. 3.

Exacerbando Galliæ Regi adverſus *Hugonotas*, hoc tempore ſubornati ſunt à Clero Pontificio ſcriptores, qui *ſub iſtorum nomine libros de occidendo Rege, recuperandaque libertate*, in publicum extruderent; ſed fraude deprehenſa, viri nequam juſtas innocentibus pœnas dedére Cluv. 796.

Friderico Palatino exuli, ab Auſtriaca gente *oblata* t. t. *avitæ ditionis reſtitutio*, ſi culpam ipſe præſens coram Cæſare deprecaretur. Poſt fidem à Patre ſic præſtitam, reſtituendum ipſius primogenito feudum

feudum, cujus nuda patri, donec viveret, adminiſtratio concedenda eſſet. Jus Electoratûs interim penes Bavariæ Ducem permanſurum, poſt ipſius mortem verò ad præfatum Friderici filium continuò rediturum. His adjecta duo capita, nempe: ut Friderici filius, futurus ex pacta reſtitutione Princeps Palatinus, & Elector, Imperatoris filiam ducat; Intereàque dum adoleſceret, in aula Imperatoria educatur. *Inclinabat Jacobus*, Angliæ Rex, Palatini ſocer, in has leges, generumque apud Batavos ingloriè degentem hortabatur, ut Ferdinando victori fortunam ſuam ſubmitteret. Sed *renuebat Fridericus*, ex cauſis non contemnendis: Minimè, putans, tutum eſſe, coram judice irato ſe ſiſtere, habitum pro hæretico, cui non ſit ſervanda fides; Educationem item filii in Aula Cæſaris, ſpe futuri matrimonii cum ejus filia, ſibi prorſus aſſeverans, eſſe ſuſpectam, quippe procul omni dubio in præjudicium, quin imò in perniciem & extirpationem Reformatæ Religionis per totum Palatinatum, adjunctasque ditiones inſimul omnes, caſuram. Vid. Gramond. lib. 13. pag. 613. ſeq.

Kniphuſii Dominium, nuper ad Antonium Güntherum, Comitem Oldenburgicum, Lutheranæ Religioni addictum, devenerat. Hic novis tamen ſubditis, qui *Calvinianis* aſſueti ſacris erant, humiliter id petentibus, *liberum* reliquit *exercitium*; modò pacificè ac modeſtè ſe gererent, resque ſibi ſuas haberent, ſine virulentia adverſus Confeſſores & ipſam Confeſſionem Eccleſiarum Lutheranarum, nec viam huc ire volentibus obſtruerent. Vid. Conſil. Wittenb. part. 3. pag. 32. & ſeq. confer. Not. Procer. Imhof. 598.

Jacobus, Magnæ Britanniæ Rex, cùm & ſe, & generum ſuum, ab Hiſpanicis deludi videret, & vana lactari ſpe, *Lojolitas, aliosque diverſorum Ordinum Clericos Papales*, tanquam primarios motores turbarum ac motuum, provincias & regna confundentium, publico edicto, ſub initium anni vulgato, intra ſpatium quadraginta dierum, ex univerſo *Angliæ Regno cedere juſſit*; quippe magno numero, durante matrimonii inter Carolum, Walliæ Principem & ſororem Hiſpaniæ Regis conſtituendi tractatione, ibi confluxerant. Simili mandato paulò pòſt, *ex Hybernia quoque proſcripti ſunt*, charactere Romani Pontificis notati Theat. Europ. 907. 913. & Calviſ. 991.

In Virginia, Barbari adverſus Anglos loco non uno *conſpirarunt*, ut eos occiderent; ipſoque facto ex incolis Novæ Angliæ, ter centum & quadraginta ſeptem hoc anno, Chriſtianæ Religionis odio, atrociſſimè

ciſſimè necarunt; reliquos etiam omnes ejusdem Nationis interempturi, & James Towne, id eſt, Jacobopolin ſolo æquaturi, niſi quidam, ex fera gente ad Chriſtianam fidem converſus, cruenta conſilia detexiſſet, ut illi ad metam pertingere non poſſent. Schwarm-Geiſter-Brut in Engelland. pag. 221.

Mortalia explevit è Doctoribus Calvinianis, *Abraham Scultetus*, de quo ſupra lib. I. cap. LI. Fuit Natione Sileſius, patria Grumbergenſis, Parei Collega in Academia Heidelbergenſi; demum Friderici Electoris Palatini, Bohemiæ ſolſtitialis, quem vocant, Regis Concionator Aulicus; præter Theologicam ſcientiam, Antiquitatis & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ peritiſſimus. Multa ſcripſit, inter quæ eminent Ideæ Concionum in Pſalmos (ac Eſaiam Prophetam) obſervationes Grammaticæ, Hiſtoricæ, Logicæ, Theologicæ, in hiſtoriam JESU Chriſti: Exercitationes in Evangeliorum loca difficiliora: Ideæ Concionum in Epiſtolam ad Hebræos: Medulla Patrum: Annales Eccleſiæ Reformatæ, &c. Obiit Embdæ Friſiorum, ubi ſedem exilii fixerat, ſub finem Octobris, juxta Hofm. in Lex. univerſ. B. 326.

LIB. III. CAP. XXXII.

Summaria.

Georgius Calixtus Epitomen ſuam Theolog. corrigere detrectat.

Hieronymi Hirnii conatu inſolenti, Roterdami Eccleſia L. turbatur.

Magdeburgi N. N. Eccleſiam Lutheranam, ejusque Miniſtros, portentoſis criminationibus proſcindunt.

Rathmannus dogmata ſua ſpargere incipit.

Schiſmatis inter Anabaptiſtas Flandros & Friſios, autores præcipui nunc demum innoteſcunt.

Fratrum Roſeæ Crucis programmata Pariſienſia.

Monachus Anconanus atheus, cum Bodone Prætorio comparandus.

Jacobus Böehmus, Görlicenſis ille fanaticus, fato defunctus.

D. *Georgius Calixtus*, Academiæ Juliæ Profeſſor Theol. ante pluſculos annos partum novaturientis ingenii, ſub titulo *Epitomes Theologiæ*, in publicam lucem expoſuit; In ea cùm apparerent veſtigia errorum non levium, alii Doctores virum, cætera ob multiplicem eruditionem clariſſimum, amicè & fraternè, ut operi limam addere vellet, admonuére; ſed fruſtrà. Concluſum igitur hoc anno in

ipſo *Conſiſtorio Guelferbytano*, Epitomen illam omninò revidendam & corrigendam eſſe. Sed cùm autor nullos errores agnoſceret, quin aſſerta potiùs qualiacunque mordicùs defendenda ſibi ſumeret; privata pertinacia publicam ſententiam ſuperavit. vid. Dialyſ. Apologet. probl. Calixt. per Hülſem. adorn. præfat. 100. append. 439.

Tàm periculoſæ, quàm ſcandaloſæ ſingularitatis exemplum dedit eo tempore *M. Hieronymus Hirnius*, Eccleſiæ *Roterodamenſis* Lutheranæ Symmyſta. Petiit is primùm, ſibi ut liceret *in Adminiſtratione S. Cœnæ* loco hoſtiarum ſeu oblatarum, quas vocant, *vulgarem* ſubſtituere *panem*, eumque *frangendo* diſtribuere; ſed præcisè hoc, tum à cœtûs, cui præerat, patronis, tum ab aliis in Belgio Eccleſiis, Auguſtanæ Confeſſioni addictis, negatum. Nihilominùs vir inſolens tandem ſimplicioribus, quò aſſenſum ipſi præberent, maximam partem perſuaſit, & *modo Calvinianis conſueto* (non attenta Collegæ Senioris proteſtatione) *Sacram Domini Cœnam celebravit.* Re ad Synodum delata, juſſus eſt à Novitate prorſùs abſtinere Hirnius, cùmque parére nollet, ab officio ſuſpenſus eſt. Inde verò mox publicè ad *offendicula, factiones, tumultus*, ſpectabant omnia; non ſine periculo prohibitionis exercitii ſacrorum Lutheranorum, hactenus à Senatu Civitatis tantùm per conniventiam tolerati. Ad ſedandas ergò turbas, & amovenda ſcandala, in conſilium à Batavis adhibiti ſunt orthodoxi Germaniæ Theologi, &c. Vid. Conſil. Wittemberg. part. 2. pag. 150. ſeq.

Magdeburgi autem *Johannes Werdenhagen*, & ejus commenſalis *M. Petrus* Probſt/ ille Secretarius urbis, hic Studioſus Helmſtadio veniens, Evangelicarum Eccleſiarum, ac nominatim ex his, Loci Miniſtros horrendis criminationibus proſcindendo; ipſam eorum doctrinam & religionem peſtilentiſſimorum errorum inſimulando; ſacra miniſterialia exagitando & evacuando; Academias omnes, quæque tractantur in iis, ad orcum damnando; peſſimæ notæ viros, perverſiſſimos hæreticos & fanaticos, perſonati *Prætorii*, qui poſtmodum innotuit Orbi, *aut præcurſores, aut* ejusdem *diſcipulos* exhibuére, propterea digni ſeverioribus pœnis, tùm Eccleſiaſticis, tùm politicis, habiti. Ex cit. lib. pag. 187. ſeq.

Præcipuè tùm temporis *Hermannus Rathman*, Lubeccenſis, Eccleſiæ Dantiſcanæ Miniſter, dogmata Suencofeldianis affinia operosè cœpit propugnare, docens: Deum neutiquam per Verbum ſcriptum, lectum, auditum, ſed immediatè, homines convertere, Verbum-

bumque tantùm Divinæ voluntatis erga nos teſtimonium eſſe; ut infra ϛ. Θ. pluribus dicendum. Hieron. Kromaj. Hiſt. Eccleſ. Cent. XVII. 648. Calov. Syſt. Theolog. part. A. 696.

Quàm implacabiliter ſuperiori ſeculo ſciſſi fuerint *Anabaptiſtæ Flandri & Friſii*, conſtare poteſt ex illorum temporum actis & factis quamplurimis; Inde verò præprimis, quòd quandoque nec unà ire, nec ambulare, edere, vel loqui ſecum invicem, etiam in ſuprema mortis neceſſitate ſuſtinuerint. Una pars alteram excommunicans, excommunicatam ſe viciſſim, brevi experta eſt; *Excommunicatione* apud ejusmodi homunciones fermè in ludum verſa, quàm, ceu pueri pilas, in quosvis promiſcuè torquebant & repercutiebant. Hoc demum anno ab ipſismet Anabaptiſtis ſcriptum prodiit, Hornæ impreſſum, quod utriusque partis errores, iſta Flandrorum & Friſiorum contentione, ab anno 1566. commiſſos, indicat, proque ſchiſmatis præcipuo autore à parte *Flandrorum* ponit *Hieronymum Tingieter*; & ex parte *Friſiorum, Huite Reniks*, &c. Hornbek. in Sum. Contr. de Anabaptiſt. lib. 5. 356.

Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimumque vigeſimo quarto Pariſios venerunt *Roſeati* quidam, & ad angulos platearum affixerunt hujusmodi *programmata. Primum*: „ Nos deputati præſtantiſſimi Col„ legii fratrum Roſeæ Crucis, gratiâ Altiſſimi, ad quem cor juſtorum „ ſe inclinat, in hac urbe degimus viſibiliter & inviſibiliter. Docemus absque libris, & loquimur quavis lingua loci, quo habitamus, ut homines nobis ſimiles ex erroribus mortis trahamus. *Alterum* erat: „ Quicunque ductus curioſitate, nos cupit videre, nunquam „ nobiscum aget; ſed ſi quis reverà velit albo fraternitatis noſtræ in„ ſeri, ei nos, qui cogitationes animi judicamus, promiſſorum no„ ſtrorum veritatem dabimus videndam. Hinc locum habitationis „ noſtræ non ſignificamus; quandoquidem, ubi cogitationes lecto„ ris cum ejus animo abreptæ fuerint, ſatis hoc erit, ut nosmet ei, ſe „ nobis ſignificet. Refert Joh. Hornb. S. C. lib. 6 461. confer ex an. 1615. 1617. 1619. pl. de his nugivendulis.

Sub idem tempus *Anconæ* in Italia vixit *Monachus N.* qui amico ſuo hæc indicavit: „ Sanctè credas, aliud eſſe, loqui de re quapiam, „ aliud eandem habere pro vera. Hactenus, quantum licuit mihi „ Theologantium explorare judicia, deprehendi neminem, qui ex „ aſſe ſtatueret, Religionem eſſe rem verè Divinam, ſed inane ſaltem „ nomen; ut audacter judicem, eos, qui aliter ſentiunt, & religio-

„nem, quemadmodum vulgus Clericorum facit, magni æſtimant, „ad ſimplicium ſubſellia damnandos eſſe. Hæc memoratus Monachus. A quibus non abludunt, quæ ſcripſit olim *Bodo Prætorius*, Politicus maleferiatus, nempe: „Imperitiores in mundo ſe non vidiſſe, „quàm Sacerdotes, quòd inepto ac ſtolido inſerviant vulgo, eique „variis concionibus de Regno Chriſti, DEI cultu, Divina vindicta, „& æterna damnatione os oblinent. Ex Dan. Claſ. de Relig. Polit. 12. 66.

Finem vivendi hoc anno nactus eſt in terris *Jacobus Böhm*, ſutor ille Görlizenſis ultra crepidam ſolers, multis ob id ſcriptis clarus, at fanaticiſmo infectis, ut ſupra dictum lib. 1. cap. LXVII. & lib. 2. cap. 11. Fertur tamen ante analyſin corporis ac animæ, ab ordinario Eccleſiæ Görlizenſis Lutheranæ Miniſtro, Sacramentum Cœnæ Dominicæ & petiiſſe, & accepiſſe; Interrogatum à M. Elia Theodoro, Confeſſionario ſuo, an doctrinam ac religionem Lutheranam pro veris atque Verbo Dei conformibus haberet? An iis etiam poſthàc firmiter adhærere, viciſſim repugnantia quævis ac erronea, præcipuè verò ſua, quæ multis libris diſſeminaſſet, miſſa facere velit, nec ampliùs fovere ac defendere? affirmando reſpondiſſe; deinceps benè præparatum ad mortem ſubeundam, poſt exerta verba: nunc tendo in paradiſum, placidè animam exſpiraſſe! Sic Eraſmus Franciſci, ex autoribus ab eo allegatis, im Gegenſtrahl der Morgenröthe/ p. 716. 757. pl.

LIB. III. CAP. XXXIII.

Summaria.

Cleri Gallicani reſponſum ad Ludovici XIII. dubium, de juvandis Principibus fidei non-Romanæ.

Reformatorum Batavorum curæ de volumine Controverſiarum Anabaptiſticarum, lentum ſucceſſum nactæ.

Quæſtionum inter Gieſſenſes ac Tubingenſes Controverſarum Deciſio Saxonica; deque hac Admonitio Wirtembergica.

Controverſiæ ſtatus in genere, & in ſpecie.

Tubingenſium ſententia.

Diſceptatio iſta nec Unitatis, nec Veritatis Eccleſ. Luther. deſtructiva.

D. Nicolai, Symbolum Lutheranum contra Foreri calumnias vindicat.

Doct. Zeæmanni Speculum Miraculorum primò lucem aſpicit.

Fer.

Fernandus Texeda de lectione S. Literarum, Pontificiis prohibita, ſcribit.

LUdovico decimo tertio, Galliæ Regi, *ſcrupulus* hærebat, *An armis aliisque mediis etiam reſtituendi aut juvandi eſſent illi Principes & Status, qui religionem à Romana diverſam ſectarentur?* Ergò Lutetiam Pariſiorum convocat *Clerum Gallicanum*, ejusque hac de re judicium exquirit. *Reſponſum* libro pòſt in vulgus edito: ,, Confœderationes cum ,, hæreticis ac infidelibus licitas eſſe; Principes tales afflictos, licet ,, ob religionem deteſtandi ſint, legitimos tamen eſſe, ditionibus ,, haud ſpoliandos, ſpoliatosque, ab iis quorum intereſt, juvandos. ,, Ita Regis Conſcientiæ ſatisfactum. Sed intra conſilia res manſit, Hugonotarum omnibus munimentis nondum ſubjugatis. Boxhorn. in Chronic. fol. 154. Conferre juvabit D. Dorſch. Invectiv. in Vehic. Jud. Theologici contra Ern. de Euſeb. 26.

In fœderato Belgio jam ab exitu ſuperioris ſeculi. Eccleſiæ, quæ *Reformatarum* titulo ſuperbiunt, non ſine gravi cauſa cenſuerunt, ſingulare *volumen controverſiarum Anabaptiſticarum*, quo præſertim illorum ſententiæ referrentur, ac diluerentur argumenta, conficiendum. Id operis primùm ſuſceperat *Jacobus Arminius*, Paſtor tùm Amſtelodamenſis, & aliquò usque perduxerat; verùm ad profeſſionem vocatus in Academiam Leidenſem, non abſolvit. Inde in Synodo Enchuſana hoc anno inſtituta, *Ripperto Sixti*, & *Petro Jacobi* Auſtro-Sylvio injunctum, ut *Mennonitarum Confeſſiones*, præſertim recentes, omnes diligenter conquirerent, controverſias enotarent, diſcuterentque. Sed nihilominùs protelatum opus ad annum usque 1637. ubi vide. Hornb. S. C. de Anab. 372. ſeq.

Sub initium hujus anni publicata eſt SAXONICA DECISIO, *quatuor* illarum *quæſtionum* per aliquot annos inter nonnullos Auguſtanæ Confeſſionis Theologos controverſarum, *de omnipræſentia Chriſti Theanthropi ad creaturas, ejusdemq; vera & profunda humiliatione ac Inanitione.* In qua ſic dicta Deciſione quid *Wirtembergici* deſiderarent, AMICA ADMONITIONE adornata eodem anno ſignificarunt, nil ampliùs acturi hoc in tædioſo litigio, ſaltem publicè, ſed quicquid ejus eſt, judicio totius Eccleſiæ Chriſti militantis placidè commiſſuri; modò diſſentientes quoque ſuſtinerent vel tandem acquieſcere: Sed hoc neglecto, reciprocata porrò eſt ſcriptionum ſerra, donec ob imminentia extrinſecus mala, per apertos & juratos E-

vangelii hoſtes, eadem utrinque manibus excuſſa. Interim non immeritò quis ingeminaſſet cum Oweno Poëta Anglicano:

Reges belligerant; faciunt & fœdera Reges:
Eſt aliquid, ſera denique pace frui.
Presbyteri certant atque immortalia nectunt
Jurgia; litigiis non poſuére modum &c.

Hieron. Krom. H. E. 648. Menzer. Tub. edit. præf. ult. Owen. Epigr. ad Arbellam Stuart. 96.

Controverſiæ STATUS *in genere* fuit: „ Utrum CHRISTUS, à „primo conceptionis momento, ſecundum Humanam Naturam „habuerit ſibi communicatam Majeſtatem Divinam, ut actu ſecun„do fuerit præſens omnibus creaturis, potenter gubernans cœlum „ac terram, & omniſcius &c. licet modus non fuerit Majeſtaticus, „ſed tectus atque occultus? Num verò in ſtatu exinanitionis ſal„tem habuerit ſibi communicatam Majeſtatem, omnipotentiam, „omniſcientiam &c. quoad κτῆσιν ſeu poſſeſſionem, quoad χρῆσιν au„tem ſive uſum, demum in ſtatu exaltationis; ita ut quidem fuerit „ actu primo in ſtatu Exinanitionis omnipræſens, omnipotens &c. „imò quandoque particulariter radios omnipræſentiæ, omnipoten„tiæ &c. diſpenſarit, in ſtatu verò Exaltationis demum actu ſecun„do ſeſe omnipræſentem ſtiterit, & Majeſtatis divinæ chreſin habuerit? *Prius* aſſeruére Theologi Tubingenſes; *Poſterius* Gieſſenſes, à quibus etiam ſtare Saxonicis & Argentoratenſibus placuit. *In ſpecie*, quoad *quatuor quæſtiones*, A. „ Utrum omnipræſentiæ Chriſti ho„minis fundamentum primum, proximum, adæquatum & unicum, „in liberrima Dei voluntate, promiſſione Verbi fundata; An potiùs „in Unione hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum ſit repoſitum? „ B. Utrum ejusdem, Chriſti hominis, in ſtatu Exinanitionis aliqua „realis fuerit ad omnes creaturas indiſtans præſentia; necne? C. U„trum Chriſto homini, in ſtatu Exinanitionis Divina quoque apud „ creaturas operatio univerſalis rectè tribuatur; annon? D. Utrum „Exinanitio, Majeſtatis in Unione acceptæ depoſitione, abdicatio„ ne & omnimoda non-uſurpatione; an verò per formam ſervi aſ„ſumptam facta occultatione, deſcribenda ſit? vid. Colleg. Theol. Syſtem. J. A. Oſiand. part. 4. 117. ſeqq. & D. Melch. Nicolai Conſid. 4. quæſt. pag. 13. 47. 85. 144.

„ *In prima quæſtione, Tubingenſes* defenderunt poſterius, dicentes „ac docentes: Cauſam primam, proximam, adæquatam & unicam

„non

„ non tantùm Majeſtatis ſeu dynameos adeſſendi, ſed ipſius actualis præſentiæ indiſtantis univerſalis Chriſti ad omnes creaturas, „ reſpectu DEI, eſſe immenſitatem, reſpectu hominis verò, aſſumptionem in infinitam hypoſtaſin τῦ Λόγυ atque in infinita hac hypoſtaſi Unionem naturarum realiſſimam, Communionem mutuam ac intimam, permeationemque profundiſſimam. *In ſecunda quæſtione*, prius iidem affirmarunt: Chriſtum ſecundum aſſumptam „ humanitatem, à primo Unionis momento ſemper ac inceſſanter, „ adeòque etiam in depreſſiſſimo Inanitionis gradu, non quidem ex „ proprietate naturæ, ſed actu perſonæ, indiviſè cum Logo apud „ omnes creaturas extitiſſe, ſic, ut à nulla illarum, cui adfuit Logos, „ ſubſtantialiter remotus, abſens vel diſtans fuerit. In *tertia* quæſtione iterum elegerunt prius: Chriſtum hominem in officio quidem ſuo ſacerdotali ob finem Incarnationis, redemptionem ſcilicet hominum, reflexè, quoad propriam carnem retrahendo Exercitium omnipotentiæ, reverà fuiſſe infirmum toto humiliationis „ tempore; Eundem tamen in officio ſuo Regio eodem tempore, à „ primo conceptionis puncto, Divinam ſibi communicatam omnipotentiam (cur non & omniſcientiam) per Unionem hypoſtaticam, „ in operibus ad creaturas directis, h. e. in totius univerſi regimine, „ unà cum aſſumente Logo indiviſè ac indivulſè, quamvis latenter, „ exeruiſſe. In *quarta* quæſtione, ultimam quæſiti partem propugnarunt: aſſerentes, Statum Humiliationis & Inanitionis, qui ſumpſerit initium à primo conceptionis puncto, usque ad punctum „ revificationis, fuiſſe quidem veram evacuationem illius Majeſtatis & uſurpationis, quæ impediiſſet paſſionem & mortem; fuiſſe „ immortalitatis & impaſſibilitatis abdicationem; fuiſſe ſervilis formæ aſſumptionem; at enim fuiſſe ſimul ſub hac miſera ſervili forma occultationem operationis univerſalis in regimine univerſi „ (quia enim vermis rexit, illis hoc regimen occultum dicitur) denique obedientiam fuiſſe ad mortem usque, mortem autem crucis, ſuſceptam à toto Chriſto, ſervata tamen utriusq; Naturæ proprietate, ut nos cum Deo Patre reconciliaret. Hactenus *Tubingenſes*. Quæ verò *Gieſſenſium* ſententia de ſingulis quæſtionibus fuerit, ex oppoſito facilè colliget eruditus Lector. vid. Syntagm. Exercitation. Thummianarum à D. J. A. Oſiand. concinnat. pag. 153. 155. & Acta Menzeriana paſſim.

Acriter & nimioperè de his utrinque, ſed ſcholaſticè magis, quàm

quàm Eccleſiaſticè, diſputatum, de quibus verò nullum nobis hîc arrogamus judicium; quoniam id eſt extra ſeriem hiſtoriæ, ac tædet veteres vulnerum Eccleſiarum Luth. cicatrices refricare, unguibusve contingere; „ Ut ob aliarum cauſarum cumulum, ita ob *adverſariorum tripudium*: de quibus conſtat, quàm attenti Procura-„ tores (verba D. Wagneri recito) in rem ſuam ex hoc litigio, jam „ olim fuerint? Id quod vel unicus libellus *Foreri* verè epichæreca-„ cus, ſub titulo *belli Ubiquiſtici*, pòſt ad magis nocendum cum au-„ gmentis ſcopticis, facta inſcriptione Lutheriſchen Katzen-Kriegs/ in „ vernaculam noſtram converſus, ſatis ſuperque teſtatur, ubi in ſi-„ num ridens Lavernio, ex hoc Academico Theologorum diſſenſu, „ *univerſæ noſtræ Eccleſiæ Unitatem* negare, & ex negata Unitate, ipſam „ *veritatem* deſtructum ire, magnâ laboravit petulantiâ. Quaſi verò „ illa Eccleſia protinùs una non ſit Unitate fidei, in qua Doctores „ ſub una & altera concluſione ex hypotheſibus orthodoxis, quas „ per Dei gratiam adhuc ſartas tectas habent & profitentur (quem-„ admodum Theologi Auguſtanæ Confeſſionis hypotheſes ac fun-„ damenta unitatis & communionis Naturarum in Chriſto, ut & „ communicationis Idiomatum, poſthabito de Exinanitione diſſen-„ ſu, adhuc magno conſenſu confitentur) Academicè, quanquam ut „ fieri amat, interdum calidè, aliquandiu pro & contra diſputant, & „ conſequentiarum informitatibus invicem objectis, contrariam „ theſin evertere, ſtabilire ſuam obnixè conantur. Ex quibus Docto-„ rum paroxyſmis, ſi protinus alicujus Eccleſiæ in fide unitas deſtru-„ cta, & ex deſtructa unitate, veritas negata ſequitur, quæ per De-„ um immortalem! unquam fuit in his terris una in fidei unitate, & „ per conſequens, vera Chriſti Eccleſia? Quia luce meridiana clarius „ ex Eccleſiæ Annalibus evadit, nullam unquam ullo ſeculo fuiſſe „ Eccleſiam, in qua non ſuper graviſſimis quæſtionibus acerrimè à „ Doctoribus diſputatum fuerit, ut longum eſſet Syrrhaxes Eccleſiæ „ Apoſtolicæ, primitivæ, & ſequiorum ſeculorum usque ad noſtra „ tempora, recenſere: Quod perverſiſſimus Lojolita, ſi ſaltem per „ tranſennam Conciliorum tomos introſpexiſſet, videre, & expen-„ dere debuiſſet, eâdem conſequentiâ omnium ante nos Eccleſia-„ rum, adeòque univerſalis ipſius Chriſti Eccleſiæ unitatem in fide, „ & cum ea veritatem ruituram fuiſſe, ſi ex continuatis Doctorum „ ultrò citròque reciprocatis controverſiarum ferris voluiſſet conclu-„ dere, quod concluſit ex iſthoc noſtrorum Theologorum, in pul-

„ pitis

„ pitis diſputantium, diſſidio; Quin propria vinea Eccleſiæ ſuæ Pa-
„ piſticæ cæſum iri, in qua præter alia non exigui momenti contro-
„ verſiarum commata (ex quibus, quæ, quot, & quanta bella, præ
„ quibus Ubiquiſticum, quod vocat, pax eſſet, extrui poſſent?) Ipſe
„ Papa & Concilia de Principio credendi Papiſtico adhuc litigant, ut
„ hoc ipſo tempore in ea ſub judice lis ſit, in Papamne, an in Con-
„ cilium reſolvatur decidendi, & conſequenter ex hypotheſi Papiſti-
„ ca, credendi Infallibilitas; quibus tamen non reputatis, quantâ buc-
„ ca ſtentores Lojolitici Unitatem fidei ſuæ Eccleſiæ deprædicant?
D. Tob. Wagn. in Diatribe Theol. de Perſ. Chriſti, pag. 30. ſeq. & Orat. Parent. D. Nicol. 16.

In lucem publicam prodiit anno 1624. autore *D. Melchiore Nicolai, Symbolum Lutheranum, ab impoſturis,* ut inſcriptio habet, *calumniis, mendaciis, criminibus falſi, Laurentii Foreri vindicatum.* Sanè horrendum eſt Symbolum, quod Lojolita ille Dillinganus Lutheranis affinxit, ac ſi hæc eſſet illorum confeſſionis teſſera: *Credo fide mortua & tantùm hiſtoricâ in Deum fatuum, iniquum, mendacem &c.* Vid. ann. 1621. cap. XVIII. A quibus horrendis calumniis & inſectationibus ſymbolum noſtrum omninò fuit vindicandum; Hinc autoritate Superiorum, laudatus Theologus manum admovit, ac edito ſymbolo Lutherano vindicato, demonſtravit, quæ Lutheranis monſtra imponuntur, non eſſe Lutheri, aut cujusvis Lutherani Doctoris documenta, ſed adverſarii nugamenta; non noſtras aſſertiones, ſed adverſarii calumnias; non phantaſmata noſtra, ſed adverſarii mendacia. Inde verò inter Nicolaum & Forerum, diu ſcriptionum per multos libros reciprocata ſerra, donec utrumque fata quieſcere juſſerunt, veritate Evangelica eò glorioſiùs triumphante, quò odioſius à Lojolitæ Sophiſtica oppugnata fuit, ut ex voluminibus in Solis menſa poſitis & oppoſitis apparet. Nicol. Parent. 16. atque dedicat. Luth. à Charact. Forer. per Nicol. vindic.

Et, *Speculum Miraculorum,* Wunder-Spiegel/ *D. Georgii Zeamanni,* Eccleſiaſtis Campidonenſis in Suevia; Ex occaſione inſolentis gloriationis Papanorum in iſto tractu, de inſignibus *miraculis Renthinianis*, per neſcio quam virginem ibi locorum ſepultam patratis: Et, libelli cujusdam *Johannis Schröteri* Ravensburgenſis, quô Lutheranam Eccleſiam, ob defectum in ea miraculorum, ceu falſam & hæreticam duriſſimis perſtrinxerat verbis. Cujus libri mentionem faciendam putavimus, quia ob eundem vir optimus indignè vapula-

vit à Forero, aliisque Pontificiis, ac multas in diutina captivitate (de qua inferiùs) moleſtias devorare neceſſum habuit, inprimis quòd aſſeruiſſet: *Figmentum totum eſſe, quod ſcriptis proditum de domo Mariæ Lauretana.* ,, Spectat huc, dicebat G. Z. figmentum de conclavi Ma-,, riæ Virginis, in quo DEI filium concepit, & poſteà, ut adverſarii ,, adſerunt, Apoſtoli Miſſam celebrârunt, quod Angeli ex Judæa pri-,, mùm in Dalmatiam, pòſt in Italiam in diverſa loca, tandem in il-,, lum ubi jam eſt, transportâſſe dicuntur. Hoc miraculum quidem ,, eſſet; Si autẽ interrogetur, unde id ſciant? Dicunt Mariam Virginem ,, id alicui devoto viro in ſomnio revelaſſe. Ut pro ſomnio haberetur, ,, tolerare poſſemus. Nihilominùs Jeſuita *Horatius Turſellinus* non ve-,, ritus eſt aliquot libros de hac re conſcribere. Hactenus Zæmann. Subjicit *Forerus:* ,, Hæc eſt in D. Virginem Deiparam inſignis, ma-,, ledica & memoranda injuria! Injuria enim eſt in DEI Matrem glo-,, rioſiſſimam, illius imaginem, facta, domum, cultum contemnere, ,, convitiis lacerare, probris inceſſere, &c. Videatur Par. Nobil fr. Thum. & Zeæm. pag. 243. pl. Item Apolog. Zeæm. p. 51. ſeq.

Veluti argumentum eſt, ex parte Evangelicorum, bonæ cauſæ, dum intrepidè non modò cuivis conceditur *Scripturæ S. lectio*, ſed injungitur etiam, atque expetitur ardentiſſimè; ita & medium eſt optimum, quò divina veritas certiùs ad animas penetret, ac ad quoscunque diffundatur. Et res hæc eò diligentiùs commendari debet, quò *in Papatu multi ſunt, qui, quòd ipſis prohibetur Scriptura, ægrè ferunt,* & lectionem ejus uſumque urgent. Inter ipſos Hiſpanos *Fernandus Texeda,* converſus Monachus, plures extare Scriptores teſtatur, qui idem clament, atque ex illorum adductis teſtimoniis peculiari libello, Londini anno 1624. impreſſo, id oſtendit. Hornb. S. C. p. m. 239. Scherzer. Syſtem. Theol. 31.

LIB. III. CAP. XXXIV.

Summaria.

Maximilianus Bavarus à Saxone, aliisque Princip. Proteſt. pro Electore agnoſcitur.

Lobkowizius Principum Ordini adſcribitur.

Mantuæ Dux conſtituitur Imperii Vicarius per Italiam.

Jacobus, Britanniæ Rex, contra Imperat. & Hiſpan. ad iram accenditur.

Lis de Valle Telina inter Hiſpanum, Gallum, & Papam Rom. agitatur.

Tartari à Polonis ſtragem accipiunt, Turcis verò infligunt.

Pax

Pax inter Ferdinandum & Amurathem renovatur.

Carolo Auſtriaco extincto, frater Leopoldus chorum toro mutat.

Fato fungitur Joh. Georg. Marchio Brandenb. Jægerndorfſenſis.

IN *Conventu Sleuſingæ* habito, *Maximilianus, Bavariæ Dux*, Collegio Electorum Imperii adſcriptus eſt; vel potiùs, ut ſuperiori anno lege Majeſtatis ab Imperatore Ferdinando II. & placito quorundam Statuum Pontificiorum Friderico Palatino ſuffectus, jam *à Saxone, ac Proteſtantibus* quoque *nonnullis Principibus, pro Septemviro R. I. occepit agnoſci;* Cùm fruſtraneum videretur contra torrentem niti, & ſatius eſſe à deplorato Palatini patrocinio abſtinere, quam ulteriorem operam perdere. Calviſ. Chron. 992. Peller. in Politico Scelerato impugnato. 279.

Zdenko Adalbertus Lobkowizius ſupremus Regni Bohemiæ Cancellarius, & Eques Ordinis Aurei Velleris, à Ferdinando Cæſare *ad Principum* hoc anno *provectus eſt faſtigium*, ita, ut ipſe ac ejus liberi, utriusque ſexûs, & nati natorum, & qui naſcuntur ab illis, axiomate Principali, omnique prærogativâ, qua Imperii Principes eminent, uti ac frui Cæſareo diplomate juberentur. Notit. Procer. Imhof. 771. confer 1641.

Hoc anno Ferdinandus Imperator, *Mantuæ Ducem. Vicarium Imperii per Italiam* conſtituit, quod munus hucusque *Sabaudo* incumbebat. Aliàs hiſtoriarum docent monumenta, quemadmodum per Germaniam Saxo & Palatinus, Imperio vacante, Vicariatum exercent; Ita per Italiam, *Sabaudiæ* ac *Mantuæ Duces* de *Vicariatu Italiæ* prætenſiones formare, deque iis inter ſe contendere. Horn. orb. pol. 268. 264. pag. ed. 2.

Speraverat *Jacobus, Magnæ Britanniæ Rex*, per nuptias filii, Walliæ Principis cum Maria Infante Hiſpana, reſtitutionem in patrimoniales ditiones, avitamque dignitatem, genero ſuo Palatino impetrare; Sed ea ſpe dejectus, promoto & confirmato Bavaro, revocat properè ex Hiſpania filium *Carolum*, & in *Henricam Mariam*, ſororem Galliæ Regis, matrimonium ejus transfert. *Hiſpano atq; Cæſari amicitiam renunciat*, minitatur bellum inexpiabile, non Daniam, Sueciamque, & alios exteros Principes, omiſſuros indignum caſum Illuſtriſſimæ Domûs tot Regum, Principumque matrimoniis & ſanguini immixtæ. Neque minas ex vano jaciebat; jamque enim cum Regibus

 Gal-

Galliæ, Daniæ, Sueciæ, Hollandisque ac Veneris *fœdus* contraxerat; ſed in ipſo rerum apparatu mors Regem abſtulit, ut paulò inferius dicetur. Turſellin. hiſtor. app. 2. 20.

Fervebat eodem tempore, ob *Vallem Telinam* ab *Hiſpanorum Rege* occupatam, graviſſima contentio inter eundem, & *Galliæ Regem*, ipſumque *Pontificem Romanum*. Iſte, Venetis & Sabaudiæ Regulo in ſocietatem belli adſcitis, Vallem eripit Ibero. *Papa*, Barberinum Cardinalem, ex fratre Nepotem, Legatum extra ordinem Pariſios mittit, procurandæ reſtitutioni Vallis Telinæ; „ Summum Pontificem, „ nunciat hic, depoſitarium fore, qualis ante id belli fuerat, donec „ planè diſcuſſa controverſia; aliàs bellum exciturum atrox & ſævum, „ cui occurrere ſtudium in præſens omne Sedi Apoſtolicæ. Sed non „ obſcurè *ſignificatum Legato:* Ex deponentis Hiſpani dolo & mala „ fide debiti legem ceſſaſſe; ipſumque Pontificem, in res Hiſpanicas „ propenſiorem, litem feciſſe ſuam, factumque ex arbitro reum, ſeu „ partem: Galliæ Reges agnoſcere Sedis Romanæ claves, & venerari „ quà parte filii ſint; qua parte Principes, arma, ſi quando privatis „ odiis bellum, aſpernari. Gramond. hiſt. lib. 13. pl. 593.

In *Podoliam*, ipſamque *Poloniam* irruptionem tentantes *Tartari*, felices quidem initiò, ſed per inſidias deinde circumventi, *à Polonis magna ſtrage cæſi ſunt*, & fugati, ſub initium anni; ſuis popularibus tamen victoriâ contra Turcas in ejus finem reſervata. Cluver. 796. Calviſ. 991.

Etenim, cùm poſt obitum *Chami Tartarici*, filius natu ſecundus regnum occupaſſet, *primogenitus* autem idipſum *auxilio Turcarum* recuperare conatus eſſet, res ad *prælium* pervenit, in quo *Turcæ* victi, ac *profligati*, Amurathe IV. imperante, qui nuper Muſtaphæ ſucceſſerat. Hinc *inter Ferdinandum ſecundum, & hunc Amurathem, pax renovata* & confirmata, præſertim quòd *Perſarum Rex* in armis eſſet. Theatr. Europ. 950. Wagner. Limin. geneal. 356.

In Hiſpania, *Carolus ArchiDux* atque Cæſaris frater, in ſpem *Regni Luſitaniæ* evocatus, trigeſimo, quàm advenerat, die defunctus eſt; Quare haud multò pòſt *Leopoldus*, alter Cæſaris frater, Paſſavienſi & Argentinenſi Epiſcopatibus in Leopoldum Wilhelmum, Imperatoris filium translatis, *Claudiam, Ferdinandi Hetruriæ Ducis filiam in matrimonium accepit*, quò pluribus munimentis Domus Auſtriaca inniteretur. Turſell. Epitom. hiſt app. 2. 21.

Vivere deſiit quoque *Johannes Georgius, Marchio Brandenburgi-*

cus

cus Jägerndorffenſis. Superioribus annis in *Epiſcopum Argentinenſem* à Canonicis Evangelicis lectus, cùm bellum inde ortum eſſet, Epiſcopatu certis conditionibus ceſſit, & à Patre Ducatum Jägerndorffenſem accepit; quo, cùm bello Boëmico ſe immiſcuiſſet, à Ferdinando II. privatus eſt, obiitque anno 1624. Caſſoviæ ſepultus. Notit. Procer. Imp. 434.

LIB. III. CAP. XXXV.

Summaria.

Libellus precationum Johannis Arndii, ex igne repetitur illæſus.
Aviculæ loquela articulata.
Luſciniæ Satanicæ cantus & reſponſio feralis.
Cardinalis Richelius ad primam Galliæ curam vocatus.
Michaelis Noſtradami vaticinia.
Ratispona, tempeſtate horrendum afflicta.
Argenta, terræ motu triſtiſſimo concuſſa; Pagus N. nivo obrutus.
Matrona ſtirpis admodum fœcundæ radix.

HOc ſciat poſteritas: Cùm Lutheri ſectatores, eorundem Religio, & quicquid ad exercendam hanc ſpectabat paſſim exagitarentur à Pontificiis, & *Longogentſii in Wetteravia* (fidem facientibus clarorum virorum monumentis) Centurio quidam Tillianus, tubicini Hortulum paradiſi amœniſſimum, i.e. *libellum precationum* Chriſtianiſſimarum à *B. Joh. Arndio*, Lunæburgici Ducatûs præſule, concinnatarum, eriperet, eumque in fornacem ignitam projiceret, *inter voraces alias flammas*, & candentes prunas, *manſiſſe incolumem*, poſt horam demum ab hoſpita extractum integrum ac illæſum; proque rei magnitudine Philippo Landgravio Buzbacum dono miſſum, & ab eo inter Cimelia aſſervatum, ut ſignum ſervandi à DEO OPT. MAX. inter qualescunque tribulationum ignes & prunas, verbi ſui, ad cujus egregiam formam ac normam libellus iſte compoſitus eſt. vid. Cluver. hiſt. pag. 793. ſeq. Theat. Europ. 951. Zeil. epiſt. A. 331.

Pro ludibrio autem Satanæ, vel tentamento ac impoſtura Cacodæmonis habendum videtur, quod anno 1624. Jul. 14. *iba* quædam *avicula*, è procera quercu inter Selovvam & Colbazium, claris & *articulatis verbis*, Barbaram Sellentinam, linteonis uxorem, *allocuta fuit*, eam jubens, præfecto militari Colbaziano, ac per eum ipſiſſimo Pomeraniæ Duci, quid in periculoſis hiſce temporibus & caſibus facere debeat, nunciare, Zeil. epiſt. tom. 2, 281. pag.

propugnaculum & mœnia in foſſam civitatis proſtrata, Monaſterium Emerani, templum Obermonaſterienſe, ſodalitatis Lojolæ Collegium, ducentaque civium ædificia ſimul everſa fuêre, in cæteris ne ulla fornace ac feneſtra in Urbe ſalva & incolumi relicta; quale quid etiam expertæ ſunt *Brema* & *Stralſundum*. vid. citat. lib. ac Theatr. Europ. 951. Calviſ. 992.

Tunc temporis Argenta (aliis *Argentia*) urbs Italiæ media inter Ferrariam & Ravennam, *terræ motu* adeò concuſſa eſt, ut non tantum ex ædibus civium derepentè centum ac triginta, ſed etiam tria templa, cum turri quadam inſigni, ac ſeptem portis, corruerent, multis inſuper aliis miſerè diſruptis, & viginti quinque hominibus oppreſſis atque occiſis, pluribus contuſis ac vulneratis. Pagus itidem N. in Alpibus Caſſadorenis, Italiam verſus, cum trecentis hominibus nive obrutus & coopertus, Calviſ. Chron. 992.

Demum id quoque notatu non indignum, eo tempore *Weiſſenburgi* vixiſſe quandam, ſcil. *Johannis Rothii*, conſulis dum viveret, relictam *viduam*, *centum atque triginta novem ramorum*, quos anno ætatis quarto ſupra ſeptuageſimum vidit, *radicem*, puta totidem liberorum, nepotum, ac pronepotum, Matrem, aviam & proaviam, ſingulari gratia & benedictione DEI Optimi Maximi: *Liberorum* propriorum erant, ſuperſtitum octodecim; *Nepotum* autem octoginta; *pronepotum* quadraginta & unus. Refert M. Johannes Jacobus Chriſtmann, in ſermone nuptiali Danielis Maiſelii, ac Danielis Bachſchmidii, Auguſtæ vindelicorum habita, an. 1657. Liter. B. Alia *polyteknias memorabilis exempla*, exhibet *Præadamita Utis*, D. Dannhaueri pag. 123.

LIB. III. CAP. XXXVI.

Summaria.

Dynaſtia Hernalſenſis, luce Evangelii orbata, Baroni Jœrgero eripitur.

Pontificii in eliminanda provinciis Auſtriacis puriore doctrina omnem vim ac ſolertiam adhibere pergunt; implentque Philippi Nicolai vaticinium.

Tumultus ruſticorum per Auſtriam ſuper Anaſſum.

Turbæ Lindavienſes.

Nova, Dörptenſis Academia.

Univerſitas Gieſſena, Marpurgum ab Haſſ. Darmſt. translata.

Anno

ANno 1625. dum quartus agebatur menſis, *Dynaſtia Hernalſenſis*, prope Viennam in Auſtria, ubi hactenus apud incolas viguerat liberum Evangelicæ religionis exercitium, quò & aliis A. C. addictis ad cultum ire publicum licuerat, Helmhardo *Jörgero*, Baroni, *adempta, & Fiſco Cæſareo* per Commiſſarios *adjudicata fuit*, Concionatoribus abſque ulla mora cedere juſſis. Calviſ. 994.

In *Bohemia*, *Moravia*, *Auſtria* & alibi paſſim, Papicolæ in eo toti ſunt, ut omnes purioris doctrinæ Confeſſores ad communionem Romanenſium compellant, aut ſupprimant, aut provinciis (potiſſimum Cæſari hæreditariis) expellant & exilio multent, nullo ſtatûs & conditionis habito reſpectu, ſexus ac ætatis nullo. Verus adeò *Vates*, eheu! fuit pientiſſimus quondam vir, *D. Philippus Nicolai*, apud Unnenſes in Weſtphalia tunc verbi divini Miniſter, juxta Micrælium planè heroico ſpiritu præditus, qui antè quàm hoc ſeculum poſt ſaluberrimam Chriſtogoniam decimum ſeptimum inchoaretur, in explicatione duodecimi capitis Prophetæ Danielis ita ſcripſit: „Fieri poteſt, ut anno 1625. novi motus emergant, & Eccle„ſia ſævis tempeſtatibus afflictionum rurſus exponatur. Cujusmo„di verò illæ futuræ ſint, Propheta non explicat, niſi quod audit „ab angelo, beatum fore, qui expectet, id eſt, qui patiens fuerit, „donec adhuc anni quadraginta quinque prætereant. Patientiæ „autem Chriſtianæ objectum, nihil niſi crucem & calamitates eſſe, „nemo ignorat. Unde conjecturare licet, anno ſupra milleſimum „ſexcenteſimum vigeſimo quinto, ruptum iri peſtilens aliquod mo„litionum ſatanicarum apoſtema, quod ab hoſtibus orthodoxæ fi„dei, clandeſtinis hodiè conſultationibus, tacitisque conatibus co„quitur, fovetur ac tegitur, deque die in diem paulatim matureſcit. Hactenus allegatus Theologus. vid. Bertrami Chron. Electoral. Joh. Georgian. atque tract. Nicol. de regno Chriſti, lib. 2. pag. 56. edit. lat. in for. octav.

Ob iſtam Pontificiorum violentiam, graves excitati *tumultus agreſtium*, *Auſtriam ſuper Anaſſum* penè peſſumdederunt. Maximilianus Bavariæ Dux regionem obtinebat, uſque dum ſumptus in bellum Bohemicum expoſitos reciperet; Cùm igitur conferendis pecuniis maximè gravatos, nihilominùs novo exterreret edicto Ferdinandus Archidux & Imperator, quo juſſit, ut intra certum tempus ejurata Lutheri doctrina, & Auguſtana Confeſſione rejecta, Romanenſium religionem amplecterentur, aut patriâ cederent;

Id

Id inſtar teli omnibus viſum, qui puriore imbuti erant fide, ac Pontificiam ipsâ morte infeſtiorem habebant. Principiò ſeveritatem edicti Ferdinandei libello ſupplici deprecabantur, & permiſſam hactenus Conſcientiæ libertatem flagitabant, ne deterioris eſſent conditionis Chriſtiano ſub Magiſtratu, quàm qui Turcico Sultano ſubſint Confeſſores Jeſu, & cujusvis homines religionis, aut ſuperſtitionis; Imò ne viliores haberentur, quàm recutitorum gens nauci, CHRISTUM cottidie blaſphemantium in ipſo Imperio Romano, atque in ditionibus Ferdinandi propriis! deinceps verò, dum fruſtrà fiebant ſupplicationes, & *Adamus, Comes Herbersdorffius*, nomine Cæſaris miſeros rucolas, aut eligere Lojolitas & *Monachos*, aut Lictores & carnifices, jubebat; Ea ex re tanta indignatio turbam inceſſit, ut correptis lapidib⁹, in fugam ageret hominem, & mox, licet militibus mille quingentis probè ſtipatum, penè ad internecionem cœderet. Hinc ad arma turmatim convolantes, Velſam, Stiram, Lambacum, Gemundum, Freiſtadium, aliaq; loca ſuarum faciebant partium agreſtes, affluxuque variorum exulum in tantas augebantur vires, ut excepto Linzio, quod præfectus Bavaricus poſſidebat, Auſtriam ſupra Oenum omnem jamjam in poteſtate haberent; ſed ad Linzium hæſit fortuna. Interim in prædas & ſpolia ruſtici ferebantur, nobilium & Baronum plurimorum arces diripiebant, Monaſteria quævis obvia expilabant, Pontificiorum ædibus bonisque injiciebant ignem; verbô dicam ferociter agebant; Nihil enim ferocius quicquam viliori vulgô, quod fortunâ ſupra conditionem ſuam elevatur, neque affectus æqua Rationis lance novit moderari. Adeò verum eſt illud Curtii: *Nullum profundum Mare, nullum vaſtum fretum & procelloſum tantos ciet fluctus, quantos multitudo plebis motus habet.* Turſellin. app. 2. hiſt. 25: Cluv. pag. 800. Epit.

Eodem hoc anno *Lindavii*, ad lacum Brigantinum, turbavére *cives*, ut à ſeditione contra Magiſtratum, neſcio quam ob cauſam, perparùm abeſſet. Fuere tùm viri non infimi ſubſellii, qui omnem propemodum illius commotionis culpam in Neucumium quendam, ſacri ordinis hominem conjecerunt, jure an injuria? res videtur altioris indaginis: Eam breviter tantum attigiſſe, pro ratione inſtituti noſtri heic ſufficiat. vid. Burgold. Part. 1. Notit. Rer. Imp. pag. 158.

Cùm in *Livonia*, quam improviſo adortus eſt aſſultu, Sueciæ Rex *Guſtavus Adolphus* victricia circumferret arma, *Derpato* quoque (vulgò Dörpt/) potitus eſt, per Jacobum de la Gardie. Eſt autem

Derpatum, urbs Epiſcopalis Oldenpoæ provinciæ, ad fluvium Becum, Embek, permunitam arcem habens in colle. Ibi mox *Academiam* fundavit Rex inclytus, eamque inter ſumptuoſiſſimas belli occupationes ingenti pecuniæ ſumma dotavit, exemplo in omnem poſteritatem laudabili ac memorabili. Wilhelm. Strateman. in theatro hiſtor. 1107. Joh. Jacob. Hofm. in Lex. univerſ. part. 2. 480.

Menſis Junii tertia luce, *Ludovicus*, Haſſiæ Landgravius *Darmſtadienſis*, Georgii filius, *Marpurgenſem civitatem*, ante biennium ab Imperatore ipſi adjudicatam, & nuper à Tillio, cum armorum oſtentatione erga Wilhelmum Caſſellenſem, Cæſaris nomine traditam, ex voluntate ſua jam *inſtruit*, inſtitutaque reformatione, ſolennibus adhibitis ceremoniis, in Procerum Ordinumque provincialium præſentia, *Gieſſenam Academiam eo transfert*, Auguſtanam Confeſſionem reducit, atque in locum Profeſſorum quorundam diſcedentium, alios continuò ſubſtituit. Quondam in hanc urbem duodecies centena hominum millia confluxiſſe, dicitur, cùm Eliſabetha Haſſiaca, à Gregorio IX. inter Sanctas relata, publicè hîc promulgaretur. Calviſ. 992. 994. Hofm. Lex. A. pag. 999.

LIB. III. CAP. XXXVII.

Summaria.

Jubilæum Romano-Catholicum celebratur.

Forerus, Thummio illud graphicè depingenti, graviter ſuccenſet.

Rem tamen pariter ferè delineatam exhibent verſus veteres Burdigallenſes.

Libelli ſceleſtiſſimi contra G. R. Lud. XIII. divulgantur.

Mortuorum reſuſcitatio Jeſuitica.

Tabula Chinenſis, nomina Præconum Evangelicorum inſcripta continens.

Vivis exemptus Eitel Fridericus Zolleranus, Cardinalis.

POſtquam Papa, ſub finem præcedentis anni, *Sanctam* baſilicæ Petri *portam* aperuiſſet, Bulla priùs edita, *Jubilæum Romano-Catholicum* toto anni decurſu, confluentibus undique S. Patris fidelibus filiis & filiabus, celebratum eſt in urbe ſepticolli famigeratiſſima, pro impetrando Indulgentiarum beneficio. „ Allegata enim bulla, omni„bus Baſilicam S. Petri, atque templum B. Mariæ trans Tiberim de„votè viſitantibus, ac ibi Deum pro ſuæ Eccleſiæ (cœtus Romano„Catholici) exaltatione, ab hoſtium conatibus, in Italia cumprimis,

„quæ,

„ quæ, inquiebat, illibatæ religionis ſtudiô jure optimo gloriatur, „ defenſione, hæreſium extirpatione, Principum Chriſtianorum vera pace, imminentiumque in Europa neceſſitatum averſione oraverint, plenariam peccatorum indulgentiam concedebat. J. A. Oſiand. Diſſertat. de Jubil. pag. 62. Heideg. hiſt. Pap. 359.

Theodorum Thummium, Theologiæ Orthodoxæ Doctorem & Profeſſorem in Academia Tubingenſi, *Laurentius Forerus*, Lojolita Dilinganus, tribus pòſt annis reum popoſcit grandis injuriæ & calumniæ, quòd in proœmio Diſquiſitionis Theologicæ de Jubilæo AntiChriſtiano ſcripſerit: „ Magnus ille κατ' ἐξοχὴν AntiChriſtus Occidentalis Romanus, Urbanus nempe octavus, anno hoc inſtante à „ Chriſto nato 1625. iterum in nomine Patris ſui, cujus primogenitus eſt, ſuas nundinas AntiChriſtianas inſtituet atque celebrabit, „ in iisque ſuas merces idololatricas & horrendas Orbi Chriſtiano „ exponet. Et nullus equidem dubito, quin ſit innumerum hominum numerum ſuis fraudibus ac impoſturis decepturus, illosque „ auro, argento, omnique lapide pretioſo, (quod Deus illi malè vertat!) fraudulenter tanquam Impoſtor inſignis, emuncturus. Redit „ enim (quod infelix infauſtumque illi ſit!) annus Jubilæus AntiChriſtianus, quo Baaliticus hic Sacerdos maximus, indulgentias toti „ orbi vendit ſuas, ut pro avaritia, qua claret cum prædeceſſoribus, „ inexplicabili, omne omnium hominum aurum, & argentum, & „ omnem lapidem pretioſum ſitit ac anhelat. Nundinas iſtas Idololatricas viſitare multis noſtrûm, ut magis diſcerent Idolomaniam „ abhorrere, liberet, modò liceret, nec tyrannis hujus latronis & „ prædonis Europæi, violentique inſidiatoris prohiberet, &c. Videatur Par Nobile Fratrum Foreri, pag. 106. ſeq.

Sed quicquid ſit, quod ſcripſit ille Thummius; jam olim ſanè Jubilæorum Pontificiorum finem & uſum, *carmen* illud *Biturigibus* (Burdigallenſibus puta) in templo Cathedrali S. Stephani ad altare Cardinalis *lapidi antiquo inſcriptum*, oſtendit, ac neſcientes ita informavit:

Hîc des devotè, cœleſtibus aſſocia te,
Mentes ægrotæ per munera ſunt tibi lotæ.
Ergò venitote gentes à ſede remotæ;
Qui datis, eſtote certi de divite dote.
Te precor, accelera, ſparges hîc, dum potes, æra,
Et ſic reverà ſecurè cœlica ſpera.

toritate illuſtrem, qui religionis protectorem ſe ferat, juxta & populi, & quis tandem eligendus? demum quæſtiones propoſitas, in hanc ſententiam ſolvit: „ Regem Galliæ ipſo facto excommunicatum eſſe, quia Deo moveat bellum, cùm Catholicis movet; ſique „ perſeveret, infernum fore (non purgatorium) ipſius portionem. Hortatur deinde Pontificem, ut gladio utatur, velut in membrum putridum; Principes verò Communionis Romanæ, ut Gallo moveant bellum, pro religione, quæ ſumma ipſis ratio eſſe debeat. Triſtiſſimo concludit Henrici quarti exemplo, quem non alia ex cauſa cæde à Deo multatum ait, quàm quòd Principibus Brandenburgenſi & Neoburgico hæreticis opitulari deſtinaſſet contra Catholicos: Denique unam eſſe genti Auſtriacæ cum Deo cauſam; qui Auſtriacæ genti obſtiterit, DEI obſtiturum ordinationi, &c. recenſente Gramondo, hiſt. Gall. lib. XV. p. m. 654. ſeqq.

Lojolicæ Societatis fratres, anno 1625. ſuis precibus ad S. Ordinis Patrem, *Notarium* quendam Florentinum, αὐτοχειρεμ factum & mortuum, *ad vitam revocaſſe*, narrat ex libello de vita & rebus geſtis Lojolæ, Zacharias Hogelius in Gamaliele ſuo, pag. 158. qua utrinſecus fide? non diſceptabimus. Si tamen facti miraculoſi fides liberari poſſet, multò ſanè feliciores in patrandis miraculis Lojolæ Sodales, aliique Monachi in *Italia* Hiſpaniaque eſſent, quàm in *Germania*. Exempli gratia, *P. Schererus* aliquandò homini peſſimo perſuaſiſſe fertur, ut ſimularet ſe mortuum, ac deinceps ad verbaححchereri factum redivivum diceret, quò hic materiam gloriandi haberet, ob reſuſcitatum demortuum; ſed accidiſſe, ut Lojolita, cùm ſuſcitandi mortui cauſâ propiùs accederet, nebulonem illum reverà exanimatum, deprehenderit, minimè verò ad vitam reſtituerit. Confer oper. lib. I. cap. XVI. & Memorabilium Wolffii tomum ſecundum, ubi exemplum planè ſimile habetur pag. 859. ſeq.

In hiſtoria fœminæ cujusdam Chinenſis, ad fidem Chriſtianam converſæ, ſcripto proditum legitur: anno 1625. in China ex ruderibus, neſcio qualibus, erutam fuiſſe *Tabulam lapideam*, in qua *ſeptuaginta Evangelicorum præconum nomina* extent inciſa, qui anno Chriſti 636. ex Palæſtina in Chinam venerint. Hujus tabulæ figuram, anno 1641. in Europam allatam, *Athanaſius Kircherus* operi ſuo Sinenſi inſeruit, ac deſcripſit, nec non Jeſuita Semedo, qui eam attulerat. Autor hiſtoriæ illam à ſuſpicione ſuppoſitionis liberare vult, autoritate Abbatis Renaudoti, ac Thevenotii Bibliothecarii Regii Galli-

cani, qui ex manuſcriptis Orientalibus ac Arabicis reperiſſe dicuntur, quæ fidem Tabulæ adſtruant. Act. Erudit. Lipſ. an. 1688 pag. 388.

Naturæ debitum exſolvit *Eitel Fridericus Hohenzolleranus*, Cardinalis E. R. & Epiſcopus Oſnabrugenſis. A puero Clericatui dicatus, in multis Germaniæ Eccleſiis Canonicus adſcriptus, adoleſcens jam Præpoſitus Colonienſis renunciatus. Romam autem delatus à Clemente Octavo Papa in Cubiculariorum numerum cooptatus fuit: Mortuo Clemente Germaniam repetiit, tandemque anno 1621. à Paulo quinto Pontifice in poſtrema ejus creatione dignitate *Cardinalitia* decoratus eſt; atque iterum Romam profectus ab ejusdem ſucceſſore Gregorio decimo quinto pileum ac *titulum* Presbyterialem *S. Laurentii in pane & perna* obtinuit: biennio poſt, vacuefacta ſede Oſnabrugenſi, abſens à Canonicis atque Capitulo Præſul electus Româ relicta, eò ſe contulit, ſed anno 1625. immatura morte extinctus eſt, non ſine veneni ſuſpicione. Imhof. Notit. Proc. 760.

LIB. III. CAP. XXXVIII.

Summaria.

Status Eccleſiæ Anglicanæ immutari incipit.

Pacta matrimonialia, inter Carolum Britannum & Henricæam Francicam, Anglis funeſta.

Guilielmi Laudi faſtigium, & Bukinghamii; Epiſcoporumque Anglic. autoritas nimium quantum provecta.

Hugonottæ ingens periculum incurrunt, idemque tamen feliciter evadunt.

Vivere deſinunt Johannes Piſcator; Johannes Camero; & Ubbo Emmius.

EX *obitu Jacobi primi Magnæ Britanniæ Regis, Eccleſiarum Status in iſtis regionibus* transmarinis brevi tempore *multùm fuit immutatus*: Et, quoniam Eccleſia extat in Republica, ſanè iſta turbatâ, non potuit non hujus etiam turbari quies, ac felicitas diminui: Cujus utrinque mali maximum irritamentum fuit, *Conjugium Caroli Hiſpanicum* tentatum ac affectatum; *Gallicanum* autem hoc ipſo anno cum ſorore Ludovici XIII. Henricæa effectui datum & conſummatum. Talia quippe *pacta matrimonialia* erant, ex quibus nil niſi *lerna malorum* oriri poterat; Carolus enim Procuratorem in Galliam debebat mittere, qui nomine mittentis Henricæam ducat in Baſilica ritu Eccleſiæ Romanæ conſueto. „ Principi Henricææ, (requirebant porrò con-

„ conſignata pactorum capita) nec non familiæ ipſius univerſæ in
„ Angliam translatæ, & naſcituris ab ipſa, religionis Romanæ uſus
„ liber ſit, & publicus, nedum privatus in palatio; publica ſimul in
„ continenti Baſilica, Eccleſiæ ornamenta pro ſtatûs dignitate, &
„ Eccleſiæ Rector, qualem Henricæa dixerit. Exercitium Sacrorum
„ Romanenſium, liberum Dominæ maneat, ipſiusque toti familiæ,
„ omni tempore; non exempta Jubilæorum celebratione, aliorum-
„ que obſervatione, qualia Pontifex R. per ſtata tempora indixerit.
„ Inter Dominæ familiares futurum, ſub Magni Eleemoſynarii no-
„ mine, Epiſcopum, cujus plena ſit autoritas, omnimodaque juris-
„ dictio in his, quæ ad religionem Romanam ſpectent. In aula Prin-
„ cipis Clericorum numerus ad perſonas octo & viginti extendatur;
„ quibus liceat uſus cuculli, qualem regula mandet. Rex & Prin-
„ ceps ſolenni Sacramento fidem adigant, minimè ſe obſtituros, ut
„ in fide Romanenſium domina maneat ac perſeveret. Quos & quas
„ domina in privata familiæ munia ſecum ductura in Angliam, Pon-
„ tificiæ ſint Religionis, & indigenæ Galli, pro delectu Gallicani
„ Regis; defunctis vel pro arbitrio dominæ amotis, iterum ſubſti-
„ tuantur Romano-Catholici, & indigenæ Galli, quales ipſa, cum
„ approbatione Britannici Regis, dixerit. Liberorum denique plena
„ Educatio, usque ad annum decimum, ad matrem pertineat. In
„ hæc & ejuscemodi alia, conventum erat, vivente adhuc & ſubſcri-
„ bente Jacobo Rege, qui autem tertio anni menſe fatis conceſſit.
Cluver. hiſtor. 798. Gramond. lib. 13. 610. ſeq.

Ergò vivis exempto parente optimo, *Carolus* Walliæ Princeps, filius natu major *moderari Britanniam occepit*; ſub quo viſa in pejus, non ire, ſed ruere omnia; maximè poſtquam ad ArchiEpiſcopatum Cantuarienſem emerſit *Guilielmus Laudus*. Hornii teſtimonio vir ambitioſiſſimus, crudelis, turbulentus, novitatum cupidus. Ducta autem adductaque *uxore, & religione & moribus diverſa*, non potuit non inde magna corruptio derivari in aulam, quin etiam in animum novi Regis, ac deinceps in totum regnum diffundi. Certum eſt, *Anglos ab initio ſtatim conjugium hoc pro ſigno magnæ alicujus calamitatis habuiſſe*, qui cùm fuerint à tot retrò ſeculis Gallis inimiciſſimi, tum maximè his ultimis annis eos abalienavit religio. Et Carolus quidem, de quo vivô Parente Angli nec boni quid, nec mali judicabant, quippe qui ſectabatur vitam quietam, à vitiis juvenilibus & à faſtu vel ambitione remotam, in ipſis regni ſui primordiis, multum fefellit opi-

opinionem populi, *Bukinghamio* in ampliorem, quàm apud Patrem fuerat gratiam recepto, &, *Epiſcopis* non jam per gradus, ſed per ſaltus, imò velut uno impetu ad ſummum in rebus humanis (in iſto ſaltem regno) faſtigium promotis. Nam Jacobo vivente, licet is flagrantiſſimus Epiſcoporum Pater audiret, non tamen unquam eò adigi potuit, ut Epiſcopos *jus divinum* ſibi arrogare permitteret; hactenus itaque jugum Regiæ autoritatis, utcunque frementium ac furentium Prælatorum humeris impoſitum, permanſit, ut nemo illorum auderet officium ſuum, quà eſſet Epiſcopus, à gratia DEI deducere, ſed faterentur, ſe ſolius Regis arbitrio ſtare; quod brevi ſub Carolo immutatum, ut contenderent propalam, Epiſcopos Regibus eſſe vetuſtiores, &, autoritatem Epiſcopalem ex *Jure Divino* derivare præſumerent, eamque jactarent Regi non obnoxiam. Vid. Horn. Orb. Imperant. pag. 339. & ejusdem Hiſtor. Eccleſ. 411,

In Gallia tum temporis parum abfuit, quin grandem *Hugonottis* tempeſtatem concitâſſent *Rohanæus*, & frater *Subiſius*, per *accenſam in bellum utramque Septimaniam*, ob arcem Ludovicæam, Rupellenſibus velut ſpeculam naribus impoſitam, ideòque permoleſtam & exoſam. Sed mediantibus non modò reliquorum, ut vocari ſolent, Reformatorum Oratoribus, verùm etiam Britanniæ Regis, Venetorum, Sabaudiæ Ducis, ac Batavorum interceſſionibus in pacem, ſeu *pacis prolongationem triennalem*, convenit; Rex enim, ut bellis externis otioſè frueretur, religionem belli cauſis exemit, ac delinquentibus culpam ignovit. Calviſ. Chron. 995. Gramond. 625. 645. pl.

Hic annus vivendi finem attulit *Johanni Piſcatori*, Calviniano famigerabili, ſed *rigidiſſimo*, & ſupra fidem ſingulari, ſuarumque opinionum tenaci. Illud adeò verum eſt, ut in ipſa Synodo Dordracenſi ab Anglicanis, Haſſiacis, Bremenſibus, aliisque Theologis exteris, rejectio duriorum & incommodiorum ejus locutionum fervidè ſatis expeteretur. Vid. Calviniſm. irreconciliabilem D. Hülſem. p. 52. Planum id etiam evadit ex judiciis Gallicanarum Eccleſiarum in Synodo Vappingenſi, & Actis Heidelberga-Dillenburgicis, de quibus vid. lib. I. cap. XXIV. Hîc autem addi non diſpliceat, quæ Petrus Cudſemius habet in deſperata Calvinianorum cauſa, cap. 7. pag. 97. „ Johannes Piſcator, Argentinenſis, Magiſter Artium, & Calvinianæ „ Theologiæ in Illuſtri Gymnaſio Herbornenſi Profeſſor, homo (erat) „ aſpectu ſimplex, & geſtibus humilis, mente verò & ſpiritu ita elatus atque turgidus, ut omnes ſui ordinis Doctores deſpiceret, ac

„ non

„ non modò ipſorum ſingulorum, ſed etiam univerſarum Acade-„ miarum autoritatem ſuo poſtponeret judicio, auſus publicè dice-„ re: *Sibi plus cæteris omnibus concreditum;* Et, *ſe habere exercitatos in* „ *Scriptura ſenſus, &c.* Vix aliquis credat, ſubjicit Cudſemius, quàm „ fuerit homo ſuperſtitione plenus; qui cæteros ut Calviniſtas me-„ ritò ſuperaret, etiam Scholarum reformationem excogitavit, atque „ ex iis omnes bonos autores gentiles: Ciceronem, Terentium, Sal-„ luſtium, Horatium, Virgilium, & id genus plures, relegavit, ac ſem-„ per ex verſibus, quos ibi ſtudioſa juventus quandoque ſcribebat, „ liturâ obduxit vocabula maximè poëtica, ut Ceres, Bacchus, Mars, „ Diana, Phœbus &c. Tandem etiam aſtrorum, dierum, & planeta-„ rum nomina reformare, ac pro illis Chriſtiana ſubſtituere conatus „ eſt; ſed hîc illi aqua hæſit. Hunc integro biennio, cum anni di-„ midio, præceptorem frequentavi, &c. Hucusque Pet. Cudſemi. Inter alia docuit: *Legem Civilem Moſaicam quoad pœnarum genera non eſſe abolitam, ſed ſanctè ſervandam;* atque hinc valdè fuit agitata *quæſtio* in Schola Herbornenſi, & ipſius Comitatûs aula: *An fures,* quantumcunque furati ſint, *morte plecti debeant?* Piſcator diſputando obtinuit, ut nullus in Comitatu Naſſovico fur ſuſpenderetur. Scripſit Exegeticas theſes in quinque priora Geneſeos capita; expoſitionem ſelectorum dictorum Veteris Teſtamenti; in utrumque Teſtam. tria volumina in folio. Imprimis etiam edidit *peculiarem S. Bibliorum verſionem Germanicam;* ſed qua nec ſuismet ipſis, nec aliis ſatisfecit. „ In his novis Bibliis Petr. Cudſemius ſcribit, ex Miniſtro Calvi-„ niſtarum, Baſileâ Heidelbergam appellante, intellexi, Amandum „ Polanum cenſuram egiſſe, ac in ſolius Pentatevchi verſione ali-„ quot centena vitia, & errata non typographi, ſed interpretis, anno-„ taſſe; de reliquo corpore quid ſentiendum, hinc facilis eſt conjectura. In gloſſis atque doctrinalibus, veteratorem dicam, an exactum Calvinianum? ſe præſtitit. Herbornæ animam exhalavit anno 1625. ætat. 80. Hofm. Lex. univerſ. B. 172. Polymath. Theol. Kromajer. 189.

Tunc etiam fato functus dicitur, *Johannes Camero,* Hugonoticus Profeſſor Salmurienſis in Gallia, Calvinianorum *Hypotheticorum Primipilus.* Ille convictus Clariſſimis Scripturæ S. dictis, cùm non poſſet negare Univerſalitatem Gratiæ DEI erga miſerum genus humanum, nec tamen vellet abſoluta decreta, per Bezam & contribules aſſerta, improbare ac miſſa facere, dixit: Velle Deum ſalvos o-

mnes homines, at ſub conditione, ſi ſcilicet credituri ſint per media in natura propoſita; inde cum aſſeclis, Moſe Amyraldo, Paulo Teſtardo, Johanne Dallæo, Ludovico Capello &c. nomen Hypotheticorum obtinuit: quoniam verò impræſtabilis, adeòque impoſſibilis eſt *Conditio* illa *Cameroniana*, in re maximè ſeria luſiſſe viſus eſt, Micræl. lib. 3. 436. hiſt. confer. ſup. lib. 2. cap. 4.

Hisce duobus addi meritus eſt *Ubbo Emmius*, Scholæ Rector Gröninganus in Friſia Occidentali; Hiſtoricus, Philologus, Chronologus inſignis, rerum etiam Theologicarum probè gnarus. Hiſtoriâ Friſiæ, quam condidit; ſcripto de Republica Græcorum; variis præſertim tractatibus Chronologicis, inclaruit; atque libello vernaculo, de Spiritu David Joriſtico, ſcenam peſſimi hominis pandit atque explicuit. Hofm. Lex. B. 525. Hornbek. S. C. lib. 6. 388.

LIB. III. CAP. XXXIX.

Summaria.

Arminianis iterum irrepere licet in Belgium Fœderatum.

Hadriani cujusdam error, de Anabaptiſtis Chriſti carnem pro cœlitus allata innoxiè agnoſcentibus, recoquitur.

Fratrum Roſeæ Crucis conatus in Belgio; Leidenſiumque Theologorum de iis judicium.

Fervor Theologorum Gieſſenſium ac Tubingenſium ſummus, communi rerum Evangelicarum diſcrimine ſuſflaminatur.

Obſervatio de illo probè notanda.

PEr ea tempora *in fœderato Belgio Arminianorum* (qui & *Remonſtrantes* vocari amant) *ſecta, poſtliminiò quaſi locum invenit*; poſtquam nempe *Mauritius*, Princeps Auraicus, fatis conceſſiſſet. Dictus namque Mauritius, Provinciarum Unitarum ſupremus Gubernator dum viveret, Arminiano-Remonſtrantes, finita Synodo Dordracena, magnam partem functionibus exuit ſuis, ac ſolum vertere juſſit: Eo autem extincto, mutata alea; quippe *Fridericus Henricus*, Mauritii frater, & in regimine Succeſſor, erga eosdem fuit mitior (præſertim quòd noſſet, illos in provinciis multos paſſim tacitos applauſores habere) magno proinde numero mox irrepere iterum cœperunt, ac veteres repetere ſedes. Hieron. Kromajer. Scrut. Relig. 191.

Circa ſeculi ſuperioris annum ſexageſimum, & quod excurrit, in Eccleſia peregrinorum Londinenſi, poſtmodùm Gallica Embdenſi, fuit *Hadrianus* quidam, ſtatuens: *Opinionem de carne Chriſti cœlitus allata,*

allata, non aſſumpta ex Beata Virgine, Anabaptiſtis non adimire ſalutem, quamvis pertinaciter in ea hæreant; illosque in iſta profeſſione nihilominùs ad Chriſtum, & ad Eccleſiam ejus pertinere; cui ſe oppoſuerunt Petrus Martyr, ac Theodorus Beza. Sed hoc demum anno, ſententiam Hadriani erroneam repetere & interpolare non dubitavit *Anonymus* aliquis in fœderato Belgio, hæreticorum nido; eaque de cauſa libellum vulgavit, in vernacula lingua impreſſum Amſtelodami, ſic inſcriptum: *Breve examen, an ad ſalutem neceſſarium ſit, credere JESUM Chriſtum carnem ſuam habere à Verbo, non ex Maria?* Vid. Hornbek. Sum. Contr. lib. 5. 364.

Bullatas quoque nugas ſuas *in Belgio* ſpargere *fratres Roſeæ Crucis* annitebantur, ac hominum animis ingerere. Ideò Curiæ Provincialis Hollandiæ Weſtfriſiæque Senatus, à *Facultate Theologica Leidenſi*, de iſta Societate ac ejus religione, & quomodò iisdem commodè obviam iri poſſet, *judicium* exquiſivit; & accepit in tali ferè ſumma: „ Fratres iſtos Biblia S. equidem commendare nonnun„ quam, ſed horum ſententiam à ſuis tantùm non totam ſuſpendere, „ perfectionemque aliquam ſupra Scripturam in ſecta ſua conſti„ tuere. Librum patris ſui prænotatum T. Sacris Bibliis adjungere, „ & autoritate comparare. Librum hunc talem pronunciare, ut ex „ eo ſolo omnia ſimul, quæ in omnibus, qui antehàc fuerunt, adhuc „ ſunt, & ſuccedent aut edentur, legere quis, intelligere ac retinere „ poſſit; quin eundem evehere ſuper omnia, quæ indè à principio „ mundi ac humani intellectûs, ſive Divina revelatione, ſive Spiri„ tuum & Angelorum miniſteriô, ſive ingenii ſubtilitate, aut longa „ obſervatione, exercitio & experientiâ, inventa, excogitata, produ„ cta, emendata, & usquenum prolata & propagata ſunt. Non tan„ tùm in patre ſuo Divinas revelationes, ſed etiam in ſociis ac fra„ tribus, jactitare, Spiritusque Divini impulſum atque dona Prophe„ tica præfidenter ſibi vendicare. De Angelorum bonorum alloquiis „ ac miniſteriis, malorum autem ſubmiſſione ac ſervitio, gloriari; „ adeòque Enthuſiaſmum & Fanaticiſmum, ac Magiam (quam oc„ cultam Philoſophiam nominare ſoleant) profiteri; Magiæ, Caba„ lam quoque, quam Roſencreuzius à Præceptoribus Mahummeda„ nis Arabibus & Africanis didicerit, connectere. Iſtis principiis „ fretos, univerſalem rerum omnium ſcientiam ſibi, & quidem tan„ tam, quantam Deus homini ſcire permiſerit, quamque Adamus „ in paradiſo habuerit, ſed neglexerit, arrogare. Ac proinde perfe-

„ ctionemReformationemque omnium Divinarum & humanarum „ ſcientiarum, inprimis verò Theologiæ, ſe inſtituturos jactitare. „ Quamvis profiteantur ſe Chriſtianos, & Mahumetem, Papam, o„ mnesque hæreſes deteſtari ſe dicant, S. S. tamen Trinitatem ver„ bis tantùm agnoſcere, ac pro Chriſto, neſcio quod mentis figmen„ tum (philoſophiam ſuam) ſupponere, &c. Quibus omnibus & „ aliis pluribus ritè conſideratis expenſisque, Leidenſes Theologi „ concludebant, hanc Sectam (ſi non potiùs Commentum ſit ma„ leferiati cujusdam capitis, ejusmodi fraternitatem ementiti) eſſe „ in religione erroneam, nec ab hæreſi alienam; quin imò fanati„ cam, ſuperſtitioſam, & magicam: In Philoſophia præſumptuoſam, „ malè comparati cerebri phantaſiam, & animi chimæram vanam „ inutilemque, ac impoſturæ plenam: In republica denique ſeditio„ ſam; adeòque ei in Belgio contra Eccleſiam & Rempublicam gli„ ſcenti maturè occurrendum; applicando ſcilicet vanis ac inſanis „ Magiſtris remedia morbis ipſorum accommoda, malitioſos au„ tem, ſi qua ſimplicitate aliorum abutentes, Eccleſiæ integritatem „ violare, reipublicæque tranquillitatem turbare ſatagunt, paulò ſe„ veriùs coërcendo. Vid. Hornbek. S. C. append. 993. confer. ann. 1624.

Sub idem tempus, quod non ſine gemitibus refero, tædioſa illa *Controverſia inter Theologos Gieſſenſes, de Exinanito Chriſto*, fervidè agitata, ad ſummum pervenit, & eò uſque, ut litigantes invicem ſibi tetros Veterum hæreticorum e. g. Marcionis, Neſtorii, & conſimilium, errores objicerent. *Cujus tamen litigii*, ſaltem quoad ſcripta publica (ſicut fieri amat, ut majoribus jactati malis, minorum obliviſcamur) ob extrinſecùs imminentia, quæ Germaniam exercuerunt, *obliviſci utramque partem oportuit*; nempe dum, quod in ſuppreſſione libertatis Evangelicorum ferè ultimum erat, brevi pòſt experti ſunt proteſtantes: Cùm *Religioſa Pax*, ſub Compoſitionis ſpecie, à Dillinganis, accedentibus reliquorum pontificiæ Synagogæ calculis, magnam partem *arctata nimis*; dein per Edictum Imperatorium teſſera adverſus *Eccleſiaſtica Evangelicorum bona* in Imperio Romano-Germanico jacta; porrò & occupatis paſſim Epiſcopatibus, Monaſteriis, Eccleſiisque Collegiatis, omnia per Uniones ac Ligas ad arma ſpectarent. vid. diſp. Chriſtoph. Zelleri, præſide D. Thummio habita de errorib. M. & F. Gieſſenſ. antehàc, jam verò Mar-

Marpurg. p. p. Ac Menz. fidel. admonit. de Conſiderat. M. N. fol, 298. ſeq. Umbella Forer. jubari veritat. Nicol. oppoſ. 51. ſeq.

Ne verò à quoquam *ſiniſtrè accipiantur hæc talia*, ultraque ſcopum illorum Theologorum extendantur, placeat B. L. attendere ad verba D. Tobiæ Wagneri, Academiæ Tubingenſis Cancellarii, qui ſcripſit: Quanquam hæc ſyrrhaxis Eccleſiæ noſtræ magna incommoda attulit, cauſamque Lojolitis (ac aliis) dedit, Edomitico riſu noſtram Confeſſionem exagitandi; Negari tamen non poteſt, *ex hâc ipſa*, quomodocunque agitata *controverſia*, *hoc in Eccleſiam commodum redundaſſe*, ut, ſi unquam è ſcriptura planum fuit, quàm profundum ſit unionis perſonalis myſterium, & quàm penetrans ex hoc ipſo orta, nulliſque machinis infrigenda de duabus in Chriſto naturis prædicandi ratio, id verò nunc planiſſimum ſit, orthodoxè fideique analogè explicatis terminis, *actus primi & ſecundi*, *poſſeſſionis & uſurpationis* &c. quibus myſterium de Exinanitione Chriſti, ante motam litem involvebatur; non obſtantibus conſequentiis de hæreſi Marcionis, Neſtorii, Calvini, quæ mutuò objiciebantur, ut monſtrato conſequente abſurdo, antecedens abſurdum dimitteretur; quia nulla pars hujnsmodi conſequentias alteri ut practicas, ſed tantùm ut logicas objecit. Jam penes Eccleſiam eſto judicium, quæ pars verè logicas, hoc eſt, legitimè concluſas conſequentias ab abſurdo ſibi objectas, in ſinu confeſſionis foveat, quæ non? vid. Memor. Pregizer. à Wagn. conſecrat. pag. 24. lit. minor. & vita Melch. Nicol. 16.

LIB. III. CAP. XL.

Summaria.

Colloquium inter Guil. Rivet. & Jeſ. Gilb. Rouſſeaum.

Methodus diſputandi Veroniana.

Theologorum Wittenbergenſium admonitio ad Bohemos, aliosque Evangelii cauſa afflictos.

Johannes Zœſchlinus, Zeæmanno vehementer infeſtus.

Santarelli tractatus de Poteſtate S. Pontif. Pariſiis infamibus flammis commiſſus.

Mala fides Pontificiorum inedendo Gregorio M. manifeſtata.

Libri ſacri Syriaci ab Erpenio editi; Arabici, ejus morte intercepti.

ANno 1625. April. 14. indictum erat *Colloquium*, autoritate Comitis de Parabere, Cognaci habendum in Aquitania, *inter Guiliel-*

lielmum Rivetum, & *Gilbertum Rouſſeaum*, illum Hugonotam, hunc Lojolitam. Sed cùm Rouſſeaus ad methodum Veronianam agere vellet, nec ſinere Rivetum argumentari è Scriptura, per legitimè ductas & formatas conſequentias, adeòque non convenirent in Colloquii conditionibus, *re infecta diſceſſum*: Riveto ſcriptum de vero & recto S. Scripturæ uſu Gallicum ſubjungente. Joh. Hornb. S.C. lib. 4. 276.

Tum enim prodierat *Franciſci Veronii Methodus nova* (ſic inſcriptio habet) *facilis & ſolida, hæreſin ex fundamento deſtruendi, & refutandi Confeſſionem Gallicam, Auguſtanam, Saxonicam &c. libros denique & conciones omnes Theologorum proteſtantium, Calvini, Bezæ, Chemnitii &c.* Tractatus, quô autor, qui ſe Chriſtianiſſimi Regis Concionatorem pro controverſiis vocaverat, *modum diſputandi Gonterianum* interpolavit, cujus mentionem fecimus librô hujus operis ſecundô, capite duodecimo, & operi ſummam atque extremam impoſuit manum; quemadmodum prima fundamenta jeciſſe fertur jam anno 1565. *Renatus Benedictus Andegavus*, Theologus Pariſienſis, in Auguſti Thuani Commentariis clarus. Veronius autem licet Gonterium in eo ſequeretur, quòd ea exigeret à Reformatis argumenta, quæ totidem verbis, aut ſaltem ſynonymis, in ſacra Scriptura continerentur; tamen in eo non per omnia ſatisfactum ſibi à Gonterio dicebat, quòd is non docuiſſet, quomodò Adverſariorum argumenta, in quibus principia naturæ ſeu conſequentiæ reperiuntur, dilui poſſent; ſe igitur operæ pretium duxiſſe, de hac re cogitandi, quod quidem ſummo cum ſucceſſu à ſe præſtitum fuerit. Nænias ſuas cum ingenti ſophiſmatum additamento, duobus tomis benè craſſis contentas emiſit. vide polemoſophiam D. Dannhau. 272. & 270. pl. D. Gerhard. Confeſs. Cathol. tom. 1. pag. 942.

Sub idem tempus *Wittenbergenſes Theologi*, Germanico & Latino libello Bohemos, reliquosque Evangelicos alibi anguſtatos, ad conſtantiam adhortati ſunt. Inſcriptio ſic habet: *Fidelis admonitio de Religione Papiſtica fugienda, Lutheranâ conſtanter retinenda, ad Evangelicos, in Bohemia & alibi preſſos, ex Chriſtiana compaſſione ſcripta & publicata, per Facultatis Theologicæ Doctores ac profeſſores in Academia Wittebergenſi, cum gratia & privilegio Electoris Saxoniæ.* Forerum Lojolitam adeò malè habuit iſthæc admonitio, ut eam ad ultrices flammas damnaret, quaſi ſcatentem fœdis mendaciis, & in Catholicos Romanenſes univerſos atrociter calumnioſam, eò quod inibi dice-

diceretur: „Viget quidem in papatu aliqua devotio, quæ pietatis „habet ſpeciem, ſed præterquam quòd illa tantùm externa ſit, ſi„mulata, phariſaica, falſisque opinionibus de poſſibili legis imple„tione, de meritis operum, de ſatisfactionibus propriis &c. ſuper„ſtructa: regnant unà ibidem peccata plurima adverſus ſingula DEI „præcepta, ut ἐθελοθρησκεία, idolatria, inconolatria, Scripturæque „contemptus contra primum; perjuria & Magia contra ſecundum; „ſabbathi profanatio, & nimia feſtorum multiplicatio contra tertium; „aſtorgia & contemptus Magiſtratuum contra quartum; cædes, „paricidia, autoctonia, tyrannis, contra quintum; ſodomia, con„cubinatus, inceſtuoſæ nuptiæ, illegitima divortia, contra ſextum; „Rapinæ, ſacrilegia, ſimonia, contra ſeptimum; depravationes ve„terum ſcriptorum, crimina falſi, publica & notoria mendacia, ca„lumniæ & convitia, contra octavum; ac tandem concupiſcentiæ „extenuatio contra nonum & decimum præceptum; quæ omnia „fusè demonſtrata in Antileſſio D. Balthaſaris Meiſneri. Forer. in pari fratrum nobili Th. & Zzem. 135.

D. Johannes Züschlinus, Wolfgangi Wilhelmi Ducis Palatino-Neoburgici Conſiliarius intimus, & Cancellarius, ut *D. Georgium Zeemannum*, Theologiæ Lutheranæ propugnatorem eximium, ſuſpectum, imò reum faceret publicationis libellorum, quos famoſos vocant, in Apologia quadam, neſcio quali, anno 1615. typis excuſa, laudatum Theologum dilucida paraphraſi deſcripſit, alibique expreſſis verbis tanquam larvatum *Amandum Boncompagnon*, qui etiam confeſſionem Zöschlinianam cum acerbiſſimis gloſſis publicarit, proſtituit; & ſic optimo viro apud clerum pontificium immane concivit odium, calamitatumque cumulum, ac ipſiſſimam penè mortem ignominioſam. *Zeemannus* deinceps anno 1619. cum in arce Ehrnbergenſi captivus detineretur Cæſaris juſſu, demum ſuam vindicavit innocentiam, ſcripto peculiari apologetico german. ad Archiducem Auſtriæ Leopoldum Wilhelmum, in iſta cauſa Imperatoris Commiſſarium, videatur ibi pag. 41. 49. confer. ſup. lib. 2. cap. 22.

Præprimis autem hîc notandus ad memoriam, Lojolitæ *Santarelli de ſummi Pontificis poteſtate tractatus*, quô multa variis capitibus contra Regum autoritatem & jura continebantur. Titulus libro erat: *Tractatus de hæreſi, ſchiſmate, apoſtaſia, ſolicitatione ſummi pontificis; ac de poteſtate ejusdem Pontif. in delictis hiſce puniendis. Romæ*

apud

apud hæredes Bartholomæi Zanneti an. 1625. *ſuperiorum permiſſu.* Cùm ergò & ſolicitatione & permiſſu Papæ R. liber ſit editus, ejusdem interiora de ſua & Regum poteſtate ſenſa eo contineri, dubium non eſt ullum. Articulorum, quos hic liber continebat in Regum ac Principum capita, talis eſt ſumma: „ Papa habet in Reges ac Prin„cipes poteſtatem directivam; inde & correctivam. Summus er„gò Pontifex poteſt hæreticos Principes punire per cenſuram Eccle„ſiaſticam, qualis eſt Excommunicatio; imò poteſt eoſdem ſub„jicere pœnis etiam temporalibus v. g. regno privare, ſubditosque „ab obedientia liberare. Papa, (de jure putat) Imperatores & Re„ges deponit, propter ipſorum iniquitates, datque Principibus „Curatores, quandò ad ſubditos regendos inutiles fuerint; ac id „quidem ſine Concilio, quia Papæ & Chriſti eſt unum tribunal. „Papa poteſt Reges deponere non ſolùm propter hæreſin, aut ſchi„ſma, aut aliud crimen tolerabile in populo, ſed etiam propter in„ſufficientiam, vel ſi non defendant Eccleſiam. Papa poteſt Re„ges negligentes, vel ob dictas cauſas pœnâ mortis, ad aliorum „correctionem & exemplum, punire. Ea poteſtas puniendi Reges „morte etiam temporali, continetur in munere paſcendi oves Petro „commiſſo; pertinet enim ad paſtores punire oves ſuas, ea pœna, „quâ ratio indicat illas eſſe puniendas. Si ergò propter commune „bonum aliquandò prudentia & recta ratio exigat, ut pœnis tem„poralibus Principes inobedientes afficiantur, poteſt ſummus Ec„cleſiæ paſtor ejusmodi pœnas jis imponere; nec enim Principes „extra Eccleſiæ Chriſti ovile ſunt. Vix prodierat liber, cùm Sor„bonæ Collegium acri doctaque cenſura condemnat libri autorem; cenſuram Eccleſiaſticam ſequitur Parlamenti Lutetiani placitum, quo ſervi publici manu, tractatus in ignem datus. Hiſt. Eccleſ. Compend. Goth. 803. Gramond. hiſt. Gall. lib. 15. 675. ſeq.

Quanta ſit Pontificiæ gentis, in genuinis S. S. Patrum ſcriptis adulterandis & caſtrandis audacia, longum eſſet perſequi; ſed videſis B. L. quid in uno *Gregorio Magno* egerint interpolatores corruptoresque Patrum! *C. Calandrinus*, in Epiſtola ad Benedictum Turretinum, memorat, *Thomam Jameſium*, Doctorem & Bibliothecarium Academiæ Oxonienſis diligentiſſimum, dixiſſe: Se in numerato habere plusquàm tredecim millia locorum, in quibus Gregorii Magni ultima Vaticana, an. 1589. adornata editio, ab omnibus ſimul Manuſcriptis Anglicanis diſſentiat: „ Profectò illa editio, inquit alius vir

„ vir celeberrimus, ultra centum & ſexaginta epiſtolas oſtentat, quæ „ Gregorio manifeſtè ſunt ſuppoſitæ; conferantur, ſubjicit, Vindi„ ciæ Gregorianæ, quas Thomas Jameſius reſtituendo Gregorio „ Magno impendit, excuſæ Genevæ an. 1625. & omnia liquidiſſimè „ comparebunt. Sic verba habent Joh. Georg. Dorſchei D. in Kirchero devio, pag. 99. ſeq. confer quæ ſuperius adducta, lib. I. cap. XL. de Johanne Marſilio Veneto, &c.

Colophonem hic addat, *liber ille Rituum in Sacramentis uſitatorum apud Syros Chriſtianos, & liber Pſalmorum Davidicorum, eorundem lingua emiſſus, à Thoma Erpenio* ſic adornatus, atque Lugduni Batavorum anno 1625. excuſus; Utrum vivente adhuc autore? non habeo quod pro certo dicam: Annum proximè præteritum, famigeratiſſimo Viro emortualem fuiſſe, memini me legiſſe; ſed neque hoc procul omni dubio. Quicquid ſit, hujus morte Viri, quam ſubiit expectatione citiùs, erudito ſanè Orbi, & publico Eccleſiæ Chriſtianæ bono non parum deceſſit, abruptis ac interceptis aliquot ſcriptis certè utiliſſimis; è quibus præcipuè fuit *Corani Mahumetici* editio magni pretii; quippe receperat vir doctiſſimus & laborioſiſſimus, prima occaſione ſe divulgaturum Alcoranum Arabicè & latinè, appoſitis quoque nominibus Suratarum, variis item lectionibus notisque, ad melius Mahummedis mentem intelligendam, addita inſuper ejusdem confutatione ex doctiſſimis quibusque tum Chriſtianis, tùm Judæis. Adjeciſſet non minùs huic apparatui *triplicem Mahummedanorum Confeſſionem*, unam ex Africa, Arabicè & Latinè; Alteram ex Europa, Turcicè & Latinè; Tertiam ex Aſia, Malaccicè & Latinè; ſed egregium conamen mors intervertit. Ex Kromajer. Polymath. Theol. 135. & Balthaſ. Raithii Epit. Islamiſmi, Turcico-Muhammedici pag. 18.

LIB. III. CAP. XLI.

Summaria.

Bellum Dano-Saxonicum: Tillii & Wallenſteinii expeditiones & conatus.

Suecorum felices in Boruſſia progreſſus ad Gedanum retardati.

Breda ab Hiſpanis occupata; ſed Grolla ab Hollandis.

Bellum à Sabaudo Genuenſibus illatum.

Ferdinandus III. Hungarorum Rex coronatus.

Nuptiæ Thomæ Sabaudi; Et Friderici Auraici.

Mors Jacob. I. Britanniæ Regis:
Ut & Joachimi Erneſti March. Onold. Philippique Julii Pomer. Wolgaſt. Ducis:
Quibus addendus eſt Mauritius, Princeps Uranienſis.

INcepit hoc anno *bellum Dano-Saxonicum*, quod omnes ad Viſurgim, Albim, ac mare Balthicum Provincias miſerrimè afflixit. Cùm enim inferior Saxoniæ tractus aliquandiu nimiis annonæ & pecuniarum exactionibus fatigatus eſſet, nec à Cæſare medela ſublevatiove impetrari potuiſſet, Principes ac Status pro Circuli defenſione copias conſcribendas decreverunt, *Chriſtiano IV. Daniæ Regi* vicino, totius negotii committentes directorium; qui magno quidem conatu rem egit, ſed non pari ſucceſſu; ex ea præſertim cauſa, quod fœderati promiſſa pecuniâ, tanquam belli nervo, eum deſtituerent. Burgoldenſ. Notit. Rer. Imp. A p. m. 90. Theat. Eur. 945.

Adverſus novos Danici belli apparatus, juſſu Cæſaris *Tillius* excubabat, qui quùm aliquandiu literis & legationibus cum Rege Daniæ certaſſet, occupato munimento, quod ad Huxariam hic ſtruxerat, cum exercitu Viſurgim *tranſiit in agrum Brunovicenſem*, & Rege ex gravi lapſu decumbente, Hameliam, Mindam, aliaque oppida occupavit: Sed *ad Nienburgum* non idem eventus reſpondit; nam inde cum *clade repulſus eſt*, occiſo tamen Obertrautio, Danici equitatûs Præfecto ſupremo, & Friderico, Duce Altenburgenſi Saxonico. Interim *Wallenſteinius* coacto ad ſigna valido legionum numero, Hallenſem, Magdeburgenſem & Halberſtadienſem diœceſes perrumpens, eò intendit, ut Albim fluvium ſuæ poteſtatis faceret. Epit. R. G. 51. Cluv. 796.

Poſtquam *Sueciæ Rex in Livonia* ſubegerat, quicquid adhuc Polonicæ fidei, excepto *Duneburgi* fortalitio, mox *translato in Boruſſiam bello*, Elbingam, Bransburgum, Mariopolim, aliaque nonnulla oppida coëgit imperata facere; *Dantiſcanis* autem, Polonicas auferre naves, tributumque, Polono debitum, ſolvere injunxit; at inter maximos rerum ſucceſſus, illius urbis obluctatione retardatus eſt. Turſell. append. 2. hiſtor. 21. Pufend. Contin. Introd. Stat. Europ. 665. ſeqq.

Cœpta ſuperiori anno validæ urbis *Bredæ obſidio*, ſub menſis quintilis, anni, quem recenſemus, initium *finiit læto Hiſpanis exitu*. Deditus *Ambroſio Spinolæ* locus, fruſtrà propugnantibus Gallis, Anglis, & Batavis; unde, quò maneret memoria, *inſcripta marmori hæc* in-

inſcriptio: „Philippo IV. regnante, Iſabella Clara Eugenia gubernan-„te, obſidente Spinola, quaternis Regibus fruſtra conſpirantibus, „Bredâ victor potitur. Contra verò *Grolla*, in Comitatu Zutphani-„enſi, parva, ſed permunita, *ab Hollandis expugnata eſt.* Gramond. lib. 14. 633. Hofm. Lex. A. 718.

In Italia, *Sabandiæ Dux Carolus Emanuel, bello adoritur Genuenſes,* eosque, Gallicis copiis adjutus, non contemnenda clade affectos, meliori parte territorii exuit; ipſam urbem ſubitâ trepidatione propemodum apertam intercepturus, niſi præter id, quod ab Hiſpano Rege, & Imperatore R. terra marique validiſſima mittebantur auxilia in tempore, uſum etiam victoriæ aut commeatuum inopia, aut ei diſcors opitulator, aut utrumque horum, corrupiſſet. Interim avocandis ab Expeditione Genuenſi confœderatis, *Hiſpanici moverunt in Pedemontium,* & *Verrucam* obſidione cinxerunt, quamvis nullo ſucceſſu alio, quàm ut Liguribus Italicis occaſionem ſubminiſtrarent, amiſſa faciliùs recuperandi. Epit. R. G. 45. ſeq. Gramond. lib. 14. 645. pl.

Dum hæc agebantur diverſis in regnis ac provinciis, primogenitus Imperatoris, *Ferdinandus* qui *tertii* nomen habuit, Sempronii (quod aliàs vocatur Oedenburgum) celebratis Comitiis *Hungariæ, Rex declaratus,* & ſub initium Decembris *coronatus eſt;* non ſine præviis motibus ac difficultatibus in cauſa religionis à Romana diſcrepantis. Vid. Spen. Sylleg. Geneal 33. ac Theat. Europ. 972. 976.

Nuptias tunc Pedemontii Princeps *Thomas, Caroli Emanuelis filius*, cum Charlotta Anna, Caroli Borbonii Sueſſionum Comitis filia, celebravit. Et, *Henricus Fridericus, Princeps Auraicus,* Comes Naſſovius, cum Æmilia, Johannis Alberti, Solmenſis Comitis gnata. Calviſ. Chron. 995.

Mortalitatem verò explere: *Jacobus I. Magnæ Britanniæ Rex,* Princeps egregiè doctus, & pacificus, menſe Martio, unde diſtichon: Non miror, Regem ſi Martius abſtulit Anglis; pacificis ſemper Mars inimicus adeſt. Cluverus dicit, eum febri tertiana clauſiſſe vitam, ſed Gabriel Bucelinus veneno, ſtapide infecto, ſublatum ſcribit, Hofm. Lex. A. 801. Zeil. tom. 2. epiſt. 901. Moriturus, filium in regimine ſucceſſurum juſſit, in Conſultationibus nunquam non cautum & prudentem eſſe, in decretis & concluſis conſtantem, in expeditionibus fortem celeremque; nec judicare conſilia ex eventibus, ſed ex rationibus & regulis prudentiæ, admonuit, eodem Zeilero referente d. l. 982.

 Joa-

Joachimus Erneſtus, *Marchio Brandenburgicus*, qui lineam *Onoldinam* condidit, atque Anſpachii aulam ſedemque fixit. Exercitus ab Unione quorundam Proteſtantium (Lutheranorum & Calvinianorum) conſcripti Dux fuit; rem verò non ſatis ex voto & ſententia fœderatorum geſſit; à Pontificio quodam dictus, eo Imperio dignus, niſi imperaſſet. Imhof. Notit. Procer. 430. Epit. Rer. Germ. 44.

Philippus Julius, Erneſti Ludovici lineæ *Wolgaſtenſis*, ex Clara Lunæburgica filius; cognomento animoſus, qui poſt ſterile conjugium, cum Agnete Brandenburgica lineam iſtam terminavit. Calviſ. in Chron. 995. Spen. Geneal. 143.

Mauritius, *Orangii Princeps*, militari gloria inter Belgas excellens, & acceptæ à Majoribus libertatis acerrimus protector, multis nominibus inclytus. At morte Barnefeldii, quem privata vindictâ magis, quàm Reipublicæ cauſa è medio ſuſtuliſſe à multis creditus eſt, aliisque molitionibus, quibus affectati ſupremi dominii ſuſpicionem cordatioribus & ſagacioribus movit, labis nonnihil famæ nominis aſperſit. Hofm. Lex. 1012. Not. Procer. 794. ſ.

LIB. III. CAP. XLII.

Summaria.

Concubina ſingularis.
Admiranda puellæ, à venefica faſcinatæ.
Mater à filio neci data.
Peſtis per Angliam ſæviens.
Philippus Cradelius, ex aëre audita voce memorabili, eodem contagio abreptus.
Ancilla Magdeburgenſis, petulantia veſpillonum enormi in lethum præcipitata.
Terræ motus in Diœceſi Bambergenſi notabilis.

PEr ea tempora luxurioſo ex nobili proſapia militi *Concubina* talis erat: Quæ in more habebat, amatoris conſpectui ſe nonnunquam ſubducere, dein redire ad conſuetudinem; eum humaniſſimè amplecti, & in omnibus erga ipſum ita ſe gerere, ut legitima contoralis erga maritum; flagitare inſuper, ut amaſius omnium aliarum fœminarum familiaritate abſtineat, eâq; ſola contentus vivat; quippe quam conſortio ſuo à ſingularibus nonnullis maledictionibus liberare poſſit, ac in Statum perfecti hominis perducere: Cætera non averſabatur preces & ſacrum DEI cultum, quin potius de iis amatorem nonnunquam admonebat; unde hic, pro ſpectro & larvato cacodæ-

codæmone Concubinam agnoſcere nolebat: Communicatâ re cum Paſtore quodam animarum, requiſitum eſt judicium & conſilium N. Theologi, quod ſcripto conceptum ſe legiſſe Zeilerus commemorat. hiſtor. 1. trag. pag. 20.

Henricus ab Heers, de *puella novenni Trajectana* refert, illam *veneficæ*, ſtipem petenti, panem dediſſe, pòſt, ubi folium acetoſæ à venefica donatum incautius deglutiverat, ſtatim alvinis doloribus torqueri, contremiſcere primùm, dein & convelli viribus, demum animo linqui, & ut mortua cadere cœpiſſe, per vomitum ſtercora equina, acus, aviculas, pilos, plumas, fili glomeres, faſciculos ſtraminis pollice craſſiores ac transverſis aciculis confixos, vitrea feneſtrarum fragmenta, clavos rotis bigarum vel quadrigarum eductos, cultrum ferreum ſpithamâ longiorem, ovorum putamina, conchilia, ligulas ex filo textas variisque coloribus diſtinctas, denique omnia, quæ puella in veneficæ corbe viderat, & quidem ſicciſſima expuiſſe; obſervantibus interim parentibus filiæ & vicinis, appropinquante veneficâ (quæ deinceps veneficium illatum confeſſa & flammis tradita eſt) longè pejus vexari puellam. Probatque ab Heers, Electoris Colonienſis Medicus cubicularius, qui puellam curavit, Experientia ſuâ, & plurium Clericorum, ac Philoſophorum adſtantium, ipſius etiam ægrotæ confeſſione, ex imo corpore hæc omnia educta fuiſſe, quod ipſe ante experientiam hanc ſemper negaverat. Ex diſp. inaugurali Chriſt. Daureri Tubingæ hab. de Sagarum denunciatione, pag. 36 & Waldſchm. Python. Endor. concion. 11, 249.

Neapoli *vidua*, nobilis & honeſtiſſimæ famæ, an. 40. æt. *à proprio filio*, qui è ventris materni tumore in ſuſpicionem turpis imprægnationis adductus fuerat, *interficitur*. Sed confecta cæde ex diſſecti corporis inſpectione, & ventre nonniſi aquoſis humoribus gravido, almæ matris innocentia patuit, unde monſtroſus filius, Conſcientiæ vi adactus, ipſemet judicem adiit, factaque immani ſceleris plana confeſſione, condignas luit pœnas. Zeil. Epiſtol. tom. 2. 621. plur.

Peſtis in Anglia t. t. adeò ſæviit, *Londini* præſertim, ut vel unica hebdomade in illa tantum urbe aliquot millia hominum perierint; Rege interim cum aula ſua Oxoniæ commorante. Simile contagium infecit *Bohemiam, Auſtriam, Marchiam Brandenburgenſem, Saxoniæ partem, Pomeraniam*, easque provincias graviter afflixit Stratem. 1123. Zeiler epiſt. tom. 1. 206, & hujus mali occaſione duas addo hiſtorias:

Stetini (Pomeraniæ Metropolis eſt) *Philippus Cradelius*, Paſtor Petrinus, veſpertino alicujus diei tempore, cum filio ejusdem nominis, forum fœnarium tranſiens, audivit ex aëre reſonare verba Paulina: *Dum judicamur, à Domino corripimur!* Subſiſtens paululum bonus vir, ſubjiciebat: *Ne cum immundo Mundo damnemur; Ubi hoc manet?* Domum deinde, quâ peſte decumbebat uxor, tendebat, moxque incipiens ægrotare, vivendi finem faciebat; hoc viſo, filiola duodecim annorum ſimiliter; ſic & alia minor, animas exhalabant, quarum corpora ſimul cum Patre ad locum ſepulturæ delata, in idem ſepulchrum condebantur: Poſt quatuor ſeptimanas etiam filius Philippus eò deportatus eſt, manentibus inter vivos, reſtituta ſanitati matre, ſororibus duabus, & fratre uno juniore. Zeiler in epiſt. tom. 2. 281. ſeq.

Magdeburgi autem eodem anno, graſſante vehementer mortifera lue, in urbis nundinationibus vir honeſtus *ancillam* ſuam ablegat, ut è taberna Cantharum cereviſiæ ſibi afferat; ancilla offendit ibi *veſpillones* aliquot, & *bajulatores funerum*, ex quibus mox unus eam apprehendit, ut cum ipſo ſaltet (fidicines enim conduxerant homines nequam) choreâ finita, ancillæ caput pallio ſuo involvit veſpillo in puellæ faciem exſufflat, ac ſeveriori voce dicit: Ha/ Dirn/ du muſt doch auch dran/ dieſe Zech wirſtu villeicht bezahlen / i. e. ô *mea, te quoque malum corripiet, ac ſymbolum pro nobis fortaſſe tu proximè ſolves!* qua voce ancilla perterrita domum redit, mox ægrotare incipit, & ſequenti ſtatim nocte moritur; Bakio recenſente in Expoſit. Evangel. Domin. part. 3. 524. meritoque in talia deſinente: *Quid eſt petulantiſſime contra quintum præceptum delinquere, ſi hoc non eſt? Et, quæ diabolica prorſus malitia eſt, ſi hæc non eſt?*

Anno 1625. Febr. 22. in diœceſi *Bambergenſi*, pagos inter duos, nomine *Ebermansſtatt* & *Geiſeldorf*, horrendus *terræ motus* extitit, circa meridiem, quo concuſſus mons Trudenheiden, & magno fragore disruptus decidit; contrà verò ſpatium amplius viginti jugerorum prope montem, cum omnibus arboribus, aliisque ibi conſitis, elevatum eſt in altum, & aliò tranſpoſitum. vid. Zeil. epiſt. tom. 2. pag. 848.

LIB. III. CAP. XLIII.

Summaria.

Antonius Albitius, proſelytus, ob libros orthodoxos in Italiam tranſmiſſos Romam citatur.

Balthaſaris Philgi de eo teſtimonium.
Religionis libertatem ruſtici in Auſtria armis tueri pergunt.
Chriſtiano Brunsvicenſi in Epiſcopia Halberſtadienſi ſuccedit Leopoldus Wilhelmus Auſtriacus.
Ad Cœlites properant, Balthaſarus Meiſnerus, & Joh. Winkelmannus.

ANtonius Albitius, patria Florentinus, qui ante pluſculos annos, relictis Pontificiorum caſtris, ad partes Lutheranorum tranſierat, fixeratque ſedem ſuam *Campiduni*, hoc anno ab Inquiſitione Generali Pontificis Romani, ad ſacrum, *ſcilicet*, ſacri officii tribunal citatus fuit, de dato pridie Idus Februarii. *Cauſa citationis* potiſſima: quòd vir optimus, variis libris puriorum doctorum in Italiam transmiſſis, Lutheri dogmata ibi ſpargere ac divulgare, magno ſtudio jam diu laboraſſet. Non diſſimulare potuit hoc ipſum Lojolita Dillinganus, *Laurentius* nempe *Forerus*, in libello, quem contra Thummium, ac Zeæmannum, ſub titulo par Nobile Fratrum edidit, propterea ſcribens: „Antonius Albitius, apoſtata Florentinus, fertur multis annis Campiduni, verſos ex Germanico in Italicum idioma Lutheranos libros imprimendos curaſſe, ac deinde „lineis pannis incluſos inter mercatorum faſciculos per Italiam diſſeminaſſe; ita tamen, ut in frontiſpicio librorum illorum, pro loco impreſſionis *Venetiæ*, non *Campidunum* poneretur; &, in margine literis minuſculis addens: Inſinuat hoc factum quoque ſancta „Inquiſitio Generalis Romæ, in citatione Albitii; pag. citat. lib. 320.

Balthaſar Philgus, in programmate diſputationis inauguralis, ex *epiſtola S. Pauli ad Galatas*, Tubingæ habita menſe Majo an. 1652. infit: „Quantum præſtet hæc Epiſtola in erudiendis hominibus ad „ſalutem in Chriſto JEſu, ac eò diſponendis, ut eſſent inſtructi ad „omne opus bonum in vita & morte, plurimorum exemplis patet. „Nominamus unum Antonium Albitium, Nobilem Florentinum, „virum olim in omni eruditione incomparabilem, Manuductorem „meum candidiſſimum, hujus epiſtolæ, & ejus, quam ſcripſit „Apoſtolus ad Romanos, diligenti lectione ita apparatum, ut videret abominationes Antichriſti Occidentalis, gloriaque & ſummis divitiis, quas Antiochus ille Propheticus, in Urbe ſepticolli „ſuis, qui eum, Deum ſuum Mauſim colere juvant, diſtribuere ſolet, planè ſpretis, ad partes parvi gregis Domini, Florentia & Ro-

„mâ

„ mâ paulatim in Germaniam ſe conferret, & Auguſtæ, dein Campidunæ ſcripta non ſaltem politica, ſed & maximè Theologica ederet, quibus tum apud nos, tum in Italia plurimum fecit fructum. „ Aſt etiam hoſtes permultos ſibi concitavit, ita, ut ab Inquiſitione „ Romana, an. 1626. programmate publico, ceu ingruente diriſſimarum minarum torrente ſubitò obrutus, & in forum Pontificis, „ ut cauſam ſuam coram eo diceret, poſtulatus ſit; à DEO autem „ gratioſe ſervatus eſt. Juſſus erat anno jam dicto ante exitum „ trium menſium Junii, Julii, Auguſti, Romæ comparere, rationemque actionum ſuarum, reddere. Et ecce, antequam citationem „ hanc reſciret, ſenex pietate inſignis, gravitate humanus, humanitate gravis, omnibus, qui cum eo agebant, gratus & charus, „ catarrho extinctus, ac ante trium menſium finem, terræ mandatus eſt. Hæc Philgus in program. de viri converſ. vid. act. Lipſ. 1693. 86. pl.

Quam ob cauſam *Auſtriaci ruricolæ* ad arma convolarint, in recenſione præcedentis anni dictum. Ob eandem vero cauſam adhuc in armis perſtant, magno pro tuenda religionis libertate accenſi ardore. Eſt, qui ſcribit: „ Cum porrò an. 1626. Ferdinandus 2. „ ut in Bohemia, ita etiam in Auſtria violentum conſcientiæ imperium exerceret, in tractu ſuper Anaſum duo millia ruſticorum „ (quorum numerus deinde in formidabilem exercitum auctus) „ oppoſuerunt ſe, nigris veſtibus induti, & candidas cruces in pectore gerentes vexillis inſcriptum habentes: Dieweils gilt Seel „ und Gut / ſo gilts auch Leib und Blut / GOtt geb uns Heldenmuth! id „ eſt: quoniam periclitamur tam de animarum ſalute, quam omni „ facultatum genere; ideo nec ſanguini parcendum, nec denique „ ipſi vitæ; DEUS Opt. Max. Spiritum fortitudinis largiatur nobis! Burgold. B. 136. primum eorum *ductorem* egiſſe ferunt *Stephanum Vadingerum*, pilearium; alterum ſutorem, *Achatium Villingerum*; tertium autem & poſtremum, *Danielem Kundmannum* ſtudioſum, natione Bohemum, anno 1620. Matriculæ Altorffinæ inſcriptum, ut legere eſt in actis Erud. Lips. de an. 1687. pag. 643. Arcta obſidione clauſere hoc anno agreſtes illi primariam Auſtriæ ſuperioris urbem, nullo tamen ſucceſſu, cùm & Imperator, & Bavariæ Dux, majores eò copias miſiſſent; quin & in fugam propulſi, cùm ſe carpi viderent undique, maximam partem *ad officium rediere*. Mox autem ſuorum ſuppliciis & incendiis accenſi denuo, *ferocius in hoſtes* *irrue-*

irruerunt, & non unam reportarunt victoriam; feceruntque clades, tum à Cæſarianis, tum à Bavaricis acceptæ, ut Imperator Ferdinandus promiſſa ruricolis & reliquis Auſtriacis libertate religionis, etiam proſcriptos eam ob cauſam Bohemos, affixis Pragæ tabellis, publicè revocaret. Sed ut nihil motibus plebeiis inconſtantius, magisque obnoxium diſcordiæ; ita & hocce vulgus inſano diſſidio rem perdidit omnem: Dum enim alios ruricolas ad armorum ſocietatem bello inſtituunt cogere, gravem ab iis accipiunt cladem; & paulo poſt *Pappenhemio*, in eos moventi, *pœnas exſolvunt ſeditionis*, diſſipati fuſique paſſim; Venia pœnitentibus data; ferociſſimi quiq; vel adſuetudine rapinarum, aut conſcientiâ ſcelerum, atque ob id gratiam deſperantes, per Moraviam Sileſiamque vagi, Hungarico ſe, aut Danico bello immiſcuere. Cluveri Epit. hiſtor. 801. Turſell. append. 2. 25.

Vivis exempto *Chriſtiano, Duce Brunovicenſi* & poſtulato *Halberſtadienſi* Epiſcopo, electus in ejus locum *Leopoldus Wilhelmus*, Imperatoris filius, Archidux Auſtriæ, qui Evangelicos Canonicos depoſuit, omniaque Cœnobia & Templa Diœceſeos Pontificiis reſtituit. Vid. Burgoldenſ. part. 3 113. Theat. Europ. 1082.

Ex Theologis Auguſtanæ Confeſſionis ad meliorem vitam tunc abiere *D. Balthaſar Meiſnerus* Profeſſor Wittenbergenſis, ex Philoſophia Sobria, Anthropologia ſacra, Chriſtologia, Scholis Academicis, Conſultatione contra Leſſium, proba gemina Calviniſtica, Murorum Babylonicorum deſtructione, & excubiarum depulſione, Logologiâ ſacrâ, Scholâ Babylonicâ, Myſterio Pietatis, tractatu de Eccleſia, de Sacramentis, Legibus, Summo Bono, Adiaphoris, Photinianiſmo, Meditationibus in Evangelia, concionibus de Auguſtana Confeſſione, aliisque homileticis, celeberrimus, in ætate viridi, vix quadragenarius obiit ſub finem anni. vide Catalog. Theol. Profeſſ. Conſil. Witteb. præfix. & Micræl. hiſt. Eccleſ. 519.

D. Johannes Winkelmannus, primò Concionator aulicus Haſſiæ Landgravii, dein Profeſſor Marpurgenſis, & Gieſſenſis; Commentario in Prophetas minores, Epiſtolas quasdam Apoſtolicas, Apocalypſin, ac nonnullis aliis, præſertim diſputationibus, tomis Marpurgenſibus & Gieſenſibus inſertis, clarus; animam DEO tradidit an. ætat. 75. Stratemann. Theatr. Hiſtor. 1124. Calviſ. Chron. 997.

LIB. III. CAP. XLIV.

Summaria.

Norberti, quondam Archiepiſcopi Magdeburgici, oſſa Pragam translata.
Norbertus ille qualis? quantus?
Aſſertum ei officium immaculatæ conceptionis M.V.
Monialium Paradiſus, Collegiis olim Norbertino-Præmonſtrantenſibus contiguus.
Congregatio Miſſionis instituta.
Tanneri vox de Eminentia Pontificis Romani.
Hieron. Greg. teſtificatio de capite facinoroſi, à Jeſ. venerationi religioſæ expoſito.
Pariſienſi Parlamento Jeſuitæ Gallicani ſententiam ſuam de Libro Santarelli exponere coguntur.
Anton. Santarel. verborum Apoſtolicorum corruptor damnatus.
Urbini Ducatus, accedit ad Patrimonium Petri; hujusque amplitudo recenſetur breviter.
Petrus Cottonus animi dolore mortem ſibi contrahit.
Arcanorum revelatio, quomodo eidem facta?
Obit etiam Simon Marquemontius.
Chriſtiani Japonenſes iterum in perſequutionem incidunt.

TUnc temporis *oſſa & reliquiæ Norberti,* Magdeburgenſis quondam Archi-Epiſcopi & Primatis Germaniæ, Pragam transferebantur. *Norbertus* ille, nobilis Lotharingus, S. Victoris apud Xanthum, Italiæ oppidum Canonicus, Rutgero nobili à Velthèim in ſacra ſtatione ſucceſſit. Cùm enim *ArchiEpiſcopatus Magdeburgicus* propter tres Præſules, à Capitularibus non ſine diſcordia ſimul electos, triceps ferè factus eſſet, Imperator Lotharius Saxo, aliis omnibus repudiatis, Norbertum Sacellanum ſuum conſtituit. Is hinc Cæſarem in Italiam ſecutus, facundiâ ſua melliflua & admirabili, magnam ſibi autoritatem conciliavit, ac ſub victricibus Lotharii armis, diſſidium inter duos Pontifices, Innocentium ſecundum, & Anacletum, compoſuit, eoque titulum *Primatis Germaniæ*, quem tunc impetraſſe creditur, in omnes ſucceſſores ſuos propagavit. Quamvis alii diſputent, non Norbertum, ſed S. Bernhardum, coronationi Lotharii Imperatoris interfuiſſe. *Fundavit* autem præmemoratus noſter, *Præmonſtrantenſium Ordinem* A. C. 1120. juxta verſus: *Anno milleno, centeno, bis quoque deno, ſub patre Norberto fundatus candidus ordo.* Cùm enim Norberto precanti, præmonſtraretur, ut ferunt, locus, ubi

ubi ſtruere deberet Monaſterium, habitus candidus ei à Matre Domini oblatus; Et Auguſtini repetita regula, quam ipſius obſervare fratres deberent; Hinc totus ille albicantium Monachorum Ordo, Præmonſtratus, vel fratrum Præmonſtratenſium dictus eſt, veluti gloriantur Norbertini:

Cruce locus præmonſtratur,
Ubi ſtruas regiam;
Sancta tibi Virgo Mater,
Veſtem præbet niveam;
Sanctus Auguſtinus Pater,
Auro præſcribit regulam.

Venit Magdeburgum Norbertus, nudipes, 15. Cal. Aug. A. C. 1128. *pallium* habuit à P. P. Honorio, *inveſtituram* ab Udone, Epiſcopo Zizenſi. Ædem B. Virginis, Canonicis ante dicatam, ſui Ordinis fratribus tradidit; ſtruxit Monaſteria: Walkenrad & Gottes Gnad/ prope Collegium. Obiit an. 1134. die Petri & Pauli Apoſtolorum, ſepultus in B. Virginis templo, ſub ara S. Crucis, ubi præcedente anno ſc. 1625. Sarcophagus ejus lapideus juſſu Imperatoris Ferd. II. effractus, & ejus exuviæ deinceps Pragam traductæ. Refert hisce verbis Reinhardus Bakius in Expoſ. Evang. præf. a. b. partis ſecundæ.

Hic Norbertus, aſſerente Papa Alexand. VII. in *GLORIA immaculatæ conceptæ Virginis Mariæ*, Anagram. 10. decad. 6. poſt inſtitutum Ordinem ſuum, in honorem D. V. officium immaculatæ Conceptionis introduxit, in quo ſequentia leguntur: *Ave Virgo, Spiritu S. præſervante, quæ de tanto primi parentis peccato triumphaſti innoxia.* Figmentum de *ſuavi fragrantia reliquiarum Norberti*, ex odoratu pomorum, quæ templi oſtiarius in contigua quadam crypta aſſervabat, Hülſemannus dignis modis perſtrinxit, in Manuali Confeſſionis Auguſtanæ, diſp. 18. de cult. S. S. theſ. XXI. in fin. Unum ne omittam, in majorem Sanctitatis gloriam candidæ fraternitatis, B. L. ex Memorabilibus Wolffii, tom. 2. pag. 577. communicandum: Habuit hoc *Ordo Norbertinus* initio *peculiare*, ut ubi eſſet *Monachorum Collegium*, ibi *puellarum* etiam non tantùm non procul abeſſet, ſed contigua etiam eſſet *habitatio*; ne deeſſet Monachis coſta, quam ademptam primo humani generis parenti, & poſtea multo cum lucro redditam eidem ſciebant; Locus verò monialibus deputatus, *Paradiſi* nomine appellatus, S. Michaëlis patrocinio ſuberat. Ita ex Bruſchio Wolfius.

Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum vigeſimo ſexto, in communione Romanenſium inſtituta eſt *Congregatio*, quæ *Miſſionis* dicitur; Ejusque autor & primus Generalis, ut & puellarum charitatis, *Vincentius de Paula* fuit, qui poſt annos quadraginta quatuor fatis conceſſit, ætat. 85. Hofm. Lex. univ. B. 547.

Quantum *autoritatis & Eminentiæ*, ſuper omne, quod venerationem in his terris quamcunque meretur, Tyberino *Pontifici* ſuo, hodienum in media ferè Germania Lojolæ filii tribuant, *Adamus Tannerus* hoc ipſo anno ſatis teſtatum dedit, in literis ad Maximilianum Bavariæ Ducem ita ſcribens: „ Quæ proximis aliquam multis annis, „ auſpiciis, conſiliis, armis, ductuque ac manu Serenitatis Veſtræ „ ſapienter, fortiter, feliciter, domi forisque, pro avita religione & „ Eccleſia Catholica, adverſus fidei, Imperatorisque & Imperii ho„ ſtes ac rebelles geſta ſunt, dudum non ſolùm ſubjectæ S. V. pro„ vinciæ, Urbes, Templa, Scholæ, Collegia, publicis monumentis, „ lætitiæque ſignis exhibitis ac editis gratulata ſunt; ſed etiam ex„ teri Principes, & inprimis *Utrumque Summum Romanæ gentis tum ſpi„ rituale, tum temporale Caput, ROMANUS PONTIFEX &c.* pro meri„ tis collaudarunt ac deprædicarunt &c. Singular. Angelicor. Septenar. pag. 351.

Memorabilis fuit *impoſtura Lojolitarum*, à *Gregorio Hieromonacho* & Exarcho Patriarchico relata, in epiſtola ad Sophronium ſcripta Trapezunte anno 1626. die 16. Maji, quam totam recenſet Rivetus Tom. 3. opp. fol. 1251. ſeqq. Nimirum boni ſodales iſti, in via quorundam *furum aut facinoroſorum cadavera* reperientes, *caput* uni avulſum, inque diverſorio elixatum & balſamo inunctum, venerationi religioſæ expoſuerunt. Vid. Syſt. Theol. D. Johann. Adam. Scherzeri, pag. 569.

Poſt Sorbonæ Pariſienſis datam Cenſuram, decretumq; factum totius Univerſitatis, latamque ſententiam Parlamenti Lutetiani, in *librum Antonii Santarelli de Poteſtate Summi Pontificis R.* dicta die Collegii Clarmontani Rector, præcipuique *Societatis Lojolæ* in eo Collegio *Theologi, ad judicium citati*, reſpondere ad Senatus interrogata, judiciique ſui de Santarelli dogmatibus copiam facere coguntur. Omnium nomine *P. Cottonus* reſpondet interrogantibus, & gravi metu, ne ſolum, ut ſuperiori ſeculo circa finem, vertere Societas juberetur, tum Santarelli doctrinam verbis improbat; tum etiam fatetur, eam *Romæ* doctrinam à Societatis Generali, cæterisque fratribus

ibi

ibi degentibus probari; quod negare, cùm Generalis, *Mutii Vitelleſci,* approbationem adſcriptam liber haberet, non licuit. *Sed quare,* ſubjicit Cottonus, *imputabitur nobis error Tranſalpinus, cui nemo noſtrûm ſubſcripſit in Gallia?* Interroganti Senatui, annum in ditione ſua Galliæ Regi jus omne putent competere? *jus omne, quantum ad temporalia,* dixit. Ad quæſtionem, an Pontifici R. jus vendicent in Reges, adeò ut per Excommunicationem ſacris ipſos interdicere poſſit, ſubditos abſolvere à juramento fidelitatis, regnum in prædam dare? talia depoſuit: „ Abſit verbo invidia! Excommunicari Chriſtianiſſimum „ Regem? abſit omen! quis credat primogenitum Eccleſiæ futurum „ aliquando Matris hoſtem, quam protexit ſemper, ac protegit? quis „ excommunicandum, qui continuò pugnat hæreſi in regno ſuo „ extirpandæ? Quæſitus, an ergò diverſam à Generali Societatis Gal„ licani Lojolitæ ſententiam teneant? Ait: „ qui Romæ degit Præ„ poſitus noſter Generalis, vix eſt, ut improbare poſſit, quod Roma „ probat; opinio nobis planè illi contraria. Interrogante Senatu: Quid ſi eſſetis Romæ? faſſus eſt idem Cottonus: *Mutaretur nobis cum cœlo animus; ſentiremus, ut Romæ.* Requiſiti, ut ſine ambagibus, & omni ſubterfugio ſuam de Romanæ ſedis in Reges poteſtate ſententiam proferrent; petito deliberandi ſpatio, poſt elapſum triduum præcipui Societatis miſſi ad Regem, palam Santarelli doctrinam abdicarunt, exhibito *inſtrumento publico,* in hæc verba concepto: „ Nos „ ſubſignati declaramus, Santarellum perperam de Regibus & eo„ rum autoritate ſcripſiſſe, quam diffitemur doctrinam; agnoſcimus „ autem ac profitemur, Regum immediatam eſſe à Deo poteſtatem, „ independensque ipſis jus in ſubditos; cui ſententiæ, ut veræ, no„ ſtro omnium ſanguine ſubſcribitur, ſi opus, non ſecus, atque cen„ ſuris, ſi quæ à Clero Gallicano, aut Sorbona, in ejusmodi libros „ edentur. Promittimus inſuper, futuram nobis poſthac unam & „ eandem ſuper ea quæſtione cum Sorbona, Clero, & Regni Gallici „ Academiis ſententiam. Actum Lutetiæ Martii XVI. an. 1626. Ex Gramondi lib. XV. hiſtor. Gall. pag. 676. ſeqq. & Artopæi Diatriba, de vera ætate AntiChriſti. pag. 130.

Antonius Santarellus Lojolita, die primo Aprilis anni hujus, publico Sorbonæ decreto *damnatus* quoq;, quod verbis Apoſtoli: Dedit nobis DEUS poteſtatem ad ædificationem, *non* ad deſtructionem, negativam detraxerit, ut legeretur, & ad deſtructionem. Gerhard. Confeſſ. Cathol. tom. 2. 349.

Poſt obitum *Franciſci Mariæ II.* ex familia *Roborea* ultimi, *Ducatus Urbini ceſſit quoque patrimonio Petri*, & ad Papam devolutus eſt. Hac igitur ad Majeſtatem Pontificis additione, factum eſt, ut à Terracina Regni Neapolitani limite, Loretum usque primum Venetorum oppidum, ditio Papalis per trecenta milliaria in longitudinem continua ſe extendat, latitudinemque habeat ab Oſtia ad Anconam, à mari infero ad ſuperum. Satis id pro Rege ſacrificulo; qui jam, præter Romanum agrum inter Romam & Regnum Neapolitanum, & præter patrimonium Petri, quondam à Mathilde, ut ferunt, Eccleſiæ in Hetruria, à Roma verſus Florentiam, donatum, poſſidet Umbriam ſeu Ducatum Spoletanum; Picenum ſeu Marchiam Anconitanam, inque eo Ducatum Urbinatem; Romaniolam ſeu Flaminiam & Æmiliam; in agro Neapolitano Beneventum; in Galliis Comitatum Avenionenſem; in Mediolanenſi tandem territorio Ducatum Parmenſem, qui, ut & Ducatus Caſtri, eſt in ipſius beneficio. Horn. Orb. Pol. 178. Micræl Syntagm. H. E. lib. 3. 589.

Petrus Cottonus, Lojolita Gallicus, magni nominis inter ſuos, Henrici IV. & ejus filii Ludovici XIII. Conſcientiis admotus, non multo poſt Lutetianam illam actionem in cauſa *Santarelli*, qua præcipui Societatis extra Ordinem pulſati fuerant, *ex tædio correptus morbo*, fati legem implevit. Hic ille eſt, qui ex *Hadriana Fraxinea*, puella dæmoniacâ, ſciſcitari varia voluit, uti dictum lib. I. c. XXIII. Alias *conſtellatum* habuiſſe fertur *ſpeculum*, ea, quæ in omnibus mundi plagis fierent, ipſi repræſentantem, unde & Regi ad omnia quæſita de ratione Statuum in omnibus Regnis atque Rebuspublicis, facilimè potuerit reſpondere, multaque arcana producere. *Henricus Engelgravius*, Lojolita in Pantheo ſuo, ex Fornero arcana, quæ prædictus Cottonus cognovit, aliisq; revelavit, non ſpeculo alicui conſtellato, ſed alii principio revelanti, ſcilicet *Angelo cuſtodi*, ac *tutelaribus generalibus provinciarum* adſcribit, his quidem verbis: „ Crebrò „ ſanctiſſimos Angelos, præſertim cuſtodem ſuum, ac aliorum, qui „ ſpecialiter ipſius curæ commiſſi erant, pulcherrimam indutus for„ mam cernebat, reverenter eis & amicè colloquebatur; a quibus „ etiam cognoſcebat clientum occultas neceſſitates. A tutelaribus „ provinciarum generalibus, quas ſæpè obibat (charitate vel officio „ cogente) præcognovit & prædixit terribilem illam tempeſtatem, „ quæ anno 1626. à Parlamento, contra Societatem excitata; extant„ que ejus hac de re ad amicum fideliſſimum literæ; prædixit ſimul,

„ Bur-

„Burdegalæ cùm eſſet, hanc brevi tempeſtatem pacatum iri, & ſuc-„ceſſuram in majus inclytæ Societatis per Galliam ſtabilimentum; Hæc Engelgrave. An verò quæ de revelatione Angeli cuſtodis, tutelariumque generalium provinciarum allata, vera ſint, aut vero ſaltem ſimilia, judicabunt alii. Vid. Waldſchm. in Pythoniſſa Endor. conc. 3. pag. 55. ſeq. & Bekii Luther. ante Luth. 246. 280. quo poſteriore loco egregia *Cottonianæ caſtitatis* habentur teſtimonia.

Obiit eodem anno Romæ, *Dionyſius Simon Marquemontius*, Pariſinus Cardinalis, Archiepiſcopus Lugdunenſis (comes Peronii in legatione Romana, Sullerii deinde in Florentina, ubi Maria Medicæa Henrico IV. uxor conciliata) miſſus à Ludovico XIII. ad Urbanum VIII. Is inter alia *Congregationem doctorum* inſtituit, ſingulis hebdomadibus, ubi de negotiis diœceſeos actum. Hofman. in Lex. Univerſ. A. 557.

Trucidatio Chriſtianorum in Japonia, quæ anno elapſo proximè nonnihil remiſerat, recrudeſcit. *Gubernator*, qui tunc præerat, non videbatur delectari multorum hominum ſanguine profundendo, & maxima parte ægrotabat, vel ita ſimulabat, quantum ex verbis & geſtibus poterat colligi; Atque hanc ob cauſam Imperatori aſſiduè ſupplicabat, ut hoc munus alteri demandaret, quod etiam anno 1626. factum: in ejus verò locum ſurrogatus eſt vir nobilis N. è Regia ſtirpe, qui ſtatim ac *Nagaſanquen* ingreſſus erat, ſævire cœpit, multosque tum igne tum ferro interimere Chriſti confeſſores, quos inter fuiſſe ferunt *Franciſcum Parquerum*, Epiſcoqum ſeptuaginta annorum, natione Luſitanum; & *Balthaſarum de Fores*, Dominicanum, ſexaginta octo annorum, ex Hiſpania oriundum; *Iwanumque Baptiſtam*, Dominicani itidem ordinis, Italum gente. Poſt unum alterumque menſem *Gubernator* magnam Chriſtianorum conſtantiam, & eorundem in Urbe regia numerum ingentem adhuc ſupereſſe animadvertens, ita ut multa millia hominum perimenda forent, antequam illos extirpare poſſet, *aliam inivit rationem* illud efficiendi. Divites nempe ſpoliavit bonis, ne media ſuſtentationis in poſterum haberent, multosque horum ad abjicienda ſacra Chriſtiana impulit, præſertim cum inſuper minas adderet, illos nequaquam ſola bonorum amiſſione vitam redempturos, ſed nihilominus aliquando mactandos eſſe: hæc tamen omnia humano ſermone, ac ſub ſpecie illis optimè conſulendi, peragebat. Pauperibus & egenis, tormenta, niſi religionem abnegarent, atrocia propoſuit; illos, qui conſu-

lenti

lenti ipſi ſint obtemperaturi, lautis promiſſionibus fovit, neque pecuniam tantum & opes illis largiturum ſe, ſed etiam quibus cunque poſſit modis eorum promovere commodum, pollicitus eſt. Facta deinde, dictis addidit, ne vanæ promiſſiones judicarentur, & Apoſtatis domos interfectorum, vel fundos conceſſit, aliis alia ſatisfecit ratione. His ac ſimilibus artificiis Gubernator Nagaſanquejus plures ad Apoſtaſiam adduxit, quàm rigidis pœnis atque tormentis facturus fuiſſet. Varen. de relig. Japon. 170. ad 176. Franciſc. Schaub. A. 506.

LIB. III. CAP. XLV.

Summaria.

Palatinatus uterque, pulſo Calviniſmo Papiſmum ſuſcipit.

Tumultus Amſtelodamenſis & Lugdunenſis, propter Arminianos excitati.

Adriani Smutii fervor pro ſuggeſtu.

Anglia excedere jubentur Reginæ clerici, cum famulitio Gallicano.

Ediguerius, qua occaſione ludicra jam ſenex è Calviniano factus Papiſta?

IN *ſuperiori Palatinatu exterminationi dogmatum Calviniſticorum*, & eis adhærentium, juſſu Bavariæ Ducis ac novi Electoris, *ultima manus imponitur*; Parilemque ſortem expertæ ſunt *præfecturæ*, quas in *Palatinatu Rhenano* idem Bavarus, Imperatoris conceſſione obtinuerat; In reliquis vero locis haud ſegniter Papæ cauſam Hiſpani promovere. Varia fuit ac *ſæpius iterata religionis mutatio in his terris, a ſeptuaginta* (& quod ex currit) *abhinc annis. Fridericus ſecundus*, cognomento pius, fratris *Ludovici pacifici* ſucceſſor in palatinatu & Electoratu, Lutheri doctrinam approbavit, eamque apud ſubditos introduxit. *Fridericus tertius* Calvinianæ religioni locum dedit; Inde anno 1561. in conventu Naumburgico, variatane an invariata editio Confeſſionis Auguſtanæ ſequenda? ipſo autore diſputatum; anno 1563. Catecheſin Heidelbergenſem, quam plerique Calviniani hodienum ſequuntur, publicari curavit. Poſt ipſum filius *Ludovicus* Lutheranis acceſſit, hiſce templa ſcholasque reſtituit, adverſæ partis tum doctoribus, tum auditoribus, dimiſſis. Sub *Friderico quarto & quinto*, Calviniſmus iterum invaluit, non tantum in Palatinatu Electorali, ſed etiam in provinciis annexis, è quibus in totam ferè Germaniam ſe diffudit. Profligato autem ex Fridericis ultimo,

timo, Calviniſmus etiam ex ditionibus ejus demigrare, ac Papiſmo cedere coactus eſt. Spen. Geneal. 101. Orbis Lum. 1070. confer an. 1610. cap. LXIV.

In Belgio *novi motus* oborti ſunt *propter Arminianos, Amſtelrodami* præſertim. Ibi enim circa medium Aprilis, cùm cœtus Arminianorum in domo quadam congregatus eſſet, ad exercenda more ſuo ſacra, plebs effera domum oppugnavit ac diripuit, peneque deſtruxit, ita ut nec præfectus urbis tumultum ſedare potuerit; ſed ipſos demum cives moderatiores arma capere, atque tumultuantes abigere, oportuit; *Lugduni* verò, ſub menſis exitum, idem accidiſſe compertum eſt. Calviſ. Chron. 996. Theat. Eur. 1070.

De *Adriano Smutio* autem, noti nominis præcone Amſterdamenſe refert Anonymus: quod primo is Auguſti die, pro concione invectus in ſeniores Laicos & Compresbyteros ſuos, ideo, quod in quæſtionibus matrimonialibus, de cenſura item hederodoxorum, aliisque id genus mixtis, attenderent Juris conſultorum ſententias, clamaverit: *Hìc ſtat Semaja, os Domini loquitur, nos debetis andire*; quibus, aliisque de cauſis, loco motus fuerit. Ex D. Joh. Hulſem. Calviniſm. irreconciliab. pag. 164.

In Anglia, cùm *Henricéa Regina*, Caroli uxor, pontificiis addicta ſacris, ad exercendam religionem avitam, haud paucos adduxiſſet clericos Romanenſes, iique, contra quàm expedire regno videbatur, in ſuam allectarent ſententiam Anglos; ac *magiſter confeſſionum*, in Reginæ arcana ſæpiſſimè inquireret, *Rex eum, & ſodales, cum Gallicano Reginæ famulitio excedere juſſit*; cauſa per nuncium ſuum expoſitâ, quod ita publicæ pacis intereſſet, metuendumque, ne ſi manerent, ab Anglicano vùlgo, cum quo à religione diſſiderent, gravius aliquid paterentur. Tranſiit hoc in *offenſam Gallico Regi Ludovico*, & bellum inter affines non parum promovit; quamvis non nemo ſcribat, iſtam *controverſiam* per Legatum Gallicum *ita compoſitam eſſe*, ut ſacerdotes duodecim, Epiſcopus unus, Matronæ duodecim, unus cubicularius, ſecretarius, Medicus, prætereaque tres alii miniſtri Romano-Catholici, pro Reginæ obſequio ibi retinerentur, quorum antea trecenti ferè fuerint: Ut verò ab *auxilio Hugonotis ferendo* deſiſteretur, impetrari non potuiſſe; ac proin acerbiores inimicitias utrumque regnum commiſiſſe Cluver. hiſt. 801. Turſellin. ap. 2. 27.

Per idem tempus vitâ exceſſit in Gallia Conneſtabilis *Eſdiguerius*,

rius, vir bonis maliſque artibus, læta & adverſa fortunâ variè memorandus, nobis tamen hîc loci ob id ſaltem, quod *Calvini partes deſeruit provectâ jam ætate, Romanamque ſedem agnovit.* Mutationis occaſionem & cauſam ſcitè deſcribit Gramondus hiſce verbis: „Circumfertur de illo, *Maphæum Barberinum*, qui hodie Urbanus „VIII. Cùm Legatione is Alpina pro ſede Apoſtolica fungeretur, non„dum Cardinalem, inſtitiſſe hæretico, ut Romanam ſedem agno„ſceret; reſpondiſſe ipſum velut impoſſibili conditione, *agniturum* „*ſe, cum eam ille teneret.* In Cardinalatum evehitur Barberinus, tan„demque in Petri Cathedra ſedet; ſtatim conditionem ceſſiſſe, com„miſſamque ſtipulationem monet Pontificio ad Esdiguerium reſcri„pto Urbanus Papa; ille velut miraculo vocatus paret, induitque „orthodoxam fidem; ita plerumq; ſeria ludicris tranſiguntur, Hucusque Gramondus, lib. 16. hiſt. Gallican. 708. confer Hofm. Lex. 471. in voce Comes ſtabuli.

LIB. III. CAP. XLVI.

Summaria.

Silbonis cujusdam opinio de Infantum ſine Bapiſmo decedentium beatitudine naturali.

Jacobus Boulduccius, Patriarchas V. T. in Monachos transformat.

Idem octo Sodalitates Religioſorum V. T. confingit.

Stifelius errores ſuos diſſeminare pergit, Orbis & Mortis ludibrium.

SIngularem & erroneam *de infantibus abſque Baptiſmo decedentibus* opinionem, ſcripto publico t. t. vulgavit quidem *Silbon*, ubi diſertè ſcripſit: „Ethnicorum & Chriſtianorum infantes, ſine bapti„ſmo morientes, eundem occupare portum, qui ſit vitæ ſtatus, non „obnoxius iis malis ac doloribus, quibus hæc vita eſt ſubjecta; ſed „omnibus bonis & commodis, ſuper ea, quæ hîc habentur, abun„det, quique ſit, uno verbo, ſpecies *naturalis beatitudinis. Fundamentum ſententiæ ſuæ* hoc poſuerat: Hominem nihil amiſiſſe in Adamo, quod ad naturalem conſtitutionem pertineret; maculam autem Originalem infelicitati poſſe imputari, non culpæ. *Approbatus fuit iſte totus tractatus à duobus Lutetianis doctoribus*, nempe Petro Coppinio, & Jacobo Durando, qui dicunt: „Se non carptim, curſimvè, „ſed maturè, diligenter ac ſtudioſè perlegiſſe, nihilque reperiſſe in „illo, fidei Catholicæ non conforme; imò ſe offerunt paratos, ad ed-

„den-

„dendam rationem cuivis poſcenti. Sic ergò, addit quidam, in Eccleſia Romana redivivus eſt Pelagius! Confeſſ. Cath. Gerh. tom. 3. 900.

Novum verò deridiculumque Monachorum plaſten egit *Jacobus Boulduccius* Pariſienſis Capucinus, autor Libri de Eccleſia ante Legem, Lugduni hoc anno editi, quo vetuſtiſſimos Patriarchas in Monachorum ſocietatem retulit. Noam, Sem, Eberum, Abrahamum, finxit Archimandritas fuiſſe, vel Abbates, qui omnes in palæſtina, extra civitates cœnobia ſua habuerint, *Rephaim* dicta, quorum Ordinibus etiam *Chamum* & *Nimrodum* annumerare auſus eſt; Semum verò, alias ipſi Melchiſedechum, nominavit Papam, ſub quo diverſæ ſocietates monachales inſtitutæ fuerint, e. g. *Nephilim*, ita dictorum, quod proſtrato corpore orarint; hos inter *Enoſchæos* extitiſſe, quibus deinceps nomen *Eſſæorum* impertitum ſit, more Carthuſiano viventium regulariter: atque *Kainæorum*, à Kainam, non abſimilium hodiernis Minoritis & Franciſcanis, quorum Ordinem tenuerit *Enochus*, de quo ſic ſcripſit: „Eum in devotiſſima illa congregatione tantum profeciſſe ſpatio trecentorum annorum, „ut poſteà ſæpiſſimè per multos annos ad diverſas regiones, per „quas filiorum DEI cœnobia, & ſodalitia fuerint diſperſa, tanquam „DEI angelos ab Enos, qui DEI nomen vicesque geſſerit, nec non „ab abavo Cajnano, miſſus ſit ad utriusque Enoſchæorum atque „Cainæorum congregationis fratres, ut frequentiſſimis ſuis prædi- „cationibus & exemplis, diſſolutos eorum mores, âque priſca „vivendi ratione alieniſſimam vitam, reprehenderet, ac pro ſibi à „ſuo generaliſſimo ſupremoque Ordinis utriusque præfecto, Enos, „autoritate conceſſa corrigeret. Ita Boulduccius; cui ſimul phraſis illa S. Scripturæ, de Enocho & Noacho aliquoties uſurpata, quod *cum DEO vixerint, ambularintque perfecti*, nil denotat aliud, quam quod in ſtatu Monachali vixerint. Priſcis illis temporibus illa locutio, inquit, idem valebat, ac adhibitis quibusdam ceremoniis, totum ſe divino ſervitio ſolenniter ac perpetuò devovere, adeoque aliquam ex religioſis illis ſocietatibus ingredi. Videatur Panſophia Moſaico è Geneſi, D. Auguſti Pfeifferi, pag. 110. ſeqq.

Ejusdem Boulduccii mentionem facit *Georgius Felavius*, Eccleſiaſtes Dantiſcanus (in ſuis annotatis ad Chriſtoph. Angeli libellum de ſtatu & ritibus Eccleſiæ Græcæ, pag. 175.) formalibus hiſce: O- „mnino doctorum cachinno excipienda eſt Jacobi Boulducci opi-

„nio, qui in tribus, quos ſcripſit de Eccleſia ante legem, libris ſta-
„tuit, *octo ſodalitates* Religioſorum, & quaſi Monachales, ab initio
„Mundi ad Chriſtum uſque inſtitutas in pluribus cœnobiis fuiſſe.
„*Primam* Carthuſianam, Enoſchæorum nempe, ab Enos dictorum,
„quos poſtea Eſſæos arbitratur nominatos. Minoritarum *alteram*,
„puta Cinæorum, à Cainan filio Enoſi. *Tertiam* Hebræorum, ab
„Archimandrita Hebere, Semi abnepote. *Quartam* Cenezeorum,
„ab Aſcenez; *quintam* Nazaræorum; *ſextam* filiorum prophetarum;
„*Septimam* Rechabitarum; octavam Eſſenorum. Omnia ridicula, &c.

Eſaias Stifelius, fanaticorum hujus Centuriæ non poſtremus, teterrimos & blaſphemos errores ſuos, quos maximam partem ſupra enumeravimus cap. XXV. adhuc dum contendit latius ſpargere, edito in eum finem peculiari libello, quem inſcripſit: Etliche Chriſtliche und Gottſeelige Tractätlein &c. Is quanquam vel ter coram ſuperioribus opinionum ſuarum commenta & portenta abnegaſſe ſeu depoſuiſſe videbatur, ſemper tamen ad ingenium redit, multisque ex opulentioribus mercatoribus dementatis, lautioris vitæ media ſibi variis artibus quæſivit, ac illuſtri etiam perſonæ impoſuit. Erphordiâ tandem, quam incolebat, profugus, pro nominis fama, quam pepererat mendaciis, ignominiam reportavit. Ridendus ædepol, quod, qui ſe *Anthropotheon* ſeu *Theanthropum* nominavit, ac eſſentiale Chriſti membrum, abſque ullo peccato, eſſe dixit, tantæ fraudis, tantæque perfidiæ reus factus ſit, ut *privilegium*, quo impoſtor ſe à morte exemptum jactabat, apoplexiâ perderet. vid. conſiderat. German. controverſ. inter Sax. & Helmſtad. temp. Calixt. mot. pag. 100. & Micræl. c. 669.

LIB. III. CAP. XLVII.

Summaria.

Johannes Teſtefort, ſcripturam S. partitur in Biblicam atque Decretalem.

Andreæ Capitelii aſſertio de certitudine anamarteſias Mariæ Virginis.

Pineda teſtis de octo novis ab Eccleſia R. recens receptis fidei articulis.

Forerus ſeptem characteres Luthero affictos exponit.

D. Nicolai ſomnium, in ſinuationem illorum antegreſſum.

Academicorum Cracovienſium GRATIS Anti-Jeſuiticum.

Lan-

Lanſius de Jeſuitarum opera docendi gratuita.
Officium Beatæ Virginis Monachienſe.

ANno 1626. die 3. Decembris, *Johannes Teſtefort*, Dominicanus, hanc ad diſputandum propoſuit theſin: Dices meritò *Sacram Scripturam* eſſe eam, quæ continetur partim *in Bibliis ſacris*; partim *in Epiſtolis decretalibus Pontificum* maximorum, quatenus explicant ſcripturam Sacram; ſed hæc theſis, publico Univerſitatis decreto, meritò fuit improbata. D. Joh. Gerhard. Confeſſ. Cathol. tom. 2. 138.

Quod *Benedictus Pererius* in diſp. 6. ad cap. 3. Rom. ſcripſit: Indubitatum atque certum eſſe in Eccleſia Catholica, *B. Virginem omnis peccati*, etiam leviſſimi ac minimi, per omnem vitam *fuiſſe expertem*: Id quoque, ſub idem ferè tempus, *Andreas Capitel*, Ignatianæ familiæ ſocius *Friburgenſis*, publica diſputatione conatus eſt defendere, reſpondente quodam fratre Eremitano, Bernardo Ungimout, Ordinis Benedictini; & quidem non ut quæſtionem probabilem, verum ut talem, quæ partim à Gregorio XV. an. 1622. Jun. 2. edita bullâ ita ſit definita, ut de contraria opinione nullo modo liceat agere; partim in ſcriptura ſacra ſit fundata, ita, ut licet nunquam expreſsè ea Deiparam à communi ſorte hominum eximat, generatim tamen tantam gratiæ plenitudinem illi tribuat, ut non irrationabiliter inde deducatur. Idem in Confeſs. Cath. tom. 4. pag. 467. Sed, cum nondum æterna Sapientia Eccleſiæ tanti Myſterii (utrum nempe Maria, Domini mater, peccatis obnoxia fuerit, nec ne?) penetralia patefecerit, ſecundum literas dicti Gregorii ad Phil. IV. Hiſpaniæ Regem, judicet Lector, quàm verè anamarteſia B. Virginis, inter indubitatas veritates, Eccleſiæ ſaltem Romano-Catholicæ, ac inter quæſtiones à Pontifice deciſas, referatur? Confer. ſup. cap. XVI. allegatas Gregorii Bullas.

Johannes Pineda, in Panegyrico anno hoc edito, de votis pro immaculata conceptione conceptis, *octo novos fidei articulos recitat*, ante annos quinquaginta nondum in Eccleſia Romana exiſtentes. „Hinc (ſcribit non nemo) patet, ſemper incertum (ibi) fore, „quando tandem numerus articulorum ad ſalutem neceſſariorum „creditu, perventurus ſit ad extremam perfectionem ac eviden„tiam; An per hanc vel illam declarationem, ſive Eccleſiæ, ſive Ro„mani Epiſcopi, qui ſe magiſtrum & interpretem credendorum in„fallibilem jactat? niſi forſan unicè ad extremum inhæreant iis,

„ quæ expreſsè ſcripta ſunt in S. Codice, publico illo inſtrumento „ Divino, principio dogmatico & norma fidei apud Chriſtianos ir„ refragabili. Johann. Hulſemann. in Vindiciis Scripturæ, art. I. pag. 2.

Laurentius Forerus, Lojolita, ut mendaciſſimus, ita maledicentiſſimus, tunc in publicum emiſit, *ſeptem characteres, Luthero affictos*, quibus perſonam & autoritatem Megalandri deformare, ac in odium devocare, totis viribus anniſus eſt. Iis alia ſeptem pronunciata D. Melchior Nicolai oppoſuit, alibi memoranda. Hic tantum hiſtoriolam adſcribimus, quam ſuppeditat nobis D. Wagnerus, Nicolai gener: „ Quid de *ſomniis* ſtatuendum, inquiens, Syracides capite „ trigeſimo quarto, verſiculo tertio indicat; cui adiicit calculum „ Gregorius Nazianzenus, dicens: ſomnia, non res ipſas, ſed in„ ania rerum ſimulacra oculis obijciunt. Negari tamen haud poteſt „ inſomniorum ex cauſis diſtinctio, quorum alia phyſica, alia Divi„ na, alia diabolica ſunt. Divina quod attinet, eorum exemplis „ abundat ſcriptura S. quæ ſicut fanaticè non appetamus, nec an„ xiè expectemus, nec temerè præſumamus; ita viciſſim obſtinatè „ non contemnamus, nec nefariè evertamus; ſed piè penſitemus, „ Chriſtianè meditemur, ac eorum eventum, quia Joſephi ac Danie„ les, ceu Theopnevſti interpretes, amplius non dantur, modeſtè „ præſtolemur. Talia ſomnia B. patrem habuiſſe, ferè auſim affir„ mare, multis nixus exemplis, quorum unicum ſaltem brevitatis „ cauſa, referam. Cùm Laureacenſis eſſet Præſul, ipſe retulerat mihi, dum eum fortè viſitabam, ſe tunc præterita nocte in ſomno vidiſſe *Taurum*, cornibus ſummo conatu in ſe irruentem, quem compreſſa, & in guttur illius intruſa, atque ex gutture illæsè retracta dexterâ vola repulerit: vix talia fato, à tabellario quodam afferuntur in mea præſentia literæ, cum exemplari ſeptem characterum, quos Forerus Luthero affinxit, & vindicato ſymbolo Lutherano B. Patris oppoſuit; quibus viſis, vide inquiebat Taurum, in ſomno mihi viſum, cujus os obturandum dexterâ, calamo armandâ. Ex pari fratrum Nobili For. 335. & vitâ Nicolai à D. Wagnero Tub. perorata, pag. 30.

Tunc temporis etiam *Academici Cracovienſes* in Polonia, poſt motam *litem* cruentam *cum Lojolæ filiis*, publicarunt *librum* ſuum, *GRATIS* inſcriptum, quo magnoperè ſocietas eorum reprehenditur, quod, dum ſe *Gratis* docere ſimulent, bona nobilium, & in-

gen-

gentes divitias ad ſe pertrahant. Juſſu Regis equidem *combuſtus eſt liber ille*; ſed vi decreti, in Regni Comitiis concepti, *Lojolitis injunctum*; ut ſcholam ſuam in Urbe Cracovia poſthac prorſus claudant, & Academiæ loci nullas amplius moleſtias cieant. Nec poſſum temperare mihi, quo minus adſcribam verba *Thomæ Lanſii*, huc valdè accommoda: „Gratis docent, Jeſuitæ; ſed mutate Literam, & „rem acu tetigeritis: Gratis nocent! eoque mactandi majore in„fortunio, quod gratuito ſunt mali; quanquam vix iſtud ſibi per„ſvadebit, qui eos benè noverit. Sanè teſtes honeſtiſſimæ ampliſ„ſimæque familiæ, quarum ſanguinem pro levi oppella docendi, & „exiguo Minervali hirudines iſtæ exorbuerunt. Teſtis immanis „eorum cenſus, ac ſuperbiſſima ædificia, quæ cum Regum atque „ſummorum Pontificum opibus palatiisque certant. Præclara li„beralitas, repudiare drachmam, talentum ut ex torqueas; Mirum „genus benignitatis, pro ſtipe menſtrua, immenſæ pecuniæ lega„ta, opimasque captare & rapere hæreditates! Gratuita illis do„ctrina pro hamo eſt, vel potius pro reti jaculo, quo callidi piſca„tores cuncta converrunt cum pulviſculo. Ac tamen hæc magni„fica magiſtrorum per aureum funem de cœlo delapſorum doctrina „eſt, ferè nihil niſi artem mentiendi ac dolos, quos appellant, in„duſtrios ſapere; diſcipulisque cum illis tradere ritus Hiſpanos, „odium legum inſtitutique patrii &c. Huc uſque Lanſius ex Conſultat. pag. m. 385. Confer Hofm. Lex. part. I. 715. 818. Himmel, tractat. de natura Invocationis relig. dedic. B, 7. C. 2.

Demum etiam hoc anno Monachii typis expreſſum æneis, *Officium B. Virginis Mariæ*, ubi ſimul continetur *Litania dilectiſſimæ Dominæ*, prout ea in *fano Deiparæ Loretano* recitari ſolet; ornaturque Mater Domini ſequentibus, & ejusmodi pluribus, titulis ac epithetis: „Mater Divinarum gratiarum, benigniſſima Mater, glorioſiſſima „Mater &c. Clementiſſima virgo, potentiſſima virgo, fidiſſima vir„go &c. Speculum juſtitiæ, ſapientiæ, ſedes, cauſa ſalutis huma„næ &c. Arca fœderis, cœli porta, ſtella matutina, medela ægrotan„tium, aſylum peccantium, conſolatrix afflictorum, adjutrix Chri„ſtianorum, Regina Angelorum &c. ſitque ſæpius repetita implo„ratio Interceſſionis apud Deum jugiter expediendæ. Fallor, JESU Opt. Max. aut hac ratione in Officio Mediatorio DEUM inter ac homines, TIBI nihil remanet, vel certè parùm! D. Joh. Müll. Hamb. in Defenſ. Luth. Def. contra Carlin von Creuzen/ pag. 305.

LIB.

LIB. III. CAP. XLVIII.

Summaria.

Wallenſteinius penitus profligat Mansfeldium, qui brevi poſt extinguitur.

Tillio victori Saxonia inferior omnis patet.

Sueciæ Regis G. A. res in Boruſſia ſat ſecundæ.

Bethlemii Tranſſylvani matrimonium, novaque, at infauſta invaſio.

Galli & Hiſpani tranſigunt: ſed in Britannos illi bellum intendunt.

Amurathes Turcicus, in Perſas infeliciter movet.

Numerus ad altiora faſtigia hoc anno à Ferdinando II. evectorum inſignis.

Decedunt Johannes Suicardus, Elector Moguntinus: Et Ludovicus Haſſiæ Darmſtadienſis Landgravius.

CUm elapſo anno Brunſvigæ tentata pacificatio non ſucceſſiſſet, Saxonici flamma belli gravius exardeſcere viſa eſt. Muniverat inprimis operibus ac præſidio *Deſſaviam Wallenſteinius*, transmittendo flumini peropportunam, quem dum *Mansfeldius* removere conabatur, à Cæſareis repulſus fortiter, magnaque clade mulctatus eſt. Infelix ductor magna equitatus parte, Brandenburgum contendit, collectas dein ut licuit copias, cum *Erneſto Duce Vinarienſi* ſe conjungens, in Sileſiam & Moraviam improviſus irrupit; ſed fugientem inſequutus *Wallenſteinius* (qui alias *Fridlandus* dicitur) omni eum Germania exegit, haud multò pôſt, relictis Vinarienſi copiis, in Boſnia, cùm Venerias tenderet, extinctum, morbo, an veneno? incertum. Spener. Geneal. 51. Turſell. app. hiſt. 2. 23.

Tillius interea *Oſnabrugum*, per Comitem Anholdinum recuperat; ipſe *Mindam*, validam Brunoniæ urbem, cum Ludovico Fürſtenbergio, circumſidet, eandemque vi capit, præſidiarios omnes occidione occidit, & ex oppidanis inter arma repertos. Deinde *Haſſiâ Caſſellana* ſatis divexatâ, *Gottingam* intercipit, omnium rerum copia inſtructiſſimam, cui jam in auxilium *Daniæ Rex* properabat cum viginti millium exercitu; quod ubi Tillio nunciatum, contractis copiis in hoſtem it, eumque ad Lutteram gravi ſtrage afficit, ut, cùm equitatus ob ſtipendia non ſoluta (non enim procedebant promiſſa Gallorum & Anglorum ſubſidia pecuniaria, quod rationes Daniæ maximè conturbavit) obſequium detractaret, univerſus ferè peditatus periret, atque Rex domum fugerét. Ea *victoria* Tillio omnem Sa-

Saxoniam inferiorem, Bremam uſque aperuit. Appendix victoriæ fuit, quod *Georgius, Haſſiæ Landgravius,* unà cum *Friderico Ulrico, Brunſvicenſi Duce,* Danico fœdere mox ejurato, *in partes Cæſaris conceſſerint.* Iidem cit. loc.

In *Boruſſia* verò *Sueciæ Rex G. A.* res ſuas feliciter egit, inprimis prope Straſburgum Polonos profligavit, ipſe tamen, cùm in medios quaſi hoſtes audacius irrueret, graviter vulneratus & fermè captivatus eſt. *Mentio pacis* dein ab Hollandorum Legatis interpoſita, Suecorum Rege, uti credebatur non invito, & præter Rigam, quicquid in Livonia Boruſſiaque occupâſſet reſtituere parato, ab Hiſpanicis Oratoribus *everſa eſt;* ne Rex Guſtavus bello Polonico defunctus, arma in Germaniam converteret, quò jam promiſſionibus multorum ſolicitabatur. Hofman. B. Lex. 388. Theat. Europ. 1077. 1080. pl.

Gabriel Bethlenius Tranſſylvaniæ Princeps, accepta *in Matrimonium Catharinâ Brandeburgicâ* (Joh. Sigiſmundi Electoris filia) Germanis Principibus affinitate innexus, *iterum arma arripuit,* intento tum maximè Ferdinando Imp. in bellum Danicum, turbasque ruſticorum Auſtriacorum, quos ille occultis ſubinde nunciis promiſſiſque ſtimulare credebatur. In Hungariam primum effuſus, mox & in Moraviam, hoſtili more, vacua præſidiis oppida arcesque facilè in poteſtatem redigebat. Sed evocatus è bello Danico *Wallenſteinius,* cæſo ad Deſſaviam Mansfeldio, & Sileſiâ ejecto, opportunè ſe Transſylvanis motibus oppoſuit, Bethleniumque, fruſtra validas Tartarorum copias expectantem, ad Novigradum juſta acie victum, ad novas pacis cogitationes adegit, & *conventum Poſonii,* ut Bethlenius redditis, quæ occupaſſet, ac belli ſumptibus perſolutis Hungariâ abſtineret &c. Cluver. 800. Tſchimm. Contin. Sleid. de 4. Sum. Imp. lib. 344.

Hoc eodem anno *pace Monzonenſi, Gallos inter & Hiſpanos,* compoſitæ Italicæ turbæ, & libertas Valletelliniis, imaginario Rhætis Magiſtratuum confirmandorum jure relicto, perpetuata. *Galli* verò *Britannique* in apertum prope bellum proruperant, quod Rex Britanniæ faveret Hugonotis, profugos è Gallia rebelles reciperet, contraque pacta conjugalia arctè nimis contenteque Reginam, Galli ſororem, haberet &c. Epit. Rer. Germ. Papp. 59. Turſell. 26.

Sub idem tempus *Amurathes* Turcarum Sultanus, omnem ferè potentiam *in Perſas,* ad ſubigendum eos, vertit equidem, verùm

Qqqq auſu

auſu, & eventu tàm infelici, ut hæc expeditio diverſis vicibus multis millibus Turcarum, uno hoc anno, conſtiterit. D. Wagn. limin. Geneal. 557. Calviſ. Chron. 996.

Interea *hoc anno Ferdinandus R. Imper. creaſſe dicitur Principes 22. Comites plusquam 60. Barones ultra 120.* non ſine faſtidio Statuum. Quippe hoc ideò factum interpretati ſunt, quaſi antiquorum Principum & Statuum ſuffragia hac ratione in Comitiis vincere cogitarit. Sed hunc magnorum ſtomachorum cibum alii concoquant. Hoc tamen minimè diffitendum, novitios illos Principes (paucis exceptis) bona immediata in Imperio non poſſidere, quæ ad principalem ſplendorem ſufficiant; adeoque cùm Princeps ſine Principatu, ſit inſtar Canonici ſine præbenda, huic rei, ne in poſterum ſimile quid fiat, in Receſſu Imperii An. 1654. certa meta fuit præſcripta. Burgoldenſ. Not. Rer. Imp. A. 297. &c.

Fatis conceſſit *Joann. Suicardus* de Cronberg, *Elector & ArchiEpiſcopus Moguntinus*, an. ætat. 75. cui ſuffectus eſt Georgius Fridericus Greiffenklau à Volrath, Epiſcopus Wormatienſis, hucusque Moguntinus Præpoſitus. Calviſ. Chron. 997. Not. Procer. Imhof. 1138. Præivit *Ludovicus, Haſſiæ Landgravius Darmſtatinus*, cognomento Fidelis; Fundator Academiæ Gieſſenæ; Succeſſorem habuit filium Georgium ſecundum. Spen. Geneal. 223. Not. Pr. 546.

LIB. III. CAP. XLIX.

Summaria.

Mulierem Satanas mercede ſordida decipit.
Peſtis per Germaniam ſuperiorem graſſata.
Phænomenon cœleſte Malmogienſe in Scania.
Terræ motus Calabrienſis; Et inundationes Hiſpanicæ.
Mors Franciſci Baconi Verulamii; Et Philippi Ferrarii:
Nec non Mariæ de Succa.

CHriſtina, *Jacobi Güneri*, ſutoris Offterdingenſis in Diœceſi Bebenhuſana *uxor*, annorum 27. menſe Januario, *cum cacodæmone* ſub ſpecie ruſtici elegantius veſtiti, *rem habuit, pro mercede ſex thaleros*, ut quidem putabat faſcinata ſeu dementata mulier, *accipiens*. Gratulata ſibi Güneria de tanto corporis quæſtu, nullo labore, breviſſimoque tempore facto, domi (clam viro) ſuos thaleros muccinio involutos, lectoque ſuppoſitos, ſtudioſè aſſervavit; verùm poſt moram dierum aliquot interjectam, muccinium ſolvens & evolvens, pro pecunia *ſtercora equina*, prætereaque nihil conſpexit. Ita de *Ar-*

mi:n-

mentaria quadam refert Urſinus, cùm anno 1586. acceptam à malo dæmone pecuniam, omnibus incedens lætitiis, domum retuliſſet, quod excuſſo ſacculo *carbones* repererit, atque teſtas; alii, aliævc, variis temporibus, jam ſuccerdam, fimum equinum, arborum folia, pro auro & argento &c. Dignum operæ pretium, quo Satanas remunerat mancipia ſua! Vide Zeil. Trag. pag. 25. J. H. Urſin. Ratisb. Sacr. Analect. lib. 2. hiſt. c. 22. pag. 137.

Poſt magnam ac diuturnam annonæ caritatem, rerumque omnium penuriam (quæ ut omnes propemodum Europæ provincias, ita & Sueviam Bavariamque afflixerat) *peſtis* etiam ſuperioris Germaniæ regiones pervaſit, adeò quidem ſæviens, ut *in uno Wirtembergiæ Ducatu octo & viginti millia hominum iſthac ferali lue abriperentur*. Ferè enim pediſſequa famis dici meretur peſtis, adque malum hoc, illa præparare ſolet corpora. Vide Thummii querelam & medelam ſuper Peſte, pag. 1. ſeqq. & Chron. Suel. 415.

In Ellebogenſi ſeu *Malmogienſi Scaniæ tractu*, qui tum temporis Daniæ Regi ſuberat, conſpectum eſt *in cœlo* tale *prodigium*, quod ſpectatoribus non levem terrorem & conſternationem incuſſit, nempe: Viſus eſt ſol apparére jam nigro, jam viridi, mox flavo, mox rubro, breviter, alio ac alio colore; dein prodire vir, juſtæ proceritatis, benè armatus; tandem globus ignitus, multas evomens flammas, in terram cadere; quod à multis, nec fruſtra, in malum omen acceptum. J. G. Albrecht in Tuba noviſſima, pag. 403.

Calabriam verò *terræ motus* infeſtavit, everſione templorum aliarumque plurimarum ædium in Epiſcopatu & urbe Cantazara, horrendus; Magnæ itidem aquarum inundationes in Hiſpania, e. g. Hiſpali, Salamancæ, Toleti, aliisque civitatibus ac pagis, plurimum damni dederunt incolis. Calviſ. in Chron. pag. 996.

Annum hunc extremum habuit *Franciſcus Baconus, Baro Verulamii*, viceComes ſancti Albani, Philoſophus magni nominis, & Regis Britanniæ Jacobi primi Cancellarius, inter alia ob ſermones Ethicos, Politicos, œconomicos &c. clarus. Ex eadem familia fuit olim, *Johannes Baconus*, vel Bacondorpius, Carmelita celebris in Anglia, ſeculo decimo quarto, qui ſcripſit in quatuor libros ſententiarum &c. Ex Act. Erud. Lipſ. an. 1690. 270. Hofm. Lex. A. 844.

Periodum vitæ ſuæ abſolvit etiam *Philippus Ferrarius*, Geographus doctiſſimus, Alexandriâ oriundus, Regius Profeſſor Mathematum Ticini; edidit Epitomen Geographiæ, Topographiam in Martyrô-

tyrologium Romanum, Topographiam Poëticam, &c. inprimis conſcripſit Lexicon Geographicum, quod anno ſequente, poſt autoris mortem prodiit. Hofm. Lex. univ. B 153.

Mortalia non minus explevit *Maria de Succa*, Leodienſis, Benedicti J C. filia, quæ Arithmeticæ & Muſicæ brevi hauſta cognitione. *Intra ſex menſes Latinam Linguam perfectè dicitur addidiciſſe*, inque ea Teſtamentum ſuum condidiſſe. Hofm. Lex. A. 995.

LIB. III. CAP. L.

Summaria.

Ob aſſertam propagationem animæ per Traducem, Miniſter. Eccleſ. Auguſtano-Lutheranum accuſatur defectionis à doctrina Majorum.

Ratisponæ fundamenta novi Templi ab Evangelicis ponuntur.

Marpurgi celebratur Jubilæum Academicum.

Smalkaldiæ Religio Lutherana, hactenus duriter habita, liberiorem auram lucratur.

In Auſtriâ verò & Bohemia, Religio Proteſtantium denuò proſcribitur.

Edictum Imperatorium ad Argentinenſes in cauſa ſacra.

Pontificii novos paſſim nidos quærunt, vel faciunt.

Memoria ſecularis repurgatarum Eccleſiarum in Suecia; & Repurgationis illius hiſtoria.

Beatè obdormiunt: Fridericus Balduinus; Daniel Cramerus; Et Balthaſar Menzerus.

AUguſtæ Vindelicorum hoc anno *Miniſterium* Eccleſiaſtico-Evangelicum, à Pontificiis, Lojolæ præſertim filiis, periculoſæ novitatis in doctrina, imò hæreſeos manifeſtæ, ac turpis *defectionis à Confeſſione*, hîc loci Carolo V. Imperatori olim tradita, inſimulatum fuit audaciſſimè. Occaſionem & cauſam arripiebant adverſarii ex concione tertia in articulum ſecundum A. C. per *Conradum Göbelium* in templo, ut vocant, Annæo habita, ubi cùm de peccato originis, ejusque propagatione, auditores informaſſet ſuos, incidit in materiam quæſtionis de *animarum humanarum propagatione*, pro *Traduce* verba faciens; Aſſeruitque infectionem tam animarum, quàm corporum, hinc ab Adamo in omnes poſteros, naturaliter progenitos & gignendos, fluentem; quia omnibus ejusmodi deſcendentibus non corpora tantùm, ſed etiam animæ, ab inquinatis parentibus communicentur atque ingenerentur. Propterea mox Clerici Papani, coram Senatu, non modò Göbelium, verùm & Collegas omnes, tanquam ei:

ei ſuffragantes, accuſabant, quod novam & hæreticam de ortu animæ Rationalis doctrinam proſeminarint, atque ſic ab Auguſtana Confeſſione divortium fecerint. Quid fit? Senatus per decretum imponit Miniſtris Evangelicis, ut ab intentato Novitatis ac hæreſeos crimine ſe liberent. Göbelius id egregiè præſtat oretenus pro Cathedra, rationibus & argumentis pluſculis atque ſolidis; Scriptotenus autem Bernhardus Albertus, qui ſuo & Collegarum nomine multis etiam demonſtrat, ſententiam de *Traduce* pervulgatam eſſe apud Evangelicos doctrinam, ac proinde Novitatis hæreſeosve neutiquam accuſari debere; id quod inter alia Tubingenſium quoque Theologorum Teſtimonio confirmat. Nihilominus tamen triſtis eventus docuit; Lojolitas cum aliis Papæ creaturis non acquieviſſe, ſed omnem potius dehinc moviſſe lapidem, donec Miniſtri Auguſtani exautorarentur, & exilio multarentur, quod biennio poſt contigit. Vide Conciones Göbelii ſuper Aug. Confeſſ. pag. 221. 237. & Bernhardi Wilderſini Anti-Wagnereccium, i. e. Apologeticum pro Traduce, 6. 7.

Ratisbonæ quarto Julii die ab Evangelicis *fundamenta templi SS. Trinitatis*, magna ceremoniarum ſolennitate poſita fuere; poſt quadriennium autem, & quod excurrit, opere per Dei gratiam abſoluto, ſub multis Chriſtianæ devotionis ac lætitiæ ſignis, inauguratio facta. Duo de his actibus in publicum ſcripta prodierunt, è quibus potiora, lectu digniſſima, exhibentur in Zeileri Epiſtolis, tom. 2. pag. 602. 605.

Marpurgi Jubilæus Academicus, triduana feſtivitate, ſub Maji finem celebratus; in memoriam ſecularem fundationis Scholæ Illuſtris, ibidem in confinio annorum 1526. & 1627. à Philippo Haſſiæ Landgravio factæ. Tametſi Oſiander Cent. XVI. 115. dicat, Philippum non tam fundaſſe Marpurgenſem Academiam, quàm reſtauraſſe, ſub Papatu penè collapſam, & reformaſſe. Confer Stratem. hiſtor. 1125. & Hofm. Lex. B. 153.

Lutheranorum in *Smalkaldia*, partis, quæ Haſſiacæ Jurisdictioni ſubeſt, inde ab initio regiminis Mauritiani, dura fuit conditio. Molitiones Calvinianorum adverſus eos breviter indigitavimus lib. 1. cap. XXXI. quousque verò conatus proceſſerint, nobis haud conſtat. Nullum tamen dubium eſt, quin libertas religionis, quæ invariatæ Confeſſioni Auguſtanæ conformis, multifariè arctata fuerit, ac imminuta; poſtquam autem Mauritius regimen filio *Wilhelmo* tradiderat,

rat, Religio Lutherana in iſto territorio reſtituta legitur. Stratem. 1125. confer Conſil. Theol. Wittenberg. A. 500.

Sed in *Auſtria* & *Bohemia*, inaugurato in Regni ſucceſſionem Ferdinando tertio, Cæſaris filio, repetitis Edictis *Proteſtantium*, quos vocant, *Religio proſcribitur*, dato ad convaſandum deliberandumve annuo ſpatio iis, qui ſanctione teneri nollent. Epit. R. G. Papp. 66. Calviſ. 997.

Ab *Argentoratenſibus* Evangelicis Imperator vergente anno repoſcit Metropolitani templi, aliarumque ſacrarum ædium, ut & Canonicorum reſtitutionem, Pontificiorum ſcilicet, Parochorumque conſimilium receptionem, & quæ ſunt ejusmodi alia, dato ſuper id peculiari edicto valdè ſevero. *Egræ* in confiniis Bohemiæ, *Halæ* Suevorum, *Colmariæ* in Alſatia, & alibi paſſim, novos aut quærunt, aut faciunt ſibi nidos Pontificii. Theatr. Eur. 1191. ſeq. Burgold. Not. Rer. Imp. B. 118. pag.

In toto *Sueciæ* regno magna celebratur *feſtivitas*, qua grates Deo exolvuntur debitæ, *ob introductam ante centum annos Evangelico-Lutheranam religionem*. Hiſtoria breviter ſic ſe habet: Cùm Religionis Reformatio in Germania feliciter anno 1517. eſſet inchoata, in Sueciam quinquennio pòſt valdè tenui principio taliter fuit propagata. Initio regiminis Guſtaviani, autoritate ac doctrina ſpectabilis vir *M. Laurentius Andreæ*, ArchiDiaconus Stregnenſis, & Regni Cancellarius, operâ *Olai Petri*, Canonici Stregnenſis, qui paucis ante annis Wittenbergâ reverſus erat, ubi Evangelica Religione affatim fuerat imbutus, Reformatoris Lutheri doctrinæ mordicus adhærere cœpit. Hujus viciſſim zelo Rex *Guſtavus*, ex familia Trullorum (qui Regnum Sueciæ à tyrannide Chriſtierni vindicavit) ad ejusdem religionis mox perductus agnitionem, fideli memoratorum virorum ſtudio, illam Sueonibus Gothisque inculcandam mandavit; Cumque *Johannes Magnus, ArchiEpiſcopus Upſalienſis*, grandem Reformationis negotio paſſim obicem ponere non vereretur, illum Rex Guſtavus ex regno ablegavit. Deinde, quia remanentium etiam Pontificiorum Antiſtitum plerosque, non ſolum huic, ſed & aliis actionibus Regis, ob inſignem, qua tempeſtate illa fruebantur, potentiam ac licentiam, obſtaculum certo certius poſituros Rex animadverterat, hoc pacto veteri Epiſcoporum faſtui, autoritatique maximæ, diſpendium irrogavit. Anno 1527. frequentiſſima *Aroſiæ* peragenda indixit *Comitia* Guſtavus, quorum celebrationi priusquam ſe

ac-

accingeret, ipſa Trinitatis Dominicâ, ſplendidiſſimum univerſis Regni Ordinibus Aroſiæ convivium exhibuit; In quo Epiſcopos, ſecundum à Rege ſemper aliàs gradum dignitatis & ſeſſionis obtinere aſſolitos, in quarto collocavit, unde i li non obſcurâ colligere conjectura, reformatæ Religionis inceptum opus. Biduo pòſt, inſtituta diſputatione vernaculo ſermone habita inter *Gallium* Profeſſorem Upſalienſem, & *M. Olaum* Strengnenſem Epiſcopum, ille quidem ſtrenuè cauſam Eccleſiæ Papanæ, hic verò Lutheranæ propugnabant; ſed ille cum aſſeclis cauſâ cadebat. Hinc ſacra, juſſu Regis, idiomate patrio, ritibusque purioribus peragi cœperunt; Religio à ſuperſtitione purgari; Bona Eccleſiarum ignavis ventribus adempta, in meliores uſus converti; Epiſcopi arces & Regalia regno reddere, depoſitaque curâ politica ſacris porro officiis vacare: Monachi etiam, ultrò Evangelica dogmata approbantes, clauſtris excedere, &c. Joh. Meſſen. in Chron. Epiſcopor. Sueciæ, pag. 63. ſeq. Micræl. lib. 3. 611.

Calendis Maji ex hac vita, vel mortalitate potius, ereptus eſt, & in cœleſtem Academiam, terram iſtam viſionis regionemque viventium translatus, *D. Fridericus Balduinus*, Theolog. Profeſſor Wittenbergenſis & Superintendens celeberrimus, ex Ephoria Olsnicenſi ad hanc ſtationem vocatus, & Promotori ſuo D. Mylio ſucceſſor datus. Multis egregiis ſcriptis, utpote diſputationibus in articulos Smalkaldicos; explicationibus Epiſtolarum Paulinarum; Commentario in Joſuam, Judices, Epiſtolam ad Hebræos; Homiliis Evangeliorum Dominicalium; Inſtitutione Miniſtrorum Verbi, Adventu Chriſti & Paſſione Typica; Hyperaſpiſte Lutheri; AntiSerario; AntiScioppio; AntiPazmanno, aliisque, inprimis etiam Aureo Caſuum Conſcientiæ Tractatu, perclarus. Obiit anno ætatis 52. Conſil. Wittenb. præfix. Cat. Theol. Strateman. 1125.

Eandem ivit viam, hoc anno, *D. Daniel Cramerus*, Theologus Pomerano-Stetinenſis, Hiſtoricus pariter, Philoſophus, & Orator eximius. Extant præter ſcripta ejus poëtica, oratoria, hiſtorica, & philologica, Apologiæ contra Beurshuſium & Stevartium; Schola Prophetica; Tractatus de ſublimi corporis ſpiritualis myſterio, prædeſtinatione, Regno Chriſti, Chriſti deſcenſu; hæreſiologia; Commentarius in univerſa Biblia S. &c. Micræl. lib. 3. Synt. hiſt. 481.

Nec non *D. Balthaſar Menzerus*, Theologus Haſſiacus, Marpurgico-Gieſſenſis Profeſſor; Controverſiarum de Omnipræſentia Chriſti tempore Exinanitionis, autor; Cætera vir, ut Eruditiſſimus, ita

ita de Eccleſia DEI benè meritus; ex Auguſtanæ Confeſſionis Exegeſi, AntiMartinio, AntiPiſtorio, AntiCrocio, AntiSteinio, AntiAppelio, AntiSadeele, aliisque utiliſſimis laboribus paſſim notus. Calviſ. Chron. 998. Stratem. Theat. hiſt. 1135.

LIB. III. CAP. LI.

Summaria.

Pontificiorum, victoriis elatorum, inſultationes.
Ordo Monachorum de S. Paula Viennæ introducitur.
Templum Burdigalenſe, Franciſco Xaverio, Canonizato, conſecratum.
Canoniſmus Romanus, quid inferat?
Miraculum virtutis, qua polleant reliquiæ & imago Ignatii Lojolæ in liberandis obſeſſis, jactatum.
Petrus Berullus, Cardinalibus adſcribitur.
Bulla Cœnæ Dominicæ ab Urbano VIII. iterum vulgatur, cum injuria in ipſos Galliæ Reges & Eccleſias.
Injuriam iſtam diluere, Petrus de Marca fruſtra laborat.
Jacobi Gretſeri deceſſus.
Immaniſſima Chriſtianorum perſequutio in Japonia.

TUnc temporis *Papicolæ per totam Germaniam inſolenter triumphabant*, ob externam felicitatem ſuam, & propter partas tàm de Lutheranis, quàm Calvinianis, multiplices victorias, frequenter clamantes & quærentes: *Vah! Lutheri ſectatores hæretici, ubi eſt Cantionum veſtrarum,* Erhalt uns HERR bey deinem Wort; Item, Ein veſte Burg iſt unſer GOtt; *vis ac efficacia? videre jam, & manibus quaſi palpare poteſtis, Romanenſium religionem præ cæteris omnibus verè Chriſtianam, unicè ſalviſicam eſſe; cùm ipſe Deus Optimus Maximus, ei per tot inſignes victorias, & feliciſſimos armorum Ligiſticorum progreſſus, manifeſtum perhibere Teſtimonium dignetur.* D. Nicolaus Hunnius refert, in Pelle Ovina Pontificiis detracta, pag. 1168. ubi quid habendum de iſthac Pontificiorum colligendi aut concludendi ratione, ſimul doctè annectit, eamque falſitatis maſculè convincit.

Ea tempeſtate novus *Ordo* Monachalis, cui nomen *de S. Paula*, ſolenniter introductus eſt *Viennæ* in Auſtria; ſed nullo civitatis commodo; quippe quarto anni menſe in ædibus, quas fratres ædificaverant, ſubortum *incendium*, non modò Monaſterium in cineres conjecit, verùm etiam alias domus plures corripuit, earumque centum & ſexaginta conſumpſit. Calviſ. Chron. 997. confer de hoc ordine ſuperius cap. XLIV.

Bur-

Burdigalæ in celeberrima urbe Gallicana, *Franciſco Xaverio* Indorum, ut vocant, Apoſtolo, quem anno 1622. Gregorius XV. ornarat Canoniſmo, ab Arelatenſi ArchiEpiſcopo conſecratum eſt elegans domiciliũ; ad fundendas nempe preces, & exercendos cultus religioſos, pro impetrando tanti Cœlitis patrocinio. *Canoniſmus* enim *Romanus*, i. e. Canoniſatio Pontificia, juxta Inſcriptionem in Catalogum Sanctorum, dat Invocationem publicam; Templorum, ararum ac ſacellorum dedicationem; feſtorum dierum celebrationem; Imaginum picturam, addito quodam lumine, in ſignum gloriæ, quam habeant in cœlis; reliquiarum, pretioſis thecis & conditoriis eximiis incluſionem & venerationem publicam, &c. Bernhard. Varen. de Relig. Japoniæ pag. 115. David Chriſtian. diſp. Inaug. de Rom. Pontif. & Canoniſat. 38.

Quanta ſit *meritorum, reliquiarum, nominis & imaginis Ignatii*, Sodalitatis Jeſuiticæ Parentis, *virtus in deſtruendis diaboli operibus maximè horrendis*, & afflictiſſimis hominibus juvandis, memorabili exemplo hujus anni, probare nititur in horto Paſtorum tract. 7. lect. 4. pag. 897. *Marchantius*, dum ſcribit: Erat Oſtrogi (Polonorum urbe) „ puella quædam nobilis, parentibus prognata Calvinianis, quam „ Cacodæmon corporaliter obſeſſam tenebat. Cùm igitur poſt mul„tas hæreticorum conſultationes, horum nemo miſellæ liberationem „ attentare, nedum præſtare, vellet aut poſſet, unus ex agnatis ejus, „ ab Ignatiani Collegii Rectore conſilium, ac ſi fieri poſſit auxilium, „ petiit, qui ſubridens, petentem primum ad ſuæ fidei myſtas juſſit „ reverti; deinde tamen ob iteratas obteſtationum inſtantias, abiit „ ſpectatum, an revera ſpiritus malignus puellam occupaſſet, nec „ ne? Quid fit? Vix domum intrârat Regens Pater, en! horrendum „ clamare occipit Satanas ac valdè indignatur, ex Clero hunc adve„niſſe, & non alium. Pater, poſtquam ſe ſignaſſet formâ Crucis, & „ aqua luſtrali aſperſiſſet, energumenam accedit propius, axillis e„ juſdem de S. Patris Ignatii reliquiis nonnihil, occultè quidem ad„ movet; Ea verò vix tacta, inter vehementes ploratus & ſingultus, „ in talia tremens erumpit verba: Incalui ab oſſibus Ignatii. ah! quàm „ ſupprimor! quantos patior cruciatus! Hæreticis præſentibus autor „ eſt, ut illius cordi Biblia ſua imponant; Impoſita Spiritus inferna„ lis lætabundus accipit, multo cum riſu: Pater ſumit librum in ſuas „ manus, quaſi de dicto uno alteroque inquiſiturus, occultè autem „ immittit Imaginem Ignatii, & in priorem locum reſtituit: Conti-

 „nuò

„ nuò Satanas volumen abjicit, querulus à latente ibi pictura S. I„ gnatii miſerè ſe torqueri. Mirantur adſtantes hæretici, partimque „ muſſitant: En impoſturam, en Rectoris & Cacodæmonis colluſio„ nem haud obſcuram! Pater id animadvertens: Agite, inquit, con„ conveniamus in hasce conditiones: Falſa ſi Religio eſt Romano-„ Catholica, diabolus in me irruat, per horæ ſpatium, quibus vult „ modis excrucians me; Sin autem falſa ſit veſtra fides, ejusmodi „ mala vos patiamini. Tacentibus hæreticis, nec iſtas conditiones „ approbantibus, Regens diem indixit, quo expelli debeat Satan, „ puta feriatam ex recordatione Purificationis Mariæ. Statim igitur „ atque illuceſcit feſtivalis, dæmoniaca in templum Societatis Lo„ jolicæ deducta, juſſu Rectoris more Pontificio exorciſatur, ſubin„ de liberatur à malo ſpiritu, adque Communionem Romanenſium „ aggregatur, publica confeſſione edita, B. Virginis Mariæ, & S. I„ gnatii meritis id factum ſe grata mente agnoſcere. Quibus omni„ bus viſis ac auditis, totus præſens cœtus inſigniter lætatus eſt, alta „ voce, & uno quaſi ore, cantans: Magnus eſt DOMINUS, & lauda„ bilia ſunt ejus opera valdè; Magna eſt Maria S. Deipara; Magnus „ eſt S. Ignatius; Magna eſt Eccleſia Romano Catholica, eaq; Una „ unicè vera DEI Eccleſia! Hactenus Marchantius, referente Doct. Dannhauero im Scheid-und Abſag-Brief über das zu Straßburg vom Teuffel beſeſſene Adeliche Jungfr. pag. 326. ſeq. cum epicriſi Theol. Conferri meretur quoad rem. Bald. in Caſ. Conſc. p. m. 478. 480.

Petrus Berullus, Congregationis oratoriæ, A. 1611. inſtitutæ, fundator, qui Mariam de Medices cum filio Ludovico XIII. reconciliavit, ab hoc miſſus Romam, in Hiſpaniam deinde, *Purpuram* ab Urbano VIII. an. 1627 accepit; elapſo autem biennio, poſtquam varia ſcripſerat, obiit. Hofm. Lex. univerſ. A. 279.

Bullam Cœnæ Dominicæ Pauli quinti, de qua libr. 1. cap. LXV. quædam diximus, repetiit, ac denuo vulgavit *Urbanus octavus*; Bullam nempe Excommunicatoriam, qua ex parte DEI omnipotentis, ut verba Romani Vejovis habent, autoritate beatorum Petri & Pauli, ac ipſius propria. anathematI ſubjiciuntur omnes, qui Papæ tanquam Vicario CHRISTI terreno, & unico viſibilis Eccleſiæ Capiti, ſe non ſubmittunt; adeoque inprimis etiam *Lutherani*, quos primùm Paulus tertius bullâ Cœnæ anno 1536. edita, poſt *Fratricellos* expreſiè nominavit, fulmine ſuo feriens, impiam, quam impiè vocat, & abominabilem Martini Lutheri hæreſin, per Leonem decimum P. R. ſupe-

ſuperioribus annis damnatam ſequentes, ipſique Martino, quo minus puniri poſſit, faventes, Gregorius XIII. bulla conſimili ſeptem articulis auctiore, an. 1583. publicata, omiſis aliis expreſſit Huſſitas, Wicleſitas, Lutheranos, Zvvinglianos, Calviniſtas, Hugonottas, Anabaptiſtas, Anti-Trinitarios, omnes & ſingulos hæreticos, &c. „Bullis Pauli V. & Urbani VIII. excommunicantur omnes, ab ordinationibus ſeu mandatis Romanorum Pontificum, „ad Univerſale futurum Concilium appellantes; nec non appellan„tes à gravamine, ſeu futura executione literarum Apoſtolicarum, „vel aliarum expeditionum, & alias cauſas à judicibus Eccleſiaſti„cis avocantes, ſeu curſum earum impedientes, aut ſe in illis ut „judices inter ponentes; etiamſi Imperiali, Ducali &c. Dignitate „præfulgeant: Judices ſeculares, trahentes perſonas Eccleſiaſticas „ad ſua tribunalia; necnon qui ſtatuta, ordinationes, conſtitu„tiones pragmaticas, ſeu quævis alia decreta in genere, vel in ſpe„cie, ex quavis cauſa, & quovis quæſito colore ac etiam prætextu „cujusvis conſuetudinis aut privilegii, vel quomodolibet fece„rint, & publicaverint, vel factis & ordinatis uſi fuerint, unde li„bertas Eccleſiaſtica tollitur, ſeu in aliquo læditur, vel quovis mo„do reſtringitur, &c. Sic Bullæ bulliſſant pontificiæ. Quibus, aliisque ibi ſequentibus, *Reges* ipſos & *Eccleſias Galliæ*, libertates ejusmodi ſibi vendicantes, ſtringi, ac diro Anathemati quotannis à Pontif. R. ſubjici, manifeſtum eſt, &c. Fruſtraneum verò ſubiit laborem *Petrus de Marca*, dum Anathema iſthoc à capite Regum Franciæ amoliri voluit, prætexens: „Galliæ reges in iis, quæ jure Re„gio agunt, perſtringi non poſſe; in cæteris bullam eſſe tan„tùm Comminationem & proteſtationem; Bullam illam in „Gallia non eſſe receptam; Reges ejus ex privilegio, non „comprehendi Excommunicatione generali; conſvetudines pri„vilegiarias meritis Regum innixas, per Bullam non cenſeri „revocatas; eximia quædam jura in rebus Eccleſiaſticis eſ„ſe penes Franciæ Reges &c. His etenim obtinere nunquam poterit Marca, quin, ſi quisquam alius, Gallorum Rex in bulla, ex pontificis intentione, perſtringi ſatis intelligatur à quovis non planè ſtupido, Gallicarumque rerum non prorſus ignaro. „Diſertè prætextus Marcæ diluuntur, ubi Bulla, quibuscunque „contrariis derogans, negat obſtare privilegia, Indulgentias, in„dulta, & literas Apoſtolicas generales, vel ſpeciales, aliquibus

„ cujuscunque ordinis, ſtatûs, conditionis, & præeminentiæ fue„rint; etiamſi Pontificali, Imperiali, Regali, ſeu quavis Eccleſia„ſtica & mundana dignitate præfulgeant, etiam per viam contra„ctûs, aut remunerationis, conceſſa. Heideg. in hiſtor. Papat. Num. CCXL. pag. 365. ſeqq.

Ultimum habuit hunc annum *Jacobus Gretſerus*, Lojolicæ Societatis Theologus, Profeſſor Ingolſtadienſis, ex Colloquio Ratisbonenſi cum Lutheranis habito notiſſimus, præprimis ex impia & blaſphema provocatione & illuſione Spiritus Sancti; quippe in talia tunc erupit verba: *Sumus in conſpectu S. Scripturæ & Spir. S. pronunciet hic ſententiam; Adſit, Adſit, Adſit, & condemnet me! Jam non poteſt dicere ſententiam condemnatoriam Sp. S. per hunc* (Script. S.) *librum ita, ut evidenter conſtet, quæ ſit ejus ſententia; Ergò non poteſt eſſe Judex per Scripturam loquens; Jam judicet me, jam condemnet; non poteſt! ſi poteſt facere per Scripturam, faciat, ac dabo manus, &c.* Cui, quod jam ſit judicatus, & condemnatus in ſcriptura, per Spiritum S. judicandus porro, & condemnandus in noviſſimo die, per eundem, ſententia nimis evidenti, *D. Ægidius Hunnius* tàm perſpicuè, quàm ſolidè demonſtravit, id quod Acta Colloquii teſtantur ſeſſione nona pag. 292. Confer Calovii ſyſt. Theol. A. 688. pl. varia ſcripſit Gretſerus, v. g. hiſtoriam ordinis Jeſuitici, defenſionem Bellarmini, Tractatum de ſpontanea diſciplinarum ſeu flagellorum Cruce, proque ejus defenſione prædicantem vapulantẽ, & Virgidemiam Volzianam, &c. vid. Dieter. inſtitut. Catech. præfix. Catal. autor. lit. c. 5. Wolf. Memor. B. 943. Zæman. Gretſ. Triumph. epiſt. dedicat.

In Japonia, extirpandis Chriſtianis novæ Cruciatuum ſpecies, immaniſſimæque inventæ ſunt an 1627. quibus comparata vivicomburia, lentus ignis, aſſatio in crate, pro ludo haberi poſſent. Condemnatis ante omnia candente ferro in fronte & genis inurebatur vox *Quirixitan*, i. e. Chriſtianus. Deinde fuſtibus ad mortem penè cæſi, nudata ſuperiori corporis parte, per multas urbes ſpectaculi cauſa, circumducebantur, & palis alligati plebis in ludibrio exponebantur; Et, cùm ne tunc quidem ab negare vellent Chriſtianiſmum, pudenda eorum aliæque violentiæ impatientes corporis partes ferro ignito adurebantur, fœminarum pariter, ac virorum. Digitorum articuli unus poſt alterum candenti forcipe, non impetu, ſed repetitis lentisque morſibus decerpebantur, obligatis vulneribus, & interpoſita mora, ut nova abſciſſione dolores redintegrarentur.

tur. Facibus piceis toto corpore uſtulabantur; infuſa dein cicatricibus fervente aqua; enatis hinc in carne taliter corrupta vermibus ſummo cum dolore ac fœtore exedebantur. Immerſi ſtagnis igne ſubterraneo bullientibus, extracti mox in aquas frigore concretas intrudebantur, aut novis tormentis ſubjiciebantur, aut in ergaſtulis elangueſcebant. Act. Erud. Lipſ. 1690. 245. Varen. de relig. in regnis Japon. 177. ſeqq.

LIB. III. CAP. LII.

Summaria.

Friderici Palatini reſtitutio rurſus apud Imperatorem tentata, nullo tamen ſucceſſu.

In Belgio Fœderato, præcones Arminiani denuo proſcripti, non obſtante communi alias ejusdem circa Religionis libertatem ſententia.

Firmatum, urgente Richelio, decretum de obſidione Rupellæ.

Eccleſia Chriſtiana, in Inſula Barbados ab Anglis plantata.

Idem poſtea in circumjacentibus Antillis curatum: quæ ſint illæ?

Sebaſtiani Dankerti relatio de cultu tum Chriſtianorum, tum Paganorum in Inſula Amboina.

FRidericus Palatinus, per Lotharingiæ ac Wirtembergiæ Duces, iterum *reſtitutionem* apud Imperatorem tentabat. Eapropter tractatio Colmariæ inita, & Electoratum is quidem Bavariæ Duci Maximiliano cedebat, ſed ut poſt hujus mortem, cum ſuis & Bavari liberis alternaretur: Neque diſplicuiſſet *conditio*; at verò cùm *Religionem Pontificiam*, quæ jam in ditionibus ipſius introducta fuerat, conſtantiſſimè reſpueret, neque *æs alienum* per ſolvere vellet, neque *bona Eccleſiæ controverſa* reddere, omnis reconciliationis ſpes evanuit. Turſell. in app. 2. 29. Theat. Eur. 1118.

Hoc anno, die vigeſimo Maji, *Generales Belgii fœderati* de novo *proſcripſere* prædicantes *Arminianos*; quem rigorem nemo non mirabitur, cui ſtatus Unitarum Provinciarum penitius eſt cognitus. Nil gratius iſtis hominibus fuit ſuperiori ſeculo, quàm *religionis libertas*; quippe qua, dum nemini eſſet fraudi, quid quisque crederet, nemo à commerciis causâ religionis arceretur; *Claſenius* ſcribit. Et, *Famianus Strada* refert, poſtulaſſe Belgas: Ne certa populis religio præſcriberetur, ſed liberum cujque foret, quem vellet ſequi,

Hoc privilegii, poſt fruſtra tentata varii generis media, ſibi tandem armis aſſeruere Batavi. Eo ex fundamento *Hugo Grotius,* Arminii ſectator, & alii paſſim inculcant: Libertatem Conſcientiarum quarumcunque, tum quoad ſententiam, tum quoad exercitium, eſſe axioma illud, quod Belgæ armis impetrarint. Neque tantum ſtatus Generales, ſed quam libet provinciam habere jus quæſitum, eam tuendi religionem, quam vel veram, vel tolerabilem judicarint. Videntur equidem Ordines fœderati libertatem illam, vi decreti anno 1619. publicati, ad ædes cujusque privatas reſtrinxiſſe, atque ſectis omnibus libertatem exercendi ſua ſacra dediſſe, ſolummodo ne cogerent publicos cœtus. Sed quotus quisque eſt, qui neſciat, aliis extra communionem Calvinianorum verſantibus, e. g. *Mennoniſtis* & *Anabaptiſtis* hactenus licuiſſe, & adhuc dum licere, non minus publicè, quàm privatim (in ſolennibus etiam ſynòdis provincialibus) convenire; Imò & *Judæis* licuit, ac licet, ſuas habere Synagogas apertas, atque cœtus frequentare pro lubitu, &c. Id cùm ad nauſeam uſque ſæpius objiceretur Belgii Generalibus, effecit poſt annos non adeo multos, ut etiam *Arminiani*, ubicunque locorum vitam degunt, & privatim & publicè, ſuos cœtus agant impunè, ac liberè. Claſen. de relig. pol. 502. D. Hülſem. de auxil. grat. 226.

Svaſu & inſtinctu *Armandi Richelii*, R. E. Cardinalis, vergente ad finem hoc anno, in Regio Ludovici XIII. Senatu, genti Hugonoticæ ſi non perdendæ, ſaltem ſubigendæ, firmiter decretum: *Valida obſidione cingendam eſſe Rupellam,* Galliæ Tyrum, quæ ſuos Reges tot annis terrere magis, quàm timere viſa ſit; Una, centum alias jam ante captas Urbes præponderans. Judicio enim viri purpurati, reliquæ tantum fibræ erant, hæc radix & Mater, per quam ſtet vireatque ſecta rebellis, Regi & regno Catholico infenſa & infeſta. Ille ipſe Richelius, oppugnando expugnandoque propugnaculo, Conſilia dedit ab omnibus comprobata; juſſus deinde, quam propoſuerat, obſidionis formulam exequi, totus incubuit operi, tanta ſedulitate, tantaque peritia, ut ex Cardinali diceres factum & militem & machinarum artificem. Calviſ. 998. Grammond. 765. ſeque 771.

Ea tempeſtate ab Anglis Inſula *Barbados* (vel *Barbada*) ex *Antillis* Americæ ſeptentrionalis, facta eſt habitabilis, ibique, erectis hinc inde parœciis, *Evangelium* JEſu Chriſti *plantatum*, ad facien-

dos

dos fructus inter incultas nationes & efferas gentes. Idem ſucceſſivè deinceps curatum in aliis quoque circumjacentibus inſulis, quæ ſunt; *Anguis*, *Antigoa*, *Deſiderata*, *Dominica*, *Granata*, *Guadalupia*, *Marigalanta*, *Martinica*. *Monſerrat*, *Nieves*, *Tabago*, *S. Crucis*, *Luciæ*, *Bartholomæi*, *Chriſtophori*, *Euſtachii*, *Vincentii* &c. Partim occupatis ab Anglis, partim à Gallis, partim à Batavis. Quibusdam, & fortè rectius, *Antillæ* inſulæ jacent inter continentem Americæ meridionalem, & partem Orientalem Inſulæ S. Johannis de portu divite; ſuntque in modum arcus poſitæ; primùm à Chriſtophoro Columbo detectæ. Dicuntur *Antillæ* Americæ, quaſi *ante Inſulas* Americæ, nempe, ante Majores Inſulas ſinus Mexicani, ſunt plèræque fertiles & riguæ, abundantque omnibus ad victum, ac delicias etiam, neceſſariis. vid. Rocheforts Hiſt. Beſchr. Inſ. Antill. 40. ſeq. Hofm. Lex. A. 130. ſeq.

De *Amboina*, Inſula Maris Indici Aſiaticâ, non nihil dictum anno 1606. lib. 1. cap. XLI. ibi à Batavis equidem apud Barbaros hactenus introducta religio Chriſtiana; ſed refert *Sebaſtianus Dankert*, hoc tempore ſacer loci paſtor, multos ex iis, *qui Chriſto nomen dederint*, jam nunc in ſylvis ac nemoribus more patrio i. e. Idololatrico, clam ſacrificare, aliosque præſtare cultus; *paganiſmo* autem *adhærentes* publicè, quolibet in vico, villa qualibet, familiaque peculiarem venerari diabolum; *Principi diabolorum* eſſe nomen *Lenthila*, quaſi dicerent, *Magnus äer*; eundem vocatum, modo hac, modo illa apparere formâ, cui ob id peculiarem quendam locum ſuis in domiciliis conſtitutum ſemper habeant, ardentibus candelis plerumque inſtructum; equidem neſcire bardos, quis diabolus, aut quid ſit, unde veniat, quo tendat? opinari ſaltem, eſſe magnum aliquem dominum, qui nocere ipſis poſſit, eamque ob cauſam, ne noceat, iſtum honoribus afficere. Mandelsl. Morgenl. Reißbeſchr. per Olear. ed. pag. 229. ſeq. confer. 1654. an.

LIB. III. CAP. LIII.

Summaria.

Rathmannus, errores propugnare ſuos pergit, proinde à Theologis Wittenbergenſibus cenſurâ notatus.

Rathmanni ſectator Movius.

Anabaptiſtarum Friſiorum & Flandrorum unio; ex qua tamen mox nova diſceptatio.

Her-

HErmannus Rathmann, de quo anno 1624. lib. 1. cap. XXXI. brevis injecta mentio, erronea ſua dogmata de verbo DEI, propugnare ac diſſeminare ſtrenuè pergit: „Scripturæ ſacræ lumen objecti, & „inſtrumentale tantùm, tribuens, quod vocat ſcripturarium, das „Schrifftliche/ eique nihil aliud eſt, quàm ſenſus verborum ex naturali ſignificatione fluens; Idque diſtinguens à lumine ſubjecti, & „principali, mentem elevante, applicante, diſponente, quod faciat „ac operetur in animo hominis, & in ſcriptura, ut hujus lumen inveniatur atque agnoſcatur, dictum in ipſa S. Scriptura ſpiritus „Revelationis; Idque ordine naturæ præcedere ſcripturæ lumen, „prolixè nititur docere, &c. Diſtinguit itaque Rathmannus inter *Scripturam in ſe conſideratam*, cui vim tantum Objectivam tribuit, quam & ſtatuæ Mercuriali, indici, picturæ, ſigno comparat; Et, *prout ea ſpectatur in uſu ſalutari*, cui tùm demum accedere, imò ordine naturæ operatione ſua eandem antevertere vult ſpiritum ſanctum, idque per *ſimilia Suencofeldiana* declarat, &c. Equidem non vult videri Rathmannus, negare efficaciam ſcripturæ; ſed interim ipſi nullam virtutem internam attribuit; ideò *inanimatis* tantum *inſtrumentis*, qualis eſt e. g. ſecuris, eandem comparat, & in morem ejusmodi etiam inſtrumentorum, tùm demum illam operari vult, cùm à Spiritu Sancto liberè accedente, inſtar ſecuris, elevetur & actuetur, ut poſſit converſionem ac fidem conferre; ideò diſtinguit etiam inter *lumen hiſtoricum & inſtrumentale*, & *principale lumen*, Scripturam applicans &c. Quanquam verò Rathmannus *Suencofeldianiſmum* prolixè declinatum à ſe cupiat, in ipſis tamen parallelis ſuæ & Schvvenkfeldianæ doctrinæ, eundem effugere nequivit, quin dogmata illius non nulla approbaret. Ei proinde *Wittenbergenſes Theologi*, ſua in cenſura hoc anno publicata, propalam errores Schvvenkfeldianos, Oſiandricos, Weigalianos, & ex parte Calvinianos, imputant. Adde, Rathmannum alicubi laudare ejusmodi fanatica dicta, quod homo præter rationalem diſcurſum illuſtretur *divino radio*, de quo Johannes dicat, erat lux vera illuminans omnem hominem; quam lucem Ariſtoteles vocet intellectum agentem; & quod *mens* (Chriſtus) adjutrix animarum ſit, eas in Bonum proprium revocans, Deo uniens, eiq; ſimiles efficiens, &c Calovius in ſyſt. Theol. A. 696. ſeqq. & vindic. ſcr. D. Hülſem. poſth. 433.

Rathmanni veſtigiis in plerisque inſtitit *Caſpar Movius*, Miniſter Caunenſis in Lithuania, qui verò deinceps Regiomontem in Boruſſia

ruſſia pervenit, ibique pluſculis dehinc annis gravem antagoniſtam expertus eſt *Myslentam*, loci Doctorem ac Profeſſorem Theologum. „ Rathmanni locutiones, inquit Movius, quæ in diſceptationem ra„ piantur, taliter comparatas eſſe, ut ſenſum orthodoxum facilè ad„ mittant; Et, ne minimum quidem errorem unquam in ſcriptis „ Rathmanni demonſtratum; Oſiandrique Conſilium Noricum, „ orthodoxum ſenſum admittere, pronunciat. Hinc eſt, quod ne„ get, virtutem Divinam convertendi verbo Dei convenire in ſe, ac „ per ſe, naturaliter & eſſentialiter; nec hæreticum cenſeat, ſi dica„ tur verbum Dei in ſe, & per ſe, ſine Spiritu S. conſideratum, (quaſi „ ſcil. ita conſiderari poſſit, debeatve,) non habere vim vivificam, „ ſed mortuam eſſe; quod verbum Dei formaliter conſideratum, Ens „ dependens, extra eſſentiam à Deo productum & accidens dicat; „ quodque inſuper verbum DEI non ante, & extra omnem uſum, „ ſed in legitimo tantum uſu & officio ſuo efficax eſſe contendat, „ non efficax actu primo in ſe, & per ſe eſſentialiter, ſed ex gratioſa „ Dei promiſſione, ex peculiari præſentia & operatione Spiritus S., „ ſeu inſtrumentaliter. Item, quod contendat, Spiritum S. in con„ verſione hominis NATURA PRIUS agere, verbum naturâ poſte„ rius; ſiquidem inſtrumentum non moveat, niſi motum, non agat, „ niſi aſſumatur à cauſa principali ad agendum, & ab ea exaltetur „ ad producendum effectum ſe nobiliorem. Id quod comparationi„ bus Suencofeldio-Rhatmannianis declarat: Gladius non ferit, in„ quiens, & ne quidem ferire poteſt, niſi miles eum apprehendat, „ & vi à ſe impreſſa feriat; ita verbum Dei non convertit, ac ne qui„ dem convertere poteſt, niſi Spiritus S. gladium hunc ſpiritualem „ apprehendat, eo utatur, vimque convertendi indat ipſi; vivificare „ idem eſt, quod à Spiritu S. vivificandi vi donari, ac vivificum ſa„ lutis organum fieri. Refert Calov. cit. lib. 699. Actitata inter Movium & Myslentam, breviter Drejerus perſtringit, in Fürſtellung der Procedur mit abgelebtem Cörper. D. Mich. Behmii, præf. lit. b.

Quam gravis *diſcordia & contentio* per integrum ferè ſeculum *Anabaptiſtas Friſios atque Flandros* exercuerit, vid. ſup. lib. 3. oper. XXXII. Hoc autem tempore iidem *ſeſe* maximam partem *univerunt*. Sed inde propemodum *nova lis* orta; præſertim occaſione *unionis initæ inter Harlingenſes Anabaptiſtas & Friſios*, quam Gröningenſes damnarunt, probarunt alii, interque eos Amſtelodamenſes, quæſtione facta, an Friſii Anabaptiſtæ ab aliis agnoſci poſſint pro populo Dei?

 unde

unde diſputatum de *articulis fidei fundamentalibus atque notis filiorum Dei*; quo de negotio libellum ſcripſerunt Amſtelodamenſes Anabaptiſtæ Flandrici, ſub titulo: *Ramuſculus olivæ*, non modo tunc probatum ab aliquot ipſorum cœtibus, verùm etiam poſt annos viginti duos in ipſorum Synodo Harlemi habita, ut ſuo a. Θ. dicetur loco: videatur interim Hornbekius lib 5. ſum. controverſ. de Anabaptiſmo, pag. 356. ſeq.

LIB. III. CAP. LIV.

Summaria.

Foreri Lutheriſcher Katzen-Krieg.

Anonymi liber de Cenſu & Servitio, Mariæ Virgini ſolvendo, carbone, non creta dignus.

Libellus Archifraternitatis Roſarii Mariani recuſus.

Alani de Rupe, qui autor illius Roſarii & fraternitatis perhibetur, impiè jactata familiaritas cum B. Virgine.

Scriptum aliquod Mennonis Anabaptiſtæ poſtumum, Joh. Leidenſi oppoſitum.

Ejusdem liber Fundamenti; deque doctrina Mennonitarum relationes diverſæ.

TUnc, nî fallor, *libellus Foreri*, Dillingenſis Jeſuitæ famoſi, verè epichærecacus, qui ſub titulo *belli Ubiquiſtici* primùm latinè prodierat, jam, ad magis nocendum, cum augmentis ſcopticis in vernaculam converſus, facta Inſcriptione Lutheriſchen Katzen-Kriegs/ publicatus eſt; quo maximè virulentum ingenium ſuum adverſus totam gentem Lutheranam exercuit, prodiditque, ex nonnullorum Theologorum ſuperioris, & in præſens currentis ſeculi diſſidiis, de communicata carnis Chriſti omnipræſentia, arguendo: Lutheranam Eccleſiam non eſſe unitate fidei unam, ergò nec veram; ſed falſam, ſed hæreticam, & minimè ferendam. A ſinceris autem Theologis, impudens Monachus ita exceptus & expeditus eſt, ut ab irriſu, in deriſum ipſe ceciderit. Vid. D. Tob. Wagn. diatrib. de Subſiſtent. Eccl. N. T. ſub incommodis, pag. 8, ſeq. conf. ſup. lib. 3. cap. XXXIII. quæ ex eodem annot.

Incerti autoris, erga Majeſtatem verò Divinam injurioſi, liber *Cenſus & Servitii, Mariæ Virgini ex debito ſolvendi ac præſtandi*, Auguſtæ Vindelicorum in lucem publicam protruſus eſt, per Andream Apergerum, ubi primo ſtatim capite ſequentia habentur: „Cuicunque animus eſt, Mariæ Virgini ſe mancipare, ſciat, oportet, ante

„omnia,

„ omnia, quantâ quamque ſublimi potentia, virtute & gloria iſthæc „ polleat ac fruatur æternùm? Quippe cui non tantùm omnes creaturæ ſubſunt, ſed etiam Creator ipſe. Potentiſſimæ huic Cœli Reginæ ſubditus eſt infernus, purgatorio dominatur ea, Imperium „ illius agnoſcunt Orbis terrarum & omnia regna, Eccleſia item, „ mare, aër, cœlum, Angeli, Sancti cœleſtes, ac ipſiſſimus cœli terræque Dominus; unde non una, ſed millenæ ſunt cauſæ, ſtringentes, ut quisquis demum ſis, humilimum ejusdem te profitearis „ mancipium, &c. Adeò mens eadem allegato autori, quæ *Coppenſteinio* in *Alano redivivo*, proponenti Mariam aliquam infinitam, immenſam, increatam, cauſam cauſarum omnium, Ideam omnium entium; „ Mariam omnium Dominam, quæ mundum fecerit uni„ verſum, & quæ in eo ſunt, omnia conſervet atque gubernet &c. Mens eadem, quæ *Arnoldo Carnutenſi* fuit, ac *Ferdinando Quirino à Salazar*, prædicantibus B. Virginis regiam poteſtatem nullis limitibus „ coërcendam, Reginæ & hominum & Angelorum, neque tantùm „ Sanctorum, ſed malorum etiam; in cujus nomine omne genu flectendum, cœleſtium, terreſtrium, ac inferorum; Reginæ cœli ac „ terræ, omnium rerum conditarum; Reginæ, quæ SS. Trinitatem, „ ne quid Ei deeſſet, ultimo donarit complemento, &c. *Audite cœli, percipe terra,* (doctrinam Pontificiorum) *& intrinſecus obſtupeſcite!* D. Joh. Gerh. Conf. Cathol. tom. 3. 625. D. Joh. Georg. Dorſch. in AntiKirch. pag. 223. 229. 239. pl.

Eodem anno & loco recuſus fuit libellus *Archifraternitatis ROSARII beatæ Virginis Mariæ.* Uſitatiſſima eſt apud Pontificios *Confraternitas* illa, inde ab anno ſupra milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimo. Etenim Pontifice *Paulo II.* Monachus quidam Dominicanus, nempe *Alanus de Rupe*, poſt aliquot malorum Dæmonum illuſiones, ex Mariæ Pſalterio Roſarium fabricavit, idque loco Evangelii hominibus prædicavit, atque tandem *ROSARII fraternitatem* inſtituit; quam poſtea *Jacobus Sprenger*, Teutoniæ provincialis, additis miraculis ſublimavit; ac denique *Sixtus IV.* Papa, bullis & indulgentiis approbavit. De toto igitur negotio liber editus eſt, in cujus principio ita legitur: „ Beatam Virginem Mariam, ingreſſam „ aliquando fuiſſe in cellam clauſam ejusdem Alani de Rupe, eique „ concinnaſſe ſuis è capillis annulum, & Monachum ſibi deſponſaſſe; „ oſculatam eundem fuiſſe, dediſſe contrectandas & lactendas ipſi „ papillas, ac denique Alano ſuo tam familiarem extitiſſe, ut ſponſa

„ ſolet eſſe ſponſo: Balæo referente ex Leandro ac Trithemio. Blaſphema hæc ſunt in Virginem Deiparam, imò & relatu indigna, à multis autem hactenus credita & evulgata, quorum tamen vanitatem atque impietatem alii jam olim demonſtrarunt. Verſatur ne omittamus hoc, *Roſarii fraternitas* in his potiſſimum, ut B. Maria frequenti repetitione ſalutationis Angelicæ, ſeu Ave Maria &c. honoretur; ſingulis in ea fratribus, qualibet ſeptimana Roſarium ter recitantibus. Eſt verò *Roſarium*, quod conſtat *Oratione Dominica*, ſeu *Pater noſter* &c. quinquies: & *Ave Maria* quinquagies, ad numerum tot globulorum, ex filo & chorda pendentium, recitatis ac repetitis. Unde Roſarium tertiò dictum, efficit numerum centeſimum quinquageſimum, in Ave Maria ſeu ſalutatione Angelica, qui eſt *numerus Pſalmorum Davidicorum*; à quo etiam numero, trinum illud Roſarium, Pſalterium B. Virginis Mariæ vocatur; ut refert C. ſterus in libello de Inſtitutione Sodalitatis M. V. Hujus fraternitatis ac Roſarii, ejusque ritus, *Baptiſta Mantuanus*, Monachus Eremita, in Alphonſo his etiam verbis meminiſſe videtur: *Hi filo inſertis numerant ſua murmura baccis.* Vid. Gerhard. Confeſſ. Cathol. tom. B. 1259. & L. Bank. J. U. D. & Profeſſor Friſ. in notis ad Taxam S. Cancellariæ Rom. 361. ſeq.

Anno hujus ſeculi vigeſimo ſeptimo, Anabaptiſtæ Belgici vulgarunt veteris Anteceſſoris hujus ſectæ *Mennonis ſcriptum*, non antea impreſſum; *Adverſus* horrendam & maximam *Johannis Leidenſis blaſphemiam*, qui ſe pro vero Rege Davide, omnium promiſſo gaudio, venditavit olim. Attamen, quamvis *turbas Monaſterienſium Sociorum* non probaret Menno, illos tamen etiam *pro fratribus agnoſcebat*. Scripſit alia quoque plura Menno, inter quæ, ut olim *epiſtola fundamentalis Manichæi*, celebris eſt *liber fundamenti*, quo moralia nonnulla, & admonitiones, tum etiam controverſiæ, tractantur; Scriptus ab autore lingua Friſicâ, inde translatus in Belgicam an. 1562. poſtea ſæpiuſcule impreſſus. *Menno* autem non in ſolo Anabaptiſmo, & oppugnato pædobaptiſmo, uti priores eo; ſed nec pro ſolis Enthuſiaſmis ac revelationibus, quemadmodum illi, ſtetit; ſed ulterius progreſſus, alia etiam dogmata procudit, novæ ſectæ fundamenta de quibus alibi. *Johannes Calvinus* ad Micronium, Mennonis doctrinam ex *Manichæorum* deliriis hauſtam eſſe, ſcripſit; quibus veritatis fundaminibus, nos non omninò exploratum habemus. Cætera, quod *L. Oſiander*, ex *Schluſſelburgio*, de Mennonitis refert:

„Eos

„Eos nocturno tempore quondam conveniſſe, candelisque extin-
„ctis fœdiſſimas & promiſcuas libidines exercuiſſe, vociferantes,
„Spiritus meus concupiſcit carnem veſtram; Cent. H. E. pag. 120.
quomodo conciliari poſſit cum *Hornbekii* teſtimonio ſeu relatione,
dicentis: „Mennonitas (veteres) à Monaſterienſibus & Batenbur-
„gicis diſſenſiſſe, non ſolum, quod illorum tumultus ac turbas non
„probarent, quemadmodum nec Hofmanniani; ſed ab his & iſtis
„diſcrepaſſe imprimis in duobus articulis: primùm de futuro inſtan-
„tique alio Chriſti in terris regno, & admiranda Eccleſiæ per no-
„vam & extraordinariam Spiritûs miſſionem, quemadmodum olim
„ſuper Apoſtolos die Pentecoſtes, reſtitutione; altero, de uxorum
„pluralitate, facilique divortio, quorum neutrum Mennonitæ pro-
„barint, &c. noſtrum non eſt, jam pluribus indagare. Vid. Johan.
Hornbek. ſum. Controverſ. de Anabaptiſmo, pag. 352. 354. confer.
ſupr. lib. 3. cap. XVIII.

LIB. III. CAP. LV.

Summaria.

Supplicia de ruſticis in Auſtria tumultuantibus ſumpta.

Ducum Cæſareorum expeditiones, contra Daniæ Regem & inferiorem Saxoniam, ex voluntate procedentes.

Edicta Ferdinandina in Auſtria & Bohemia, Religionem concernentia.

Conſultatio Electorum de ordinandis Imperii rebus, per Clerum Papalem ſalutari fructu nudata.

Tranſactio Caſſellano-Darmſtattina; brevi rurſus infirmata.

Familia Comitum Helffenſteinenſium terminata.

Colliſio Gallorum & Anglorum; Rupellæ obſidio.

Filia novi Mogolis Indoſtani, à Patre in torum aſſumpta.

Nuptiæ Haſſiacæ, Holſaticæ, Nivernianæ.

Mors Vincent. II. Mant. Ducis; & Gerhardi Ranzovii.

L*uxii in Auſtria pœnam ſeditionis luere tumultuantes ruſtici*, quorum nonnulli poſt capitis amputationem in quatuor partes diſſecti ſunt; alii, poſtquam prius Romanam Religionem amplexi eſſent, nudum capitis tulere ſupplicium; reliquis furca ſuſpenſis, aut igne combuſtis. Calviſ. 957.

Interim *Wallenſteinius* pacatâ Sileſia, Hungaria, Auſtriaque, contra *Regem Daniæ* magno apparatu vires renovantem reverſus, haud modicè curas ejus intendit. Quippe qui uni *Tillio* impar, novum Ducem Sileſiacis Hungaricisque victoriis ferocem, nequaquam ſu-

ſtinere poſſe videbatur. Conſederat Rex inter Albim & Viſurgim, ac novis ſubinde auxiliis delectibusque auctus, agrum Lunæburgenſem immiſſis prædatoribus vaſtabat. Igitur menſe Auguſto Tillius Albim transmittit, quem mox aſſecutus Wallenſteinius, *fugientem* jam *Danum* in Holſatiam & Jutlandiam perſequitur. Ita Rex in anguſtias freti Danici compulſus, amiſſis præterea copiis, quas Marchio Durlacenus, & Baudiſius ducebant, quasq; Carolus Lavenburgicus in ſupplementum conſcripſerat, omnem Cæſareis regionem cis fretum Danicum reliquit, urbibus, quas adhuc reliquas habebat, valido præſidio firmatis, ad quas igitur expugnandas Cæſarei exercitum diviſere. Pappenhemius, *Wolfenbutelium* ferro & igne inexpugnabile munimentum, aquâ fregit, obſtructo aggeribus alveo fluminis Okkari, quod urbem interfluit. *Nienburgi* deditionem Limbachii præfecti mors, & admiſſæ ab Anholdino tolerabiles Viris conditiones maturavêre. *Northemii* expugnatio Fürſtembergio difficilior fuit, oppidanis acerbitate conditionum, ad extrema omnia, inque deſperationem exaſperatis. Turſell. hiſt. app. 2. 27. ſeq.

In *Auſtria* & *Bohemia* inaugurato in Regni ſucceſſionem Ferdinando Cæſaris filio (cùm nemo jam quæreret, ſanguini id juris deberetur, an Electioni) *repetitis edictis Religio quorumcunque à Romanenſibus diſſentientium proſcribitur. Mülhuſii* verò *Electores conſilia conferunt*, qua ratione res Imperii ordinandæ, componenda *pax*, aut, ſi ea obtineri nequeat, reducenda *militaris diſciplina*, quæ planè intercidiſſet, in militum ferociam verſa toti Germaniæ intolerabilem; ſed *Clerici Papales*, inſtantiſſimè repetendo *Bona Eccleſiaſtica* ſibi, ut prætendebant, ablata, omnem effectum ſalutarem ſufflaminant. Papp. epit. rer. German. pag. 66. ſeq. Turſell. ap. 2. 30.

Wilhelmus, Mauritii *Haſſiæ* Landgravii filius, quem Conſtantem vocant, à Patre traditum *regimen plene adiit*; Cumque *fratribus* de *Apennagio*, inde cum *Darmſtatenſibus* de *cauſa Marpurgi*, tranſegit, ita ut Marpurgum denuo patrui filiis concederetur. Ad exiguum verò tempus concordia inter *lineam Caſſellenſem*, ac *Darmſtadienſem* duravit, neque longum intervallum interceſſit, cùm utraque Domus iterum in contraria ſtudia ſcinderetur, &c. Spener. Geneal. 221. Imhof. notit. Procer. 539.

Tunc temporis *Helfenſteinii Comites*, extincto Rudolpho, *quoad mares familiam terminarunt*; quorum hæreditatem ex parte nacti ſunt *Fürſtenbergici*, Gundelfingen, Wildenſtein, & Meskirch ſibi vendicantes;

cantes; Wiſenſteigam *Bavariæ Dux* caducitatis jure ſibi appropriavit. Ipſe verò Comitatus Helfenſteinenſis jam dum anno 1396. *Ulmenſibus*, Cruſio teſte, venditus fuit. Imhof. Notit. Proc. 1133.

Inter *Gallos & Anglos* recens ſimultas, matrimonii potiſſimum cauſa, vetera Nationum odia, & factioſorum Hugonotorum ſtudia confeſtim ad arma impulit. Angli, cùm *Rupellenſes* aut ipſorum, aut illi Rupellenſium eſſent partium, claſſe miſſa Rhedenſem Inſulam invadunt; Non cunctatus Galliæ Rex, ipſe interno externoque hoſte imminente, in expeditionem ivit. Hinc *Inſula in ore*, quod ajunt, *Regis*, magna Anglis clade expulſis, recuperata brevi, *Rupella* verò deinceps *arctiori obſidione cincta*. Epit. R. Germ. 69. confer inprimis Gramond. hiſt. lib. 17. pag. 727. ſeqq.

Extincto *Selymo Muhammed Schibangir, Mogole Indoſtano*, inter maximas Regni turbas an. 1627. ſucceſſit *ì borum* cognatione *Schach-ſiban*, nonnullis dictus *de Gehan*, item *Bedin Muhammed*; qui, cùm *ipſo Coronationis die uxor ei adempta per mortem* propriam *filiam in thorum aſſumpſit*. Horn. Orb. Imp. 443. Franc. Eraſm. in Oſt- und Weſt-Jnd. Luſt- und Staats-Garten / pag. 1442.

Nuptias celebrarunt, *Georgius, Haſſiæ Landgravius*, Ludovici filius, cum Sophia Eleonora, Johannis Georgii, Electoris Saxoniæ filia; *Fridericus, Holſatiæ Dux*, cum Juliana Franciſci II. Saxoniæ Lauenburgicæ Ducis: Et, *Carolus Gonzaga, Dux Röthelanus*, Caroli Niverniæ Ducis filius, cum Maria, Franciſci Ducis Mantuani, Agnati ſui, gnata. Calviſ. Chron. 998.

Vincentius II. Mantuæ & Montisferrati Dux, diem ſuum obiit ultimum, cujus ditiones adiit *Carolus Nivernius*, unde bellum ei movit Imperator Ferdinandus II. Mortalitatem etiam exuit hoc anno *Gerhardus*, Dynaſta in *Breidenburg & Ranzaw*, qui tres Orbis partes, Europam, Aſiam & Africam, obeundo perluſtraſſe dicitur & poſtea præclaris in aula Danica muniis functus eſt. Calviſ. 998. Imhof. Notit. Procer. 1449.

LIB. III. CAP. LVI.

Summaria.

Scholæ Stettinenſis Rector V. L. octogenarius, meritorum intuitu Laurea ſolenniter ornatus.
Fatum Nobilis cujusdam Haſſi dolendum.
Apulia terræ motu miſerè quaſſata.
Calamitates ex fulmine, aquarum vi, grandinibus, ventis.
Hiſpanorum Indica claſſis naufraga.

Feſtivitas nuptialis absque Sponſo celebrata.
In Gallia duo illuſtres Viri ob monomachiam capite plexi, publicè.

STetini Pomeraniæ, poſtquam *Valentinus Lolejus* per annos quinquaginta integros Scholæ loci magna laude præfuiſſet, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimumque vigeſimo ſeptimo, jam *octogenario major*, in publica panegyri, *Laurea* pereleganti & pretioſa decoratus, maximaque ſolennitate, ac planè inſolita, rude donatus eſt; quod poſteritatem neſcire noluimus. Zeil. ref. Epiſt. tom. 2. 283.

Per idem verò tempus, *Lugduni* Galliarum *Nobilis Haſſus*, eò quod *bacillo crucem percuſſiſſet* in via, qua ponte ſuper Saonem itur, erecto è regione Crucis *patibulo ſuſpenſus eſt*; non attento, miſerum hominem ex febri acuta omnem ferè rationis uſum paulo antè amiſiſſe; hinc factum eſt, ut ſcalam aſcendens, ex carnifice quæreret, *an ſic Pariſios veniret?* Zeiler. Ep. tom. 2. 839.

In *Apulia*, regni Neapolitani provincia, horrendus *terræ motus*, per ducenta milliaria Italica ſe extendens, multa caſtella, urbesque non paucas, eam inprimis, cui à Severo nomen eſt, evertit, hominum quoque plusquam ſeptendecim millia, miſerandum in modum abſumpſit. Calviſ. Chron. 997.

Niſſæ in Sileſia, *turris Curiæ fulmine tacta*, & in parte ſuperiori combuſta, corruit, multumque damni dedit incolis; In aliis autem locis magna ſtrages ab *aquis intumeſcentibus* edita fuit, præſertim in *Franconia*, ubi *rupta nube* tanta vis aquarum decidit, ut in aliquot pagis domus everſæ, ſubmerſi homines non pauci cum armentis, agri, prata, vineæque paſſim vaſtatæ, lapidibusque in magnam altitudinem completæ viderentur. Idem pag. 998.

In *Wirtembergia* menſe Majo tanta *grandinis* copia decidit, quæ in quatuor & viginti pagis *Brettam verſus*, omne frumenti genus proſtravit ac perdidit, graviter etiam læſis ædificiorum tectis per congelata trium & quatuor pondo fruſta. Menſe autem Julio circa *Vabingam*, memorati Ducatus oppidum, nec minus in *Weſtraſia*, *Briſgovia*, *tractu Rhenano*, *ſuperiorique Suevia*, idem grandinis malum ſæviit, *ventorumque* vehementia plurimas arbores, tam in hortis, quàm ſylvis, radicitus evulſit, alias diffidit, ut multi hominum autumarent, ultimi diem judicii adeſſe. Schwel. Chron. 416. ſeq.

Ineunte anno 1627. periit *naufragio* ad maritimas Aquitaniæ plagas *claſſis Indica*, quæ maximas opes ab Orbe novo in Hiſpaniam im-

importare debebat: non antè major calamitas ex mercium jactura & hominum: *quatuor millia Luſitanorum* undis abſorpta; *mercium* omnis generis æſtimatio, *auri milliones octo* ſuperabat, &c. Gramond. hiſt. lib. 16. 716. pl.

Nec memoratu indignum, quod *Lipſiæ* cóntigit, cum virgine civica, cuidam typothetæ matrimonialiter jamjam copulandâ. *Feſtivitas nuptialis* more loci ſolito inſtituitur; ſed qui peregrè abierat *ſponſus*, ſtato tempore *non comparet*; Miſſis ergò ſacris publicis, invitati hoſpites ac amici, menſis aſſident, lautè convivantur, & oblatis pro ſponſa (ſponſo heu! orbata) munuſculis, rei ſingularitate perculſi, domum redeunt. Zeiler. in Epiſt. tom. 1. pag. 1065.

Eodem anno Pariſiis *Dominus de Bouteville*, ex illuſtri Momoranziorum familia, & *Comes de Chapelle*, ex Antiquiſſima Domo in Bretagnia celebri ortus, ob ſuſceptam duello digladiationem, ſæpisſimè à Regibus prohibitam, *publicè decollati*. Refert in Tragicis Zeilerus, pag. 130.

LIB. III. CAP. LVII.

Summaria.

Res Eccleſiarum Proteſtantium in ſummo diſcrimine poſita.

Scopus Pontificiorum propior, Proteſtantibus Bona Eccleſiaſtica eripere.

Conſilium Ligæ Papææ eò directum.

In Auguſta Vindel. cum Orthodoxorum ingenti periculo, autoritate Imperatoria inquiritur.

Advocatia Abbatiæ Lindavienſis H. Montfortio conceditur, diuturnæ litis materia.

Ducatibus Jul. ac Mont. dimiſſio Præconum Evangelicorum injungitur

Viennæ prohibentur etiam libri Lutherani.

Vis Pontificia Diœceſibus aliquot Saxoniæ Eccleſiaſticis illata.

Perſecutio Evangelii Sileſiaca.

Georgii Zeæmanni captivitas Ehrenbergenſis.

Theodori Thummii cuſtodia.

Sueciæ Regis G. A. erga exules Germanos clementia.

Beata analyſis Wolfgangi Franzii; Vincentii Schmukii; Jacobi Reihingi.

E*ccleſiarum*, quas vocant, *Proteſtantium calamitates*, quanquam in præcedentibus annis ad ſummum ferè gradum veniſſe videbantur

tur, deploranda tamen hoc anno incrementa per totam Germaniam ſumſere; dum *Liga Papea* montibus Iſraëlis graviſſimè incubuit. Quippe fortuna, paſſibus alias ambiguis errans, hactenus immota ſteterat à partibus Pontificiorum, cumulatis ut victoriis atque trophæis paſſim cluerent. Hic jam voti à tempore Paſſavienſis tractationis concepti ſe compotes factos perſuaſi Papæ dilecti Fideles, occaſionem fronte capillatam haud ſegniter amplectendam rebantur, nec ab incepto deſiſtendum, donec omnia Romanenſibus, ceu loqui amabant, erepta, cum fructibus perceptis ac percipiendis, poſſeſſoribus legitimis (raſis unctisque puta Monachis) reſtituerentur, nempe *Archiepiſcopatus ac Epiſcopatus* varii, plura inſuper *Cœnobia & Collegia* cum ſuis redditibus, cæteraque ejus generis *bona Eccleſiaſtica*, debitis munita juribus atque privilegiis. At verò arduum hoc erat negotium, tot Electoribus, Principibus, aliisque Statibus Imperii fidelibus aut excidium, aut animarum diſpendium intentans, nec illis admodum diſſimile *conſiliis*, de quibus Tacitus inquit, quod *prima ſpecie læta, tractatu dura, eventu triſtia deprehendantur.* Lætum ſcilicet videbantur Monachis, & aliis male feriatis repurgatæ doctrinæ perſecutoribus, jugum & Pontificium & Hiſpanicum, ſi tot potentiſſimorum Principum collo ſuperimponeretur, queis iſti pro lubitu deinceps inſultare, ſuamque religionem ad quæſtum duntaxat comparatam obtrudere poſſent. Ergò de mediis tractatu duris, quibus ad præfixum hunc ſcopum collinearent, maximè ſolicitos eos eſſe oportuit, ſupereſtitibus adhuc nonnullis Statibus potentiſſimis, qui cœpta conſilia infringere forſan poſſent, aut ſufflaminare. *Novum* propterea *belligerandi genus*, Germanis alias incognitum (Britannis verò quondam, uti Tacitus habet, ſat notum) *ſervitutem* ſcilicet *propriam emere, paſcere & alere*, fuit excogitatum; ut hac ratione ad ultimam metam gradatim acceſſus fieri poſſet, quando nempe immenſis exactionibus emacerati, ac ad incitas redacti purioris doctrinæ ſectatores, inexhauſta Papæ Gazophylacia, & Romanæ opulentioris Eccleſiæ communionem, vel tandem anhelarent. D. Dannhauer de Fato flagelli Turcici p. 52. & Hier. Kromaj. H. E. 628. pag.

Interea, poſtquam *Ferdinandus* Imperator ſub dato Pragæ Jan. 10. an. 1628. per decretum *Commiſſarios* denominaſſet fratrem Leopoldum, ArchiDucem Auſtriæ Oenipontanum, & N. N. Epiſcopum Aichſtettenſem, qui *Auguſtæ Vindelicorum* in defectus Civitatis tam Politicos, quàm Eccleſiaſticos inquirerent, ac de omnibus probe ex-

plo-

ploratis, Majeſtatem ipſius certiorem facerent; Ideò uterque illorum Subdelegatos eò miſit ſuos, ArchiDux equidem Vitum Erneſtum de Rechberg, atque D. Johannem Geſslerum, Conſiliarium; Epiſcopus autem, Johannem Georgium à Leonrad in Ulmhauſen, cum Cancellario ſuo Johanne Chriſtophoro Metzgero. Hi, menſe Majo & Junio in Curia Auguſtana negotium iſtud obeuntes, nonniſi Evangelicos examinarunt, eosque, præſertim Eccleſiæ Miniſtros, argutis & captioſis interrogationibus quam plurimis tentarunt, ad illaqueandum innoxios: Id inprimis agentes, nonnulla ut ex reſponſis apprehenderent, ex quibus Myſtæ cœtus Evangelici Novitatis in doctrina, imò defectionis ab Auguſtana Confeſſione quondam Carolo V. exhibita; Senatores autem Lutherani, violationis veterum Conſtitutionum atque Contractuum inſimulari poſſent, ac dein, ſub ſpecie juris, privari omnibus privilegiis, juribus, beneficiis ac immunitatibus olim ab Imperatoribus conceſſis, & ab ipſo Ferdinando ſub regiminis initium confirmatis. Hiſtor. Eccleſ. Gothan. 800. & Relation. über den erbärmlichen Zuſtand der Stadt Augſpurg an. 1628. & ſeq. per tot. inpr. 45. ſeq. 61. 67. 73. 83. ſeqq.

Abbatia Lindavienſis, in quatuor pagis, Reitnavii puta, Schönavii, Æſchachi & Rikenbachii, *hobas colonarias* habet, ſive *curtes* aut *manſos*, quæ ibi locorum Keelenhöfe ſeu Mejerhöfe vocari amant. Horum *Advocatia* olim à Ludovico Imperatore, ut à parte Monaſterii prætenſa, Comiti Brigantino Hugoni pro ducentis argenti marcis; pòſt à Carolo quarto Comitibus Helfenſteiniis, unà cum aliis juribus, oppignorata; ab his ad Ulmenſem Civitatem devenit, quæ Imperatori Wenceslao eosdem ceſſit; ab hoc, Schellenbergio pignori data, tandem anno 1430. ad ipſam Civitatem Lindavienſem rediit. Anno autem ſupra milleſimum ſexcenteſimumque vigeſimo octavo, Ferdinandus II. Imperator, Hugoni Montfortio Advocatiam illam conceſſit, qui exſoluto Urbi oppignorationis pretio, non *Advocatiam* ſolùm, ſed etiam *pagos*, loco Hobarum ibi ſitarum, occupavit: Unde diuturna & gravis admodum orta controverſia, primò cum Comite, dein cum Auſtriaca domo, ut & ſeparatim cum Abbatiſſa; demum Inſtrumento pacis Monaſterienſis deciſa lis, & urbs in quietam poſſeſſionem priſtini juris, reddita tamen ſorte, immiſſa eſt. Hofm. Lex. univerſ. A 921.

Per ea tempora, Cæſare *Ducatum Juliacenſem, ac Montenſem* in protectionem ſuam recipiente, legiones aliquot militum ad iſtas re-

regiones, uſque dum ſucceſſionis controverſia decideretur, ſequeſtrandas introductæ ſunt, & ſtatim civitatibus, ut intra bimeſtre ſpatium *Concionatores Evangelicos omnes dimitterent*, atque templa & ſcholas Romano Catholicis (verius Pontificiis) traderent, mandato Cæſareo injunctum eſt. Calviſ. in Chron. 999.

Viennæ autem in Auſtria, ſub finem Aprilis, publico iterum edicto, non tantùm Auguſtanæ Confeſſionis exercitium (tàm privatum, quàm publicum) ſeverè prohibitum; ſed etiam *lectio, venditio, retentioque omnium ſcriptorum & librorum Lutheranorum*, quos hæreticæ pravitatis Doctores nuncuparunt, *vetita eſt ac ſublata.* Calviſ. cit. loc.

In Saxonia Diœceſes Eccleſiaſticæ non paucæ, & viris, & opibus, & libertate exercendi acceptum à Majoribus Dei cultum, penitus ferè exutæ ſunt; Id quod ante, cùm prædiceretur futurum, niſi Romanenſium fœderi (*Sacram* vocant *Ligam*) maturè obviam iretur, pleriſque neutiquam perſuadebatur. Cluver. Hiſtor. Epit. 810.

In *Sileſia* potiſſimùm, gravis tunc pios Evangelii Confeſſores *perſecutio* exercuit & afflixit. Commodum illis accidit, qui ſtrenui erant in tyrannide ac Idololatria R. Pontificis defendenda & propagandâ, quod, cùm ante tempus non ita longum, poſt clades Danicas, Mansfeldicas & Vinarienſes copias militares, in Sileſiam erumpentes, ac irrumpentes, repuliſſet *Wallenſteinius*, Dux copiarum Cæſareanarum ſupremus, victricia paſſim arma circumferret. Hac enim occaſione mancipia Pontificis apud Sileſios, queis hactenus indultu Regum & Imperatorum, ad ſacra purioris Religionis abſque offenſa convenire licuerat, opus fœdæ Reformationis immaniter urſerunt; quo de ſequenti capite plura dicemus, ne hîc nimis prolixi ſimus. Vid. Conſil. Witteb. Theol. A. 496. Micræl. hiſt. lib. 3. 655.

D. Georgius Zeamannus, ex Profeſſore Gymnaſii Lavingani factus Eccleſiaſtes Campidonenſis, atque ſacri Miniſterii Præſes, ob conciones & ſcripta, quibus Pontificios offenderat, anno vergente per mandatum Cæſaris, *Ehrnbergam* in fortalitium Tyrolenſe abreptus, ibique *captivus*, ad vernum uſque tempus inſequentis anni trigeſimi, detentus eſt; donec inde, poſt multas Principum ac Ordinum Proteſtantium interceſſiones dimiſſus; nec tamen ſine duris Reverſalibus literis, de quibus poſtmodum Theologi varia tulere judicia. Apologia Zeaman. 1. ſeqq. Theatr. Europ. 1253.

Eandem propemodum ſubire habuit ſortem *D. Theodorus Thummius.*

nius, Profeſſor Theologiæ Tubinganus; Imò Romam is deferri debuit. Inſtantiſſimis precibus & ſupplicationibus ad Imperatorem Ferdinandum, iſtâ liberatus viâ, *cuſtodiæ traditus in arce Tubia*, ibique tæ dio miſeriæ confectus, biennio poſt humanis valedixit hoc in Orbe, ad meliorem translatus. Hiſtor. Epit. Cluv. 810. Micræl. Syntagm. lib. 3. 549.

Interim *Sueciæ Rex Guſtavus Adolphus, exulibus è Germania*, viciniſque locis, tam ob Religionem ſuis regionibus pulſis, quàm ob ingruentes belli calamitates afflictis, liberum aditum, inque Sueonum regno habitandi poteſtatem, & quidem publicè hac de re promulgatis literis, conceſſit, illiſque *tutelam & opem*, quam præſtare poſſet optimam, *obtulit*. Theatr. Europ. 1129. Stratem. hiſt. 1126.

Annum hunc vitæ ſuæ terrenæ ultimum vidit *Wolfgangus Franzius*, D. Theol. & Profeſſor Wittenbergenſis Academiæ, patriâ Plavia-Voigtlandus; primum hiſtorici munus obiit ibidem, in Leucorea nempe celebri Schola; Kembergenſis pòſt Eccleſiæ Antiſtes; hinc elapſo quadriennio revocatus à Patribus Academicis, in Collegium Facultatis Theologicæ adſcitus, denique Arcis templo Præpoſitus. Stupendæ vir diligentiæ, in ſcrutandis præſertim Scripturæ Sacræ dictis & integris libris; In juventute Calvinianis faventior, poſtmodum eò infenſior; Aureo tractatu de Interpretatione Scripturæ S. Diſputationibus in Auguſtanam Confeſſionem, Vindiciis Anti-Smalcianis, Schola Sacrificiorum Patriarchalium, libro de Indulgentiis, Commentario in Deuteronomium &c. celeberrimus. Conſil. Wittenb. Theol. in præfix. Catal. & Paulus Röber. in funeral. tom. I. pag. 1015. 1019. ſeq.

Eandem quoque metam attigit *Vincentius Schmuk*, Lipſienſis Theologus, & Eccleſiaſticæ rei Superintendens benè meritus; Chronico Biblico, Homiliis in libros Moſis, & aliis quibusdam tractatibus literatorum genti notus. Strateman. theatr. hiſtor. p. 127. & Micræl. 3. 541.

Jacobus Reibingus, Patricius Auguſtanus, mane inſtar lupi vorax, veſpere inſtar ovis manſueſcens, variaque Revocationis fruge ferax; fato functus eſt in agnitæ veritatis Evangelicæ conſtantia. Celebris primum inter Lojolitas, & Principis Palatino-Neoburgici Seductor, atque ditionis illius Deformator; deinde abjecta Religione Pontificia, Orthodoxiam Lutheranam approbans, Tubingam conceſſit, ſuaque ipſius heterodoxa ſcripta, ut & Foreri, ac aliorum quorun-

rundam complicum, non ſine inſigni teſtimonio candoris, refutavit. Jubil. ſecund. Academ. Tub pag. 103. Micræl. lib. 3. 536.

LIB. III. CAP. LVIII.

Summaria.

Actio Cleri Papæi in Evangelicos, ob AntiChriſti nomine notatum Pontificem Romanum.

Dorſchei de ea judicium per ſummam: aliorum per allegationem.

In proſcripti C. W. Adminiſtratoris Magdeburgici locum, Auguſtus Electoris J. G. Saxonis filius poſtulatur, imperatore contradicente.

Monaſterii ac Templi, in Albo monte Bohemico, primus lapis à F. ponitur.

Veſalia exercitio Religionis publico privatur.

Sileſiam quibus machinis adorti Pontificii, & primò quidem Ducatum Grosgloggovienſem?

Perſecutio Chriſtianorum Romanenſium in Japponia adhuc fervet, conſilio mitigandi ſævitiem fruſtra adhibito.

PEr hæc potiſſimum tempora, ex eo, quod Lutherani Papam appellarent Anti-Chriſtum; Lojolitæ & Clerici Romanenſes reliqui, tùm ſcriptis ac diſputationibus publicis, tùm inſuper odioſis delationibus & accuſationibus, illis, tanquam criminis læſæ Majeſtatis Cæſareæ dignitatisque Principum Imperii reis, & violatoribus pragmaticæ ſanctionis de Pacificatione Religioſa, varias creare moleſtias attentarunt, calumnioſè garrientes: „ dicere, *Papam eſſe Anti-* „ *Chriſtum*, inſignem notoriamque injuriam, adverſus Imperatorem, „ Imperium Romanum, & in omnes Romano-Catholicos Principes „ ac Status importare, vel, ad minimum tacitè involvere; dogma de „ AntiChriſto Romano, non eſſe Pacificationi Religioſæ incluſum, „ nec Auguſtanæ Confeſſioni conſonum, ergò neutiquam ferendum, &c. Hac ratione *D. Dorſcheus* in AntiKirchero pag 128. & „ ſeq. ſcribit, ex Theologis Legiſtæ facti ſunt, qui, poſtquam in U- „ topico ſuo AntiChriſto ex vaniſſimis annoſarum traditiuncularum „ gerris elaborando & compingendo fruſtra, nec ſine plurimarum „ contradictionum pudenda vertigine deſudarunt, poſtquam tem- „ poris, loci, actuum & inſtitutorum Anti-Chriſti in Papa R deſi- „ gnationem, frigidiſſimis excuſatiunculis, in tanta omnium rerum „ luce, ineptè diu declinare ſategerunt, ad civiles, imò criminales „ accuſationes delabuntur, agunt & arguunt veritatis Confeſſores

„ reos

„ recon lææ Majeſtatis Cæſareæ, ac ſummorum in Imperio Princi-
„ pum dignitatis, adeoque Theologicam actionem, totam in lega-
„ lem & juridicam, injuſte illegitimèque pervertunt. Hactenus Dorſchéus. Verùm aſſertionem illam de *Papa AntiChriſto*, nec injurioſam eſſe; nec notoriè injurioſam; nec injurioſam S. Scripturæ, Patribus, Principibus Pontificiis, Imperatoriæ Majeſtati. Eccleſiæve Chriſtianæ; nec etiam pacificationi religioſæ adverſam; egregiè docuit *Nicolaus Hunnius* in libello (quem hoc anno primum in lucem promovit *Wilhelmus Lyſerus*) Neceſſariæ depulſionis, duarum graviſſimarum accuſationum &c. confer omninò die nothwendige Vertheidigung deß Augapffels, quæ ſt. VI. VII. ac *Dannhaueri* AntiChriſtoſophiam Sect. 3. art. 1. & ſeqq. pag. 99.

Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimumque vigeſimo octavo, cùm Imperator Ferdinandus II. *Chriſtianum Wilhelmum*, Adminiſtratorem *Archiepiſcopatus Magdeburgenſis*, ob Danicorum armorum ſocietatem proſcripſiſſet, à Canonicis in ejus locum poſtulatus eſt Saxoniæ Dux *Auguſtus*, Johannis Georgii Electoris filius; Cæſar autem literis tum ad Electorem, tum ad Capitulares contradixit, qui hanc dignitatem filio *Leopoldo Wilhelmo*, à Papa poſtulato deſtinaverat, quemadmodum & *Abbatiam Hirsfeldenſem* in Haſſia; unde diſſidium inter partes peracre, recens bellum, ac flebile Magdeburgi excidium. Theatr. Europ. 1232. ſeqq. Not. Procer. Imhof. p. m. 125.

Aprilis decimo quinto die ſtyli veteris *in Monte alto*, non procul ab urbe Pragenſi, *Monaſterium atque templum* elegans ex rui cœpit, cujus *primum lapidem ipſe Cæſar poſuit*, ac ei ob victoriam iſthic anno 1620. menſe Novembri obtentum, S. Mariæ de Victoria nomen dedit. Theatr. Europ. 1246.

Menſe Junio, nomine Wolfgangi Wilhelmi, Ducis Palatini Neoburgici, Commiſſarius quidam, cum aliquot manipulis militum pedeſtrium & equeſtrium, advenit *Veſaliam*, ibique ſtatim, ac ingreſſus erat, claves *utriusque templi Evangelicorum* à Magiſtratu, ſub aureorum quinque millium pœna, poſtulavit; cùm autem cives mala quæque potius perferre ſtatuerent, quàm dictas claves Papicolis tradere; Commiſſarius biduo poſt, primò majoris, dein etiam alterius domicilii ſacri foribus per Serarium reſeratis, Romano-Catholicos cum crucibus ac trophæis introduxit, atque diſſentientes exercitio Religionis publico privavit. Calviſ. in Chron. 999.

In *Sileſia* t. t. fervide à Pontificiis urgebatur *opus Reformationis*,

atta-

attamen id non tàm tractantibus delicatulis Lojolitis, & aliis Monachis, quàm armatis per eos tribunis. Pars Evangelicorum includebantur carceri, ſi nollent Imagines cum Papa Romano, adorare; Pars, inflictis corpori plagis, jubebantur à pietate reſipiſcere; Maxima pars modis ac mediis durioribus aliis ad amplectenda Præſidis Capitolini placita compellebantur. de quibus ita D. Johannes Micrælius: „ Initium violentiæ anno ſeculi hujus XXVIII. factum „ in *Ducatu Grosglogovienſi*. Metropolin Carolus Hannibal à Dohna „ Burggravius, cui opus. quod vocabant, ſalvandi homiues commiſſum erat, cum copiis noctu invaſit improviſo, patefactis portis, à rei conſciis. Milites non hoſpitabantur, niſi apud illos, qui „ veræ Eccleſiæ hoſpitio erant extrudendi. Quicquid usquam patribusfamiliàs in cellis, ciſtis, penuariis reconditum, novorum erat „ hoſpitum. Utque citius abſumerentur omnia, quotidiè in lautioribus ædibus ad continua convivia conveniebant. Ni miniſtrarentur, quæ poſcebantur, in familiæ corpora ſæviebatur, eique „ malo unicum extabat miſeris remedium: Irent, & à Miſſifico ſchedulam impetrarent, unde conſtaret, quod propediem eſſent inter „ Confeſſores Romanenſes recipiendi. Qui parebant, liberabantur „ à militum vexatione; ut verò animam liberaverint, viderint ipſi. „ Quibus magis placebat, in monte Sionis cum Agno manere, illis „ cumulabantur hoſpites, violenti ad fidem magnæ Meretrici dandam compulſores. Nulli (ultimùm) licebat flebili illo emigrandi „ jure uti, manendum erat, & pereundum, aut ſchedula commigrationis in Babylonem à ſacrificulo emenda pontificio. Curatores „ animarum & presbyteri Eccleſiarum cum ignominia erant jam ejecti partim, partim dilapſi. Crimen læſæ Majeſtatis erat, unum „ ex illis aut retinuiſſe, aut alicubi latentem adiiſſe. Baptiſmus recens natis, & copulatio Eccleſiaſtica Sponſis, à ſacrificulis negabatur, niſi ſub ſpecioſo, verùm deplorando converſionis nomine interitum animæ promitterent. Ægrotis, alicujus nominis, ut exemplo noceretur, hoſtia à Miſſifico conſecrata, in os violenter ingeſta eſt; arthriticis dolor etiam ſtudio auctus, ut compromitterent; nonnullis à carnifice vis intentata, imperata nî facerent. E „ quorum hoſpitiis milites abierant, vel invitis deinde, quia promiſerant, Miſſa erat adeunda; ſimul ad præſcriptam formulam Majores ad ſtygem damnandi, quod ad normam Evangelicæ Confesſionis vixiſſent; Jurandum quoque, quod omnia velint credere,

„ quæ

„quæ Pontificis Eccleſia imperat, ſive in ſacris literis perſcripta ſint, „ſive in illis non inveniantur; conteſtandum denique, quod ſpon-„te omnia, nulla vi adacti, egiſſent. Apoſtatæ interim ſalivam eo-„rum lingentes, à quibus ad dignitates promoti fuerant, novis per „arma Apoſtolis velificati, in piorum fraudem egerunt, quæ ſug-„geſtoribus ſacrificulis placebant. vid. Micræl. lib. 3. ſyntagm. hiſt. 655. ſeq.

Sed *in Japonia Chriſtianorum Romanæ fidei addictorum horrenda perſecutio adhuc dum durat.* Equidem non nemo ex proceribus Regni, atrocitatis illius tandem pertæſus, magnum Regem ſeu Imperatorem credebat mitigari poſſe, ſi ſummam Religionis Chrianæ perciperet, propter quam tot homines inaudita ſævitia perimebantur. Retulit igitur *octo præcepta* ſeu capita, quæ *Chriſtiani* obſervarent ac docerent, nempe: „Ut quilibet de adipiſcenda animi ſalute omni-„bus viribus eſſet ſolicitus; ut parentes honoraret; ut heris & Ma-„giſtratibus obediret; ut neminem occideret; ut non furaretur; „ut ab adulterio abſtineret; utque ne deſideraret idem; ut malè li-„cet à Principibus & Magiſtratibus habitus, minimè tamen rebel-„laret. Hæc vera quidem & bona erant, ſed quæ formam Chriſtianæ religionis non conſtituebant, nulla Chriſti ſervatoris mentione facta; quamvis putet *Solierius*, in Eccleſiaſtica Japoniæ hiſtoria, Barbarum illa ſaltem propoſuiſſe, quæ in vita civili maximè utilia eſſent, & Principibus placere poſſent; ſed ſiſti cautela hac, ſævitia nequivit. Ejus continuatione plurimi ad *defectionem* feruntur compulſi; neque tamen exempla *Conſtantiæ* defuerunt. Ex act. Erud Lipſ. an. 1690. pag. 245.

LIB. III. CAP. LIX.

Summaria.

In Palatinatu, Calvinianorum haud pauci Pontificiis accedunt.

Joh. II. Bipontinus, Electori Trevirenſi Abbatiam Hornbachianam cedere jubetur.

Fœderati Belgæ, Emerici & Rhæſæ Templa pontificia occludunt.

Rupella, immani fame preſſa, ſubjugatur, effuſe Papa lætante.

Nannetenſis tamen Edicti beneficium Hugonotis prorogatur.

Inſula Nieves ab Anglis occupata, & laudabiliter adminiſtrata.
Fliſſingenſium ſors in Inſula Tabago, & S. Trinitatis.
Matthiæ Martinii obitus.

IN *Palatinatu Rhenano*, cum à *Pontificiis* negotium Reformationis, ante aliquot annos ibi cœptum, ſtrenuè continuaretur, *multi Calvinianorum ex præcipuis locis manus dabant*; Etenim ex *Heidelbergenſibus* incolis maxima pars Romanenſium religionem amplectebatur, quod & *Germersbemenſes*, *Crucenacenſes*, aliique magno numero faciebant. *Frankenthalenſes* verò, paucis exceptis, domicilia ſua deſerere, alioque recedere, quàm Pontificiæ communioni ſe adjungere, maluerunt. Calviſ. in Chron. pag. 998.

Contra *Johannem Bipontinum* ſecundum, qui Johanni primo ſucceſſerat, pro Trevirenſi Electore & Archi-Epiſcopo tunc publicatum fuit mandatum Cæſareum, quo *Abbatiæ Hornbachianæ reſtitutio* (potius ceſſio) injuncta palatino. Sed poſt annos viginti, per inſtrumentum Weſtphalicæ pacis Oſnabrugo Monaſterienſis, filius Fridericus (ex Ludovica Juliana Electoris Friderici quarti filia natus) eam recepit. Alias de *Monaſterio Hornbachiano* haud ſubticendum, quod olim Wolfgangus Dux palatinus, Ludovici filius, Illuſtre ibi *Gymnaſium* erexerit, uti & Lavingæ in Ducatu Neoburgico fecerat. Spener. Geneal. pag. 87. Hofm. Lex. part. 2. 581.

Poſtquam Dux Neoburgicus Wolfg. Wilhelmus, Evangelicis Veſalienſibus templa ſua ademerat, ut paulo ante dictum, *Uniti Status Belgici*, quondam Talionis jure, *Emerici & Rheſæ pontificiorum fāna occluſere.* Theatr. Europ. 1260.

Sub finem Octobris anno 1628. *Rupella*, Galliæ emporium & propugnaculum fortiſſimum, Hugonottarum aſylum, ultra annum à Rege Ludovico XIII. adminiſtrante Armando Pleſſeo Richelio Cardinali, *obſeſſa*, fuſis Anglorum auxiliariis copiis, à ſociis etiam contra conceptam ſpem derelicta, tantaque jam *fame* preſſa, ut pane & carne deficientibus, cute, corio, radicibus, cadaveribus etiam obſeſſi veſcerentur, imò mater filiam, ſoror fratris digitos deroſos abſumeret; fameque demum invaleſcente quindecim hominum millia extinguerentur; *ſeſe Regis arbitrio dedere coacta*, victoris jugum ſubivit, magnoque præſidio Reformatos ita dictos, ipſa deinceps precaria libertate perfruens, deſtituit. In templo Urbis Margarethano, Rege & Richelio præſentibus, Ambroſii & Auguſtini hy-

mno

mno decantato, *Sufrenius* Lojolita concionem habuit, explicans illum Davidis textum: *Perſequar inimicos meos, & comprehendam eos, & non revertar, donec deficient.* *Urbano* autem octavo Papæ Romano incredibilem iſta victoria lætitiam attulit, qui gratulatus Regi, ſic inter alia ſcripſit: *Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis; videat peccator & iraſcatur, & ſynagoga ſatanæ contabeſcat!* Cui inſolenti triumpho & Epichærekakias crimini *Joſephus Hallus*, Epiſcopus Exonienſis Anglus publico reſpondit ſcripto, inter alia Urbanum hoc modo graviter affatus: „Audi, Pontifex Urbane, quod brevi co„ram tremendo Chriſti tribunali exaudies pallidus, Paſtorem Chri„ſtiani gregis parum decent hæ ſanguineæ literæ! Tune ad arma „triſtis præco conclamas? Tune ut Chriſtianos Principes, nimio „quam plenos cruoris, ad profligationem ſuorum cladem que hor„rendam inſtiges? Ideone tibi creditæ claves, ut ferratas belli por„tas, eburneasque ditis inferni aperires? Euge, Petri umbra, num„quid hi tibi Malchi videntur, quibus dum aures præcidere voluiſti, „levi errore in guttura incidiſti? aut numquid de quadrupedibus „hiſce in Gallia ſtabulantibus, dictum tibi pridem cœlitùs, occide „& manduca? Neque tamen vel ſic Pontifex, Regem ad excidium Hugonotarum in regno omnium inflammans, deſtinata apud ipſum perfecit; ſic enim DEUS cor Regis flexit, ut eos *edicti Nannetenſis beneficio frui ulterius* permiſerit. Heideg. in hiſtor. papat. pag. 367. ſeq. & Gramond. hiſt Gall. libr. 18. pag. 762. 779. pl.

Circa hoc tempus *Inſula Nieves* in America, non procul à S. Chriſtophoro, *ab Anglis occupata eſt*, qui ut mercimonia juſtè ac prudenter ibi tractabant; ita ſimul ſacra, ſub ſeveriore diſciplina, piè & conſtanter, ædificando ad cultum publicum tria templa procurabant. Refert Rochefort in deſcript. Antill. pag. 71.

Fliſſingenſibus Batavis eodem tempore *Inſula Tabago ceſſit, novaque Walachria* dicta fuit. Relictis ibi primò ducentis ſuæ Nationis hominibus, fundamenta civitatis, & fortalitii poſuere; ſed antequàm opus ad perfectionem deductum, à barbaris & Hiſpanis ex *Inſula S. Trinitatis*, iterum expulſi ſunt, poſſeſſione deſtituti uſque dum per Lampſinos recuperatio facta, plantataque ibi etiam Belgicæ religionis Eccleſia Chriſtiana. Rochefort lib. de Antill. 31.

Mortalia hoc anno explevit *Matthias Martinius*, doctor Calvinianus & profeſſor in Gymnaſio Bremenſi, ex ſcriptis contra Balthaſarem Menzerum notus, aliisque nonnullis, præſertim diſputatio-

tationibus de univerſa doctrina Religionis Chriſtianæ, viſus equidem eſt, Lutheranis partibus in articulo de Univerſali merito Chriſti propius accedere; deprehenſus autem, quod una manu dedit, altera rurſus auferre. Strat. hiſt. 1127. confer. gründl. Bew. Facult. Theol. Witteb. contra ſyncretiſt. Rintel. Calvin. in fundam. err. 353. uſque 368.

LIB. III. CAP. LX.

Summaria.

De erroribus H. Rathmanni ſententia Saxonica.
Theodori Petrei Catalogus Hæreticorum, quid de Bibliſtis?
Laurentii Foreri par Nobile Fratrum.
Aſſictum ab eodem Eccleſiæ orthodoxæ Miniſtris ſymbolum;
Et conficta Prædicantis Lutherani definitio.

QUandoquidem *Hermannum Rathmann*, Eccleſiæ Dantiſcanæ Miniſter heteroclitus, erronea ſua dogmata de verbo DEI, magis magiſque diſſeminavit, *Elector Saxoniæ Johannes Georgius I.* ne iisdem inficerentur Eccleſiæ Lutheranæ, per præcipuos Theologorum ſuorum, Academiarum nempe Profeſſores, & præſulatuum Ephoros, anno 1628 *ſententiam ſuam interpoſuit.* Kromajer. H. E. 649. & ſyſtem. Theol. poſ. pol. 155.

Theodorus Petreus, Carthuſiæ Colonienſis Monachus, in *Catalogo hæreticorum*, quem nugaciſſimum hoc ipſo anno edidit, tanquam diverſarum ſectarum autores & nomina recenſet, qui ei appellantur Bezanitæ, Calviniſtæ, Zwingliani Bucceriani, Vergeriani, Martyriani, Oecolampadiani, Farelliſtæ, Boquiniani, Muſculani &c. Proteſtantes, Reformati, Hugonotæ, Biſacramentales, Bibliſtæ, &c. *Bibliſtas* ponens, dicit eos docere, ſolum S. Scripturæ textum populo proponendum, legendumque eſſe, abſque ulla interpretatione, quales facit Melanchtonem, Carolſtadium, Reformatos &c. At verò ſi *Lutheranis* id imputat, (pro aliis ut loquamur, haud neceſſe eſt) non modo nugaciſſimus, ſed & mendaciſſimus eſt Petreus; Hi enim licet S. Biblia pro unica fidei ac religionis regula habeant, non tamen ſacrorum textuum, & integrorum librorum ex poſitiones rejiciunt, ſed probant, atque inſtituunt ipſi. vid Hornbek. S. C. lib. 4. de Papiſm. 297. 317.

Impudentiſſimus Monachus, *Laurentius Forerus*, Lojolita Dillingamus, in virulentiſſimo libello, quem inſcripſit: *Par Nobile Fra-*

trum,

ſtrum, *Thummius ac Zemann*; ex duobus hiſce Theologis Lutheranis monſtra fecit, Arch Duci Leopoldo Xenii loco t.t. oblata; ſic enim hominis monſtrum ſcopticè lojoliſſat in dedicatione: „ Audaciæ me „ forſan aliquis, aut imprudentiæ potius incuſabit, quod ad anni „ hujus lætiora vota, Xeniaque S. V. devotiſſimis animis oblata, „ aliud ego afferre non habeam, quam par illud nobile fratrum, „ quos facta ſua parum nobiliter ſanè commendant. Prudens ac de „ induſtria feci; idque ut exiſtimo juſtiſſimis de cauſis. Nam vetu„ ſtiſſimè in uſu fuit, ut, ſi quæ animalia aut magnitudine rara, aut „ formâ prodigioſa, aut ingenio ſæva & ferocia inventa fuiſſent, ea „ nonniſi magnis Principibus tranſmitterentur; quemadmodum S. „ Hieronymus in vita Pauli Eremitæ teſtatur, Satyrum quendam „ Antiochiam ex ima ſolitudine ad Imperatorem delatum. Capiunt „ enim etiam ex ipſis Monſtris ſuam oculi voluptatem; Ita & ego „ iſtud par Lutheranorum Prædicantium ad S. V. deferendum exi„ ſtimav; munus utique rarum ac monſtroſum! Annon monſtrum „ eſt, in hominis ore linguam ſerpentinam circumferre? Talem pro„ facto linguam circumferunt Thummius ac Zezmann, quos jam „ olim appoſitè Regius Propheta deſcripſit: Acuerunt linguam ſu„ am, ſicut ſerpentis; Venenum aſpidum ſub labiis eorum! Nil me „ ſupra verum dicere, fatebuntur, quicunque paulo melius norunt „ hos fratres. Alter enim eorum etiam ipſos Cœlites oppugnare, „ alter verò Auguſtiſſimam Domum S. V. probro petere non eſt ve„ ritus. Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſivit in „ terra. In Bonam quam vocamus Eliſabetham, in S. Franciſcum, „ in glorioſiſſimam Deiparam Virginem Mariam, alioſque Sanctos „ ſceleratæ ſannæ; In ſanguinem autem S. V. & ipſius quoque pii „ Imperatoris Ferdinandi, Germani fratris, purpuram jacitur infa„ me ſputum. Ita ni mirum Titanas novos ac terræ filios habemus. „ Alia deinde cauſa eſt mei hujuſce Xenii, quod ſic fieri poſſe con„ fidam, ut hæc impia & crudelia ora nonnihil tandem vel miteſcant, „ vel penitus obſtruantur; quæ nemo prudens etiam è Lutheranis, „ audire patienter, aut ferre poteſt. Nam in ſylvis dum adhuc ver„ ſantur feræ efferæ ſunt, & liberè inſaniunt; non item cùm in hu„ manum hoſpitium & quaſi diſciplinam venere. Faciet, spero, „ S. V. magnitudo, ut nunc ad eam adducti, temerariam linguam „ effrenemque manum cohibere diſcant, quam jam nimiæ promptam „ habuere. Ita & Superi jubeant, ut S. V. in magna reipublicæ

 „Chri-

„ Chriſtianæ Catholicæ emolumenta diutiſſimè ſoſpitem conſer-„ vent. Dillingæ ſcr. è Collegio Soc. Jeſ. die Epiphaniæ Domini, anno Chriſti 1628.

Symbolum Prædicantium Lutheranorum, idem Forerus tale dicto libello præfixit: „ Mendacium Honeſtum & Licitum eſt, quod cum „ proximi commodo eſt conjunctum, ex Theodori Thummii ex-„ plicatione Decalogi, Tubingæ impreſſa in forma quarta, apud E-berhardum Wildium anno 1626. fol. 517. in antitheſi octavi præcepti num. 2.

In fine autem, *Prædicantis Lutherani definitionem* dedit his verbis: „ Prædicans Lutheranus eſt vir, uxore magis neceſſariò inſtructus „ quàm pane quotidiano, ad publicè mentiendum ſuæ fidei & pro-„ ximi cauſa, ſine crimine, doctus & ſemper paratus. Ita ſpurciſſimus Forerus, Lojolæ filius, ad mentiendum & calumniandum ſatus & natus.

LIB. III. CAP. LXI.

Summaria.

Colloquium Cadomianum inter S. Bocharium, & F. Veronum.

Evenii & Crameri, de Habitu Theologiæ, mutua concertatio.

Auguſtanam Confeſſionem Elector Saxoniæ, contra criminationes Pontificiorum repetit, atque vindicat.

Forerus Manuale ſuum exhibet.

Geiſtlicher Ehrenpreiß / liber Pontificius, cum injuria in CHRISTUM Neoburgi protruditur.

Iterum quoque publicantur revelationes Brigittinæ, Papatui quidem haud adeò honorificæ.

Neophyti, Hieromonachi Græci, Synopſis etiam excuditur; Ejuſdem ſtilus & autoritas, qualis?

ANno 1628. die 22. Septembris habitum eſt *Colloquium Cadomianum,* in Gallia inter *Samuelem Bochartum,* Calvini, & *Franciſcum Veronum,* Papæ R. dogmata ſequentes, de falſificationibus Bibliorum S. Geneventium, deque Eucharistia; ſed quo eventu & effectu, nobis non conſtat. Johann. Hornb. S. C. pag. 991.

Magdeburgi verò inter *N. Evenium,* Gymnaſii Rectorem, & *Andream Cramerum,* loci Paſtorem, *de genere Theologiæ,* num ſit *habitus,* nec ne? acris concertatio extitit, ut ſe invicem publicis etiam ſcriptis oppugnarent. Cùm enim Evenius in iſtud Gymnaſium diſputatio-

tationes Theologicas introduxiſſet, & in illis Theologiæ genus aſſignaſſet Habitum; Cramerus, magis in ſchola Spiritus, quàm literæ (ut videri voluit) edoctus, genus hoc negavit. Cum Evenio fecerunt alii Eccleſiæ iſtius Miniſtri rectius ſentientes, inprimis Kolzebuejus, Gilbertus, & qui fuere plures. Informatoriam ſuam duæ Facultates Theologicæ, nimirum Wittenbergenſis & Helmſtadienſis, quæſitæ interpoſuerunt, quæ pro Evenio pronunciarunt. Verùm Cramero cedere nolente, pluribus controverſiis, utpote de notitiis naturalibus, hæc indies magis magisque fuit implicita, donec tandem totale urbis excidium diſſentientes loco motos hinc inde diſperſit, ac ita colophonem litigiis iſtis impoſuit. Refert Kromaj. in H. E. pag. 649. ſeq. An Rector ille *Sigiſmundus Evenius* fuerit; quem D. Johann. Valentinus Andreæ in Selen. Auguſtal. i. e. Epiſtolis, larvæ Scholaſticæ detractorem ingenuum appellat, animi mœrore ob caſſum laborem tandem confectum, in medio relinquimus. Vide Selen. an. pag. 332.

Cætera, quod olim à Capite Chriſtianorum Imperatorum *Conſtantino Magno*, factum fuiſſe accepimus, ut ea, quæ in formulam fidei ſemel (in Concilio præſertim Nicæno) redacta eſſent, nullo modo convelli pateretur; Indeque, cùm non quieſcerent Ægyptii, per Orthodoxos Tyri congregatos obicem eis poneret; Id etiam omni loco ac tempore tum pleriq; omnes Chriſtiani Magiſtratus alii, tum *Saxonici Electores* inprimis faciendum ſibi putarunt, nil prius, nil antiquius habentes, quàm ut *Auguſtanam Confeſſionem*, tanquam ſuam, omniumque Proteſtantium doctrinæ & religionis formulam, qua fidem ſolenniter coram Imperatore ac Imperio profeſſi eſſent, contra varios variorum conatus ſartam tectamque conſervarent. Cùm ergò Pontificii blaterarent, hodiernarum Academiarum Eccleſiarumque Proteſtantium doctrinam non parum diſſentire ab Auguſtana Confeſſione, anno 1530. Carolo quinto exhibita; itaque Principes & Status Proteſtantium hodiernos, non amplius eſſe *pacis religioſæ* participes, quippe cujus fundamentum ſit Auguſtana Confeſſio: Elector Saxoniæ, Johannes Georgius primus, Theologis injunxit ſuis, ut adverſariis modeſtè, publicitus tamen reſponderent. Propterea hoc anno dicti Theologi, ſeditioſis hominibus iſtis oppoſuere ſcriptum germanicum (ſed initio demum ſequentis anni vulgatum) ſub titulo: Nothw. Vertheid. S. R. J. Evangeliſcher Chur-F. und Stände Augapffels; *quo Auguſtanam Confeſſionem ad Archetypum ex Archivo*

chivo Moguntinenſi petitum collatam, repetivére primum, dein quarundam objectionum confutationes exhibuere. Stratem. Theatr. hiſt. 1126. Hieron. Krom. H. E. pag. 632.

Quale *ſymbolum*, tanquam Lutheranum, *Forerus* Lojolita Dillingenſis anno 1622. in publicum emiſerit, ſupra fuit annotatum. Id verò cùm nomine Theologorum Würtembergenſium, Eccleſiæque totius Lutheranæ, debito caſtigaſſet modo Profeſſor Tubinganus *D. Melchior Nicolai*, anno 1624. evulgato *Symbolo Lutherano vindicato*, & calumnias calumniatori refudiſſet in ſinum; non tulit impotens Monachus mendacii ſui tàm invidiosè innocentibus objecti ſolidam & publicam redargutionem. Itaque hoc anno *Manuale* ſuum protruſit, quo, quicquid malè effuſum erat, ſuæ exiſtimationi tuendæ quoquo modo inductis coloribus, quum jam fraus pateret, fucare & obſcurare conatus eſt; Sed nigræ lanarum nullum colorem bibunt, &c. Vid. dedicat. Operæ pretii Nicol. ad Manupret. For. S. & Orat. funebr. D. Wagn. Socero Nicol. hab. pag. 19.

Tunc temporis Neoburgi, apud Laurentium Danheuſerum editus liber Germanicus, cui titulus: Geiſtlicher Ehrenpreiß/ in quo pagina 21. hæc leguntur verba: Thue Sie (Mariam) ehren und verehren/

Daß Sie dich von Sünden-Laſt
wolle freyen/
und verzeihen/
was du überſehen haſt!

Simul etiam Sexta vice repetuntur ſequentia: O MARIA, ave pia!

Sey gegrüßt zu tauſendmahl/
Du haſt geben
Uns das Leben/
Und erlößt von Adams-Fall!

Eant nunc Pontificii, dicantque, ſibi injuriam fieri, dum accuſantur, quod ea, quæ ſoli DEO & CHRISTO tribuenda, creaturis, Matri Dominicæ præprimis, vendicent! D. Gerhard. Confeſſion. Cathol. tom. 3. pag. 633.

Sed Coloniæ ſunt recuſæ *revelationes S. Brigittæ* (quondam celebratiſſimæ) una cum Turre Cremata, maturo Theologorum judicio, ut verba Cardinalis Bonæ in Notitia Scriptorum habent, approbatæ; ubi Chriſtum ſibi viſum inducit, qui *Papam Romanum* vocarit animarum interfectorem, ovium JESU Chriſti diſperſorem & laceratorem, abominabiliorem Judæis, inimiciorem Juda, injuſtiorem

Pi-

Pilato, pejorem Lucifero, addens, ejus demergendam eſſe ſedem, ſicut lapidem ponderoſum; Ac, *Aſſeſſores ejus* arſuros in igne ſulphureo & inextinguibili. *Sacerdotes* quoque reprehendit, quod eorum culpâ doctrina Chriſti neglecta, ac fermè abolita, Divinaque Sapientia in pravam & vanam converſa ſit. Alicubi ait, ſe vidiſſe Virginem Deiparam, dicentem ad filium, *Romam eſſe feracem agrum*; reſpondiſſe Chriſtum: *Eſt ſane, verùm zizaniæ, &c.* Heidegg. hiſt. Pap. 169. Hofmann. Lex. A. 310.

Eodem anno Romæ impreſſa per hæredes Bartholomæi Zannetti, Σύνοψις τῶν θείων καὶ ἱερῶν τῆς Ἐκκλησίας μυστηρίων, ἁπλῇ φράσει παρὰ Νεοφύτου ἱερομονάχου Ῥοδινοῦ Κυπρίου, τοῦ Σιναΐτου, συντεθεῖσα. De hoc libro *Chriſtophorus Arnoldi*, Profeſſor & Eccleſiaſtes Noribergenſis, aliquando *Joaſaphum Logothetam*, Peloponneſium, Ordinis Baſilii Monachum, & montis Atho Calogerum interrogans, ratione ſtyli & autoritatis, ſimplicem *phraſin* parumper mixtam eſſe didicit, qua vel in ſacris quandoque concionibus, vel ſæpius in ſcriptis Eccleſiaſticis utantur Græci: *Autoritatem* verò & fidem Synopſeos illius, Calogerus in dubitationem non nullam adduxit, quoniam omnia Hieromonachum Neophytum ſcripſiſſe, ceu libellus Romæ editus habet, perſuadere ſibi ipſe non potuit; „ Suum illud ſolenne, dicens, „ in Græcia ſervant Lojolitæ, ut libros noſtros inibi deſcribant, Ro„ mam deinde afferant, ac inſerant quævis pro lubitu, vel etiam de„ mant. Arnold. in Epiſt. Exercitat. Vejelian. de Eccleſ. Græc. præfix. & Hilarius in Append. ad Chronicum Cyprii, lit. e 2. confer an. 1665.

LIB. III. CAP. LXII.

Summaria.

Wallenſteinius, ad ſumma quæque, ſtupendo ſucceſſu graſſans.

Stada & Krempe à Tillio occupatæ; Glückſtadium fruſtra obſeſſum.

Wallenſteinii conatus marini; Felicitas ejus in obſidione Stralſundenſi deficiens.

Univerſæ Germaniæ afflictio & gemitus.

Sueciæ Rex G. A. Dantiſcum caſſo labore tenet; cum Strallunda verò auſpicatum fœdus init.

Unitorum Belgarum Archithalaſſus Heinius, inſigni potitur victoriâ, & præda valdè opima.

Res Auſtriacorum feliciſſimæ, à Gallo in difficultates conjici cœptæ.

Julii Henrici Ducis Lawenburgici nuptiæ.
Mors Johannis Friderici Wirtenbergici: Et Philippi Erneſti Hohenloici.

ALbertus Fridlandus, vulgo *Wallenſtein*, à Ferdinando ſecundo Imperii Dux creatus, deque *Ducatu Saganenſi* Sileſiæ inveſtitus eſt. Mox etiam ejectis Adolpho Friderico, & Johanne Alberto, Ducibus *Mekelburgicis*, illarum ditionum declaratus Dominus. Qui tum omnes fortunæ frænos, exoptato rerum ſucceſſu felicitateque ſua ebrius, effudit, ut, cùm omnia haberet ad ſatietatem, nil eſſet ferè, quod non concupiſceret. Jam *Dictatorem Imperii* licet nomine non ferret, re tamen oſtendebat, nullo Cæſaris mandato, ſed certus, non prohibiturum, permiſſione pro Imperio utebatur. Tantum ſub ſignis erat Legionum, ut armatæ toti Germaniæ pares eſſe potuiſſent; non ſatis id videbatur, novas conſcribebat: Et, ne deeſſet, unde alerentur, haſtæ addicta & publicata in ſtipendii ſolutionem univerſa Germania, victores victique, ſocii ac hoſtes, ea lege, ut miles ſuo arbitrio ſumeret, pòſt raperet, denique extorqueret. Calviſ. Chron. 998. Epit. Rerum German. 71. 80.

Verno tempore Tillius *Stadam* ad fluvium Suingam, munitiſſimum oppidum, poſt aliquot menſium obſidionem, deditione occupavit, loci defenſoribus inopia cibariorum preſſis. Stadæ exemplum ſecuta *Krempe* in Holſatia; Tychopolis autem (*Glükſtadium* vulgo) à Chriſtiano quarto Danorum Rege condita urbs, ſpem, in quam ædificata fuerat, conditori ſuo affirmavit, ac diuturnam, irritamque ad extremum obſidionem, fortiſſimè toleravit. Epit. R. G. 71. Turſell. app. 2. hiſt. 18.

Interea *Wallenſteinius* Pomeraniâ, Stetino & Stralſundo exceptis, tota jam ſubactâ, *Maris oppidò affectabat Imperium*, ac ut navium copiæ eſſet, appellabat de fœdere Anſeaticas Civitates; ſpe objecta, ſolas illas commutandarum ex Hiſpania mercium, & brevi omnis maritimæ negotiationis arbitros fore: Sed illæ ſalubri temperamento ancipitis periculi attentatum urbanâ prudentia declinabant, ut quæ mallent omnium æquè hominum amicæ, quam unius cum exceptione reliquorum ſociæ eſſe. Iſta ſpe dejectus, ipſemet naves aliquot parabat, nullus dubitans de proprio ſe ſatis jam inſtructum, ad occupandum novi Imperii titulum, ut Maris Balthici *Archithalaſſus* audiret; ſed non eandem fortunam in ſalo, quam in ſolo expertus eſt. Burgoldenſ. Not. Rer. Imp. A. 97. Cluver. hiſt. 806.

Unica

Unica *Straleſunda*, primò Danicis, mox & Suedicis auxiliis opportunè firmata, temeritatem hominis caſtigavit, & ſuſpectæ felicitatis curſum retardavit. Licet enim acerrimis oppugnationibus maritimam hanc urbem premeret, magna tamen cum jactura ſuorum, inglorius obſidionem illam ſolvere coactus eſt, qua de ſuperba ejus vox excepta fuerat: *Straleſundam ſe ſubtracturum, ſi vel catenis cœlo alligata eſſet.* Burgold. & Cluver. cit. loc.

Sub hæc multam ſermonibus materiam præbuere frequentia, quæ in urbibus Imperii pependerunt *edicta*, quibus religionis uſus ad præſcriptum legis (Cæſareæ) hac de re conditæ ſeverius exigi cœpit, quàm æquum videbatur. Major adhuc, & ſuo cuique periculo æſtimando propior inde data, quod paſſim lege Majeſtatis eorum bona publicabantur, qui ſuperiorum temporum rebellibus conſociaſſe auxilia conſiliave inſimulabantur. Per multa non obſcuri nominis capita hæc pervagata quæſtio, rem invidioſam ad omnes fecerat ſpectare, quod bona vacua non illis, qui proximo jure, ſed hominibus ab aula Cæſaris immiſſis traderentur, acerrimo horum criminum quæſitore *Rudolpho ab Oſſa* Commiſſario. *Gemebat* inſuper *univerſa Germania* ſub intolerabili militarium exactionum onere, perpetuataque belli mala graviſſimas tam Pontificiorum, quàm Proteſtantium querelas conciebant. Epit. Rerum Germ. 82. ſeq. cum ipſa Experient.

Durante adhuc bello inter Poloniæ Sueciæque Reges, *Guſtavus Adolphus Dantiſcum obſidione* terra marique *cinxit*, & Mariæwerdam deditione cepit, ſed adventante Conjecpolſio cum exercitu Polonorum non contemnendo, factus eſt retrogradus. *Cum Stralſundanis* autem, ad mutuam defenſionem, urgente neceſſitate, *fœdus* in viginti annos *pepigit*, atque hoc modo in Pomerania futuræ Expeditionis Germanicæ fundamenta jecit, & ſecuritati maris Balthici proſpexit. Boxhorn. Chronol. 155. Theat. Europ. 1250.

Cum Hiſpanis feliciſſimè t. t. *Uniti Belgæ* dimicarunt, præſertim ad Cubam Inſulam, ubi *claſſem argentiferam Iberorum* debellavit *Petrus Heinius*, qui præter alia hoſtibus illata damna, naves viginti duas, Americanis opibus prægnantes, expugnavit, partiſque opimis ſpoliis pretium *duodecim millionum* ſuperantibus, in Hollandiam deportavit; unde tantum apud Hiſpanienſes querelarum, quantum apud Batavos jubilorum &c. Cluver. hiſtor. 810. Horn. Orb. pol. 565.

Et, feliciſſimas Auſtriacorum res, novas in difficultates fortuna derepente cœpit conjicere; ſiquidem iis, confecto Rupellenſi bello, Galliæ Rex *Ludovicus XIII.* metam ponere, aut remoram ſaltem facere, firmiter conſtituit. Occaſionem præbebat *Controverſia Mantuana*, de Succeſſore defuncti Ducis Vincentii, ut in ſequentis anni Memorabilibus dicetur. Gramond. lib. 18. 781. Turſell. app. 2. 32. pag.

Julius Henricus, Lauenburgicus Dux, in torum aſſumpſit *Eliſabetham Sophiam Brandenburgicam*, Januſii Razivilii viduam, è qua genuit Franciſcum Erdmannum; Hic in Evangelica Religione educatus, Patri quidem ſuperfuit & ſucceſſit, ſed brevi ejus fata ſequutus eſt. Notit. Procer. Imhof. 654. Syllog. Geneal. Spen. 254.

Mortalia explevit *Johannes Fridericus Wirtembergiæ Dux*, Parentibus FRIDERICO & Sibylla Anhaltina editus in lucem anno 1582. Mompelgarti, poſtea Stutgardiæ ac Tubingæ educatus, animum bonis literis imbuit, & corpus decorè variis artibus ad robur & agilitatem exercuit, indeque varias peregrinationes laudabiliter ſuſcepit & confecit. Anno 1608. in gubernaculis Ducatus Patri ſuffectus, uxorem duxit anno ſequente Barbaram Sophiam, Joachimi Friderici, Electoris Brandenburgici, filiam, nuptiis Regio apparatu Stutgardiæ peractis. Obiit in itinere, patriæ cauſa ſuſcepto Jul. 18. an. 1628. Princeps veræ religionis & juſtitiæ amantiſſimus, atque Mecœnas literatorum egregius. Laudes ejus, tanquam Titi Wirtembergici, prolixè recenſuit Lanſius, teſte Mantiſſa Conſultat. p. 690. ſeqq. confer D. Andreæ Epiſtol. ad Brunov. Duces, pag. 573. ſeq.

Fatis quoque conceſſêre, Philippus Erneſtus, Comes *Langenburgico-Hoenloicus:* Rudolphus Chriſtianus, *Friſiæ Orientalis* Comes: Wolfgangus Fridericus *Pappenheimius*, R. Imp. Mareſchallus hæreditarius, &c. Not. Procer. 1329. Calviſ. 1001.

LIB. III. CAP. LXIII.

Summaria.

Ad Wallenſteinii minas, Conſulis Stralſundenſis arguta reſponſio.

In Tabulam, obſidionis Rupellenſis repræſentatricem, inſcriptio memorabilis.

Pſittaci vox, miras Caſus Izenhovianus.

Phænomenon cœleſte, Hamburgi obſervatum: Deflagratio Wollini.

Ulricus Schœnbergius, cœcus, Magiſterii Philoſophici honoribus ornatus.

Buquingamius, militis gregarii manu confoſſus.

FAma fuit, *Wallenſteinium* tempore obſidionis Stralſundinenſis, *Conſuli* urbis, quem data ſecuritate in caſtra evocarat, pro Imperio injunxiſſe, ut locum dederet, ſe enim (addendo) non prius receſſurum, quàm voti compos eſſet factus. Ad quæ cum Conſul maſcula verba repóneret, juraſſe Fridlandum: Se ſtatim, ac Straleſundam expugnaſſet, Conſulem in prima portâ ſuſpenſurum; ſed appoſitè Conſulem regeſſiſſe: Non clamandum *halec*, antequam halecem, quis cauda teneret; Er ſolte nicht ehender Hering ruffen/ biß er ihn beym Schwantz hätte. Burgoldenſ. Not. Rerum Imp. A. 98.

Occupatâ *Rupella, obſidionis in ænea tabella imago ſuſpenſa*, qua expreſſum, omne urbi capiendæ adhibitum terra marique artificium cum *inſcriptione*: „ LUDOVICO XIII. regnante, Armando Cardi„nali adminiſtrante, Principibus Europæis fruſtra in Galliam con„juratis, injecta Oceano fræna, Rupella capta, Hæreſis conclamata. „Obſtupeſcis, & Miraculi autorem quæris? Non eſt unius hominis „tantum opus, duo ſunt, Ludovicus fecit, Armandus invenit. Gramond. l. 18. 780.

Cùm poſt occupatam claſſem argentiferam in portu Havanæ, Batavi prædam dividerent, ex Admiralis navi *Pſittacus* clara voce clamavit expreſſiſſimè: *Victoria, victoria! Oque Buena va, òque Buena val* Sieg/ Sieg! ô wie gehets da ſo wohl zu! refert Eraſm. Francisci, im Oſt- und Weſt-Indianiſchen Luſt- und Staats-Garten/ pag. 460. Nec alias inauditum, pſittacos miro edoctos artificio, humanas voces exprimere, adeò ut eorum quidam, Romæ ab *Aſcanio Cardinali* aureis centum comparatus nummis, articulatiſſimè continuatis perpetuò verbis, Chriſtianæ veritatis *Symbolum* integrè non ſemel pronunciarit olim, teſtante Cœlio, juxta Jacobi Martini allegationem, in Exercitat. Metaph. pag. 1036. conf. Urſin analect. S. S. lib. 5. 292.

Caſus valde horrendus *Izenhoviæ* in Holſatia contigit, ubi Taurorum viginti, capitibus illorum converſis, cornibusque in terram fixis, à cacodæmone necati, portaque urbis è loco ſuo ſemota, aliaque inaudita maximum hominibus terrorem incuſſerunt. Calviſ. Chron. 999.

Alia quoque paſſim hinc inde portenta & prodigia per Germaniam viſa, inprimis *Hamburgi*, ubi tertio Maji die *Sol* apparuit cir-

cumdatus *circulo*, extraque circulum *quinque Soles* exhibiti ſunt. Porrò per eundem circulum alius, inſtar *Iridis* tranſiit; poſt Solem etiam *duæ partes Iridis* conſpectæ, una quidem verſus Septentrionem, altera verſus Meridiem; denique *igneus fumus* è medio circuli aſcendit, qui verò brevi, cum toto phænomeno, aciem oculorum fugit. Vid. Türcken-Trutz und Gottes Schutz. Anonym. pag. 30.

Ea tempeſtate *Wollinum*, olim Julinum, & ſedes Epiſcopalis in Pomerania, quæ deinceps Caminum translata, ex incuria, an malitia militum Cæſareanorum? nona luce Auguſti flammam concipiens, totum ferè, magna cum Arcis parte, *deflagravit*. Calviſ. Chron. 999.

Ulricus Schönberg, Weydâ Palatinus, quamvis *uſum oculorum* per variolos in tertio ætatis anno *amiſiſſet*, ſtudiis tamen ſedulam dedit operam; cumque in Schola patria & Sulzbacenſi feliciter in literis ac linguis profeciſſet, in Altorfinam primùm Academiam, dehinc in Lipſienſem ſe contulit, ubi inter alios, *Magiſterii honores* anno 1628. *cum laude retulit*. Juventute pòſt in Holſatia per novennium, & Hamburgi per quinquennium privatim informata, Regiomontium tandem profectus, ſtudiis philoſophicis, imò omni, ut loquuntur, ſcibili, ſupergreſſus annum ætatis quadrageſimum ſeptimum, immortuus eſt. Act. Erud. Lipſ. Suppl. V. 198.

In Anglia *Buquingamius*, vir magni animi, & excitatiſſimi, poſtquam Jacobi & Caroli Regum flagrantiſſimâ gratia intimaque amicitia diu feliciſſimè floruerat, publico odio cruenta morte litavit, *militis gregarii manu*, Johannis nempe Feltonii, natione Scoti, *confoſſus*, dum cubiculum ſuum egrederetur. Cædis autor ad ſupplicium tractus, nil edidit, niſi quod ſponte ac boni publici cauſa facinus patraſſet. Cluver. hiſt. 813. Turſell. app. 2. 36.

LIB. III. CAP. LXIV.

Summaria.

Edictum de ceſſione Bonorum Eccleſiaſticorum, & controverſia de Pace Religioſa, Eccleſias Proteſtantes ſummopere affligunt.

Hiſtoria Reſervati Eccleſiaſtici.

Status Evangelicorum Auguſtæ miſerandus.

Pontificiorum perſuaſio, quaſi à reductione Auguſtæ ſub jugum Papæum, ipſius Auguſtanæ Confeſſionis funus dependeat, vana & inanis.

Kizinga, cum Religionis purioris jactura ad Epiſcopum Würtzburg. delapſa.

Sen-

Sententia in cauſa Hildeſienſi, contra Brunovicenſes lata.
Daniæ Regis cura ſacra de emendatione diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

TUrbulentus & luctuoſus toti Eccleſiarum Lutheranarum ſtatui fuit hic annus, ob imperatam *ceſſionem Epiſcopatuum, Cœnobiorum, Abbatiarum, Collegiorum, Commendaturarum &c.* quæ à tempore Tranſactionis Paſſavienſis in manus earum venerant; reſtitutionemque, ut verba Edicti Cæſarei habebant, fructuum tam perceptorum, quàm percipiendorum; id quod magnum apud Proteſtantes in Germania terrorem excitavit; præſertim ob motam ſimul *controverſiam de Pace Religioſa* Paſſavio-Auguſtana ſecundum Lojolitas & eorundem ſocios, jam nulla, nulli Lutheranorum ſatis propitia, ſaltem tuta nulli. De hac inferius dicetur; de iſta res altius repetenda, ex veteri Pontificiorum, quod vocabant, *Reſervato Eccleſiaſtico*, cujus hiſtoria talis eſt.

Superiori ſeculo, quum in Comitiis Auguſtanis anno 1555. de *Pace Religionis* ageretur, acerrimè inter partes itum in contrarium ſuper concedenda Epiſcopis ac aliis Eccleſiaſticis Romano Catholicis licentia, amplexandi Religionem Auguſtanam, ita, ut cum dignitate ſimul retinere detur ditiones ſacras. Id quod Romanenſes (cum iſthac licentia jugulum ſuæ Religionis per Germaniam peti ſatis appareret) præfractè negabant; Proteſtantes autem in magnam ſuæ Religionis infamiam id redundare interpretati ſunt, ſi ſuſcepta ejus profeſſione, dignitate boniſque cedendum ſit, multiſque hac via ad puriorem doctrinam aditum obſtrui. In tanto itaque animorum æſtu, Ferdinandus primus Romanorum Rex Pontificiis favens, vi Cæſareæ Commiſſionis, hunc paragraphum inſeruit, invitis licet atque contradicentibus Evangelicis: *Ut ſi forte Archiepiſcopus & Prælatus ad Proteſtantium religionem tranſeat, beneficia, quæ habuit Eccleſiaſtica, perdat, ſalva tamen exiſtimatione ſua.* Gratioſam hanc Papanis clauſulam vulgo vocant den geiſtlichen Vorbehalt, qua Epiſcopis aliiſque votariis Lutheranam Religionem amplectentibus, non liceat mutare ſedem Pontificiam in aliam quamcunque formam. Callidum ſcilicet remedium pro Pontificolis, ut nimirum ex perſonis Eccleſiaſticis, aut nemo accederet ad Evangelicam Religionem, aut, ſi quis acceſſerit, ſaltem Bona Romanenſibus reſervarentur. Proteſtantes initio magnopere anniſi, ne articulus ille Pacis documento inſereretur; Cùm verò Ferdinandus & Catholici tot palam teſtati eſſent, ſe

ſe nullam ſine eo capite pacem admiſſuros; Proteſtantes tandem illud ipſum fieri paſſi ſunt, quamvis nunquam iſthanc approbarint clauſulam. Imò aliquoties poſtea (inprimis cùm *Gebhardus ArchiEpiſcopus Colonienſis* ſub Rudolpho ſecundo à Papiſtica Religione, ducta uxore diſceſſiſſet, & propterea ab Archiepiſcopali ſede, mandato Cæſaris ac Papæ Rom. detruderetur, ſuffecto in ejus locum Erneſto, Bavariæ Duce) de illo textu queſti ſunt, nec eo ſe teneri aſſeruerunt. Controverſum ergò manſit hoc punctum à tempore Ferdinandi primi, usque ad Ferdinandum ſecundum, cui cùm pluſculis annis omnia ferè ſupra votum arriderent, isque totam propemodum Germaniam ſub armis teneret ſuis, tunc maturum videbatur Miſſificis Papanis repetere, quicquid locorum ac bonorum olim, pro more veterum, piis uſibus deſtinatum, ſed à Proteſtantibus poſt Paſſavienſem tractationem in alios (licet meliores) converſum erat. Id ut obtinerent, rem ad ipſum Imperatorem, Clero addictiſſimum, tanquam ſupremum Eccleſiæ Romanæ Advocatum detulerunt, auxilium ejus implorantes, nec ante quieſcentes, quàm is prætextu autoritatis Cæſareæ, ad Lojolæ filiorum, & Monachorum voluntatem pronunciaret, ac ſententiam Edicto publico per omnem Teutoniam promulgaret, non attentis, quæ ab Evangelicis opponerentur deprecando, excipiendo, proteſtando, aut alio quovis modo. Hiſtor. Eccl. Krom. Cent. XVII. 630. Burgold. Not. Rer. Imp. part. 1. 14. 84. usque 89. pag.

Anno 1629. poſtquam decretorium illud Edictum Ferdinandeum, de reſtituendis Bonis Eccleſiaſticis prodiiſſet, ſtatim Auguſto menſe, *Auguſta Vindelicorum religionis mutationem* ſenſit. Exacti ſunt animarum Paſtores, & juventutis Informatores Lutherani; clauſa eorum, aut Pontificiis tradita templa; reditus omnes Romanenſibus adſcripti; Evangelici Senatores è Curia ejecti; ademptæ quoque civibus libertas privatim ſua ſacra habendi. Ne quid verò adverſus vim tantam purioris fidei confeſſores molirentur, patibulis in foro erectis deterriti ſunt, Electore Saxonico iteratis vicibus fruſtra intercedente; quod ipſum in *malum omen* reliquorum Evangelicorum ab omnibus tractum eſt, metuentium Auguſtâ Vindelicorum in Eccleſiaſticis læsâ, peti per latus ac lædi univerſum Proteſtantiſmum. Firmiter ſibi perſuadebant Papæ Romani creaturæ, Auguſtana urbe ad Idolomaniam & ſuperſtitionem ſacrificulorum reducta, funus Auguſtanæ Confeſſioni eo ipſo parari; ſed falſo ac inanite:

niter. „ Quemadmodum enim Auguſta, ſcribit alicubi *D. Johann.*
„ *Schmidius*, Theologus Argentinenſis, anno ſeculi ſuperioris trige-
„ ſimo, Confeſſionis noſtræ neque mater, neque nutrix fuit, eidem-
„ que nec vitam nec vires dedit, ſed hoſpitium duntaxat præbuit
„ per dies aliquot, dum in publicum produceretur, & Invictiſſimo
„ Imperatori Carolo quinto ſiſteretur; quo facto eam id temporis à
„ ſe dimiſit, atque poſt aliquot demum annos debita reverentia re-
„ ducendam curavit, ac ſuæ fidei conſtituit ſymbolum: Sic miſerè
„ decepti ſunt, atque decipiuntur, qui putant, deleto & extincto ibi-
„ dem publico A. C. exercitio, fore, ut paulo poſt etiam alibi facilè
„ pereat ac opprimatur. Meminit D. Mylius epiſtolæ Româ ſuo tem-
„ pore ad Pontificios quosdam perſcriptæ, qua Lojolitæ laboran-
„ dum eſſe modis omnibus ſuaſerunt, ut unde initium erroris, inde
„ principium Reformationis oriretur, id quod Romano-Catholicis
„ magnæ Conſolationi, hæreticis autem terrori eſſet futurum; Et
„ multos Principes ac Civitates excitatum iri ad imitationem, præ-
„ ſertim cùm intelligerent Sanctiſſimi Domini (Papæ) autoritate hoc
„ inſtitutum, ratum ac firmatum eſſe; Auguſta ſi eſſet Catholica, vi-
„ cinos Catholicos Imperii tranquillitatem & cauſam Religionis
„ multum poſſe juvare, &c. Quo ſanè Lojolitarum Conſilia colli-
„ mabant hactenus, donec variis ac diuturnis machinationibus rem
„ eò deducerent, ut optimis inclytæ Reip. Auguſt. civibus, quorum
„ ſumma ſemper in Imperium fuit fidelitas, promptaque erga Ma-
„ giſtratum ſuum in civilibus obedientia, orthodoxæ Religionis, cu-
„ jus tot annos juxta confeſſionem ab urbe ſua denominatam exer-
„ citium habuerunt, libertas eriperetur, aliaque inſtituerentur plu-
„ rima, quæ ad imam etiam radicem, ac minima confeſſionis ſemi-
„ na tollenda conferre viderentur. Verùm ſi maximè lux Evangelii
„ & ſacratiſſimæ Confeſſionis ibi obſcuretur, vel prorſus extingua-
„ tur, id tamen parum Idolomaniæ Pontificiæ cauſam juvabit, ac im-
„ motæ veritati A. C. nihil quicquam derogabit, minimè omnium
„ ex Orbe terrarum planè delebit eam. Nicæa, quam Symbolum ibi-
„ dem conſcriptum celebratiſſimam fecit, concuſſa terræ motu, tota
„ corruit, ac funditus eſt everſa, non tamen concuſſum aut everſum
„ ſymbolum, quod potius ad finem usque mundi audietur in Eccle-
„ ſia. Conſtantinopolin immanitas Turcica ſibi ſubjecit, non ta-
„ men Conſtantinopolitanum ſymbolum expugnavit. Sic pleraque
„ alia Chriſtianorum olim Conciliorum domicilia, vel prorſus dele-

„ ta, vel horrendis in fide Chriſtiana erroribus corrupta ſunt, vigente „ nihilominus doctrina ſalutari, quæ olim in iis repetita, illuſtrata, „ & contra hæreticos defenſa fuit; Ita fides, quam explicat Auguſta- „ na Confeſſio, durabit, quicquid etiam loco, ubi exhibita eſt, acci- „ dat: Imò cùm ipſum Dei verbum, quod in æternum manet, com- „ plectatur, ne quidem intereunte Mundo interibit! Hæc Schmi- dius in diſſertatione Theologica, de ſeculari memoria exhibitionis A. C. pag. 21. ſeq. & Relatio peculiaris de miſerabili ſtatu Auguſtæ Vindel. an. 1628. & 1629. pag. 116. 126. pl.

Kizinga (oppidum Franconiæ, in quo Cœnobium Ordinis Benedictini, quod alii ab Adelheida Pipini Regis Francorum filia, alii à Bonifacio Germaniæ Apoſtolo, conditum tradunt) poſtquam trecentis ferè annis in poteſtate *Marchionum Brandenburgenſium, Anſpacenſis lineæ*, oppignorationis jure fuiſſet, ſub finem Januarii cum pertinentibus ad illum pagis omnique territorio, *Würzburgenſi Epiſcopo* vi reluitionis, durch Abloſungs-Recht / rurſum ceſſit, per Commiſſarios Cæſareos Præſuli tradita; qui poſt præſtitum à ſubditis homagium, ſtatim dimiſſis Auguſtanæ Confeſſionis Concionatoribus, & Ludimagiſtris, Pontificios eorum in locum ſuffecit, ac *Romanenſium Religionem introduxit*. Calviſ. Chron. 1001. Burgoldenſ. not. rer. Imper. A. 483.

Paulo poſt ab *Argentinenſibus* quoque Templa, præcipuè ſummum iſtud, ſive *Cathedrale* (das Münſter) expoſcebant Papani; Illi autem eò quod petita templa, ſuis à Majoribus fundata, piisque uſibus, ad quos etiam ab ipſis ſine ullo abuſu adhibeantur, deſtinata ſint, excuſando Senatum atque cives, poſtulatis iſtis ita ſimpliciter locum dare recuſarunt; parati tamen ad reddendum, ſi quæ extra urbem ſita, & ad Collegia Cleri Papani ſpectantia, in ſua poteſtate haberent. Quin & Bavariæ Duci Maximiliano, ut Cæſari hac in parte obediant, per literas hortanti, cum communis illa cauſa ſit, in aliorum A. C. Statuum præjudicium hac vice nihil ſe ſtatuere poſſe, ſed ad Comitia publica, & ulteriorem cauſæ ac juris ſui cognitionem provocare, reſponderunt. Calviſ. Chron. 1001. confer. 1602. cap. 9. & 1627. c. 49.

E Spirenſi autem Camera, *Brunovicenſibus* adverſa ſententia de *Hildeſienſi* ditione lata eſt, imperata Ducibus Lutheranis reſtitutione; Cumque pronunciatum eſſet à Cameralibus, Imperator Ferdinandus II. de Epiſcopatu Hildeſienſi *Electorem Colonienſem* Viennæ inſti-

tuit.

tuit. Verùm *Fridericus Ulricus* Dux, *reviſionem Actorum* quæſivit, & impetravit. Not. Procer. Imhof. 229. Not. Rer. Imp. Burgold. B. 129. vide pl. an. 1643.

Daniæ Rex, reducta per DEI gratiam pace in regno ſuo, bello collapſam *diſciplinam Eccleſiaſticam*, reducere emendatam, ſeriò & laudabiliter laboravit, Hafniæ hoc fine, convocatis tum Senatoribus primariis, tum præcipuis Theologis, ac de aſſerenda Miniſterio ſacro *autoritate utriusq́; Clavis* Conſilia perquam ſalutaria agitavit; quo ſucceſſu, nobis non conſtare, libentiſſimè fatemur? Cluver. Epit. hiſt. tot. Mun. 808.

LIB. III. CAP. LXV.

Summaria.

Bona Eccleſiaſtica Imperator Proteſtantibus & Edicto ſeveriſſimo, & manu armata extorquere ſatagit.

Ejusdem zelus in compulſione ad ſacra Romanenſia.

Gratulatio inſolens Bzoviana, Ferdinando II. exhibita.

Edmundus Richerius, Conciliorum vindex contra P. R. ad palinodiam adactus.

Sorbona, Papæ decretis per vim adſtricta.

Chriſtianorum in Japonia perſecutio crudeliſſima, ejusque methodus extrema.

Ferdinandus III. Caſtellæ Rex, inſtar Sancti cultus, etſi nondum canoniſatus.

Obitus Eliberti Rosweidii; Et Ludovicæ Marillianæ.

POſtquam Romæ in Vaticano, in Clauſtris etiam & Collegiis Germaniæ, Romana placita ſequentibus, diu multumque deliberatum eſſet, de ſacris more Majorum (Papiſſantium) in Imperio paſſim reducendis; inſtinctu Pontificis Tyberini & creaturarum ejus, Imperator invidioſum illud *Edictum*, quod integrè in Theatro Europæo exhibetur, *de cedendis Epiſcopatibus, Abbatiis, Templis, bonisq́; Eccleſiaſticis intra plusquam ſeptuaginta annos variis jurium titulis à Proteſtantibus occupatis*, Viennæ ſexto Martii die conſignatum, publicavit, neminem excipiens vel ex iis, qui præteritis motibus Cæſaris partes tenuerant; ſimulque per omnes Imperii Circulos deſtinavit *Commisſarios*, qui rem effectui darent, ac Miſſificos in antiquas poſſeſſiones reducerent; fruſtra renitentibus Evangelicis, cum Wallenſteinius, Tillius ac alii Ligiſticæ militiæ Duces armis omnia obtinerent, *oſtentata vi*, ubi imperata abnuebantur. Hiſtor. Gothan. Eccleſ. 800. Turſell. append. 2. hiſt. univerſ. 36. pag.

„ ſiæ Splendor, dedicata Deo templa reſtituantur, exulantia ſacra re-
„ ponantur, fidei orthodoxæ myſteria penè jam ſepulta revocentur,
„ debitus religionis cultus per Imperii & regnorum tuorum pomæ-
„ ria, ubi is interciderat, reſuſcitetur; Satores zizaniorum, ſeu ſedu-
„ ctores vanitatis, procul pellantur: Doctores veritatis & vera Mun-
„ di lumina religioſorum virorum cœtus, quorum precibus Numen
„ placari offenſum, exemplisque ad virtutem componi alii poſſint,
„ introducantur: Et in ſumma ut univerſum Imperium, regnaque
„ tuis faſcibus ſubjecta ſint labii unius, corporis unius, Eccleſiæ
„ Sanctæ, Catholicæ, Apoſtolicæ unius ovilis unius, grex unus; ſub
„ uno Principe paſtorum CHRISTO ejusq. Vicario Pontifice Ro-
„ mano. Ceſſiſſe feliciter, ac cedere Tibi noſtros plusquam Her-
„ culeos labores, perennis hominum & faſtorum memoria immor-
„ talitati conſecrabit, ſuſpiciens in tua trophæophora pompâ pedi-
„ bus tuis calcatos pſeudEvangelii buccinatores antesignanos hæ-
„ reſium tyrannos animorum, impietatis duces; bellorum faces Re-
„ gesque ſuperbos, interque hos novitium illum paucorum quidem
„ dierum, ſed magnis Proteſtantium & Calvini ſtigmatis toto Orbe
„ Candidatorum factionibus ferocientem, totamque penè Europam
„ in funus Catholicorum trahentem, æternum ridendum, an plo-
„ randum? Ex Dorſch. ſingular. Angelic. diſſertat. 5. pag. 353. ſeqq.

Quanta parrheſiâ *Edmundus Richerius*, Doctor Sorbonicus Pariſienſis, adverſus Morellem & complices, *autoritatem Conciliorum ſupra Pontifices Romanos*, aſſeruerit? ſupra lib. 1. cap LXXIV. dictum eſt, & lib 2. cap. 5. ſed mutare linguam & calamum, ſi non animum, ante finem vitæ, hoc ipſo exeunte anno, Richelii autoritate adactus eſt, ergo-doctis in iſta re Lojolitis. Hæc enim factio multum in aula pollens, & Armandus Richelius, Cardinalis ac pro-Rex, potentia ſua toti Galliæ tremendus, optimum virum, capularem ſenem, ex gravi morbo tum decumbentem, ac morti proximum, truculentis minis adeò perculerunt, ut *palinodia ſcripto decantata*, providere ſibi coactus ſit, ne poſt animæ ſolutionem cadaver inſepultum, inhonoratam memoriâ jaceret. Joh. Crocius in vindiciis Antibecani, tom. 1. 642. confer 1653.

Eodem tempore, extortum ab ipſa *Sorbona*, cujus Cardinalis Richelius *Proviſor* erat, publicum *decretum*, ut poſthac renovaretur *mos antiquus & laudabilis*, ſcilicet! *quo nullus non Baccalaureus, in Theo-*

logiæ actibus reſpondens, juraret in decreta ſummorum pontificum Romanorum. Sed à viris fide dignis relatum, ingemuiſſe omnes bonos illarum partium, deque tyrannico decreto, per nefarias artes à venerabilis Collegii hominibus expreſſo, multa in ſinu comploraſſe; & hoc diſtichon vulgò apud omnes jactatum fuiſſe, quod, quis eſſet Bonorum de illa factione communis ſenſus, ſatis docebat:

> Litterula una facit Richelitas, ex Richeritis;
> Sic modò ſunt κόλακες, qui fuerant κόρακες. Crocius loc. cit 643.

In *Japonia* nondum deferbuit *Chriſtianorum perſecutio*, ſed ſub novo Gubernatore Nangeſaquenenſi Onimendonne vehementius demum exarſit, qui varia inauditæ crudelitatis dedit ſpecimina, à Varenio magnam partem prolixius recenſita, in libello de Relig. in regn. Japon. pag. 190. ſeqq. breviter autem & ſummatim ea exhibuit Heidegg. in hiſt. Papan. p. m. 374. Id ne omittamus, cùm haud pauci Chriſtianorum, ſenio licet confecti, mulieres gravidæ, imò infantes teneri, omnia tormentorum genera fortiter perferrent, ac mortem læti Deumque laudantes oppeterent, *diabolico invento* proviſum à Japonenſi Monarcha, ut vitæ hominum parceretur, tormentaque tam diu per intervalla continuarentur, donec Apoſtaſia ſequeretur; & hoc potiſſimum modo Japonenſem Eccleſiam everſam eſſe ac deſolatam, ex autore Gallicano referunt Eruditi Lipſienſes in actis anni 1690. pag. 246. Menſ. Maj.

Tametſi *Ferdinandus Rex olim Caſtellæ & Legionis*, ejus nominis *tertius*, anno ſupra milleſimum ducenteſimum quinquageſimo ſecundo defunctus, privata jam olim veneratione, apud Hiſpalenſes præcipuè, cultus, & *ſancti* cognomine diſcretus ab aliis Caſtellæ Regibus fuiſſe perhibeatur; certè hoc demum anno pro Canoniſatione ejus, quam vocant, proceſſus indicti ſunt ab Urbano VIII. permiſſumque ut *Imago* ejus cum diademate ac radiis ſculperetur; Ipſum verò *Canoniſationis* negotium lente promotum, diu protractum. Act. Erud. Lipſ. an. 1685. KKK. 3. pag. 433. confer. an. 1671. ubi pl.

Fatis conceſſit *Elibertus Rosvveidius*, ſcriptor Pontificius, ex incepto prægrandi opere de *omnium ſanctorum Actis*, variis annotationibus illuſtratis, notus, de quo vid. lib. 1. cap XLVII. opus autem continuavit *Johannes Bollandus*, in Societatem laboris adſcito *Godofredo Henſchenio*, ut conſtat ex Act. Erud. Lipſ. an. 1683. pag. 7. & ſeq.

Mor-

Mortalitatis quoque legem implevit *Ludovica Marilliana*, Monialis Poſſiacenſis in Gallia, vulgarium ſui ordinis numerum, ſcientia rerum ſacrarum atque doctrinâ haud parum excedens; quod ex paraphraſi, quam in Pſalmos pœnitentiales edidit, pateſcere Hofmannus refert in Lex. Univerſ. A. 941.

LIB. III. CAP. LXVI.

Summaria.

Edicti de reſtituendis Bonis Eccleſiaſticis, & Belli tricennalis cauſa, à continuatore hiſt. Turſel. Calvinianis potiſſimum imputata.

Johannes Cluentius à Firlejo defenſus.

Mors Johannis Buxtorfii, ſenioris.

Atque Petri Bertii, ex Arminiano pontificii.

CAlvinianos, non minimam dediſſe *cauſam* ſevero Cæſaris adverſus Proteſtantes *Edicto de reſtituendis B. E.* ut & ferali *bello tricennali* per Germaniam, Continuator Epitomes hiſtoriarum Turſellini (jurene an injuria, noſtrum non eſt declarare) pag. 30. & ſeq. indicat his verbis: „ Quoniam repetitio B. E. longè funeſtiſſimi per „ Germaniam belli initium fuit, id paulo altius repetendum eſt. „ Superiore ſeculo poſtquam Martinus Lutherus ab Eccleſiæ Catho„licæ gremio receſſiſſet, traductis aliquot in ſuas partes Principi„bus, mox Eccleſiæ bona & opulentiſſima ſacerdotia pro ſpolio „ fuere; Malum initio modicum, ut ferè omnia, continuò ad ju„ſti belli molem evaluit. Neque Carolo Cæſari, tot ditionum Do„mino, otium erat uni Imperio intendere; igitur pax armis quæ„ſita: Et, poſtquam belli pertæſum, Paſſavii conſtituta, ac trien„nio poſt Auguſtæ legibus firmata eſt an. 1555. Hæc celebris illa „ & decantata per Germaniam pax Religionis. In quam tamen præ„ter Auguſtanæ Confeſſionis profeſſores, nulli aliorum ſectariorum „ admiſſi ſunt; cautumque, ne quid deinceps bonis Eccleſiæ (puta „ Romanæ) adimeretur: Et, ſi quis ex ordine Eccleſiaſtico, Præla„tus aut alius quicunque, religionem Catholicam deſereret, is con„tinuò, ſine nominis & famæ injuria, facultatibus, beneficiis ac „ proventibus ſacris cederet, Eccleſiæ data facultate, aut quibus id „ jure competit, alium antiquæ religionis Catholicæ, in locum de„cedentis ſufficiendi. Interea CALVINIANI ſub ſpecie Auguſta„næ Confeſſionis, paulatim irrepere, ampla ad ſe ſacerdotia; & „ opulentiſſimos proventus trahere, Auguſtanis, ut culpæ ac pe-

„ ricu-

„ riculorum ſocios haberent, pinguis prædæ dulcedine, idem ſva-
„ dere, hortari, & ne autores deeſſent, præire exemplo. Nil reli-
„ quum erat pulſis Catholicis, niſi jus ac leges; ſed vanum præſi-
„ dium! Nam Spirenſe dicaſterium, & aulam Imperatoriam, quæ
„ duo, ſumma ſunt in Imperio judicia, variis primùm appellationi-
„ bus, reviſionibusque adverſarii fruſtrabantur; demum dedignati,
„ novum in Imperio Judicium fieri poſtulabant, quod controver-
„ ſias religionis finiret; at neque hujus rei facilis exitus, multo mi-
„ nus comitia, aut amica colloquia malo novo medebantur. Igitur
„ projecta ſpe longioris pacis, res iterum ad arma ſpectare videba-
„ tur. Inde (1609.) initium novorum fœderum, quod Catholici
„ Ligam Catholicam, Proteſtantes ſeu Correſpondentes Principes
„ Unionem Evangelicam appellabant. Catholici fœderis exercitus,
„ Maximiliano Bavariæ duci permiſſus; Unionem Comites Palatini
„ rexère. Sed hæc, cæſo ad Pragam Palatino, brevi extincta eſt;
„ Illa in Boëmico, Mansfeldico, & Danico bello, egregiam Cæſari
„ operam adverſus hoſtes tulit; quibus jam per omnem Germaniam
„ oppreſſis, maturum videbatur Catholicis ea repetere, quæ poſt
„ Transactionem Paſſavienſem, atque adeò contra pacem Religio-
„ nis Eccleſiæ adempta eſſent, &c. Hæc allegatus autor; quocum conferre libeat ipſum Imperatoris Edictum, eò inter alia tendens: Ut pax religionis, præter Pontificios, ac primævos A. C. cultores neminem alium complectatur, cujuscunque religionis aut ſectæ fuerit &c. For. Uberſchl. über der Evang. Augapfel/ pag. 158

In *Polonia* non minus, ac in Germania, tum Lutheri, tum Calvini dogmata ſequentes, hinc inde à Papicolis malè habiti, & nominetenus inter hos præcipuè *Johannes Cluentius*, Paſtor Bonczenſis; quem verò *Johannes Firlejus*, Baro de Dambroviza, de injuria conqueſtus apud Epiſcopum Chelmenſem, acriter defendit, filius ejusdem nominis Firlei, quondam palatini Cracovienſis & Regni Poloniæ Mareſchalli, de gente Calviniana meritiſſimi. Hofm. Lex Univerſ. A. 644.

Emortualem habuit hunc annum, *Johannes Buxtorfius*, ſenior, Hammonia-Weſtphalus, ex familia inter ſuos illuſtri, qui cùm Baſileæ ſtudiorum causâ degeret, ob eximiam in Hebraica literatura peritiam ſanctæ hujus linguæ tum vacanti cathedræ admotus, ſpem de ſe conceptam tam magnificè implevit, ut brevi Rabbinorum Magiſter, meritò audiret. Præter Epitomen Grammaticam, &

Ma-

Manuale, ſcripſit Lexicon Hebraico-Chaldaicum, Theſaurum, Grammaticam Chaldaico-Syriacam, Synagogam Judaicam, Abbreviaturas; cum Bibliis Rabbinicis Epiſtolas Hebræas edidit; præfuit operi Biblico, cui Tyberiadem adjunxit; Effecit Concordantias, & Lexicon Chaldaico-Rabbinico-Thalmudicum, &c. reliquit Babyloniam, ineditam; obiit anno 1629. æt. 65. ex Margaretha Curionia, fœmina nobiliſſima, pater ejusdem nominis filii; de quibus in ambiguo manet, uter excellenti linguarum orientalium notitia ſit alteri præferendus, pater filio, an hic patri? Hofm. Lex. part. 1. 328. & Memoria ſeu orat. fun. Schikard. 30. pag.

Vivere deſiit quoque *Petrus Bertius*, de quo lib. III. op. cap. IX. olim. Arminiano-Calvinianus in fœderato Belgio, deinceps in Gallia factus pontificius; Quo inter alia motus argumento, quantum quidem ad primarium Chriſtianæ religionis articulum de juſtificatione, Papicolarum ſententiam de juſtitia inhærente, ſeu infuſa & habituali, amplexus ſit, legi meretur in Hodophia D. Conradi Dannhaueri, edit. 2. pag. 914. ſeq. ſcripſit contra Piſcatorem Herbornenſem in articulo de prædeſtinatione, & alia (neſcio quæ) Theologica. Poſt inter Cosmagraphos numeratus, tabulas Geographicas edidit contractas, auctiores etiam ac emendatiores, cum Germanicarum rerum tribus libris; deinde Breviarium orbis terrarum; Tandem Geographiam Ptolomæi emendatius, Græcè ac latinè, in lucem publicam promovere geſtiit, verùm, ut puto, morte, præventus, publicationem operis alteri præſtandam reliquit. Hofm. Lexic. Univerſ. A. 279. B. 135. pag.

LIB. III. CAP. LXVII.

Summaria.

Johannis Warneri viſiones.

Benigna Kœningia Ecſtatica.

Chriſtianæ Ponitovskiæ, & Margarethæ Contbuſianæ Revelationes.

Puer Suevus ſeptem annorum, olim Ecſtaticus, & pœnitentiæ præco.

VIſionum *γνησίως Divinarum*, quas inter ſingularia Spiritus S. dona Jöel Propheta Domini, & ex eo Apoſtolus Petrus poſuit, maxima ſemper in Eccleſia dignitas, veneratio ſumma, eximiaque utilitas fuit. Quorum enim pectora unquam cœleſti lumine colluſtrata, peculiares, ſive de ſalutaris fidei ratione, ſive futurarum re-

rum eventibus revelationes perceperunt, iidem, communi reliquorum hominum ſorte exempti, quodammodo in ipſum numinis commercium venerunt, merito hoc majori cultu digni habiti, quo Cœleſtis ſocietas, hominum converſatione, Divinæque voluntatis cognitio, gregariâ præſtantior eſt. Quemadmodum autem *Viſiones* ejusmodi ſumma ſemper in piorum cœtu excelluerunt autoritate, ac uberrimum fidei attulerunt fructum; ita vix unquam ſub utroque Teſtamento, defuerunt illarum jactatores falſi; quin plerique novas & ſingulares opiniones de religione aliisve rebus, in Scriptura S. non modò non fundatas, ſed iisdem etiam è diametro contrarias, orbi obtrudere geſtientes, in viſionibus inexpugnabile præſidium quæſiverunt. Noſtro ſanè ſeculo, annis non diu præteritis, ac his ipſis temporibus fanatici extitere, qui vel vanam ſibi gloriam comparare, vel impia ſuperſtitioſaque diſſeminare dogmata, vel ad plauſum populi & lucri cauſa de futuro mundanarum rerum, Imperiorum, regnorum, familiarum &c. ſtatu, quædam prædicere auſi, cœleſtibus illuminationibus, Angelorum converſationibus, imò ipſius DEI Colloquiis, iterum iterumque ſe de omnibus edoctos, ut imprudentioribus perſvadeant, operam dederunt ſedulam. Horum è numero non minimus fuit *JOHANNES WARNER* (alias etiam dictus Werner) Pokendorfa-Miſnicus, anno 1629. & ſequentibus, plusquàm propheticas jactans viſiones, ſplendidasque revelationes de futuris in Imperio R. eventibus, à DEO & ejus Angelis ipſi factas, totique Chriſtianitati annunciandas; Unde magnam nominis celebritatem acquiſivit, multos decepit, plures dubios & ancipites reddidit. Confer Schmidii programma in Heptade diſſertationum Dorſchei hiſtorico-theologicarum, orationi ſextæ præfixum, pag. 484. & ſeqq. Ipſas etiam Warneri Viſiones literis publicatas, pag. 1, 4. ſeqq.

Sub idem tempus Stetini Pomeraniæ, in Gynæceo Ducis Bogeslai XIV. vixit puella quædam, nomine *Benigna Köningia*, quæ miro correpta morbo, paroxyſmos præternaturales paſſa eſt, per quos primum lingua ei ligata, concuſſum deinde caput, pectus denique commotum tantâ vehementia, ut ſpectatores ad commiſerationem flecterentur omnes; finitis tamen paroxyſmis Benigna ſurgere de lecto, & obambulare, imò ſervitia præſtare potuit, parum de perceptis doloribus conqueſta. Duodecim hebdomadibus, non equidem continuè ſed per intervalla iſthoc malo exercita, paulo poſt

unius

unius menſis ſpatio novies facta eſt *Ecſtatica*, ubi ſingulis vicibus, cùm aliquandiu velut mortua decubuiſſet, præmiſſis tandem altis ſuſpiriis, clara & pathetica voce per bihorium aut trihorium talia protulit (univerſim ad pietatem compoſita) quæ audientes in maximam rapuerunt admirationem; ipſa verò ad priſtinum ſtatum reducta, ſermones magno numero à ſe prolatos ignorare fatebatur, atque nil amplius reminiſci, quàm quod opinione ſua in loco admodum fortunato & accepto fuerit, cumque DEO optimo maximo liberè collocuta. De puella hac varia hominum fuere judicia, partim habentium eam pro Enthuſiaſtica, partim pro Melancholica, partim pro Somnioſa, partim etiam pro Dæmoniaca; ſed omnes D. Jacobus Fabricius, Theologus Pomeranus, judicio ſuo, typis publicato, confutavit, quo admirandum Benignæ affectum pro Ecſtaſi declaravit, atque pia ejus dicta, pro ſoliloquiis veri, ſed anxii, cordis Chriſtiani, victoriam contra graviſſimas tentationes obtinentis, per fidem ex verbo DEI, & in verbum, &c. Videantur ipſi Sermones Köningiani, cum præfatione.

Tum etiam circumferebantur conſignationes cœleſtium, quas vocabant, revelationum, variarumque viſionum *Chriſtinæ Ponitovskiæ* ex Bohemia, de Eccleſiæ Chriſtianæ iſtorum temporum ſtatu, futuraque ejus liberatione, ac hoſtium extirpatione. Item, vaticinia quædam, lamentationes & locutiones ad ſeriam hominum pœnitentiam collineantes, Margarethæ Cottbuſic-Heidewetterinæ. Utramque ad latus Benignæ Pomeranæ ponit *Micrælius* lib. 3. Syntagm. hiſt. Eccleſ. pag. 665. ed. 3. ſcribens: „Quodnam judicium de tribus „illis puellis pientiſſimis, Bohemica Chriſtina, Pomerana Benigna, „& Cottbuſiana Margaretha ferendum ſit, cogita: quæ morbis pro„digioſis correptæ, ea protulerunt, quæ de ſuo nunquam protu„liſſent. Verùm, quod pace optimi viri dixerimus, ex diligenti conſideratione revelationum, ac vaticiniorum, Boëmicæ & Cotbuſianæ, facilimum eſt conjicere, illis monſtri quid ſubfuiſſe, Warnerianum & Chiliaſticum ſpiritum non obſcurè ſapientibus; cujus in ſermonibus Pomeranæ ſimplicibus nulla extant indicia. Vide Göttliches Wunder-Buch/ de hiſce tribus, lit. C. D. ſeqq. I ult. K 2. L. 3. N. & ſeq.

Exemplum non adeò diſſimile, quod contigit an. 1531. recitat Wolfius tom. 2. Memorab. 395. „In Sueviæ pago, inquiens, quem „lingua patriâ Chriſtanzhoven vocant, non procul ab Yſna oppido „ſito, *ſeptem annorum puer* ſæpius in Ecſtaſin lapſus eſt, qui poſt mul-

„ ta corporis tormenta, pectoris concuſſiones ac ſudores, ad ſe re-
„ diens, magno omnium concurſu ac admiratione, ſibi cœlitus re-
„ velata recitavit. Profitebatur autem ſe juſſu Divino eò impelli, ut
„ jam puer, poſthabitis omnibus vitæ periculis DEI veritatem nun-
„ ciaret populo, qui hactenus ſeniorum per Verbum ſalutis admo-
„ nitiones reſpuiſſet. Locutus eſt igitur populo non publicè, ſed
„ in privatis ædibus non pueriliter, ſed magna cum gravitate multa
„ de DEO, ejus opificio, juſtitia, gratia, & longanimitate; Item de
„ Jeſu Chriſto, cujus paſſionem ſuo ordine à Cœna Dominica uſ-
„ que ad finem recitare potuit; vocavit circumſtantes lectum, (in
„ quo cubabat) ad pœnitentiam, cùm extremi judicii diem præ fo-
„ ribus eſſe, diceret. Illud ipſum enim ſe habere ex trium radiorum
„ ſtella, quam ſe vidiſſe referebat, inter quos radiorum primus qui
„ rubei coloris fuiſſet, ſignificaret bellum & cruentam hominum
„ ſtragem; Secundus, qui albi coloris, ingentem hominum peſtem,
„ quam vix tertius evadere poſſet; Tertius flavi coloris, cujus tamen
„ ſignificationem revelare noluit. Mirum in modum in ſacrificu-
„ los invectus eſt, ut, qui Chriſtum crucifixum, ac ſemel pro pecca-
„ tis mortalium oblatum, in Miſſa iterum offerrent & quatuor tan-
„ tum obolis venderent. Cùm deteſtatus fuiſſet omnium Idolorum
„ cultum, ſuperbiam, faſtum, uſuram, ſcortationem, adulterium,
„ ebrietatem, ac alia flagitia, quibus in ſanctam Dei legem peccatur;
„ ad amorem proximi humanitatem, beneficentiam, manſuetudi-
„ nem, ſibi adſtantes adhortari cœpit. Inter cætera tamen letale,
„ etiam VENENUM evomuit, dum referret multa contra S. S. Tri-
„ nitatem, & Chriſti Salvatoris meritum, de Interceſſione Virginis
„ Mariæ, de tenebris inter infernum, ac piorum habitacula, ac alia
„ multa: Quibus per puerum innocentiſſimum, SUB VERITATIS
„ prætextu, execrandus Satan, quò imponeret ſimplicioribus, le-
„ thale virus effudit. Hæc Wolfius.

LIB. III. CAP. LXVIII.

Summaria.

Exercitium Propheticum à Synodo Leydenſi approbatum.

Agitata quæſtio: An Evangelici, ſui. in territoriis B. E. poſſidentes, ſint malæ fidei poſſeſſores?

Theologorum Darmſtadienſium neceſſaria Deductio, de Calvinianorum & Lutheranorum diſſenſu publicata.

Cornelii Borgeſii Tractatus de Regeneratione Baptiſmali, in Giſberti Voetii cenſuram incidit.

Juris-

Juriſconſultorum Dillingenſium Compoſitio Pacis.
Foreri Urſchlag / uber der Sächſiſchen Prædicanten Aug-
apffel.
Petri Poſnanienſis Deciſiones ſpeculativæ & practicæ.

SYnodus Leydenſis *Exercitium Propheticum* quale in veteri Eccle-ſia fuit, jam olim in Cœtibus Belgicis uſitatum, denuò approba-vit & confirmavit; quo de ita conſtitutum legitur in Harmonia Con-feſſionum: „ In omnibus Eccleſiis, ſive naſcentibus, ſive vegetis, „ Prophetiæ ordo ex Pauli inſtituto obſervetur. Ad hocce Collegium „ cooptentur non modò miniſtri, ſed etiam Doctores, ac è Seniori- „ & Diaconis, quin ex ipſa plebe, ſi qui ſint, qui donum ſuum à Do- „ mino acceptum in communem Eccleſiæ utilitatem conferre „ velint; ita tamen ut prius Miniſtrorum atque aliorum probentur „ judicio. In Collegio hoc, ad ædificationem omnium liber aliquis „ Scripturarum rato ordine explicetur: ubi autem is, cujus erunt „ partes, expleverit ſuas vices, licebit iis, qui ſubſelliis eum inſe- „ quuntur, ſiquidem viſum erit, adjicere, quod ad ædificationem „ pertineat; ac tum demum concepta oratione, ab eo, cujus erunt, „ partes cœtus claudatur. refert Joh. Hornbek in ſum. Controverſ. lib. 6. de Enthuſiaſt. & Libertin. 553. ſeq.

An Evangelici, Bona Eccleſiaſtica in ſuis territoriis poſſidentes, ſint poſſeſſores malæ fidei? fuit quæſtio diu vexata, quæ verò hoc potiſſi-mum tempore totam Germaniam fatigavit, atque turbavit. Evan-gelicos tales eſſe, Monachi & Lojolitæ quibus etiam hoc in gurgi-te pendebat hamus, ad ravim usque vociferabantur, ideoque bonis iſtis deſtituendos clamando, non ſine Tragicis Chriſtiani orbis mo-tibus, eorum reſtitutionem urgebant. Atqui hic à Monachis inde-bita fuiſſe quæſita pabula multis equidem: & ſi nullo effectu, pro-barunt Lutheri Sectatores; ex ipſa nempe Theſauri ſacri Etymolo-gia, ex primitivæ Eccleſiæ praxi Apoſtolica, ex æquitatis regula, ex adverſariorum denique pro impudentis aucupii jure Ratiocinatio-ne invalida. Vide Chriſtian. religioſ. Melchioris Eckhardi pag. 157. & Burgoldenſ Not. Rer. Imp B. 76. ſeqq. edit. in 4.

Prodiit an. 1629. in lucem publicam *Haſſiacorum Theologorum* Darmſtatinæ partis, *Neceſſaria Deductio, qua Calvinianorum & Luthera-norum diſſenſum in multis Cardinalibus articulis, tam dilucidè, quàm ſolidè demonſtrarunt*; annotantibus id Wittenbergæ Saxonicis, in ihrem gründlichen Beweiß contra Novatores R... enſes, pag. 188. An verò

nominatus Haſſiacorum liber, ſit idem ille, quem Dnn. Wittenbergenſes in appendice ſui tractatus, pag. 554. allegant, ſub nomine gründlicher Widerlegung deß Caſſeliſchen Calviniſchen Buchs/ ac pro illo maximas Deo deberi gratias palàm profitentur, nobis non conſtat. Confer Calov. Syſt. I. 224. & an. 1636.

Cornelius Borgeſius, eodem anno edidit Oxoniæ in Anglia tractatum, *de Baptiſmali regeneratione Electorum Infantium*, quo propius ad Lutheranorum ſententiam accedere viſus eſt; Sed mox ei ſe oppoſuit *Gisbertus Voëtius*, Theologus Batavus, repetens communem Calvinianorum ſententiam, de efficacia Baptiſmi, non in producenda regeneratione, ſed in obſignanda jam productâ; ita, ut omnis ac tota ejus efficacia, exhibitio, & collatio fiat per modum ſigni & ſigilli. Fundam. demonſtr. Theologor. Wittenb. Calvinianos in fundam. errare, contra Rintel. Syncretiſt. pag. 956.

Dillingæ autem vulgatum eſt ſcriptum, ſub hoc titulo: *Pacis compoſitio, inter Principes & Ordines Imperii Romani Catholicos, atque Auguſtanæ Confeſſioni adhærentes, & in Comitiis Auguſtæ anno 1555. edita, quam Jureconſulti quidam Catholici, ex publicis Comitiorum actis atque decretis adverſus complurium Acatholicorum Scriptorum commenta, quæſtionibus illuſtrarunt.* Cujus autores vel unicum, vel certè præcipuum hunc ſibi ſcopum videntur habere præfixum, ut demonſtrent: Beneficio pacificationis Paſſavienſis, Eccleſias Lutheranas non amplius gaudere, ſed eâdem excidiſſe; vel certè pacificationem illam (Auguſtæ confirmatam) ita coarctent atque reſtringant, ut oppidò paucis ejus potiundæ ac fruendæ copia detur. Revera igitur hoc agunt, ut, ſublato Pacificationis iſtius Palladio, facultates & corpora omnium Proteſtantium extremo periculo objiciantur, ac pœnæ in hæreticos jure Pontificio atque Cæſareo conſtitutæ, iisdem irrogentur. Verba ſunt Gerh. in Conf. Cath. part. 3. dedic. a. lit. confer Bekii Luth. ante Luth. pag. 248.

Acceſſit in eundem finem *Foreri*, Lojolitæ Dillingenſis notiſſimi & Academiæ Cancellarii, Uberſchlag über den Starenſichtigen (ut verba Inſcriptionis habent) und von denen Sächſiſchen Prædicanten übel geheilten Augapffel/ deren/ die ſich Evangeliſch nennen/ &c. Ubi, quæ nuper pro Pupilla Eccleſiarum orthodoxarum in Imperio Rom. i. e. pro Auguſtana Confeſſione, & ejus Profeſſoribus, contra criminationes ac mendacia Pontificiorum, Saxonici Theologi in medium protulerant, exſibilanda, enervanda, proſternenda & conculcanda viru-

virulentiſſimo præſumpſit animo; ſed ita viciſſim exceptus eſt, ut gloriandi materiam invenerit planè nullam, nec voti ſe compotem factum jactare potuerit. Vid. Sup. lib. 3. cap. LXI. & ipſius adverſarii tractat. per tot.

Sed & Venetiis, apud Jacobum Sarcinam, typis excuſæ ſunt *Theologiæ ſpeculativæ & practicæ deciſiones ex mente Scoti, contra Thomiſtas*; quarum autor pater Petrus Poſnanienſis, Ordinis Minorum, regularis obſervantiæ, provinciæ Poloniæ pater, & S. Theologiæ Lector, &c. Specimen, quomodo inter ſe conveniant, diſſentiantve Pontificii, egregium. Joh. Botſac. in Contradict. Pontif. Eccleſ. Prolegom. 2. pag. 40. §. 17.

LIB. III. CAP. LXIX.

Summaria.

Tranſactio inter Elect. Brandenb. & Principem Neoburg. de ditionibus Cliviæ, Juliaci &c.
Naſſovia Sarwerdana Lotharingiæ ſuccumbens.
Pax inter Imperatorem ac Daniæ Regem.
Auxilium Cæſareum Polonis minus commodum.
Induciæ Sueco-Polonicæ.
Sylva Ducis ab Auraico occupata, ut & Veſalia.
Belli Mantuani occaſio & initia.
Poloni Tartarorum Victores.
Bethlem Gabor Tranſſylvaniæ Princeps; Et Perſarum Rex Abas, vivis exempti.

EO tempore *Düſſeldorpii*, inter Adamum Schwarzenburgium Electoris *Brandenburgici* nomine, ac Wolfgangum Wilhelmum *Neoburgico-Palatinum* Principem, *tranſactio* facta, & anno ſequente, in annos 25. Hagæ Comitum ſtabilita fuit, ita quidem, ut Brandenburgico Cliviæ Ducatus, cum Comitatibus Marcæ ac Ravensbergi parte; Palatino autem Principatus Juliacenſis & Bergenſis, cederent, cum dominiis Ravenſtein & Breskeſant: Ravenſpergi pars altera in communione jurisdictionis ac redituum relinqueretur. Sed hoc pacto ita definiri ſingula non potuere, quin repetitis ſubinde tranſactionibus fuerit opus. Orb. Pol. Horn. cum notis Menkenii, pag. 225. Burgold Not. rer. Imper. A. 522.

In Controverſia *Comitis Naſſovienſis, & Lotharingiæ Ducis*, de *Sarwerda*, in Camera Imperiali lata ſententia, qua non tantum Sarwerda, ſed etiam Bokenhaim ac Wiebersweiler, tanquam feuda Ma-

Maſculina Metenſia, unà cum fructibus, à die litis inchoatæ perceptis, Lotharingio adjudicabantur. Hic itaque ſine mora in eorum poſſeſſionem involavit, occupavitque totum Comitatum, & nullo diſcrimine uſus, feuda Imperialia, ac Trevirenſia, cum Metenſibus permiſcuit. Confer Notit. Procer. Imhof. pag. 1020. & Not. Rer. Imper. Burgold. A. 502. pl.

Lubecca, inter *Cæſarem*, *Daniæque Regem* de pace per Legatos longis & acerrimis contentionibus diſceptatum, quum illi plusquam victores, hi minus quàm pro victis ſe agnoſcerent. Rex ad repetenda ſpectabat arma, & jam inſtructa claſſe Holſatiæ oram invaſerat; Bello igitur expreſſa *pax* in eas conditiones convenit, quas utraque pars experimento novæ fortunæ meritò antepôneret. *Summa Conventionis* erat, ut captivis utrinque dimiſſis, Danus Imperio, Imperator Holſatia Daniaque decederet. Epit. Rerum Germ. Pap. 89. ſeq. Cluver. hiſtor. pag. 809.

In Boruſſia, *bellum Sueco-Polonicum* continuatum adhuc, variante fortuna, faventiore tamen erga Suecos, quàm erga Polonos; inde factum, ut Sigismundus Rex *auxilium* expeteret *à Cæſare*, qui miſit equidem Arnhemium validis inſtructum copiis, verùm ad ſummam rei parum conferentem, ex odio inter ſe ac æmulatione Nationum; Cùm Germani ne ingratis vincerent, Poloni ne inviſis beneficium deberent, vanam feciſſent & latam & acceptam opem. Hinc anno declinante, dimiſſis Germanis, res ad *Inducias* in ſexennium devenit. Boxhorn. Chronol. 156. Epitom R. G. pag. 91.

In Belgio, amoto Spinola, & claſſe Hiſpanica, quæ vectigale ex Indiis aurum advehebat, ab Hollandis intercepta, Res Hiſpanorum decrevere. *Henricus Wilhelmus, Orangii Princeps*, multo majore quàm antehac inſtructus exercitu, appetitam toties fruſtra *Sylvam-Ducis* (Hertzogenbuſch) quarto poſtquam obſederat menſe, ad deditionem coëgit, occupavitque aſtu *Veſaliam*, ubi ſuas opes totiusque belli ſubſidia depoſuerant hoſtes. Turſell. cont. app. 2. 35. Cluver. 810. pag.

In Italia *bellum* exardet *Mantuanum*, cujus occaſio & hiſtoria talis: *Vincentius* Mantuæ ac Montisferrati Dux ſine hæredibus vitâ decedens, *Carolum Nivernium*, Principem Gallicarum partium & proximum agnatum nominaverat ſucceſſorem. Nivernius ex titulo vacuarum ditionum poſſeſſionem adiit, accepto à ſubditis juramento, moxque dimiſſo ad Imperatorem Arch:-Epiſcopo Mantuano,

no, jus fiduciarum Imperialis feudi petere inſtituit. Cæſar indignatus, ipſo inconſulto provincias occupatas, bellum Nivernio denunciavit. Primi Hiſpani vindicare Cæſaris, quam vocabant, injuriam, promotisque copiis Gonſalvus Corduba, Mediolanenſis Gubernator, munitiſſimam Urbem *Caſalinm* obſedit: Nec defuit occaſioni Carolus Emanuel, Sabaudiæ Dux, multa oppida in Monteferrato abripiens, ut cui de ea provincia vetus controverſia. His hoſtibus impar Nivernius, implorato Venetorum, & Galliæ Regis auxilio, ſumma ope viribusque bellum parat. Ludovicus, Galliæ Rex, Rupella per difficilem oppugnationem edomitâ, victorem exercitum per Alpes in Italiam effundit; Seguſione (*Suſa*) urbe ſub-Alpina primo impetu ſubacta, Sabaudiæ Ducem ad pacis conditiones compellit, Caſalumque obſidione liberat. Interim Cæſar luſtratum apud Lindaviam viginti millium exercitum, Colalto, Altringerio, & Galaſſio Ducibus, in Italiam immittit, qui occupatâ Cuſiâ, & perruptis Alpium faucibus, magno metu agrum Mantuanum implent. Horn. orb. pol. 267. Turſell. append. 1. 32. pag.

Magna tunc *Poloni adverſus Tartaros victoriâ* potiebantur. Barbarorum enim iſtorum ſexaginta millia, Tartarorum Principis fratre Galga, Murzaque Cantimerio Ducibus, Ruſſiam ingreſſa, per Stephanum Chmielecium Coſaggorum Ductorem, & Stanislaum Lubomiercium Ruſſiæ Palatinum, Sigismundus III. Rex aliquot cladibus afflixit, prædâ omni ablata. Perpaucis ex ea multitudine in Tartariam revertere licuit; Ac eſt qui ſcribit, ſeparari à Turcis, aut everti potuiſſe Tartaros, ſi parta victoria uti ſciviſſent victores. Turſell. cont. l. c. pag. 35. Act. Erudit. Lipſ. ad 1684. menſ. Mart. 116.

Hic idem annus *Bethlen Gaborium*, Principem Tranſſylvanum, humanis rebus exemit. Is multis bellis adverſus Imperatorem Ferdinandum II. exercitus, dixiſſe ad extremum fertur: Difficile ac dubiæ aleæ plenum opus eſſe, pugnare contra Ferdinandum, quem nec adverſa dejicerent, nec proſpera extollerent. Moriturus, Imperatoris filium Ferdinandum III. inſigni Legato proſequutus eſt, vim Auſtriacæ illatam familiæ compenſaturus, ut nec pro hoſte, nec pro amico defleretur. Hofmann. Lex. A. 281. Epit. R. Germ. 100. pag.

Vivendi finem fecit & *Schach Abas*, Perſarum Rex, Princeps prudentiâ, humanitate, juſtitia, & rerum geſtarum magnitudine

logiæ actibus reſpondens, juraret in decreta ſummorum pontificum Romanorum. Sed à viris fide dignis relatum, ingemuiſſe omnes bonos illarum partium, deque tyrannico decreto, per nefarias artes à venerabilis Collegii hominibus expreſſo, multa in ſinu comploraſſe; & hoc diſtichon vulgò apud omnes jactatum fuiſſe, quod, quis eſſet Bonorum de illa factione communis ſenſus, ſatis docebat:

Litterula una facit Richelitas, ex Richeritis;
Sic modò ſunt κόλακες, qui fuerant κόρακες. Crocius loc. cit 643.

In *Japonia* nondum deferbuit *Chriſtianorum perſecutio*, ſed ſub novo Gubernatore Nangeſaquenenſi Onimendonne vehementius demum exarſit, qui varia inauditæ crudelitatis dedit ſpecimina, à Varenio magnam partem prolixius recenſita, in libello de Relig. in regn. Japon. pag. 190. ſeqq. breviter autem & ſummatim ea exhibuit Heidegg. in hiſt. Papan. p. m. 374. Id ne omittamus, cùm haud pauci Chriſtianorum, ſenio licet confecti, mulieres gravidæ, imò infantes teneri, omnia tormentorum genera fortiter perferrent, ac mortem læti Deumque laudantes oppeterent, *diabolico invento* proviſum à Japonenſi Monarcha, ut vitæ hominum parceretur, tormentaque tam diu per intervalla continuarentur, donec Apoſtaſia ſequeretur; & hoc potiſſimum modo Japonenſem Eccleſiam everſam eſſe ac deſolatam, ex autore Gallicano referunt Eruditi Lipſienſes in actis anni 1690. pag. 246. Menſ. Maj.

Tametſi *Ferdinandus Rex olim Caſtellæ & Legionis*, ejus nominis *tertius*, anno ſupra milleſimum ducenteſimum quinquageſimo ſecundo defunctus, privata jam olim veneratione, apud Hiſpalenſes præcipuè, cultus, & *ſancti* cognomine diſcretus ab aliis Caſtellæ Regibus fuiſſe perhibeatur; certè hoc demum anno pro Canoniſatione ejus, quam vocant, proceſſus indicti ſunt ab Urbano VIII. permiſſumque ut *Imago* ejus cum diademate ac radiis ſculperetur; Ipſum verò *Canoniſationis* negotium lente promotum, diu protractum. Act. Erud. Lipſ. an. 1685. KKK. 3. pag. 433. confer. an. 1671. ubi pl.

Fatis conceſſit *Elibertus Roſvveidius*, ſcriptor Pontificius, ex incepto prægrandi opere de *omnium ſanctorum Actis*, variis annotationibus illuſtratis, notus, de quo vid. lib. 1. cap XLVII. opus autem continuavit *Johannes Bollandus*, in Societatem laboris adſcito *Godofredo Henſchenio*, ut conſtat ex Act. Erud. Lipſ. an. 1683. pag. 7. & ſeq.

Mor-

Mortalitatis quoque legem implevit *Ludovica Marilliana*, Monialis Poſſiacenſis in Gallia, vulgarium ſui ordinis numerum, ſcientia rerum ſacrarum atque doctrinâ haud parum excedens; quod ex paraphraſi. quam in Pſalmos pœnitentiales edidit, pateſcere Hofmannus refert in Lex. Univerſ. A. 941.

LIB. III. CAP. LXVI.

Summaria.

Edicti de reſtituendis Bonis Eccleſiaſticis, & Belli tricennalis cauſa, à continuatore hiſt. Turſel. Calvinianis potiſſimum imputata.

Johannes Cluentius à Firlejo defenſus.

Mors Johannis Buxtorffii, ſenioris.

Atque Petri Bertii, ex Arminiano pontificii.

CAlvinianos, non minimam dediſſe *cauſam* ſevero Cæſaris adverſus Proteſtantes *Edicto de reſtituendis B. E.* ut & ferali *bello tricennali* per Germaniam, Continuator Epitomes hiſtoriarum Turſellini (jurene an injuria, noſtrum non eſt declarare) pag. 30. & ſeq. indicat his verbis: „ Quoniam repetitio B. E. longè funeſtiſſimi per „ Germaniam belli initium fuit, id paulo altius repetendum eſt. „ Superiore ſeculo poſtquam Martinus Lutherus ab Eccleſiæ Catho- „ licæ gremio receſſiſſet, traductis aliquot in ſuas partes Principi- „ bus, mox Eccleſiæ bona & opulentiſſima ſacerdotia pro ſpolio „ fuere; Malum initio modicum, ut ferè omnia, continuò ad ju- „ ſti belli molem evaluit. Neque Carolo Cæſari, tot ditionum Do- „ mino, otium erat uni Imperio intendere; igitur pax armis quæ- „ ſita: Et, poſtquam belli pertæſum, Paſſavii conſtituta, ac trien- „ nio poſt Auguſtæ legibus firmata eſt an. 1555. Hæc celebris illa „ & decantata per Germaniam pax Religionis. In quam tamen præ- „ ter Auguſtanæ Confeſſionis profeſſores, nulli aliorum ſectariorum „ admiſſi ſunt; cautumque, ne quid deinceps bonis Eccleſiæ (puta „ Romanæ) adimeretur: Et, ſi quis ex ordine Eccleſiaſtico, Præla- „ tus aut alius quicunque, religionem Catholicam defereret, is con- „ tinuò, ſine nominis & famæ injuria, facultatibus, beneficiis ac „ proventibus ſacris cederet, Eccleſiæ data facultate, aut quibus id „ jure competit, alium antiquæ religionis Catholicæ, in locum de- „ cedentis ſufficiendi. Interea CALVINIANI ſub ſpecie Auguſta- „ næ Confeſſionis, paulatim irrepere, ampla ad ſe ſacerdotia; & „ opulentiſſimos proventus trahere, Auguſtanis, ut culpæ ac pe-

„ nicu-

„ riculorum ſocios haberent, pinguis prædæ dulcedine, idem ſva-
„ dere, hortari, & ne autores deeſſent, præire exemplo. Nil reli-
„ quum erat pulſis Catholicis, niſi jus ac leges; ſed vanum præſi-
„ dium! Nam Spirenſe dicaſterium, & aulam Imperatoriam, quæ
„ duo, ſumma ſunt in Imperio judicia, variis primùm appellationi-
„ bus, reviſionibusque adverſarii fruſtrabantur; demum dedignati,
„ novum in Imperio Judicium fieri poſtulabant, quod controver-
„ ſias religionis finiret; at neque hujus rei facilis exitus, multo mi-
„ nus comitia, aut amica colloquia malo novo medebantur. Igitur
„ projecta ſpe longioris pacis, res iterum ad arma ſpectare videba-
„ tur. Inde (1609.) initium novorum fœderum, quod Catholici
„ Ligam Catholicam, Proteſtantes ſeu Correſpondentes Principes
„ Unionem Evangelicam appellabant. Catholici fœderis exercitus,
„ Maximiliano Bavariæ duci permiſſus; Unionem Comites Palatini
„ rexère. Sed hæc, cæſo ad Pragam Palatino, brevi extincta eſt;
„ Illa in Boëmico, Mansfeldico, & Danico bello, egregiam Cæſari
„ operam adverſus hoſtes tulit; quibus jam per omnem Germaniam
„ oppreſſis, maturum videbatur Catholicis ea repetere, quæ poſt
„ Transactionem Paſſavienſem, atque adeò contra pacem Religio-
„ nis Eccleſiæ adempta eſſent, &c. Hæc allegatus autor; quocum conferre libeat ipſum Imperatoris Edictum, eò inter alia tendens: Ut pax religionis, præter Pontificios, ac primævos A. C. cultores neminem alium complectatur, cujuscunque religionis aut ſectæ fuerit &c. For. Uberſchl. über der Evang. Augapfel/ pag. 158

In *Polonia* non minus, ac in Germania, tum Lutheri, tum Calvini dogmata ſequentes, hinc inde à Papicolis malè habiti, & nominetenus inter hos præcipuè *Johannes Cluentius*, Paſtor Bonczenſis; quem verò *Johannes Firlejus*, Baro de Dambroviza, de injuria conqueſtus apud Epiſcopum Chelmenſem, acriter defendit, filius ejusdem nominis Firlei, quondam palatini Cracovienſis & Regni Poloniæ Mareſchalli, de gente Calviniana meritiſſimi. Hofm. Lex Univerſ. A. 644.

Emortualem habuit hunc annum, *Johannes Buxtorfius*, ſenior, Hammonia-Weſtphalus, ex familia inter ſuos illuſtri, qui cùm Baſileæ ſtudiorum causà degeret, ob eximiam in Hebraica literarura peritiam ſanctæ hujus linguæ tum vacanti cathedræ admotus, ſpem de ſe conceptam tam magnificè implevit, ut brevi Rabbinorum Magiſter, meritò audiret. Præter Epitomen Grammaticam, &

Ma-

Manuale, ſcripſit Lexicon Hebraico-Chaldaicum, Theſaurum, Grammaticam Chaldaico-Syriacam, Synagogam Judaicam, Abbreviaturas; cum Bibliis Rabbinicis Epiſtolas Hebræas edidit; præfuit operi Biblico, cui Tyberiadem adjunxit; Effecit Concordantias, & Lexicon Chaldaico-Rabbinico-Thalmudicum, &c. reliquit Babyloniam, ineditam; obiit anno 1629. æt. 65. ex Margaretha Curionia, fœmina nobiliſſima, pater ejusdem nominis filij; de quibus in ambiguo manet, uter excellenti linguarum orientalium notitia ſit alteri præferendus, pater filio, an hic patri? Hofm. Lex. part. 1. 328. & Memoria ſeu orat. fun. Schikard. 30. pag.

Vivere deſiit quoque *Petrus Bertius*, de quo lib. III. op. cap. IX. olim. Arminiano-Calvinianus in fœderato Belgio, deinceps in Gallia factus pontificius; Quo inter alia motus argumento, quantum quidem ad primarium Chriſtianæ religionis articulum de juſtificatione, Papicolarum ſententiam de juſtitia inhærente, ſeu infuſa & habituali, amplexus ſit, legi meretur in Hodophia D. Conradi Dannhaueri, edit. 2. pag. 914. ſeq. ſcripſit contra Piſcatorem Herbornenſem in articulo de prædeſtinatione, & alia (neſcio quæ) Theologica. Pòſt inter Coſmagraphos numeratus, tabulas Geographicas edidit contractas, auctiores etiam ac emendatiores, cum Germanicarum rerum tribus libris; deinde Breviarium orbis terrarum; Tandem Geographiam Ptolomæi emendatius, Græcè ac latinè, in lucem publicam promovere geſtiit, verùm, ut puto, morte, præventus, publicationem operis alteri præſtandam reliquit. Hofm. Lexic. Univerſ. A. 279. B. 135. pag.

LIB. III. CAP. LXVII.

Summaria.

Johannis Warneri viſiones.

Benigna Kœningia Ecſtatica.

Chriſtianæ Ponitovskiæ, & Margarethæ Cottbuſianæ Revelationes.

Puer Suevus ſeptem annorum, olim Ecſtaticus, & pœnitentiæ præco.

V*Iſionum* γνησίως *Divinarum*, quas inter ſingularia Spiritus S. dona Jöel Propheta Domini, & ex eo Apoſtolus Petrus poſuit, maxima ſemper in Eccleſia dignitas, veneratio ſumma, eximiaque utilitas fuit. Quorum enim pectora unquam cœleſti lumine colluſtrata, peculiares, ſive de ſalutaris fidei ratione, ſive futurarum re-

rum eventibus revelationes perceperunt, iidem, communi reliquorum hominum ſorte exempti, quodammodo in ipſum numinis commercium venerunt, merito hoc majori cultu digni habiti, quo Cœleſtis ſocietas, hominum converſatione, Divinæque voluntatis cognitio, gregariâ præſtantior eſt. Quemadmodum autem *Viſiones* ejusmodi ſumma ſemper in piorum cœtu excelluerunt autoritate, ac uberrimum fidei attulerunt fructum; ita vix unquam ſub utroque Teſtamento, defuerunt illarum jactatores falſi; quin plerique novas & ſingulares opiniones de religione aliisve rebus, in Scriptura S. non modò non fundatas, ſed iisdem etiam è diametro contrarias, orbi obtrudere geſtientes, in viſionibus inexpugnabile præſidium quæſiverunt. Noſtro ſanè ſeculo, annis non diu præteritis, ac his ipſis temporibus fanatici extitere, qui vel vanam ſibi gloriam comparare, vel impia ſuperſtitioſaque diſſeminare dogmata, vel ad plauſum populi & lucri cauſa de futuro mundanarum rerum, Imperiorum, regnorum, familiarum &c. ſtatu, quædam prædicere auſi, cœleſtibus illuminationibus, Angelorum converſationibus, imò ipſius DEI Colloquiis, iterum iterumque ſe de omnibus edoctos, ut imprudentioribus perſvadeant, operam dederunt ſedulam. Horum è numero non minimus fuit *JOHANNES WARNER* (alias etiam dictus Werner) Pokendorfa-Miſnicus, anno 1629. & ſequentibus, plusquàm propheticas jactans viſiones, ſplendidasque revelationes de futuris in Imperio R. eventibus, à DEO & ejus Angelis ipſi factas, totique Chriſtianitati annunciandas; Unde magnam nominis celebritatem acquiſivit, multos decepit, plures dubios & ancipites reddidit. Confer Schmidii programma in Heptade diſſertationum Dorſchei hiſtorico-theologicarum, orationi ſextæ præfixum, pag. 484. & ſeqq. Ipſas etiam Warneri Viſiones literis publicatas, pag. 1. 4. ſeqq.

Sub idem tempus Stetini Pomeraniæ, in Gynæceo Ducis Bogeslai XIV. vixit puella quædam, nomine *Benigna Köningia*, quæ miro correpta morbo, paroxyſmos præternaturales paſſa eſt, per quos primum lingua ei ligata, concuſſum deinde caput, pectus denique commotum tantâ vehementia, ut ſpectatores ad commiſerationem flecterentur omnes; finitis tamen paroxyſmis Benigna ſurgere de lecto, & obambulare, imò ſervitia præſtare potuit, parum de perceptis doloribus conqueſta. Duodecim hebdomadibus, non equidem continuè ſed per intervalla iſthoc malo exercita, paulo poſt

unius menſis ſpatio novies facta eſt *Ecſtatica*, ubi ſingulis vicibus, cùm aliquandiu velut mortua decubuiſſet, præmiſſis tandem altis ſuſpiriis, clara & pathetica voce per bihorium aut trihorium talia protulit (univerſim ad pietatem compoſita) quæ audientes in maximam rapuerunt admirationem; ipſa verò ad priſtinum ſtatum reducta, ſermones magno numero à ſe prolatos ignorare fatebatur, atque nil amplius reminiſci, quàm quod opinione ſua in loco admodum fortunato & accepto fuerit, cumque DEO optimo maximo liberè collocuta. De puella hac, varia hominum fuere judicia, partim habentium eam pro Enthuſiaſtica, partim pro Melancholica, partim pro Somnioſa, partim etiam pro Dæmoniaca; ſed omnes D. Jacobus Fabricius, Theologus Pomeranus, judicio ſuo, typis publicato, confutavit, quo admirandum Benignæ affectum pro Ecſtaſi declaravit, atque pia ejus dicta, pro ſoliloquiis veri, ſed anxii, cordis Chriſtiani, victoriam contra graviſſimas tentationes obtinentis, per fidem ex verbo DEI, & in verbum, &c. Videantur ipſi Sermones Köningiani, cum præfatione.

Tum etiam circumferebantur conſignationes cœleſtium, quas vocabant, revelationum, variarumque viſionum *Chriſtinæ Ponitovskiæ* ex Bohemia, de Eccleſiæ Chriſtianæ iſtorum temporum ſtatu, futuraque ejus liberatione, ac hoſtium extirpatione. Item, vaticinia quædam, lamentationes & locutiones ad ſeriam hominum pœnitentiam collineantes, Margarethæ Cottbuſic-Heidewetterinæ. Utramque ad latus Benignæ Pomeranæ ponit *Micrælius* lib. 3. Syntagm. hiſt. Eccleſ. pag. 665. ed. 3. ſcribens: „Quodnam judicium de tribus „illis puellis pientiſſimis, Bohemica Chriſtina, Pomerana Benigna, „& Cottbuſiana Margaretha ferendum ſit, cogita: quæ morbis pro„digioſis correptæ, ea protulerunt, quæ de ſuo nunquam protu„liſſent. Verùm, quod pace optimi viri dixerimus, ex diligenti conſideratione revelationum, ac vaticiniorum, Boëmicæ & Cotbuſianæ, facilimum eſt conjicere, illis monſtri quid ſubfuiſſe, Warnerianum & Chiliaſticum ſpiritum non obſcurè ſapientibus; cujus in ſermonibus Pomeranæ ſimplicibus nulla extant indicia. Vide Göttliches Wunder-Buch/ de hisce tribus, lit. C. D. ſeqq. I ult. K 2. L. 3. N. & ſeq.

Exemplum non adeò diſſimile, quod contigit an. 1532. recitat Wolfius tom. 2. Memorab. 395. „In Sueviæ pago, inquiens, quem „lingua patriâ Chriſtanzhoven vocant, non procul ab Yſna oppido „ſito, *ſeptem annorum puer* ſæpius in Ecſtaſin lapſus eſt, qui poſt mul-

„ ta corporis tormenta, pectoris concuſſiones ac ſudores, ad ſe re-
„ diens, magno omnium concurſu ac admiratione, ſibi cœlitus re-
„ velata recitavit. Profitebatur autem ſe juſſu Divino eò impelli, ut
„ jam puer, poſthabitis omnibus vitæ periculis. DEI veritatem nun-
„ ciaret populo, qui hactenus ſeniorum per Verbum ſalutis admo-
„ nitiones reſpuiſſet. Locutus eſt igitur populo non publicè, ſed
„ in privatis ædibus non pueriliter, ſed magna cum gravitate multa
„ de DEO, ejus opificio, juſtitia, gratia, & longanimitate; Item de
„ Jeſu Chriſto, cujus paſſionem ſuo ordine, à Cœna Dominica uſ-
„ que ad finem recitare potuit; vocavit circumſtantes lectum, (in
„ quo cubabat) ad pœnitentiam, cùm, extremi judicii diem præ fo-
„ ribus eſſe, diceret. Illud ipſum enim ſe habere ex trium radiorum
„ ſtella, quam ſe vidiſſe referebat, inter quos radiorum primus qui
„ rubei coloris fuiſſet, ſignificaret bellum & cruentam hominum
„ ſtragem; Secundus, qui albi coloris, ingentem hominum peſtem,
„ quam vix tertius evadere poſſet; Tertius flavi coloris, cujus tamen
„ ſignificationem revelare noluit. Mirum in modum in ſacrificu-
„ los invectus eſt, ut, qui Chriſtum crucifixum, ac ſemel pro pecca-
„ tis mortalium oblatum, in Miſſa iterum offerrent & quatuor tan-
„ tum obolis venderent. Cùm deteſtatus fuiſſet omnium Idolorum
„ cultum, ſuperbiam, faſtum, uſuram, ſcortationem, adulterium,
„ ebrietatem, ac alia flagitia, quibus in ſanctam Dei legem peccatur;
„ ad amorem proximi humanitatem, beneficentiam, manſuetudi-
„ nem, ſibi adſtantes adhortari cœpit. Inter cætera tamen letale,
„ etiam VENENUM evomuit, dum referret multa contra S. S. Tri-
„ nitatem, & Chriſti Salvatoris meritum, de Interceſſione Virginis
„ Mariæ, de tenebris inter infernum, ac piorum habitacula, ac alia
„ multa: Quibus per puerum innocentiſſimum, SUB VERITATIS
„ prætextu, execrandus Satan, quò imponeret ſimplicioribus, le-
„ thale virus effudit. Hæc Wolfius.

LIB. III. CAP. LXVIII.

Summaria.

Exercitium Propheticum à Synodo Leydenſi approbatum.

Agitata quæſtio: An Evangelici, ſuis in territoriis B. E. poſſidentes, ſint malæ fidei poſſeſſores?

Theologorum Darmſtadienſium neceſſaria Deductio, de Calvinianorum & Lutheranorum diſſenſu publicata.

Cornelii Borgeſii Tractatus de Regeneratione Baptiſmali, in Gisberti Voetii cenſuram incidit.

Juris-

Juriſconſultorum Dillingenſium Compoſitio Pacis.
Foreri U. erſchlag / uber der Sachſichen Pradicanten Augapffel.
Petri Pöſnanienſis Deciſiones ſpeculativæ & practicæ.

SYnodus Leydenſis *Exercitium Propheticum* quale in veteri Eccleſia fuit, jam olim in Cœtibus Belgicis uſitatum, denuò approbavit & confirmavit; quo de ita conſtitutum legitur in Harmonia Confeſſionum: „ In omnibus Eccleſiis, ſive naſcentibus, ſive vegetis, „ Prophetiæ ordo ex Pauli inſtituto obſervetur. Ad hocce Collegium „ cooptentur non modò miniſtri, ſed etiam Doctores, ac è Seniori- „ & Diaconis, quin ex ipſa plebe, ſi qui ſint, qui donum ſuum à Do- „ mino acceptum in communem Eccleſiæ utilitatem conferre „ veſint; ita tamen ut prius Miniſtrorum atque aliorum probentur „ judicio. In Collegio hoc, ad ædificationem omnium liber aliquis „ Scripturarum rato ordine explicetur: ubi autem is, cujus erunt „ partes, expleverit ſuas vices, licebit iis, qui ſubſelliis eum inſe- „ quuntur, ſiquidem viſum erit, adjicere, quod ad ædificationem „ pertineat: ac tum demum concepta oratione, ab eo, cujus erunt, „ partes coetus claudatur. refert Joh. Hornbek. in ſum. Controverſ. lib. 6. de Enthuſiaſt. & Libertin. 553. ſeq.

An Evangelici, Bona Eccleſiaſtica in ſuis territoriis poſſidentes, ſint poſſeſſores malæ fidei? fuit quæſtio diu vexata, quæ verò hoc potiſſimum tempore totam Germaniam fatigavit, atque turbavit. Evangelicos tales eſſe, Monachi & Lojolitæ quibus etiam hoc in gurgite pendebat hamus, ad ravim usque vociferabantur, ideoque bonis iſtis deſtituendos clamando, non ſine Tragicis Chriſtiani orbis motibus, eorum reſtitutionem urgebant. Atqui hic à Monachis indebita fuiſſe quæſita pabula multis equidem: & ſi nullo effectu, probarunt Lutheri Sectatores, ex ipſa nempe Theſauri ſacri Etymologia, ex primitivæ Eccleſiæ praxi Apoſtolica, ex æquitatis regula, ex adverſariorum denique pro impudentis aucupii jure Ratiocinatione invalida. Vide Chriſtian. relig. oſ. Melchioris Eckhardi pag. 157. & Burgoldenſ Not. Rer. Imp. B. 76. ſeqq. edit. in 4.

Prodiit an. 1619. in lucem publicam *Haſſiacorum Theologorum*, Darmſtatinæ partis, *Neceſſaria Deductio, qua Calvinianorum & Lutheranorum diſſenſum in multis Cardinalibus articulis, tam dilucidè, quàm ſolidè demonſtrarunt;* annotantibus id Wittenberga-Saxonicis, in ihrem grundlichen Beweiß contra Novatores Rinteenſes, pag. 188. An verò

nominatus Haſſiacorum liber, ſit idem ille, quem Dnn. Wittenbergenſes in appendice ſui tractatus, pag. 554. allegant, ſub nomine gründlicher Widerlegung deß Caſſeliſchen Calviniſchen Buchs/ ac pro illo maximas Deo deberi gratias palàm profitentur, nobis non conſtat. Confer Calov. Syſt. l. 224. & an. 1636.

Cornelius Borgeſius, eodem anno edidit Oxoniæ in Anglia tractatum, *de Baptiſmali regeneratione Electorum Infantium*, quo propius ad Lutheranorum ſententiam accedere viſus eſt; Sed mox ei ſe oppoſuit *Gisbertus Voëtius*, Theologus Batavus, repetens communem Calvinianorum ſententiam, de efficacia Baptiſmi, non in producenda regeneratione, ſed in obſignanda jam productâ; ita, ut omnis ac tota ejus efficacia, exhibitio, & collatio fiat per modum ſigni & ſigilli. Fundam. demonſtr. Theologor. Wittenb. Calvinianos in fundam. errare, contra Rintel. Syncretiſt. pag. 956.

Dillingæ autem vulgatum eſt ſcriptum, ſub hoc titulo: *Pacis compoſitio, inter Principes & Ordines Imperii Romani Catholicos, atque Auguſtanæ Confeſſioni adhærentes, & in Comitiis Auguſtæ anno 1555. edita, quam Jureconſulti quidam Catholici, ex publicis Comitiorum actis atque decretis adverſus complurium Acatholicorum Scriptorum commenta, quæſtionibus illuſtrarunt.* Cujus autores vel unicum, vel certè præcipuum hunc ſibi ſcopum videntur habere præfixum, ut demonſtrent: Beneficio pacificationis Paſſavienſis, Eccleſias Lutheranas non amplius gaudere, ſed eâdem excidiſſe; vel certè pacificationem illam (Auguſtæ confirmatam) ita coarctent atque reſtringant, ut oppidò paucis ejus potiundæ ac fruendæ copia detur. Revera igitur hoc agunt, ut, ſublato Pacificationis iſtius Palladio, facultates & corpora omnium Proteſtantium extremo periculo objiciantur, ac pœnæ in hæreticos jure Pontificio atque Cæſareo conſtitutæ, iisdem irrogentur. Verba ſunt Gerh. in Conf. Cath. part. 3. dedic. a. lit. confer Bekii Luth. ante Luth. pag. 248.

Acceſſit in eundem finem *Foreri*, Lojolitæ Dillingenſis notiſſimi & Academiæ Cancellarii, Uberſchlag über den Starenſichtigen (ut verba Inſcriptionis habent) und von denen Sächſiſchen Prædicanten übel geheilten Augapffel/ deren/ die ſich Evangeliſch nennen/ &c. Ubi, quæ nuper pro Pupilla Eccleſiarum orthodoxarum in Imperio Rom. i. e. pro Auguſtana Confeſſione, & ejus Profeſſoribus, contra criminationes ac mendacia Pontificiorum, Saxonici Theologi in medium protulerant, exſibilanda, enervanda, proſternenda & conculcanda viru-

virulentiſſimo præſumpſit animo; ſed ita viciſſim exceptus eſt, ut gloriandi materiam invenerit planè nullam, nec voti ſe compotem factum jactare potuerit. Vid. Sup. lib. 3. cap. LXI. & ipſius adverſarii tractat. per tot.

Sed & Venetiis, apud Jacobum Sarcinam, typis excuſæ ſunt *Theologiæ ſpeculativæ & practicæ deciſiones ex mente Scoti, contra Thomiſtas*; quarum autor pater Petrus Poſnanienſis, Ordinis Minorum, regularis obſervantiæ, provinciæ Poloniæ pater, & S. Theologiæ Lector, &c. Specimen, quomodo inter ſe conveniant, diſſentiantve Pontificii, egregium. Joh. Botſac. in Contradict. Pontif. Eccleſ. Prolegom. 2. pag. 40. §. 17.

LIB. III. CAP. LXIX.

Summaria.

Tranſactio inter Elect. Brandenb. & Principem Neoburg. de ditionibus Cliviæ, Juliaci &c.
Naſſovia Sarwerdana Lotharingiæ ſuccumbens.
Pax inter Imperatorem ac Daniæ Regem.
Auxilium Cæſareum Polonis minus commodum.
Induciæ Sueco-Polonicæ.
Sylva Ducis ab Auraico occupata, ut & Veſalia.
Belli Mantuani occaſio & initia.
Poloni Tartarorum Victores.
Bethlem Gabor Tranſſylvaniæ Princeps; Et Perſarum Rex Abas, vivis exempti.

EO tempore *Düſſeldorpii*, inter Adamum Schwarzenburgium Electoris *Brandenburgici* nomine, ac Wolfgangum Wilhelmum *Neoburgico-Palatinum* Principem, *tranſactio* facta, & anno ſequente, in annos 25. Hagæ Comitum ſtabilita fuit, ita quidem, ut Brandenburgico Cliviæ Ducatus, cum Comitatibus Marcæ ac Ravensbergi parte; Palatino autem Principatus Juliacenſis & Bergenſis, cederent, cum dominiis Ravenſtein & Breskeſant: Ravenſpergi pars altera in communione juriſdictionis ac redituum relinqueretur. Sed hoc pacto ita definiri ſingula non potuere, quin repetitis ſubinde tranſactionibus fuerit opus. Orb. Pol. Horn. cum notis Menkenii, pag. 225. Burgold Not. rer. Imper. A. 522.

In Controverſia *Comitis Naſſovienſis*, & *Lotharingiæ Ducis*, de *Sarwerda*, in Camera Imperiali lata ſententia, qua non tantum Sarwerda, ſed etiam Bokenhaim ac Wiebersweiler, tanquam feuda Ma-

no, jus fiduciarum Imperialis feudi petere inſtituit. Cæſar indignatus, ipſo inconſulto provincias occupatas, bellum Nivernio denunciavit. Primi Hiſpani vindicare Cæſaris, quam vocabant, injuriam, promotisque copiis Gonſalvus Corduba, Mediolanenſis Gubernator, munitiſſimam Urbem *Caſalium* obſedit: Nec defuit occaſioni Carolus Emanuel, Sabaudiæ Dux, multa oppida in Monteferrato abripiens, ut cui de ea provincia vetus controverſia. His hoſtibus impar Nivernius, implorato Venetorum, & Galliæ Regis auxilio, ſumma ope viribusque bellum parat. Ludovicus, Galliæ Rex, Rupella per difficilem oppugnationem edomitâ, victorem exercitum per Alpes in Italiam effundit; Seguſione (*Suſa*) urbe ſubAlpina primo impetu ſubacta, Sabaudiæ Ducem ad pacis conditiones compellit, Caſalumque obſidione liberat. Interim Cæſar luſtratum apud Lindaviam viginti millium exercitum, Colalto, Altringerio, & Galaſſio Ducibus, in Italiam immittit, qui occupatâ Curiâ, & perruptis Alpium faucibus, magno metu agrum Mantuanum implent. Horn. orb. pol. 267. Turſell. append. 1. 32. pag.

Magna tunc *Poloni adverſus Tartaros victoriâ* potiebantur. Barbarorum enim iſtorum ſexaginta millia, Tartarorum Principis fratre Galga, Murzaque Cantimerio Ducibus, Ruſſiam ingreſſa, per Stephanum Chmielecium Coſaggorum Ductorem, & Stanislaum Lubomiercium Ruſſiæ Palatinum, Sigismundus III. Rex aliquot cladibus afflixit, prædâ omni ablata. Perpaucis ex ea multitudine in Tartariam revertere licuit; Ac eſt qui ſcribit, ſeparari à Turcis, aut everti potuiſſe Tartaros, ſi parta victoria uti ſciviſſent victores. Turſell, cont. l. c, pag. 35. Act. Erudit. Lipſ. ad 1684. menſ. Mart. 116.

Hic idem annus *Bethlen Gaborium*, Principem Transſylvanum, humanis rebus exemit. Is multis bellis adverſus Imperatorem Ferdinandum II. exercitus, dixiſſe ad extremum fertur: Difficile at dubiæ aleæ plenum opus eſſe, pugnare contra Ferdinandum, quem nec adverſa dejicerent, nec proſpera extollerent. Moriturus, Imperatoris filium Ferdinandum III. inſigni Legato proſequutus eſt, vim Auſtriacæ illatam familiæ compenſaturus, ut nec pro hoſte, nec pro amico defleretur. Hofmann. Lex. A. 281. Epit. R. Germ. 100. pag.

Vivendi finem fecit & *Schach Abas*, Perſarum Rex, Princeps prudentiâ, humanitate, juſtitia, & rerum geſtarum magnitudine

 per-

perinclytus, & Chriſtianorum fautor eximius. Cum eo Rudolphus II. Rom. Imperator ſub initium ſeculi hujus contra Turcas fœdus pepigit, infelice propemodum uno tantum, quod proprium filium, tanquam affectati regni falsò inſimulatum, interfecit; Nec diu poſtea ſuperſtes fuit, ætate & animi dolore fractus. Orbis pol. Hom. 440. Orb. Imp. 424. pag.

LIB. III. CAP. LXX.

Summaria.

Pudicitia & Salus fœminæ Chriſtianæ, à Nangaſaquenſibus perſecutoribus in diſcrimen adducta, inauditum.

Partus maximè monſtroſus: Admiranda fulminis.

Friderici Henrici Palat. ſubmerſio tragica: quidam à ſpectris necari.

Terræ motus: Bethlemius Gabor Priſciani contemptor.

Johannes Maginus, Mathematicus, denatus: Rolæ è Salice.

HOrrendum! Nangaſaquæ in Japonia, fuit honeſta tenellaque *matrona*, vidua & *Chriſtiana*, Belgicis negotiatoribus probè nota. Hæc *unicum* enixa erat *filium*, eo tempore octodecim circiter annorum, quem judices (perſecutores Chriſticolarum) adigere conati ſunt, ut in ipſorum præſentia cum matre *inceſtum* committeret. Qua infanda & abominanda ſævitia tam mater, quàm filius, vehementiſſimè exterriti ſunt; nullis tamen minis atque cruciatuum propoſitis formis ad tale quid patrandum impelli potuere. Judices, niſi id facerent, non in Chriſtianorum, ſed apoſtatarum numero cenſendos affirmabant. Verùm hujus indecori nominis impatientes mater ac filius, ultrò judicibus offerebant: genus mortis, qualecunque illis liberet, ſe laturos eſſe, ſed non impetrarunt. Judices enim ſuis minis nil promoveri perſpicientes, fœminam illam ad *equum admiſſarium* adductam, manibus pedibusque ſublatam, ut equum admitteret, cogere inſtituebant, filio adſpectante, additisque multis opprobriorum plauſtris &c. Tandem deduci jubebant ad *ſcaturiginem ferventium aquarum*, intolerabilibus ibi exercendam cruciatibus, nec tamen enecandam; Anxia mulier, quum neque vitam cum morte commutare poſſet, nec à tormentis ulla ratione ſe liberare, *fidem Chriſtianam*, eheu, *deſeruit*! referente Varenio lib. de rel. in regn. Japon. 197. ſeq.

Mon-

Monſtroſum! Laurentius Pignorius anno 1629. narravit, in collibus Patavio proximis ruſtici cujusdam uxorem *fœminas gemellas* enixam, quarum altera ſupra umbilicum tota *felem* exhibens, alteri humana prorſus ſpecie decoræ, inſederit. Hæc ſacro excepta fonte, illa verò aquis, judicio Theologorum, ſubmerſa eſt. Ex obſ. Med. Johann. Rhodii, Centur. 3. O. 59. communicavit per literas privatas Theodorus Carolus, Phyſicus Leonbergenſis.

Admirandum! *Nagoldi*, oppido Hercyniæ Würtembergico, *fulmen* cœlo delapſum, puellæ duodecim annorum in dorſo, & reliqua poſteriore corporis parte veſtes cum calceis, in fruſtula diſcidit; illam ipſam proſtravit in terram, & hanc demum feriens tres fecit cavitates circa puellam, ea manente illæſa, niſi quod in cute veſtigiis quædam cærulea relinquerentur. „ Mira ſanè, Pererius inquit, „ ſunt fulminis opera, ut nil dubii relinquant, quin divina inſit il-„ lis, ac ſubtilis potentia. Martia Princeps Romanarum fœmina-„ rum icta fulmine gravida, partu exanimato, ipſa citra ullum aliud „ incommodum, Plinio teſte, vixit. Loculis integris, ac illæſis, vi „ fulminis conflatur argentum; manente vagina, gladius liqueſcit, „ inviolato ligno circa pila, ferrum omne diſtillat; Stat fracto do-„ lio vinum, nec ultra triduum rigor ille durat; malorum ſerpen-„ tium, aliorumque animalium, quibus mortifera vis ineſt, cùm „ fulmine tacta ſunt, venenum omne conſumitur. Schwelin. Chron. 426. Perer. in Dan. 194.

Tragicùm! *Fridericus Henricus*, Friderici *Palatini filius*, cum Parente ad lautam iſtam prædam, à Petro Peterſen Heinio Hiſpanis ereptam, curioſè contemplendam, Harlemum iturus, in trajectu fluminis Teyæ, prope Amſtelodamum, navi qua vehebatur, per impetuoſam ac inopinam alterius navigii plenis velis tum occurrentis illiſionem, ruptâ, *triſti fato* miſerè aquis hauſtus, & ſuffocatus eſt. Adde, Francofurdiæ ad Oderam, *duodecim* utriusque ſexus mortales, obtorto collo *à ſpectris necatos*: In Tuſcia, *terræ motu* pagum univerſum t. t. abſumptum; & conſimili caſu in Apulia (ſi relationi tuta fides) plus ſeptendecim hominum millia interiiſſe; prodigioſasque inundationes, & ſanguineas ebullitiones fontium, ſecuris mortalibus Numinis iram denunciaſſe. Calviſ. Chron. 1001. & ſeq. Cluver. Ep. hiſt. 813.

Jocoſerium: *Gabriel Bethlenius*, Tranſſylvaniæ potentiſſimus Princeps, hoc anno mortuus, aliquando, cùm in conventu magno-

rum virorum latinè loquens, Priſcianum verberaſſet, atque Conſeſſui hoc modo riſum commoviſſet, appoſitè dixit: *Quid curaremus Priſcianum Grammaticum? dum non metuimus Imperatorem;* enarrante Burgoldenſi in notitia rerum Imperii, part. 1. pag. 89.

Naturæ debitum: Id quod inter plures exſolvit hoc tempore *Johannes Antonius Maginus*, Mathematum primarius Lector in Academia Bononienſi; de publico benè meritus etiam in eo, quod *Bonaventuræ Cavallerii*, Mathematici celeberrimi, ſcripta nonnulla, hactenus aut inedita, aut orbi nondum ſatis nota, moriturus amico ſuo Cæſari Marſilio in manus tradidit, & commendavit publicanda, qui hoc modo Profeſſoriam Cathedram obtinuit. Act. Erud. Lipſ. ad 1691. Decembr. 557.

Naturæ inſolitum: Prope Greiffenbergam Pomeraniæ, *Salix* genuinas protulit *roſas* valdè odoras, quas cum admiratione, hominum plurimi conſpexerunt, unam ex iisdem ipſi mittentes Principi tanquam rarum, carum! Nec ante, nec poſt ejusmodi quid hic enatum, unde naturalibus cauſis id, quod hac vice contigit, vix adſcribi poteſt. Zeil. tom. 2. Epiſtol. pag. 285.

LIBER

Liber Quartus, Histor.

Continens Memorabilia ex imperantis FERDINANDI II. periodo poſteriori, nempe ab anno 1630. incluſivè, usque ad 1637. quo FERDIN. III. in thronum evectus eſt.

CAPUT PRIMUM.

Summaria.

Confeſſionis Auguſtanæ, Carolo V. exhibitæ, Memoria ſecularis.
De anno iſto trigeſimo, Johannis Schmidii meditatio.
In Bona Ducatus Wirtembergici Eccleſiaſtica involant Monachi & Moniales gregatim.
Ut hi illis jam olim inhiarint?
Halla Miſniæ, Leopoldo Wilhelmo Auſtriaco tradita.
Hungariæ ſuperioris incolæ Proteſtantes, ab Imperatore libertatem conſcientiæ certo pretio redimunt.
Bohemia in quatuor Epiſcopatus diſtinguitur, ibique Lutherani Judæis deteriores habentur.
Obitus Theodori Thummii, ore, quàm calamo, felicioris.
Et Joſuæ Stegmanni.

APprimè hic annus *Eccleſiæ Lutheranæ* memorabilis eſt, quippe *Secularis & Euchariſticus*, ob ſplendidiſſima Comitia Auguſtæ Vindelicorum anno 1530. celebrata, in quibus die 25. Junii *Confeſſio* Lutheranorum, quæ *Auguſtana* dicitur, CAROLO V. Imperatori in Conſeſſu Statuum totius Imperii exhibita, ac publicè prælecta fuit; quæ doctrina cum hactenus à Deo Opt. Max. mirabiliter contra omnes inferorum portas inter nos ſit conſervata, ſolennes ac triduanas grates, die 25. 26. 27. Jun. divinæ bonitati ac potentiæ, in rei tam ſalutaris memoriam, piæ mentes agere voluerunt, debuerunt. Strat. Theatr. hiſtor. 1129. Joh. Kromaj. in Indic. hiſt. Eccleſ. Monarch. 4. pag. 424.

Perbenè *D. Johan. Schmidius*, Argentoratenſis Theologus, in Memoria ſeculari exhibitionis A. C. anno 1530. factæ, præfat. ad lector. diſſerit: „Si hiſtoriarum, inquiens, monumenta evolverimus,

„mus, deprehendemus *annum Triceſimum* in ſeculis magnarum re-
„rum ſolennitate, eventu, mutatione, ortu, fuiſſe inſignem, &c.
„Plurima poſſent ex Chronologorum & Hiſtoricorum libris adduci,
„quæ in ſeculis ac annorum periodis, Triceſimo aut circiter anno
„contigerunt. Illud verò longè maximum exiſtimat pius & DEO
„amicus quisque, quod ſeculo poſt CHRISTUM natum decimo
„ſexto, ejusque anno trigeſimo, Carolo V. Romanorum Imperatori
„Maximo, Hiſpaniarum & Indiarum Regi potentiſſimo, in Illuſtriſſi-
„ma Regia, Electorali, Principum, Comitum ac Statuum Imperii,
„Coronâ, à Principibus atque Statibus nonnullis (Lutheranis) ejus
„Religionis CONFESSIO exhibita fuit, quæ à DN. JESU, æterna
„veritatis luce orbi tradita primùm, ac deinceps per Apoſtolos inter
„gentes magno ſucceſſu circumlata, poſtquam per aliquot ſecula
„magna cum gloria contra Judaiſmum & Gentiliſmum triumphatrix
„floruiſſet, tandem temporum iniquitate paulatim ſuperſtitionibus
„conſperſa, & Antichriſtianiſmi jugo preſſa fuit: Cumque ope-
„rante Sancto DEI Spiritu emerſiſſet è tenebrarum voragine pul-
„cherrimis radiis, ſub hæreſeos nomine traducta, Romæ bruto ful-
„mine percuſſa, Wormatiæ inclementi edicto notata, ab Archiepi-
„ſcopis & præſulibus plerisque damnata, à Monachis exploſa, to-
„tique orbi imprudenti exoſa reddita fuit. Quæ AUGUSTANA
„CONFESSIO cùm ſonora voce lecta, Orbis Romani ſenatui cœ-
„leſtem veritatem edidiſſet, ſparſa per Eccleſias Mundi fuit, pluri-
„masque in Conſenſum ſaluberrimo fœdere duxit. De ea Comi-
„tia, Conſilia, Colloquia inſtituta; Ob eam atrociſſima bella con-
„citata, quanquam peregrina ſpecie colorata fuere. Hæc eadem
„denique cum univerſa religione, cujus ſumma capita continet, in
„Imperialis throni patrocinium recepta, pacis publicæ beneficio
„ſtabilita, & æterno complexu tot Procerum exornata. Ut igitur
„aliarum rerum, quibus Trigeſimus annus vel ortum, vel mutatio-
„nem attulit, ſolennis eſſe ſolet memoria apud eos, qui illarum vel
„ortu vel mutatione penitius afficiuntur; Ita ii, quibus Auguſtana
„illa Confeſſio ſalutis æternæ conſequendæ formula, & capitum fi-
„dei ſumma eſt, non potuerunt non ſolenni gaudio perfundi, &
„publicarum ſupplicationum, acclamationum, gratulationumque
„decreto proſequi tanti boni adhuc nobis integri & incontaminati
„memoriam. Univerſi Rerum-publicarum Ordines ſuum præſti-
„terunt redhoſtimentum, Eccleſiæ paſſim hilaritatis Chriſtianæ ju-
„bilis,

„ bilis inſonuerunt; Et, qui inter Calamitatum horrida tormenta „ ingemiſcunt, illos refecit ſinceriſſimo gaudio aliorum jubilantium „ fama, & ſuſpiriis fre juentioribus admiſcuit mentis in DEUM „ converſæ læti iam. &c. Hæc D. Johann Schmidius.

Executio Edicti reſtitutorii ratione *bonorum Eccleſiaſticorum* fervet, *in Ducatu* potiſſimum *Wirtembergico*, ubi Cœnobia Monachis, & Monialibus, velut apibus alvearia implentur, inque annexis pagis, loco Miniſtrorum verbi, ac informatorum juventutis, Auguſtanæ Confeſſioni addictorum, Miſſificatores & blaterones Papani continuò intruduntur. „ Dux Wirtembergiæ (verba ſunt ſcriptoris „ pontificii) inter omnes unus erat, à quo plura cæteris repeterentur; „ quippe providerant Majores, ut ea bona adventitia non minora „ eſſent patriis avitisque. His quomodo jam olim inhiarint votarii Romanenſes, teſtatur inter plures *Elias Haſenmullerus* in hiſtoria Jeſuitici ordinis p. m. 127. lit. q. 4. referens: „ Cùm ad Jeſuitas Landſ- „ pergenſes, per Noribergenſem quendam hypocritam ſcriberetur, „ Urſulam Dorotheam, Ludovici pii Conjugem pientiſſimam de- „ functam, & ſpem eſſe, ipſum quoque principem ob nimium do- „ lorem & luctum, quem ex chariſſimæ conjugis morte concepe- „ rit, mox eam ſub ſecuturum; CHRISTOPHORUS ZIEGLE- „ RUS, Stutgardianus, ingratus erga patriam cuculus, dicebat: Si „ hoc fieret, omnia noſtra conſilia, & omnes vires conjungere velle- „ mus, ut iſta ditione Dux Ferdinandus Oenipontanus potiretur. „ Quia autem id ſine gladio ac ſanguine fieri non poſſet, ſvaſor eſ- „ ſem; ut omnes Clerici devotique, omnes Monachi & Canonici, „ & quicunque per vires poſſunt, concurrerent, ac uno impetu „ Wirtembergiam invaderent, reſiſtentes contrucidarent, & ſic il- „ lorum Templa Scholasque noſtri deinceps inhabitarent. Hæc ille. Schwelin. Chron. 431. Epit. R. G. 101. pag.

Pòſt in *Saxonia inferiori* nidulos faciebant Corvi Latialis pulli. *Halla* verò *Miſniæ*, præ cæteris properè in fidem *Leopoldi Wilhelmi Archiducis Auſtriæ*, Imperatoris filii, tradebatur, mox remotis Capitularibus Evangelicis; inter quos non minimus erat Arnoldus Mengering, è ſcrutinio Conſcientiæ, ibi quoad priorem partem cœptæ, & confectæ, orbi Erudito notus. Theat. hiſtor. ſtratem. 1123. D. Menger. ſcrut. dedicat. a. 2. præfat. c. 2.

Hungariæ ſuperioris incolæ purioris fidei, poſt obitum Bethlemii Gaboris, Ferdinando Regi & Imperatori ſe ſubmittunt, pro ſingulis

gulis familiis (neſcio num ſemel pro ſemper, annuatimve) *quaternos florenos* promittentes, ut *libertate Conſcientiarum & ſacrorum*, quietè poſſint perfrui. Calviſ. Chron. continuat. 1604.

Sed *Bohemiæ Regnum*, ſublatis Circulis, in quos olim diſtributum fuerat, in *quatuor Epiſcopatus* abiit; nullo Lutheranis, aliisveà Pontifice Romano diſſentientibus uſpiam relicto loco; *Judæis* in quieta domiciliorum (in ipſa Metropoli) poſſeſſione, ſynagogarum etiam uſurpatione, manentibus. Continuat. Calviſ. citat. loc.

Rebus humanis hoc anno valedixit, ad meliorem vitam promotus *D. Theodorus Thummius*, Profeſſor Theol. in Academ. Tubingenſi, ex Controverſia de Majeſtate Carnis Chriſti in ſtatu Exinanitionis adverſus D. Balthaſarem Menzerum, variis item & ampliſſimis poſitionibus de plerisque articulis fidei controverſis; Sculteto Iconoclaſte; polytropia Calvinianorum; Wigelianorum, & Photinianorum Impietate, notiſſimus. *Diſputator* adeò felix ac diſcertus, ut aliquando inſolentiori cuidam opponenti, de plauſibilitate argumenti ſui non nihil glorianti, diceret, *octodecim* poſſe *modis* ad id, quod propoſitum, reſponderi; reſponditque, in continenti, cum auditorum admiratione, modis octodecim. Præcipuam ejus *cuſtodiæ* ſive occaſionem ſive cauſam, dedit libellus Germanicus: Chriſtlicher wohlgegründeter Bericht auf die Frag: ob ein Evangeliſcher Chriſt/ auf begehren und nöthigen weltlicher Obrigkeit / mit gutem Gewiſſen / zur Päbſtlichen Religion ſich begeben könne! Zur Warnung und Troſt allen Evangeliſchen unter dem Pabſtum / ſonderlich in unter- und ober Oeſterreich/ Böhmen/ Mähren / &c. Primùm anno 1621. typis excuſus ac dein recuſus; maximè ob id, quod ſcripſit nominatus Thummius, pag. 329. „Contra ſextum præceptum inducit Papa inceſtum. „Sanctiſſimus enim Pater inceſtuoſas quandoque nuptias approba„vit, ſeſeque hujusmodi commixtionibus ipſe contaminavit. Papa „Paſchalis Boleslao Polono, Kiovienſium principi, inceſtas cum filia „nuptias permiſit. Papæ approbatione ac diſpenſatione, Rex Hi„ſpaniæ Philippus in uxorem duxit ſororis filiam; ſicut & Carolus „Archidux Auſtriæ, ſororis filiam matrimonio ſibi copulavit, &c. Inde Forerus, Lojolita Dillinganus nexuit ſequelam: Ferdinandum 2. Imperatorem, Regem quoque Hiſpaniarum, Archiducem Leopoldum, cum omni conſanguinitate Auſtriaca, eſſe ſecundum Thummium, ex illicito conjugio, ex infando, & lege divina prohibito inceſtu progenitos; ſeditioſa hinc deduci poſſe Corollaria; nec

nec mirum, ſi lectis hiſce rebellarint ruſtici in Auſtria; ſi juſſa Cæſarea detrectarint, &c. Re igitur ad Imperatorem odioſè delata, Thummium ſevera manebat ſententia, Micræl. h. ſt. Eccl. 3. 549. Forer. in pari fratrum nob. 97. seqq. pag.

Vitæ curſum in his terris abſolvit quoque *Joſua Stegmannus*, Profeſſor Academiæ Rintelenſis ac Superintendens Schauenburgicus; qui Photinianiſmi confutatione, Icone Chriſtognoſiæ, aſſertione veri Chriſtianiſmi, tractatu de Unione fidelium, hyperaſpiſte de uſu terminorum Philoſophicorum in Theologia, & libello precationum, celebritatem nominis acquiſivit. Stratem. hiſt. 1130. Micræl. c. l. 546.

LIB. IV. CAP. II.

Summaria.

Edictum Ferdinandi ſecundi de B. Eccleſiaſticis, effectus inſtigationum Jeſuiticarum.

Laimormanni de culpa iſta gloriatio.

Urbani VIII. de B. E. repetitis ac repetendis, conſtitutio, motui ejus proprio à Laimormanno tributa, invitis Ordinibus Regularium.

Contra Abbatiam S. Maximini, pro Electore Trevirenſi pronunciatur in Camera Spirenſi.

Franciſcus Carolus Lauenburgicus, captus, ad Pontificios deficit.

Cardinales cum approbatione Urbani VIII. audire incipiunt Eminentiſſimi.

Anſelmus Caſimirus Wambold ab Umbſtad, ſedi Moguntinæ præficitur.

Viam ſuam abeunt Melchior Cleſelius; ac Dominicus à JEſu Maria.

Edmundi Richerii Teſtamentum, ſcripta, mors.

Monachorum quorundam, & inprimis Antonii Iscidæ martyrium in Japonia.

De ſevero Imperatoris R. G. *Edicto contra Proteſtantes*, ejusque pari executione, paulo ante, & ſuperius actum. „ Quin autem *Ferdinandus ſecundus*, ait Burgoldenſis, *à Papa & Lojolitis* præcipuè, ad illud edendum, ac ita lapidem offenſionis in Imperio „ponendum, ſit *inſtigatus*, Evangelicis jam ſatis exploratum eſt. Notit. rer. Imp. B. 13 pag. Refert Alphonſus de Vargas, ex *Aſtro inextincto*, quod Confeſſarius Cæſaris, Lojolita, monuerit eundem peculiari libello: „ In literis ejus Romam transmiſſis, *in cauſa bo- „norum Eccleſiaſticorum*, contineri propoſitiones ſcandaloſas, teme- „rarias ac erroneas, cum fidei Catholicæ principiis non ſatis cohæ- „rentes, plurimumque juri & autoritati pontificis detrahentes, ac

„propterea pertinere ad ejus officium, ut *iſtas propoſitiones contra* „*mentem ipſius obreptitiè in literas illas incautè à nonnemine intruſas fuiſſe*, „*ac ipſi diſplicere*, teſtatum faciat; aliter ſi faceret, ac pertinaciter „vellet errorem defendere, graviorem ei cenſuram ab Apoſtolica ſe„de metuendam eſſe! Scilicet pœnam excommunicationis, inter „quam & Regni abrogationem diſcrimen Jeſuitæ neſciunt. Non diſſimulabat hoc ipſum *Laimermannus*, in literis ad N. ſept. 17. anno 1630. perſcriptis, talibus verbis formalibus: „Plus omnibus labo„ravi. Novit Imperator conatus meos, ſolicitudines, crebrasque „ſollicitationes. Novit ME UNUM moviſſe, ac tam diu urſiſſe, „quod evincerem de recuperatione omnium bonorum Eccleſiaſti„corum, poſt transactionem Paſſavienſem ab hæreticis occupatorum. vid. Dannhaw. in Antichriſtoſoph. pag. 395. 404. pl. ubi Theologus Argentinenſis hunc locum obſignat Aug. Ardinghell. judicio: „DEUS tot bonorum ſibi & ſanctis ſuis conſecratorum profanatio„nibus atque ſacrilegiis Lojolitarum ſuaſu commiſſis, graviſſimè „offenſus, virgam furoris ſui, Aquilonares Reges & populos in „Germaniam immiſit, &c.

Paulus Laymormannus recenſet, *Urbanum VIII. Papam*, ratione *Bonorum Eccleſiaſticorum*; ſive repetitorum, ſive repetendorum, non modo conſilium, ſed & *ſententiam*, tuliſſe: „Ut omnia bona extin„cta Monaſteriorum Germaniæ ab hæreticis reſtituta, vel reſtituen„da, ad manus ordinariorum deveniant, ac in depoſito apud illos „retineantur; ut facta diligenti diſcuſſione, bona illorum Monaſte„riorum, quæ commodè reſtaurari poſſint, ac celeri redintegratio„ni Patriæ ad Catholicam religionem inſervire, ſuis Ordinibus in „hunc finem tradantur; Reliquorum verò Monaſteriorum bona, „ſequentibus uſibus ad dictum finem celeris reparationis patriæ per „ſuam ſanctitatem applicentur, nempe, communibus utriusque „ſexûs juniorum ſcholis, cum Catholicis ac piis Ludimagiſtris, qui „pueros doceant, inque Catholica fide, ac bonis moribus educent: „Nec minus Alumnatibus, ad adoleſcentes in fide & pietate, lite„risque inſtruendos, præſertim Nobiles; qui, cùm in Germania „magnæ ſint autoritatis, facilè plebem, maximè ſuos vaſallos & „Colonos, ad ſuam religionem attrahere valeant: Porrò ſeminariis „pro Parochis, ut inde viri in religione Catholica benè firmati, do„ctique, ad animarum curas gubernandas prodeant: Ac ſuſten„tationi verbi DEI præconum probatæ vitæ, & in controverſiis fi-

„dei

„dei apprimè verſatorum, ut ſaltem ſint duo vel tres, qui per ſingu-
„los Epiſcopatus, concionando diſcurrant. Inſuper ſuſtentationi
„Profeſſorum earundem controverſiarum ſolidè doctorum, qui il-
„las in inſignibus civitatibus docendo, converſionem ad fidem
„promoveant, & converſos ab impetitionibus hoſtium defendant:
„Aliquibus denique Univerſitatibus Catholicorum profeſſorum
„S. Theol. & omnium aliarum Facultatum; tum ut munitiſſimæ ar-
„ces ad orthodoxam fidem ad ſtruendam, ac tela inimicorum illius
„retundenda extent; tum ut ad fidem converſi, non cogantur
„ſtudiorum ratione ad Univerſitates hæreticas divertere, quique in
„hæreſi perſeverant, ob ſtudendi commoditatem, in propria patria
„apud Catholicos literis operam navent, & Collegiorum Catholi-
„corum exemplo convertantur. Hanc ſententiam de ſcholis, ſe-
minariis, atque Collegiis ex recuperatis bonis Eccleſiaſticis in
Germania erigendis, Urbanum *proprio motu* dictitaſſe, & R. E. Car-
dinalium de propaganda fide Congregationem oppidò laudaſſe, at-
que ad propoſitum finem Catholicæ religionis augendæ perutilem ac
neceſſariam fore, unanimiter judicaſſe, idem Laymormannus autor
eſt. Verùm *Bernhardinus*, in *Aſtro inextincto*, primùm iſtam ſenten-
tiam, ſaltem ſenſu Lojolitico, in dubium vocat, ac dicit: „Quan-
„tumvis ejusmodi quid emanaſſet, ſemper tamen præſumendum,
„Papam id feciſſe ſecundum juſtitiam, ſine præjudicio juris Regu-
„larium, nec intentionem habuiſſe, à Regularibus antiquam poſſeſ-
„ſionem bonorum Eccleſiaſticorum ad Societatem Ignatianam
„transferendi. Dein addit Bernhardinus, apparére ex accurata o-
„mnium conſideratione, Papam ſe contra regulares nunquam de-
„claraſſe, neque proprio motu, ſed ad inſtantiam aliorum de ſcho-
„lis, & Academiis ex iſtiusmodi bonis erigendis, cogitare cœpiſſe;
„Nimirum ad ſolicitationem Lojolitarum, privatum ſocietatis
„commodum, atque multiplicationem Collegiorum ſuorum in
„Germania enixiſſimè quærentium, ac ſe ſolos jactantium optimos
„cœcorum duces, lumina in tenebris ignorantiæ verſantium, Eru-
„ditores inſipientum, Doctores Magiſtrosque ſimplicium excel-
„lentiſſimos, habentes ſcientiæ Divinarum humanarumque rerum
„clavem ſupernè ſibi præ cæteris mortalibus traditam. vide Her-
„meneutic. ſacr. Dannhau pag. 511. ſeqq.

De *Abbatia S. Maximini*, extra Urbis *Trevirenſis* promœria ſita, erectaque ex Conſtantini M. dotatione, & à Dagoberto Francorum

Rege ampliſſimis poſſeſſionibus aucta, gravis ac diuturna *Abbatibus* & *Archiepiſcopis* intercedit *controverſia*; His ejus exemptionem ſibi ſumentibus, illis verò immedietatem ſuam, & quod ſolum Imperatorem ſuperiorem ſuum agnoſcant, prætendentibus; lataque eſt jamdum anno 1570 ſententia, qua Monaſterii exemptio ſine onere Archiepiſcopo adjudicata eſt. Poſtea cum anno ſeculi hujus vigeſſimo tertio, Petro à Freudenberg, Abbate, non ſine ſuſpicione veneni ſublato, in ejus locum ſine Pontificis Romani aſſenſu, Agritius, Cœnobitarum ſuffragiis ſuffectus eſſet, irritam dixit Electionem Urbanus VIII. & Johanni Wilhelmo Huſmanno, Capituli Trevirenſis decano, tum ad redimendum Philippo Chriſtophoro, recens in Archiepiſcopum electo, pallium, Romæ agenti, abbatiæ adminiſtrationem commiſit, qui dignitatis contra Hiſpanos protectores tuendæ impar, Archiepiſcopo eandem tranſſcripſit. Sed Cœnobitæ rem ad Conſilium Imperiale Aulicum detulerunt, à quo licet pro Abbate definita fuerit, ex mandato Cæſareo ad *Spirenſe Tribunal*, ubi quondam agitata erat, translata eſt; quod haud multò poſt Jul. die 23. an. 1630. Archiepiſcopo, qui ea tempeſtate Judicis munere in Camera fungebatur, cauſam addixit, juſſitque ſub gravi pœna Monaſterium ſententiæ anno 1570. latæ acquieſcere, ac omni exterorum ope renunciata, ſui Principis imperata facere, Imhof. notit. procer. Imp. 53. pag. confer 1641.

Franciſcus Carolus, Franciſci II. filius, *Dux Lauenburgicus*, qui Suecis merens cum delectibus quos egerat, à Pappenhemio prope Razeburgum anno 1630. oppreſſus, atque à fratre Auguſto, neutrius partis eſſe geſtiente, excluſus, in *captivitatem* incidit, quam apud Viſurgim aliquandiu toleravit, poſteaque *ad Pontificiorum caſtra deſcivit.* Notit. Procer. 652.

Tunc temporis Romæ in cœtu *Cardinalium* fuit concluſum, ne poſthac ipſorum quiſpiam titulum *Illuſtriſſimi*, ac *Illuſtriſſimæ dominationis veſtræ*, admitteret; verùm juxta vocabulum *Reverendiſſimi*, Titulum *Eminentiſſimi, & Reverendiſſimæ Eminentiæ veſtræ*, quilibet ex ordine requireret, admitteretque; *Urbanus VIII.* autem re ad ipſum delata, concluſum illud ratihabuit, & Bullis *confirmavit.* Aliàs notum eſſe debet, jam olim *Sixtum V.* Pontificem, Eccleſiæ Romanæ *Cardinalium dignitatem* æquaſſe cum dignitate Regum & Principum; Scilicet juxta illud CHRISTI: Die weltliche Könige herſchen/ und die Ge-

walt

waltige heiſſet man gnädige Herrn / Ihr aber / ꝛc. Zeill. Epiſt. tom. 1. pag. 104. 794. Lanſ. Conſult. pro Ital. 750.

Poſtquam ſuperiori anno Gregorius Fridericus Greiffenclaclavius, *Archiepiſcopus, & Elector Moguntinus*, mortalitatem explevit; ſurrogatus ei fuit *Anshelmus Caſimirus Wambold, ab Umſtad*. Calviſ. Continuat. in Chron 1003.

Melchior Cleſelius autem, Archi Epiſcopus Viennenſis, & Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, hujus vitæ finem habuit, vir annorum 77. flabellum dum vivebat perpetuum, & impulſor acerrimus ad excitandas adverſus confeſſores purioris fidei perſecutiones. Calviſ. Chron. contin. 1004. confer lib. 1. op. cap. XXXVI. & lib 2. XLIII.

Nec minus ille *Dominicus, à JESU Maria* dictus, Monachus Ordinis Carmelitarum, natione Hiſpanus, Tuba prælii prope Pragam in Albo monte, Friderico Palatino fatalis; Cujus precibus magnam partem inſignis à Cæſareo-Bavaricis obtenta victoria vulgo adſcripta fuit. Miſſus deinceps à Pontifice R. in Galliam, Ludovicum XIII. adverſus Hugonotas concitavit. Zeiler. Epiſt. tom. 2. 690. & 845. pag. Hofm. Lex. A. 563. confer. lib. 3. op. c. 2. & 9. pl.

Eodem anno *Edmundus Richerius* Teſtamentum ſuum condidit, qui triennio pòſt obiit Septuagenario major, Presbyter Lingonenſis, & Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus, de quo dictum lib. 1. c. 74. lib. 2. c. 5. lib. 3. c. 65. Iſque præter obſtetricem animorum; de optimo Academiæ ſtatu libros duos; notas ad Tertullianum de pallio; libellum de arte figurarum, & cauſis Eloquentiæ; de arte & cauſis Rhetoricæ, ac alia ingenii ſui monumenta; inprimis tractatum *de Politica & Eccleſiarum Poteſtate* celebrem edidit, cujus hæc erat ſumma ipſi titulo præfixa: „ Eccleſia eſt Politia Monarchi„ca ad finem ſupernaturalem inſtituta, regimine Ariſtocratico, „quod omnium optimum, & naturæ convenientiſſimum eſt, tem„perata à ſummo animarum Paſtore Domino noſtro Jeſu Chriſto. Cujus libri, primùm ſine autoris nomine impreſſi, Parentem cùm ſe profeſſus fuiſſet Richerius, Monarchiæ Pontificiæ Patronos haud mediocriter offendit. Ex Act. Erud. Lipſ. ad an. 1683. 494 pag. & an. 1684 103. & 105.

Anno 1630. etiam in urbe Regia *Japonenſi*, Monachi quidam *Auguſtiniani*, atque celebris Jeſuita *Antonius Iſcida*, Japon, ſupplicium ob religionem Chriſtianam ſubiere. Ac Iſcida quidem, cùm benignè à Magiſtratibus auditus fidei confeſſionem edidiſſet, nulliſque

blandimentis & minis perverti poſſet, plusquam triginta dies aquæ ferventis infuſione, omniumque membrorum luxatione excruciatus, ac tandem vivus combuſtus fuit. Act. Erud. Lipſ. 1690. pag. 246.

LIB. IV. CAP. III.

Summaria.

Adamus Stevartus, ab Eccleſia Sedanenſi ſolenniter excommunicatus.
Religio Calviniana, ab Auguſtino Ruverio appellata Beſtiarum Religio, à Petro Paulo de Bellis vindicatur.
Calviniani Lublinenſes vim patiuntur.
Georgius Candidius Evangelii Præco in Inſula Formoſa.
Quid ante eum Robertus Junius in illa præſtiterit?
Hottingerus, contra cavillum Pontificiorum.
Puritani cœtum erigunt Neopleimundæ in America.
Quousque illi à cæteris Calvinianis diſcrepent?

IN Eccleſia *Sedanenſi*, Calviniana, publicè ac ſolenni ritu ſententia *Excommunicationis*, die Dominico Maji 12. an. 1630. adverſus *Adamum Stevartum*, ceu ſchiſmaticum, Eccleſiæ turbonem, Conſiſtorio rebellem, contumelioſum, induratum ac impœnitentem, pronunciata fuit; Cumque alios judices Eccleſiaſticos petiiſſet, atque conſequutus eſſet à Principe, repetita vice, quadriennio pòſt, eandem ſententiam reportavit. Refert Samuel Mareſius, Theol. D. & Prof. in Acad. Gröning. *Fœderat. Belg. alloq. ad Paſt. Eccleſ.* *** 1.

In Gallia, Lugduni præprimis, atque Pariſiis, Rüverio autore, *Religio Hugoñottarum* (Calvini placita ſequentium) *Beſtiarum Religio* vocata. *Auguſtinus* etenim *Ruverius*, Doctor Pontificius è Sorbona, Ordinis Auguſtiniani, peculiarem libellum edidit, Lugduni Gallorum, cum approbatione Theologorum Pariſienſium, quo Hugonotis exprobravit: Calviniſmum, ob ſublatam Arbitrii libertatem, & aſſertum Abſolutum decretum, quod inevitabilibus hominem deſtinet finibus, videri poſſe Beſtiarum Religionem. At extitit *Petrus Paulus de Bellis*, qui verborum *Johannis Calvini*, ac *Dominici Bannesii*, amiciſſima contentione & collatione facta, ſummam inter utriusque ſententiam, docuit eſſe *Concordiam*; addens, *Thomiſtarum* plurimos de libertate arbitrii ea proponere, quæ Calviniano dogmati ſint ſimillima. Idque Paulum Ferrium in ſpecimine *Scholaſtici Orthodoxi*, plus ſatis expeditum dediſſe. Imò complures graviſſimos atque celeberrimos Papiſtici regni viros, e. g. Robertum Bellarminum

num Cardinalem; Ferdinandum Maſcarenam, Luſitaniæ Inquiſitorem; Odoardum Weſtonum; Thomam Stapletonum; Petrum à S. Joſepho, & alios, ſcripſiſſe: Eandem eſſe Dominici Banneſii (Dominicani Hiſpanici) & Johannis Calvini, Doctoris Genevenſis, ſententiam. Unde intulit Hugonotta, perperam apud Pontificios Calvinum traduci, tanquam aſſertorem blaſphemiæ Tartaro horrendæ, quod Deus autor peccati ſit, Calvinique religionem eam ob cauſam (ac ob allegatam a Rüverio rationem) mordaciter quidem & acerbè, inſulsè tamen admodum & contra conſcientiam, ab illis dici Beſtiarum Religionem, &c. Epicriſis eſto penes B. L. qui conferre velit ſingular. Angelicor. diſſertat. quint. Dorſchei, pag. 399. Atque Hodeget AntiKirch. prælim. §. 8. pl.

Lublini, urbe ſuperioris Poloniæ probè culta & eleganti, *Calvinianorum templa*, per Papicolas, præcipuè Lojoliſtarum diſcipulos, circa an. 1630. *ſolo æquata ſunt, Johannesque Grzybovius*, Superintendens, Tractus Senior, *vix non oppreſſus*. Hofm. Lex. univerſ. A. 932.

Sub idem tempus in *Inſula Formoſa*, probè culta & fertili, *Georgius Candidius*, natione Batavus *Evangelii Præconem* egit, ibidemque ſolertiſſimam propagandæ doctrinæ Chriſtianæ navavit operam. Is eſt, qui deinceps incolarum deſcripſit barbaros mores, & religionem avitam valdè horrendam, teſte nobili Mandelslovio. Sitam autem ferunt hanc Inſulam in Sinici maris Orientali plaga, cui præcipuè in ora Occidentali oppoſitum ſit Tayoanum, &c. Madelsl. Itin. & Olear. not. pag. 234. ſeq. Hofm. Lex. A. 650. B 424.

Attamen diu ante Candidium, de Formoſanis Aſiæ incolis optimè meritus eſt quidam nomine *Robertus Junius*, cui *Claſſis Walachriana* teſtimonium dedit: „ Eum ſeptendecim continuos in India Orientali exegiſſe annos, duodecennium in Inſula Formoſa, inter „ feras, incultas, idololatricas gentes, adeo optato eventu, ut aſpi„rante Divina benedictione, horrenda illa Idololatria multùm con„turbata & ſubverſa, impiæ iſtius Magiſtræ, (mulieres enim ſacris „ potiſſimum præſunt) inſtrumenta dæmonum, profligatæ & pro„ſcriptæ fuerint; in locum verò eorundem intemerata Religio, ve„rique Dei cultus inſtitutus, admiſſusque; unde adultorum tantus „ paulatim numerus acceſſerit, ut ſupra quinque mille & quadrin„gentos ſacro Baptiſmi lavacro abluti Chriſto nomen dederint, ex„ceptis pueris ac juvenibus; plures etiam per eundem quàm bis „ mille matrimonio junctos, quibus S. Cœnam cum ingenti fructu

„ & ædi-

„ & ædificatione diſtribuerit. Eundem ludos, & Ludimagiſtros „ iſtius gentis inſtituiſſe, ad erudiendos juvenes juxta atque ſenes, „ in Catecheticis, præcipuisque Chriſtianæ fidei myſteriis, quinquaginta: Ita ut quibusdam in villis jam ſupra ſexcentos Italicum ſcribentes characterem, reperire liceat. Eum etiam in finem à D. Junio translatas in linguam Formoſanam omnes quæſtiones Catecheticas, Decalogum, Symbolum Apoſtolicum, Orationem Dominicam, preces matutinas & veſpertinas, Pſalmos item quosdam rhytmicè; qua methodo juvenes ſenesque in diſciplina Chriſtiana „ eos fecerint progreſſus, ut non modo memoratas quæſtiones, orationesque memoriter tenerent atque recitarent; Verum & multi „ ſuccinctam precationem cuique rei convenientem ex tempore „ formarent, efferrentque. Ita claſſis Walachriana de Junio. Hic eſt, cui *Heurnius* (ipſe Indorum quoque præco, qui ante abitum peculiari libro, cui titulus eſt, *Legatio Evangelica ad Indos*, ad ſacram hanc peregrinationem alios invitavit) idem diligentiæ ac ſtudii, in procuranda re Chriſtiana, teſtimonium dedit, Epiſtolâ nempe ad Walæum de Statu Eccleſiarum Indicarum in Tayoan, Molucces, Banda, Amboyna, Paliacate, in quibus omnibus locis ordinarii ſint Reformati Doctores: refert *Johannes Henricus Hottingerus*, tandem concludens: „ Deſinant ergo hîc etiam Romanenſes exprobrare nobis „ paupertatem, aut, quæ Turriani cóntra Sadeelem audacia, vel „ nomen Reformatorum ex locis illis proſcribere. Si plures numerent Pontificii, ſcimus, numerum eſſe vel tyrannide, vel multitudine, vel quacunque alia ratione, Chriſtianiſmó indigna, cervicem „ ſubdere aſſuetum. Qua de re legi meretur ejusdem autoris Hiſtoria Eccleſiaſtica, Seculo XV. pag 890. ſeq. Topograph. Eccleſ. Oriental. 43. ſeq.

In *America* verò, *Angli* multas hinc inde colonias ducebant; præſertim *Robinſoniani*, ſeu *Puritani*, qui metu perſecutionis, eò migrarunt, & *Neopleimundæ* anno 1630. *primum erexere cœtum Independentum*. De quibus hoc in univerſum tenendum eſt: Eos in doctrina nihil, vel parum, in nullo ſaltem articulo fundamentali, diſcrepare ab aliis Calviniano-Reformatis Eccleſiis; Cæterum duntaxat majorem puritatem, vitæ ſanctitatem perfectionemque præ ſe ferunt. Horn. Hiſt. Eccleſ. 399. Hornb. S. C. 777. pag.

LIB.

LIB. IV. CAP. IV.

Summaria.

Euſebii Meiſneri ſomnia, ut & Sebaſtiani Frankii, ac Theodori Coornherti.
Irenæus quidam Philalethes, de Concordia Eccleſiæ.
Adami Stevarti abſurda.
Vana pſeudo-Prophetæ Transſylvani vaticinia.
Cornelius à Lapide, de periodo ruinæ Turcicæ.

QUidam *Euſebius Meiſnerus*, Baſilienſis, Leidæ in typographeo Elzeviriano Corrector, præterquam quod *imaginarias viſiones* jactaret, & *ſolas legendas, absque expoſitionibus, Scripturas* blateraret; poſt primitivam illam Apoſtolicam, in hunc uſque diem *nullam fuiſſe, nec eſſe Eccleſiam viſibilem, veram*, ſomniavit; Concedens tamen, in omnibus putativis Chriſtianorum cœtibus aliquos vel eſſe, vel eſſe poſſe, qui in Chriſti membra vivificentur. Perinde ac *Sebaſtianus Frank*, circa medium ferè ſeculi ſuperioris, Argentorato ad Johannem Campanum ſcripſiſſe fertur: „Se credere, externam viſibi„lem Chriſti Eccleſiam, unà cum donis & ſacramentis ſuis, per cor„ruptelas Antichriſti, ſtatim ab exitu Apoſtolorum, abiiſſe in cœ„lum, & in ſpiritu ac veritate occultari; Et pro certo ſtatuit Fran„kius, à mille & quadringentis annis, ad ſua uſque tempora nul„lam Eccleſiæ congregationem, cum ſacramentis ſuis extitiſſe; „Neque Concionatores ac Miniſtros ad id vocatos eſſe, quod age„rent, vel cuiquam licere diſperſam colligere Eccleſiam, vel ſacra„menta erogare, niſi extraordinariè à DEO vocato, miſſoque, & „ſignis aut miraculis in id confirmato. Ejusdemque opinionis fuit Amſtelodamenſis ille *Theodorus Coornhert*, eò progreſſus (quantum ad *legendas ſcripturas*) ut peculiari libello vel dialogo ita ſententiam ſuam exponeret: „Exiſtimare ſe, Magiſtratui ſignificandum, quod „quæcunque ſcripta humana, gloſſæque, dogmataque, aliquid „impuri, errores & ambages contineant, à quibus omnibus immu„nis tantùm ſit Scriptura, certam ſalutis pandens viam; eaque pro„pter Eundem reverenter eſſe rogandum, ut vellet ad modum no„vi alicujus Interim (& hoc ad tempus uſque illud, quo concordi„ter decretum eſſet, quæ doctrina ſequenda foret) omnibus Con„cionatoribus interdicere, ne è ſuggeſtu populum aliud quid do-

„cerent, prælegerent, dicerentve, præter clarum ſcripturæ textum, „citra unius ſyllabæ aut additionem, aut demtionem, quomodo in „veteri novoque Teſtamento ſolitum quondam fieri; Hoc demum „pacto ſectas evanituras. Præterea populo ſub mulcta injungen- „dum eſſe, ut omnes ſuos libros de ſcriptura tractantes, quæ ipſæ „non eſſent mera ſcriptura, ad manus Magiſtratus deferrent, ibi- „que illi ſervarentur, ut vel redderentur poſtmodum ſuis Dominis, „vel prout viſum foret, de illis diſponeretur; ita *Coornhertus*, qui anno 1590. obiit, ſcripta relinquens, quæ Orbis Chriſtianus demum anno 1630. junctim edita videre cœpit. vide Hornb. S. C. pag. 465. 467. 469.

Sed fictus aliquis *Irenæus Philalethes*, in diſſertatione, quam *de pace & concordia Eccleſiæ* t. t protruſit, in præfatione ſtatim ſic deliravit: „Nemini in Chriſtianæ religionis doctrina errantium, pro- „fanum deteſtandæ hæreſos crimen intentandum; Neminem, ob „errores etiam graviſſimos, Anathemate feriendum eſſe; Ad pro- „miſſorum fidem ſufficere ſimplicem illam confeſſionem, quæ Apo- „ſtolici Symboli nomine circumfertur. Fallor, aut *e ſchola Remonſtrantium ſequiorum* prodiit homo, qui à *Socino* quidem ſe diſſentire profitetur, ob negatam exiſtentiam Chriſti ante nativitatem è Maria; ſolidè tamen Socinianos contra doctrinam de Trinitate perſonarum diſputare cenſet: Illos enim conſimilem planè ſententiam fovere, notius eſt, quàm ut ei narrandæ immorari neceſſum ſit. Calov. Syſtem. Theol. part. A. 107. Hülſemann. de auxil. grat. 220. ſeq.

Adamus Stevartus, Philoſophus Leidenſis in Belgio, ex cerebro ſuo, portentorum nido, ſequentia proferre, ac defendere auſus eſt: „Nullam dari inſitam DEI notitiam; peccatum originale non eſſe „habitum vitioſum nobis naturâ congenitum, ac debitum in natura „lapſa vi generationis ordinariæ, ſed tantum ex pacto Jeſuitico; „Multipræſentiam (quam pontificii vendicent Corpori Chriſti) „non ſoli DEO convenire; poſſe Virginem, quæ talis maneat men- „te & corpore, per incubum Dæmonem imprægnari; Naturam „creatam virtute Divina pluribus ſubſiſtentiis creatis, etiam pro- „priis, terminari poſſe; Eandem conſervari poſſe ſine omni ſubſi- „ſtentia, eodem ſcilicet modo, quo Scholaſtici, quos laudat, præ- „tendunt accidens ſine inhærentia poſſe ſuſtentari; Adamum fuiſ-

„ſe

„ ſe centum annorum, cùm crearetur; potuiſſe fieri, ut Chriſtus li-
„ beris operam daret ac generaret filios, & hos non fuiſſe futuros
„ filios DEI; poſſe ex illicito & nefario concubitu hominis & vaccæ,
„ naſci verum hominem, & qui vel peccato originali careat, nec di-
„ cere debeat, Mater mea me concepit in peccato; Statum puræ
„ naturæ ſcholaſticorum eſſe poſſibilem & admittendum; Habitua-
„ lem conſcientiam nulli naturaliter ineſſe; Chriſtum, & Adamum
„ ante lapſum, potuiſſe per vires ſuas naturales ſine ullo habitu
„ DEUM noſſe, & ſine difficultate non eſſe Atheos, i. e. ut ipſe po-
„ ſtea hoc axioma periculoſum & intricatum videtur explicare,
„ CHRISTUM & Adamum potuiſſe quidem Atheos fieri, ſed non
„ tam facilè, ac hodie homines corrupti & peccatores. Hæc & ſi-
milia Stevartus tam vehementer, etiam ſcriptis, propugnabat, ut nonneminem, ab illo in ejusmodi Teratologiis diſſentientem, non ſemel hæreſeos ac Atheiſmi accerſeret. Sam. Mareſ. in fœd. Belg. alloquio ad Paſtores Eccleſ. *** a.

Tunc temporis in Germania circumferebantur quoque *Vatis* cujusdam *Tranſſylvanici chartulæ*, de iis, quæ an. 1630. & proximè inſequentibus, inter maximos Mundi Monarchas, præcipuè Imperatorem Romanum, & Sultanum Turcicum, Galliæ, Sveciæ, Hiſpaniæ &c. Reges, aliosque orbis Chriſtiani Principes, eventura ſint: ubi hariolabatur pſeudopropheta: Sileſios novum ſibi caput conſtituturos; Hiſpanos & Gallos, ex odio erga Papam, ejus ditiones totamque Italiam ſævis infeſtaturos armis; inde duos Pontifices, unum ab Hiſpanis, alterum à Gallis electum, exstituros, &c. At vana hominis vaticinia, plus nimio confutavit Experientia, Magiſtra rerum certiſſima. vid. Wunderb. Prophezeyhungen / erſtlich getruckt zu Hermanſtatt in Sibenbürgen.

Cornelius à Lapide, ſcriptor pontificius, & Lojolita celeberrimus, *Imperii Turcici ruinam, vel ſaltem ejus initium*, confidenter prædixit futurum hoc tempore, ac opinionem ſuam plurium religioſorum in papatu prædictionibus confirmare, per quam operosè contendit. Propria illius verba in Memorabilibus an. ſeq. ne materiæ hîc nimium excreſcant σ. Θ. competente loco & capite communicabimus. Interim, ſi placet, inſpice Dannhaw. Colleg. Decalog. pag. 290. pl.

LIB. IV. CAP. V.

Summaria.

Pupillæ Evangelicæ Apologia, à Theologis Saxonicis adornatur.

Balthaſarus Hagerus, Jeſuita, confeſſionem Auguſtanam in litem vocat, Hülſemanno dein ſuccumbens.

Valeriani Magni conatus, convincendi hæreticos de Veritate Eccleſ. Rom.

Antiquorum è Græcia Doctorum opuſcula quædam de proceſſ. Spir. S. edit Petrus Arcudius, de Eccleſ. Gr. cum Romana conſenſu, cum Allatio minus conveniens.

Caſpar Scioppius, conſultationem ſuam in Comitiis Ratisponenſibus exhibet.

De ejus infamia, apoſtaſia, latebris &c.

Blenium ferè eſt, ex quo ſcriptis Pontificiorum Eriſticis (quaſi doctrina hodiernarum Academiarum Eccleſiarumque Proteſtantium in multis diſſentiat ab Auguſtana Confeſſione anno 1530. Carolo Quinto exhibita; itaque hodierni Principes & Status Evangelici non amplius capaces religioſæ pacis extent, cujus Auguſtana Confeſſio, verè ſic dicta, fundamentum ſit) per Saxonicos Theologos juſſu Electoris, oppoſita fuit *Pupilla Eccleſiarum Orthodoxarum*, de qua dictum lib. op. 3. cap. LXI. poſtquam autem varii ea chartis dentatis exciperetur, ac à Trabiphoris, feſtucæ hoc in oculo conquirerentur; ne carmen triumphale canerent ante victoriam Pontificii, *Apologiam* quoque illius pupillæ, prædicti Theologi adornarunt (die Haupt-Vertheidigung des Augapffels) qua quid præſtiterint, æquus lector de facili, tacentibus nobis, judicabit. Videatur Dillingiſche Kälberartzt/ pag. 83.86. hiſt. Eccleſ. Krom. 632.

Sub idem ferè tempus, prodiens in aciem inſtar Goliathi *Balthaſar Hagerus*, Lojolita, quotquot eſſent, *provocabat Lutheranos*, Herbipoli emiſſa *Collatione Auguſtanæ Confeſſionis cum Conciliabulo Tridentino*; „ Quam Collationem univerſæ *Nobilitati Franconicæ* in ſcri„pſit hoc fine, ut deceptam ſe à maleferiatis hominibus intelligens, „meliora conſectaretur conſilia, i. e. veritatem Evangelicam cum „decretis Tridentinis commutaret. Quippe Lojolæ filius non de„gener, paucis quaternionibus ad oculum oſtendere præſumſit, „Auguſtanæ Confeſſionis doctrinam longo intervallo diſtare à veri„tate verbi Divini; ex oppoſito autem ſacroſancti, ut vocat, & „Oecumenici Concilii Tridentini decreta Catholica cum eodem DEI

„ver-

„verbo ad amuſſim convenire. *D. Johannes Hülſemannus* autem, ſtatim poſt ſuſceptam Profeſſionem Theologicam in cathedrá Lutheri, Hagero *Manuale Confeſſionis Auguſtanæ* oppoſuit; quod etſi altera vice, & poſtremo cum auctariis editum, *a nemine* tamen *impugnatum*. vid. Manual Aug. Conf. Hülſem. pag. 1. & præfat. Scherz. ad vindic. Scripturæ S. poſthum. lit. b 2. 3.

Valerianus cognomento *Magnus*, Mediolanenſis, è familia Capucinorum, *novam* jactabat *Methodum*, *convincendi hæreticos de Romanæ Eccleſiæ veritate*, edito libro: *de regula credendi Acatholicorum, & Catholicorum*; qualibus diſputandi novis rationibus, jam dudum deſperatam regni Antichriſtiani ſuſtentare cauſam, Loiolitæ quoque ſæpius conati fuere. Valerianus iſte famoſus, dicto libro ad *unam quæſtionem* cæteras omnes, & plurimas & graviſſimas, revocavit: „Quæ ſcilicet credendi regula ſit, quis verus ac infallibilis judex, „an e Sp. S. è Scriptura S. ſingulos fideles eum invocantes ſeorſim „inſtruens; an, neglectis ſcripturis, Romana Eccleſia, à Spiritu „S. in Conciliis Oecumenicis infallibiliter edocta, extra periculum „erroris poſita, totque regeneratis fulgens? Illud affirmantes, *Biblistarum* nomine, quaſi probroſo, traduxit, variisque falſis ac ineptis conſequentiis oneravit; Ipſe autem, ut ex parte Romanenſium, pro poſteriori quæſtionis membro pugnavit, Eccleſiamque ſuam cum Papa, tanquam domicilio Spiritûs S. ac infallibili proponente, miris laudibus extulit, & commendavit. *Summa* compendiumque *nugarum* omnium eſt, ſecundum Dannhauerum (in Gorgia Leontino ſophiſta, in Valeriano magno redivivo, pag. 103.) „Non eſſe „fidendum privatæ ſcripturarum S. interpretationi, ſed publicæ, quæ „ſit Eccleſiæ, in Concilio generali congregatæ, quæ à Spiritu S. in„fallibiliter docta, omnia fidei dogmata definiat: Eccleſiam hanc „eſſe Romanam, ut quæ ſplendeat Hierarchia in Conciliis illuſtri, „ſola ſemper clareat regeneratis divinitùs miraculorum lumine con„decorata. Confer etiam Heideg. hiſt. papat. pag. 319. ac præſertim Dorſcheum part. 2. Theol. Zachar. dedicat. *** ſeqq.

Romæ excuſa prodiere Congregationis de propaganda fide typis, Aurea *opuſcula* Theologica, *Johannis Vecci, Beſſarionis, Demetrii Cydonis, & Maximi Planudis, de proceſſione Spiritus S. Petro Arcudio Collectore ac Interprete*; qui in dedicatione Franciſcum Barbarinum Cardinalem, Græciæ protectorem, ſic alloquitur: „Immortalem aſſequeris laudem, ſi ſtudio & favore tuo illam olim Nobiliſ-

„ſimam Nationem ad Eccleſiæ gremium convocaveris. Imitare „ peritos aucupes, qui ſimiles aviculas eleganter ornatas ex ponunt, „ ut alias & attrahant, & capiant. Hos, inquam, doctiſſimos viros, „ ex antiqua Græcia, dignos ſanctiſſimo patruo, ac nomini tuo di- „catos, à Zelantiſſima Congregatione de propaganda fide in gratiam „tuam typis non in elegantibus excuſos, fac ut in Orientem feliciter „penetrent, utque recentiorum Græcorum manibus terantur, ac „ eosdem ſua ipſorum ſpecie & pulchritudine teneant. Agnoſcent „ fraudes ſchiſmaticorum; doctrinam caſtam & Germanam vete- „ rum PP. ſuſpicient; abjicient pertinaciam; amplectentur animo- „ rum concordiam. Refert *Elias Vejel.* D. Ulm. in defenſ. Exercitat. de Eccleſ. Græc. hodiern. pag. 78. rectiſſimè addens: „ *Arcudius* de „ Concordia animorum reſarcienda, de reditu Nationis Græcæ ad „ Eccleſiæ Latinæ gremium, de captura aviculatum extra caveam „ pontificis R. liberè volitantium, de abjicienda pertinacia, deque „ ſana circa proceſſionem Sp. S. doctrina ad huc amplectenda, ſolli- „ citus eſt: *Allatius* contra, Arcudii popularis, ſocius, amicus, ejus- „ demque Congregationis membrum, quantum poteſt, vocifera- „ tur, in omnibus amicè ſemper ac perpetuò utramque Nationem „ conſpiraſſe, & adhuc conſpirare. Sed mihi hîc fides Arcudii po- tior eſt, quam Allatii, &c.

In Comitiis Ratisbonenſibus *Caſpar Scioppius*, de quo lib. 1. op. cap. 53. *Conſultationem* ſuam exhibuit *de Componendis in S. R. J. religionum diſſidiis*; ubi cùm Proteſtantes ad unum omnes Rebelles, perjuros, pacis religioſæ incapaces, ferro & igne proſcindendos dixiſſet, ſubjecit: *Hic libellus veram omnium Catholicorum ſententiam exhibet, ad eoque ſummi Pontificis ei acceſſit autoritas, quemadmodum in Archetypo ejus ad S. Ulrici Auguſtæ Vindelicorum videre licet, in quo vices gerens Pontificis, ejusque palatinus Theologus ſive ſacri palatii Apoſtolici Magiſter, ejus Romæ typis deſcribendi facultatem ſe facere, manu uterque ſua teſtantur; Chriſtianiſſimus etiam Imperator noſter, eo viſo, ad judicium eorum qui magna cum utilitate publica exiturum cenſebant, ſuam ſententiam adjungere non dubitavit, &c.* „ Flagitioſiſſimus ille Grammaticus, „ teſte *Hornio*, ob ſcelera Altorfi commiſſa infamis, ex Palatinatu „ ſuperiore Neagorâ oriundus, ad apoſtaſiam prolapſus, claſſicum „ cecinit, ac totale excidium Proteſtantium ſpiravit, ac ſvaſit: qui „ tamen nil niſi miſerabilis literator fuit, extremaque ſenectâ ſcri- „ ptis Patavio (ubi præ Lojolitarum, vitæ ejus inſidiantium, metu

„ deli-

„ deliteſcebat, ſub nomine Alphonſi de Vargas, Toletani) Leidam „ literis, tranſitionem iterum ad Reformatos obtulit, ſi in gratiam „ reciperetur; ſed rejectus Apoſtata ob vanitatem, contemptusque. Gerh. Confeſſ. Cath. lib. I. General. pag. 849. Horn. H. E. Leidek. edit. 316.

LIB. IV. CAP. VI.

Summaria.

Comitia Ratisponenſia, in Belli redintegrationem exitioſiſſimamque confuſionem deſinentia.

Belli Suecici initia & cauſæ.

Controverſia inter Daniæ Regem, & Hamburgum, de novo vectigali Tychopolitano.

Ducatus Barrenſis, materia belli Gallo-Lotharingici.

Belli Mantuani finis.

Tartari Niuchenſes, Leaotumum R. Sinenſis occupant.

Chriſtianus Anhaltinus; Et Carolus Emanuel Sabaudus, fatis concedunt.

ANno, qui ſeculi hujus trigeſimus fuit, *Comitia* habebantur *Ratisbonæ*, ſeu conſtituendæ per Germaniam paci, ſeu alendo commodius exercitui, donec imperata facerent, qui Cæſaris aut Fœderatorum placitis adverſarentur. A parte *Proteſtantium* Saxo & Brandenburgicus, Electores, intereſſe conventui detrectabant, per Legatos tamen comparebant, petentes reſtitutionem Sacrorum in integrum; Edicti reſtitutorii ratione Bonorum Eccleſiaſticorum abolitionem, aut ſuſpenſionem; onerumque militarium remotionem, vel ſublevationem. *Romana qui ſequunti ſacra*, frequenter aderant, ſed non eadem ſentiebant: *Nonnulli* moderandam Edicti ſeveritatem, & permittenda Proteſtantibus ad tempus aliqua, cenſebant, quo paci conſuleretur; hactenus equidem, probè monentes, invicta Cæſaris arma fuiſſe, ſed contra ſingulos; nunc autem commotis omnium patrimoniis univerſos ſimul inſurgere; Uno infelici prælio plus periturum, quàm per tot retrò victorias partum ſit: At *alii* contra, fortunæ, viribus & cauſæ Cæſaris omnia tribuentes, inſiſtendum cœptis affirmabant; Univerſam Germaniam armis & famâ Ferdinandea obtineri; bellum quod Proteſtantes moliantur, conſpirantium numero & nominibus magnum, viribus elumbe invalidumque, & exhauſtis latè provinciis non diuturnum fore; nec magnoperè timendum Sueciæ Regem, qui in ipſo belli conatu, intra Pomeraniam

pa-

paratis exercitibus opprimi poſſit; Pro DEO, pro religione, pro patrimonio Eccleſiæ bellum geri, in quo breves moleſtias & incommoda defugere nemo bonus debeat; pericula verò & fortunæ adverſitatem vereri, etiam impium ſit; *Hique* tandem, inſtinctu Papalis Cleri, *pervincebant*, ut omnis ferè *Comitiorum effectus* ibi ſtaret, quo inviſum Wallenſteinii Imperium abrogaretur, ſuccedentibus magis aliis hominibus, quàm aliis moribus; reliqua, in alia tempora dicebantur eſſe differenda. Hic ergò *finis* Conventus Ordinum erat, ut vulnera patefierent, ſed neutiquam curarentur, &, penè ipſo Imperii fine brevi conſequuto, nì Deus deſertas humanis conſiliis res ſuſtentaſſet, hæc ultima Germaniæ Comitia fuiſſent. Cluver. hiſt. append. 7. Turſellin. contin. 2. pag. 37. 40.

Etenim vigentibus Ratisbonæ Comitiis, *belli Suedici* extitit *initium*, quando *Guſtavus Adolphus Suecorum Rex*, poſtquam pacem cum Danis confirmârat, Rigam Livoniæ ceperat, uxorem Eleonoram Brandenburgicam ſibi aſſociarat, cumque Polonis inducias fecerat, contra Ferdinandum Imperatorem arma movit, & occupata ſtatim Pomeraniâ, Cæſareanos ejecit. Cujus *expeditionis cauſas*, evulgato per Germaniam libello, deſignavit: „ Polonis auxilia, contra ipſum, „ à Cæſare miſſa; Straleſundam innocentem obſeſſam; negata ſuis „ per Germaniam commercia; Legatos Regios cum ignominia rejectos; Wiſmariæ & Roſtochii portibus occupatis, piraticam in „ ſuos à Cæſareanis exercitam; titulos Dominorum Maris Baltici „ inter Cæſareos Duces diſtributos; conſanguineorum & proximorum Principum afflictiſſimas res, inque iis ſuam ſuorumque ſecuritatem propè everſam &c. Stratem. Theatr. hiſt. 958. 1129. Chronolog. Boxhorn. 157. pag.

Gravis & periculoſa *lis* tum orta, & agitata *inter Hamburgenſes, ac Daniæ Regem Chriſtianum quartum*, ob novum vectigal, quod à navigantibus Tychopoli cœpit exigi. Factum autem ſingulari Numinis favore, & moderatorum hominum conſilio, ne Hamburgici tumultus incendium vicina corriperet. *Compoſita* per interceſſionem fœderatorum Belgarum controverſia, conditionibus haud iniquis. Calviſ. Chron. cont. pag. 1003. Cluver. hiſtor. 815. append. 5.

Diſceptatum quoque per ea tempora *inter Galliæ Regem Ludovicum XIII. & Franciſcum* (ceu puto) *Lotharingiæ Ducem de Ducatu Barrenſi.* Parlamentum ſuſcepta cauſæ cognitione, ejus poſſeſſionem Regi adjudicavit. Hic Lotharingus, læſum ſe dictitans, corripuit arma,

arma, Cæſaris fœderi ſe innectens, & Barrenſem Ducatum invadens. Hæc *origo* fuit *belli Lotharingici* cum Gallis geſti, tandemque à Gallis occupatæ totius Lotharingiæ. Boxh. Chron. 157. Orbis Lum. 1027.

Galliæ Rex *Pignarolum* Sabaudo vi eripit, eò quod à Cæſaris parte ſtaret; *Mantuam* verò Cæſareani ſtratagemate bellico, expectatione citius occupant, atque ſpoliatam devaſtant. Finita dein, *compoſitione pacis*, Mantuana controverſia, his potiſſimum *conditionibus*, ut parte Montisferrati Sabaudiæ Duci reſtituta, Nivernius reliqua Cæſaris Imperiique Romani beneficio, poſſideret; Sabaudus Pignarolum, aliaque ipſi hactenus adempta reciperet; Gallus Caſalium teneret; Imperator & Hiſpanus eam Rhætiæ faciem redderent, quæ ante hoc bellum fuiſſet. Turſell. cont. 2. pag. 33. 38. Epit. R. G. 106. 110.

Tartari Ninchenſes, regnante Thienzungo, *Leaotunum* t. t. *occuparunt*, unà cum toto ferè regno. Eſt autem *Leaotunum* provincia Regni Sinenſis in parte Boreali, verſus Tartariam & regnum Coreæ, prope intimum receſſum Sinus Nanchinenſis. Tentarunt etiam Pechinum (*Pequin.*) Imperij Chinenſis caput, ſed hac vice fruſtra. vid. Hofm. Lex. A. 900. & Neuhofens Beſchreib. der OſtIndiſchen Niderl. Geſandſch. an Siniſchen Groß-Kön. 407. pag.

Supremum diem obiit *Chriſtianus*, *Princeps Anhaltinus*, Bernburgicæ lineæ; In Argentinenſi bello, Brandenburgicis operam ſuam navavit; Ex eo in unione unus ex præcipuis, & arcanorum omnium particeps, atque Vicarius Generalis; unde turbis Boëmicis implicitus, à Cæſare proſcriptus, poſt triennium autem in gratiam receptus eſt. Spener. Geneal. 258. Notit. Procer. Imper. 669.

Fatis quoque conceſſit, *Carolus Emanuel I. Sabaudiæ Dux*, animi mœrore extinctus. Adeò tectus, dum vivebat, ut pluribus montibus pectus, quàm regio ejus, circumvallatum vulgò diceretur; Pater numeroſæ prolis; Victorem Amadeum Succeſſorem habens, in Waldenſes ita dictos, acrem. Hofmann. Lex. A. 384. confer Lanſii Mantiſſam Conſultat. pag. 913. ſeq.

LIB. IV. CAP. VII.

Summaria.

Ferdinandus primus Imperator, cur adhuc in purgatorio ſudare à Monacho prædicatus.

Joſephi Anchietæ Paſſer pentecoſtalis.

Chaſma prodigioſum: Excidii Magdeburgici funeſta præſagia.
Sudor ſanguineus: Mecha terræ motu concuſſa.
Muhammedis Cadaver non in Mecca, ſed Medinæ ſepultum.
Neuzſchizius, in caverna Perana ſeptem dormientium dormitorium videre ſibi viſus.
Combadaxi Japonici ſomnus.

TEmpore Comitiorum Ratisbonenſium, Monachus quidam publicè pro concione dixit: *Imperatorem Ferdinandum primum, propterea in purgatorio adhuc ſudare, quod Evangelicis Pacem Religionis conceſſerit*; ex relatione hominum fide digniſſimorum ſcribit Gerhardus in Confeſſ. Cathol. part. I. General. pag. 848.

In diſſertatione de Spiritus S. in ſpecie columbæ ſuper Chriſtum deſcenſu, anno 1630. Argentorati habita, *D. Dorſcheus* hanc Mantiſſam poſuit: „ *Caſpar Sampereſius*, Societatis Lojolæ Sacerdos, „ juratus teſtis dixit: Cùm *Joſephus Anchieta* in præfectura Spiritus S. „ in templo Societatis, ipſo *Pentecoſtes* die *concionem* haberet, vidiſſe „ ſe *paſſerem*, Canarino ſimilem, ad dicentem advolaſſe, ac ſiniſtro e„ jus humero inſediſſe, quem cùm blandè inter dicendum à ſe repu„ liſſet, ipſum tamen iterum rediiſſe; ſubjiciens, non eſſe creden„ dum, non ad teſtimonium ſummæ innocentiæ homini ita inno„ centi dandum, tantæ religionis die, inter eam actionem, quæ po„ tius avem abigeret, quàm invitaret, hæc ſigna Deum oſtendiſſe. Dorſch. in heptad. diſſert. hiſt. Theol. pag. 81. ſeq. è Sebaſt. Beretar. in vita *Joſephi Anchietæ*.

Inter alia cœli & aëris portenta, hoc anno pluribus Germaniæ locis viſa, fuit *prodigioſum chaſma*, menſe Januario, & quidem Converſionis Pauli die ſub veſperam conſpectum, è quo geminæ velut acies prodeuntes, haud leve ac ludicrum pugnæ genus, ſed multo mixtum terrore, ſpectantium oculis exhibuerunt. Vide memoriam denati Schickhardi, pag. 19. & Schwelini Chron. 430.

At *Magdeburgo* inprimis extrema imminére, haud obſcuris *iræ cœleſtis nunciis* ſignificabatur; nam vergente Novembri, die 26. derepente vehementiſſima ventorum procellâ Catharinianæ ibidem Baſilicæ *turris* altera (cùm una paulo ante decidiſſet) in momento quaſi decuſſa eſt; Johannei fani ſub idem tempus maxima *turris* proſtrata, tectumque ejus ruina molis contuſum; idipſum Baſilicæ S. Annæ, & Gertrudis, & Sudenburgico templo accidit; In ſummo templo (*Domum* vocabant) peribolus fornicatus, ab aula Epiſcopali

in

in templum ducens, concidit: Eadem tempeſtate aliquot molæ, ventorum fragore ſunt everſæ, aliisque ædificiis damnum ingens illatum. Nec minus *Hammeliæ*, quinque & viginti milliaribus diſtante civitate, eodem planè momento, cùm Cæſareani de obſidione Magdeburgenſi conſultare incepiſſent, ingens ventorum vis non modo tegulas omnes tectorum dejecit magna ſtrage, ſed molam quoque pulverariam incendit, convulſitque, tanto fragore ac impetu, ut aliquem terræ motum eſſe opinantes, Tillius, & ejus exemplo cæteri Conſultores, in genua provoluti, à ſe Numinis iram deprecarentur, &c. Cluver. Epit. hiſtor. app. 9. Turſellin. contin. c. 43. pag.

Geiſmariæ in Haſſia, miles contubernali queſtum edebat de frigore, cùm tamen *ſudore* madeſceret; alter admota manu, *glutinoſum* advertit *ſanguinem*, eumque copioſum, & rem hoſpiti, deinde Principi retulit; redditus autem ſibi ex langore, queritans, rectè valuit. Calviſ. cont 1004. confer de ſudore hominum cruento, & Chriſti, Hodoſoph. Dannh. auct. 718. pag. ſeq.

Mecham terræ motu hoc anno concuſſam, Templumque Mahummedis collapſum, & arcam ſepulchralem ex inundatione avectam eſſe, *Continuator Calviſiani Chronici* ſcribit pag. 1004. ex eoque celebris Theologus D. T. W. in libello ſuo Turcico, pag. 104. Sed, quod horundem pace dictum volumus ad membrum relationis tertium, Impoſtorum ille maximus, *Mahummedes*, obiit in urbe ſua *Medina*, ibique ſepultus eſt, non in Mecca; Non in Mecha *cadaver* ejus (adeoque nec ſepulchrum, nec ſepulchralis arca) ſed *imago* illius in muro templi ibidem expreſſa habetur, eamque deoſculantur, qui cauſa religionis eò veniunt, ac ita domum redeunt; Suo tempore ſcripſit *Bartholomæus Georgieniz*, in Epitome de Turcarum moribus, pag. 31. confer omninò Hornii Orb. polit. pag. 544. ſeq. Gerlachii Conſtantinop. Reyßbeſchr. 55.

Cùm anno 1630. *Georgius Chriſtophorus* Neutzſchitz Conſtantinopoli ageret, aliquando prope *Galatam* ſive *Peram* urbem, è regione Conſtantinopoleos, à Janizaris deductus in hortum quendam, deinde in caliginoſam *cavernam* (quo per anguſtum foramen reptandum) *ſeptem angulis diſtinctam, ſeptem dormientium* vidiſſe *dormitorium*, ſibi viſus eſt. *Septem dormientes* illos ferunt 196. annos dormiviſſe, antequam evigilarint rurſus; mirum auditu, & incredibile! Sed quid hoc ad *ſomnum Combadaxi*, ſacrorum quondam præfecti apud Japonenſes,

nenſes, qui fertur jam ante annos 800. extrema ætate, magnificum ſibi delubrum juſſiſſe extrui, & in ſpecum euntem dixiſſe: Se hujus vitæ ſatietate teneri, velle igitur quieſcere ad decies millies millena annorum millia, quo ſpatio exacto, magnus Japoniæ Doctor obventurus eſſet, ipſeque tum luci reddendus; hisque dictis obturari ſpecûs oſtium juſſiſſe. Virum hunc, à quo literas edocti ſint, Japonii adhuc vivere credunt, eumque certo die anniverſario colunt, ſupplicibusque votis invocant. Chriſtian. Hofman. recenſet in conſenſu ac diſſenſu relig. profan. cum Ver. Chriſt. lit. E j. & S 4.

LIB. IV. CAP. VIII.

Summaria.

Cœnobiis Wirtembergicis Monachi & Moniales iterum emigrant.

Strasbergæ, ſingularis DEI favor libertatem exercendæ Religionis Evangelicæ ſervat.

Leſna, exulum Proteſtantium refugium.

Item Liſſa, ubi ſepultus fertur Johannes Hermannus.

Inſtitutum peculiaris Collegii, hujusque Leges.

Academiæ Dorpatanæ introductio ſolennis.

Confeſſio Cyrilli Lucaris, pro Eccleſiarum Orientalium univerſalium confeſſione vano ſtudio vendita.

POſt feliciſſimos armorum Suecicorum progreſſus non tantum in Pomerania, ſed etiam in aliis pluribus locis; inprimis autem poſt inſignem victoriam Lipſienſem contra Cæſareanos obtentam, *Monachi & Moniales Cœnobia Ducatus Wirtembergici*, ante biennium occupata, *deſeruere rurſus*, fugâ ſibi conſulentes. Schwelin. Chron. pag. 438.

Straſsberga Boruſſiæ, ſingulari providentia Dei, ex inſperato caſu *continuationem exercitii Religionis Evangelicæ retinuit*. Urbecula iſta, ad amnem Dribentium, in limite Mazoviæ ſita, ſub *Anna* Sigismundi III. Sorore Lutherana, quietè Sacrorum libertate fruebatur; ſed poſt illius obitum, delapſa in poteſtatem *Conſtantiæ*, Polonorum Reginæ, Romanenſium cultui addictiſſimæ, multas experta eſt moleſtias & calamitates; Jamque in eo rei ſumma verſabatur, ut proximo die, abjurata veritate Evangelica, Romanenſium placitis Dei verbo contrariis ſubſcribere, ac deinceps iſta profiteri deberent: At enim Conſtantiâ pridie ſubita morte extincta, Straſsbergenſium res tàm Eccleſiaſticæ, quàm Politicæ, in priſtino ſtatu manſerunt. Zeiler. Epiſt. tom. 2. pag. 850. & Turſell. contin. 2, 39.

Leſna,

Leſna, in majore Polonia, ex oppido Civitas facta, multorum piorum, ob Evangelii doctrinam & Confeſſionem Romanâ puriorem, ex ditionibus Auſtriacis, ac aliis Germaniæ Provinciis *exulum*, commune *receptaculum* dedit ſub *Raphaële* Comite, *Palatino Belzenſi*, licet Calviniano. Burius im Exulanten-Tractat. pag. 179. Hofman. Lex. A. 568. 910.

Idem & *Liſſæ* factum, in diſtrictu Frawenſtadienſi, Polonicæ jurisdictionis, propinquo Sileſiæ; ubi dicitur ſepultus eſſe *Johannes Hermannus*, celebris ille Homileticus, de Eccleſia Chriſti meritiſſimus, ac teſte Johanne Holfeldio, in Bono Paſtore gregis J. C. ſeu Concione funebri eidem dicta, multiplici Cruce exercitatiſſimus. Exulanten-Tractat. Joh. Bur. d. l. Hofm. Lex. A. 924.

Communicato cum Theologicâ Facultate Wittenbergenſi conſilio, quidam Sacri Ordinis, in certo Inferioris Saxoniæ Ducatu, autor fuit, inſtituendi *ſingularis Amicitiæ ac Fraternitatis Collegii*, ſecundum ſubjectas hasce *conditiones & leges*. „DEI ter Optimi Maximi
„gloria, veræ Eccleſiæ amor, Principis ac Reipublicæ patriæ honor,
„decus Collegii, & fratrum ſalus, ſuprema Lex ſunto. Abſit à Fra-
„tribus, quidquam contra Deum, Sacram Scripturam, Eccleſiæque
„γνησίως Lutheranæ libros ſymbolicos ſentire vel innovare; ſed o-
„mnes & ſinguli Collegæ, iisdem ſanctè innitantur, ſeque & omnia
„ſua ſubjiciant; nullam ſectam vel ſchiſma moliantur, ſed ſaltem
„fidei ac præceptorum charitatis veram, vivam & ſalutarem appli-
„cationem atque praxin intendant, ut non tantùm nomine, ſed re-
„ipſa Chriſtiani ſint. Omnis tamen ſuperſtitio, gloriatio, imagi-
„natio de ſtatu quodam perfectionis, exulet hîc, & procul maneat.
„Diviniſſimorum illorum beneficiorum memoria, quæ DEUS per
„Lutherum exhibuit patriæ, ſemper ob oculos ponatur, ſedulo vol-
„vatur ac revolvatur à Fraternitate, ac ab ea poſteritati commen-
„detur & inculcetur ſæpiſſimè. Per leges & pacta Societatis, juri
„publico, Principis ac Magiſtratus jurisdictioni, tàm Eccleſiaſticæ,
„quàm Seculari, nihil præjudicetur, quin potius iis, prout decet,
„omnia ſubmittantur obſequenter. Membra Collegii ſunto ex Li-
„teratis, Theologis, Jureconſultis, Medicis, Philoſophis, modò ſint
„puræ Religionis Lutheranæ, viri pii honeſti, graves, patriæ & Ec-
„cleſiæ amantes, Charitatisque Chriſtianæ Studioſi, quorum fides,
„mores, doctrina, & ſincera amicitia reliquis fratribus nota & per-
„ſpecta, ut tamen non excreſcat ultra decem vel duodecim perſo-

„ nas. Omnis recipiendus, ſi quando locus vacaverit, profiteatur „ ſuum nomen, & factis faciendis, quod velit gloriam Dei, Principis „ honorem, incrementum Eccleſiæ ac Reipublicæ, nec non fratrum „ commoda, tam animæ quàm corporis quærere, promittat. Profiteatur & nomen uxoris, ac liberorum; nam domeſtica quoque „ ſocietas incluſa, quatenus forſan Collegii auxiliis indiget. Actiones fratrum omnes ad pietatem, juſtitiam, honeſtatem, pacem & „ charitatem revocentur; inter quas exercitia fidei ſic diſponant, ut „ veram doctrinam cognoſcant, vitam ſanctè dirigant, & mortem „ beatam ſemper expectent. Publica pietatis ea habeant fratres exercitia, quæ Eccleſia loci, in quo vivunt, à qua ſeparare ſe nec poſſunt, nec debent. Exercitia pietatis domeſtica, pro ratione temporis, crucis etiam atque calamitatum ſeculi, ac tentationum ſeligantur, ut ordinariè tamen & quotidiè frater, ſive ſolus ſit, ſive „ cum familia, horis matutinis preces devotè fundat, pſalmum vel „ hymnum canat, pro pace, ſalute & incolumitate tam publica, quàm „ privata; quoties ei otium, oret, pſallat, legat in ſacris Bibliis, ac in „ aliis libris orthodoxæ pietatis, ut in fide vitaque Chriſtiana ædificetur & confirmetur. Omnem etiam fratres curam adhibeant, ut „ familiæ ſuæ piè præſint; ſuis aliisque laudabili exemplo præluceant; cum extraneis dignè vocationi ſuæ ambulent; polypragmoſynen fugiant; Si quando lites, vel inter fratres, fratrumque domeſticos, vel etiam extraneos incidant, eas amicè componere ſtudeant. Correctionem fratris, libenter & gratus accipiat frater, & „ monitus à vitio abſtineat. Officia charitatis, fratres invicem ſibi „ candidè, fideliter atque conſtanter exhibeant, inſtruendo, monendo, ſuadendo, exhortando, ope & conſilio ſuccurrendo. Viduas, „ pupillos ac orphanos fratrum derelictos, diligenter curent, ut honeſtè habeantur, ſuſtententur, ac promoveantur, ex fiſco etiam „ pauperibus illis, nî melior occaſio reperiatur, ſubveniant. Quicunque ſtipendio Fraternitatis aliquo ad Academias, vel etiam „ opificium honeſtum promotus vel adjutus fuerit, cùm deinceps „ ad officium & fortunam uberiorem pervenerit, impenſas fiſco reſtituat. Novum quod recipitur membrum, pro introitu in fiſcum „ deponat non tantum partem ſumptuum ab aliis jam factorum, ſed „ etiam 20. Imperiales pro receptionis ſymbolo; poſtea verò quotannis, ad neceſſarias expenſas, quinque florenos in fiſcum. Compotationes & commeſſationes exulent à congregationibus fra-

„ trum

„ trum, & ad tenues Agapas reducantur. Quilibet de morte quo„ tidiè ſollicitus ſit, omniaque ſua ſanus adhuc diſponat, maturè Te„ ſtamentum condat, ejusque exemplar, cum bonorum & faculta„ tum deſignatione, ac vitæ ſuæ curriculo, apud fratres in arca com„ muni curet cuſtodiri, ut illi tanta fidelitate poſt mortem Collegæ, „ res & familiam ejus curent, ac ſi in vivis eſſet; Legatum etiam „ aliquod, præſertim qui improles ac divites, Fraternitati relinque„ re meminerint. Fratres ægrotantem inviſant, & conſilio, ſolatio, „ auxilioque refocillantes erigant, de medico & medicina ſeriò pro„ ſpiciant. Vitâ defuncto fratre, ejus exequias piè ac honeſtè re„ liqui curent, pauperibus quoque viduis & liberis aliquid ex fiſco „ ad præſtandum hoc officium conſecrent, &c. Vide Conſil. Witt. Theolog. eorumque ſalutaria de hac fraternitate monita, part. 3, pag. 117. 119. pl.

Academia Livoniæ *Dorpatana*, de qua l. 3. op. cap. 36. auſpiciis Guſtavi Adolphi Sueciæ Regis, hoc anno *ſolenniter introducta*, per Johannem Skytten, L. B. Generalem Provinciæ iſtius, Ingriæ ſimul & Careliæ Gubernatorem; qui ſuperioribus annis Moderatorem egerat ſtudiorum ac morum G. A. Micræl. Hiſtor. Synt. part. 3. 174. Dunt. Caſ. Conſc. dedic. b. ult.

Sicco pede non poſſumus hic præterire *Confeſſionem Cyrilli Lucaris*, Conſtantinopolitani Patriarchæ Græci, per ea tempora circumferri cœptam, quæ, quod apertè *calvinizaret*, multorum in ſe judicia convertit. Miratæ, imò penitus obſtupefactæ ſunt Occidentales Eccleſiæ ſuper hac tam ſubita tot Eccleſiarum defectione à priſtina fide; cùm tamen tantæ mutationis nullus antea rumor extiterit. *Calviniani* quidem (quos inter *Thomas Mortonus*, Epiſcopus Anglus in ſua, quæ reliquis inſerta eſt, Anglorum, Hybernorum, Gallorum, Helvetiorum, & Germanorum, Johanni Duræo de Pace Eccleſiaſtica transmiſſis poſtea judiciis, epiſtolâ ſatis prolixa) confeſſionem illam fidei à Reverendiſſimo, quem vocant, Patre Cyrillo, Patriarcha Conſtantinopolitano, *nomine omnium Eccleſiarum Orientalium* volunt editam, & cùm per omnia ferè cum Proteſtantium, ut Mortonus loquitur, Confeſſionibus conſentiat, de confraternitate tot Eccleſiarum ſibi gratulantur. Verùm progreſſu temporis certioribus Conſtantinopoli acceptis nunciis, iſtaque Confeſſione ſimul Græcè ac Latinè in guſtum publicum emiſſa, nemo amplius, qui partum iſtum non agnoſceret, inventus fuit. Quippe non O-

rien-

rientalium Eccleſiarum, ſed *Patriarchæ* confeſſio *privata* erat, cenſurâ ſuccedentium Antiſtitum duplici notata, ut infra *c.* 8. dicetur. Hornbek. S. C. lib. 11. de Græcis, pag. 985. Kromajer. Scrutin. Relig. 269. pag.

LIB. IV. CAP. IX.

Summaria.

Cleri Pontificii rixæ de recens occupatis Bonis Eccleſiaſticis.
Societas Jeſuitiſſarum abolita.
Cauſa abolitionis, Oratio P. Valeriani Magni, Jeſuiticam deinde vindictam experti
Franciſcus Roales, in Pozam & Ordinem Jeſuitarum.
Suffragia pro Roaleſio ampliſſima.
Urbanus VIII. potentiæ Hiſpanicæ perquam infenſus.
Ex-Jeſuitæ cujusdam liber, Eminentiæ & univerſalitati poteſtatis Papalis oppoſitus; Conſiliaque Hiſpanica contra P. R. quæ agitata?
Decretum, de cura Eccleſiarum Japonicarum ſolis Jeſuitis committenda, revocatum.
Perſecutio Chriſtianorum in Japonia, exaſperata.

EPiſcopatibus, Abbatiis, aliisque Bonis Eccleſiaſticis, Romano-Catholicis in Germania reſtitutis, *inter ipſos Clericos Papanos, de bonis partiendis lis non minima* movebatur; nondum victoria, jamque diſcordia erat, aliis veteri Ordinum jure, aliis verò novis à Cæſare & Pontifice conceſſionibus (quo provocabant inprimis Lojolitæ) innitentibus; nullo apud utrosque proventu; nam intra breve ſpatium ad proximi temporis poſſeſſores reverſura erant, ſimul involutis, magnam partem illis, quæ hactenus propria Romanenſium, & nunquam controverſa fuere, Bonis. Epit. R. G. 114. pag. Burgold. Not. Rer. Imp. A. 103.

Sub hæc *Urbanus VIII. abolevit Sectam Jeſuitiſſarum*, ſeu mulierum Jeſuitici Ordinis ac nominis, (quæ in Italia & Belgio caput exerens, jam radices agere, nec non aliis in locis plurimis introduci cœperat) peculiari Bulla Jan. 15. data, ſed in menſe Majo demum publicatâ, in qua Pontifex inter cætera ſic loquitur: „ Licet Conciliorum generalium ordinationibus diſtrictè prohibitum eſſet, ne „ quis novæ religionis inſtituendæ autoritatem ſibi arrogare præ-„ ſumeret; licet etiam Pontificum R. ſalutaribus conſtitutionibus „ mulierum cœtus autoritate privata, deque facto inſtituti, tanquam „ exitioſi palmites, damnati & ſublati fuiſſent, & nihilominus (prout

„ ut non ſine gravi animi noſtri moleſtia acceperamus) in nonnul-
„ lis Italiæ ultramontanis partibus, certæ mulieres ſeu virgines, Je-
„ ſuitiſſarum nomine aſſumpto, citra ullam ſedis Apoſtolicæ appro-
„ bationem, ab aliquot annis in unum convenire ſolitæ, vitæ reli-
„ gioſæ ducendæ prætextu, peculiarem atque diſtinctum à cæteris
„ habitum uſurpaſſent, ædificia in Collegiorum formam redegiſſent,
„ domos probationum erexiſſent, in eiſque ſuperiorem ac prætenſæ
„ Congregationis ſuæ Generalem, indito Præpoſitæ titulo, ac attribu-
„ tis facultatibus benè viſis conſtituiſſent, in illiuſque manibus pau-
„ pertatis, caſtitatis & obedientiæ vota ad inſtar ſolennium emitte-
„ re, clauſuræque legibus non aſtrictæ pro lubitu divagari, ac ſpe-
„ cie ſalutis animarum promovendæ, alia opera permulta, ſexus &
„ ingenii imbecillitati, modeſtiæ muliebri, ac virginali præſertim
„ pudori minimè convenientia, & quæ viri ſacrarum literarum uſu
„ vitæque innocentiâ ſpectatiſſimi difficilè admodum aggrediuntur,
„ attentare & exercere conveniſſent: Nos excreſcentes in agro mi-
„ litantis Eccleſiæ vepres maturè ſatagentes evellere, Nuncio noſtro,
„ & ordinariis nonnullis locorum dedimus in mandatis, quatenus
„ propoſitis gravibus periculis ac ſcandalis exinde reſultantibus,
„ præfatas mulieres ſeu virgines ex parte noſtra feriò monitas à te-
„ merario incepto ad ſaniora conſilia revocare conarentur. Verùm,
„ quia illæ poſthabito Dei timore, ac noſtro & ſedis Apoſtolicæ re-
„ ſpectu, in grave animarum ſuarum præjudicium & bonorum o-
„ mnium offenſionem, arroganti contumacia paternis ac ſalutaribus
„ monitionibus noſtris non modo non paruerunt, ſed etiam indies
„ attentare ſimilia, & multa ſanæ doctrinæ adverſantia proferre non
„ erubeſcunt: Nos tantam temeritatem acriori cenſura coërcendam,
„ & plantas iſtas Eccleſiæ Dei noxias, ne ulterius ſe diffundant, ra-
„ dicitùs evellendas & extirpandas eſſe decrevimus. Habita itaque
„ cum Cardinalibus Inquiſitoribus matura conſultatione, de illo-
„ rum unanimi conſilio & conſenſu, prætenſam congregationem
„ mulierum ſeu virginum Jeſuitiſſarum nuncupatarum, illarumque
„ ſectam & ſtatum, ab ortus ſui primordio nullos ac invalidos, nul-
„ liuſque roboris vel momenti fuiſſe & eſſe, Apoſtolica autoritate
„ decernimus, & declaramus: Atque de facto quia proceſſerunt, eâ-
„ dem autoritate penitus ſupprimimus & extinguimus, perpetuæ-
„ que abolitioni ſubjicimus, ab Eccleſia Dei funditus tollimus, de-
„ lemus & abrogamus; proque ſuppreſſis, extinctis, evulſis, deletis,

Eeeee „ & abo-

„ & abolitis ab omnibus Chriſti fidelibus haberi & reputari volu„ mus, ac mandamus. Gerhard. Confeſſ. Cathol. A. 91 2. confer lib. 3. op. cap. 2. de his relata.

Severæ huic Pontificis Bullæ, anſam non minimam dediſſe ferunt *P. Valerianum Magnum*, celebrem illum Capucinum Italico-Mediolanenſem. Ille enim (Kortholtus ait) coram ſacra Congregatione de propaganda fide, graviſſimam & nervoſis rationum momentis inſtructam orationem Romæ habuit, qua movit & pervicit, ut nova, & ad morum virtutumque confuſionem, Viennæ ac Pragæ propagata Jeſuitiſſarum Societas, Pontificia autoritate diſſolveretur, & everteretur. Sed eidem deinceps *Lojolitæ*, ne Cardinalitiam dignitatem impetraret, obicem poſuere. Quæ *Uladislao, Poloniæ Regi*, de Valeriano ſteterit ſententia, teſtatum fecit vel una epiſtola ad Urbanum VIII. perſcripta, qua prædictus Rex Valeriano Cardinalatûs dignitatem acquirere contendit; ac præter difficultatem acquiſita fuiſſet, niſi jam tum Societas, quam vocant, JESU, invidia & odio adverſus Monachum flagrans, impetrandæ dignitati obſtitiſſet; veluti nominatus autor, Chriſtianus Kortholtus, D. & Prof. Kilonienſis refert, in Va'eriano Confeſſore, lit. a. 4. 5.

Acer tum fuit *M. Franciſcus Roales* (Ferdinandi Hiſpan. Principis Regii Præceptor) *adverſus Lojolitas*, quos, præſertim poſt *Johannis Baptiſtæ Pozæ* vulgata, & à Sodalibus approbata Scripta, hæreſeos, deterioris Arianâ, non tantum in Hiſpania, ore, calamoque accuſavit publicè; Sed etiam Romæ, per libellum peculiarem Collegio Sacræ Inquiſitionis traditum, idem fecit; ſponte ſemet offerens ad ſubeundas hæreticorum pœnas, niſi accuſationem probaret ſufficientiſſimè. Hogel. in Gamal. 155.

Nominato *Roaleſio*, ipſo non diffitente *Poza* in ſua relatione, *aſſenſum præbuere potiores Europæ Univerſitates*, & ſpectatiſſimi Regni Papalis *Ordines*, aliique in Hiſpania doctorum virorum præcellentiſſimi; *Papaque* demum, ſuffragante Cardinalium E. R. Collegio, ſparſos in Hiſpania Pozæ libros, à Societate licet approbatos, tanquam hæreſibus infectos, omnes damnavit. Id. ib. 156.

Aliquot abhinc annis *potentia Imperatoris R. & Hiſpaniæ Regis*, in Germania proſperis admodum ſucceſſibus increſcens, ita jam Pontifici *Urbano* ſuſpecta eſſe cœpit, ut *Galliæ Regi* non obſcurè favens, eundem admonuerit, ne Statum Germaniæ proculcari fineret: qua admonitione Gallum, ſponte currentem, adverſus Auſtriæ ac Hi-

Hiſpaniæ domos excitavit magis. Duravitque Urbani contra illas malevolentia, etiam poſt inclinatam earundem, per ſtupendos Guſtavi Adolphi S. R. progreſſus, fortunam. Tum enim infenſum erga Iberos inprimis animum prodens, eorum Legato, in pleno Cardinalium conſeſſu, dicere in os non dubitavit: *Hiſpanum ſua tyrannide, ac regnandi libidine id effeciſſe, ut boni Catholici debeant exultare in victoriis hæreticorum.* Heideg. in hiſtor. Papat. p. m. 376.

In Hiſpania verò *Lojolita* quidam Duci Olivario à ſecretis Confeſſionibus, abdicato Societatis genio, edidit librum *de poteſtate Pontificis*, quo eundem Romæ ſuæ affixurus, palam docuit: „ Omnem „ poteſtatem, quam Capitis Eccleſiæ titulo in Chriſtianum orbem „ ſibi Papa vendicet, meram uſurpationem eſſe, intruſionem & vio„ lentiam; non exiſtente Papæ in alio (ac certè etiam in iſto) ulla „ ſuper alios Epiſcopos prærogativa, niſi quantum ad occidentalem „ dignitatem, non ad ſuperioritatem jurisdictionis: Non habent, „ inquit, in ſua quaque diœceſi, minorem quoad hoc jurisdictio„ nem Epiſcopi, quàm habet Papa in ſuo Epiſcopatu S. Johannis „ Lateranenſis: Papa non eſt ſupra Concilium, ſed contra; Proindè „ excommunicatio bullæ in Cœna Domini adverſus eum, qui à Pa„ pa appellaverit ad Concilium, eſt injuſta, invalida, intolerabilis. Hucusque Ex Jeſuita. *Hiſpanis* taliter à Pontifice diſſidentibus, in eo *conſilia* ſtetiſſe ferebantur, *ut à Pontificibus R. auferrent collationem beneficiorum Eccleſiaſticorum in illo Regno*, & erecta ibidem, quam vocant, *dataria*, eos argento, quod inde hactenus perceperant, mulctarent. Ibid. Heideg. 377. pag.

Decretum Regis Hiſpaniæ Jan. 6. an. 1628. à *Jeſuitis* impetratum, quo ſolis ipſis *Japonicarum Eccleſiarum commiſſa fuit cura*; Romæ non ſaltem *improbatum*, ſed & ab eodem Rege anno 1631. *retractatum* legitur; Sequuta deinde *Bulla Urbani VIII.* qua religioſis aliis non minus eadem poteſtas, regiones illas adeundi, data. Act. Erud. Lipſ. an. 1690. pag. 443.

Cæterum dicta in *Japonia*, nondum ſedata *Chriſtianorum perſecutio*, exaſperabatur magis, & quidem ejusmodi ſuppliciorum generibus, ad quæ veterum equuleus quaſi pluma mollis fuit. Præteritis annis, initio capite plecti, Crucique affigi cœperunt; cumque hilari animo ſupplicia iſthæc à Chriſtianis tolerari perſecutores cernerent, ad alia truculentiora & ſæviora indies progreſſi, alios palis alligatos lento exiguoque igne cremarunt; alios cratibus impoſitos

 aſſa-

aſſarunt; alios aquâ per fauces ingurgitatâ repletos pedibus conculcarunt, ut liquorem cum ſanguine per os, nares, oculos & aures, redderent, &c. Aliorum naribus fiſtulas immittebant, ſulphure aliaque materiâ fœtida repletas, quas igne dein ſuccendebant; Apud alios tubos ferreos eosque acutiſſimos, partibus carnoſis impreſſos, carne demum & ſanguine plenos, retrahebant, virgines atque uxores teneras, nudo corpore per compita tractas, ac impuriſſimorum nebulonum libidine palam corruptas, tandem prægrandibus ligneis cupis, ſerpentibus plenis imponebant, ut lubrica animalia in pudendas partes irreperent, & incredibili miſerarum dolore, has enecarent. Alios ligneâ ſerrâ non medios quidem diſſecabant, ſed in brachiis & cruribus, repetitis tractuum atque retractuum vicibus, horrendum in modum lacerabant; alios aquis ferventibus uſtulabant ad necem, dein ſemimortuos at præſtantiſſimorum ope Medicorum refocillatos & confirmatos, prioribus aliisque tormentis iterum ſubjiciebant, eaque crudelitate multos è conſtantiſſimis, & qui firmiſſimum perſeverandi conſilium ceperant, ad abnegationem Chriſti cogebant; Fuiſſe tamen dicuntur, qui Apoſtaſiam coactam deplorantes, teterrimis denuò ſuppliciis, ultrò ſeſe obtulerint. Prætereunda ſunt plurima, ne nimis prolixi ſimus, quia omnes tormentorum machinas explicare longum foret. *Novum* tamen *torquendi modum* hoc ipſo anno inventum à diabolicis inſtrumentis, omnibus ferè atrociorem, quem inter alios dicunt ſuſtinuiſſe *Nicolaum Keyan*, Japonium natione, ſed profeſſione Jeſuitam paulò inferius & competente loco tangemus. De relatis interim confer Bernhard. Varen. de Relig. in regn. Jap. Cap. XI. per tot. pag. 138. ſeqq. ejusque Epitomatorem Heideg. in hiſt. Papat. 374.

LIB. IV. CAP. X.

Summaria.

Pelargus, quomodo à Suecorum Rege G. A. in occupatione Francofurtenſi habitus?

Theologorum quorundam Calvinianorum conatus, Lipſiaco-Irenicus, inanis.

Hugonottæ Carentoniani, Lutheranos ad communia ſacra admittentes

Quæ facilitatis illius cauſa? Quodnam inde Hugonottis lucrum?

De

DE *Chriſtophoro Pelargo*, Theologo Francofurtenſi ad Oderam, & Superintendente Generali Marchia-Brandenburgico, nolumus ignorari, eum primitus doctorem Lutheranum fuiſſe ſatis celebrem, ac præter alia ſcripta, doctrinæ Confeſſioni Auguſtanæ invariatæ in totum conformia, *Theologiæ Compendium* ediđiſſe ſolidum & orthodoxum; deinde verò mutata mente, circa annum hujus Centuriæ decimum quartum, Apoſtatam & Calvinianum eſſe factum, qui nominatum librum turpiter immutavit, ac tetros novorum fratrum errores paſſim infarſit, & ſparſit; nullo tamen ſui ſuorumque commodo: nam ob id à Svecicis militibus malè habitus, omnique *librorum theſauro*, & aliis rebus optimis, hoc ipſo anno quo Sveciæ Rex *Guſtavus Adolphus* Francofurtum ex ratione bellici ſtatûs occupavit, ſpoliatus eſt. Ea propter autem ſupplicans Regi, ut juberet libros ei ſuos reſtitui, hoc reſponſum tulit: „Fore, ut omnes reddantur, modò prius ipſe *Compendium*, quod ni„mis deturpaſſet, priſtinæ formæ reſtitueret. Pelargus factum excuſaturus, repoſuit, ſe ab *opinionibus* declinaſſe, non à *fide*; Cui Rex auſtero proinde vultu, *Abi*, dixit, *& reſipiſce*! Refert, acceptum à teſte aurito D. Joh. Müll. Hamb. in Atheiſm. dev. pag. 46. confer lib. 2. oper. cap. 15. & 39.

In *Lipſienſi conventu* Electorum, Principum, & Statuum Imperii à Papanis diſſentientium, à Calvinianis quibusdam Theologis, occaſionaliter ac privatim, denuò *Concordia & unio Eccleſiaſtica cum Lutheranis*, tentata quidem, ſed non impetrata fuit. Fiſtula Brandenburgico-Haſſiaca dulciſſimè canebat, qua ſe ſperato tandem fraternitatis titulo, Saxonicis inſinuare laborabant, ſed in caſſum. Licet enim ab initio ſtatim factæ Collationis amicabilis, proteſtati ſint, quorum à Calvino nomen habet ſecta, ſe ab *Auguſtana Confeſſione*, ea ipſa videlicet, quæ anno 1530 die Jun. 25. Carolo V. exhibita, minimè alienos eſſe, ut pote cui, pariter ac ſereniſſimi ſui Principes, perpetuò addictiſſimi fuerint; licet præterea in ipſa etiam Collatione, multis ita ſe declararint, ut propius acceſſiſſe ad ſententiam orthodoxias viderentur: Nihil tamen eos, more Majorum, præter *verba* dare inania, Saxonici credidére Theologi, ac dediſſe nil amplius, propalam Eventus & Experientia docuere. Scilicet perpetuo id agit Calviniana gens, ut verbis ludat, ſuisque amphiboliis non modò imperitis, ſed etiam (ſi qua fieri poſſit) ipſis Eruditis imponat; nec noſtris accedere cœtibus, ſed hos fraudulenter & furtim

furtim ad ſuos, perducere dicam, an pertrahere, intendat unicè, &c. Adeò verum eſt, quod pag. 3. 5. ſcripſit in Inquiſ. ad Act. Henot. *D. Tob. Wagn.* ,,In Eccleſiæ noſtræ cingulum perpetuò includi, ac ut ,, fratres tolerari deſiderant Calviniani, vado multoties non alia ſpe ,, tentato, quàm fore, ut tolerati, Nos (Lutheranos) in ſuæ Con- ,, feſſionis naſſam, ſub ſvaveolentæ fraternitatis titulo, attrahant, & ,, nos noſtrâ tolerantiâ non lucremur ipſos, ſed ipſi nos lucrentur, ,, atque in ſalebroſum tramitem ſuæ religionis doctrinæque tradu- ,, cant. Inde *D. Walther*, Superintendens Cello-Lunæburgicus Generalis, judicium rogatus in Aula, ecquid de putativo ſyncretiſmo Lipſienſi ſtatueret? rectiſſimè reſpondit: Es ſeye zwar ein neuer Fidelbogen/ womit die Calvinianer zu Leipzig ſtreichen/ aber die alte Geigen/ i. e. *veteris panduræ novum eſſe plectrum*; &c. vide Calov. ſyſt. Theol. A. 226. Mich. Walt. Cent. Miſcel. 302.

Eodem propemodum tempore, quod in reſtabilienda conjunctione ſuarum Eccleſiarum cum Eccleſiis Lutheranis, Calviniani tunc in Germania tentarunt, idem ab iisdem *Carentoni* tentatum fuit in Gallia, eumque in finem *decreverunt*, *Lutheranos tum ad matrimonia cum Calviniſequis, tum ad offerendos infantes in actione baptiſmali, tum ad S. Cœnam admittendos eſſe.* ,,Cùm enim, ſcribit *Amyral-* ,,*dus*, Burgundiæ Legati ſuo & Collegarum in ea provincia nomine ,, quæſiviſſent, num fideles, qui Confeſſionem Auguſtanam ſequun- ,, tur, quibus cum Burgundis & Lugdunenſibus, ob viciniam, & ,, varia mercaturæ negotia, frequentius, quàm cum reliquis, com- ,, mercium intercedit, admitti poſſint in Eccleſiis ſuis ad contrahen- ,, da Matrimonia &c. citra præcedentem abjurationem opinio- ,, num, quas Eccleſiarum Gallicanarum doctrinæ contrarias am- ,, plectuntur, ſynodus unanimi conſenſu ſententiam ſuam ſic ſatis ,, clarè declaravit: Quandoquidem Eccleſiæ Confeſſionis Auguſta- ,, næ cum cæteris Eccleſiis Reformatis conveniunt in præcipuis ar- ,, ticulis fundamentalibus veræ religionis, nulla autem eſt in earum ,, cultu religioſo vel Idololatria, vel ſuperſtitio, fideles illius Com- ,, munionis, qui cum Spiritu charitatis & verè pacifico cœtibus pub- ,, licis hujus regni ſeſe aggregant, ac earum Communionem con- ,, cupiſcunt, citra ullam abjurationem admitti poſſunt ad contra- ,, henda matrimonia cum fidelibus noſtræ confeſſionis, & ad offe- ,, rendum infantes ad Baptiſmum, ad participandam S. Cœnam; quod ipſum decretum ſumma ſapientiâ, ſummaque charitate conditum

ditum Amyraldus celebrat. Fuere, qui putarunt, non alio ſine factum id fuiſſe, quàm ut Calviniani Sveciæ Regem ſibi conciliarent, cujus progreſſibus rem Proteſtantium extolli, & Romano-Catholicos opprimi poſſe, illo potiſſimum tempore ſibi perſvaſerint. Sed hinc, ut *Hugonotas* Regi & Paribus Franciæ exoſos redderent Lojolitæ ac Epiſcopi papales, clamarunt: Jam etiam Lutheranos in Galliam vocari, contra expreſſas Regni leges, &c. Wagn. Act. Henot. pag. 5.6. Leideker ad Horn. hiſt. Eccleſ. 357. 391.

LIB. IV. CAP. XI.

Summaria.

Coornhertiſtarum deliria de Eccleſia Interimiſtica.
Coornherti literatura ſerior.
Ejusdem de Prædeſtinatione pronunciatum extremum.
Vatis Transſylvanici ſomnia.
Cornelii à Lapide prædictio de Regni Turcici ruina.

COornherti aſſeclæ, Anteceſſoris jam anno 1590. vita defuncti, libros nuper tribus in folio ſat craſſis voluminibus editos paſſim divulgant, ac de *Eccleſia* neſcio qua *Interimiſtica* blaterant; Cujus, tanquam Eccleſiæ communis erigendæ, dictis in libris ſchema proponitur, & ſæpius commendatur, ubi vel ſolus textus legeretur, absque gloſſis & expoſitionibus, vel etiam ad monitiones è Scriptura ab aliorum judicio, non autem ex autoritate, aliquando fierent, ad modum alterius ac novi *Interim*; uſque dum nova Divinaque ad extruendam Eccleſiam miſſione accederent miniſtri, quales Apoſtoli fuerunt; Eccleſiam ex Chriſti præſcripto novam erecturi, qua jam miſſione, ad erigendam cum reformatione Eccleſiam, omnes careant. „In Eccleſia hac Interimiſtica, ſecundum ejus delinea„torem, rarò aut nunquam utuntur humanis gloſſis, non quod „peccatum ſit, ſed quia in certum, à ſole ad ſtellas, & à fontibus „ad ciſternas recurrere: Atque ita nemo etiam hîc ſibi officium do„cendi arroget, ut cum autoritate mandet vel prohibeat; benè qui„dem, ut ſub meliori ſententia admoneat, idque ex Scriptura. Hornbek in S. C. lib. 6. pag. 469. confer quæ de Coornherto adduximus lib. IV. op. cap. IV.

De iſto *Theodoro Coornhert* idem Hornbekius ſcribit, quod *anno ætatis demum trigeſimo latinam linguam addiſcere cœperit*, ſubiiciens poſt pauca: „Obiit an. 1590. & quod valdè obſervandum, is, qui, „tam

„ tam impotenter de prædeſtinatione multa, ſibi nequaquam in-„ tellecta, ad verſus Theologos noſtros (Calvinum, Bezam, Danéum, „ alios) ſcripſit, ſub mortem, veritatem ejus in ſe ſentire & agno-„ ſcere coactus fuit, ad DEUM exclamans: ſe animam ſuam ab eo „ poſſidere, quam DEO integram ſit pro ſuo beneplacito ſervare, „ an reprobare, ſibi nil eſſe, quod conqueratur. Quod nihil aliud „ eſt, quàm vim & ſummam prædeſtinationis Divinæ, in nobis aut „ ſalvandis, aut abiiciendis, pro DEI ſummo in omnes arbitrio, pro-„ prio ſenſu confiteri, ac in morte ſincerius teſtari, quàm multis „ infrunitis & impetuoſis adverſus eam ſcriptis, per vitam. Hactenus Hornbek. cit. lib. pag 468. quàm benè? Lector judicabit.

Vaticinium fanatici & phantaſtici *prophetæ Tranſylvanici* tum fuit: grave ob Italiam ac Pontificem Tyberinum, inter Hiſpaniæ Galliæque Reges oriturum eſſe bellum; cumque ſuperior evaſerit ille, hunc à Sveco petiturum auxilia, & impetraturum: Ea occaſione Heröem ſeptentionalem Romam occupaturum, ſpoliaturum, devaſtaturum, & ex Vaticano translaturum Bibliothecam Heidelbergenſem ad priſtinum locum, evicta ſimul Friderici Palatini, à Ferdinando Auſtriaco proſcripti reſtitutione; demum etiam & Germaniam, & Sveciam, ex immenſis Italiæ theſauris, ditaturum inſigniter. En ſomnia, non Vaticinia! Ex pecul. libell.

Ut fidem ſupra C. IV. datam liberemus, *Cornelii à Lapide prædictionem de ruina regni Turcici*, communicamus ex diſſertatione Theologica *D. Dannhaueri*, de Fato flagelli Turcici pag. 41. dicentis: „ Cornelius à Lapide, in appendice ad Apocalypſin, poſtquam „ grande jeciſſet poſtulatum, mille annis in Apocalypſi vigeſimo, „ deſignari durationem regni, ſectæ, perſecutionis, hæc hariolando „ effudit: Chriſtiani ordiuntur annos ſectæ & regni Mahometis ab „ anno Chriſti ſupra ſexcenteſimum trigeſimo; illo enim fundata „ eſt hæc ſecta & regnum, illoque pariter mortuus eſt Mahomet; „ quare cum anno Chriſti 1630. vel ſaltem proximo tempore, ex-„ plendus ſit milleſimus à Mahomete annus, circa idem tempus „ magnam Imperii Turcici, & ſectæ Mahometanæ inclinationem, „ vel ruinam, aut ruinæ exordium expectant. Quod ipſum ita re-„ vera fore, nonnulli viri ſanctitatis & prophetiæ famâ celebres in „ Italia, Germania, Hiſpania, prædixerunt. Idem viri ſapientes „ atque ſagaces, ex variis tum preteritis tum præſentibus eventibus, „ ſolerter conjectant, dictitantque finem ac terminum belli contra

„ Tur-

„ Turcas ac Saracenos, niſi Chriſtianorum vel æmulationes vel diſſi-
„ dia, vel ſocordia ac torpor, vel graviora ſcelera impediant; Ad hoc
„ enim permultis magnisque voluntatis ſuæ indiciis eos invitare &
„ vocare videtur Deus. Ibidem recitat Lojolita prædicationem S.
„ Franciſci de Paula Fundatoris Ordinis Minorum, ex literis ad Si-
„ monem de Limena exaratis: Ex te ô Simon, deſcendet Fundator
„ novæ religionis, quæ tres habebit partes; Prima erit equitum ar-
„ matorum; Secunda Sacerdotum; Tertia hoſpitaliorum; Erit hæc
„ religio omnium ultima, magnumque fructum afferet Eccleſiæ;
„ extinguet maledictam Mahometis Sectam, quin & hæreſes omnes,
„ ut fiat unum ovile & unus paſtor. Sanè his annis plures viri re-
„ ligioſi, & Prophetiæ opinione celebres, prædixerunt inſtare certô
„ ruinam Turcici Imperii, Chriſtianosque brevi terrâ ſanctâ poti-
„ turos, Idem Cornelius in Præf. ad Prophet. minor. ſcripſit. Hacte-
nus Dannhauer.

LIB. IV. CAP. XII.

Summaria.

Colloquii Lipſienſis occaſio, modus, collocutores, conditiones, materia, conſignatio, clauſula, & eventus.

De eodem Colloquio obſervationes quædam.

Nicolai Hunnii liber de Apoſtaſia R. Eccleſiæ in lucem emiſſus.

Arminianiſmus, uti prius à Bodechero, ita nunc à Vedelio, manifeſtæ cum Socinianis harmoniæ accuſatus.

Catechiſmus Zachariæ Gergani, Romæ impugnatus.

ONUS ECCLESIÆ recuſum.

HOc in capite *Colloquium Lipſienſe*, inter Theologos quosdam Lutheranos & Calvinianos habitum, ſibi primum vendicat locum. Id qua occaſione inſtitutum? quale fuerit? inter quos & quibus initum conditionibus? de quibus articulis? quoque demum eventu? breviter dicemus. *Occaſio* fuit, Conventus quorundam Electorum & Principum Lutherano- & Calviniano-Reformatorum, qui remedia contra triſtes in Imperio R. turbationes tentabant quærere. Adducebant ſecum Calviniani Theologos ſuos, & Elector quidem Brandenburgicus Johannem Bergium; Haſſiæ Landgravius autem Johannem Crocium, ac Theophilum Neubergerum. Hi fœdus forſan Politicum inter utriusque Religionis Status ineundum reſpicientes, D. D. Lyſerum & Höpfnerum Profeſſores Lipſienſes, ut & cum Electore Saxonico præſentem Concionatorem aulicum Doct.

 Hoën,

Hoën, nil minus cogitantes, accedebant, & ex diſſidio utriusq; partis Eccleſiæ inflicta vulnera exponebant, ad Colloquium ſe offerentes, an ad Concordiam Eccleſiaſticam via propior ſterni queat? Verùm à Saxonicis tota res, præſertim, quia ſtatum publicum concernebat, ad placitum ſui Electoris rejiciebatur; quo certis conditionibus annuente, Collatio deinceps inſtituta, in conclavi D Hoëi, quod aſſignatum ei fuerat in domo quæſtoria. Factaque *Collatio* homileticè magis, quàm polemicè; non publico Eccleſiarum, ſed privato paucorum Theologorum pari numero conferentium, nomine; Et, ſine cujusquam, de quo in exordio ac fine Colloquii, ſolennis utrinque proteſtatio facta, præjudicio. *Colloquutores*, à tertio Martii die usque ad vigeſimum tertium fuerunt, ex Lutheranis: Matthias Hoë von Hoenegg/ D. & Concionator Aulico-Saxonicus; Polycarpus Lyſerus, D. & Profeſſor; Henricus Höpfnerus, Doctor atque Profeſſor. E Calvinianis: Johannes Bergius, D. & Concionator Aulico-Brandenburgicus; Johannes Crocius D. Theologus Caſſellanus; Theophilus Neuberger, Eccleſiaſtes Aulicus Caſſellenſis. *Conditiones*, de quibus Theologi monebant etiam ante, quàm ad El. Sax. res deferebatur, erant, ut ſaltem pro Collatione privata, citra præjudicium Eccleſiarum, iſthoc haberetur Colloquium; videretur, quousque partes diſſidentes invicem abſint? an ſpes aliqua conciliationis futura; & controverſiæ inter Eccleſias Lutheranas atque Calvinianas jam integro ſeculo agitatæ, ſi non componi, tamen aliquo modo minui poſſent? Agebatur *de omnibus Augustanæ Confeſſionis*, Carolo quinto exhibitæ, *articulis*, quibus Brandenburgici & Haſſiaci ſe ſubſcripturos offerebant, facta in plerisque tali declaratione, ut ſi procul ambiguo D. Bergius ac ſocii ejus eſſent, puraque mentium & linguarum vigeret harmonia, D. Hoë cum ſuis Collegis non adeò multum deſiderarent: Præcipuæ tamen diſſenſiones manebant in capitibus de Perſona Chriſti, Prædeſtinatione, & S. Cœna. His ita expeditis, *certa* demum *forma conſignabatur* eorum, in quibus Colloqutores conveniebant, aut convenire putabantur (ob reſervationes mentales, & ambiguas Calvinianorum locutiones, quas brevi poſt eorum primanus, in ſuo tractatu de S. Domini Cœna, plus ſatis prodidit) ac diſcrepabant, cui ſua manu deinde ſubſcribebant utriusq; partis Theologi: Conſenſum verò ac diſſenſum iſtum, ſi prudens Lector penitius introſpiciet, mox, quod una manu à Calviniſequis porrectum fuit, altera ſubtractum deprehendet; atque controverſiarum

ſiarum gnarus, facile circumventionum & ambiguitatum illorundem guſtum aliquem faciet. *Clauſula* talis addebatur Actis, Colloquium totum eo loco, ac ſi nunquam fuiſſet habitum, cenſendum eſſe, nec alteram partem, ſine conſenſu alterius, quidquam de hoc ipſo ſpargere debere; charitatem interea Chriſtianam (nullatenus Fraternam) invicem ſibi non denegabant, *Eventus*, nec horum, nec illorum votis reſpondit, nihilque aliud effectum eſt, quàm ut variæ ſuſpiciones moverentur de Saxonicis Theologis, falſique rumores ſpargerentur contra ipſas Eccleſias Lutheranas, Hoë verò præſertim & Bergius, publicis ſe invicem ſcriptis laceſſerent. Vide locos AntiSyncretiſticos Hieron. Kromajer. pag. 315. ſeq. ex actis Theol. Facult. Lipſ. confer Hornbek, S. C. 693. & Micræl. libr. 3. 641. pag.

Ex veriſſima hac relatione patet, *naviter impudentes ac mendaces fuiſſe*, & eſſe omnes, qui triumphum ante victoriam canentes, gloriati ſunt, aut gloriantur, de convincta demonſtratione Lipſiæ tunc facta, Lutheranos & Calvinianos in fundamentalibus non diſſentire; propterea que inter Theologos utriusque partis fraternam Concordiam ibi ſancitam; atque inter ipſas Eccleſias, hactenus invicem litigantes, initum quendam Syncretiſmum tamdiu deſideratum & flagitatum. *Nimium à vero declinaſſe*, dicentes, ac ſcribentes, de tribus tantum quæſtionibus, ad ſpeculationem ſcholaſticam potius, quàm ad ædificationem Eccleſiaſticam, vel ad hominis Chriſtiani ſalutem pertinentibus, in Lipſienſi Colloquio controverſiam hæſiſſe. *Sibimet ipſis Calvinianos fuiſſe contrarios*, dum profeſſi ſunt, amplecti ſe A. C. Carolo V. exhibitam, & ad ſubſcriptionem ejus paratos eſſe, nec tamen voluerunt eam rejicere, quæ privato auſu, decennio pòſt perperam variata & adulterata, publicique juris à Philippo Melanchthone facta: „ Conciliet hæc, ſcribit M. W. qui con„ciliare didicit, ego me hoc myſterium iniquitatis ignorare, apertè „ teſtor: niſi forſan aliquid iſti conjecturæ dandum, veram confes„ſionem explicandam eſſe ſecundum falſatam; prototypon juxta „pſeudotypon; Symbolum publicum juxta privatum; Auguſtanum „ juxta Wittenbergicum: Pari nimirum artificio, rectius maleficio, „ quo uſi ſunt olim Crypto-Calviniani, crocitantes, Lutheri ſcripta „omnium commodiſſimè exponi per ſcripta Melanchthonis. Novimus hac in parte, quid Cacodæmon mente volutet. Ultimùm quoque patet, *Calvinianos Colloquium ſæpè indigitatum, ſine non bono quæſi-*

viſſe, quia ſtatim eo finito, multa hinc inde diſſeminarunt, cum fidem Saxonicis dediſſent, ſine ipſorum conſenſu tale quid ſe nunquam facturos. Adeò taciturni erant Lutherani, ut vel ſuis amiciſſimis aliquandiu nil aperire, donec neceſſitate urgerentur, voluerint; Sed altera factio, quum ſilere neſciverit, datamque fregerit promiſſionem, ſeipſam prodidit, quam geſtent vapido ſub pectore vulpem! D. Wagn. Inquiſ. in Act. Henot. 5. 8. D. Walther. Cent. Miſcell. 301. ſeq.

In lucem publicam eodem anno prodire fecit *Nicolaus Hunnius* (Ægidii non degener filius, Doctor Theol. & Lubeccenſium Superintendens celebris) librum ſuum quem inſcripſit: *Apoſtaſia Romanæ Eccleſiæ*; in eoque ſufficienter, & magnam partem ex propria Papicolarum confeſſione, probat, omnia ferè, quæ in externo eorum cultu vigent, è Gentiliſmo eſſe deſumpta, e. gr. theatricas Miſſæ actiones, Invocationem Sanctorum, aquæ luſtralis uſum, flagellationem ac diverberationem proprii corporis, proceſſiones varias, mortuorum Canoniſationem ſeu Deificationem, Reliquiarum venerationem, ſacrarum ædium ſtructuram ac dedicationem in honorem defunctorum, dies feſtos & peregrinationes votivas in eundem finem, aliaque plura. Vid. Pell. Ovin. Pontif. detract. pag. 165.

Equidem *Calviniani*, quorum in ſinu & gremio prognata eſt *Arminianorum* Secta, infelix illa multorum capitum hydra, tum ſinguli, tum juncta manu ad eam expugnandum ſurrexerunt, aliis alio modo, nec eodem ſucceſſu rem aggredientibus. Pleriſque *collationem* libuit inſtituere *novæ Sectæ, cum hæreſi Sociniana*, quod inter primos *Nicolaus Bodecherus*, Eccleſiæ Alcmarianæ Paſtor, in Sociniano-Remonſtrantiſmo an. 1624. ed. cum approbatione Facultatis Theologicæ Leidenſis tentavit. Præcipuè autem id aggreſſus eſt *Nicolaus Vedelius*, poſtremò in Academia Franequerana Profeſſor, in Arcanis ſuis, ita vocatis, Arminianiſmi, libris diſtinctis, in ſolem atque pulverem productis; quorum primum Facultas eadem Leidenſis calculo ſuo an. 1631. approbavit, hoc ſuſpenſo elogio, quod ſolidè Arminianiſmi fundamenta ſubvertat, & prudentiſſimè pericula detegat; quem verò majori molimine, quàm apparatu aut judicio, cauſam hanc egiſſe, alii, fortaſſis non præter rem, dixerunt. D. Calov. in Dedicat. Conſiderat. Armin. A. 3. 4.

Inter libros recentis Græciæ, præprimis numerandus eſt *Catechiſmus Zachariæ Gergani*, Lutherani Græci, Artenſis Epiſcopi, qui

tamen

tamen paucorum in manibus verſatur, nobismet ipſis, ut verum fateamur cum dolore, nunquam viſus. Summa ejus capita recitari dicuntur in *refutatione*, hoc anno *Romæ* impreſſa; Græco idiomate vulgari, & latino; quàm candidè id factum, utriusque operis docebit inſpectio. *Matthias Caryophilus*, ex Græcis pueris Romæ educatus, ibique Romana fide imbutus, fertur contra Catecheſin illam ſcripſiſſe; an autem allegata *confutatio*, ſit idem ille fœtus ingenii Caryophilini, aliis inquirendum relinquimus. Vid. Exercitat. Hiſtorico Theolog. El. Vejelii Ulm. pag. 4. & Act. Lipſ. Erud. ſupplem. tom. 1. 78.

Recuſus quoque t. t. Coloniæ, liber ille ſæpius in ſcriptis Theologorum allegatus, cui nomen, *onus Eccleſiæ*, qui licet autorem habeat Pontificiæ Religionis, Eccleſiæ tamen Romanæ Statum elapſi ſeculi corruptiſſimum (quo ſanè non melior eſt hodiernus) graphicè depingit. Sectione quinta ſic ſcribit: „ Eccleſiaſtica modò ſub„ limitas multifariam eſt lacerata. Hoc in Apocalypſi oſtenditur, „ in ſigilli ſexti apertione, i. e. moderni temporis noſtri, quando ſol, „ qui eſt ſpiritualis potentatus, factus eſt niger, quia non ſerenum „ cœlum: ſed tetrum infernum aperit; propterea perverſus Pontifex, „ nuncupatur Angelus Abyſſi. Sectione octava: Heu, inquit, ſicut „ olim in Imperio R. ſic hodie in Curia Romana, eſt vorago divitia„ rum turpiſſima. Crevit avaritia, periit Lex à Sacerdote, ac viſio „ de Propheta, & conſilium à Senioribus. Claves Eccleſiæ ſunt in „ abuſu, & ſervitute ambitionis & Simoniæ. Vitia enim fermè Cu„ rialium celari negarique vix poſſunt; Roma quaſi gurges flagitio„ rum. Sectione decima quinta: Ecce Roma nunc eſt vorago & „ Mammona Inferni, ubi diabolus totius avaritiæ Capitaneus reſi„ det, vendens patrimonium Chriſti, quod ſua paſſione promeruit, „ qui nobis præcipit, ut gratis demus, quod gratis accepimus. Id „ modo verſum eſt in proverbium: *Curia Romana; non petit ovem ſine* „ *lana, dantes exaudit, non dantibus oſtia claudit, &c.* Sic Oneris Eccleſiaſtici *autor*; qui N. N. Epiſcopus *ſuffraganeus Salisburgenſis* fuiſſe putatur. Heidegg. in hiſtor. Papat. 208. ſeq.

LIB. IV. CAP. XIII.

Summaria.

Fœdus Suecorum & Gallorum Berwaldinum.
Fœdus Principum Imperii Lipſienſe.
Francofurtum ad Oderam à Suecorum Rege expugnatum.

Magdeburgi excidium.
Exercitus Cæſareus, ex Italia in Germaniam penetrans, Fœderatosque Lipſienſes diſſocians.
Tillii in Saxoniam irruptio: Sueci & Saxonis conjunctio.
Prælium Lipſienſe, Ferdinandinis funeſtum.
Victoria, quomodo tum Saxo, tum Suecus, uſi fuerint?
Georgius Rakozius I. Transſylvaniæ Principatum obtinet.
Moſci, à Polonis inſolenter Smolenskum repetunt.
Turcarum expeditiones. Nuptiæ Ferdin. III. Hungariæ Regis.
Mors Friderici Achillis, Ducis Wirtenbergici.
Comitum Tubingenſium ſtirps maſcula, terminata.
Comboſammæ, magni Regis Japonii, deceſſus.

SUb initium anni, rerum in Germania promptius gerendarum causâ, in arctum *fœdus Sueci & Galli* coaleſcunt, ad ſexennium; quod, quia Berwaldiæ, in nova Marchia Brandenburgica, factum, *Berwaldinum* dicitur. Adulto deinde Januario Sueciæ Rex G. Ad. urbes in Pomerania nondum ſubactas, ut Garzium, Greiffenhagam, Daminum, Colbergam, ſubigit; jamque Ducatui Mekelburgenſi imminens, Damgartam & Rubnizium oppida maritima, occupat, ut ejectos inde Duces, Adolphum Fridericum, & Johannem Albertum, à Cæſare proſcriptos, reponeret. Boxhorn. Chron. 158. Epit. hiſt. Turſ. contin. 2. 41.

Succorum victricibus armis ita progredientibus, cùm nihilominus Cæſar, adverſus *Proteſtantes* obſtinatè urgeret executionem decreti de reſtituendis Bonis Eccleſiaſticis, illi menſe Februario *Lipſiæ* conveniunt, ibique ad ſe ſuaque defendenda *fœdus* percutiunt, transmiſſis prius repetitis *gravaminibus*, atque *ſupplicibus literis*, ut queſtibus medicina fieret, ne ad ea forſan adigerentur media, quæ dura neceſſitas in deſperatis caſibus vel ſuadere, vel imperare ſoleat. Hieron. Kromaj. H. E. 634. ſeq. Stratem. 1130.

Interea Rex *Guſtavus*, *Francofurtum ad Oderam vi capit*, occiſis Cæſareanorum duobus millibus, mille captis, pluribus aut fluvio abſumptis, aut in terras diſperſis, qui locum præſidio tegere debebant. Magna hîc inventa commeatuum & bellici apparatûs copia, quæ Suecis ceſſit, ingenti dolore Tillii. Turſell. contin. 2. pag. 41. Epitom. R. G. 121.

Tùm verò *Tillius Magdeburgum* acerrimè oppugnat ipſemet, atque per Pappenhemium; eam inprimis ob cauſam, quod propenſior eſſet

eſſet urbs Auguſta in Auguſtum Saxonici Electoris filium, ut ArchiEpiſcopi munere fungeretur, quàm in Leopoldum Cæſaris gnatum, illum quidem à Canonicis Lutheranis, hunc ab Imperatore & Papa nominatum. Inerat urbi *Chriſtianus Wilhelmus* è Marchionibus *Brandenburgicis*, Adminiſtrator Præſulatus, at à Cæſare proſcriptus privatusque ea dignitate, ac *Theodorus Falkenbergius*, Legatus Suecicus; his autoribus potior pars civium extrema decrevere, ſua interim incuriâ hoſti viam ad irruptionem & expugnationem parantes, dum locum aliquem decliviorem & aſcenſu facilem, *decimo Maji die*, heu! fatali, neceſſariis excubiis malè firmarunt. Expugnata urbs magnifica, Germaniæ Troja, paucis horis in cineres tota ſubſedit, crudeliter multis millibus hominum trucidatis, nulla ſexus, ætatis, aut innocentiæ habita ratione. Burgold. Notit. Imp. a. 110. Tſchimmern in Contin. Sleid. de 4. Monarch. pag. 368. ſeq.

Dum hæc ad Albim fiebant, *exercitus Cæſaris ex Italia*, pacatis illic rebus in cauſa Mantuana, movebat *in ſuperiorem Germaniam*, Egone Fürſtenbergio Duce, *multosque fœderatorum Lipſienſium*, in quibus præcipuè Dux Wirtembergicus, Sueviæque & Franconiæ Civitates erant, *ad fœdus ejurandum adigebat*. Swelin. Chron. 435. Calviſ. contin. 1005.

Mox & eandem renunciationem, expugnata Parthenopoli, urgebat in *Haſſia*, *Saxoniaque* Tillius; cunctante verò *Saxone*, in provincias ipſius irruptionem facere aggreſſus, Merſeburgum occupabat, Weiſſenfelſam, Freibergam, & ipſam deinde Lipſiam. Tum *Saxo* Palàm junctis viribus *Svecorum ſocietatem induebat*; inde mox omne Proteſtantium nomen in eodem ſacramento erat, cunctique exuta æqualitate, juſſa Regis proni ſpectabant; Imperatore fruſtrà proſcribente ſocios Lipſienſis fœderis omnes, ac jubente, ut ab iſta Liga diſcedant, arma delectusque omittant, Regi Sveciæ communi conſilio & conſenſu reſiſtant. Turſell. contin. 2. pag. 43. Epit. R. G. 124.

Cùm interea *Tillius* magnam Saxoniæ partem occupatam teneret, ibique fieri theatrum belli occiperet, ac *Joh. Georgius Elector* ſerò nimis deprehenderet, ſecum perinde agi, atque cum Friderico Palatino, arctius Regi Sveciæ ſe conjunxit, ejusque ſecutus exemplum *Brandenburgius*. Commiſſum dein acre *prælium*, *ſeptima Septembris luce*, *ad Lipſiam*, qua fortuna tandem Cæſareanos deſtituit, memorabili clade affectos. „ Hæc eſt funeſta illa clades, quæ o-

„ mnem

„mnem retro victoriarum Ligiſtici exercitus Pontificio-Cæſareani „fructum uno velut momento peſſundedit (verba ſunt ſcriptoris „Papiſtici) ſeroque docuit, quanto ſatius ſit, civilibus diſcordiis ma„turata pace finem imponere. Contin. Turſellin. pag. 44. Joh. Kromai. H. E. 6, 9.

Poſt Lipſienſe prælium, *Saxo* recuperatis, quæ in territorio ſuo Cæſareani obtinebant, *Bohemiam invadit*, & Pragâ ipſa potitur. *Svecus* autem recta *in Germaniam* exercitum ducens, Erphordiam, Suinfurtum, Herbipolim, Francofurtum ad Mœnum, totumque Franconiæ & Rheni tractum, uno impetu invadit; Rhenum, prope Oppenheimium ſine ponte transgreſſus, relicta in memoriæ ad poſteros demittendæ monumentum columnâ, Moguntiam occupat, Coloniam Agrippinam, Germaniæ Romam trepidare facit, Inter hæc Mannhemium, Heilbronnam, Spiram, Landaviam, Fridbergam, ac totam Veteraviam, Alſatiam, per duces militiæ ſuæ Bernhardum Vinarienſem, & Guſtavum Hornium, pari fortuna ſuæ poteſtatis intra breve tempus facit. Burgold. not. rer. Imper. pag. 116. Tſchimmern in contin. Sleid. 4. Monarch? 384. 391. pl.

Eo tempore *Georgius Ragotſi primus*, per transactionem *principatum Transſylvaniæ* obtinuit, in Exules Evangelicos, Moraviâ potiſſimum ejectos, beneficus Princeps; rebus geſtis in orbe clarus. *Moſchi* legatus, à *Polonis* repetiit *Schmolenskum*, tecto capite, niſi reſtituatur, in ſignum belli ſtrictum acinacem traditurus; Ad Babyloniam *Turcæ* cum Perſis, variante alea belli, aliquoties depugnarunt, à Melitenſibus & Hungaris malè excepti. Contin. Calviſ. 1005. D. Wagner in limin. Genealog. 357.

Nuptias celebravit, *Ferdinandus III.* Hungariæ Boëmiæque Rex, cum Maria Anna, Philippi tertii Hiſpaniæ ac Indiæ Regis filia: ex qua præter filiam Mariam Annam, Philippo quartó nuptam in Hiſpania, genuit Ferdinandum quartum, poſt ea Romanorum Regem, in ætatis flore defunctum; & Leopoldum Ignatium; defuncto parente in Imperatorem Electum. D. Wagn. in limin. Geneal. 49. pag. Imhof. Notit. procer. 10.

Mortalitatis legem explevere Dux *Fridericus Achilles*, Friderici *Wirtembergiæ* Ducis filius, literis probè excultus, mole corporis Magnus, Neoſtadii ad Cocharum aulam tenens, nephritide & catarrhis enectus. Nec non *Comes Tubingenſis*, *Conradus Wilhelmus*, qui fratrem Georgium Eberhardum præterito anno vivis ereptum ſecutus, maſculam

ſculam ſtirpem terminavit. Spener. ſyllog. Geneal. 187. Imhof. notit. procer. 1133.

In *Japonia*, impiam efflavit animam, animumque crudelem nolens volens depoſuit, Magnus Rex *Comboſamma*, Chriſtianorum perſecutor immanis, quod plurimis docuimus exemplis; filium ſucceſſorem in regno reliquit *Chiongon*, de quo in ſequentibus fortaſſe dicendi dabitur occaſio. vid. Mandelsloiſche Reyß-Beſchreib. per Olear. ed. pag. 241. & Varen. de Regn. Jap. 105. ſeqq.

LIB. IV. CAP. XIV.

Summaria.

Lojola infans, ipſemet ſibi nomen Ignatii imponens.
Surdi mutique auditus & loquela.
Fœtus armatus, Magdeburgo portentoſus.
Prælium äereum Aſchersleblenſe, prælii Lipſienſis præludium.
Omina Sueco & Saxoni cum Tillio conflicturis, læta.
Tempeſtas Viennenſis, & Romana: Veſuviique iræ.
Peſtis Mediolanenſis, autorum ſceleratiſſimorum infamia æternâ merito vindicata.
Michaelis Mæſtlini obitus.

SAnè inſtar miraculi fuit, quod ſenex ille Sacerdos Iſraëliticus Zacharias, quum per novem integros menſes mutus fuiſſet, poſt partum filii ſui controverſiam de imponendo nomine, in momento clara & articulata hac voce decidit: *Johannes eſt nomen ejus.* At longè majus eſt, ſecundum Lojolitas, quod Inſtitutor ordinis eorum, ſtatim poſt nativitatem ſuam, cum parentes de imponendo nomine non benè convenirent, loqui derepente cœpit, ac dixit: *Eſt mihi nomen Ignatius.* Ita enim legitur in libello de *Ignatii Lojolæ* vita, circa confinium an. 1630. & 1631. Madriti Hiſpanorum publicato, referente Hogelio in Gamaliele ſuo, pag. 157.

Vero propius exiſtimamus, quod enarrat continuatum Chronicum Calviſii, pag. 1005. Moguntiam vidiſſe & audiviſſe *calonem* ex Winkelii cærulea Legione, tametſi *& ſurdus & mutus* eſſet *natus*, acutum audire ſubitò, & articulatè proloqui, etiam precatiunculas.

Paucis ante Magdeburgicum excidium ſeptimanis, militis cujusdam uxor, ubi partûs doloribus extinguendam ſe perſpexit, uterum aperiri ſuum mortuæ, fœtumque inſpici precata eſt. Repertus

tus *puerulus trimuli magnitudine*, caput galeâ munitus, tectorio totius corporis armatus carneo, quod inſtar chartæ detrahi potuit, pedes ocreatus. Ad hæſit corpuſculo mantica militaris, in qua orbiculares glandes, conſimiles iis, quæ Muſquetis emittuntur, teſte Cluvero in hiſt. contin. pag. 16. addente: „Nimirum nil niſi arma, „cædes, bella, Mundus parturit; iisque ſemetipſum, prout miſera„bilis illa mater, cum ſobole ſua crudeliter abſumit.

Præludium *Aſcherslebiæ* datum futuri Lipſienſis prælii, quando viſi ſunt *in aëre bini exercitus* pugnare, unus à Meridie, alter è Septentrione veniens, quorum hic obtinebat victoriam; Inprimis obſervatum eſt, ex utroque, poſt ordines conſtitutos, procedere duces talari veſte indutos, & Septentionalem, ſagitta Meridionalem proſternere. Calviſ. Chron. 1001.

Inſomnium Sveciæ Regis, Tillium crinibus tenentis, non injuria in omen fauſti eventûs acceptum; *Candidaque Columba*, quæ ante pugnam Lipſienſem inopinatò *vexillum* quoddam *Saxonicum* inſedit, lætum augurium univerſo exercitui fuit. vid. Zeil. Trag. 194. Dannhauer. Coleg. decalog. 301. pag. confer, ſi placet, ob exempla ſimilia, Dorſch. diſſert. hiſtorico-Theolog. in ſept. prim. 36. 69. de Spir. S. in ſpec. Columb.

Cætera, *Viennæ* duas turres, in honorem Ignatii & Xaverii, templo additas, ſuſtulit, nemine læſo, tempeſtas. *Romam* prid. Natal. tanta quoque tempeſtas atra corripuit, ut medio die prorſus requirerentur luminaria. Mons *Veſuvius* Neapoli vicinus, horrendum incendium concepit, concuſſis circa oppidis vicisque, præſertim Neapoli, ut nullum inde ædificium damnum non ſenſerit; Mons autem primò nubes quaſi atras evomuit; tum erumpentes immenſi flammarum globi, cum ingenti fragore, tonitruque, finem rerum humanarum, ac plane ruituri mundi ſpeciem præ ſe ferebant: Septimâ decembris, flamma, quæ montem pluribus locis perfregerat, torrentis inſtar ad radices montis procurrens, homines, pecudesque, & villas, ac obvia quævis impetu inevitabili rapuit abſumpſitque; ſimul ingentis magnitudinis lapides è faucibus montis ejecti, multos, qui ſibi tempeſtiva fugâ non conſuluere, interemerunt. Calviſ. 1005. Turſell. hiſt. append. 2. 45.

Mediolani t. t. *peſtis* atrociter ſævit, cum aliqui lethiferis unguentis huc & illuc ſparſis, multos inficerent, adque diram mortem compellerent; illos igitur Magiſtratus, de re certior factus, condignis

dignis affecit pœnis, & *marmoream execrationis tabulam* erexit, cum inſcriptione: „Rei memoria ut ſit æterna, hanc domum, ſceleris „officinam, ſolo æquari & nunquam refici, juſſum, ac erigi colum„nam, quæ vocetur infamis. Procul hinc! procul ergò boni cives, „ne vos infelix infame ſolum commaculet! Ex Diſp. D. Fromma„ni, de mero Imperio in Bruta, pag. 25.

Debitum Naturæ ſolvit, octoagenario major, *Michäel Mæſtlin*, Mathematum in Academia Tubingenſi profeſſor celeberrimus; Autor is Galilæo, juxta Hofmannum, ut Copernicum ſequeretur, fuit. Andreiſch Geſchlecht-Büchl. pag. 16. & Hofm. Lex. Univerſ. A. 1038.

LIB. IV. CAP. XV.

Summaria.

Colmaria libertatem Religionis Orthodoxæ recipiens, D. Schmidii opera utitur, ægrè ferentibus Calviniſtis Baſileenſibus.

Auguſtam Vindelicorum, Sueciæ Rex in integrum reſtituit.

Germaniæ tantum non ſubjugatæ penitus, felix reſpiratio.

Victoriam Lipſienſem, Saxonia Electoralis feſto Euchariſtico rememorat.

Chriſtianus Wilhelmus Brand. ad ſacra Romanenſia pertractus, ſpeculum Veritatis, quod vocat, edit, cui Lychnus ſermonis prophetici opponitur.

Hungariam ſuperiorem, ob ſacra Evangelicorum cohibita, Rakozius invadit.

Mortem obit Auguſtus, Princeps Neoburgico-Solisbacenſis, aſſertor veritatis Evangelicæ conſtans.

Eraſmus item Grüningerus, præpoſitus Stutgardianus.

Winenda magnorum Theologorum patria.

ANno ſupra milleſimum ſexcenteſimum trigeſimo ſecundo, cùm Suecicorum armorum feliciſſimus curſus ad *Colmariam* quoque, mediam inter Argentoratum & Baſileam Alſatiæ urbem non incelebrem, pertigiſſet, iſthæc inter plures in poteſtatem inclyti Herois Guſtavi Hornii pervenit; A jugo igitur Pontificio, quo premebatur hactenus, liberata, *exercitium Religionis Lutherano-Evangelicæ liberum* petiit, facillimeque obtinuit, quo deinceps per DEI gratiam annis benè multis fruita eſt. *Solennis reſtitutio* neceſſaria viſa; quamobrem ex Argentoratenſi Miniſterio legitimè vocatus, & à Magiſtratu permiſſus N. N. vir pius atque doctus, qui hucusque cum laude of-

ficio ſuo ſatisfecit. Siſtendus gregi hic erat, id quod per D. *Johannem Schmidium* fieri placuit Hornio, conſentiente non tantùm, ſed & mandante Argentinenſi Senatu. Res profectò piè, prudenter, legitimè geſta eſt utrinque; ſic & mox defenſa, ut veritatis præſidio, ab omni adverſariorum robore tuta manſerit. Ægrè verò habuit eos, qui ſub Evangelii ſpecie, Evangelium jam olim Colmariæ conati fuerunt ſupprimere. Horum cauſam Tenebrio quidam ſic in ſe ſuſcepit, ut in Schmidium innocentiſſimum, virus, quàm verba, potius, è Baſilea conjecerit, ejusmodi ſcripto quod noſter ſub titulo, quem merebatur, der gifftigen Läſter-Schrifft/ maſculè & prolixè refutavit. Vid. memoriam an. Joh. Schmidii, à Sebaſt. Schmidio an. 1659. celebrat. pag. 47.

Sed *Auguſta Vindelicorum* ſplendidiſſima & pervetuſta Superioris Germaniæ urbs, ad confluentes Lechi ac Vindæ, quam vulgò Wertham vocant, ſita per ipſum Sueciæ Regem *in integrum* hoc anno *reſtituta*. Urbis non uno nomine per totum orbem celeberrimæ, auxêre famam diverſa Comitia, inprimis ſplendida illa, quæ anno ſuperioris Centuriæ trigeſimo ibi habita fuerant; queis Principes & Ordines Evangelicæ Veritatis, Formulam ſuæ Confeſſionis exhibuerunt Jun. 25. die, quæ hinc Auguſtanæ Confeſſionis nomen eſt ſortita, propterea que potiſſimum a Meliſſo hunc in modum concelebrata:

Salve ô Imperii Columna, ſalve;
Auguſta, aureola, elegans; venuſta,
Et pollens opibus, viriſque præſtans;
Quæ ſeptem geminos ad aſtra colles
Jactat, Roma Tibi ſuperba cedit;
Cedunt Adriacæ paludis Arces!

Verùm enim verò, ex Auguſtiſſima hac Auguſta, per diuturnas ac indefeſſas Cleri Papalis machinationes tandem ante triennium, & quod excurrit, proſcripta fuit Auguſtana Confeſſio, expulſi animarum Paſtores & Informatores juventutis Evangelici, amoti à Magiſtratu Lutherani, occluſa Proteſtantium templa, & ſeverè prohibita iſthic exercitia, tam privata, quàm publica, purioris Religionis omnia, nec ullis hucusque precibus aut interceſſionibus horum quicquam ab Imperii Statibus Orthodoxis reduci potuit. Poſtquam ergò Guſtavus Adolphus, Suecorum Rex, nunquam ſatis laudandus, aditu Bavariæ multò minore, quàm ſperaverat, incommodo

no

potitus erat, dimiſſis, qui hoſtium verſus Ingolſtadium properè fugientium poſtremos carperent, ipſe cum reliqua exercitus parte Auguſtam Vindelicorum contendit, ibique lætis animis à civibus exceptus, iisdem priſtinam libertatem aſſeruit Regiè, & egregiè. Göbel. in dedicat. explic. homilet. A. C. §. iiij. Et append. 2. hiſt. Turſell. pag 48.

Non injuria tum temporis incolæ plurimarum *Germaniæ Civitatum*, aliorumque minorum locorum repurgatæ religioni addictorum, uſurpare Theologi Argentinenſis verba potuere, debuere:
„ Fuimus aliquandiu in illis motibus & perſecutionibus verſati, ubi
„ orbis terrarum in nos conſpiraſſe videbatur, ubi exilia, incendia,
„ vivicomburia, latrocinia, probra, dehoneſtamenta, & quicquid in
„ commune conſultantes furæ atque tyrannides excogitare pote-
„ rant, hoſtes minati ſunt. Papa Imperiique Proceres plurimi no-
„ bis adverſabantur; & atrati gregis ſanguinariæ leges diriſſima o-
„ mnia nobis imponebant. Jurabant plurimi, etiam Deum, etiam
„ Angelos ſanctos nobis miſiſſe nuncium ac repudium. Vertit ſeſe
„ infortuniorum moles! Et qui pridem victoriarum claritudine in-
„ ſolentiores facti fuerunt, victi frequenter aut ceciderunt, aut fu-
„ gerunt coram victoribus. Maſcula virtus Germanorum ad par-
„ tes Dei verſa, negavit amplius dare patientiæ & ſervitutis illa hor-
„ rida documenta; negavit amplius ſilere aut quieſcere ad Tyranni-
„ dis inſolitæ ſeveritatem; Aquilo Auſtrum vicit, ac ſereniori cœlo
Germaniam donavit, &c. Dorſch. Singul. Angel. Septenar diſſertat. 9. pag. 335.

De pugna Pharſalica, inter Julium Cæſarem & Pompejum ſuſcepta, Florus inquit, quod fata humani generis eidem fuerint commiſſa; Si de *pugna Lipſienſi prima* quis dixerit, fata Germanicæ libertatis, doctrinæque purioris eidem fuiſſe commiſſa, non procul à vero exorbitaverit. Ideò *die ſeptima Septembris* hujus anni, *feſtum Eucharisticum* in tota Saxonia Electorali habitum eſt, pro reportata in agro Lipſienſi (propè pagos Bodelwiz & Breitenfeld) die 7. Sept. elapſi proximè anni *victoria Saxonico-Suecica*. Hieron. Kromaj. H.E. 639. pag. Stratem. hiſt. theat. 1132.

Chriſtianus Wilhelmus, Joachimi Friderici Electoris *Brandenburgici* filius, poſt Patrem an. 1598. *poſtulatus Archi-Epiſcopus Magdeburgenſis*, deinde, quod Conjugio ſe mancipaſſet Præſul, ex Archi-Epiſcopo Adminiſtrator factus, At, quod bello Danico contra Cæſarem arma

arma geſſiſſet, proſcriptus eſt, anno 1628. & à ſuis deſertus. Ad exteros itaque Principes, ac demum ad Sueciæ Regem an. 1630. profectus, auxilium imploravit, & ante urbis obſidionem, per Tillium factam, clanculùm eò rediit; In expugnatione verò glande plumbea ſiniſtro crure trajectus, & capite graviter contuſus, in manus hoſtium venit, ac Wolmerſtadium in captivitatem, indeque Viennam Auſtriorum deductus, *ad religionem Pontificiam tranſiit*; neque hoc tantum, ſed & brevi poſt, ſuo nomine librum Papiſticum, ſub titulo *Speculi Veritatis*, evulgari paſſus eſt, quo Romana moderni temporis Eccleſia, tanquam unicè vera, & verè Apoſtolica, doctrinæque S. Patrum planè ac plenè conſona, miris modis commendatur; Lutherana, quam vocant, velut hæretica, & jam olim in vetuſtiſſimis hæreſiarchis proſcripta & condemnata, malè traducitur ac miſerè deturpatur. Cui propterea, juſſu Daniæ Regis, *D. Caſpar Eraſmus Brochmandus*, Theologus Hafnienſis *Lychnum ſermonis Prophetici*, ſeu lucernam in obſcuro loco ſplendentem, oppoſuit, & *Speculum* illud infuſcavit. Spener. in Syllog. Geneal. 146. Bak. Expoſ. 2. part. Evang. præfat. lit. d.

Uti nunquam non *Clerus in Hungaria Pontificius*, eò conſilia ſua apud Principes cætera optimos direxit, quo tranſactiones univerſæ cum purioris fidei Confeſſoribus, verbis equidem ſpecioſæ, rebus autem vacuæ, imò ſubdolæ deprehenderentur; Ita hoc etiam tempore violandis ejusmodi pactis, ex parte Regis Ferdinandi, ſaltem Regiorum ejus Miniſtrorum, anſam dedit. Inde *Georgius Ragozius I.* in Superiorem Hungariam, ob ſacra Evangelicorum denuò cohibita, vertere arma commotus eſt, ipſius Turcici Sultani permiſſu. Calviſ. continuat. pag. 1007. Heideg. Hiſt. Pap. pag. 485.

Fatis t. t. conceſſit *Auguſtus, Princeps Neoburgico-Soliſbacenſis*, Comes Rheni Palatinus, vel ob id ſilentio non prætereundus, quod, ob conſtantiam in confeſſione veritatis, adverſa tulit plurima; variè aſſidueque à proprio fratre Wolfgango Wilhelmo inquietatus, præcipuè ob Religionem Evangelicam, quam is, in fratrum ditionibus (natu major, indeque juridictionem territorialem prætexens) everſum ibat; Neque filii, quos moriens reliquit, mitius habiti ſunt, quemadmodum è gravaminibus, in Comitiis anno 1641. ipſorum Patruique Johannis Friderici nomine prolatis, poſtea patuit. Imhoff. Not. Procer. 378. confer Sup. lib. 2. cap. 21.

Ad meliorem quoque vitam transmigravit *Eraſmus Grüningerus*, Com-

Conſiliarius Würtembergicus, ac Præpoſitus Stutgardianus, raræ Vir facundiæ, qui per gradus ad honorum iſtud faſtigium legitimè deductus, commiſſo ſibi pedo Metropolitano, cuncta ſedulò luſtravit, adeoque de patria perbenè meritus eſt. Natus *Winendæ*, quod oppidum eſt in Ducatu Wirtemb. duobus Stutgardia milliaribus diſtans, in valle Rhemſana; loco nec amplitudine circuitus, nec ædificiorum ſuperbia, nec frequentia civium inter primarias urbes numerando, ſatis nobili tamen, quod non tantùm progeneravit Grüningerum hunc noſtrum, ſed & alios magni nominis Theologos, e. gr. Ægidium Hunnium, Polycarpum Lyſerum, Johannem Georgium Sigwartum, &c. Jubil. 2. Tub. pag. 103. Oratio funeb. Sigw. pag. 3.

LIB. IV. CAP. XVI.

Summaria.

Pontificiorum Auguſtanorum Litaniæ, quomodo h. t. auctæ.

Exercituum Cæſareorum incrementa, è ſubſidiis Papæ, & creaturarum ejus, inſigniter promota.

Cardinalis Dietrichſteinii, de Jeſuitarum in docendo opera, judicium.

Leopoldus, Archi-Dux Auſtriæ, denatus.

Dominium Roſenbergenſe, ad Hazfeldios delapſum.

Res Pontificiorum in Æthiopia inclinantes.

Qua occaſione Romani ritus iſti Regno illati?

Qua iterum inde proſcripti?

Novum tormenti genus, excruciandis Chriſtianis Japonenſibus adhibitum.

Japonenſium Imperator, lectione Confeſſionis Chriſtianæ territus; nullo tamen hinc ad Chriſtianos fructu pertingente.

AUguſtæ Vindelicorum Papicolæ, juvandis rebus eorum nutantibus, in ſuis Conventibus Eccleſiaſticis *Litanias* auxerunt hisce precandi formulis ad Chriſtum: „ Exaudias nos, Domine, quæſumus, „exaudias nos, per & propter cantum galli gallinacei ad aures tuas, „ dum in palatio ſummi Sacerdotis Judaici ſtabas, delatum; per tu„nicam tuam, qua veſtitus eras ad mortem damnandus; per clavos, „ quibus manibus pedibusque cruci affixus; per malleum, ſerram, „ terebram, ipſius conficiendæ Crucis inſtrumenta; per lapidem, ad „ quem in Eductione offendens in terram procidiſti, &c. Hæc adoratores Chriſti maximè devoti, pro amoliendis malis à regno Papæ;

Papæ!

Papæ! Vid. Georg. Albrecht. in Explic. Litan. homil. 24. pag. 310. confer D. Chriſtoph. Binder. Theol. Scholaſt. 287. D. Bald. C.C. 133.

Interea *Pontifex Romanus* (licet ab aliquot annis in domum Auſtriacam non admodum propenſus) *Ferdinando Imperatori*, ad reſtaurandas militandi vires contra hæreticos, in ſingulos menſes Imperialium nummorum quatuor & viginti millia ſpondebat; magna etiam ex Eccleſiaſticis Italiæ Proventibus, eo fine *ſubſidia* decernebat: quibus cum accederet ab Hiſpanienſibus *ingens pecuniæ ſumma*, ultrò atque certatim collata; Inſuper Ferdinandus Ungariæ Rex cum Conjuge, Imperialium trecenta; Eggenbergius centum, Epiſcopus Viennenſis N. N. octoginta millia, Cardinalis Dietrichſteinius florenorum centum, Comes de Michna totidem millia, Stralendorfius octodecim ducatorum M. contribuerent; brevi exercitus Cæſareani excrevere in formidabilem numerum, qui atterendis viribus Sueco-Saxonicis videbantur ſufficientiſſimi, ut Heros Borealis, toto celeberrimus Orbe, feriò diſceret, vincere ſe ſciviſſe, victoria uti neſciviſſe, quod non ſtatim à Lipſienſi prælio in Bohemiam Auſtriamque, & in ipſum caput rerum victrices copias duxerit. Cluver. append. hiſtor. 23. Burgold. Not. Rer. Imper. A. 117.

Sub hæc, dum Cardinalis *Dietrichſteinius* religioſos Clericos, piis Scholis præficiendos, Niclospurgum evocaverat, aliquando *de Lojolitis* liberè locutus, inter alia dixit: Jeſuitas quidem à ſe magnoperè contendiſſe, ut ſuâ potius, quàm Clericorum illorum operâ, in docenda Niclospurgi juventute, uti vellet; ſed ſe comperiſſe, illos nimis pretioſos eſſe operarios, cùm ſolæ eorum Scenicæ actiones, quotannis non minus quadringentis florenis ſibi auferant. Ex Confeſſ. Cathol. D. Johann. Gerhard. part. 1. General. pag. 969.

Vivere deſiit *Leopoldus, Archidux Auſtriæ*, filius Caroli, Styriæ ſeu Græzenſis lineæ conditoris, qui Oenipontanam lineam orſus erat, ſicuti frater ejus Ferdinandus Viennenſem. Initio adſcriptus Ordini Eccleſiaſtico, Argentinenſem Epiſcopatum, dein & Paſſavienſem obtinuit, an. circ. 1609. Miſſus ab Imperatore, ut Juliacum Sequeſter teneret, impedire non potuit, quo minus à Gallis, & unitis Batavis caperetur. Dehinc poſt varia Viennæ an. 1619. in tractu Rhenano, & Rhætico ann. 1621. atque ſeq. geſta, ejurata demum infulâ, Claudiam, Ferdinandi Etruriæ Ducis filiam, in Matrimonium accepit, Epiſcopatibus in Leopoldum Wilhelmum Cæſaris gnatum devolutis. Pater Ferdinandi Caroli, & Sigiſmundi Franciſci,

ciſci, qui ambo absque maſculo hærede obierunt, lineâ ſic extinctâ. Hofm. Lex. Univ. pag. 908. Calviſ. Contin. 1007.

Dominium Roſenbergenſe, Circuli Franconici, quo pertinet inprimis oppidum Stetten, cum arce contigua Haldenberg; Et *Waldenhofen* eximium caſtrum, cum vico adjacente; poſt extinctam anno 1632. Roſenbergicam familiam, ad Eccleſiam *Herbipolitanam*, jure feudali delapſum eſt; ab hac autem *Hazfeldiis* collatum. Imhof. Notit. Procer. Imper. 971.

Res Eccleſiaſtica Pontificiorum in Æthiopia ſeu Habeſſinia, hactenus florentiſſimæ, aliam planè faciem per ea tempora induiſſe feruntur, ſub *Faſilata* ſeu Baſilide juniore. Poſſident Æthiopiæ (interioris) Reges Chriſtiani magnam partem Africæ Mediterraneæ, genusque ſuum ad *Salomonem* Iſraëlitam, receptis traditionibus gentis referunt. Superiori ſeculo ampliſſimi hujus Imperii Status multum declinare cœpit. Cùm ergò *Liban-Dinghil* (qui & eodem ſenſu *Altana-Dinghil* vocatur, ac *David*, & *Wanag-Saggbed*, atque *Jakna-Saggbed*) à *Graino* Rege Adel, Imperio ſuo penè fuiſſet exutus, Legationem ad Europæos meditatus eſt, quæ etiam in *Luſitania* feliciter ſucceſſit. *Emanuel* quippe Rex eam admiſit, & remiſit; periclitantemque Regem Liban Dinghilum, nonnullis cohortibus, filium deinde *Claudium*, qui anno 1540. rerum potitus eſt, ita juvit, ut ab hoſtibus liberatus reſtitueretur, in Damotum, antea Regnum ultra Nili fontes, ſubductus. Quæ quidem *occaſio* fuit, *editæ* non modò apud Luſitanos, Legati patris, ſed ipſius etiam filii Claudii *Confesſionis*, cujus exemplar paulò poſt, in capite de Scriptis, lubet ſubjicere. Nam veriſimile omnino eſt, utramque vel alteram ſaltem, ipſius Regis, in gratiam Luſitanorum, juſſu fuiſſe ſcriptam, ne Judaiſmi ſuſpicio illis fraudi eſſet, orta ex circumciſione, abſtinentia carnis ſuillæ, &c. Unde & *Claudius*, qui Grainum vicit, ac pacem Æthiopibus reſtituit, Luſitanis auxiliatoribus agros diſtribuit, relicto iisdem libero Religionis exercitio; qua ratione & Patribus Lojolicæ Societatis in Æthiopiam patuit aditus, Æthiopibus aliquandiu non multò moleſtis; donec in confinio ferè ſecundi tertiique decennii hujus centuriæ, *Suſneus*, Baſilidis filius, Minnæ nepos, Regem Jacobum bello petiit, eoque cum liberis cæſo, regnum occupavit; Tum demum novi Regis aucupati gratiam, eidem perſuaſerunt, ut nova religione, novum regnum ſtabiliret, quod etiam factum eſt: Unde paſſim ritus Eccleſiæ Romanæ, non ſine magna ple-

bis reluctatione, fuerunt introducti. Nec tamen deſunt, qui Regni Suſneani, & firmati apud Æthiopes Papiſmi initia ad primum ſeculi decennium referunt; ſed quicquid ejus ſit, in hoc plerique conveniunt hiſtorici, *Baſilidem*, Suſnei filium, & ſucceſſorem factum anno 1632. mox priſtinam religionem denuò reduxiſſe, ſaltem ut reduceret operam dediſſe ſedulam. Hoſm. Lex. contin. A. 48. Joh. Henr. Urſin. vom Unterſcheid der Religionen/ 65. pag. confer lib. op. 1. cap. 38. & lib. 3, 30.

Poſtquam enim *Alphonſus Mendez*, ab Urbano Pontifice *Habeſſinorum Patriarcha* conſtitutus, nimis ferociter & inſolenter ſe gerere cœpit erga peregrinam Nationem, ut leves ob cauſas multos juberet excommunicari; ſepultos, qui veterem Alexandrinam religionem tenebant, è locis Romano ritu dedicatis refodi & foràs projici; maleficos, vel quaſi, Rege inſcio in carceres compingi, nonnullos etiam, miniſtro ſævitiæ Ras-Seelaxo, occidi juberet; inde ſubortis atrocibus in regno turbis, & Rege ab iis, qui Romanis infenſi erant, impetito, *Baſilides* ipſe tandem, ſuſpicatus, quod res erat, peregrino ſe Imperio ſubjici, à Romano Patriarcha & Lojolitis redditus alienior, primum invito Mendezio veteres ceremonias indulſit; tum religionem Alexandrinam reſtituere, Romanam abolere certus, proſperâ cum rebellibus pugnâ (dolens tantum ſanguinis jam ob Romana ſacra profuſum) Alexandrinorum perſuaſione, Reginæ ſimul ac filii precibus inductus, in Procerum frequenti Concilio, de reſtituenda veteri religione decretum condidit; atque illud, nequicquam Patriarcha R. ringente, minante, rebusque deploratis ad ſupplices preces converſo, ac temperamentum ſuadente, promulgari, magno cum populi, præprimis autem Cleri, applauſu curavit, Metropolitâ, ſecundum priſcum morem ex Ægypto, ab Alexandrino Patriarcha petito. Vide Heidegg. hiſt. Pap. 371. & Hottinger. Topograph. Eccleſ. 73. pag.

Novum tormenti genus, adverſus Chriſtianos Japonenſes anno proximè præterito inventum, erga plures jam exercetur; cujus immenſis doloribus inter plurimas atrocitates nihil comparari potuiſſe dicunt. Fovea tyrannorum juſſu parabatur, inſtar putei aliquot pedum altitudine facta, ad quam dein patibulum erigebatur. Suſpenſus ex hoc, pedibus ſurſum, capite deorſum verſo, vinctis manibus pedibusque, ac toto corpore faſciis, ne ſanguis propere nimis deſcenderet, valdè duriter conſtricto, usque ad genua foſſæ immittebatur,

batur, quam aſſeribus tegebant, ut in obſcuro penderet. Sic inteſtina hominis inverſa ventriculo incumbebant; comprimebantur nervi; Sanguis ſenſim ad caput delatus, per os, oculos, nares & aures exitum quærebat; accedebat fames & ſitis, atque cruciatu hoc ad aliquot dies, etiam ad nonum usque excarnificati, miſerrimè moriebantur; quidam tamen tertio die exſpirabant. Id mortis genus, poſt *Nicolaum Keyan*, Japonium Jeſuitam, alii ex Luſitania & Italia experti ſunt, inter quos duo Provinciales erant, *Matthæus de Conros*, & *Sebaſtianus Vieira*, exque ipſis porrò Japonibus, *Julius Nacaura*, Regio genere natus, qui antehac inter Legatos, Romam miſſos, fuerat, &c. Ex Act. Erud. Lipſ. an. 1690. pag. 246. ſeq.

Sebaſtianus Vieira, juſſus à novo Imperatore *Chiongono*, Combosammæ ſucceſſore ac filio, *confeſſionem* fidei ſuæ brevi ſcripto complexus eſt. In ea, cùm Chiongon legiſſet, quæ Chriſtiani de immortalitate animæ & ejus ſtatu, poſtquam è corpore deceſſerit, profitentur, ſubitò exclamaſſe dicitur: *Væ nobis, ſi iſta vera ſunt.* Sed his, aliisque libri argumentis, motum ac territum, increpavit avunculus, magnæ apud eum autoritatis, quod nugis hominis peregrini & exploratoris, fidem adhibere vellet, atque graviſſimum oſtendit periculum, quod incurſurus eſſet, ſi extinctam pene ſectam Chriſtianam vires recipere fineret. Vid. Act. Er. Lipſ. 1690. 247.

LIB. IV. CAP. XVII.

Summaria.

Calvino-Reformati Brandenburgici, de eradicando è Marchia Lutheraniſmo conſilia agunt.

Waldenſes, in perſecutionem iterum incurrunt.

Johannes Crocius, Papam dicendo AntiChriſtum, à Jeſuitis Moguntinenſibus vapulat.

Fridericus V. Palatinus, Bohemiæ ExRex, moritur.

Item, Mauritius Haſſiæ Caſſellenſis Landgravius.

QUàm fraternum & amicabilem animum in Lutheranos gerant Calviniani, hoc ipſo tempore, brevi poſt Lipſienſem illam Collationem, de qua ſuperius dictum, plus ſatis patuit ex *Brandenburgicorum conſiliis* Electori ſuo datis, teſte peculiari Epiſtola, quam D. Hoë alicubi produxit. Summa conſiliorum erat: „ Equidem tolerandam eſſe Religionem iſtorum, ſed ad tempus, usque dum, finita viſitatione accuratiori, per Synodum debito cum zelo eradicetur. Eò etiam collineabat *judicium Theologicæ Facultatis Franco-*

furtenſis ad Viadrum, de Viſitatione Eccleſiarum Jan. 23. anno 1633. datum num. 25. ubi ſuadebant: „ Poſt ſolennem & generalem ali-„ quam totius Marchiæ Viſitationem, inſtituendam Synodum, qua „ debiti zeli (Calviniſtici) falce, ſcandala demetantur, &, ubi radices „ egerint, evellantur, &c. Theol. Wittenb. Gründl. Bew. wider die Rinteler Syncretiſten/ Vorred lit. c. f. 2.

In *Pedemontii vallibus, Lucerna, Peroſa, & S. Martino*, inde ab aliquot ſeculis habitatores, *Waldenſium* nomine inſigniti, deſertis Romanæ Eccleſiæ ſacris, peculiares & ſegreges cœtus fecerant; ob id variis excepti perſecutionibus. Et, quamvis non ſemel ab uno alteroque *Sabaudorum Duce* iis pax & libertas Religionis conceſſa fuerit, inprimis à *Carolo Emanuele*, cognomento *Magno*, circa ſuperioris ſeculi an. 1580. ita tamen ſtabilis non extitit illa quies, quin ſubinde atrocior *perſecutio* recrudeſceret, potiſſimum anno noſtri Centenarii vigeſimo ſecundo, ſub eodem *Emanuele*; ac triceſimo ſecundo, ſub ejus filio *Victore Amadeo*, ſucceſſore. Horn Hiſt. Eccleſ. 508. Heideg. hiſt. Papat. 414. pag.

Ex eo, quod *Johannes Crocius*, Caſſellenſis Doctor, in ſuo *Anti-Becano* ſcripſit, *omnes AntiChriſti notas in Scriptura S. fundatas, Pontifici Romano convenire; hunc ergò procul ambiguo verum AntiChriſtum eſſe:* Patres Lojolicæ Societatis *Moguntinenſes*, aliquot poſt annis, nominatum Crocium criminis læſæ Majeſtatis ac perduellionis in Imperatores, Reges & Principes palàm poſtularunt, ſuſpendioq; dignum declararunt ſuis in animadverſionibus pag. 229. hiſce verbis: „ Ma-„ net firmiter, vana, frivola, futilia & ex inani ſycophantæ cerebro „ excogitata eſſe commenta, quæ ad probandum Papæ Romani An-„ tiChriſtianiſmum rapſodus prædicans attulit. Manet etiam, Cro-„ cium non ſolùm ex communi hæreticorum ingenio Cretem & „ Pontificis R. ſtrenuum Calumniatorem, ſed etiam in Imp. & Prin-„ cip. Catholicos inſigniter injurium, & læſæ eorum Majeſtatis reum „ ac perduellem eſſe. Annon enim eos facit Idololatras, AntiChriſti „ & Beſtiæ illius Apocalypticæ ſectatores ac adoratores? Annon hoc „ eſt Capital feciſſe? Annon ſupremum commeruiſſe ſupplicium? „ Certè cùm anno 1603. Vapinci, & anno 1607. Rupellæ Hugonotti „ hunc fidei ſuæ articulum, Papam eſſe AntiChriſtum, publicaſſent, „ Henricus IV. Rex Chriſtianiſſimus, ſeveriſſimè edixit, ne quis ita „ è ſuggeſtu loqueretur, aut typis infandum illud acroama propa-„ laret, Henrico Spondano teſte. Ac meminit quis noſtrûm, anno

„ 1632.

„1632. in Occitania inferiore, ubi tum ille degebat, Prædicantem „aliquem, qui pro concione Papam AntiChriſtum dixerat, die di„cta & cauſa peroratâ, eo nomine, tanquam Majeſtatis reum à Ju„dice Regio, infelici arbori addictum, atque ſuſpenſum eſſe. Qua„re, Prædicans, vide, quid agas? *In Franco, quod ſi ſcripſiſſes talia Re„gno, jam dudum, Croci, litera longa fores?* At Moguntinenſibus iſtis reſponſo tam ſolido, quàm prolixo, ex omni parte (ſaltem lectore non corrupto judice) ſatisfecit, eorumque obtrectationes & calumnias maſculè declinavit & contudit. Vide Anti-Becan. Vindicat. A. pag. 732. 734. ſeq.

Vertente hoc anno, Moguntiæ vivendi finem habuit *Fridericus V.* cognomento *patiens*, exautoratus *Comes Palatinus & Imperii Romano-Germanici Septemvir*; famoſæ illius UNIONIS, plerorumque Principum ac Statuum Anti-Papiſticorum, plaſtes & anteſignanus longè infeliciſſimus; quem (ſaltem in lumbis Majorum, Calvini partibus addictorum, v. gr. Frider. III. & IV.) Profeſſores Auguſtanæ Confeſſionis verè ſic dictæ, non tantùm pro fidei ſocio, & beneficiis religioſæ pacis digno; ſed etiam pro quarumlibet actionum publicarum, communis religionis causâ inſtituendarum, ſupremo Patrono atque Directore cum voto deciſivo, declaraſſe ac ſuſcepiſſe, *Bembollona de Godentiis* in Tempeſtivo Suſcitabulo, part. 2. pag. 88. prodigioſè mentitus eſt, &c. Confer, ſi placet Oſiand. Hiſt. Eccleſ. Centur. 16. 800. Hutter. ad Iren. Parean. 133. pag. in contr.

Fatis quoque t. t. conceſſit *Mauritius, Haſſiæ Landgravius*, filius Wilhelmi Caſſellenſis lineæ autoris. Hic linguarum Græcæ, Latinæ, Hiſpanicæ, Italicæ & Gallicæ peritiſſimus fuiſſe dicitur, aliis etiam plerarumq; ſcientiarum ac bonarum artium ſtudiis excelluiſſe; ſummo autem zelo Calvinianæ ſententiæ addictus. Ei proinde cum domo Darmſtattina, ob ſucceſſionem Patrui Ludovici controverſia gravis & longa fuit; magnique motus oborti, cùm religio Marpurgi (aliisq; in locis pluribus) mutaretur, ac Lutherani Theologi paſſim ejicerentur, quibus Teſtamento Patruus, additis diris, ſedulo caverat. Nec ſilentio involvamus id, quod D. Jacobus Andreæ ad Electorem Saxoniæ Auguſtum ſcripſit, repetitum ab Huttero D. in Concord. Concord. p. m. 357. de iſthoc Mauritio, Principe adhuc quadrienni, qui, cùm à Dn. Parente Guilielmo, *de verbis Inſtitutionis S. Cœnæ* cum Superintendente ſuo differente, rogaretur, ut & ipſe de hac re mentem ſuam explicaret, modeſtiſſimè reſponderit: *Suaderem,*

derem, ut literam teneremus in verbo; Jch rathe / wir bleiben bey dem Buchſtaben im Wort. Atque utinam ſic ſemper! Addidit in relatione *D. Dannhauerus*: „ Ab hoc diſcant Magiſtri in Iſraël; vel ſi hoc nolint, audiant Magiſtrorum Magiſtrum CHRISTUM, aſſeverantem: Amen, dico vobis. niſi vos converteritis, & fiatis, ut pueruli, nequicquam ingrediemini in regnum cœlorum! Sed eheu Mauritius ipſe, adultior factus, dicti ſui tenerrimi & rectiſſimi malè oblitus eſt. Confer Dannhauer. Hodoſ. pag. 1177. & Catech. lac. part. 9. 175. pl.

LIB. IV. CAP. XVIII.

Summaria.

Franciſci Puccii nova progenies.
Daniel Zwickerus, monſtrum religioſum.
Secta Deiſtarum, in Gallia caput erigens.
Franciſci Mendozæ pronunciatum de ſalute cultorum B. Virginis, ab ipſomet Scriptore Pontificio quodam reprehenſum.

VErgente ſuperiori ſeculo *Franciſcus Puccius*, Filidinus, Monſtrum hominis, ut Lucas Oſiander eum deſcripſit, ex Mahometiſmo, Judaiſmo, Ethnicismo, Papiſmo, Schwenkfeldianiſmo, Anabaptiſmò, Calviniſmo compoſitum, & Chiliaſtarum errore inebriatum, inter alia cerebri maleſani portenta, potiſſimum talia eructavit: „ Fidem ſalvantem in unum DEUM creatorem eſſe „ naturalem & omnibus hominibus communem, talique fide Na„ turali & notiſſima, patres priſcos juſtificatos aſſeruit; cavendum, „ inquiens, ne pro fide generali omnibus communi, accipiamus „ aut ſupponamus ſpem Meſſiæ, conceptam ex promiſſionibus Di„ vinis; Eos enim omnes, quicunque hanc obſcuram ſpem anti„ quorum ex promiſſionibus conceptam, pro eorum fide juſtifica „ accipiunt, toto cœlo errare. Omnes, porrò, religiones in unum „ chaos commiſcuit, & quemvis hominem, cujuscunque ſit reli„ gionis aut ſuperſtitionis, modò homo ſit, ſalvari poſſe, ſine ſpecia„ li gratia DEI; ſaltem non extremè ſceleratam ac omninò belui„ nam, DEO & Naturæ repugnantem, vitam ducat, Epicureà pla„ nè & ſectaria temeritate palam affirmare, non erubuit. Summatim, hoc ſibi thema propugnandum & propagandum ſumpſit: *Quemlibet in ſua religione, modò honeſtati ſtudeat, ſalvari poſſe*; Famaque ſparſa fuit, eundem ab Archiepiſcopo Salisburgenſi captum

tam-

tandem, Romamque miſſum, in rogo periiſſe. Oſiand. H. E. Cent. 16. pag. 1098. ſeq. Micræl. hiſt. ſyntagm. lib. 3. 678. ſatanicæ illius viperæ progenies eſt hodierno die Tenebrio, *autor Epiſtolæ ad paſtores & oves variarum ſectarum*, hanc movens *quæſtionem*: „ An Chriſtiano nomine dignus haberi, ac ſalvari poſſit, qui nec Pontificius aut Catholicus, nec Anabaptiſta, nec photinianus, &c? & Ajen„tem tenens, atque aſſerens: Neminem hominum debere, aut „ſine injuria poſſe alium contemnere, judicare aut condemnare, „licet Judæus, vel Turca ſit, vel Ethnicus & paganus; Talem enim „ſaltem externè piam vitam ducentem, DEUM timentem, & rectè „facientem, vel absque Chriſto agnito ſalvari poſſe, nec ſimplicem „ejus ignorationem cuiquam in Cauſa ſalutis obeſſe. D. Müll. Hamb. in Atheiſmo devicto, præfatione ad lect.)( )(ij. & in Tract. pag. 396. Wagn. Atheiſm. ſpecul. cap. 3. pag. 75.

Monſtroſarum opinionum fautorem ac defenſorem, infelix hic mundus etiam experiebatur in *Daniele Zvvikero*; cujus meminit Joh. Ad. Oſiander D. Theol. Tubing. „ Quærere lubet, ſcribens, „quale animal ſit Daniel Zwikerus, & cujus religionis? profitetur „enim ſe nec Lutheranum, neque Calvinianum, nec Remonſtran„tem, nec Socinianum, nec Mennonitam, nec ullum aliam ex ho„diernis ſectis eſſe hominem; ſed cum nulla prorſus communicare, „omnes verò & ſingulas ſecundum Divinam veritatem, cujus u„nius ſe profiteatur Alumnum, reformatas cupere, tum in doctri„na, tum in vita. Reſpondet ſibimet ipſi acutiſſimus vir: Ut in „regno Naturæ dantur Monſtra, quæ à corporibus Naturalibus ab„ludunt; Ita in regno Gratiæ ſingularis erit, irregularis, & mira„bile Monſtrum! In Theolog. poſitiv. Acroamat. part. I. Exercit. IV. theſ. XX. confer. an. 1662.

In *Gallia* t. t. caput erigebat Atheiſtica (ſub fucato nomine) *Deiſtarum ſecta*; de qua jam ante biennium, & quod excurrit, Autor libri, *Quæſtiones rares & curieuſes*, anno 1630. editi conqueſtus, in præfatione ad Cardinalem Richelium: „ Quod renata ſit in cor„de Galliæ, ex cineribus infelicis illius Vanini, alia ſecta, quæ ſub „nomine magis ſpecioſo expoſuerit venenum magis contagioſum, „quàm prius; cujus complices nomen Deiſtarum fabricarint, ut „ita decipiant animas ſimpliciores & credulas. D. Abrah. Calov. tom. 2. ſyſt. Theol. de exiſt. DEI, pag. 113.

Sed & aſſertum Chriſtianis verè ſic dictis intolerabile fuit, *Fran-*

Franciſci Mendozæ Jeſuitæ Luſitani, ſtatuentis (in Viridario ſacræ ac profanæ eruditionis, an. 1632. edito cum approbatione) *impoſſibile eſſe, ut B. Virginis cultor in æternum damnetur*, quia ſcilicet B. Virgo, ſuo patrocinio ſemper impetret à DEO auxilia Gratiæ congruæ, quibus ejus cultores, alioquin pravi & ſcelerati, ad DEUM convertantur, reddanturque indamnabiles. Acriori tamen *cenſurâ* dictum perſequutus eſt alius ſcriptor, & is quidem ipſe Pontificius; porrò reprehendens eos, qui Mariæ Deiparæ majorem Clementiam vendicant, quàm CHRISTO, qui tamen DEUS Miſericordiæ clueat; narrans dein, cum indignatione, Concionatores extitiſſe, & eſſe, qui publice declamarint, ſi fatuæ Virgines, cùm dicerent, *Domine, Domine, aperi nobis*, dixiſſent: *Domina, Domina*, impetraturas fuiſſe, ut portæ aperirentur; librum denique, in Belgio tritum ferè manibus omnium, prolixè taxans, in quo diſſertè ſtatuatur, DEUM Filio ſuo exercitium juſtitiæ, Sanctæ verò Virgini Clementiæ ac Miſericordiæ diſpenſationem commiſiſſe, &c. ex Act. Erud. Lipſ. an. 1692. pag. 65.

LIB. IV. CAP. XIX.

Summaria.

Valerianus Magnus de Regula credendi, à Jacobo Martini confutatus.

Concertationes mutuæ Bergii & Höeij.

Amœbæa Caſſellana ac Darmſtadienſia.

Grammatica Linguæ Japonicæ edita, cum Dictionario.

Claudii, Regis Aethiopum, confeſſio.

MAnibus eruditorum verſari tum cœpit, præterito quidem anno typis excuſa, *J. M.* Theologi Wittenbergenſis *Confutatio Valeriani Magni, de regula credendi*, cujus mentionem fecimus an. 1630. cap. 5. etſi enim *Controverſia de Norma fidei*, ſæpiusculè hactenus à noſtris, non minus in peculiaribus Colloquiis, quàm ſcriptis publicis, tam ſolidè dilucideque fuerit enucleata, & deciſa, ut in re tam clara, rationibus demonſtranda laborare porro, nil aliud ſit, quàm ſoli lucem inferre: Improbitas tamen ſycophantarum pontificiorum, & inprimis V. M. Capucini Italici, crambem hanc toties coctam & recoctam iterum apponentis, injurioſum ac monſtroſum, hypotheſibus nobis malitioſè affictis, conſequentiisque ſophiſticè nexis, nitens, de orthodoxa ſententia judicium, doctorem prænominatum commovit, hac de materia quædam, in confuſionem faſtuoſi

Me-

Monachi, repetere; ita quidem, ut clarioris intelligentiæ gratiâ, Valeriani præmitteret ipſiſſima verba, poſtmodum reſponſionem ſubnecteret facta inſcriptione tali: *Vindiciæ Eccleſiæ Lutheranæ, contra abſurdas conſequentias, ac de REGULA CREDENDI vera Orthodoxaque abſurdum, alogon, & atheologon JUDICIUM Valeriani Magni Mediolanenſis, à Jacobo Martini S. Theol. D. profeſſ. Wittenb. ſuſceptæ.* an. 1631.

Scriptis laceſſére ſe invicem *D. Bergius*, Calvinianus Electoralis Brandenburgicus; & *Höejus* D. Saxonico-Lutheranus. *Bergius*, contra manifeſtam veritatem, contraque factas Lipſiæ proteſtationes & initas conditiones expreſſiſſimas, finito ſuperioris anni Colloquio, mox in ditionibus Brandenburgicis, Regiomonti potiſſimum, *Unionem & Concordiam* quoad religionem, inter Lutheranos & Calviniſequas, jam eſſe rem Confectam ac rati habitam utrinque, inſolenter jactavit; nihil ominus tamen illos turpiter denigravit ac traduxit, in publicato ſuo *de S. Cœna* ſcripto, cui hoc potiſſimum infarſit, Lutheranam doctrinam de dicto articulo, præcipuum Pontificiæ Miſſæ fundamentum ſternere, imò jam olim ſtraviſſe: Hinc de animo vere fraterno, *ſcilicet*, pacificoque Bergii, Calvinianorum t. t. primipili, promptum fuit judicare & concludere. Höeus autem *oraculo Dodoneo*, quod vocabat, inevitabilem apologiam oppoſuit, qua. quid elapſo anno per Colloquium Lipſienſe effectum? aliaque lectu digna, notabiliter expreſſit. videatur Wittenb. Gründl. Bew. contra Rintel. ſyncret. præf. lit. c. confer an. 1631. cap. 12.

Per eadem tempora prodierunt in lucem, *Amœbæa Caſſellana*, quibus Theologi Haſſiaco-Calviniani, varios compilarunt ſuæ gentis tam veteres quàm novos errores, eoſdemque propugnarunt, pro γνησίοις nihilominus Evangelicis venditantes. His autem Theologi *Darmſtadienſes*, Lutherani, *Deductionem fundamentalem* oppoſuerunt, qua de anno 1636. dicendum; confer Liebhart. in Hiſtor. Ca v. Reform. pag. 36. Witteb. Gründl. Bew. contra Rintel. append. 154.

Quanquam crudeliſſimæ *perſecutiones Japonicæ*, hactenus inſtantiſſimè continuabantur, nondum tamen *ſpes* omnis *apud Romanenſes* decollavit, ſive *conſervandi*, ſive *colligendi* denuò *Eccleſiam quandam, in ampliſſimo iſto regno, Chriſtianam*, ſaltem occultam, & pauperculam. Cùm autem viderent, eum ſe ſcopum nunquam aſſecuturos, niſi plures eſſent Europæi, linguæ Nationis gnari; propterea

pterea *Didacus Collado*, Ordinis Prædicatorum frater, non modò *Grammaticam Linguæ Japonicæ, dictionariumque* ſatis copioſum anno 1632. publicavit, ſed & *modum confitendi, examinandique pœnitentem ex iſta gente*, in commodum utriusque partis ſubſidium. Teſte librorum Elencho, typis S. Congreg. de propag. fide, Romæ impreſſor. alleg. in Monatl. Unterred. 1693. pag. 224.

Præcedente capite decimo ſexto, promiſimus (ex occaſione relationis de ſtatu Religionis in *Æthiopia* ſeu Abyſſinia) communicationem Confeſſionis *Claudii* Regis, in Europam, ſuperiori quidem ſeculo, transmiſſæ: Fidem E. ut liberemus noſtram, en tibi *Confeſſionem* iſtam: „In nomine Patris, Filii, & Spiritus S. unici „DEI. Hæc eſt fides mea, Claudius inquit, & fides Patrum meo„rum Iſraeliticorum, & fides gregis mei; qui eſt in ſeptis regni „mei. Nos credimus in unum DEUM, ac in Filium ejus unicum „Jeſum Chriſtum, qui eſt verbum ejus, & potentiâ ejus, & ſapien„tia ejus: qui fuit cum eo antequam crearetur Mundus; in ulti„mis verò diebus venit ad nos, non tamen, ut relinqueret thronum „Divinitatis ſuæ; homo factus eſt ex Spiritu S. & ex Maria S. Vir„gine, & baptiſatus fuit in Jordane trigeſimo anno. Fuit autem „homo perfectus; Suſpenſus enim eſt in ligno Crucis in diebus „Pontii Pilati; paſſus, mortuus, & ſepultus eſt, ac reſurrexit tertia „die. Deinde quadrageſima die aſcendit cum gloria in cœlos, & „ſedet ad dextram Patris ſui, unde iterum veniet cum gloria, judi„caturus vivos ac mortuos, & non erit finis regno ejus. Et, credi„mus in Spiritum S. Dominum vivificantem, qui proceſſit à Patre; „& credimus in unum Baptiſma, ad remiſſionem peccatorum. Et, „credimus reſurrectionem mortuorum ad vitam æternam in æter„num, Amen! Nos autem incedimus in via regiâ, planâ, verâ & „non declinamus, neque ad dextram, neque ad ſiniſtram, à doctri„na Patrum noſtrorum duodecim Apoſtolorum, ac Pauli fontis „Sapientiæ, & ſeptuaginta diſcipulorum, & 318. Orthodoxorum, „qui congregati fuerunt Niceæ, & 140. Conſtantinopoli, & 200. „Epheſi congregatorum. Ita prædico, & ita doceo, Ego Claudius, „Rex Æthiopiæ, & nomen regni mei Atznat-Saged, filius Wanag„Saged, F. Naodi.

„Quod verò attinet celebrationem noſtram priſci Sabbathi, „(pergit Claudius) non ſanè celebramus illud ſicut Judæi &c. Sed „ut offeramus munera ad menſam, ac faciamus in eo Cœnam, ſi-

„cut

,, cut præceperunt nobis Patres noſtri Apoſtoli in didaſcalia. Nec ita
,, celebramus, ſicut Sabbathum feriæ primæ, quæ dies eſt nova, de
,, qua Davides ait: Hæc eſt dies, quam fecit Dominus, exultemus
,, & lætemur in ea, quoniam in ea reſurrexit Dominus noſter JE-
,, SUS CHRISTUS, ac in ea deſcendit Spiritus S. ſuper Apoſto-
,, los &c. Quod rationem Circumciſionis ſpectat, non utique cir-
,, cumcidimur ſicut Judæi, quia nos ſcimus verba doctrinæ Pauli,
,, fontis ſapientiæ, qui dicit: Et circumcidi non prodeſt, & non cir-
,, cumcidi non juvat, ſed potius nova creatio, quæ eſt fides in Do-
,, minum noſtrum JESUM CHRISTUM. Veruntamen circumci-
,, ſio apud nos fit ſecundum conſuetudinem regionis, ſicut alibi in-
,, ciſio faciei, & auris perforatio. Quantum ad eſum carnis ſuillæ,
,, non prohibemur eo propter obſervantiam legis Moſaicæ, ſicut Ju-
,, dæi; Cùm illum, qui ea veſcitur, non abominemur, nec immun-
,, dum judicemus: neque eum, qui eâ non veſcitur, ut veſcatur, co-
,, gamus; ſicut ſcripſit Pater noſter, ad Romanos, dicens: qui come-
,, dit, ne condemnet eum, qui non comedit, omnes enim Domi-
,, nus ſuſcipit; regnum DEI non conſiſtit in cibo & potu; omne
,, mundum eſt mundis; Malum verò eſt homini edere cum ſcanda-
,, lo, &c. de uſu verò carnis animalium terreſtrium, nulla lex, nul-
,, lus Canon datur in Novo Teſtamento, omnia munda mundis;
,, Atque Paulus: Is, qui credit, omnibus veſcitur. Hoc eſt, quod
ſcribere volui, ut ſcias veritatem Religionis meæ.

,, Scripta an. 1555. à Nativate Domini noſtri JESU
,, CHRISTI die 23. Junii, in regno Damot.

Vide *Hottingeri Topographiam Eccleſiaſticam*, cap. 3. pag. 75. ſeqq. Cui ad manus ea ſunt, quæ *Damianus à Goes, de fide ac religione Æthiopum ſub Imperio pretioſi Johannis*, refert, regnante Davide, qui Parens Claudii fuit, obſervata, legere amet, invenietque, Claudium propius ad veritatem Evangelicam acceſſiſſe; dubio procul, quia filius auxilio Rom. Pontificis, ut & Regis Luſitani, patre minus indiguit, &c.

LIB. IV. CAP. XX.

Summaria.

Succorum progreſſus ad Rhenum, arctiusque cum Gallis fœdus.

Georgius Dux Lunæburgenſis, Suecorum ſocius; Elector Trevirenſis, Gallorum cliens.

Succiæ Rex movet in Bavariam, Tilliumq; proſternit.

Ingolſtadio quidem fruſtra tentato, Rex reliquam tamen Bavariam occupat.
Ejusdem, & Wallenſteinii expeditio prope Noribergam.
Prælium Lützenſe R. Guſtavo Adolpho fatale.
Sequuta Suecici exercitus diviſio.
Gaſto Aurelianenſis, in fratrem Regem infeliciter armatus.
Sigismundus III. Poloniæ Rex decedit.
Sororum, uti & fratrum, connubia memorabilia.

POſtquam *Sueciæ Rex Francofurdiam ad Mœnum*, certis conditionibus, & omnes ejus tractûs urbes vi, minis, promiſſis, pactis, occupaſſet; Rhenanas etiam provincias omnes, quæ Coloniâ hinc, illinc Argentorato continentur (pauciſſimis locis exceptis) ſui juris feciſſet; *Arctius cum Gallo fœdus iniit:* nam quæ antehac pacta, inter longè diſſitos accenderant magis, quàm confirmarant amicitiam; nunc, dum viciniores facti, providendum erat, ne ſors eandem jam corrumpere poſſet inſociabile communis affectus vinculum, propior ſua cuique utilitas. Burgold. Not. Rer. Imp. A. 119. Epit. R. G. pag. 133.

Inter alios etiam *Lunæburgicus Dux Georgius*, qui præteritis annis Daniæ Regis vicinitatem ferre non poterat, jam conſcripto exercitu *Suecorum partes tuebatur*, inferiorisq; Saxoniæ Circulum, tanquam cœlifer Atlas, egregiè ſtatuminabat. *Elector* autem *Trevirenſis*, metu Suecorum, &, quia Archi-Cancellarii Galliæ dignitatem gerebat, *Galli patrocinio* ſe ſubjiciens, *Ehrnberti petram* ſive *Hermanſteinium* ei tradidit; & hæc eſt belli cauſa, Trevirenſi nomine Cæſaris per Hiſpanos illati, ac diuturnæ captivitatis Electoralis, denique armorum ab ipſo Cæſare & Gallo invicem deinceps intentatorum. Epit. R. G. pag. 134. 136. Boxhorn. Chron. 158.

Sueciæ Rex, commiſſo Oxenſtirnii prudentiæ directorio militiæ in tractu Rhenano, veris principio ipſe rurſus movit *in Franconiam*, & porrò *in Bavariam* (quo ſe Tillius contulerat) ubi mox *Donawerdam*, & alia loca occupavit, *Lyco* (Lech) pontem impoſuit, ac amnis tranſitu potitus, Bavarum intra *Ingolſtadii* mœnia redegit, ubi *Tillius* ex vulnere, dum Lyci trajectu hoſtem prohibere conatus erat, ad Rainam tormento transverberatus in crure, ac Ingolſtadium delatus, maximis cruciatuum doloribus miſerè poſtremam clauſit diem, vir ſumma armorum peritiâ, fortuna quoque pari, niſi ad extremum offendiſſet longa & rarò perpetua felicitas. Tſchimmern in

in Continuat. Sleid. de 4. Summ. Imp. lib. 3. pag. 395. Cluver. append. 16.

Suecorum Rex, dein Ratisbonam tendens, *Ingolſtadium*, totius Bavariæ munitiſſimum propugnaculum, cum ingenti vitæ periculo, *fruſtra tentabat*, ubi fortè globus tormento emiſſus ipſum, cui inſidebat, equum proſtravit; unde proverbium in Bavaria frequens, Zu Ingolſtatt weiſet man einem die Feigen; tormentum enim inſolitæ magnitudinis, quod in excelſa turri, Mariæ Deiparæ dicata, repoſitum erat, *ficum* (die Feige) appellabant. Rex igitur tanto diſcrimine territus, omiſſo Ingolſtadio in *reliquam Bavariam* contendit, Mosburgum, Landishutum, Friſingam, & *Monachium* ipſum, nitidiſſimam Ducis ſedem, cui ſimile præter Eſcuriale Madritanum vix Europa habet, deditione cepit. Burgold. Not. Rer. Imp. A. 121. Turſell. app. 1. hiſt. 48.

Iſta *Sueco* agenti nunciatur, cum formidabili exercitu *Wallenſtenium* (quem de novo Cæſar militiæ ſuæ ſummum Ducem conſtituerat) in auxilium Bavari adproperare, recuperatâ jam è Saxonis manibus totâ Boëmia. Ideò properè rapit, quæ aderant ipſi, copias, ac ſub *Noriberga* mœnibus obvio ſe ſiſtit hoſti, gerendoque ibi bello caſtra communit: Idem haud procul inde facit Wallenſtenius; uterque in id intentus, ne quo alter progrederetur, viciſſe ſe ratus, ſi, ne vinceretur, providiſſet: ita major æſtatis pars extracta, latis illatisque cladibus anceps, donec Rex adventu novorum exercituum, quos è diverſis locis Bannerius, Haſſus, & Vinmarienſis adduxerant, auctus, jam ipſe tantum ſumpſit animum, ut vel diſſentientibus reliquis Ducibus, Fridlandica caſtra in montium jugis probè munita, non dubitaret oppugnare, nullo tamen ſucceſſu, & clade ſuorum haud ſpernenda. Tum Rex improſperæ aggreſſionis ignominiâ magis, quàm damno, commotus, poſtquam dies aliquot quieviſſet, deſperatâ hoſtis extrahendi copia, & arctiore indies re frumentariâ preſſus, exercitum per Franconiam, Bavariam, & Würtembergiam diſtribuit. Idem conſilium Wallenſteinio fuit, quem non minus commeatuum & pabuli difficultas urgebat. Tſchimmern Contin. Sleid. lib. 3. 399. Turſell. 49. pag.

His rebus peractis, Septemviratui Saxonico certa pernicies à Wallenſteinianis ac Pappenhemianis imminebat. Itaque tantis fœderati Principis excitatus periculis Rex Sueciæ, accelerandas ſuppetias decernit, ac motis properè caſtris Lipſiam cum exercitu contendit,

tendit, ubi die ſexto Novembris, Leonhardo ſacro, ad *Lüzam* parvulum oppidulum, memorabile illud *prælium* eſt commiſſum, in quo *victores Sueci, ſed amiſſo Rege ſuo fortiſſimo,* qui iter ad novam victoriam ſanguinis ſui ſemita paravit. Magnus Heros primo ferè impetu, confoſſus multis vulneribus cecidit, incertum cujus manu, aut qua in parte? ipſi Scriptores variarunt, & qui prælio interfuere, aliter atque aliter narrarunt. Quicquid de eo eſt, benè tamen eſt, quod mors tanti Regis, militum animos ad generoſam potius ultionem, quàm turpem fugam exercuerit. Sunt, qui Divinitus laudatiſſimi Herois caſum, accidiſſe memorant; quin & ipſum Guſtavum Adolphum hunc ſibi exitum præſagiiſſe, ut & milites & alii plures, inter Numen (ad cujus inſtar is cultus erat) ac hominem diſtinguere admonerentur. De *Guſtavo* hoc, *in ipſa Roma* confectum legitur *Epitaphium*, quod ita concludit: *Si plura, ſi majora quæris, Deum, non hominem quæris!* Eundem verò eripuere fata, in maximarum rerum ſpem vix oſtenſum Orbi; Regem pium, clementia non minus, quàm fortitudine & prudentia propemodum incomparabilem; Cujus virtutes Orbis nunc loquitur, eaſque præſtabit æternas hiſtoriæ genius, &c. Joh. Krom. H. E. 641. Pufend. Introd. de Stat. Europ. continuat. 750. ſeq.

Poſt Lüzenſem pugnam, *Exercitus Suecicus eſt diviſus,* unaque pars Georgio Duci Brunſvicenſi, altera Duci Bernhardo Vinmarienſi commiſſa; utraque futuris deſtinata victoriis. Interea Guſtavus Hornius, & Otto Ludovicus Rhingravius, Suedici Ductores, Molshemium Alſatiæ, Friburgum Brisgoviæ, Frankenthalium ditionis Palatinæ, fruſtra reſiſtentibus Cæſareis occupabant. Cluver. hiſtor. append. 37. Turſell. app. 2. 54.

Dum hæc agebantur in Germania, *Gaſto, Regis Gallicani frater,* turbas anno ſuperiore per matrem cœptas, continuare pergebat, matremque ſecutus, ope Hiſpanorum contra fratrem bellum inſtaurabat, pertracto in ſuas etiam partes *Duce Mommorantio.* Sed infauſta utrique ceſſit expeditio. Cùm enim ad Caſtelnaudarium prælio certaretur menſe Septembri, victus Gaſto Aurelianenſis, unà cum ſaucio Mommorantio in poteſtatem Regis pervenit. Calviſ. Chron. 1005. ſeq. & Epit. hiſt. Turſell. cont. 2. 45. pag.

Eodem anno ultimum diem ſuum obiit *Sigiſmundus III. Poloniæ Rex*, qui, mortuo Patre, Suecorum etiam Regnum adierat, coronatus anno 1594. quo tamen, quia intempeſtivè Religionem A. C. ibi

ſta

ſtabilitam evellere conabatur, à Carolo Pr. Sudermanniæ, Patruo ſuo, exutus eſt; Princeps pietatis & regnandi partibus ac artibus inter ſuos commendatus; *Duarum Sororum*, Annæ & Conſtantiæ, filiarum Caroli Archiducis Auſtriæ, *maritus*; pater Ladislai Sigismundi, & Johannis Caſimiri, qui *ambò Mariam Gonzagam uxorem* deinceps *habuere*: Hofm. Lex. univ. B. 351. Wagner. Geneal. 313. pag.

LIB. IV. CAP. XXI.

Summaria.

Pericofzius blaſphemus, in canem converſus.
Prodigiorum frequentia; Et omina mortis Regiæ Guſtavianæ.
Fons Capſenęti, prope Calvam, notabilis.
Matrimonii productioris exempla.
Sinenſium perſuaſio de Metempſychoſi.
Ingens peſte abſumptorum numerus, intra circaque Noribergam.
Balde in Fridericum Palàtinum: Epigramma cujusdam in Momorantium.

PRimum hîc ſibi locum poſcit horrendum judicii Divini exemplum, poſteritati, ſi quæ futura, ſedulò inculcandum. In finibus Muſcoviæ, Martio menſe hujus anni vivebat vir nobilis genere, dignitate quæſtor, nomine *Albertus Pericofzius*. Hic miſeram plebem, ſi tributa tardius exſolveret, pecoribus ac jumentis ſpoliare ſuetus, cùm domo fortè abeſſet, unica nocte omnem injuſtè quæſitum gregem amiſit; extinctum ſubitanea internecione jacuit, quicquid rapuerat, quicquid etiam coëmerat homo improbus; revertenti enunciat ſervus, inde uxor, cladem Divinitus immiſſam. Ad hoc frendere vir blaſphemus, ſclopetum in cœlum explodere, nefandas eructare voces: „ Qui interfecit, devoret; ſi noluiſti, me edere, tute „ edas, &c. Ad furioſos in Deum latratus, *guttæ* deſtillarunt *ſanguinis*, & *Pericofcius* confeſtim *in canem verſus nigrum*, ululando invaſit pecudes morticinas, iisque paſci cœpit. Mulier gravida, caſui huic viri ſui aliquandiu ſuperſtes, tanti horrore judicii demum exanimata eſt. Id quod refert *Johannes Cluverus* in appendice hiſtoriarum, ſubjicitque: Se non ab auritis tantùm, ſed ab oculatis etiam teſtibus relationem ſuam accepiſſe, pag. 40.

Aliis mortalibus, multis in locis *cœlum* hoc anno ferè jugem vultus ſui torvitatem, imbres, ventos, copioſiores nives, indeque

ena-

enaſcentes morbos intolerabiles, exhibuit; *Terra* paſſim ſanguineis conſperſa guttis; *ſtagna* tota Saxonum in cruorem verſa; apud Dithmarſos *homo biceps* Eddeballazæ genitus, ventre uno; *bos biceps* Sarzebuttelæ, aliique monſtroſi partus alibi viſi; *Sanguis* in panibus, ocreis, pavimentis, arborum foliis repertus; uti recenſet idem Scriptor ibidem, concludens: *Naturam credite vanitati obnoxiam congemiſcere ſanguinolentis machinationibus, ſuique liberationem parturire.* Id. ibid.

Iisdem horis, quibus ad Lüzam confligebatur, ut & cùm jam nox incubuiſſet, Virgo, altera manu facem ardentem, altera ſtrophiolum excuſſum ferens, ſupra *arcem Stokholmianam* viſebatur; omnes in univerſum januæ per arcem, ter ſponte patebant; fluvius non ignobilis per totum diem exareſcebat, ut ſicco pede tranſiretur; In Smalandia Campanæ, à nullo homine pulſæ, reſonabant; indubia *Regiæ mortis omina.* Calviſ. 1007. pag.

De fonte Kapfenetenſi, lectu & notatu digna ſunt, quæ in Solen. Auguſtal. J. V. A. ad Principem juventutis Brunov. & Lunæb. perſcripſit hisce verbis: Anno Æræ Chriſtianæ Kapfeneti, loco meæ inſpectionis, trihorio Calva diſtante, fons dudum notus, ſed ignotæ virtutis ſubito innotuit, ſanatione *opilionis*, qui diu quaſi lepra obſitus & corruptus, cùm fortè ex eo laviſſet, corrigique malignam ſcabiem ſenſiſſet, repetita aliquoties lotione, rectè convaluit, quem reſtitutum integrè, ſæpius vidi. Secuti exemplum alii in conſimili defectu, eandem virtutem ſunt experti, ſed & aliis morbis adverſum adhibita aqua in multis profuit; hinc fama, & inde accurſus, mox in majus, & ſupra *Naturæ* etiam *vires* Pandora hæc elata, hominum jam non turbam, ſed propè exercitus concivit, qui caſtra in denſiſſimo querceto locarunt (nam præter villulam & molendinum domicilia procul abſunt) ſuaque ſcenopegia habuerunt. Numerata ſunt aliquando ſex mille hominum, magnam partem muti, ſurdi, claudi, ſtupidi, manci, cœci, ex quibus unum vidi, erutis oculis, qui viſum repoſcebat. Veni enim & ipſe illuc, miratus hominum credulitatem, & ut fontem coram explorarem. Ebullit is ex radice quaſi magnæ *Quercus* magna vi aquæ, ita ut ſtatim rivum efficiat, qui tamen tot hominum uſibus, & perpetuæ in omnes oras tranſvectioni minimè ſuffecit, unde mihi difficilis ad eum aditus, ſed reditus per obſidentes mendicantes longè difficilior fuit. Aqua ſanè limpidiſſima eſt, & frigidiſſima, ſed potus lenti potius, vel lutulenti, quam alacris. Cumque manus lavarem, ſenſi eam peracrem, in exi-

gue,

guo, quod fortè habebam, vulnere, nam & Medici plurimum aluminis & calcis in ejus decoctione repererunt. Hinc factum, ut cùm curandis vulneribus, & ſiccandis pituitoſis multum conferret, tabidis & ſiccis compendioſam ad mortem viam faceret. Magna poſt exiguum temporis intervallum, hominum ſtrages facta eſt, non levi incolarum damno, quibus ſepelire defunctos, ne aër corrumperetur fœtore, neceſſum fuit. Exemplo & malo ſuo edocti diffluxere multi, tandem vix vertente anno, omnis miſerorum exercitus evanuit, ſylvâ vel cæſa, vel ramis ſpoliata nobis in memoriam rei ſuperſtite. Chirurgis tamen hæc medica aqua minimè neglectui eſt, quam & noſtri cives ſaluberrimam in multis affectibus ſunt experti. Addam autem quod rideas: *Ancilla* quædam juſſa ſitulam medicatæ aquæ adferre, cùm reditu urbi proxima, lapſa eſſet, & aquam effudiſſet, anxia rerum, & vix pertæſa, ex proximo fonte vas replevit, heræque medicinam ſubſtituit, qua feliciter eſt curata, dolusque ancillæ in ludibrium verſus. Hæc ſuccurrerunt, quæ Tuis reponerem, non ut fidem *Hornhuſanarum ſcaturiginum*, quas quinque numero jam proſiliiſſe diverſi ſaporis audio, elevem, ſed oſtendam, ſumma etiam & præſtantiſſima DEI beneficia, humani ingenii vitio, vel ſuperſtitione contaminari; vel ignorantia negligi; vel errore impertinenter adhiberi; vel impoſtura in abuſum converti; vel credula famâ in majus extolli; tandemque faſtidio abjici poſſe, ne unquam non fabula acta eſſe videatur. Ita Johann Valentin Andreæ in literis ad N. Stutgard. ſign. 29. Jul. 1646. Selen. Auguſtal pag. 169. 170.

Verùm *diuturni ſuavis Matrimonii exemplum* dedere, *Joſua Grüningerus*, Paſtor Popenvillenſis Wirtenbergicus, & *Barbara ab Eſſern*, ſolennia Evchariſtica Julii die 9. an. 1632. celebrantes, ætat. 78. propemodum abſoluto, quibus gener Joh. Val. Andreæ publicè bonis verbis præivit. Ante Joſuam verò pater *Eraſmus*, cum *Eliſabetha Faſnachtina* ſua 74. egreſſus, majore liberorum, nepotum ac pronepotum numero, eadem ſolennia obtinuit, aliosque 16. annos placidiſſimi conjugii & viridis ſenii addidit; potuiſſe que idem in filia *Eliſabetha*, cum *Georgio Beccio* ejus marito videre, niſi hic præ ruſtico pudore abſtinuiſſet. Hæc rarioris exempli ſunt, & in una familia chariſſimi. Andr. in Selenian. Auguſtal. pag. 271.

Stolidam opinionem de Pythagorica *Metempſychoſi*, ſeu transmigratione ac transmutatione animarum humanarum, poſt ſolutio-

tionem à corpore gentilibus e. g. *Sinenſibus*, ad huc dum firmiter inhærere, & mutationem quidem tranſitionemque tam in arbores, quàm in alia corpora, eos credere patuit, cùm anno 1632. in *Conchinina* provincia, *quercus* ingentis proceritatis & craſſitudinis, ventorum violentia de repentè proſtrata eſſet, nec à centum hominibus loco dimoveri poſſet, Sinenſeſque pro confirmatione inveterati erroris dicerent: Iſthanc arborem adjuratam, talem edidiſſe ſonum: ſe quondam Capitaneum fuiſſe, ſed ante centum annos, poſtquam provinciæ bellum denunciaſſet, mutatum in tantam arborem, & hactenus ſtetiſſe hîc loci, deficientibus, eam qui cædere, aut lædere auderent. Hinc etiam apud iſtas gentes conſvetudo invaluit, ut ſæpiuſculè ad magnarum arborum radices, cibos ponant, ne heroum animæ ibi latitantes, fame torquerentur, debitave pro date quieſcentibus umbra gratitudine defraudarentur. Ex Franciſc. Oſt- und Weſt-Ind. Luſtg. 861. pag. confer Act. Er. Lipſ. 1695. pag. 5.

Noribergæ intra mœnia, hoc anno *peſte perierunt* novem & viginti Civium ac militum Svecicorum millia; extra mœnia verò circumcirca, variorum hominum plusquam triginta millia, diverſis morborum generibus, inprimis autem fame infeſtata, miſeras exhalarunt animas, teſte Johanne Kiſslingo in Chriſtlicher Leb- und Sterbenskunſt. pag. 771.

Friderico quinto Palatino, Ex-Regi Böemico, vivis etiam non multò poſt exempto Moguntiæ, *Jacobus Balde* Lojolita Bavaricus, demum anno 1628. hunc *Leſſum* fecit in Pöematibus de vanitate Mundi, num. LXXII.

Ubi minorum gentium
Fridricus ille friget?
Nivem videns in purpura
Tantum ſemel cadentem:
Unius anni Regulus,
Hoc nomen inquinavit:
Jam pulvis eſt; jam vermis eſt;
Cúi verò nota tumba eſt?

Memmorantium autem Ducem Gallicanum, quia cum Aurelianenſi arma ceperat contra Regem, *capite punitum*, ante Marmoream Henrici IV. ſtatuam, non nemo ſiſtebat ita loquentem:

Ante patris ſtatuam nati implacabilis irâ
Occubui, indigna morte manuque cadens.

Elo-

Illorum ingemuit neuter mea fata videndo;
Ora patris, nati pectora, Marmor erant!

Vid. Turſell. 2. append. Ep. hiſtor. 46. & act. Erudit. Lipſ. an. 1689. pag. 111.

LIB. IV. CAP. XXII.

Summaria.

Principum Proteſtantium curæ bellicæ, poſt Regis Guſtavi Adolphi fata ſuſceptæ.

Quid, poſt DEUM laudato Regi debeatur!

Guſtavus Adolphus Dux Mecklenburgicus ex matre Calviniana naſcitur, in Religione tamen Lutherana educandus.

Denaſcitur Chriſtianus ſen. Dux Brun. & Lunæb. Epiſcopus Mindanus.

Mulierum faſtuoſarum ſcandaloſa contentio, Templum Moſcoviæ Lutheranum evertit.

Monachi Ruſſici, cum P. Orthodoxo frequenter de Religione collocuti, periculum.

Capita fidei Chriſtianæ à Moſcovitis recepta: Et, Errores intermixti.

Cyrilli Contari, in Eccleſ. Conſtantin. perfidia & ſacrilegium.

Pauli Tarnovii; Et, Johannis Cluveri, obitus.

MOrs *Guſtavi Adolphi*, Seciæ Regis, magnam Domui Auſtriacæ, ac Ligæ Romano-Catholicæ, ſpem præbuerat magnorum inter Evangelicos diſſidiorum, & recuperandi amiſſa; ſed utrumque fefellit. Nam *ſtatus Evangelici Heilbronnæ arctiori fœdere ſe obſtrinxerunt*, atque decreverunt ab armis non recedere, donec libertas Germaniæ, Religionisque redderetur; nec mutata belli fortuna. *Militare Imperium* iis ducibus relictum, quos ipſe Rex inſtituerat, Bernhardo nempe Duci Vinmarienſi, Guſtavo Hornio, & Johanni Bannerio. *Belli* verò *director* erat Axelius Oxenſtirna, quaſi alter Guſtavus Rex, ſupremus Seciæ Cancellarius. Hic Proteſtantes Germaniæ, qui Regem pro libertate ſua occidiſſe credebant, fortius colligavit; compoſitaque ejus præſcripto nova ſenatus ordinum Imperii forma, ipſo Præſide, ſedesque delecta Francofurdiæ. Romanenſes plerique opinantur, quaſi G. A. ſpecioſis prætextibus ſuis Germaniam ſub jugum mittere intenderit, cum omnium civilium certaminum hic ſoleat exitus eſſe, ut belligerantes partes in unius tandem poteſtatem recidant, &c. Quicquid autem de eo ſit, hoc tamen, *quod clericorum papalium ſervi non ſimus in Germania*, poſt DEUM

O. M dicto Regi videtur adſcribendum. Turſellin. app. 2. Epiſt. hiſt. 55. Burgoldenſ. notit. rer. Imp. A. 124.

Naſcitur *Guſtavus Adolphus*, Johannis Alberti Ducis Megapolitani ſeu *Meklenburgici*, *Güſtrovienſis* lineæ, ex Eleonora Maria Anhaltina filius unicus; quem exacto triennio, ne Calviniſticis erroribus inficeretur, Tutor patruus, Adolphus Fridericus, repugnante licet matre, in ſuam aſcivit aulam, & in Religione Confeſſionis Auguſtanæ fideliter educandum curavit. Notit. procer. Imhof. 499. Spener Geneal. 234. pag. confer 1636.

At vivere deſinit inter ſublunares, *Dux Brunovicenſis ac Luneburgenſis*, Cellenſis lineæ, *Chriſtianus ſenior*, ſimul Epiſcopus Mindanus, Wilhelmi filius, qui & Grubenhagenſem principatum ſibi per ſententiam Cæſaris adjudicatum, poſſedit: Eum in regimine ditionis excipit Auguſtus, Adminiſtrator Epiſcopatûs Razenburgenſis, &c. Notit. procer. 476. ſyllog. Geneal. Spen. 164.

Lutheranis in Moſcovia Urbe, quæ totius Regni caput eſt, ea tempeſtata repentinum & ingens malum accidit, ex *faſtu ac ambitione muliebri*. Militum enim Germanorum, qui ſub Magno Duce (*Zario Federovizio*) contra Polonos merebant, amaſiæ, haud pridem à foco & fornace calentes, cum uxoribus ſpectatiſſimorum Mercatorum ejus loci de honoratiori ſtatione litigabant in æde ſacra, dum ſummi DEI publicus cultus peragi debebat; & ea quidem ſequiorum affectuum vehementia rem urgebant, ut à verbis ad verbera pervenirent. Eo heu! momento, quo iſta fiebant, Patriarcha Moſcovicus, equo prætervectus, cùm tumultum audiiſſet ſcandaloſiſſimum, cauſam ſtatim inquiſivit, eâque percepta, indignabundus dixit: ſe perſvaſum fuiſſe, ſacros ibi conventus agi, ac devotos DEI cultus celebrari; ſed longè aliud, & contrarium exemplum, ſine exemplo, experiri, quod neutiquam ferendum ſit; proptereaque mandavit, ut mox deſtrueretur Templum illud, & ſolo æquaretur; dictum, factum eodem die, juxta relationem Olearii, in ſeiner Moſcowitiſchen Reyß-Beſchr. libr. 3. 318.

Novogardiæ *Ruſſicus* quidam *Monachus*, cum Lutherano ejus loci Paſtore frequentiores conventus habebat, ibi de religione ſermones immiſcens, animo ad fidelem informationem accipiendam non alieno; ſed re ad ſupremum ſacrorum Antiſtitem delata, Monachus mox abreptus & in carcerem conjectus eſt; ut qui nova moliretur adverſus patriam Religionem, contraque avitas leges de ea

tanquam dubia, diſputare cum exteris auſus eſſet. Quid ageret vir conſilii ſalubrioris inops? Excuſavit factum, quaſi ſub ſpe extraneum convertendi adque Ruſſicam fidem perducendi ſusceptum, evaſitque periculum, ĕ carcere liberatus, facta promiſſione de conventibus iſtiusmodi & colloquiis poſthac intermittendis ac fugiendis. Olear. Moſc. Reyß-Beſchr. lib. 3. pag. 279.

Occaſione hac, nonnulla de *Ruthenorum* ſeu *Moſcovitarum* doctrina & *religione* ſi afféramus, operæ pretium ſperamus nos facturos. *Moſcovitas Chriſtianos eſſe*, à multis quondam in dubium fuit vocatum. Sed cùm Eſſentialia Chriſtianiſmi teneant iſti homines, licet intermixtis erroribus, eoſdem omninò Chriſtianis annumerandos, alii non immeritò ſtatuerunt; Fides eorum quæ creditur, certò Chriſtiana eſt, licet, qua credunt fide, devient. Sanè libros Propheticos & Apoſtolicos, tanquam Divinos accipiunt, & pro Norma fidei agnoſcunt, legunt ac in templis prælegunt; eos reverenter habent, in honeſtis locis reponunt, neque manibus tangunt, niſi prius, caput multoties inclinando, cruce ſe munierint. Hoc fundamento jacto, in *præcipuis fidei Chriſtianæ articulis* rectè docent ac ſentiunt, ſaltem qui Eccleſiis miniſterio publico præſunt. Confitentur enim in Unitate Deitatis, perſonarum Trinitatem. Homines in peccato natos, & natura æterni judicii reos dicunt, quos oporteat renaſci per baptiſmum atque Spiritum Sanctum, ſiquidem velint in regnum Cœlorum ingredi. Chriſtum, DEUM & hominem pro fundamento ſalutis ponunt, per & propter quem ad gratiam nobis pateat aditus. Baptiſmum ceu ſacramentum N. T. ſecundum Inſtitutionem Salvatoris adminiſtrandum eſſe, & S. Cœnam ſub Utraque ſpecie diſtribuendam, conſtanter aſſerunt. Cœtum DEI eſſe Eccleſiam, cui Uni, vero, ſanctoque, Dominus gratiam ſuam & ſalutem promiſerit, credunt; ſeque illum eſſe cœtum jactant. Extra veram Eccleſiam nullam ſalutem ſperandam, adeoque fugiendum ſyncretiſmum; Papam Romanum neutiquam eſſe caput Eccleſiæ; Nec Romanam Ecclesiam primatum in reliquas tenere; Exercendas Claves à Chriſto traditas. Fidem juſtificationis fundamentum ſternunt; pœnitentiam & preces urgent, ut homini neceſſarias; Miniſterium Eccleſiaſticum ſanctè habent, atque ordinem inter Miniſtros admittunt; Magiſtratum, inprimis Zarem ſuum, ſummâ proſequuntur obſervantia; Honorabilis inter ipſos Conjugii ſtatus, nec Sacerdo-

tibus atque Diaconis prohibitus. Vitam æternam credunt, piis poſt hanc impertiendam; purgatorium negant; Verbo: cum Græcis, paucula ſi excipias, conveniunt. Suberant olim quoque Conſtantinopolitano Patriarchæ Moſci, ſeu Ruſſi vel Rutheni (nimirum Albi; cæteri Poloniæ Regi ſubſunt, horumque vergente ſuperiori ſeculo nonnulli cum Romana ſe conjunxerunt Eccleſia) nunc verò proprium Patriarcham habent, quem Princeps eligit, confirmant ſui ſuffraganei; quod inchoatum à Duce Baſilide Magno, qui miſſum à Conſtantinopolitano Præſule Metropolitam, vitia peccataque ipſius valdè carpentem, conjecit in carcerem, & ad mortem usque detinuit ibi, poſthabita ipſius Turcarum Imperatoris interceſſione. Hinc deinceps alii quoque Moſcorum Duces, Eccleſiarum ſuarum conſt tuerunt Antiſtitem, quem Epiſcopi ordinarunt & confirmarunt. In ſignum tamen priſtini moris ac ſubjectionis, Magnus Moſcorum Dux, Conſtantinopolitano Patriarchæ quotannis, honorarium quingentorum aureorum transmittit. Oppenbuſch / Exercitat. hiſtor. Theolog. de Relig. Moſcov. pag. 6. 27. pl. & Hornbek. S. C. lib. 11. 953.

Moſcovitarum ſeu Ruthenorum tamen fidem, licet antiquæ ac primitivæ Eccleſiæ Græcæ ſe ſucceſſores eſſe glorientur, *traditionibus* variis, & *erroribus* haud levibus miſerè deformatam eſſe, negari non debet. Sanè dicta Patrum, & ſeptem Conciliorum decreta, ſacræ Scripturæ oraculis tantum non exæquant, imò in praxi ſæpius præferunt. Conciones Verbi fugiunt, putantes, nudam lectionem ſufficere, & ſe hac ratione varias hæreſes ac diverſas de fide opiniones effugere. Proceſſionem Sp. S. à Filio pertinaciter negant. Mediatricem ſalutis hominum vocant Mariam, quæ confidentia materna plurimum apud Filium polleat, defectus mortalium ſuppleat, pro univerſo Chriſtianorum genere orans, illudq; protegens. Omnes à ſua religione alienos, barbarorum loco habent, ut pollui Princeps exiſtimetur, quoties eorum Legatis manum deoſculandam porrigit. Omnes ab illis diſſentientes, e. g. Lutheranos, Calvinianos, Pontificios, ad Ruſſorum communionem Eccleſiaſticam tranſituros, rebaptiſari opus cenſent. In S. Cœna, corpus & ſanguinem Domini diverſis actibus non diſtribuunt, Evchariſtiæ Sacramentum adminiſtraturi, vino calice contento panem fractum injicientes, & ſic madefactum, communicanti ſimul cochleari porrigentes,

gentes. Infantibus etiam communicant ſuis, infirmis quidem partialiter, pueris autem ac puellis ſeptem annorum, peccare jam ſcientibus, integrè. Die Viridium, omnes aliarum Eccleſiarum homines, præſente ipſo Czario, banno percutiunt. Juſtificationem credunt equidem ex merito CHRISTI per fidem, ſed operibus veſtitam & ſuffultam, obtineri. Viribus arbitrii nimium adſcribunt; Monaſticam vitam, quaſi perfectam & angelicam deprædicant; Principem ſuum, tanquam Clavigerum & Cubicularium DEI, (ex cujus voluntate, quicquid facit, faciat) obſervantiâ plus juſta, proſequuntur; Vitam cœlibem conjugio multis modis, ceu nobiliorem, præferendam ſtatuunt, leves ob cauſas admittentes divortia. Pro defunctis orant; Sanctos demortuos invocant; eorum imagines religiosè colunt. Animas piorum, ante reſurrectionem viſione beatifica frui, negant; Morientibus tamen literas commendatitias, Petro aliisque Sanctis exhibendas, ut inoffenſi per januam gloriæ intromittantur, impertiunt. Oppenbuſch. citat. exercitat. pag. 28. ſeq. & Michaël Siricius Diſquiſit. Acad. de Relig. Moſcow. pag. 70. ſeqq. pl.

Tunc temporis *Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ turbas* dedit magnas *Cyrillus Contari*, Berrhoënſis Metropolita, & Patriarchæ *Cyrillo Lucari* graviſſimas creavit moleſtas; quippe Lojolitica diſciplinâ infectus, & Acacium Berrhoënſem, olim Chryſoſtomi Conſtantinopolitani Archiepiſcopi hoſtem infenſiſſimum, ingenii malignitate & nequitia referens, eleemoſynas, quas Lucaris commendatitiis ex Moſcoviæ aliisque regionibus corraſerat, ad Mecænatem ſuum è Patriarchatûs throno deturbandum, & Eccleſiam quinquaginta millium thalerorum gravamine opprimendam, ingratâ perfidiâ, horrendoque ſacrilegio convertit. Sed cùm promiſſam Turcis pecuniam numerare non poſſet, ſeptiduano tantùm Imperio defunctus, in Inſulam Tenedum deportatus eſt, ubi ſceleris ac pœnæ ſocius, Amaſiæ Metropolita, manu Domini percuſſus, diſperiit; Berrhoënſis verò fictis lachrymis pœnitentiam ſimulans, propria manu in ſuis ad Lucarin literis autocatacritum, & omni pœnarum genere ſe dignum faſſus, impetratâ Patriarchæ veniâ, ad ſuam diœceſin reverſus eſt, ut ad certamen redintegrandum vires recolligeret. Henricus Hilarius ad Chron. Eccleſ. Græc. pag. 451.

Terrigenarum conſortio interim liberatus eſt, *Paulus Tarnovius*, D. Theologus Roſtochienſis, libro de Miniſterio, Trinitate, Conjugio, & Commentario in Johannem, clarus. Dieter. in Catal. autor.

tor. Catech. inſtitut. præfix. c. 3. Alius, *D. Johannes Tarnovius*, itidem Roſtochienſis, Exercitationibus Biblicis Commentariis in Prophetas minores, Pſalmos pœnitentiales ac Threnos, poſteritati ſe commendavit; quem verò is annum habuerit emortualem, nobis, fatemur, non ſatis conſtat. Micræl. lib. 3. 548. ſeq.

Adulto anno *Johannes Cluverus* D. Stormarus obiit, è Paſtore Meldorpienſi & Marnenſi, Profeſſor Soranus, poſteaque Auſtralis Dithmarſiæ Superintendens; Harmonia Evangeliſtarum, Computo Chronologico, Theologiæ Compendio, Tuba Zionis, Orthotomiâ Apoſtolica, & Commentario in Apocalypſin, quibus acceſſit Epitome Hiſtoriarum totius Mundi, celebris. Micræl. cit. lib. 476.

LIB. IV. CAP. XXIII.

Summaria.

Ferdin. II. Imper. ſeveritas in Evangelicos Auſtriacos continuata.

Pecunia Ligiſtis ab Urbano VIII. tranſmiſſa.

Nummi antiquiſſimi Romæ effoſſi.

Papæ Bulla, de Miſſione ad regiones Japonicas.

Anatomia Societatis Jeſuiticæ expoſita.

Holkius, Miniſtrorum Eccleſ. Lutheran. Perſecutor, juſtum DEI judicium experitur.

Quomodo Chriſtophorus Ferreira ſe geſſerit in Japonia?

Converſio Chinenſium, pro medio converſionis Japonenſium habetur.

Edmundus Richerius, Papæ gnathonibus admodum inviſus, moritur.

POſt obitum Sueciæ Regis, non deſtitit *Ferdinandus II.* Imperator, inductus à Clero Pontificio, exſcindere eum Numinis cultum, pro quo certabant *Evangelici*; eaque ſeveritate miſeros Auſtriacos, patriæ damnatos, egit in militiam, ac ita hoſtiles exercitus, contra ſemetipſum, haud parùm auxit. Cluv. in append. hiſt. Ep. 44. pag.

Urbanus octavus, Præſes Capitolinus, *Ligiſtis* in Germaniam ad continuandum bellum contra hæreticos, quos vocabant, Acatholicosque, *quinquaginta coronatorum millia* in Germaniam Româ tranſmittit; poſtquam inventa erat à foſſoribus in caſtro S. Angeli capſula nummis antiquiſſimis plena, quos ejusmodi rerum intelligentes olim à Gothis cuſos fuiſſe conjectabant. Calviſ. Chron. contin. 1008.

Idem Pontifex Tyberinus, inter ſæviſſimas Romano Catholicorum perſequutiones in *Japonia*, de reſtituenda tamen in integrum

re

re ibi Chriſtiana, ſpem non prorſus abjecit. Is quippe *bulla* die 22. Febr. an. 1633. editâ, ultra ſuperiorum Pontificum decreta, miſſionem ad Japonicas, aliasque Orientalis Indiæ regiones, ad Religioſos quoscunque demum ordinis extendit, & impedientes miſſionem, Excommunicationis latæ ſententiæ vinculo innodavit. Sed fruſtra is Romæ decreta cudit, ac adverſus renitentes fulmina conflavit, dum interea Saguntum periit, & funditus peſſum ivit. Heidegger. hiſt. Papat. pag. 375.

Anatomia Societatis, ut vocatur, *Jeſuiticæ*, anno 1633. edita, Pontificio quodam autore, tribuit huic ſectæ incomparabilem faſtum, ejusque, Carnis & ſeculi prudentia utentis, finem proximum eſſe dicit; *Monopolium* primò *gratiæ apud Deum*, ut in hujus gratia eſſe poſſit nemo, nec veniam ſive peccatorum abſolutionem obtinere, niſi per Jeſuitas: dein, *gratiæ apud Principes & Magnates*, ut nemo honores, officia & opes ab iis conſequi poſſit, niſi per Jeſuitas: porrò *Fidei Catholicæ*, ut nemo ex pagano Chriſtianus, aut ex hæretico Catholicus fieri poſſit, niſi operâ Jeſuitarum: Inſuper *perfectionis*, ut nemo poſſit eſſe perfectus & ſanctus, niſi per Jeſuitas, id eſt, in ſocietatem eorum receptus: Similiter *Eruditionis*, ut nemo poſſit Divinas ac humanas literas diſcere, niſi Magiſtris utatur Jeſuitis: Nec minus *virtutis & morum bonorum*, ut nemo benè moratus fieri poſſit, niſi per monita & exempla Jeſuitarum. Tandem etiam *Famæ ſeu boni nominis*, ut nemo bonus aut doctus exiſtimetur, niſi ſuffragantibus, aut ſaltem non refragantibus Jeſuitis. Hæc autor *Anatomiæ*, D. Gerhardo allegante in Confeſſione Cathol. part. General. 906. 910. pag.

Per ea tempora *Henricus Holkius*, è Nobilitate Danica exercitus Cæſareani tribunus, qui Miſniam nuper depopulabatur miſerrimè, ad ipſamque ſedem Saxonici Electoris Dresdam palabundus procedebat, fumo penè ſuburbanorum pagorum Septemviralem Aulam implens, quùm ſe recepiſſet Lipſiam, ibi peſte correptus, dein Adorfum in Voigtlandia deductus, inter ſummos animi angores, ut ferunt, exſpiravit, antea perſecutor Prædicantium Lutheranorum acerrimus. Is tandem in agone propemodum conſtitutus, Miniſtrum Evangelicum deſideraſſe, & expetiiſſe dicitur, ſexcentum Imperiales tali, pro impertiendis conſolationibus, promittens, at fruſtra! Siquidem ante, quàm ex latibulo evocatus eorum unus advenit, Holkius impiam efflavit animam; ſerò nimis expertus vim dicentis ex alto: qui vos (DEI ſervos & fideles) tangit, pupillam tan-

 git

git oculi mei; &, qui vos ſpernit, meipſum ſpernit. Zeiler. tom. 2. epiſt pag. 851. ex Meterano.

De *Chriſtophoro Ferreira*, Lojolicæ Societatis viro, recenſet Scriptor Pontificius in hiſtoria Eccleſiaſtica *Japoniæ*, quod anno 1633. ibidem in loco ſupplicii Chriſtianorum, foſſæ immiſſus, cùm vix quinque horis cruciatum ſuſtinuiſſet, fidem abnegarit, præmiisque à Japonibus affectus, ætatem ad octogeſimum annum produxerit; ſed cùm toto illo tempore apoſtaſiam ſuam ſecreta cordis pœnitentia deploraſſet, abjecta tandem impia ſimulatione, Chriſtianiſmi confeſſionem repetierit, ac ſupplicium foſſæ conſtanter toleraverit. Hoc pro certo dictus autor affirmat; quanquam non diſſimulet, eſſe, qui de converſione hominis iſtius dubitent. Alioquin allegat Theophilum Rinaldum, multis exemplis probantem, quod etiam Apoſtatæ pœnitentes, & ad priſtinam fidem reverſi, coronâ Martyrii à DEO honorati fuerint. Tantam verò Japonicæ Eccleſiæ cladem, quam hucusque paſſa, reſarciri poſſe, ſpem fovet autor, ſi *Chinenſe* Imperium ad Chriſtum convertatur; quod ſi fiat, de *Japonum* converſione non dubitat, cùm ſolos Chinenſes altum ſapere credant, eosque diligenter imitentur. Optat tamen, & precatur Deum, ut hæreticorum dolos avertat, ne Chinenſium Proceres ſuſpicionibus adverſus Miſſionarios impleantur, vel hi inter ſe, magno cum prædicationis Evangelicæ damno, diſſideant. Ex Act. Erud. Lipſ. de an. 1690. pag. 249.

Ultimum diem ſuum obiit in Gallia, *Edmundus Richerius*, de quo an. 1630. cap. 2. vid. multis egregiis ſcriptis, præſertim tractatu de Politica & Eccleſiaſtica Poteſtate, clarus; at Papæ R. ejusque paraſitis minimè commendatus. Inventi quippe ſunt, qui dictum librum non modò confutandum ſuſciperent, e. g. Andreas Duvallius, Doctor Sorbonicus, & Regius Theologiæ in Academia Pariſienſi Profeſſor primarius; Verùm etiam coactis Synodis eundem damnarent atque proſcriberent (id quod anno 1612. menſe Martio Pariſiis in congregatione, à Jacobo Cardinali Perronio, Archiepiſcopo Senonenſi, cum ſeptem ſuis ſuffraganeis habita, & paulò poſt menſe Majo, in Conventu Aquenſis provinciæ, contigit) ac inter libros publica autoritate prohibitos referrent. Imò multis poſt annis in *Indice librorum prohibitorum*, juſſu *Innocentii undecimi* publicato, idem his verbis factum legimus: „ Edmundi Richerii opera; Cu„jus eſt etiam liber Anonymus prohibitus, &, qui denuò prohibe„tur,

„ tur, inſcriptus de Eccleſiaſtica atque Politica poteſtate &c. Quamvis autem Richerius, quem Regia autoritate Facultatis ſuæ Syndicatu depoſitum perhibent, omnes tandem libelli ſui propoſitiones earumque expoſitiones R. Eccleſiæ judicio, ut fertur, ſubjecerit, & hæc declaratio apud Cardinalem Richelium an. 1629. renovata, extremoque ſpiritu apud Confeſſarium confirmata, nec non ab hoc, Archiepiſcopi Pariſienſis juſſu vulgata fuerit; relicta tamen ab eo *Conciliorum generalium hiſtoria*, ſatis indicat, quod optimus vir ſententiam ſuam de regimine Eccleſiaſtico, abſolutæ Monarchiæ oppoſitam, feriò & ex animo nunquam retractaverit. Cujus dicti fidem facit inter plures *Claudius Bartholomæus Moriſotus*, in epiſtola hoc ipſo anno ad Curetum ſcripta, in qua Richerium Pontificis R. inſidiis, modò per ſatellites à Duce Eſpernonio immiſſos, è Collegio Cardinalis Monachi abreptum, & carceri intruſum, ægrèque amicorum & Academiæ Pariſienſis interceſſione ad Senatum, in quo cauſam ſuam egregiè peroravit, libertati ſuæ reſtitutum; modò in ædes P. Joſephi Capucini ad prandium & amica colloquia dolosè invitatum, & poſtea præſente Notario Apoſtolico, ad ſubſcribendam libelli ſui, de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate, retractationem ſtrictis pugionibus adactum, memorat, &c. Confer Actor. Erud. Lipſ. an. 1683. 494. & 1684. 103. pag. pl.

LIB. IV. CAP. XXIV.

Summaria.

Theologorum Francofurtenſium in Marchia, judicium de variata & invariata confeſſione Auguſtana.

An id ex ipſorumet ſententia veritati congruum?

Theologi Batavi, ab Hauſero provocati.

Liber Canonum in Anglia publicatus, materia litis funeſtiſſimæ.

Templum à Calvinianis in Moſcoviæ metropoli prope confectum, funditus iterum deſtructum, cur?

TUnc temporis *Theologica Facultas Francofurtenſis ad Oderam*, in conſilio & judicio ſuo de negotio viſitationis per Marchionatum Brandenburgicum inſtituendæ, articulo nono, ad Electorem Georgium Wilhelmum ſcripſit: *Auguſtanæ Confeſſionis variatæ ac invariatæ exemplaria, re nil quicquam differre.* Verba formalia ſic ſe habebant: „ Norma doctrinæ eſt Scriptura ſacra, cum ſymbolis Chriſtia„ næ Eccleſiæ Cardinalibus, & Auguſtana Confeſſione, ſive emen-

„ datam (variatam) quis intelligat, ſive alteram (invariatam.) Non „ enim utriusque Editiones magis diſcrepant, quàm Evangelium „ Matthæi, ab Evangelio Lucæ, vel Johannis. Quàm verè? aliorum cenſuræ ſubmittimus. Vid. Theol. Wittenb. gründl. Bew. contra Rintel. Syncretiſt. pag. 9. ſeq.

Idſi, ex mente ſaltem Calvinianorum, verò conſonum, non immeritò quæritur, cur iidem Theologi Francofurtenſes conſilia ſua direxerint ad extirpandam Lutheranorum (toto corde Auguſtanam Confeſſionem γνησίως ita dictam, ſemper & ubique amplectentium) doctrinam, ſecundum contenta ejusdem judicii, articulo ſeu numero vigeſimo quinto, præcedente cap. XVII. allegata, de ſcandalis (doctrinæ Lutheranæ) juſti falce zeli demetendis, & radicitus extirpandis? Quod ipſum etiam aliquot poſt annis ſuaſiſſe *Johannem Berginm*, Conſiſtorialem atque Concionatorem Aulicum Electoralem, legimus, ac ea quidem ſeveritate, ut palam ſcriberet in Regula ſua Apoſtolica, ſcilicet: *Magiſtratum in ejusmodi opere reformatorio, per nullam conſtitutionem Politicam Anteceſſorum ſuorum impediri poſſe*. Witenb. Beweiß contra Rintel. præfat. c.

Matthias Hauſerus, Trajecto à Batavis anno 1633. capto, vana loquacitate illorum Theologos ad diſputandum infeliciter provocavit. Autor Exorciſmi Catholici maligni Spiritûs hæretici. Scribit Joh. Jac Hofmannus in Lex. univerſ. A. pag. 1010. jurene an injuria? nos in medio relinquimus.

Epiſcopi autem *Angliæ & Scotiæ*, cumprimis ipſe Rex Carolus I. familiæ Stuarticæ, *libro Canonum* publicato, pomum Eridos utrique Nationi, Scotorum præſertim projecerunt, & materiam Litis, vitæ ac ſanguinis prodigæ; tanto magis, quod Majuſculis literis in fronte libri curarunt præſcribi: „ Si quis vel minimam hujus libri, aut „ Liturgici, & libri ordinationis deinceps edendi, particulam in du„ bium vocaverit (quos libros plerique Angli ac Scoti manifeſtæ „ idololatriæ, ſuperſtitionis, errorum, &c. poſtulant) Excommuni„ catione latæ ſententiæ hoc ipſo damnatum iri. D. Hülſem. in Calviniſm. irreconciliab. refer. pag. 147. de libro Liturgico vide ſupra, an. 1621. cap. X. confer 1637. & 1638.

Sub idem tempus in *Moſcovitica urbe primaria*; quæ de Aula Magni Ducis gloriatur, *Calviniani* non modò ædes ex ligno ſtructas, ad Exercitium Sacrorum ſuorum poſſidebant; ſed etiam ex politis lapidibus *templum* aliquod majus erigebant, *Album* intra *murum*, ut vo-

vocant. En verò malum! opere propemodum confecto, juſſu Patriarchæ *Nikidiz*, funditus iterum deſtruebatur, cauſa illâ, quod ædiles nec Czarii, nec præſulis Conceſſionem, ut par erat, expetiiſſent. Ex Olearii Reyß-Beſchr. in Moſcov. & Perſ. lib. 3. pag. 318. ſeq.

LIB. IV. CAP. XXV.

Summaria.

Veterum ex Gentiliſmo ſapientum figmenta de Spiritu Orbis univerſali & Anima Mundi.

A. Comenius in eadem ſomnia devolutus.

Matthiæ Wejeri deliria, de Creaturis omnibus in DEUM redeuntibus, à Mercurii Triſmegiſti commentis non aliena.

PRiſci gentium ſapientes, quibus veritatis æternæ vis, Divinis edita tabulis incognita fuit, aut contempta; quum rerum Univerſitatem intuerentur, in eaque ſyderum innumerorum perpetuam agitationem, virtutis occultæ in ſubdita corpora illapſum, mirandam Elementorum viciſſitudinem & fœcunditatem, certiſſimas in tantis mutationibus leges, ac inſuperabiles naturarum lineas, & abditum quendam ſub his omnibus moderatorem, qui ſuam ſingulis indolem quaſi admetiretur, conjicerent, *Spiritum* quendam finxerunt, *per Univerſum hoc diffuſum*, à DEO diſtinctum, quem *ANIMAM MUNDI* vocarunt. Hoc de Spiritu ſeu Anima Mundi, multa habentur in Timæo Platonis, apud Mercurium Triſmegiſtum in Pimandro & Aſclepio, Plotinum item in Enneadibus ſuis, à D. Dorſcheo in quadam diſſertatione, de Spiritu ſancto, adducta, cum Epicriſi: Hanc mundo animam tribuerunt; hunc Spiritum univerſo infuderunt inter gentium ſapientes priſcos optimi, rerum Divinarum aliqua conſideratione celebres. Ex hac anima, ex hoc Spiritu, tanquam è ſupremo fonte, derivarunt & DEOS, & dæmones, & ſidera, & ſiderum mare, cœlum, & corporum inferiorum primordia, & formarum ſemina, & ipſas noſtras animas, quibus proximus ad DEUM acceſſus, & quicquid in illis ſive Divinum, ſive acutum, ſive vegetum eminet. Hanc religionis, pietatis, amoris, fidei, nexûs cum DEO, felicitatis, æternitatis matricem ponunt; Hujus parentem DEUM appellant, hanc primam è DEO egreſſionem aſſeverant. Viderunt nimirum ex vetuſtiſſimis Divinæ ſapientiæ monumentis, arcanos quosdam in ſupremo numine proceſſus; animadverterunt cœleſtis diſpenſationis pulcherrima lineamenta.

Sed quum id poſtea ſuis figmentis adumbrare, & tanquam felicis ingenii fœcunditatem orbi oſtentare tentaviſſent, factum eſt, ut caligine quadam circumfunderentur, ex qua hoc tantum muſſitare potuerunt. Infelices animæ, quæ proximæ fuerunt cœleſtibus arcanis, ac brevi tranſitu ad Divinitatis conſortium penetrare potuiſſent, niſi retuliſſent cum pede mentem, & hæreditarii erroris faſcino puriſſimam veritatem eluſiſſent. Hæc *Dorſcheus*, Heptad. Diſſertat. hiſtorico-Theologic. pag. 15. 20. de gentibus & ficto ab iis *Mundi Spiritu*; ſubjiciens: „ Quanto divinior eſt noſtra conditio, quos „ natura in eum ſinum clementer exhibuit, in quo habitat immenſus „ DEUS, in quo feliciter gubernat ſapientiſſimus DEI Spiritus, ubi „ excludit beatiſſimo partu cœleſte ſemen, immortalitatis vigorem, „ felicitatis nunquam terminandæ opes. Ita cum natura accipimus DEUM, cum anima animæ Dominum, Spiritum, &c.

Hîc nos non adeo miramur priſcarum gentium deliria, quippe verbo DEI carentium; unde vel ſapientiſſimi, maximam ſublimium rerum intelligentiam jactantes, deſipuerunt in cogitationibus ſuis, & ſtulti facti ſunt; Verùm in tanta VERBI luce, qua per DEI gratiam nos Chriſtiani fruimur, Eruditorum nonnullos eadem ſomniare cum occœcatis iſtis gentilibus; id eſt, quod mentes benè ſanas in maximam admirationem rapit. Inter illos nugivendos hoc tempore primum occupat locum *Joh. Amos Comenius*, Batavo-Calvinianus, de quo *D. Melchior Nicolai*, Theologus Tubingenſis, ita ſcripſit: „Abſit abſurdiſſima Comenii ſententia, qui ſynopſi phyſicæ, „ ad lumen Divinum (ſcil.) reformatæ, ac nuper (an. 1632.) typis „ evulgatæ, præſupponit: Spiritum Mundi eſſe ipſam vitam Mundo „ infuſam, cujus vi agat, aut patiatur, quicquid ulla creatura agit „ aut patitur; eamque eſſe, quæ ſe primitus agitaverit ſuper aquas, „ quæ ſe moveat & agitet per omnem materiam, ad conſervandam „ eam, quæ cuſtodiat idéas ſeu formas particulares, formetque ſibi „ corpora, pro uſu futurarum operationum. Atque deinceps infert: Hominem componi è tribus, *Corpore, Spiritu & Anima*; Corpus nos habere ex Elementis conflatum, æquè ut bruta; Spiritum „ habere nos è Spiritu Mundi, æquè ut illa; ſed Animam ſeu mentem ex DEO eſſe. Illud (corpus) circum ferre nos mortale; Iſtum „ (Spiritum) diſſipabilem; hanc verò perſiſtentem etiam extra corpus, ut per fidem conſtet. Et, corpus ac animam, cùm extrema ſint, „ illud terreſtre, hæc cœleſtis; illud brutū, hæc rationalis; illud morta-

„ le,

„ le, hæc immortalis; eſſe ſibi inclinationibus ſemper quaſi contrarias.
„ Conſtitutum verò inter illa Spiritum, debere quidem ſuperiori parti
„ obedire, inferiorem ad iſtius nutum continere; fieri tamen ſæpè ut
„ à carne, abripiatur & bruteſcat: Non putandum eſt, porrò inquit
„ Comenius, animam ex nihilo (loquitur de primi hominis anima)
„ tanquam novum ens creari; ſed indi ſolummodo novam, Spiri-
„ tui animali in homine, perfectionem, ut uno gradu animâ bru-
„ torum fiat ſuperior. Quemadmodum igitur corpus, pergit, ex
„ præexiſtente materia formatum eſt; ita anima ex præexiſtente
„ Spiritu Mundi, & per conſequens, quemadmodum terra, aqua,
„ aër, æther, eadem mundi materia ſunt, denſitatis ſolùm gradu
„ differentes; Ita Spiritus Naturalis, vitalis, animalis, & hic menta-
„ lis, idem ille Spiritus Mundi ſunt, puritatis tantum & perfectionis
„ gradu differentes. Inſpiratio ergò Divina, nihil aliud homini
„ contuliſſe, credenda eſt, quàm quod primò depuravit Spiritus
„ ejus partem intimam, ut actionum ſubtilitate poſt omnes viſibi-
„ les, creaturas, DEO propius accederet, & ſecundò fixit, ut tam
„ in corpore, quàm extra corpus ſubſiſtere poſſet. Hæc ex mente
„ *Comenii*, dictus Theologus, qui addidit: Hîc ſi quæras, quibus
„ argumentis tam portentoſa, & à communi tam novorum, quàm
„ antiquorum Eccleſiæ doctorum ſenſu abhorrentia, confirmentur?
„ præter inania verba, & quædam peſſimè detorta Scripturarum
„ teſtimonia, nihil audias. Refutationem deinde brevem equi-
dem, ſed ſolidam ſubnectit. Nicol. compend. Didact. Elenchtic. per Aphoriſmos, pag. 91. 92.

Per idem tempus ſpargebantur etiam commenta *Matthiæ Wejeri*, ſcriptis ejus involuta, quæ quidem ſuperiori ſeculo Belgicè tantùm anno 1579. & exinde hoc demum ſeculo Germanicè prodierunt, non procurante ipſo autore, verùm Johanne Speſio, illius quondam domeſtico. Somniavit autem Wejerus: „ Creaturas,
„ quibus fruuntur animalia, in animalia nobilitari; Animalia in
„ hominem; hominem in DEUM; & hoc pacto creaturas in DEUM
„ redire: In tantum, *rudit*, hominem Deificari, ut nihil præter DEUM
„ reperiat, neque ſeipſum amplius, neque creaturam: In morte
„ animam perire, hominemque in eſſentialem DEI vitam ac eſſen-
„ tiam abire, ubi ſe Chriſtus manifeſtet; atque ejus commatis plu-
„ ra, dum vivebat ſtolidus homo, effutiit, & ſcriptis, poſt mortem
„ editis, commendavit. Quibus parum abluſit à *Mercurio Triſme-*

„*giſto*,

„giſto, ita delirante: Animam Mundi, omnes animas diſtribuere „tanquam circum currentes, quarum quædam in melius muten„tur, quædam in pejus: Reptilium animas in aquatilia transmu„tari, aquatilia migrare in terreſtria, terreſtria in volatilia aſcendere, „aëreorum in homines verti, hominum animas immortales in dæ„mones tranſire, hos in deorum tandem chorum revolare feliciter. Hornbek. S. C. pag. 454. Dorſch. heptad. diſſert. hiſt. Theol. 1. pag. 16.

LIB. IV. CAP. XXVI.

Summaria.

Colloquium Limburgi in Belgio, de Invocatione ſanctorum habitum.

Christophori Lehmanni Acta publica & Originalia, de pace Religionis, evulgata.

Cyrilli Patriarchæ Conſtantinopolitani Confeſſio, planè Calviniana, Genevæ impreſſa.

Cardinalium E. R. ad Concilium Tridentinum declarationes Antuerpiæ in lucem editæ.

Eryci Puteani ſtatera Belli & pacis exhibita.

Menaſſis Ben Iſrael Epitome Thalmudica.

Qualis liber Thalmud?

L*imburgi* oppido Belgii, nuper ab Hollandis capto, ſed ab Hiſpanis deinde recepto, habitum eſt, Auguſto menſe, illud inter Godofredum Hottonum, & Johannem Jacobum du Boys, Calvinianæ partis Theologos, Ac Matthiam Hauzeur, & Johannem Pery, pontificios; Henrico Blancheteſte Notarium agente, *Colloquium, de Invocatione Sanctorum.* Quo eventu? comperire non licuit. Joh. Hornb. ſum. Controverſ. lib. 11. pag. 992.

In publicam lucem tribus libris Francofurti edita ſunt hoc anno, *Acta publica & Originalia, de pace Religionis*, accurante *Chriſtophoro Lehmanno*, lectu valde digna. Reperiet enim ibi Lector, præter materiam illam de pace, luculentiſſimo, in graviſſima Controverſia Exemplo, quæ Relationnum omniumque adeò actuum, qui præcedunt Receſſum Imperii, & ad deliberationem vel concluſionem faciunt, ratio ſit: quæ omnia, judicioſiſſimus autor, accuratiſſimâ cura collegit; refer. D. Eric. Maurit. diſſertat. de Imp. receſſib. pag. 21.

Cyrillus Patriarcha *Conſtantinopolitanus* fertur (ab iis, qui Reformatorum nomine ſuperbiunt) circa confinium 1629. & 1630. Do-

ctrinæ

ctrinæ Chriſtianæ ſummam, *fidei ſuæ Confeſſionem*, latinè à ſe conſcriptam, Cornelio Hagæ, fœderati Belgii Ordinum ad portam Turcicam Legato, tradidiſſe, quam pòſt idiomate Græco, S. Scripturæ autoritatibus munitam, & auctario quæſtiuncularum locupletatam exhibuerit, eamque coram Legato, & aliis, verè ſuam eſſe profeſſus ſit; Hanc deinde Cornelium, addunt, ex Cyrilli conſenſu & voto, ut orbi Chriſtiano communicaretur, miſiſſe Genevam, typis vulgandam. Et ſanè *vulgata eſt illa Confeſſio Genevæ* anno 1633. quæ, quia cum præcipuis Calvini placitis ad amuſſim conſentiens, ut ex ejus Chriſtianæ religionis inſtitutione deſcripta videri poſſet, ambabus etiam, ceu Apollinis Oraculum, excepta paſſim per Germaniam, Galliam, &c. à Sacramentariæ & prædeſtinatoriæ ſententiæ patronis, jactantibus & gloriantibus, hanc ſuam fidem in Eccleſia Lutheranâ tantoperè exoſam, illam ipſam eſſe, quam tot retrò ſeculis, & in Græcia, & in Oriente, quaquaverſum nomen Chriſtianum patet, tot populi gentesque unanimi tenuerint conſenſu. At, *vanam eſſe gloriationem Calvinianorum, de Confeſſione iſthac*, ſiquidem pro ſymbolo Eccleſiæ Græcanicæ & Orientalis venditatur, jam ſupra dictum eſt, ac infra dicetur amplius. Interim vide Syntag. Confeſſ. an. 1654. Gen. ed. poſt Baſil. atque Dordr. pag. 5. 6. ubi verbotenus recenſetur Conf. illa Græc. cum ſubſcript. dat. Conſtantinop. menſ. Jan. 1631. & J. H. Urſin. de diſcrim. relig. 53. pag.

Ex parte Pontificiorum, prodiere t. t. *Cardinalium ad Concilium Tridentinum Declarationes*, quæ ad ejus explicationem multi uſus ſunt; quippe cum aliorum additionibus, Rotæque Romanæ deciſionibus, & Barboſæ Remiſſionibus, publicatæ; hinc iſtam *Editionem Antwerpianam*, omnibus aliis Concilii exemplaribus meritò præferendam cenſet Hornbekius, in Summ. Controverſ. lib. 4. de Pap. pag. 211.

Silentii ac negligentiæ tenebris non involvenda eſt *Erycii Puteani*, Academiæ Lovanienſis Profeſſ. Publ. Regisque Hiſpaniæ & Indiæ Conſiliarii atque Hiſtoriographi, *STATERA BELLI ET PACIS*, qua Inducias, auſpicio Regio inter Provincias Regias ac Fœderatas iterum tractari cœptas expendit. Martinus Luenkens, S. Theol. Licent. Profeſſor Ordinarius, Apoſtolicus & Regius librorum Cenſor, vocat opportunam Stateram, quæ belli & pacis momenta expendat, ac ſpe votoq; publico quietis publicari digna fuerit. *Summa* verò *tractationis* huc redit:

— — — — Pax optima rerum,
Quas homini noviſſe datum eſt, pax una triumphis
Innumeris potior; pax cuſtodire ſalutem,
Et cives æquare potens!

Hosque verſus Auro, non atramento, Sceptro, non calamo ſcribendos, ut à Regibus populisque legantur, dicit. Vid. D. Dorſchei Trigam Syndromon Anticriſeos Theologicæ, pro Pace Religionis oppoſitam judicio Erneſti de Euſebius, pag. 48. ſeqq. ubi ſcriptum Puteani, Theologus ille Argentinenſis pro communi Pace Germaniæ, contra Euſebienſem pugnans, egregiè in rem ſuam vertit, &c.

Venalem quoque tum expoſuit *Epitomen Talmudicam Rabbi Menaſſes Ben Iſraël*, inter ſuæ gentis eruditiſſimos illius temporis habitus, ediditque librum eleganter in octava forma, cum explicatione vocum peregrinarum & obſcurarum, Studioſis rerum Ebraicarum, quibus integrum illud Commentum videre aut emere non datur, meritò commendandum, præſertim quia (ex recentiori editione) punctis quoque inſtructa Epitome viſitur. Et autem *Talmud*, corpus doctrinale Judæorum, complectens univerſum eorundem jus Civile & Canonicum; penes Apellas ſummæ autoritatis opus, cujus autorem primum ſtatuunt Moſen Prophetam; ſomniantes legem ejus (Moſis) ſcriptam eſſe obſcuram & imperfectam, explicari tamen in Talmude, ceu complemento ac fundamento ejus; eaque propter legem agraphon, ſeu oretenus traditam, ad mentem Deuterotarum Papalium id vocant. Conſtat vaſtum opus, quod ſex in folio regali volumina conficeret, ex traditionibus Rabbinicis, à Moſe, ut volunt, usque ad *Rabbi Judæ Hannaji*, ſeu Haccadoſch obſervatis, & oraliter propagatis, qui collegit eas memoriæ cauſa, exque iis librum Miſchnaoth ſeu traditionum conſtruxit, & Gemarâ auxit, velut prioris teleoſi, quæ diſputationes Doctorum ſuper librum hunc publica autoritate receptum in Academiis Iſraëliticis ac Babylonicis habitas, continet, ventilatas in diverſas ſententias. Ex combinatione harum partium integratur *Talmud Babylonicum*, abſolutum ac receptum anno Chriſti quingenteſimo, juxta quod Judæi omnes ab eo tempore ſemper vixerunt, vivuntque hodie, velut juxta normam directricem. Et hoc demum Opere, quod impiis paſſim elogiis in omnibus ſuis ſcriptis exornant Rabbini, ad confirmationem ſuæ doctrinæ, plura ferè ſolent adducere, quàm ex Moſe & Prophetis, in omnibus placitis ſubinde lectori ipſorum edicta obtru-

trudentes. Vide *Vadum Talmudicum* in primis capitibus, comitatu & præſidio D. Raithii, à J. L. Neuffero tentatum, pag. 11. 12. 13.

LIB. IV. CAP. XXVII.

Summaria.

Antonius Güntherus, Comes Oldenburgicus, in Dominii Kniphuſiani poſſeſſionem immittitur.

Eberhardus III. Wirtembergiæ Ducatus regimen ſuſcipit.

Victor Amadeus, Sabaudiæ Dux, titulo Regiæ Celſitudinis honorari geſtit.

Adminiſtratio Regni Suecici adornatur.

Novus Polonorum Rex Uladislaus, Moſcos feliciter debellat.

Sævus in ſuos milites Wallenſteinius.

Aldringerii Progreſſus: Dux Feriæ Wallenſteinii æmulus inglorius.

Fortuna belli Suecica tum ad Rhenum Danubiumque tum ad Viſurgim.

Lotharingiæ Dux, à Gallo Ducatu ſuo exutus.

Vivis exemptus Caſimirus, Saxoniæ Dux Coburgicus.

Comes itidem Leonſteinius, nomine Georgius Ludovicus.

Fato quoque defuncta, Iſabella Clara Eugenia, Hiſpan. Belg. Gubernatrix.

Domui *Oldenburgicæ* diuturna lis, de *Kniphuſii* dominio, fuerat cum Tidone ab *Inhauſen*, ejusque filiis, & jam anno 1592. in Camera Spirenſi pronunciatum, ut Icon & Wilhelmus ab Inhauſen Kniphuſium Oldenburgicis, tanquam præter fas occupatum, cum fructibus inde ab an. 1496. perceptis, reſtituerent. Licet autem executioni hujus ſententiæ mora, eaque ſatis longa, injecta fuerit, tandem tamen, anno ſcil. 1632. *Antonius Güntherus*, Comes Oldenburgicus, Johannis XXVI. filius in Aula Cæſarea perfecit, ut Commiſſio & Executio decerneretur, cujus vigore ſub finem anni ſequentis in poſſeſſionem Dominii Kniphuſiani, à ſubdelegatis Cæſareis, ipſe *immiſſus eſt*, ob fructus verò ſex & nonaginta annorum ſpatio perceptos, cum Philippo Wilhelmo L. B. à Kniphauſen Iconis filio, tranſegit, eosque omnes ei remiſit & condonavit. Imhof. Notit. Procer. pag. 597.

Eberhardus III. Johannis Friderici Filius, Friderici Montispeligartenſis Nepos, Princeps Ducatus Wirtembergiæ hæreditarius, qui hinc ab anno 1628. poſt obitum Parentis, ſub duorum Patruorum, Ludovici Friderici, & Julii Friderici, Matrisque Barbaræ So-

phiæ Brandenburgicæ curatela adoleverat, annum ætatis decimum-octavum ſupergreſſus, *paternarum ditionum regimen ipſe ſuſcepit*, Wirtembergenſis atque Teccenſis Dux octavus, cui Stutgardiæ ſexto Maji die, Tubingæ autem inſequente octavo, præſtitum homagium. Schwelin. Chron. 442.

Victor Amadeus, Sabaudiæ Dux, Henrici IV. Galliarum Regis filiæ maritus, poſtquam eo tempore per Præconem publicè promulgari curaſſet, Cypri Regnum ad ſe pertinere, *Coronam* Ducalem apertam claudi, atque in Regiam converti curavit, ac deinceps *Regiæ Celſitudinis titulo*, Seiner Königlichen Hoheit / honorari geſtiit, voluit. J.J. Hofm. Lex. univ. B. 287.

Actis in *Suecia* Comitiis *CHRISTINÆ*, Principi, Regis filiæ ſeptenni, Sacramentum publicè dictum. *Sigismundi Regis hæredibus* ad Regni Suedici faſtigium jus omne denuò abrogatum. Cultus Divinus, prout *Auguſtana Confeſſione* explicatur, in omnibus Sueciæ Provinciis adminiſtrari juſſus. Regni Vicario, Mareſchallo, Admirali, Cancellario, Theſaurario, *quinque viris Regni cura*, tutelaque Principis pupillæ mandata. Decreta & *Continuatio belli* adverſus Cæſarem Ferdinandum, & Romanenſes fœderatos, nî ſalutaris regno pax obtineatur. In id molarum ædiumque *tributa*, ut regnante *Guſtavo Magno*, prorogata. Ejusque *funus* è Germania in Sueciam delatum, avito ſepulchro inferendum. Cluver. append. Ep. hiſt. 45.

Per idem tempus in *Polonia Uladislaus IV.* patri Sigismundo in Regnum, conſenſu Procerum, ſurrogatus, felici adverſus Moſchos bello initia Regni auſpicatus eſt. *Moſci*, quas cum Sigismundo pepigerant inducias, rati morte ejus exſpiraſſe, *Smolenskum* obſidione circumvenerant, confinia Lithuaniæ hoſtili more populantes. *Uladislaus* primùm liberato Smolensko, caſtra hoſtium dein tota hyeme obſedit, redegitque in eas anguſtias Moſchos, ut vitam ac libertatem hinc abeundi tandem pacti, quævis impedimenta & omnem apparatum bellicum ipſius poteſtati reliquerint. Inde cum infeſto exercitu fugientes, penè ad ipſam Moſcuam perſequutus, ad pacem compulit. *Smolenskum* Polonis permiſſum, ac Severia provincia ducentos jam annos à Lithuania avulſa, cum magno pecuniæ & pellium pretioſarum numero reſtituta. Turſ. ep. 2. 57.

Interim in Bohemia *Wallenſteinius*, diſtributo per hyberna exercitu, animadvertit in eos, qui proximo Lüzenſi prælio locum aut officium deſeruiſſe arguebantur; menſe Februario Pragæ de reis ſuppli-

plicium ſumebatur, eo majore multorum commiſeratione, quod Wallenſteinius nullis ſe precibus, non ætate, opibusque aut familia cujusquam, à concepta ſemel ſeveritate flecti paſſus. Reliquum dein hyemis, & maximam æſtatis partem reparandis viribus, ac inani pacis tractatione cum Electore Saxonico conſumpſit. Vergente tamen anno, apud Stenaviam, Oderæ fluvii munitum vicum, ſeu veri & legitimi, ſeu aſſimulati cumque ipſo hoſte compoſiti decoris exemplum edidit, Turrianum ac Tubaldium, omnibus cum copiis cinctos, ad deditionem cogens, & mox iterum Sileſiam ſubigens. Tſchimmern continuat. Sleid. de 4. Monarch. lib. 3. 406. 410. Ep. R. G. 154.

Aldringerius, Bavaricis copiis in Sueviam promotis, Memmingam deditione, Capidunum vi recipit; Horniumque raptis ex Alſatia copiis, ut Aldringeri conatibus obviam iret, cum clade in Wirtembergenſem agrum rejicit. Hiſpani, Wallenſtenium de fide ſuſpectum habentes, Cæſari autores ſunt evocandi ex Italia *Ducis Feriæ*, Mediolani Præſidis; qui vocatus tamen, & Aldringerii exercitu firmatus, nil grandioris momenti præſtitit, occultis Wallenſtenii molitionibus, ut fertur, impeditus; unde tædio rerum, & ægritudine ſpei magnis animis fruſtra cœptæ, brevi extinctus eſt. Epit. Rer. Germ. 157. 164. pl.

Sub hæc Suedici haut feriabantur, ejicientes Hiſpanica & Bavarica præſidia ex toto inferiori Palatinatu; *Philippopolin* (Philippsburg) quoque poteſtati ſuæ ſubjicientes, penè inſpectantibus illis, à quibus fruſtra ſperaverat ſubſidium; Imò & *Ratisbonam*, Ductore Bernhardo Vinmarienſi, opinione citius intercipientes. Transgreſſos inde in Bavariam, & inſperatâ victoriâ exultantes, *parvis cladibus* hîc & ibi affectos, intra Iſaræ fluminis ripas coërcuit *Joannes Verdanus*, pauco quidem, at ſtrenuo milite, ac fido. Epit. R. G. pag. 161. ſeq.

Dum hæc gerebantur ad Rheni atque Danubii tractus, non minus Suecorum res apud Viſurgim ſtabilitæ ſunt. Obſidebat munitiſſimam urbem *Hammeliam* Dux Brunſv. & Lunæb. Georgius, cum Suedicis & Haſſiacis auxiliis; hanc dum Merodius, Gronsfeldius, & Böninghuſius liberare tentabant, *funeſtiſſima* ad Oldendorpium in Comitatu Schauenburgico *clade* excepti ſunt, ipſo Merodio in acie cæſo; Secuta dein Hammeliæ, ad extremum à Schelhamero defenſæ, ut & mox, Cæſareis iterum ad Sarſtetum à Lunæburgico cæſis, *Hildeſiæ deditio*. Burgoldenſ. Notit. Rer. Imper. A. 126.

Galliæ Rex, *Lotharingum*, in Alſatia res Cæſareanorum perditas reſtituere conantem, à tergo adoritur, ac tota propemodum ſuæ ditionis provincia exuit, ita properè, ut iſte prius exul ferè, quam hoſtis, Gallo ſua profugus, Cæſari bellum relinqueret. *Bergas ad Rhenum*, Batavi Hiſpanis eripiunt, idoneo Duce deſtitutis, cùm ibi plures pari imperio imperarent, ſed imperata, ut fit, nemo exequeretur. Hofm. Lex. univerſ. B. 259. Epit. R. G. 152.

Diem in his terris ultimum habuit Jul. 16. *Johannes Caſimirus*, Dux Saxoniæ, *Coburgi* Dominus, *Fundator Gymnàſii Caſimiriani*, quod ibidem extat ſatis celebre; & hactenus quidem ſub inſpectione primaria *D. Caſparis Finkii*, Profeſſoris Theologici, de ſtudioſa juventute, ac ipſa Dei Eccleſia perbenè meriti, Centuriis Canonũ Theol. Poſtillâ Evangelicâ & Academicâ, Schediaſmatibus Theolog. aliisque tractatibus noti. Spener. Syllog. Geneal. pag. 121.

Obiit quoque t. t. *Georgius Ludovicus*, *Comes Leonſteinius*, Wolfgangi junioris filius; relinquens ex Eliſabetha Juliana Erpachia (quæ poſt triennium nupſit Johanni Banniero, Generali Suecico) filiam unicam, nomine Marcam Chriſtinam, Gabrieli Oxenſtirnæ, regni Sueciæ Mareſchallo matrimonialiter junctam; cui deinceps jura in hæreditatem paternam & maternam, per Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ generalis, integra fuere ſervata. Burgold. Not. Rer. Imper. A. 509.

Et, *Iſabella Clara Eugenia*, *Belgii Gubernatrix*, Philippi II. Regis Hiſpanici filia, quondam Patri chariſſima, ſic, ut eam ſpeculum & lucem oculorum ſuorum vocitaret, cumque ea conſilia ſua communicaret propè omnia. Marito, Archi-Duci Auſtriæ ſuperſtes, & improlis moriens, Hiſpaniæ Regem Philippum IV. ex fratre nepotem, ſcripſit hæredem. Sic Belgium, in dotem Auſtriaco datum, ad Hiſpanos rediit. Boxhorn. Chronol. pag. 159.

LIB. IV. CAP. XXVIII.

Summaria.

Lac viri, infantis alimentum.
Duo gladii in Cœlo comparentes: Gemini Parelii: Paraſelene.
Lues Batavorum floralis.
Hoſtia conſecrata, in cutis obdurationem infeliciter adhibita.
Supplicii ſui perquam impatiens Farensbacus.
Hiſtoria de pueris Hammelenſibus, an vera?

Virum

VIrum, ad inſtar mulieris *proprio lacte infantem alere poſſe*, & unquam aluiſſe, tam videtur per naturam impoſſibile, conſequenter incredibile, ac parere! At enim virum quendam in *Umbria* (regio eſt Italiæ) poſt uxoris mortem, hoc ipſo anno propriis mammis lactaſſe iſtius fœtum, hominum fide dignorum teſtimonio confirmabatur in obſervationibus naturalibus à Paulo Boccone collectis, ap. Erud. Lipſ. an. 1686. p. 480.

Tunc etiam oſtenta denuò *in Cœlo* pluſcula fuere viſa, quæ quid mortalibus portenderint, exactè Deus Zelotes novit; Immundus Mundus autem ſatis ſuperque ſenſit poſtea. *Certè Bibraci* poſtridie nonas Martias duo gladii, alter cruentus, alter ignivomus, acie verſus hoſtes verſa, exhibiti ſunt; proculdubio portendentes, ſanguine & igne judicaturum perduelles Verbi ſui Dominum. Cluver. append. hiſt. 43.

In *Wirtembergia* die Jun. 28. gemini circa ſolem apparuere *parelii*, cum vero ſole intra lucidam nubem circularem, à multis cum admiratione viſi, de quorum forma, ſitu, motuque, & eorum è cœlo abitu rurſum, ac fugâ, eruditè ſcripſit *Wilhelmus Schikardus*, celebris in Academia Tubingenſi P. P. recenſente Zacharia Schäffero in Oratione funer. Memor. Schik. conſecr. pag. 19. Schwel. Chron. 443.

In Marchionatu *Durlacenſi*, Jul. 15. in altero Lunæ cornu, obſervata fuit adhærens *nova Luna*, quæ ſeſe miris modis motitans, titubansque, cum Naturali rotavit atque circumegit, ita ut hujus cornua deorſum ſpectarent, quaſi ex circo ſuo delapſuræ. Tandem apparens luna, cum vero illo luminari cœleſti conjunxit ſemet in unum globum, qualis tempore plenilunii viſitur. Continuat. Theat. Europ. pag. 91. Türcken-Trutz/ Gottes-Schutz/ pag. 20.

Hisce tamen calamitoſiſſimis temporibus, apud luxuriantes *Batavos* pretia florum ſaltem nitentium, usque adeò excrevere, præſertim Tulipanorum, ut unicus, quem ſemper-Auguſtum vocabant, cum ſua radice, bis mille florenis Hollandicis venderetur; Ac videtur ejusmodi hominibus *lues* iſta *Floralis* tantum non eſſe hæreditaria: Jam enim ſuperiori ſeculo nimium eos impendiſſe colligendis floribus, colligere datur ex diſcurſu Lipſii, de horto Langiano, quem exhibet liber ſecundus de Conſtantia, capite primo, &c. Zeil. epiſt. tom. 2. pag. 851.

Vanitas fuit! ſequitur *profanitas*! Cùm per ea tempora *Vangena* (Wangen/ vel Wangen) Urbs imperialis Suevica, inter Lindavium & Mem-

& Memmingam, obſidione cincta eſſet, aliquot millia ruſticorum Bregantinorum convenere, ut Kanofskium ac milites ejus obruerent, & eos vel triſti clade afficerent, vel ſaltem civicos hoſtiliter cinctos læta liberatione bearent. Quò autem facilius, atque minori cum periculo rem expedirent, adjutor eſſe voluit Miſſificus, qui cuivis *conſecratam hoſtiam ſub dextro brachio occultandam* dedit, ad obdurandam cutem. Quid fit? ruſtici à Kanofskio præventi, mox diſſipantur, non paucis eorum prehenſis & captis; quos dum occidione occidere milites volunt, eos ferro chalybeq; duriores inveniunt; Unde cùm nulla ſclopetorum exploſione, ac enſium intentatione nulla poſſent, bipennibus & ſclopetis inverſis, fuſtibus ac tuditibus, & aliis hujuscemodi inſtrumentis, immaniter feriendo, atque tundendo, eos neci dant. Unus tamen ex agreſtibus cauſam rogatus, unde & cur adeò impenetrabiles eſſent omnes? reſpondit: *Sacrificulum cuilibet ſuum DEUM* (impanatum) *dediſſe*, Er habe einem jeden einen HErrn Gott geben/ dextræ manicæ inſuendum; hanc veram & ſolam eſſe cauſam, ſcilicet! Ex Concione revocatoria Johann-Samſonis, Franciſcani Breslavienſis converſi an. 1650. pag. 47.

Pragæ inter truncandos, quod in prælio Lüzenſi loco & officio ſuo non ſatisfeciſſent, fuit etiam *Farensbacus*; is ictum carnificis inclinato capite fruſtratus, vulneri ſtrophium injecit, arreptaque haſtâ quatuor obſtantes confecit, plures vulneravit, donec & ipſe haſtis objectis lethaliter vulneratus atque confoſſus demum procidit in aream & exſpiravit. Calviſ. Chron. contin. 1009.

Eorum occaſione, quæ ob *Hammeliam* urbem hoc anno contigere, non immeritò quæritur, *quid ſentiendum de hiſtoria illa puerorum & puellarum* ab inauſpicato quodam Circulatore, ipſo die Nativitatis CHRISTI, neſcio quo cantu magico, olim evocatorum ex urbe, neque poſt ea viſorum unquam? Suſpecta quibusdam illa eſt, imò fabulis annumerata, præſertim à *Martino Schokio*, Theologo Gröningenſi Calviniano; Veriſſimam tamen eſſe, multa evincunt, nempe Majorum quædam in Archivo aſſervatæ conſignationes, fama conſtans per manus tradita, picturæ in templis, rythmi ac verſus veteres, quos recitat Meibomius, not. ad hiſtor. Bardew. pag. 155.

Im Jahr MCCLXXXIV. nach Chriſti Gebort/
Tho Hammeln worden uthgefohrt/
Hundert und 33. Kinder daſulbeſt gebohrn/
Dorch einen Piper/ unter den Köppen verlohrn!

Johannes

Johannes Cluverus quoque, ut veram hiſtoriam recenſet, his verbis: Hamelenſes ad Viſurgim, quum Magi conducta operâ mures fiſtulæ cantu ejicientis, mercedem ei non perſolviſſent, ejusdem nefandis artibus 130. pueros amiſere, mirando DEI judicio. Epit. hiſtor. 589. contr. Burgold. Notit. Rer. Imper. A. 275. pag.

LIB. IV. CAP. XXIX.

Summaria.

Montispeligardi, qui incolarum hactenus doctrinæ Calvinianæ addicti erant, Lutheranam amplectuntur.

Epiſcopatus Oſnabrugenſis, Paſtores Evangelicos nanciſcitur.

Idem in Comitis Waſaburgii fidem adactus, tandem Epiſcopo ſuó, cum onere tamen, redditus.

Johann Frider. Duci Sleſvicenſi, Johannes in Epiſcopatu Lubecenſi ſuccedit.

Status Eccleſiarum Evangelicarum, præſertim in Ducatu Wirtembergico, poſt prælium Nordlingenſe, infelix.

Georgius Wölflinus, à milite Hiſpano in Templo Nürtingenſi transfoſſus.

Bartholomæus Battus, morte naturali è terris evocatus.

Lutheranis Germanicæ Nationis, in Moſcovia novum extruere Templum licet.

Electio novi Patriarchæ Moſcovici, miro ſortis favore facta.

Patriarchæ Moſcovici autoritas.

Athanaſius quidam, Patriarchatum Conſtantinopolitanum LX. Mill. Thal. licitatus.

Peiceſii, muneris Imp. Turc. ab Eccleſ. Oriental. offerendi, origo.

MOntispeligardi (ubi habitum anno 1586. auſpiciis Friderici Comitis, poſtea Ducis Wirtembergici, perquam celebre Colloquium illud inter D. Jacobum Andreæ, Præpoſitum Eccleſiæ, & Cancellarium Academiæ Tubingenſis, ex una; altera verò parte Theodorum Bezam, Profeſſorem ac Paſtorem Genevenſem) *incolæ*, qui hactenus Calvinianorum dogmata tuiti erant, ad communionem ſeu cœtum *Lutheranorum* tranſiere; ſub *Leopoldo Friderico*, cujus tunc ob minorennitatem, Familiæ Princeps Eberhardus Wirtembergiæ Dux, & Georgius Haſſiæ Landgravius, Tutores fuere. Calviſ. cont. 1010. Spen. Gen. 192. Quomodo ſuperiori ſeculo Daniel Toſſanus, circa 1571. an. tectè ibi locorum ſparſerit atque diſſeminarit Calviniſmum, diximus lib. 1. op. cap. X.

Poſt obtentam præcedente anno ſingularem victoriam prope

Oldendorpium in Comitatu Schaumburgico, recuperatam Hammeliam, ſubactamque Hildeſiam, *Georgius Dux Lunæburgicus* cum triumphante exercitu ſuo ingreſſus eſt Epiſcopatum *Oſnobrugenſem*, Civitatem liberavit ab obſidione, hinc à civibus magno cum gaudio exceptus; Animarum deinde Paſtores Evangelicos diœceſi præfecit, ac in ipſa Epiſcopali urbe præprimis Gerhardum Graven, Superintendentem proximumque ab eo Gerhardum Gülich, reſtituit. Statem. theat. hiſt. 1133.

Sed Oſnabrugenſis Dynaſtia collata porrò fuit in Guſtavum, *Comitem de Waſſaburg*, Regis Guſtavi Adolphi filium naturalem, & Capitulum, cum ſenatu populoque, in ejus fidem ſub initium an. 1634. adactum; poſt reſtitutam autem Germaniæ pacem, Diœceſis rediit ad Præſulem ſuum Franciſcum Wilhelmum: Cui tamen id oneris impoſitum, ut Waſaburgio, compenſationis loco intra quatuor proximos annos octoginta millia thalerorum perſolveret. Notit. procer. Imperii, pag. 291.

Eodem anno, quo defunctus erat Johannes Fridericus, Sleſvici Dux, *Lubeccenſis Epiſcopus*, ei ſurrogatus eſt, ex eadem Domo Johannes, filius Johannis Adolphi, qui etiam Bremenſem Archidiœceſin rexerat, primus in ea dignitate maritus. Imhof. Not. procer. 295. & Spener Geneal. p. m. 56.

Poſt *infauſtum Evangelicis* anni 1634. ad Aras Flavias (prope *Nördlingam* puta) *prælium*, feralis ille turbo, qui ferè totum *Würtembergiæ* Ducatum præ aliis locis peſſundedit, Eccleſiarum & ſcholarum quoque res miſerrimè afflixit; *Lojolitis*, ac reliqua *Monachorum* turba ſimul appropeantibus, & occupantibus nidos, quos Imperatorium Edictum anno 1629. ipſis adjudicaverat; Unde, quos ex ordine ſacro Luth. è medio non ſuſtulit Ligiſtici militis immanitas eos ad extrema redegit Monachi Papalis improbitas, ut vel fame perirent, vel Eccleſias Scholasque (magno numero) coacti deſererent. Suelin. Chron. 449.

Cruentum ea tempeſtate, ut plures alii, Martyrium ſubiit Georgius *Wölſlinus*, Eccleſiaſtes Owenſis, Præfecturæ Kirchhemio-Wirtenbergicæ, *in ipſo templo* Nürtingenſi, efferâ manu Hiſpanica *trucidatus*, innoxiæ mortis ad poſteritatem relictis triſtibus veſtigiis; Inde Jacobi Rothweileri melos, cùm ſic enecati filio, CHRISTOPHORO, honores Doctorei conferrentur Tubingæ:

Hactenus in Cœlum clamabat ſanguis inultus
E terra, patris, ſævus quem fudit Iberus;

Nunc

Nunc animoſus adeſt, Genitoris ab oſſibus ultor
Filius, alta minans, qui iterum jugulabit Iberum,
Non ferro, aſt verbo; non Morte, ſed Arte; refellet
Dogmata falſa, quibus ſeſe intricavit Iberus:
Hinc Ultor meritò, Doctor Victorque vocatur.

Cui rememorationi Autor ſubjecit: *Hæc ideò appoſita ſunt, quia Dn. Candidati parens an. 1634. die 7. Septembris, in Laniena Nürtingenſi, à quodam Hiſpano milite, in Sacello aulico, quò confugerat, truculenter enſe transfoſſus eſt; Cujus ſanguis etiamnum, non absque ſuſpiriis, opthalmophaneræ dicto loco conſpiciendus. 1661.*

Mortem naturalem oppetiit *Bartholomæus Battus*, Hamburgenſis, Gryphiswaldiæ Theologus, cujus parentes anno 1564. per pontificiam tyrannidem Antuerpiâ extorres facti, Hamburgum conceſſerant. Syſtemate Theologico XXI. diſputationibus incluſo; libellis de Juſtificatione ac Bonis Operibus; deque poſſibilitate Apoſtaſiæ Sanctorum; ut & Commentariis in Auguſtanam Confeſſionem, inque D. Pauli Epiſtolas ad Galatas, Epheſios, ac Philippenſes inclaruit. Filius, *Abrahamus Battus*, patris veſtigia legens, eidem in cathedra Eccleſiaſtica & Scholaſtica cum laude ſucceſſit. Micræl. hiſtor. lib. 3. 464.

Poſt obitum Patriarchæ Moſcovici, Philareti Nikedizii, *Lutheranis Germanicæ Nationis*, loco deſolati templi, cujus mentio facta præcedente vigeſimo ſecundo capite, conceſſum alibi, nempe in Circo Bolſogorod extra murum album, aliud extruere; quod etiam feliciter inceptum & confectum fuit, promotore non minimo Johanne Skyte, Duderoſico Barone, Sveco. Olear. in deſcript. peregrin. Moſcov. lib. 3. pag. 318.

De *Nikedizii ſucceſſore in Archipræſulatu Ruſſico* apprimè notari meretur, eum priùs nec Epiſcopum fuiſſe, nec Epiſcopi ſuffraganeum, nec Metropolitam, ſed Archimandritam tantùm ſeu Abbatem, & inter Candidatos Electionis quaſi ſupernumerarium, ob ſingularem, qua præ aliis celebrabatur, Eruditionis famam; Cumque Zaarius, Michaël Federovizius, præſentatos in ſpem ſucceſſionis, juberet experiri per ſortes, cui DOMINUS tantum deſtinaſſet officium? primas obtinuit memoratus Abbas. Torvum tuentibus reliquis, ordine clericali ſuperioribus, Dux Magnus iteratò, tertiaque vice, mandabat ſortes ducere, ſemper tamen Abbati faventes; Caſum igitur admiratus, dicebat: *quem DEUS elegit, eum Princeps*

non repellit, ſed moderatorem ſacrorum Moſcoviticorum agnoſcit, confirmat, atque declarat. Olear. c. l. pag. 504.

Dignitas & poteſtas Patriarchæ Moſcovici, Moſcuæ vitam degentis, poſt Magni Ducis vel Zaaris (quem Imperatorem ſubditi vocant) maxima eſt. Judicat enim in Eccleſiaſticis, ponit, abolet, atque agit abſolutè, quod agendum ipſi videtur, Zaarique executionem commendat, à quo aliàs etiam in conſilium accerſitur. Ea de re fidem nobis facit Adamus Olearius in deſcriptione peregrinationis Gottorpa-Moſcovicæ, pluribus locis: refertque, Zaarem ipſum, Patriarchæ in Seſſionibus ac proceſſionibus primas concedere, à dextris; Imò, tanquam teſtis oculatus aſſeverat, ſe vidiſſe principem aperto capite publicitus ire viam per civitatem, cùm Patriarcha Collateralis, mitratus progrederetur, id quod factum ſit e. g. die 15. Sept. an. 1634: lib. 1. pag. 41. Confer Oppenbuſchii Exercitat. hiſtor. Theol. de Relig. Moſc. 11.

Anno ſupra milleſimum & ſexcenteſſimum trigeſimo quarto, Martii quinto die, *Athanaſius* quidam, Theſſalonicenſis Metropolita, *Patriarchatum Conſtantinopolitanum ſexaginta thalerorum millibus licitatus*, eundem viginti ſeptem dies obtinuit, queis Cyrillus Lucaris in Inſula Tynedo adhuc dum exulavit. Hic deinceps redux, præter illa ſexaginta millia, decem alia, tanquam novum *Peſceſium* (donum ſive munus) Imperatori Turcico dependere coactus eſt, menſe Junio. Hilarius in Chron. Cypr. & Malax. part. poſt. pag 452.

Peſceſium autem, cujus in hiſtoria Patriarcharum Græcorum ſæpè fit mentio, quod attinet, pro certo habendum: Primos quatuor Archiepiſcopos, poſtquam Byzantium cepit Sultanus Mahomedes, nullum Imperatori donum obtuliſſe, vel, ut offerrent, adactos eſſe; ſed gratis & liberè in ſolium ſacrum evectos, nempe Scholarium ſeu *Gennadium*, *Iſidorum*, *Joaſaphum*, & *Xylocarabem*. Quomodo deinde introducta fuerint munera iſta pecuniaria, Eccleſiis Orientalibus valdè moleſta, ſcandaloſa, boni ordinis everſiva, B. L. non tædeat percipere. Fuit quarti Archipræſulis Conſtantinopolitani tempore quidam Hieromonachus, nomine *Simeon*, patria Trapezuntius, qui veniens in magnam urbem, ibique habitans, primò cum Trapezuntinis conſilium iniit, illum creandi Patriarcham, *Marco Xylocarabe* à ſede dejecto. Idque factu facilius videbatur eis, quod in Sultani caſtris filios haberent, & alios extra illa magnis honoribus auctos, cum quibus liberè poſſent agere, ſuaque per eos

ad

ad Sultanum perferre. Tunc ergò Trapezuntii prehenſarunt Eccleſiaſticos quosdam homines, magnisque ſibi donis ac multis blanditiis conciliarunt, & pactum iniere cum illis de calumniando Patriarcha. Eum improbi gravaminis in Eccleſiam autorem atque introductorem extitiſſe, de aureis mille, Peſceſii nomine, fiſco Sultani inferendis; Ideò eum non modò dignitate ſummi honoris exuendum eſſe, verùm etiam, ſicut veteres patriarchas hæreticos, anathemate feriendum, & exilio mulctandum, &c. Patriarcha innocentiſſimus, audita tàm atroci calumniâ, jurabat per ſanctiſſimum Divini Evangelii librum, ſe inſimulati criminis nullo modo reum, nullo Conſcium, nec demonſtratum iri unquam, à ſe Peſceſium datum. At inimicis ejus calumniatoribus illis, & eorum factioni res non perſvaſa, quin potius ab eo malum initium in Eccleſiam introductum, Peſceſiumque datum eſſe, pervicerunt. Ideò, dicentes, educamus eum de Patriarchico ſolio, quia deturbatu & exterminatu dignus eſt. Ita convenere *Trapezuntii proceres*, ac nonnulli ampli civitatis homines alii, aureosque mille corrogatos miſére Sultano, cum his verbis: „Quoniam Patriarcha Majeſtati Tuæ pro„miſit mille ducatorum, Ecce, damus id etiam nos, ut patriarcham „faciamus Monachum noſtrum, quia cunctus populus, & unà „Clericorum chorus, non ferunt Marcum Antiſtitem. *Sultanus*, ut eam orationem audivit, riſit equidem, ac diu hæſit cogitabundus, reputans cum animo ſuo, quanta vis eſſet invidiæ, quanta Græcorum ſtultitia, quamque parum in via DEI ambularent? Tum reſpondens, dixit: *Ita certè eſt, pollicitus fuit hos mille ducatos Patriarcha*; Tale autem dedit reſponſum Imperator, ut novam legem ſanciens, initium induceret, nempe, quisquis deinceps Patriarcha fieret, principium felicius à munere Majeſtati ipſius dando, faceret. Aurum tunc Sultanus accepit: *Quoniam igitur*, dicens, *iſte cuncto populo inviſus eſt, eum dejicite, & create illum, quem vultis*. Confeſtim itaque Marco Patriarchatum abrogarunt invito, per deteſtandam injuſtitiam, eumque expulerunt, ſurrogato Simeone Trapezuntio, qui odio adverſus nominatum concitatus, pravum ambitûs fundamentum jecit, atque ut Archi-Præſulatum Conſtantinopolitanum conſequeretur, munera Imperatori obtulit. Poſt aliquod intervallum temporis, facta eſt *Synodus* frequens, ob quasdam Eccleſiaſticas controverſias, & res examinandas atque diſcutiendas. Ibi etiam apparuit prior Patriarcha Marcus Xylocarabes, ſe iniquè & præter ratio-

tionem Patriarchica ſede dejectũ, clamitans; unde magna perturbatio, & odioſæ contentiones: Univerſus enim populus Conſtantinopolitanus, qua Clerici, qua politici homines, in duas factiones contrarias abierunt, una parte Marcum poſcente, altera Simeonem flagitante. Aderat verò tunc in Concilio *Dionyſius* quoque Philippopoleos Antiſtes, cui magna gratia & familiaritas intercedebat cum *Sultani noverca*; hæc Patriarcharum contentionem & pugnam reſciſcens, cœpit intra ſe cogitare, ac dicere: Age, ad Patriarchicum faſtigium producam Patrem Dionyſium, ut, eliſo utroque contendentium, finis rixarum & offendiculorum fiat; quodque animo conceperat, in opus produxit. Sumptis enim duobus millibus ducatorum, ac in argenteam lancem conjectis, cum his ad Sultanum acceſſit, eumque adoravit, munus manibus portans; quam, ut ille vidit, mox interrogavit: *Quid ſibi, mea Mater, iſtud auri cum argentea lance vult?* hæc reſpondit: *Habeo Monachum quendam, mihi proprium, quem, quæſo, mihi per Majeſtatem Tuam liceat facere Patriarcham.* Accepit Sultanus aurum, Novercæ magnas gratias agens, quæ tantam ipſi acceſſionem fecerat, atque reſpondit: *Fac mea mater iſtud, quod eſt in animo Tibi.* Cumque mandatum feciſſet Monarcha, *Simeon Trapezuntinus*, abductus de throno Patriarchico, & omni honore dignitateque ſpoliatus eſt, ſuffecto *Dionyſio*, Antiſtite Philippopolitano, poſtquam Imperatori primum illud munus auxiſſet; hac ratione *Peſcejium* in Græca Eccleſia ſub Tyranno Turcico introductum, & firmatum, in legem abiit, ut ſine eo (magis magisque aucto) Patriarchica ſede nemo potiri dehinc potuerit; ac potior ære, potior plerumque potiundi facultate fuerit, & exiſtat, &c. Henric. Hilar. ad Chronic. Cyprii, pag. 352. ſeqq.

LIB. IV. CAP. XXX.

Summaria.

Urbanus VIII. facultatem paciſcendi de B. E. omnem, declarat nullam.

De Johanna Papiſſa notandum.

Campanella libertati reſtitutus: de Carolo V. datam fidem Luthero ſervante, quid ſenſerit? Menſium ac dierum denominationem, quam ſuaſerit?

Amurathis IV. Sultan. Turc. frater, Pontificius.

Lojolitæ Æthiopiâ pulſi, infeliciter ſuccenturiatis Capuccinis.

Veluti

VEluti ante triennium, & quod excurrit, quum in Conventu Francofurtenſi ad Mœnum de *Bonis Eccleſiaſticis*, eorumq; poſſeſſione ac reſtitutione haberetur Conſultatio, àque Proteſtantibus Edicti Cæſarei an. 1629. publicati abolitio, vel ſaltem ſuſpenſio & mitigatio urgeretur, *Urbanus VIII.* P. R. datis literis, quas Nuncius „*ſcilicet* Apoſtolicus, Legato Cæſaris exhibuit, neque Cæſarem, nec „alios Status, aut Epiſcopos poteſtatem habere, de Eccleſiæ bonis „aut juribus quidquam hoſtibus Eccleſiæ in ejus præjudicium per „pacta tradendi aut permittendi, apertè ſignificavit; Ita in eandem ſententiam, idem reſpondit Romæ an. 1634. Legato Electoris Moguntini: „Nimirum Catholicos (Romanenſes) non poſſe cum hæ„reticis, de Bonis Eccleſiæ ac Religionis paciſci, imò ne Papam quidem poſſe dare conſenſum, aut poteſtatem. Et hoc in S. Patre, tanquam jure meritoque factum, apprimè laudat *Erneſtus de Euſebiis*, tum in Judicio ſuper quæſtione, An pax, qualem deſiderant Proteſtantes, ſit ſecundum ſe illicita? pag. 31. tum in vehiculo Judicii, 67.

„*Johannam Papiſſam*, ſeu *Johannem VIII.* præfuiſſe Romanæ ſe„di, partuque meretricio eandem contaminaſſe, uno ore hiſtorici „omnes, quotquot ante Lutheri tempora ſcripſere, teſtantur; quin „& publicæ picturæ ac ſtatuæ, proceſſiones Pontificiæ, ac ſella por„phyretica Romæ aſſervata, teſtimonium huic hiſtoriæ ferunt lu„culentiſſimum; verba ſunt Johannis Gerhardi in Dedicat. Tom. 1. Conf. Cathol. a. 1. qui deinceps in ſcripti hujus art. 3. cap. 4. pag. 629. id ex profeſſo demonſtrat contra Lojolitas, aliosque Papicolas hiſtoriam illam fabulæ nomine traducentes. Fuit quidem in Hollandia quoque, à *celebri Hiſtorico*, exercendi cauſa ingenii, ventilata quæſtio hæc, & fabuloſis accenſita; ſed *Samuel Mareſius*, Grõningenſis Theologus, ejus refutationem edidit; quam priſca veritate ſolidè ſtabilita, ex ipſis Chronologiæ principiis, confirmationem promiſit publico, *Petrus Megerlinus*, Mathematicus Baſileenſis, JC. & Chronologus celeberrimus, uti refert Hofm. in Lex. univerſ. A. pag. 841. Nos autem non poſſumus non transſcribere huc loci, quæ habentur in *Actis Eruditorum Lipſienſibus* de an. 1687. pag. 603. „Cùm annis proximè præteritis duo Presbyteri & Monachi Bene„dictini, puta *Johannes Mabillon*, atque *Michaël Germain*, hortatu „Caroli Mauritii Tellerii Rhemenſis Archiepiſcopi, ſumptibus Re„giis Italiam perluſtrarent (ut inde collecta ſupellectile libraria, &

„Re-

„ Regiam Bibliothecam auctiorem, & univerſam rem literariam illu-
„ ſtriorem redderent) ac *Senis* in Capella quadam Templi Cathe-
„ dralis, Pontificum Romanorum ibidem oriundorum ſtatuas ocu-
„ lis uſurparent, memoriæ ipſorum occurrit, quod in Colomeſii ſin-
„ gularibus legiſſent, nimirum STATUAM Pſeudo-Papiſſæ JO-
„ HANNÆ, inter illas locum habuiſſe usque ad annum 1634. quo
„ ipſo Johannes Launojus Senas profectus, ſtatuam illam adhuc
„ ſtantem ſe vidiſſe aſſerit, in diſſertatione de autoritate negantis
„ argumenti, ac proinde Baronio illuſum fuiſſe, cùm in literis ad Flo-
„ rimundum Raimundum ſtatuam illam disjectam & comminu-
„ tam ſibi gratularetur. Mobillonius & Germanus, peregrinantes
„ Galli, nihil de iſta ſtatua videre aut reſcire potuerunt, usque dum
re maturius examinata, *Jacobus Mignanellus*, in literis per *Magliabe-
cum* tranſmiſſis ænigma ſolveret, ipſisque ſignificaret, JOHANNÆ
„ STATUAM ſub Clementis VIII. Pontificatu, ad Baronii preces,
„ cooperante Archi-Epiſcopo, ac ipſo Duce, non penitus quidem
„ fuiſſe comminutam, ſed mutatis muliebris formæ lineamentis, ex
„ fœmina factam Zachariæ Pontificis figuram. Cit. Act. menſ. No-
vemb. verbot.

Tunc temporis *Campanella*, Septuagenario major, Neapoli per viginti quinque annos ab Inquiſitore hæreticæ pravitatis, ob vulgata quædam Hiſpanicæ Monarchiæ arcana, carcere concluſus, adjuvante R. Pontifice, *libertati reſtitutus eſt*, vitam deinceps Pariſiis degens cum Cardinali Richelio, admirandam Bibliothecam adornante. Dictus Campanella is eſt, qui tract. de Monarch. Hiſp. aſſeruit:
„ Malè feciſſe Carolum V. quod Lutherum è Comitiis Wormatien-
„ ſibus & Auguſtanis vivum dimiſerit; putans, Carolum politica
„ ratione id feciſſe, ſcilicet, ut haberet Papa, quem timeret, & con-
„ ſtringeretur ſemper ab Imperatoris partibus ſtare; ac ſubjiciens,
„ hoc factum eſſe contra omnem rationem politicam, Carolumque
„ generoſa quadam pietate deluſum; rectè quidem promiſſa Luthe-
„ ro ſervata, ſed pòſt in domuitione opprimi hæreticum debuiſſe.
Regi ſuo ſuaſit Campanella, in alleg. tract. quia Julius Cæſar Aſtrologiâ ſuâ & ſtyli mutatione, magnam autoritatem ſibi compararit, ut ille per Epiſcopos regnorum ſuorum, *ſingulis menſibus, ſingula Apoſtolorum nomina, & ſeptem hebdomadis diebus, ſeptem Sacramentorum* (Eccleſiæ Romano-Catholicæ) *nomina imponeret*. Calviſ. Chron. contin. 1010. Burgold. Not. R. I. pag. 13, 52.

Sul-

Sultani Turcici, *Amurathis quarti*, *frater* natu maximus in Italiam elabitur, ibi *ſacris Pontificiis initiatur*, & cum *Scioppio* ad Europæos Principes tendit; ab Helvetiis autem, neſcio quam ob cauſam, diſtinetur. Calviſ. Chron. 1010. & Wagner. in Geneal. 358. pag.

Lojolitæ omnes, cum ſuo Patriarcha, menſe Majo an. 1634. *toto Æthiopiæ* ſeu Habeſſiniæ *Regno*, fruſtra ab Indis aliisque auxilia ſolicitantes, *expelluntur*; Non exeuntes, Epiſcopus puta Apollinaris Almegdas, ac Patres nonnulli Societatis, Hyacinthus Franciſcus, Ludovicus Cordeyra, alii, variis jactati caſibus, demum ſuſpendio plerique pereunt, occiſis etiam ex Habeſſinis, Jeſuitarum fautoribus. Accepto rei prorſus improviſæ nuncio, *Papa* perculſus, ratusque odio mero adverſus Lojolæ filios, & Nationem Luſitanicam, contigiſſe mutationem illam, & perſecutionem, aliam quercum excutere properus, *ſex Capucinos Gallos*, quos mitiores ac devotiores facilius receptum iri confidebat, in dictas regiones ablegavit; ex quibus duo à Cafris occiſi; duo in Habeſſinia lapidati; duo, ſibi metuentes, domum reverſi ſunt. Miſſis iterum *aliis tribus Capucinis*, ſpe melioris fortunæ, quum in Suoquenam veniſſent, petente Neguſo (hoc Regis Abyſſini nomen vulgare) à Baſſa Turcico capite plexi ſunt. Ex Jobi Ludolphi hiſt. Æthiop. Heideggerus in hiſt. Papat. pag. 371.

LIB. IV. CAP. XXXI.

Summaria.

Moderationem Lutheranorum, qualem operosè quæſierint Calviniani?

Reformationem Belgicam in agro Limburgenſi ac Leodienſi, Clerus Pontificius Edicto iterato ſufflaminare ſatagit.

Status Eccleſiarum Britannicarum ſub Epiſcopis.

Johannis Duræi conatus Irenici.

Chriſtophori Pelargi obitus.

OCcaſione Francofurtici Conventûs, *Calviniani Principes & Status* enixè urſere *Moderationem in Cauſa Religionis*, ut interea, donec utraque pars (puta Lutherani & Calviniani) plenè conſentirent, omnis tam in docendo, quàm ſcribendo, Chriſtiana Moderatio & lenitas uſurparetur, ne ſcilicet animorum diu deſiderata conjunctio conformitasque impediretur, ſed potius, quantum fieri poteſt, promoveretur, &c. allegante *Hornbekio* in S. C. lib. 9. de Luth. pag. 708. Ubi Principes & Magiſtratus hoc inſtruxit conſilio: „ quia deſint

„Lutherani Theologi officio ſuo, tam in cavendis maledictis, quàm „in amplectenda pace cum Calviniſequis, è re fore, ut illi (rixarum „viri) redigantur in ordinem, & ſeverè jubeantur à convitiando „abſtinere; Neque à maledictis tantùm abſtinere, ſed & à malefa- „ctis contra partem diverſam, i. e. à perſequendo, ejiciendo, ho- „noribus privando, templa, ſcholas, jura regiminis auferendo, &c. Scilicet nemo Lutheranorum, ſcapham ſcapham dicat; nemo lupos inclamet; nemo utatur Elencho tum nominali, tum doctrinali conſueto; nemo conatibus iſtius gentis reſiſtat aut opponat ſeſe ullo modo: Sed quilibet velificari ſtudeat homunculis pro impetranda diſſidentium reconciliatione & reductione in mutuam conjunctionem; quilibet pro cave, ingeminet ave, quilibet blandiſſimis gaudeat verbis ad gratam ſuavitatem compoſitis; quilibet petita, juſſa, vota, deſideria Calvinianorum explere geſtiat; iisdem primas ubique, & facultatem pro lubitu agendi, ampliſſimè concedat: Secus, qui facturus eſt, aut loquuturus, Calumniator audiet, maledicus, Chriſtianæ charitatis expers, implacabilis, immodeſtus, ferus, almæ pacis, imò publicæ privatæque ſalutis, portentosè prodigus, & quid non? miſerè proin vapulabit is, jure meritoque, &c. Confer Hülſ. Calvin. irreconcil. 204.

In multis autem urbibus & locis fœderati Belgii t. t. ferale publicatum eſt Gallicè & Belgicè conceptum *Edictum*, quo *Clerus Leodienſis* (indignatus *Reformationem*, cui promovendæ deſtinatus autoritate publica fuerat *Mareſius*, tam feliciter procedere *in agro Limburgenſi ac Leodienſi*, poſt Moſæ trajectum Hiſpanis ereptum) Epiſcopi ſui nomine, die 14. Maji *promulgavit*, &, ex furore in rabiem verſus, quod à Batavis irriſum exſibilatumque fuiſſet ludicro contrarii planè ſenſus programmate, inſequente quinto Julii *renovavit*, poſtquam omnem ſuam bilem in *jocularis Antiplaciti* chartas nequicquam effudiſſet: quo hæretici & ſchiſmatici omnes, nominatim Huſſitæ, Wicleſiſtæ, Lutherani, Zwingliani, Calviniſtæ, Hugonottæ, excommunicabantur ſolenni ritu, eorumque libri, graviter prohibebantur, ac tandem ſub pœna, Indicis librorum regula quarta expreſſa, omnibus interdicebatur, ulla Biblia vernaculâ lingua vel habere, vel retinere. Sam. Mareſ. in Fœder. Belg. pag. 83.

Qualis circa annum 1634. *in Britannia ſub Epiſcopis Eccleſiarum Status* fuerit, exponit Georgius Hornius ex earum ſcriptis, confeſſionibus, martyriis, ac præſertim *Johannis Baſtwicki* Apologetico ad

Præ-

Præſules Anglicanos. „ Damnatæ luctu & inedia familiæ innocen-
„ tiſſimorum hominum. Egregiæ animæ ob id ſolùm mœrebant,
„ quod in publico religionis dehoneſtamento lætari non poterant.
„ Illi opibus ac beneficiis ſaginati, qui Romanæ Eccleſiæ decus tue-
„ bantur, Hierarchiam aſſerebant, ritus (Papatum olentes) propu-
„ gnabant, & quò quis rebus novandis intentior, eò magis præ cæ-
„ teris honore & gloria attollebatur. Linea veſtis neglectus eſuri-
„ tione, ceremoniæ parum elegans cura vinculis, altare ruſticius or-
„ natum, nervis & robore expiatum. Adeoque piis hæc vox contra
„ Epiſcopos extorta: Imperatis, dominamini, agitis, rapitis, vexatis,
„ CUNCTA PRO LIBIDINE; Libertas, nomen, exiſtimatio o-
„ mnium noſtrûm, cenſuræ veſtræ ſubjacent. Hic fortunis exuitur,
„ ille cum ſordibus conflictatur, alter inopiâ contabeſcit. Non ne-
„ mo in pediculoſo carcere puram animam, & qua mundus indi-
„ gnus eſt, inter pedores efflatam DEO reddit. Totæ familiæ, nec
„ ignobiles, à vobis mactatæ, ad pudendam inopiam delapſæ ſunt.
„ Quo tandem in regno immitior dominatio eſt, quàm illa Epiſco-
„ porum? Omnium regnorum duritiem, Curiæ veſtræ acerbitas e-
„ greditur. Nec imputandum Clementiæ aut bonitati, quod à vita
„ membrisq; ſaginatas manus abſtinetis. Optimi & indulgentiſſimi
„ Principis illa bonitas eſt, qui bibituro ſanguinem noſtrum furori
„ veſtro, frænos injicit. Ille ſi laxaret habenas, in Lanienam, in
„ Cruces, in Ignes illa feritas erumperet. Attamen quia mortis pœ-
„ na vobis negata eſt, cruciatum in reos omni morte intolerabilio-
„ rem editis, carcerem, ignominiam, inopiam, famem, ac in corpo-
„ re ærumnoſo devotam diis animam, &c. Horn. hiſt. Eccleſ. cum not. Leidek. pag. 401.

Interea *Johannes Duræus*, Eccleſiaſtes Britannicus, natione Scotus, per Belgium, Germaniam, Daniam, Sueciam divagatur, ad *Syncretiſmum inter Lutheranos & Calvinianos* conflandum. Et, qui jam tempore Colloquii Lipſienſis, quaſi Angelum pacis ſe præſtare geſtivit, editis hoc anno de Theologorum fundamentali, ut ipſe ait, conſenſu, in Colloquio iſthoc inito, tribus epiſtolis, quarum unam Johannes Davenantius, Epiſcopus Sarisburienſis; alteram Thomas Mortonus, Epiſcopus Dünelmenſis; tertiam Joſephus Hallus, Epiſcopus Exonienſis; ad Eccleſiarum Evangelicarum ædificationem & reconciliationem promovendam ad ipſum ſcripſerant, eumque ob ſuſceptam hanc provinciam laudabilem, & *pragmatejam Apoſtoli-*

 cam,

cum, ut Mortoni verba habent, commendarant, in movendo lapide henotico enixius laborare occipit: Sub hæc advolantibus literis manuſcriptis, cum novo Irenopæo, ſuper privato Lipſienſi Colloquio (ante biennium habito) ex diverſis orbis terrarum plagis communicatis, votivaque refertis acclamatione; qua Eccleſiæ Calvino-Reformatæ clariſſimi viri, Duræo, ob transſcripta bona nova, de indubitata Compoſitionis inter Eccleſias Evangelicorum in Germania ſpe affulgente, non ſecus congratulabantur, ac ſi is columba Noachi eſſet, quæ ramum olivæ virentibus foliis in ore ſuo portaret; calcare etiam ſponte currenti addito, ut pergeret, atque opus, opinione ſua fauſto ſidere inceptum, continuaret. Studium illud pacificandi Duræanum, in dedicatione libelli de Bono perfectè Summo, *Georgius Calixtus*, Helmeſtadienſis Theologus, partim ex propria, partim ex Principis Brunſv. & Lunæb. Friderici Ulrici mente, haud parum commendat; verùm *Johannes Hülſemannus*, Doctor & Profeſſor Wittenbergenſis, in Calviniſmo irreconciliabili, multum in eo deſiderat, ut alibi forſan dicetur. Nunc ſibi capiat Britannus ille, quod alicubi *D. Dannhauer* ſcribit: „ Scilicet Grammatici Ulyſſis mala re„quirunt, & ſua ignorant; Mathematici cœlum ſuſpiciunt, quæ ſunt „ante pedes, negligunt! Componant ille ac Epiſcopi Anglicani, „monſtra religionis inteſtina, domeſticaque diſſidia, & ſi benè ſuc„ceſſit, eandem demum artem Germanis ac aliis exteris perſua„deant: declinent ſuorum ictus, tum noſtra vulnera ſanent. Vid. Act. Henot. D. Wagn. Præparat. 6. 8. pag. D. Dannhauer. Myſter. Syncretiſ. 111. ſeq.

Vitâ functus eſt *Chriſtophorus Pelargus*, D. Patriâ Sileſius, Marchiæ Brandenburgicæ Superintendens Generalis, Theologus Francofurtanus ad Oderam; à lectione Patrum commendatiſſimus, & Commentario in Pentateuchum, item in Matthæum, Johannem, Acta, Judam, Damaſcenum; Evangelicis quæſtionibus; Idéa locorum communium; Schola fidei; Candido non candido; Bibliotheca Theologica; novo Jeſuitiſmo; aliiſque libris celeberrimus. *Primùm Lutheranis, deinde Calvinianis addictus*; ita tamen ut aliquando amici, dicere cogeretur ipſemet: *Se Lutheranis ſordere, non placere ſuis*. Stratem. Theatr. hiſt. 1134. Micræl. lib. H. E. 530. pag.

LIB. IV. CAP. XXXII.

Summaria.

Tempus Excidii Romani à novis vaniſq; vatibus definitum.

Johan-

Johannes Weitſius, Fanaticus, prodit.
Moſis Amyraldi dogma de duabus tam vocationis Divinæ, quàm fidei ſpeciebus.
De diſſidio Amyraldino A. Rivetus, & F. Spanhemius.

ITerum aliqui, nulla prorſus ſacræ paginæ autoritate ſuffulti, verùm proprii ſaltem ingenii ſomnia ſecuti, ſuis conjecturis ita capiuntur, ut ab ipſo Deo inſpiratas dictatasq; credant, ac proin confidenti audacia *TEMPUS*, ſive ultimi *EXCIDII ROMANI* annum, definire haud vereantur. Nec certè hic error à bonis aliquot & integris hominibus abſtinuit, qui vel calculatione, vel harmoniis temporum, vel anagrammatiſmis, vel numeralibus literis, vel progreſſionibus trigonicis, vel denique allegoriis abrepti, non Turcæ ſolùm ſtragem, verùm & Papæ interitum, urbique Tyberinæ excidium publicè minitantur. Sic e.g. *Martinus Horky*, Romæ ruinam finalem in an. 1633. & ſeq. deſpondit, hoc inſuper adjecto verſiculo: *Roma ruet flammis, ſanctos quæ ambuſſerat olim!* Theophil. Spizel. Exam. Vat. Angl. de Excid. R. pag. 2.

Novus etiam propagandi & confirmandi Fanaticiſmi patronus prodit, *Johannes Weitſius*, non unum eo fine ſcriptum evulgans. Titulos librorum ſuorum ſplendidos facit, e. g. *Revelatio arboris cœleſtis; Electrum cœleſte; Conſilium & medicamentum Catholicum &c.* quibus phantaſtica ſua dogmata ſimplicibus & incautis animis perſuadere annititur. Scilicet non facilè ſe ſcriptis vinci patientur iſtiusmodi homines, quin potius vel centies idem idemque repetent, ac ſaltem promiſſis, titulo; ac ſtylo ſuperbis, vanis, falſis, ac inuſitatis, lectorem rerum non ſatis gnarum deludent atque obtundent. Quod omnibus Enthuſiaſtis, Paracelſicis, Weigelianis, Bœhmiſtis proprium; tanquam altius & ſupra ingenium vulgi ſpiraturis, ſi videantur communem ſapientiam, ut profanam vilemque, negligere. Hornb. S. C. lib. 6. pag. 423.

Moſes Amyraldus, Doctor Hugonoticus in Academia Salmurienſi ad Ligerim, in articulo de Prædeſtinatione; circa gratiam, & meritum Chriſti, Vocationemque univerſalem, à communi ſuæ gentis doctrina ſeceſſum facit, ac præſupponens univerſalem Dei gratiam erga totum genus humanum, & univerſale Chriſti meritum, *duas ſpecies prædicationis Chriſtianæ fidei, totidemque ſpecies ipſius fidei*, aliunde ſi non accedat impedimentum, facit. & ſcribit: „ *Una prædicatio* fit Miniſterio Apoſtolorum & illorum, quibus Evangelii

„ prædicatio commiſſa eſt, qui annunciant, quod Jeſus Chriſtus ſit
„ filius Mariæ, ac ſimul æternus DEI filius, datus nobis in redem-
„ tionem à peccatis per Crucem ſuam, quod fuerit reſuſcitatus à
„ mortuis, & elevatus in cœlos, unde redemptionem noſtram expe-
„ ctare debeamus. Et hæc prædicatio ingenerat fiduciam de miſe-
„ ricordia DEI, manifeſtatam in magno illo Salvatore, conjunctam
„ cum diſtincta congnitione Salvatoris illius; qualis fides producit
„ in nobis cogitationes ac motus intrinſecos & admirabiles. *Altera*
„ *prædicatio* fit per ſolam adminiſtrationem Providentiæ Divinæ, con-
„ ſervantis Mundum, non obſtante ejus iniquitate, ac invitantis
„ eum ad pœnitentiam per longanimitatem ſuam, quæ, niſi homi-
„ nes naturâ fuerint nimis cœci, & pertinaces in ſua cœcitate, ido-
„ nea erit ad ingenerandam fidem de Miſericordia Dei, deſtitutam
„ quidem vera, dilucidaque cognitione Redemptoris, de quo nobis
„ Evangelium prædicat, nihilominus tamen ſufficientem, ut fruan-
„ tur homines ea ſalute, cujus Deus autor eſt. *Fidei prima ſpecies*
„ naſcitur ex dilucida prædicatione (qualis primo loco deſcripta)
„ credens in illum, quem cognovit: *Poſterior* non contemnenda fidei
„ ſpecies, oritur ex intuitu miſericordiæ DEI, quæ offertur ei me-
„ diatè providentiâ DEI, & credit in eum ſine præcedente cogni-
„ tione. Quicquid autem Miſericordiæ, Deus impendit hominibus
„ in ſpem ſalutis, id omne exinde oritur, quod juſtitia ejus placata
„ eſt per ſacrificium Filii ſui, atque adeò ſublatum omne obſtacu-
„ lum, quod per peccatum erat poſitum in gratiam DEI, & remiſ-
„ ſionem peccatorum; ſaltem homines ſeipſos non indignos demon-
„ ſtrent; totum enim ab hac *conditione* dependet, ne homines ſe in-
„ dignos oſtendant. Nam non convenit ſapientiæ DEI proponere
„ quicquam, aut ſtatuere de hominum ſalute ad realem fruitionem
„ ipſis exhibendam, cùm ipſi nolint, ac perſeverent pertinaciter in
„ repudianda miſericordia Divina. Hoc dico: Non convenire cum
„ ſapientia DEI, homines ſalvos fieri ipſis invitis &c. *Summa erroris
eſt*: Gentiles etiam, extra Eccleſiam, citra prædicationem Verbi, per intuitum miſericordiæ Divinæ, in Regimine hujus Univerſi conſpicuæ, ſalvari. Confundit autem Amyraldus; quamvis doctiſſimus Vir, Vocationem Generalem & Communem, quæ eſt invitatio ad quærendum DEUM in Eccleſia per theognoſiam ex libro naturæ; cum vocatione Speciali, quæ fit per Verbum & Sacramenta, citra quam

quam fides & ſalus nemini obtingit. Hülſem. de Auxil. Gratiæ, pag. 80. ſeqq. Theol. poſ. pol. Kromaj pag. 120. 1030. pl.

De *Amyraldina* verò ſecta ſcribit *Andreas Rivetus* ad fratrem Guilielmum: „ Tibi notus eſt, ut mihi à multis annis, vir ſanè doctus „ & acutus, Moſes Amyraldus, qui cum aliis duobus præcedente „ anno 1633. ad Profeſſionem Theologiæ in reſtituta Salmurienſi „ Academia vocatus, cœpit ibidem docere, cum Collegis, qui non „ contenti ea ſimplicitate doctrinæ, quæ ab initio in illa Academia „ viguerat; nec ea reformatione, quæ à viris ad eam delectis à Deo, „ Patrum noſtrorum temporibus, feliciter inſtituta, continuaverat „ per multos annos, quæ à præceptore, quo uſi fuerant, audiverant „ nova, ea quamprimùm, & audacius, ut fieri ſolet, diſſeminarunt, „ diſcipulosque ſuos in iis erudierunt. Hinc factum, ut in Eccle„ ſiis noſtris tunc primùm diceretur: Ego ſum Pauli, Ego ſum Ce„ phæ &c. ac perſonarent non ſcholæ tantùm, ſed etiam pulpita Ec„ cleſiaſtica, de Evangelio jam verè reſtituto, ac facili admodum „ ratione reperta, qua teneræ conſcentiæ in arduis de Prædeſtina„ tione, annexisque quæſtionibus, ſe expedirent adverſus tentatio„ nes, quod hactenus non ſatis animadverſum fuiſſe, nec optimam „ rationem initam quiritarentur! Ita Rivetus. Cui ſubſcribit *Fridericus Spanhemius*, hunc in modum: „ Graviſſimum ſanè eſt, & „ ſufficientiſſimum incommodum, quod ſic pomum Eridos in Ec„ cleſias noſtras ſine cauſa injectum fuerit, Conſcientiæ multæ tur„ batæ, non diverſa tantum, ſed & adverſa dogmata in Academias & „ Eccleſias introducta, Paſtores cum Paſtoribus, ſtudioſi cum ſtu„ dioſis commiſſi, & gemitus ac ſuſpiria innumeris expreſſa. De fu„ turis malo vota concipere, quàm malè ominari. Atque utinam „ de hoc ſolum (de univerſali gratia) capite eſſet diſſenſus, ac non „ potius in multis aliis etiam, v. g. in quæſtionibus de juſtitia Chri„ ſti, de immediata Gratiæ operatione in voluntatem, de ſede fidei „ ejusque natura, de imputatione peccati Adamici, & aliis hujus „ generis. Ex allegatione D. Dannhaueri, Hodomor. Calvin. Phantaſm. 2. pag. 663.

LIB. IV. CAP. XXXIII.

Summaria.

Confeſſio Armenis attributa, editur.
Johannis Erneſti Gerhardi de ea judicium.
Senioris Gerhardi Confeſſio Catholica lucem videt.

De

dierno; quam vide, cum dicti Gerhardi præfatione, per tot. & conſ. conſenſum ac diſſenſum Religionum profanarum cum ver. Chr. Chriſtiani Hofmanni, lit. X. ult.

Sincerioris Theologiæ ſtudioſos & Confeſſores, eo tempore plurimum exhilaravit *Joh. Gerhardus*, Doct. Jenenſis, inſigni opere *Confeſſionis Catholicæ*, quo doctrina Lutherano-Evangelica ipſis Pontificiorum Scriptorum ſuffragiis confirmatur; Opere vel Adverſariis non parvi penſo, v. g. *Forero* Lojolitæ, qui, cùm aliquando Auguſtæ Vindelicorum in taberna libraria id perluſtraſſet, ſocio hiſce verbis: En tibi bonum librum! porrexit; Et, *Hornbekio* Calviniano, qui publicè ſcripſit: „Librum, vel libros (plures enim ſunt) Confeſſion. Cathol. Johannis Gerhardi, ſummoperè neceſſarios facio „diſputaturo cum Pontificiis, quia illis autor pro diligentia ſua, „diffuſaque lectione, congeſſit varia hactenus in Pontificios, præ„ſertim ex ipſis, prolata argumenta, & omnis generis teſtimonia; „ut adeò ex Papiſtis, Papatus confundi poſſit. Micræl. lib. hiſt. 3. pag. 493. Hornb. S. C. 320.

Calumniis ac mendaciis plurimorum è ſecta Pontificia, præſertim verò impudentis Monachi, *Nicolai Janſenii*, adverſus B. Lutherum peculiari libello ſparſis, *D. Johannes Müllerus*, Eccleſiaſtes Petrinus Hamburgi, juſtum tractatum, ſub titulo: *Lutherus defenſus*, oppoſuit, quo laude digniſſimus vir, penè innumeras non modò Janſenii, ſed conſortium quorumcunque ſycophantias de Megalandri ortu & educatione, vocatione ad munera tum Eccleſiaſtica tum Academica, exceſſu è ſynagoga Papali, doctrina, conjugio, vita, morte, ac ſepultura, ita feliciter profligavit; ut Lutherus ille defenſus, diverſis in locis quarta vice typis exhibitus, à nemine auditus fuerit allatrari, ſaltem publicè; donec poſt multos annos id facere auſus eſt *Carolus de Cruce*, pater Creutz/ Lojolita Boruſſicus; atqui dignis exceptus modis, nil ſibi ſuisque glorioſum aut proficuum, ſe præſtitiſſe comperiit. vid. tract. præf.)(vj.

Ex eorum gente, qui ſe Reformatos vocari amant, Antonius Walæus, Feſtus Hommius, Altingius, Sibelius, Fullenius, Reneſſe, Arnoldi, Dammanus, Nieuhuſius, Batavi Theologi, Leidæ *reviſionem Belgicæ Bibliorum verſionis* inſtituerunt; quibus etiam additus fuit *Carolus de Mets*, Profeſſor & Eccleſiaſtes Ultrajectinus, multos in divino opere, ut loquitur iſtius parentator Hornbekius, magnosque labores emenſus. An illud opus, quod nobis non contigit vi-

 dere,

dere, tanto dignum encomio, lectores judicabunt. Aſt quomodo aliàs Calviniani circa S. Bibliorum verſiones & editiones plerumque verſati hactenus fuerint, vide ſis D. Gerhard, in diſpp. Academ. part. 1. diſp. 8. theſ. 22. 23 Or. fun. C. M. 36.

Tunc etiam prelo commiſit *Theologiæ Chriſtianæ* (puta Calvinianæ) libros, *Marcus Fridericus Wendelinus*, Gymnaſii Anhaltini, quod Serveſtæ habetur, multis annis Rector; Cui cùm *D. Johannes Gerhardus Jenæ Collegium Antivvendelinianum* oppoſuiſſet; Iſte deinceps pro Theologia ſua *Exercitationes* vindices publicavit, quibus Calvinianum ſatis craſſum ſe demonſtravit, für andern einen ziemlich groben Calviniſten / ut Wittenbergenſes loquuntur, in gründl. Bew. contra Rintel. Syncretiſt. pag. 402. qui etiam, quantæ autoritatis æſtimationisve hujus ſcripta ſint, apud fidei iſtius conſortes, haud obſcurè ſignificarunt pag. 249. nec ipſe Wendelinus diſſimulare ſuſtinuit. videantur in primis præfatio ejusdem in Exercitationes, atque dedicatio pl.

LIB. IV. CAP. XXXIV.

Summaria.

Wallenſteinii fata ſuprema.
Ferdinandus III. Auſtriacus Ratiſpona potitur.
Saxonum, Vinarienſis, & Hornii fortuna.
Obſidio Nerolingana, in memorabile prælium deſinens.
Nata inde proximorum tractuum calamitas inenarrabilis.
Ferdinandorum, Cardinalis & Auſtriaci, inſtituta ulteriora.
Auſtraſiæ Regnum, ſpe devoratum à Carolo Lotharingo.
Vinarienſis & Oxenſtirnii curæ.
Polonorum victoriæ de Tartaris atque Turcis reportatæ.
Secuta pax Polono-Turcica, & Moſcovico-Suecica.
Negotiationes Hollandicæ in Siamico R. felices; à ditione Regis Borneani exulantes; in Japonia periclitantes.
Mortalia explet Frid. Ulric. Dux Brunovicenſis.
Cum vita ſimul Familiam terminat Jacobus, Comes Geroldſeccius.

ALbertus *Fridlandus Wallenſtein* (ex Boëmiæ Nobili Comes, inde diverſarum Regionum Dux, Cæſareanorum exercituum in Germania Mandatarius denique Generalis ac ſupremus) vel paſſus invidiam, vel vitio liberioris linguæ & acerbioris imperii, vel per ambitionem, vel propter non ſincerè abjurata Proteſtantium ſacra ſuſ-

ſuſpectus in Aula Ferdinandi II. ſub odoratur *Galaſſium* ſibi ſurrogari; hinc omnes primorum ordinum duces in novi ſacramenti formam adigit, non permiſſuros ei à Cæſare Imperium abrogari; ad evertendam Domum Auſtriacam cum Gallis & Svecis clàm conſpirat; ſed in iſta conjuratione, per indicia non obſcura deprehenditur, & Egræ circa medium Februarii, improviſo *transfoditur*; Inſtabilis fortunæ, proſtratæque ſuperbiæ exemplum ingens, ne mortales oblivio ſui capiat, nec, quod Rotâ nititur, fixum eſſe credant! Calviſ. contin. 1009. Burgold. not. rer. Imp. A. 126. ſeq.

Poſt interfectum Wallenſteinium, *Ferdinandus III.* t. t. Hungariæ Rex, Cæſaris filius, ipſe ſupremam Imperatoriæ militiæ præfecturam adiit, *obſeſſa* mox *Ratisbonâ*, quam Svedici quatuor millium præſidio obtinebant. Eâ ſpatio ſex hebdomadum potitus eſt, etſi hinc Sveci in Bavaria, Saxones in Bohemia, ut Regem averterent, immiſſis exercitibus popularentur: *Saxones* Pragæ inſidiantes, Lambojus parva manu feliciter ibi repreſſit; *Vinarienſem ac Hornium*, per Sveviam incurſantes Bavariam, fortuna melior excepit, multis iſthic locis brevi recuperatis, profligato etiam Aldringerio prope Landshutum, qui apud pontem fortiter dimicans occubuit. Epitom. R. G. pag. 173. Tſchimmern contin. Sleid. de 4. Monarch. 412.

Hungariæ Rex poſt occupatam Ratisbonam, cum *Cardinali Ferdinando*, Hiſpaniarum Regis fratre, qui Belgio regendo jam deſtinatus, inſignem exercitum & veteranorum Hiſpanorum robur omnibus Italiæ præſidiis evocatorum adducebat, in Bavariæ finibus caſtra conjunxit, accedente etiam Lotharingo, quem Bavarus præfecerat ſuis copiis, iisque comitibus Donawerdâ, ac tota Danubii ora Ulma tenus recuperata, in Noricum flexit, & *Nördlingam* Urbem validam validoque præſidio munitam obſedit, ubi Vinmarienſem, Svecicarum partium ductorem, temerius ad ſummum certamen properantem, *prælio memorabili* profligavit. Burgold. N. R. J. part. 1. 129. Turſell. epit. hiſt. append. 2. 59. pag.

Tum *Nördlinga* victoriæ præmium acceſſit, & mox quicquid ad Lycum & lacum Acronium, atque in *Ducatu Wirtembergico* fuit, manus dedit. Hîc centum linguas, ac totidem ora haberi oporteret, ſi quis funeſtiſſimas Wirtembergiæ, & proximorum tractuum, quo ſe victorum ferocia diffuderat, calamitates dignis modis enarrare vellet. *Ferdinandus Cardinalis*, re apud Nerolingam benè geſta, cum iis copiis, quas adduxerat, rurſus in Belgium contendit, cujus

jus præſentia res ibidem Hiſpanicas morte Iſabellæ, & Henrici Comitis Bergenſis perfidiâ non parùm turbatas erexit. *Ferdinandus Auſtriacus*, diſpoſitis potiſſimum Stutgardiæ rebus, Viennam rediit, ſummâ militaris Imperii Galaſſio permiſſa, hybernis militibus jam ante diſtributis. Epitom. R. G. Schvvel. Chron. 446. ſeq. Turſellin. app. citat. 59.

Victoria illa *Carolus Lotharingiæ Dux* (quem Gallus tota ſuæ ditionis provinciâ exuerat) inſolentior factus, tanquam, Cæſaris triumphantis fœderatus, multa properè concepit animo, ut jam totum *Auſtraſiæ regnum* ſpe devorarit. Eapropter monetæ hunc circulum dedit: *DEI gratia Rex Auſtraſiæ, Dux Wirtembergiæ ac Montis Peligardi, Landgravius Alſatiæ;* Ex altera facie: *Habeo & habebo, quod multi mirabuntur.* Hinc ejus nomine multus etiam ſcribebatur miles per Italiam Hiſpano parentem, quo brevi reſtitueretur in Ducatum à Gallo ſubactum. Calviſ. Chronol. 1010. de Auſtraſia confer Hofm. Lex. A. 231.

Vinarienſis, ad Mœnum inferiorem ſub hæc militem diſſipatum colligebat, in ultionem ſe parans, ac priorem fortunam ſolicitans; Eo fine ſvadebat, quod hactenus negatum, ut Gallo pro certa pecuniæ ſumma tradatur Philippoburgum. Sveciæ verò Cancellarius *Oxenſtirn*, communicatis conſiliis cum Wilhelmo Haſſiæ Landgravio, Georgio Lunæburgenſium Duce, aliisque fœderatis, Svecorum rebus afflictis priſtinam reddere faciem, inprimis enixiſſimè, nec in caſſum, laborabat. Calviſ. pag. 1009. Thſchimmern. de 4. Monarch. lib. 3, 415.

Tartaros atque Turcas, à *Moſcis* nuper in auxilium vocatos, *Poloni* poſitis apud Cameneciam caſtris, aliquot cladibus compeſcuerunt; Stanislao Conjecpolſio ductore; Autorem igitur hujus belli, Abazium Baſſam, egregiis aliàs adverſus Perſas præliis clarum, Imperator Turcicus ſtrangulari juſſit; Inde mox renovata *pax cum Polonis*, cui & *Moſcovitico-Suedica* ſucceſſit ad ſex & viginti annos, pacta conciliantibus Regum Galliæ, Angliæque, ac Hollandorum oratoribus. Calviſ. 1010. Turſell. in Epit. hiſt. app. 2. 58.

Apud *Siami* Regem, *res Hollandorum* hoc tempore plurimum promovebantur, poſtquam ſuperiori anno eorum ibi mercaturæ denuo fixa ſedes fuit, unde negotiationes mox ita Societati accreverunt, ut multum ex illis lucri hauſerint, majus deinceps accepturi, ſi prudenti conſilio cœptum promoveatur. Quem in finem

an-

an. 1634. ad mandatum prætoris Brouvveri, & conſeſſus Indici. extructum eſt inſigne domicilium ex cæmento, additis mercium commodis promptuariis, habitationibus jucundis, ſpatioſis hortis, & ad omnem uſum aptis foſſis aquarum plenis, ad ripam fluvii *Menam.* Locus hic ad negotiationem tam benè commodeque ſitus eſt, ut ex omnibus, quos Belgarum Societas in India poſſidet, nullus ſit, qui illum ſuperet. Bernh. Varen. in deſcript. Jap. & Siam. pag. 171. ſeq. Ex Inſula verò ac *ditione regis Borneani*, quem arctè nimis aſtringere contractui volebant, expellebantur ex improviſo, non paucis eorum occiſis in ſolo, & in ſalo navibus combuſtis: In *Japonia* quoque, ob nimiam conceſſæ libertatis extenſionem, parilem propemodum fortunam experti, teſte Alberto Mandelslovio, in Morgenl. Reyß-Beſchr. per Olear. ediret, pag. 221. & 244. ſeq.

Naturæ tunc ſatisfecit *Fridericus Ulricus, Dux Brunſvicenſis*, qui cœptum à Patre Henrico Julio cum Brunovicenſibus bellum continuavit, ac tandem imperata facere cöegit; cùm ateknos de ſeculo exiret, univerſas ditiones ſuas ad Lunæburgicos transmiſit. Notit. procer. Imhof. 466.

Jacobus à Geroldsek & Sulz, Sveviæ Comes. Jun. 16. an. 1634. familiam cum vita finivit, unicâ filia, primum Friderico Com. Solmenſi, dein Friderico Marchioni Badæ nupta, poſt ſe relicta, quæ in allodialibus patri ſucceſſit; feudum autem à Cæſare Comiti Cronbergio collatum, ejusque poſteris maſculis: Eſtque hæc dynaſtia ad ſylvam Hercyniam ſeu nigram ſita, & ſub Circulo Svevico ſecundi diſtrictûs comprehenſa. Imhof. Notit. procer. 1135. 1138.

LIB. IV. CAP. XXXV.

Summaria.

Ritus Livonici ſepulchrales.
Meridianus primus Inſulæ Ferro aſſignatus.
Arbor Ferrana, fontis uſum præſtans.
Relatio de hominibus, animalibus, plantis &c. in lapides converſis.
Roſa admiranda; Concentus Muſicus memorabilis.
Caſus portentoſi ac funeſti varii.
Oppida, in cineres redacta
Tabaco per fiſtulas uti, in Moſcovia prohibitum.
Crux, curioſitatis pretium.

GEntium quondam occœcatarum *ritus* fuere, *ſuper defunctis* lamentationes inſtituere; eorum ſepulcris fercula inferre; diis infera-

nalibus, pro illorum animabus ſacrificare, quos & affabantur ut eis placidi eſſent, &c. Hunc morem gentilium poſtea imitati ſunt Chriſtiani, ne iſtis inhumaniores erga ſuos viderentur. Præterquam enim quod luctum teſtarentur, ob amicorum ſuorum ex jucundiſſima familiaritate abitum; In parentationibus illorum offerebant aliquid, ſed in uſum pauperum, non ad placandum DEUM cœleſtem, nedum infernalem; preces quoque addebant ſuper defunctis (nimirum Eucharisticas) de quibus credebant pii, quod ad ſuorum certaminum ii terminum pervenerint &c. hodieque eundem penè ſervari modum, à *Livonicis* præcipuè mulieribus, in annuis etiam chariſſimorum ſuorum recordationibus, queis & ſacerdotes accedant cum thuribulis ad ſepulcra ſuffitum facientes, nomina defunctorum prælegentes, additis & aliis quibusdam ceremoniis, ſuſpiriis, atque precatiunculis, Adamus Olearius teſtis eſt ocularis in deſcr. peregrin. Moſcovv. lib. 1. 9. confer. Bald. C. C. pag. 185.

In *Inſula FERRO*, Maris Atlantici, & quidem Occidentali ejus parte, *primum Meridianum longitudinis* Franci aſſignant ab anno Chriſti 1634. jubente Ludovico XIII. cum peritiſſimos hujus rei adhibuiſſet, In ea res admiratione digna, interque Orbis miranda notatur. Ferri nempe Inſula, quæ ex Canariis una eſt. Etſi fluminum fontiumque ſit inops, *arborem* tamen habet, cui nulla in hoc Mundo ſimilis eſt, ſupra cujus verticem ſuſpenſa ſemper nubes hæret, quæ perpetuæ viriditatis cauſa foliis ejus, & è quibus tanta vis aquarum deſtillat, ut totius Inſulæ ſufficiat indigenis, referente Lanſio in Mantiſſa Conſultat. 265. & Hofm. in Lex. Univ. A. 641. ſeq.

In Inſula Maltha t. t. inter captivos ex Africanis Barbaris, adducta fuit *puella* decem annorum, *Coiſurakia*, cui dein *Victoriæ* nomen impoſitum. Hæc in Urbe Cucu, provinciæ Tongil, nata, ſæpiùs aſſeverabat, quod multoties tum à parentibus, tum ab agnatis audiverit: ante tempus non adeo longum, in pago *Biedoblo*, æſtivo tempore inter horrenda tonitrua, fulminum ictus, terræque motus tremendos, media quadam nocte, *omnes incolas* (manente externa forma) *in lapides converſos eſſe*, cum omnibus loci animalibus, cibis, aliisque rebus domeſticis, imò etiam arboribus & plantis terræ; ſubjiciens, ipſammet à parentibus in iſtum pagum aliquando deductam, formas adhuc ſuperſtites conſpexiſſe, &c Ex Kirchero, Eraſmus Franciſci, in Oſt-und Weſt-Indiſchen Luſtgart. pag 189.

Confer omninò Johan. Henric. Urſin. Analect. ſacr. lib. 3. p. m. 168. ſeq.

Pirnæ (oppidulum eſt Miſniæ, tribus milliaribus ſupra Dresdam) Septembris die ſeptimo, ex emortuo roſæ quodam frutice, qui ſeptuaginta annis parieti adhæſerat, *Roſam* cum prægnante nodulo albo variegatam, dum ſacra fiebant, ſubitò enatam, cum admiratione plurimi hominum viderunt. *Argentinæ* autem, in Alſatia, in Xenodochio audita *Muſicæ ſuaviſſima harmonia*; quam dein lamentabile *væ* aliquoties repetitum, excepit. Calviſ. Chron. cont. 1011.

Cæterum, varii fuere *caſus funeſti ac portentoſi*, propter quos memorabilis eſt hic annus. *Torunia* aqua in ſanguinem verſa; *Halæ ſaxonum* piſcina quoque mutata in ſanguinem; *Halberſtadii* ex fonte ſanguis profluxit; *Lutzenæ*, mulier in olla ad focum, pro juſculo ſanguinem; *Eulenbergæ* alia pridie coctas carnes iterum crudas & ſanguinem ſtillantes reperiit. *Wittenbergæ* pluvia ſulphurea ex nubibus decidit. *Uratislaviæ* primò ſpectra cum facibus ardentibus in ordinem proceſſere, deinde milites inter quos & Cataphracti erant, ac demum canes cùm facibus flammantibus. *Nordhujii* tria templa fulmine tacta. *Salzæ* grando ovorum Gallinaceorum magnitudine cecidit, qua & Equites (uti ferebatur) ſternebantur exanimes. Per littus maris Balthici facta *exundatione*, *in Holſatia* præſertim in Inſula Nordſtrandiæ) ædium abſumptæ ſunt plus mille ac tercentum; periere hominum ſex, pecorum autem omnis generis quinquaginta millia. Calviſ. cit. loc. Scriver. Seelenſchatz. part. A. 345.

Menſe Septembri, & Octobri, poſt cladem exercitûs Evangelicorum ad Nördlingam, tragica fuit Urbis *Calvenſis* in Ducatu Würtembergico, *Waiblingæ*, ac *Schorndorfii* panolethria, cùm civibus partim trucidâtis, partim fugâ elapſis, in cenſæ à furioſis militibus, totaliter in buſtum redigerentur. Andr. Epiſt. prim. part. 109. D. Wagner in parentat. D. Nicol. pag. 14. *Piritium* in Pomerania, *Liebenwaldum* in Marchia, ferè penitus etiam, & *magnæ Moſcuæ tertia pars* conflagrârunt, Calviſio, & Oleario teſtibus.

In Moſcovia tabaci uſus per fiſtulas, ut vocant, à Magno Duce vel Zaario, & Patriarcha, ſacrorum præſide, ſub ſeveriſſimis comminationibus fuit *prohibitus*; audentes contra, per notabiles narium fiſſuras, duraque & multa verbera puniti; quia creditum, ejuſcemodi fiſtularios nupero Urbis incendio non minimam dediſſe cauſam.

Ea-

Eadem conſtitutio ſi apud Germanos etiam vigeret, ſanè multum, ſperamus, commodi afferret. Zeil. epiſt. part. 2. 827.

Ea tempeſtate *mercator Venetus, Curioſitatis nævum cruce luit*, in aula Turcarum Sultani Conſtantinopolitana. Nam eò, quod perſpicillo Gynæceum Amurathis temeraſſet, cùm Muphtio, ſummo rerum Eccleſiaſticarum apud Muſulmannos moderatore (mercatoris forſan ductore aut comite) ſuſpenſus Imperatoris mandato fuit. D. Wagner in limin. geneal. 358.

LIB. IV. CAP. XXXVI.

Summaria.

Seculum inde ab Orthodoxa Reformatione Ducatus Wirtenbergici completum.

Reformationis iſtius occaſio paucis expoſita.

Auguſta Vindelicorum exercitio Religionis Evangelicæ iterum orbata.

Templa Sempronienſibus, qui puriorem fidem profitentur, adempta.

Saxonis interceſſio, pro fidei ſociis in Sileſia, inanis.

Aedes ſacræ Evangelicorum Cracovienſium dirutæ.

Pacificatio Pragenſis.

Franciſci Altini converſio; Chriſtophori Beſoldi defectio.

Voëtii de moribus Proteſtantium Epicureis, quibus ſcandaliſatus fuerit Beſoldus, examinata ſuſpicio.

Danielis Hizleri; & Chriſtophori Schleupneri, beata analyſis.

CEnteſimus hic fuit *annus* à ſalutari *Reformatione Ducatûs Würtembergici*, per Principem Udalricum facta. Is, ob Reutlingæ Civitatis expugnationem, anno 1519. à ſociis Svevici Fœderis expulſus, atque Ducatu ſuo ejectus fuerat, quem deinde Carolus V. Ferdinando Fratri atribuit. Poſt quindecennale verò exilium an. 1534. armata Philippi Haſſiæ Landgravii manu reſtitutus, avitas ditiones recepit, & abrogata mox in ſequente tempore Pontificiæ ſuperſtitionis Idolomaniâ, Orthodoxæ fidei lucem in totum ſuum Principatum induxit; ipſe enim durante exilio, quum apud pios Principes, Evangelicæ doctrinæ gnaros & ſtudioſos, verſaretur, Chriſti doctrinam agnoverat & amplexus erat. Ita reductus, tandem cum Ferdinando Archiduce Cædami, quod eſt Bohemiæ oppidum, tranſegit, ut Würtembergici Ducatûs utile dominium penes ipſum remaneret, penes Ferdinandum autem directum. vid. Schvvelin. Chronic.

Chronic. 133. 153. ſeq. Oſiand. Cent. XVI. p. 58. 222. *Annus* ergò æræ Chriſtianæ ſupra milleſimum & ſexcenteſimum trigeſimus quintus dicto *Ducatui* debuiſſet *Jubilæus* eſſe; ſed hoſtilem ejus occupationem atque exulantem EBERHARDUM tertium, factus eſt *ejulæus*.

Auguſta Vindelicorum, poſt longam & longinquam circumſidionem, interclusis commeatibus ad extrema malorum redacta, iterum *in manus Ligiſtarum devenit*. Atque tum *Evangelicis omnia templa* denuò fuere *adempta*, cum Exercitio Religionis publico. Multis tandem ſupplicationibus miſeri obtinuere, ut *ſub dio* ſacris conſuetis fungi liceret. Epit. Papp. R. G. 182. Göbel. in dedicat. Concion. ſup. Auguſt. Confeſſ. §. iiij.

Ita *Sempronii* (Oedenburgi) munita urbe Hungarica, ubi grandem pecuniam Cæſar diverſo nomine poſcebat, purioris doctrinæ Confeſſoribus ædes cultui Divino deſtinatæ abjudicabantur, Papicolis tradendæ, tanquam extructæ à Majoribus Romano-Catholicis, & quidem in fundo Epiſcopi. Ad Saxonis interceſſionem pro fidei ſociis *in Sileſia*, immotus ſtetit Imperator Ferdinandus, Papæ addictiſſimus. Hofm. Lex. univ. B. 335. Calviſ. Chron. 1011.

Nec minus in Polonia, *Cracoviæ* præſertim, cum Evangelicis, quantum ad Religionem, actum eſt duriter, incentoribus Lojolitis; quorum ferocientes diſcipuli, ad exemplum anteceſſorum ſuorum anno 1591. patratum, violenter illorum DEO ſacratam domum adorti, funditus eam deſtruxerunt. Hofman. Lex. A. 494. vocab. Cracovia.

Interea *Elector Saxoniæ, Johannes Georgius primus*, particularem cum Cæſare *Pacificationem* iniit, Pirnæ primùm exaſciatam, Dresdæ dein penſiculatam, Pragæque demum politam ac firmatam, quæ ob id *Pragenſis* dicitur. *Pax ea hac lege inita:* „ut Religionis & Sacrorum „libertas non modò Saxoni, ſed aliis quoque Imperii Statibus huic „fœderi ſubſcribere volentibus talis, qualis anno ſeculi hujus vigeſimo ſeptimo, menſe Novembri extitit, manere; ac bonorum Ec„cleſiaſticorum reſtitutio, quæ hactenus pomum Eridos in Germa„nia fuerat, per annos quadraginta ſuſpendi debeat; Imperatoris „filio Leopoldo Epiſcopatus Halberſtadienſis, Magdeburgicus au„tem Electoris gnato, nomine Auguſto, cedere; Bavarus Electora„lem dignitatem, Brandeburgicus Pomeraniæ hæreditatem, ac Du„ces Mekelburgici ditionum ſuarum recuperationem, ſartam te„ctam habere debeant. De *Suecis* verò cum *ſtirpe Palatina*, quod mul-

„ tis iniquiſſimum videbatur, altum erat ſilentium. Strat. hiſt. 959. Tſchimmern de 4. Monarch. l. 3. 417.

D. Franciſcus Albinus, Vangio ſeu Wormatienſis, anno 1635. deſertis Pontificiorum caſtris, *ad Evangelicorum partes* ſe contulit, ac Wittenbergæ *Anatomiâ Papatûs*, & *Aſino Monachali*, errores, quibus hactenus diſtrictus fuerat, animosè detexit, quadriennio pòſt defunctus. Micræl. hiſt. Eccleſ. Syntag. lib. 3. 457.

Contrà, Lutheranorum communione miſsâ, Papicolarum cœtui ſe immiſcuit *Chriſtophorus Beſoldus*, in Univerſitate Tubingana Juris Profeſſor celebris: „ Vir equidem (verbis T. W. utor) inculpatæ vitæ, ſed Religionis, ut Libertinorum mos eſt, ſemper quaſi „ mediæ, etiam cùm adhuc Profeſſione Evangelicus eſſet, fanaticis, „ ac eorum ſcriptis non parùm tribuens, quod multis documentis „ conſtitit; donec amiſſa ſuperiori anno Evangelicorum per cladem „ Nördlingenſem victoria, etiam ipſe per defectionem ad Papiſtas, „ pretioſam Evangelii margaritam amiſit, imò ſpontaneo motu pe„ dibus abnegationis conculcavit; procul dubio, ut vir erat naturâ „ timidus, non tam diffiſus ſuæ confeſſioni, quàm victorum armis, „ à quibus non æquè Deo protegente, ac favente Cæſare, tutum ſe „ fore ſperavit, conſilium ei ſuggerente pavido, quem vapido ſub „ pectore geſſit, lepore, etiam aſtuta vulpe nonnihil conferente; diu „ clementiſſimè à Sereniſſimo fotus, & benigniſſimè ab Univerſitate „ habitus. Meminit ejus *Voëtius* in diſputatione de Atheiſmo hisce „ verbis: Beſoldum, Virum doctiſſimum, quid à Proteſtantica Reli„ gione abduxerit ad Papiſmum, ego non dicam, quia particulari„ tates illas non novi; liberè fateor, me ſuſpicatum ſubinde, virum „ illum à devotionis ac pietatis ſtudio non aliènum (ut ſcripta ejus „ teſtantur) ſcandaliſatum fuiſſe moribus multorum epicureorum, „ qui Proteſtantes audiri volunt. Ignoſcere nobis, *W. inquit*, Voëtius „ deberet, ſi adhuc veſceretur aura vitali, & intelligeret, quod res „ eſt. Fuit iſte Beſoldus homo vitâ, quod negari non poteſt, exter„ nè inculpatus, animo ſedatus, diſcurſu non injucundus, ſermone „ modicus, vanitatis oſor, ejusdemque ſine læſione gravitatis quo„ dammodo Satyricus irriſor; ut, quum ſub alicujus Viri docti, ſed „ ingenii liberalioris imagine in æs inſculpta, diſtichon legeret, cu„ jus hæc ſumma eſt: Et Homerum, & Maronem, & Heſiodum in „ ejus cerebro habitare; *Se condolere tam excellentibus Autoribus*, dice„ ret, *quod eos in hoc ſtultorum ergaſtulo incluſos eſſe oporteat:* Item, cùm

„ non

„non neminem audiret de lunæ globo aperire, quid per tubum in „hoc infimo ſidere obſervaverit, nempe montes, valles, flumina, „ſylvas, ſubjecit: *Procul dubio etiam lepores, &c.* Sed quod rei caput „eſt, & myčterismum (ſubſannationem ſeu irriſionem) haud pati„tur, religione varius atque mobilis, domumque ſuæ fidei non pe„træ Verbi Divini, ſed arenæ opinionum ſuperædificans; quid pro„inde mirum, quum deſcenderet pluvia,& venirent flumina, flarent„que venti, quod ruina illius fuerit magna? Tantum abeſt, ut Voë„tius habuerit cauſam ſuſpicandi, eum epicureis moribus multo„rum apud nos, qui Proteſtantes audire volumus, ſcandaliſatum & „ad Papiſmum abductum fuiſſe; neque enim is tunc temporis erat „Univerſitatis Status, quo Epicureiſmus invaluit, ut Evangelicæ „Confeſſionis aſſertor cauſam haberet, ejus intuitu tranſeundi ad „Papiſtas &c. Viſum fuit exemplum hoc; ambidextri, ac lubrici „viri adducere, ad demonſtrandum, quanto in animæ periculo ver„ſetur homo, apud quem libertas quidvis credendi animum occu„pat, ut mirum non ſit, ſi Deus tam petulans ingenium, in tam ar„duo ſalutis æternæ negotio, ſua deſerat gratiâ, & in reprobum de„fectionis ſenſum det! Ita D. Tobias Wagnerus in Exam. El. Atheiſ. Speculat. pag. 83. ſeq.

Menſe Septembri hujus anni, curſum ſuum explevit morte placidiſſima *Daniel Hizlerus*, de quo ſupra lib. 1. cap. 64. & lib. 3. cap. 8. Theologus Würtembergicus, Præpoſitus Stutgardianus, & ſacrorum Antiſtes in inclyto Ducatu ſupremus; Vir ingenii rotundi, & judicii multo rerum uſu ſubacti. *Mortuus* autem eſt *in exilio*, Argentinæ, quo ipſum, ne Evangelii hoſtium libidini denuò exponeretur, ceu fidum Achatem, Princeps EBERHARDUS duxit, ductumque gratioſa quadrâ cum filio ſuſtentavit. Eaque migratio ex patria terreſtri, optimum virum ad iter in cœleſtem ita diſpoſuit, ut præter cœlum in votis nil habuerit, ſolvi, ac eſſe cum Chriſto cupiens, cum quo equidem eſſe, usque & usque flagranter deſideravit; tum demum autem eò flagrantius, quo deſperatiora nuncia de patriæ per incendia, latrocinia & ſpolia interitu, ut & de ſuarummet rerum diſpendiis, advolabant. Ad iſtam intendit metam, donec vel tandem gemendo, ſuſpirando, palmas (ut alter Moſes) ad ſidera tollendo, non tam animo quàm corpore, tot certaminibus fracto, laſſus, tactuque apoplexiæ proſtratus, die ab inſultu morbi decimo tertio, qui Septembris erat ſextus, animo ad æternitatem per Chri-

ſtum benè ac fiducialiter compoſito, inter ſoporem & vitam medius, in Salvatore ſuo placidè obdormivit, animæque in manus Dei reſignatæ exuvias gremio magnæ matris telluris decenter, imò juſſu Ducis Eberhardi, ut juſta, quamvis in exilio, ſplendidè fierent, magnificè reddendas reliquit. vid. Jubil. Tub. 2. pag. 103. Parentat. H.zl. 34. pag.

Ad meliorem quoque vitam abiit *Chriſtophorus Schleupnerus*, D. & Eccleſiaſtes primùm in Styria; hinc apud Hildesheimenſes & Eisslebienſes docuit; Superintendentem denique in Marchionatu Bereytenſi Generalem egit; Harmoniam V. T. & Epiſtolevangelicam, ac Methodum quadruplicem concionandi edidit; Nepos Dominici Sleupneri, qui primus Evangelii Præco apud Noribergenſes fuit. Micræl. H. E. lib. 3. 544.

LIB. IV. CAP. XXXVII.

Summaria.

Lojolita eodem, quod Religionis DEO inviſæ argumentum temere pronunciarat, contagio abripitur.

Carolus Lotharingus jus ſuum fratri Cardinali tradit, qui ſtatum haud adeò feliciter mutat.

Caroli L. divortium, vagi amores, novumque cum Cantacrucia conjugium.

Cœnobium Lerinenſe, ab Hiſpanis vaſtatum.

Inſulæ S. Martini, S. Luciæ, & Guadalupia, Gallis cedentes.

Henrici Ludovici Caſtanæi mors.

TUnc temporis Stutgardiæ *Lojolita* quidam, *de Lutheranis* perquam ſiniſtrum tulit judicium. Et enim cùm peſtifera lue, aliisque morbis acutis, ex civibus eorumque familiis, multi, ex militibus autem Cæſareanis ibi res ſuas habentibus pauci, abriperentur, infrunitus homo publicè, & in templo urbis majori, pro Cathedra dixit: „ Exinde manifeſtum duci poſſe argumentum, falſam eſſe „ Lutheranorum, papicolarum autem veram religionem, quod E„ pidemico morbo horum perpauci, ſed illorum plurimi extinguan„ tur. Verùm hic ipſe præco, paucis poſt diebus eodem correptus malo, levem efflavit animam, & ſic levitatem ſuam propria morte expiavit. Schvvel. Chron. 454. pag.

Carolus, Lotharingiæ Dux, quum provincias ſuas adverſus Gallos tueri ſe poſſe jam deſperaret, *fratri* unico, *Nicolao Franciſco* Cardinali *jus tradidit ſuum*. Hic depoſita mox purpura ſacrâ, *Ducis* nomen aſſum-

ſumpſit, ſimulque alteram Henrici filiam, patruelem ſuam, nomine Claudiam, feſtinatis nuptiis junxit ſibi, veniâ dein à Pontifice impetrata, confirmatis. At nihil moratus ceſſionis hujus ſimulacra Galliæ Rex *Ludovicus decimus tertius, novum Ducem* ita *perſecutus eſt*, ut is fugâ cum uxore ex Regia cuſtodia ægrè admodum elapſus, multis annis exilium in Italia & Auſtria tolerare cogeretur. Ex act. Erudit. Lips. 1687. 672.

Per idem tempus Nicolai frater, dictus *Carolus*, male audiit ob *divortium ab uxore Nicolea.* Inter ejus quæſitos prætextus, etiam hunc allegavit, *quod legitimè baptiſata non eſſet.* Species deſumpta fuit à crimine ſortilegii, cujus quidam ſacerdos, à quo baptiſata, Nanceii accuſatus, & ob id capitali ſupplicio affectus, quanquam id crimen ad finem vitæ pernegaret. „ Inter morum defectus, gra-„viſſimus & nocentiſſimus Carolo Lotharingo erat, inquit *Marchio* „ *de Beauvau*, vagus & indomitus in fœminas amor. Inde cùm hoc „ ipſo anno exercitus Cæſaris & Gallorum in Lotharingia ſtativa ha-„ berent, ipſe interim in deliciis Veſontione verſabatur. Ibi enim „ poſt ejectam conjugem, quæ in Gallia exulabat, deperire cœpe-„ rat uxorem Comitis Cantacrucii, cùmque hac, poſtquam maritus „ illo tempore peſtiferâ lue ſublatus eſſet, matrimonium celebravit. „ Jure id factum eſſe, ſcriptis defenderunt *Cheminotius* Lojolita, & „ Cancellarius Ducis *Molcurius*, Canonicus Nancejanus. Hic ta-„ men poſtea ſententiam alio libello revocavit, at nihil niſi offenſas „ ab utraque parte reportans, in magna dehinc miſeria vixit; Lojo-„ lita Romam citatus, & alicubi abditus fuit, ut nil de eo poſthac „ auditum fuerit. Pontifex inſtante Nicolea, Galliſque urgentibus, „ matrimonium novum damnavit, & Carolum Ex communicatio-„ nis fulmine ad ſeparationem adegit, quam ſolenni ritu teſtatus eſt, „ neque tamen ideo à conſvetudine cum Cantacrucia abſtinuit. „ Quippe natus poſtmodum ex iſto Conjugio filius, cui Vaudemontii „ principis titulum pater tribuit, & quantum in ipſo fuit, ſucceſſio-„ nem in omne ſuum jus deſtinavit. Nata etiam ex eodem filia, quæ „ Principi de Lisleboneex Ellebovia Lotharingorum ſtirpe orto, nu-„ pſit; factaque ſunt Illuſtria & filii, & generi nomina, bellicis præcipuè artibus nobilitata. Ex act. Er. Lips. an. 1687. pag. 671. ſeq.

Ab Hiſpanis vaſtatum Lerinenſe Cœnobium præclariſſimum, à S. Honorato (quondam Archiepiſcopo Arelatenſi, poſt patroclum, an. 426. ſecundum quoſdam an. 375) fundatum; cujus Monachos ſemi-

Pelagianiſmus invaſit ſeculo reparatæ per Chriſtum ſalutis ſexto. Nomen Cœnobium habet à *Lerina*, aliàs etiam Planaſia, Inſula parva Gallici maris, in ora Galliæ Narbonenſis Hofm. Lex. Univerſ. pag. 785. 909.

Sed in America Septentrionali *Gallis ceſſit Inſula S. Martini*, Mandanina Indis dicta, una ex Antillis in Mari Boreali, ab Hiſpanis jam olim detecta. Ex Francis primas ibi ſedes *Barquetus* fixiſſe dicitur, quem plures dein ex Gallicanis familiis, ob loci commoditatem, ſequuti ſunt; Auctusque numerus eorum paucis annis ad aliquot millia, pro quibus etiam, exercendo cultui ſacro, nonnulla templa fuerunt extructa. Rochefort. hiſt. deſcript. Antillar. 44. 52. pag.

Iisdem temporibus in Gallorum quoque poteſtatem venit *Inſula S. Luciæ*, inter Martinicam & Vincentianam, ab hac decem, ab illa quatuordecim leucis diſtans. Queis porrò acceſſit *Guadalupia*, una ex Antillarum præcipuis, ubi multæ à Gallis plantatæ ſunt Coloniæ, arcesque ſucceſſu temporis non paucæ extructæ. Ab antiquis illius tractûs accolis vocabatur *Carucueria*; ſed Caſtellani novum illi nomen indiderunt ex occaſione Guadalupiæ in nova Caſtella, quo ingens peregrinantium confluxus. Commiſſa primitùs, à Gallicano Rege, directorio domini *de Pleſſis*, quem brevi *Auberus* Pariſienſis inſequutus, optimè diſponens omnia in politicis, reliqua verò committens curæ Monachorum, ex prædicantium & Carmelitarum Ordinibus, Lojolitarum Societate non penitùs excluſa. Hofm. Lex. A. 719. Rochef. c. l. pag. 65.

Quas è cæteris Americæ provinciis Galli poſſideant, ab ea tempeſtate vel recens occupatas, vel coloniis auctas & amplificatas? quas Luſitani? notatum B. L. inveniet in Act. Erud. Lips. an. 1688. pag. 144 ſeq.

Mortem obiit *Henricus Ludovicus Caſtanæus*, Epiſcopus Pictavienſis in Gallia, qui Diſtinctiones Philoſphico-Theologicas edidit, diſtinctiones item Ethico-politicas; Commentarios in Geneſin, Matthæum Evangeliſtam, Acta Apoſtolorum, &c. Hofm. in Lex. A. 946.

Coronidis loco imponimus capiti huic *Ferdinandi II. literas* ad Legatum Romæ degentem, Jun. 5. an. 1635. *de pace Pragenſi* ſcriptas. „Pacem ipſam quod attinet, inquiunt literæ Imperatoris, jam antè „providemus facilè, quos illa ſermones hominibus datura ſit, ſal„tem Catholicis. Erunt malevoli, qui illam reprehendent; erunt „imperiti, quibus ea diſpliceat; Non deerunt qui per eam religio-

„ni

„ ni incommodatum, aut certè minus quàm pro voto commodatum,
„ ſint putaturi. Quorum primis difficile erit ſatis facere; ſecundis
„ ignoſcimus; tertios aut quartos ipſæ pacis tabulæ, ubi in publi-
„ cum edentur, ab hac opinione liberabunt. Quos proinde requiſi-
„ tos velimus, ut tantiſper de tota hac re judicium ſuſpendant ſuum,
„ ac interim ita firmiter de nobis exiſtiment, eam nos ſemper curam
„ religionis habuiſſe, quam & officium ſummi Imperii muneris exi-
„ git, zelusque & affectus noſter ac Domûs noſtræ nativus fert; tum
„ temporum quoque & rerum ratio voluit; nec ulli, quàm nobis,
„ magis dolitùrum eſſe, ſi culpâ aliqua noſtra, illa vel minimum de-
„ trimentum pateretur. Hanc opinionem de nobis ubi firmam ha-
„ buerint, tum illud facilè intelligent, quicquid id eſſe poſſit, quod
„ ipſi Religioni amplius commodatum vellent, illi non ab alia, quam
„ urgentiſſima neceſſitatis vi, ademptum fuiſſe. Quæ quidem ne-
„ ceſſitas qualis quantaque fuerit, non immeritò veremur, ut quiſ-
„ quam planè percipiat, aut exprimi ſibi patiatur, niſi vel ſpectator
„ præſens vel particeps malorum fuerit, quibus univerſam hanc tam
„ nobilem Germaniæ provinciam, continuum graviſſimumque ſe-
„ ptendecim annorum bellum, plus quàm miſerandum in modum
„ afflixit, ac tantùm non funditus evertit. At ſi quis tamen vel in
„ genere ſibi objecerit, quod bellum communiter calamitates comi-
„ tari ſoleant, ac tum perpenderit in hoc bello, quos ſtimulos ad
„ contentionem Religio tàm altè hominum animis infixa, vel ejus
„ opinio utrinque reddere potuerit, quamque hinc ſacrorum pro-
„ fanorumque olim permixtionem conſequi neceſſe fuerit, ubi
„ quod his ſanctum, illis execrabile, & contra, videri potuerit; in
„ quo æquè pars utraque ſibi non magis de his bonis ac fragili vita,
„ quàm ſalute ipſa æternâ, decertandum, adeoque extrema omnia
„ pro ea toleranda putavit: Is aſſequi aliquatenus poterit, quæ ad
„ bellum diutius in his regionibus continuandum media reliqua eſſe
„ potuerint? Idem deinde ſeriò ſi conſideraverit, quæ diſcrimina in-
„ terim ab adverſa parte religio noſtra, fortuna vices variante ſuas,
„ ſubierit, quanto tempore Catholicorum provinciæ in Acatholico-
„ rum manibus hæſerint, quæ ne nunc quidem omnes recuperatæ
„ ſunt; quàm etiam parùm auxilii ab aliis nobis ſuppeditatum ſit,
„ quorum in hac tuenda cauſa primæ eſſe debebant; tum è contra,
„ quæ etiam nunc ſint adverſæ partis vires, quibus eæ non tam Aca-
„ tholicorum, quàm Catholicorum, proh dolor! ſubſidiis nitantur;
„ de-

„demum & pericula extrema circumſpexerit, quæ invectis undi-„que gentibus, & quàm maximè hoſte vicino perpetuo, non noſtro „tantùm, ſed univerſi Chriſtiani nominis Reipublicæ timenda fue-„rint, ac ſint, &c. Mirabitur fortaſſe, non, quod pacem tandem „aliquando excitandam duxerimus, ſed, quod in ea pertractanda „lentius proceſſerimus. Hucusque Imperatoris literæ quæ t. t. ut ab ipſo ſcriptæ circumferebantur, allegante *D. Dorſcheo*, Argentinenſi Theologo, in prodromo Anticriſeos, ſeu Invectiva in vehiculum Judicii Theologici, Erneſti de Euſebiis, ſuper quæſtione, An pax, qualem deſiderant Proteſtantes, ſit ſecundum ſe illicita? pag. 81. 82.

LIB. IV. CAP. XXXVIII.

Summaria.

Calviniſtæ Liſſani, exulibus Guravienſibus Lutheranis moleſti.

Lutherani in Polonia, ad Conventionem Sendomirienſem non adſtricti.

Johannes Baſtwikius, de Eccleſiarum Anglicarum ſtatu ſub Epiſcoporum dominatu.

Fato fungitur Johannes ſecundus, Dux Bipontinus.

Liſſæ, in Sileſia Polonica, *Guravienſes Confeſſioni Auguſtanæ addicti Exules*, qui anno 1628. à Papicolis expulſi patriâ, eò conceſſerant, & hactenus Veyvvodæ Belskii gratiâ, libero Religionis exercitio gaviſi erant, in domo quidem conductitia primùm, deinde in ſpacioſiori quodam horreo; ab antiquis loci habitatoribus *Calvinianis* inurgentur, ad ſeponendas manicatas longiores tunicas, Myſtis Lutheranis in ſacris peragendis atque deducendis funeribus conſvetas, removendas itidem in uſu S. Cœnæ candelas ardentes, omittendum in adminiſtratione Baptiſmi Exorciſmum Evangelicum, & quæ ſunt ejusmodi alia: quin imò jubentur, ad unam communem ſcholam juventutem ſuam deinceps mittere, & unum cum adverſa parte ſynedrium, vel presbyterium atque Senatum Eccleſiaſticum formare & frequentare, &c. Scilicet ut plana eſſet via, vel ad extorquendum ſyncretiſmum, vel ad Evangelicæ doctrinæ & Eccleſiæ funus inibi parandum. Cœtus Lutheranorum Liſſanus, ut cautius ageret, ac inprimis illæſam ſervaret Conſcientiam, rem omnem Wittebergam perſcripſit, & ſuper tanto negotio fidele conſilium requiſivit, quod etiam communicatum, legi poteſt in Conſil. Wittenb. part. I. pag. 496. ſeq.

Iſthoc

Iſthoc autem exemplo, & moderna conditione novorum *Leſnenſium* ſub inclyto Belſnenſi Palatino, patet: Auguſtanæ Confeſſionis invariatæ ac verè ſic dictæ Aſſeclas, in Polonia, cum iis, qui Bohemicam, aut Helveticam Confeſſionem amplectuntur, ad eoque Calviniani ſunt, in cauſa Religionis nihil commercii habere, nec ad *conventionem* illam anno 1570. *Sendomiriæ* factam, aſtringi velle, conſequenter à verò non parum deflectere *Sarisburienſem*, Durzo perſcribentem: *Conſenſum Sendomirienſem* (inter Eccleſias Polonicas Auguſtanæ, Boëmicæ ac Helveticæ Confeſſionis initum) *hactenus religioſè obſervari*; quòd probè annotavit Joh. Hülſemannus in Calviniſmo irreconciliabili, pag. 247. Cætera quid habendum de iſto à Calviniſequis toties & ad nauſeam uſque jactato Syncretiſmo? id plus ſatis docuere J. G. Sigwartus in Admonitione Chriſtiana de Irenico Davidis Parei, p. m. 241. ſeqq. & Leonhardus Hutterus in Irenico verè Chriſtiano, pag. 41. pl.

Triſtem & confuſum *Eccleſiarum Angliæ ſtatum, ſub inſolenti Epiſcoporum Papiſſantium dominatu*, *Johannes Baſtvvikius*, in praxi Epiſcoporum, ſive Apologetico ad Præſules Anglicanos, his expreſſit verbis: „Conſcientiam veſtram appello, Præſules, quot diviniſſi„morum hominum voces juſſu veſtro exſtinctæ obmutuerint? ſcio, „quid prætendatis facinori, nempe, Turbulentos, factioſos, refra„ctarios ab Eccleſia remotos fuiſſe; vetus prætextus. At eorum „plurimi Eccleſiæ regimen ne verbo quidem læſerant; omnem pom„pam Ceremoniarum ſuis in Eccleſiis paſſi ſunt; Miniſterium ritè „ſuſceptum obierunt decorè; vitam egerunt labe ac dedecore va„cuam, & ipſis etiam hoſtibus probandam: Sed id ad perniciem „valuit, quod in propria perſona ritibus nonnullis defungi, Con„ſcientiæ imbecillitate prohiberentur. Hinc iræ, minæ, carcer, exi„lium, velut in piaculares victimas intentata fuere. Hinc latitanti„bus vel profugis tralatitiam humanitatem exhibere, fraudi multis „fuit, omnibus vetitum. Nolite Ceremoniarum neglectarum ob„tentu culpam prætexere; probos, pios, & iiſdem propemodum, „quibus Apoſtoli, mandatis inſtructos Paſtores, ejicitis. Neque „ſtetit furioſa hæc pœna intra numerum eorum, quos Eccleſiæ re„gimini infeſtos fingitis; ſed pervagata fuit in capita omnium eo„rum, quos concionandi diligentes nimium & ſedulos putabatis. „Hinc uno ferè ictu exciſi omnes, qui extra ordinem in parochiis „Prædicandi munus, nomine *Lectorum*, ſequebantur. Hoc enim

„ inter vos ſæpè dictitatum accepimus, *Nimia verbi prædicati ubertate* „ *laſcivire homines*, amputandam concionum & concionantium lu„ xuriam: dictum, factum. Ceciderunt paſſim laudati viri, cadent„ que plures. Tranſeo articulos novos, Aucupium novum, quibus „ boni viri irretiuntur. Vocat me liber ille Legifragus, expugnator „ quarti (potius tertii) præcepti, impunitate nos pelliciens in cri„ men, à quo nullis ſatis pœnis nos Deus deterruit. Proh dolor! quan„ ti ſtetit Eccleſiæ, tot fideliſſimis Paſtoribus orbatæ, ob hanc ſolam „ culpam, quod commodare vocem propalando flagitio vererentur? „ Scio, vos reſponſuros, jubere Regem, ut editus ab ipſo liber (Li„ turgicus) ore Miniſtri prælegatur populo. Videmus in libri fronte „ regium nomen; ſed latére fraudem Epiſcopalem non minus ſuſpi„ camur. Pietas & juſtitia Regis, nos vetant credere de illo, quod „ virtutibus hiſce contrarium eſt. Procuſum hoc indictumque ab „ Epiſcopis commentum, ut exterminatæ pietati victrix illuderet „ profanorum hominum caterva, ſimulque introſpecta voluntate fi„ delium Paſtorum, qui beneficium poſt pietatem habent, veteri„ bus ac bonis expulſis, locus pateſieret novis pravisque, queis omnia „ cum pretio honeſta ſunt. Quid enim, ſi hoc non eſt, Evangelio „ Spiritum intercludere? Jam verò cùm bipedi indocto, caudici ſe„ ticato, vix callenti literas, duo, ſæpè tria forte plura beneficia ve„ lut fortunæ quædam miſſilia adjiciuntur, nihilne detrimenti Evan„ gelium accipit? At Bone Deus! quos ille Curiones in parva bene„ ficia, velut Proprætores in provincias, mittit, quàm ſibi ſimiles, „ quàm pares? Non ovum ab ovo indiſcretius. Sic in populis igno„ rantia nutritur; ſic ſtupor alitur; ſic in herba Evangelium ſuffoca„ tur. DEI mandatum eſt, ut diem ſeptimum negotiis noſtris ſub„ ductum, cultui ſuo & venerationi dedicemus; At juſſu veſtro dies „ inter Deum hominesque diviſus, magna ſui parte in uſus profa„ nos, cantus, tripudia, luctus diſpertitur. Ita proculcato Divino „ præcepto, obſequium mandatis veſtris per pœnas exigitis, pulſis „ ſede ſua Miniſtris, quos Dei, Conſcientiæ, Eccleſiæ diverſum ſta„ tuentis reverentia, à prælegendo libro retrahebat. Hactenus verba *Baſtwikii*, ſecundum allegationem G. Hornii, hiſtor. Eccl. pag. 402. ſeqq.

Sub hæc mortalitatis viam calcavit *Johannes Junior*, ſeu ſecundus, *Dux Bipontinus*, qui Calviniſmum à Parente introductum, ſtabilivit. Ac poſtea Electoratûs adminiſtrationem, ut Curator Friderici

derici quinti, ſuſcepit, quam & Neoburgici aſſerebant ſibi; Ea autem occaſione graviſſimis debitis oneratæ Provinciæ. *Unioni* cùm nomen dederit inter prima capita, eandem cum reliquis fortunam expertus eſt. Contra ipſum anno 1628. pro Trevirenſi Electore mandatum Cæſareum publicatum, quo *Abbatiâ Hornbachianâ* cedere juſſus. Ex Luiſa Juliana Palatina filium ſuſcepit, *Fridericum*, Succeſſorem in Ducatûs regimine; ſed qui deinceps cum vita, Lineam terminavit. Imhof. Notit. Procer. 381. Spener. Genealog. 87. pag.

LIB. IV. CAP. XXXIX.

Summaria.

Puritani, diſtingui incipiunt in Veteres ac Novos.
Independentiſmi incrementa in Nova Anglia.
Hutchinſoniæ ac Dieriæ, monſtroſè inſanientium fœminarum, partus monſtroſi.
Errorum Cottonianorum infauſta fœcunditas.

TUnc temporis in Anglia *Puritani* cœperunt in *Veteres* ac *Novos* diſtingi. Nam, cùm *Veteres* alii eſſent *Conformiſtæ*, qui ſe filios Eccleſiæ Anglicanæ profitebantur, atque ceremonias antiquas, ex Papatu reſiduas, utcunque inviti, tolerabant; Alii *non-Conformiſtæ*, ſe à ceremoniis quibusdam, ſed non omnes ab iisdem, ſeparantes. *Novi* ab utriſque in eo diſcrepabant, quod neutiquam ullas ejusmodi ceremonias bonâ conſcientiâ tolerari poſſe exiſtimabant. Atque hi non tantùm Epiſcopis, ſed etiam cæteris piis fratribus, ut Hornius loquitur, in eo adverſabantur, & magnam partem in Belgium, novamque Angliam concedebant. Horn. E. pag. 420. ſeq. Schwartz gebr. præf. penult.

Eadem tempeſtate in nova Anglia (quæ pars eſt Americæ) nuper natus *Independentiſmus*, non parva ſumpſit, per *Johannem Cottonum*, incrementa, de cujus origine & progreſſu ſic ſe res habet. Pars Eccleſiæ *Robinſonianæ*, anno 1630. Leydâ Plymmutham NovAnglicam demigraverat, primum ibi cœtum eorum, qui vocantur Independentes, erigens. Quinquennio poſt, *Cottonus* & alii *non Conformiſtæ* ex veteri Anglia, metu intolerabilis Epiſcoporum tyrannidis profugi, eodem devenerunt, ſtatimq; in viam Robinſonianam, quæ tunc placebat exulibus, conſenſerunt, incidentes in Scyllam, dum Charybdin fugere volebant. *Epiſcoporum* horror ac terror infinitus erat; proin quo longius ab illis diſtabat aliquid, eò gratius erat. Epi-

ſcopi omnia ſibi, Eccleſiæ nihil concedebant: Exules igitur, ex adverſo in aliud extremum prolapſi, omnia Eccleſiæ (particulari cuivis) & plebi absque vinculo aliarum Eccleſiarum, vendicabant. Et quanquam Cottonus antehac *Separatiſtis* adverſaretur; Separatiſmi tamen jam nunc fautorem ac promotorem egit ſtrenuum, & ea dogmata ſingulari facundia dexteritateque interpolavit. Quapropter, ſicut *Robinſonus* prima Independentiſmi fundamenta jecit; ita *Cottonus* eundem, adhibita ultima manu, abſolvit, miſſisq; in Britanniam literis, mox novam Eccleſiæ formam deprædicare cœpit; *Thomas* autem *Goodwinus*, vir è multis eruditione clarus, novum Doctorem amplexus, admiratione Cottoni, ſecum plures in Virginiam traxit. Hornb. S. C. pag. m 777. & Horn. E. H. 400. 421. ſeq.

Quas autem ibi locorum turbas dederit mulier quædam *Hutchinſonia*, commemorare prolixum eſſet, & à propoſito noſtro ferè alienum. Aliquot ejus *errores* infra tangemus breviter; hic ſilentio non involvendum, quod in Myſterio Syncretiſmi detecti & proſcripti D. Dannhauerus habet: Memorabilis eſt, inquiens, in Independentiſmi fanatici hiſtoria, relatio de Hutchinſonia. Summa novæ „Religionis hæc Sacerdos atque Dux hæreticorum, *uno tempore triginta monſtroſos partus enixa eſt*, quot propemodum opiniones monſtroſas fovebat; majores quidam, alii minores erant, nulli humanam formam referebant. Alia fœmina Hutchinſoniæ ſocia, nomine *Dier*, partum fœminei ſexûs monſtroſiſſimum edidit; carebat enim capite, facies in pectore erat, aures ex humeris, oculi & os latè prominebant, naſus ſpectabat ſurſum, pectus ac tergum acutis plena ſtimulis; umbilicus, venter & natura in dorſo; pro digitis pedum tres ungues avium; in dorſo ſupra ventrem duo magna foramina hiabant, & ex quovis carnea maſſa prominebat; ſupra oculos, loco frontis, quatuor acuta duraque cornua, &c. Nihil tamen his moti hæretici, ſed monſtrorum cauſam in Eccleſiam, quam pro ſuis hoſtibus habebant, conjecerunt: *hæc propter vos*, dicentes, *Legaliſtæ, fiunt*. Dannhauer. cit. loc. pag. 114. Leidek. in notis ad H. E. Horn period. 3. art. 3. pag. 421.

Nec *innovandi libido* nominati *Cottoni* (qui Hutchinſoniam ſecum habuit, quemadmodum olim Montanus Maximiliam ſuam) intra Separatiſmum & Independentiſmum ſtetit ſimpliciter; Sed mox etiam ad Arminianiſmum, Antinomiſmum, Libertiniſmum, Fanaticiſmum, is idem flectere animum cœpit: Unde & plurimo-

rum errorum hæreſiumque reus, & intolerabilis ataxias quaquaverſum promotor extitiſſe dicitur, apud Hornbek. lib. 10. S. C. de Brun. pag. 177. Schwarmgeiſterbr. præfat. b. ult.

LIB. IV. CAP. XL.

Summaria.

Pacificationis Pragenſis juſtitia in controverſiam, coram foro Conſcientiæ incurrit, & à Gerhardo propugnatur.

De Unione Lutheranorum & Calvinianorum Eccleſiaſtica, per Duræum operosè quæſita, Theologorum Saxonicorum judicium.

Chriſtophorus Beſoldus Motiva, quibus inductus defecerit, exhibet.

Injuria Thummio facta, in editione Theſauri Beſoldiani ſecunda, tertiaque.

Inſtructio Jeſuitarum ſecreta vulgatur.

Prodit etiam Gregorii Protoſyncelli Synopſis, dogmatum Eccleſiæ Græcæ.

INter quæſtiones vexatas hujus temporis, non immeritò numeratum Zetema *de Pacificatione Pragenſi*, ab Imperii Septemviro Saxonico inita cum Cæſare. Prolata in utramq; partem, probantium eam, & improbantium; *Gerhardus* recenſet ſequentibus penè verbis: „ Non „ deſunt ſanè, qui ſibi perſuaſerunt, ac idipſum perſuadere aliis co„ gitant; Pragenſem pacificationem non poſſe abſque conſcientiæ „ vulnere à quoquam I. R. Statu A. C. ſincerè addicto acceptari; „ quam theſin variis argumentorum generibus ſtatuminare conan„ tur, inter quæ familiam ducit; quod Evangelici in Regno Boëmiæ, „ in Archiducatu Auſtriæ, & Marchionatu Moraviæ, à libero veræ „ religionis exercitio per hanc Pacificationem excludantur. Exiſti„ mant E. bellum ſemel cœptum tamdiu continuandum fuiſſe, do„ nec etiam illis, utpote fidei noſtræ L. ſociis hæc ſacrorum libertas „ impetrata. *Sed* non videntur illi infinita belli incommoda ex par„ te una, pacis verò ex altera parte commoda, ſatis dignè ſecum ex„ pendere (ſequitur dein pacis ac belli uberior deſcriptio.) *Regerunt* „ autem, ajuntque Pragenſi Pacificationi contradicentes, illam eſſe „ minus Chriſtianam; ac illæſa ideò Conſcientia minimè approbari „ poſſe. Immotum, inquiunt, eſt DEI præceptum, quod proximum „ diligere, ſicut nos ipſos, debeamus. Jam dilectioni proximo de„ bitæ, extremè adverſatur, ſocium Confeſſionis deſerere, ac per„ mittere, ut tot myriades animarum in Bohemia, Auſtria, Mora-

„ via, ſalutari cœleſtis doctrinæ pabulo priventur, ſuperſtitionibus „ & idolomaniis Pontificiis, ex quibus eluctati fuere, denuò immer- „ gantur, atque ſic in præſentiſſimum æterni exitii periculum præ- „ cipitentur. Jubemur, dicunt, lege Charitatis, animas pro fratri- „ bus ponere; Jubemur E. bellum pro religionis libertate cœptum „ tam diu continuare, donec non ſolùm nobis, ſed etiam Confeſſio- „ nis noſtræ ſociis liberum Religionis exercitium impetretur. Præ- „ clara omninò ſanguinis profuſio cenſenda, per quam ſalus animæ „ vel noſtræ vel proximi promovetur. Omnes unius veræ fidei glu- „ tine juncti, ſumus unius corporis myſtici membra; æquum igi- „ tur, ut membrum unum, alterius afflictionem ſtatuat ſuam, & qui- „ bus poteſt viribus, eandem ab ipſo amoliatur; quod niſi fecerit, „ veri ac vivi membri loco haberi non poterit, &c. *Verùm* pars ad- „ verſa hoc modo progreditur, quantum ad rei ſummam: Non quæ- „ ri, qualis pax optanda, quæque Pacis conditiones A. C. ſociis pro- „ ficuæ excogitari poſſint? Sed an Pragenſis Pacificatio cum omni- „ bus, quibus modificata & reſtricta eſt, conditionibus, acceptanda „ potius, an verò ſanguinolentum bellum continuandum? Seque „ prius firmiter ſtatuere, quia Majores Evangelici, licet ſuperiori „ ſeculo fidei ſociis in Boëmia, A. & M. liberum religionis exercitium „ impetrare ſuis precibus & interceſſionibus non potuerint, nihilo „ tamen minus extincto civili bello, Pacificationem Paſſavienſem „ inierint; quorum veſtigia Saxo, cum aſſeclis, per Pacificationem „ qualemcunque honeſtam, premere maluerit, quàm per longiorem „ belli continuationem Chriſtiani ſanguinis rivos effundere. Præ- „ ſertim, quia Principes & Status Evangelici, per Lipſienſis Con- „ ventûs receſſum, ad hoc ſaltem ſe obſtrinxerint, quod velint liber- „ tatem ſuam ſanguine Majorum partam, & religioſam ac profa- „ nam pacem, ſartam tectam in Imperio conſervare; Eum ergò fi- „ nem cùm per tranſactionem Pragenſem conſequantur, hanc illos „ meritò grata mente amplecti debere. Idque magis, quia fortuna „ belli ſemper in ancipiti, & ejus Eventus maximè incertus ac du- „ bius; Nec probatum ac demonſtratum ſit hactenus, Imperii Stati- „ bus in Imperatorem competere poteſtatem autoritatemque, ut „ bello ipſum oppugnare poſſint, ſi ſubditis in regnis ac ditionibus „ ſuis hæreditariis liberum religionis exercitium concedere renuat; „ Reminiſci debere Status Imperii, quod in omnibus Comitiis huc- „ usque urſerint, vi religioſæ Pacificationis Paſſavienſis, diſpoſitio-

„ nem

„ nem circa Religionem illius eſſe, cujus eſt Regio, eandemque re-
„ gulam urgere Imperatorem, & Sacrorum Ordinationem ſibi ven-
„ dicare; per literas Majeſtatis, quas ita vocant; Boëmis equidem
„ Religionis libertatem promiſſam, quam verò ſuperati bello amiſe-
„ rint, &c. *Denique* addit J. G. quamvis viâ armorum libertatem re-
„ ligionis B. A. M. impetrare, Evangelicis R. I. Statibus integrum
„ non ſit, ſupereſſe tamen alia media, quibus & poſſint & debeant
„ illis, amore commiſerationeque digniſſimis fidei ſociis, ſubvenire,
„ Deum inprimis, qui corda Magnatum in ſua manu habeat, eadem-
„ que poſſit, quò vult inclinare, ſeriis gemitibus invocandum, ut
„ Majeſtatem Cæſ. ad moderationem & Evangelii amorem flectere
„ velit; deinde apud M. C. inſtandum continuis interceſſionibus &
„ interpellationibus, ut tot ſuſpiria, deſideria, gemitus, lacrymas
„ miſerè preſſorum ſubditorum clementiſſimè exaudiat, & liberum
„ Religionis Evangelicæ exercitium ipſis benigniſſimè reſtituat, ne
„ quod ſibi ſoli Deus reſervavit, in hominum conſcientias & animas
„ dominium, Cæſar humanæ poteſtati arrogare velle videatur. Vi-
„ vere adhuc, & vigilare pro Eccleſia ſua cuſtodem Iſraëlis. Qui Ma-
„ ximilianum, qui Rudolphum, Cæſares nunquam ſatis laudandos,
„ impulerit, ut ſubditis Evangelicæ Religionis exercitium concede-
„ rent; Eundem, alium Rudolphum, alium Maximilianum excitare
„ poſſe, qui in libertatem priorem eos reſtituat; Imò poſſe DEUM
„ Eccleſiam ſuam in illis etiam locis potenter conſervare & propa-
„ gare, in quibus veræ Religioni liberum atque publicum exercitium
„ non conceditur, &c. Vide Gerh. homil. ſacr. dedic. part. 3. ad An-
tonium Wolfium pl.

De noviter quæſita *Calvinianorum cum Lutheranis pace ac Unione Eccleſiaſtica*, cujus procum agebat indefeſſum *Johannes Duræus* Scoto-Britannus, *Theologi Saxonici*, Dreſdenſes puta, Lipſienſes, Wittenbergenſes & Jenenſes, tale *judicium* tulere: „ Qui non eſt cum Chri-
„ ſto ac veris ejuſdem diſcipulis, contra eosdem eſt; qui cum illis
„ non colligit, diſpergit; tantùm abeſt, ut inter utrosque Concor-
„ dia & unio intercedat vel intercedere poſſit. Quoniam E. Calvi-
„ niani cum CHRISTO, atque genuinis ejuſdem diſcipulis, in
„ multis Evangelicæ doctrinæ capitibus non conſentiunt colligunt-
„ que, manifeſtum eſt, eoſdem ex adverſo ſtare, contrarios eſſe ac
„ diſpergere; pro amicis & fratribus illorum veris ac infucatis nun-
„ quam agnoſcendos. Hiſce paulò prolixius diductis, nominati

Theo-

Theologi tandem in ipſius *Johannis Davenantii*, Sarisburienſis Epiſcopi, verba deſinunt: „ Quanquam optanda ſit in omnibus „ controverſiis plena & perfecta Theologorum (utriusque partis) „ concordia, tamen ut tot capita in unam ſententiam conſpirent, „ vix quidem ſperari poſſe, nedum uno ſeculo effici. Wittenb. gr. „ Bew. Calvinianos in fundamento fidei errare, contra Rintel. ſyncretiſt. append. pag. 534. ſeq. & 555.

Tunc etiam *Chriſtophorus Beſoldus*, primùm in Academia Tubingenſi, deinde Ingolſtadienſi profeſſor Jurium haud incelebris, defectionem ſuam ad Papiſmum, libello *Motivorum* incruſtavit; qui licet nil grandioris momenti, cur maledicendo nobis valedixerit, attuliſſe videatur, maximum tamen infirmis Eccleſiæ noſtræ domeſticis ſcandalum dedit, non ſine ſequacium periculo, quorum nonnulli veſtigia ejus preſſerunt. Illa verò Motiva *D. Tobias Wagnerus*, t. t. Evangelici Miniſterii Eſslingenſis Senior, virgulâ cenſoriâ perſtrinxit, facto libri titulo: Evangeliſche Cenſur und gründliche Widerlegung/ der vermeynten erheblichen Motiven, warum D. Chriſtoph Beſold, &c. Ubi vide, & confer *ſeptena ſpecimina Stellionatuum Jeſ. Wagnerek. in Anti-Dorſcheo præſtita*, & à Wagnero remonſtrata, pag. 7.

Intercalariter notari velimus, *D. Theodoro Thummio injuriam fieri manifeſtam*, ab Editore *ſecundæ editionis Theſauri Beſoldiano-practici*, quem etiam *tertia* ſequitur, quando ſcribit voce Hexen: *Theodorus Thummius eſt Wierianus, quæ ſpecies hæreſis & Atheiſmi.* Sed nimirum id pluribus locis accidit Beſoldi Theſauro, ut, qui ſecundam editionem curavit, plurima Eccleſiæ noſtræ & Reipublicæ adverſa paſſim adjecerit, ſublatis illis, quæ prima editione vera ſcripſerat Beſoldus, quod pluribus quam quinquaginta locis oſtendi poſſet, nec animadverſum ab editoribus tertii exemplaris, incautè ubivis editioni ſecundæ, neglecta primâ, inſiſtentibus. Ex diſſertat. Inaugur. Chriſt. Daur. præſide Mauritio, de Sagarum Denunciatione, pag. 25.

Cùm Superioribus annis Chriſtianus, Dux Brunovicenſis, & Epiſcopus Halberſtadienſis, Paderbornæ *Lojolitarum* Collegium diripuiſſet, Bibliothecam eorundem cum ſcriniis literariis dono dedit Patribus Capucinis, qui in ciſta *Rectoris ſecretam inſtructionem* invenerunt, ad Aulicismum, ſecularitatem, hypocriſin & fraudulentiam exercendam unicè directam; quod ipſum antehac in Jeſuitarum

rum Collegio Pragenſi contigiſſe, homines fide haud indigni referunt. . Secreta inſtitutio illa, publico Bono vulgata cum appendicibus utiliſſimis anno 1635. D. Joh. Gerh. Confeſſ. Cathol. part. General. 908. Hottinger hiſtor. Eccleſ. part. 5. 498. pag. Summa capita communicabimus v. Θ. Anno 1657. quo recuſa.

Prodiit etiam hoc anno, Venetiis impreſſa, *Gregorii Protoſyncelli* (Græcanici Scriptoris) *dogmatum Eccleſiæ Synopſis* (Τῶν θείων καὶ ἱερῶν τῆς Ἐκκλησίας δογμάτων Σύνοψις) ad quam audacter provocare ſolent Pontificii, quando ratione *Transſubſtantiationis* in S. Cœna gloriantur de Græcorum cum Romanis conſenſu. Benè, an malè id fiat à Papicolis, potiſſimum vi vocis *Metuſioſis*? judicet B. L. ex iis; quæ multis pòſt annis diſputata, inter Smithium Anglum Oxonienſem, & Simonium Gallum Pariſienſem, leguntur in Act. Erud. Lipſ. de an. 1684. pag. 490. & ſupplem. Tom. pr. ſect. 2. 75. ſeqq. Sed non confundenda eſt ſynopſis Gregorii, cum Synopſi Neophyti, de qua vide ſupra, libr. oper. 3. cap. 61.

LIB. IV. CAP. XLI.

Summaria.

Pacificationis Pragenſis occaſio & ſucceſſus.

Philippiburgum, Gallis à Bambergio ereptum:

A Luxenburgenſi præſidio Hiſpanico capta Treviris, indeque abductus Elector.

Hollandi, maximo rerum ſuarum detrimento, caſtrum Schenkianum amittunt.

Vinarienſis, vires exercitus recipit.

Gallus Cæſari & Hiſpano palam bellum denunciat.

Lotharingus, Provinciam ſuam ingreſſus, multorum expectationem fallit.

Rava Perſarum à Turcis capta, & ab illis recuperata, intercedente memorabili prælio.

Nova Batavia, à Barbaris vano iterum conatu tentata.

Comites Iſenburgici, quo anguſtiarum redacti.

Maximiliani Bavari nuptiæ, cum Imperatoris filia Maria Anna.

Mors Julii Friderici, Principis Wirtembergici.

Item, Georgii Friderici Comitis Hoenloici (cujus deceſſus, clandeſtino errorum Calvinianorum in ditionem Schillingsfürſtenſem ingreſſui viam aperuit)

Nec minus tunc EGO Fürſtenbergius, Comes Heiligenbergenſis, obiit.

POſt Nördlingenſem victoriam, ubique *res Ligiſtarum* reſpirare, nec ſolum æquare Proteſtantium Imperii, & Svecorum fortu-

 nam

nam, ſed multum ſuperare videbantur. Hinc factum, ut *Saxo ad pacis conditiones animum applicaret*; quæ licet, Pragæ inita, non ab omnibus Evangelicis æque probaretur, à Brandenburgico tamen & aliis Principibus nonnullis acceptata eſt, moxque Imperiales Urbes, Noribergam, Ulmam, Francofurtum, &c. ad obſequium Cæſaris reduxit. Epitome R. G. 187. Tſchimmern lib. 3. de 4. Monarch. 418.

Philippiburgum, quod à Svecis Galli auro cöemerant, *Bambergius* per aditum occultum ſibique ſoli cognitum, immiſſis nocte militibus, incredibili felicitate *intercepit*, ingentibus præter Urbem, in quam ut deſtinatam Germanici belli ſedem eas Galli depoſuerant, opibus properè potitus. Similiter ab *Hiſpanico* Luxenburgi præſidio, capta nocturno aſtu *Treviris*; Cæſi Franci, quos ad Urbis defenſionem Princeps *Elector Philippus Chriſtophorus* induxerat; ipſe verò, quod in partes Galliæ Regis tranſiiſſet, Bruxellas primùm, Viennam dein ad Imperatorem tractus eſt. Epit. cit. 181. Turſell. app. 2. 60.

Hollandos repentina *Schenkiani propugnaculi amiſſio* acrius perculit. Id Geldrienſes præſidiarii intempeſta nocte ſuperato ſcaphis Rheno interceperant, præcluſerantque hoc veluti divortio Veſaliam, & alia Cliviæ oppida, à Neomago & reliqua Hollandia. Quæ res Fœderatos adegit Status, ut omiſſis aliis occaſionibus benè gerendi ſua, multum temporis recuperando huic loco impenderent. Hofm. Lex. A. 196. Turſ. app. hiſt. 2. pag. 59.

Vinmarienſis, ex conglobatis victarum partium reliquiis, & Gallicis auxiliis, in juſti exercitûs nomen refectis viribus, Cæſareanis rurſus negotium faceſſere occipit. Ipſeque *Galliæ Rex Ludovicus XIII.* qui hactenus aperto bello abſtinuerat, firmato fœdere cùm Svecis, *arma palàm Cæſari atque Hiſpano indicit*, ac inferre parat; præter alia cauſatus, Innoxium Trevirenſem, Gallico patrocinio, more Majorum innitentem, licet repetitum aliquoties, in captivitate detineri. Boxhorn. Chronol. 160. Burgold. A. 131. pag.

Tum *Lotharingus* Rheno ſuperato, *in provinciæ ſuæ fines transgreſſus*, magnum illic & in Galliis ipſis adventu ſuo rerum facturus motum credebatur, ingenti Cæſareanorum fiducia, ſed fruſtranea; quippe vana circumferens arma, nullo momento provinciarum hoſtilium aditibus tentandis irritus ingloriusque inhæſit, multis millibus militum ferro fameque amiſſis. Nec meliorem fortunam experti

perti ſunt *Gallaſſius & Granaus*, cum formidabili Cæſaris exercitu Galliam impetentes. Epit. R. G. pag. 182. 190. & Calviſ. 1012.

Hoc ipſo anno *Rava* Perſarum à Turcis deditione fuit *capta*, deditionem ſequuto *prælio*, in quo nonaginta millia Turcarum, Perſarum autem viginti millia cecidiſſe dicuntur, etiam *Ravà* mox à Perſis *recuperata*. D. Wagn. limen Geneal. 358. Türcken-Büchl. 105.

A Barbaris Indiæ, denuò cincta t. t. *Nova Batavia* Hollandorum *obſidione* memorabili, ſed quæ fruſtrata obſidentium labores ac impenſas omnes. Eſt illa *Batavia*, olim *Jaçatra*, Urbs Aſiæ in Java, omnium Belgicarum in Orientali India Metropolis, permunita, & emporium celebre, cum caſtro validoque præſidio; ſedes Indicæ Societatis Hollandicæ præfecti Generalis. Horn. O. P. pag. 449. 557. Neuhof Sineſ Reyſs-Beſchr. 33. 35. pl.

Dum iſthæc intra & extra Europæum orbem agebantur, ex occaſione motuum bellicorum, *Comites Iſenburgici*, cùm criminis læſæ Majeſtatis & fractæ pacis poſtulati ac damnati eſſent, integro Comitatu exciderunt, cum omnibus regalibus ac juribus; eumque dein Ferdinandus II. Imperator *Georgio 2. Haſſiæ Landgravio Darmſtadienſi* donavit, & per Inveſtituram contulit: Unde Comites, qui ea tempeſtate maximam partem erant minorennes, omnibus fortunis exuti eò anguſtiarum redigebantur, ut quocunque modo cum Landgravio tranſigere neceſſum haberent. Imhof. Not. procer. 547. 980.

Maximilianus Bavariæ Dux & Elector, accepta in Matrimonium *Maria Anna* natu majore Cæſaris filiâ, ſtrepentibus per Germaniam armis nuptialem lætitiam interpoſuit. Eſtque non nemo, qui putat, ſequiorem affectum & odium ſeu veterem invidiam & æmulationem Bavaricæ Domûs, erga Domum Auſtriacam, per Conjugium hoc tandem conſopitas eſſe. Videatur Burgold. Notit. rer. Imp. part. pr. 428. ſeq. ed. in 4. A.

Inter vivos inferioris hemiſphærii t. t. eſſe deſiit *Julius Fridericus, Wirtembergiæ Dux*, familiæque Brentianæ Sator. Inſigni oris gratia Princeps, poſt literas Tubingæ excultas, ad longinquas peregrinationes animum applicuit. Anno 1613. ex Melita Inſula in Aſiam trajecit, & expugnationi Epheſinæ interfuit. Inde ultimum Septentrionem, Botniam & Lapponiam luſtravit. Poſtea in tractatu fraterno quædam ad Brentiam nactus eſt. *Ludovico Friderico* vivis exempto, Tutelam & Adminiſtrationem Ducatûs ſuſcepit. Lipſienſi

Fœderi quùm dediſſet nomen, à Cæſareis bello petitus; cumq; promiſſa aliorum Circuli Ordinum auxilia emanerent, ipſe verò viris belli peritis deſtitueretur, non multo negotio arma per Fürſtenbergium deſerere coactus eſt. Inde tamen anno 1633. delectus Provinciales Vinarienſi ac Horniano exercitui conjungens (qui anno ſequente prælio Nördlingenſi magnam paſſi cladem) totum Ducatum furori hoſtium ſubjecit. Ipſe paulò poſt Argentinæ fatis conceſſit in exilio, multa ex Anna Sabina Holſata prole relicta. Spener in Syllog. Geneal. 193. pag.

Diem quoque ſupremum obiit *Georgius Fridericus Junior, Comes Hoënloicus* in Schillingsfürſt & Bartenſtein, poſtquam ex Dorothea Sophia Solmenſi, quæ anno demum 1660. fatis conceſſit, ſedecim liberos, filias nempe ſex, ac filios decem, ſuſtuliſſet. Ab ejus exceſſu, *in iſto Comitatûs Hoënloici tractu, Status Religionis Evangelicæ*, verè ita dictæ, non parum periculi, impedimenti, ac damni ſubiit & accepit; quippe vidua, Calvinianis addicta, Calvinianos errores clanculum introducere nunquam non ſeriò ſtuduit. Notit. Procer. Imhof. 1335. & Exper.

Sub idem tempus, naturæ modum explevit *EGO Fürſtembergius*, Comes Heiligenbergenſis, Dynaſtæ Weitræ, Jungenaviæ, Trochtelfingii, multa & felici ſobole inclutus, quam ex Anna Maria Hohenzolleriana procreavit. Inter ſex ejus filios eminuere deinceps, Ferdinandus Fridericus Ego, Cubicularius & Conſiliarius Cæſaris; Franciſcus Ego, Canonicus Colonienſis & ultimùm Epiſcopus Argentinenſis; Hermannus Ego, ſupremus Aulæ Bavaricæ Magiſter, Principali axiomate decoratus. Notit. Procer. 843. ſeqq.

LIB. IV. CAP. XLII.

Summaria.

Culter deglutitus, è ventriculo feliciter extractus.
Puella nata cum galero in capite.
Ungula ſuilla ex apoſtemate producta.
Matrimonia Ruſſorum præcocia.
Cultus arborum apud Livonos.
Fames ac peſtis in Germaniam ſæviunt.
Petrus Scholirius, Scriptor Satyricus; Et Anglus N. vigore longævo notabilis, vitæ mortalis periodum abſolvunt.

MEmoratu non indigna, quæ ſequuntur, varia. *Grünewaldiæ*, ſeptem à Regiomonte milliaribus, *Andreas Grünheyd*, juvenis an-

annorum viginti duorum, die 29. Maji nauſeam ante meridiem excuſſurus, *cultrum* ultra decem digitos longum gulæ immiſit, ſummisque digitis elabi paſſus eſt, quem deinde hærentem, nec in caput erecto relabentem, cereviſiâ promovit: Medici Regiomontani die Julii nono hominem aggreſſi, cutem & carnes, ipſum denique ſtomachum aperuerunt, eductoque cultro, ſaucium ſanitati reſtituerunt, qui & matrimonium poſtea iniit, ac liberos generavit. Zeil. Epiſt. tom. 2. 1058. Calviſ. Chron. 1012.

In *Laſtadie* ſeu ſuburbio *Stetinenſi*, uxor militis cujusdam Præſidiarii, *filiolam peperit cum galero in capite* ſeu comâ appoſititia, deſuper ea propendente plagulâ carnea, inſtar plagularum è ſerico, quibus luxurioſæ fœminæ tunc ſuperbire ſolebant. Ibidem calefactori Cancellariæ *ex Apoſtemate dirupto*, eminebat *ungula ſuilla*, quam etiam chirurgus applicatis inſtrumentis, integram extraxit. Zeiler. epiſt. part. 2. 284.

In *WiſnaWalloka*, Ruſſiæ pago, t. t. peregrinanti Oleario & ejus aliquot comitibus, menſe Martio ſub conſpectum venit *puer duodecim annorum*, qui paucas ante hebdomadas *nuptias* celebraverat; *Juvenæ* autem *puellam* offenderunt, *undecimo ætatis anno nuptui datam*, ſimul ab incolis iſtorum locorum audientes: Apud Ruſſos rarum non eſſe, pueros puellasque duodecim, undecim ac decem annos habentes, contoraliter jungi, ob cauſas politicas id nemine prohibente, præſertim quando nexus ejusmodi fiant inter perſonas pupillares, ac viduas. Refert ipſe Ad. Ol. in deſcript. itin. Moſcov. Perſ. l. 2. pag. 126. A multis *in Albania & Bulgaria, aliisque provinciis Turcico jugo ſubjectis*, jam olim inita fuerunt ejusmodi conjugia, præprimis autem à pueris, vix novem annos natis, ne ſcilicet in *decimationem* venirent, Gerlachio teſte, in Itinerar. Conſtantinop. 306. Etenim poſtquam Turcæ Græcos, eorumque vicinos poteſtati ſuæ ſubjecerunt, illicò & in urbibus, & in pagis, domos numerari curarunt, jubentes, ut elapſo quovis quadriennio, è domibus decem, unus puer aut adoleſcens nexibus quibuscunque ſolutus, in ſervitia Sultani militaria raperetur; unde Chriſtiani Parentes, puerorum chariſſimos ad nuptias (vel nolentes) properare jubent, ne ad aulam Ottomannicam, conſequenter Mahumeticam ſervitutem deveniant. vide Chriſtoph. Angelum, lib. de Status & Ritibus Eccleſ. Gr. cum notis Fhelavii, pag. 12. 129. pl.

Olim *arbores* Numinum templa fuere; Luci & in iis ſilentia ipſa

adorata; priſco ritu ſimplicia rura Deo præcellentem arborem dicarunt. Inde neſcio, quod ſtupiditatis hujus veſtigium in *mancipiis Livonum* circa an. 1635. obſervavit adhuc Olearius, diverſis in locis, in collibus præſertim, ſeligentibus certas arbores, quas ramis ad cacumen usque privant, ac tæniis rubeis circumligant; ſub his dein vota ſua ſuperſtitioſa & preces peragunt, quibus facultatum ſuarum conſervationem & augmentum, ſuam ſimul ſuorumque ſalutem temporariam expoſcunt. Chriſtianus Hofman. conſenſ. ac diſſenſ. Relig. lit. P. ult. ex Olear. Itin. II. pag. 109.

Aliis illorum temporum pluribus malis, acceſſit arctiſſimus annonæ frugumque proventus, cùm prius ſata collectave militari petulantiâ corrupta jacerent, aut diſſipata, nec inculti agri nova ſufficerent; unde dira, & quanta nullis penè temporum monimentis nota, *fames*, & ex fame *peſtis* inſequutæ; quæ duæ calamitates ea ſtrage deſævierunt, ut vix tertia hominum parte ſuperſtite, nec melioribus poſtea temporibus, Germania in Germania quærenda ſit; nullo quondam florentiſſimarum rerum veſtigio, niſi quantum urbes vicique ſitu ſqualidi, ſolitudine horrentes omnia cultorum deſiderio vaſta ac deſerta, quid civilis furor poſſit, ruinis conteſtantur ſuis. Epit. R. G. pag. 186.

Mortem obiit non ſine magno ſui apud doctos deſiderio, *Petrus Scholirius*, Eques & Senator Antverpienſis, Satyrico ſcribendi genere notus. Inter Satyricos priſci temporis Poëtas, tres potiſſimum ſunt commendabiles, *Juvenalis*, *Perſius*, & *Horatius*. Hicque inter oratoriam Juvenalis dicacitatem, ac inter Perſii obſcuram nimis adſtrictamque brevitatem, medius incedit, atque adeo inter Satyricos non minus, quam inter Lyricos Latinos, primum meretur locum. Hunc itaque imitandum ſibi præ cæteris propoſuit Scholirius, quaſi *ab ipſa natura ad Satyras ſcribendas factus*. Scripſit etiam, ut Horatius, Sermones ſive Satyras, inque illis perverſos ſeculi ſui mores aceto ſatis acri perſperſit. Act. Lipſ. 1684. pag. 263. pl.

In Anglia mortuus *vir* quidam *centum & quinquaginta duorum annorum*, pater *filii, quem anno ſupra centeſimum quarto, ætatis ſuæ, demum procreaſſe dicitur*: Perinde ac Stephanus Gerlachius refert, ſuperiori ſeculo, cùm verſaretur Conſtantinopoli, ſe ex Johanne Zigomala audiviſſe, quod ante modicum temporis in pago S. Stephani ad Propontidem, *centenarius* aliquis, ductâ juvencula, liberos genuerit. Schup. de felic. ſec. XVII. orat. 76. pag. Gerl. itinerar. 304.

LIB.

LIB. IV. CAP. XLIII.

Summaria.

Status Wirtenbergiæ, inprimis Eccleſiaſticus, afflictiſſimus.

Pericula, quæ Theologi Tubingenſes, DEO protegente, ſalvi evaſerunt.

D. Nicolai propria de ſe, & concionibus quibusdam elenchticis, relatio.

Archiepiſcopatus Bremenſis Fr. Dan. Reg. filio cedit.

Adolphus Held, Stadam Calviniſmo tentat.

Cyrillum Lucarim Patr. Conſtant. Contarinus denuo nefarie deturbat.

Eundem Baſſa Bechius perſecutorum Pontificiorum crudelitati ſubducit;

Sed reſtitutum, populus ingenti gaudio excipit.

Metrophanes Critopulus, nullum Caput Eccleſiæ merè humanum agnoſcens, Patriarcham agit Alexandrinum.

STatus uti totius *Germaniæ*, ita præprimis *Wirtembergiæ Ducatûs*, hoc tempore *afflictiſſimus* erat, non in *politicis* tantùm, ſed etiam *Eccleſiaſticis*, e. g Stutgardiæ, Tubingæ, &c. Ubi vel nidulabantur Lojolitæ ac Monachi, vel Bavarica, Slikia, Oenipontana, locum tenebat jurisdictio. Iſtis enim aliisque pluribus in locis, Evangelicæ Religionis profeſſio etſi non penitus prohibita; multis tamen modis aggravata fuit ac ſufflaminata; Papæ creaturis Apoſtaſiæ cornu maſculè inflantibus, ut nihil, quod ad interitum patriæ, corporum item & animarum ſervitutem ſpectabat, reliquum eſſe videretur: Non ſecus ac tempeſtate in Mari oborta, navis cum præſentiſſimo naufragii periculo jactatur, dum ſtridens aquilone procella

Velum adverſa ferit, fluctusque ad ſidera tollit;
Franguntur remi, tunc prora avertit, & undis
Dat latus, inſequitur cumulo præruptus aquæ mons;
Hi ſummo in fluctu pendent, his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis!

Ex vita Melchioris Nicolai, à Tobia Wagnero perorata, pag. 18. & Georgii Krompeinii Leich-Pr. 27.

Et ſanè memoratu haud indigna ſunt *pericula*, quæ tres Theologi in Univerſitate Tubingenſi tunc ſubiere, *D. Lucas Oſiander, D. Melchior Nicolai, D. Johannes Ulricus Pregizer*; hic Paſtor Eccleſiæ, iſte Decanus, ille Præpoſitus & Cancellarius. Primum *D. Oſiandrum* np. fanaticus quidam nebulo, quem dehoneſtamenti cauſa nunquam nominabimus, in

in Conſpectu totius Eccleſiæ Tubinganæ conſcenſâ Cathedra ſacra, inter concionandum ſtricto gladio transfodere poſticè conabatur, ictu tamen per agilitatem Concionantis (quem Auditores vociferando, ut ſibi protinus caveret, monebant) fruſtrato. *Secundum*, Capitaneus quidam Bavarus, prævia quæſtione de proceſſu à Joſua Cananæis facto, domi eo gladii ictu petiit, ut caput ejus fidiſſet, niſi ſuperius limen Januæ, per quam effugiendum fuit, gladium excepiſſet, vulnere ligno, non capiti evadentis illiſo. *Tertius* quoque non minus ad internecionem quæſitus aliquando, jam ſub ictu quaſi verſabatur; ubi perinde illi fuerat, ex DEI nutu oppetere, aut ſupereſſe; ſpe tamen cum Athanaſio non abjecta, nubeculam eſſe hanc ingentem patriæ cladem, quæ expleta correptionis Divinæ menſurâ iterum tranſitura ſit, ſalvus & incolumis manebat. En! pientiſſime lector, quantus diaboli furor in perſequendis, & quantus DEI favor in protegendis his Eccleſiæ organis! *vide* notas D. Wagneri, ad memoriam Pregizerianam, pag, 25.

Ipſiſſima *D. Nicolai* de ſuo iſthoc agone verba, in epiſtolio ad generum D. W. die 16. Aprilis anno 1636. talia erant: Humano „auxilio deſtituti, divinæ providentiæ moderamine evaſimus: Ego „verberibus & convitiis malè acceptus, Gottfridus (filius) in capi„te vulneratus, cæteri omnes illæſi. Alii à Jeſuitis, alii à noſtratibus „inſtigatum hominem truculentiſſimum putant. Certè ſacrificu„lum habuit ſecum, qui me, cùm domo exire, impetumque de„clinare vellem, blandiſſimis verbis, dum ille veniret, detinuit, qui „primo ſtatim ingreſſu toti meæ familiæ perniciem minatus eſt. Ita „paſſionis pars non parva acta eſt. DEUM rogo, ut hanc totam „calicis mei partem, quoad hoc equidem militare diſturbium eſſe „velit; Sin aliud decrevit, hoc exercitatus progymnaſmate, tanto „conſtantius ſuſtinebo. vid. Funeb. 22.

Idem inſequente tertio Julii ſcripſit: „Rerum noſtrarum ſta„tus (adhuc) aliquomodo perturbatus. Cùm dominica Rogatio„num Jeſuita in templo noſtro invocationem Sanctorum ſtabilire „vellet, & hoc ad me relatum eſſet, cui habendæ concionis matu„tinæ neceſſitas incumbebat, tacito pontificio nomine fundamenta „ejus refutavi, ut plerique mirarentur, unde tàm citò, quæ dixerat „Lojolita, permanare ad me potuerint? Tacuere tunc adverſarii. „Præterita die Dominica Mr. Raumajerus, & vicarius, eos vehe„mentius adorti ſunt. Ægerrimè hoc tulerunt, ita, ut miles qui-

„dam,

„ dam, in hæc erupiſſe verba dicatur: Es thut nicht gut/ wir ſchieſſen „ dann einen oder zween von der Cantzel herunder/ i. e *non benè ſe res habe-* „ *bit, niſi unum alterumque Prædicantium, ex Cathedra detonantium, glo-* „ *bulis trajiciamus plumbeis.*

Daniæ Rex Chriſtianus quartus, ea tempeſtate vehementer expoſtulabat ob *Archiepiſcopatum Bremenſem*, donec Ferdinandus Imperator hujus nominis ſecundus, eundem filio Dani, *Friderico* Holſato, transſcriberet; quem is ad annum uſque quadrageſimum quartum hujus centenarii retinuit, quo à Svecis ejectus, & Brœmſebroënſi pace ditiones illis permiſſæ; Cui conceſſioni deinde Pax Monaſterienſis etiam calculum adjecit. Calviſ. 1012. & Burgold. not. R. I. part. 1. 219.

Adolphus Held, Paſtor ad S. Nicolai (adſcito in Societatem facinoris *Johanne Kislero*, Eccleſiaſte loci Pancratiano) magnas Eccleſiæ *Stadenſi* turbas dedit, publicatione & introductione libri cujusdam Catechetici, quo viam parare *Calviniſmo* enixè laboravit. Monſtri aliquid hominem alere, conjici potuit, non tantùm ex ipſo libello, ſed etiam ex clariſſimo pronunciato in Cathedra facto. In illo, quæſtiones Catecheticæ Lutheri nonnullis in locis viſæ ſunt immutatæ, imò & partes Chriſtianæ Inſtitutionis Megalandri, ſub formam Catechiſmi Palatino-Calviniani coarctatæ; In hoc ſemet Heldius prodidit, ut ſorex, dum in talia erupit verba: „ Salva conſcientiâ pro- „ pitioque DEO fieri non poteſt, ut odioſè Calvinianos confutemus, „ ac eorum doctrinam rejiciamus & condemnemus, quia maximam „ partem atque in primariis fidei articulis nobiſcum ſentiunt, id „ quod manifeſtum ex Actis Colloquii Lipſiæ paucis abhinc annis „ habiti. Sic Heldius. Cui propterea ſe maſculè oppoſuerunt *M. Haveman*, & reliqui Collegæ ſinceri, donec re communicata, tum ab iis, tum à Senatu Civitatis, cum Theologis Wittenbergenſibus, turbator Collegio ſacro excluſus, & à Miniſterio Eccleſiæ γνησίως Lutheranæ remotus eſt. videantur Conſil. Witt. A. pag. 786. ſeqq. 799. 800.

Quas *Cyrillo Lucari* moleſtias crearit, alius quidam *Cyrillus*, *Contari* cognominatus, dictum eſt in memorab. an. 1633. lib. 4. c. 21. Quanquam verò pœnitentiam tunc ſimulaverit, novas tamen interea fraudes redorſus eſt, Lojolitarum creatura, Contarinus, ut reſtitutum ſedi Lucarin, rurſus deturbaret; Eum in finem auctum peſceſſium Turcico Imperatori offerendo, & gratiam ſibi apud auli-

cos conciliando, Patriarchale ſolium denuò invaſit, quod præter alia ſcelera, ſilentio involvenda, ſacrilega hierotyrannide, frequenti ebrietate commixta, fœdavit; variasque contra priſcam fidem, quaſi Calvinianam, calumnias, ad exhilarandos combibones Lojolitas propinans, ac verè bachans, evomuit, ad annum uſque 1636. Henr. Hilar. ad Cronic. Cyprii, pag. 453.

Dum ita pſeudo patriarcha furebat, legitimus proto-Præſul in Rhodienſi ſeceſſu exulans, piis meditationibus & ſanctis precibus ad martyrium ſe componebat, ut qui Romanenſes avidiſſimè ſanguini ipſius inhiare, perſpexerat, quemadmodum ad Cornelium Hagam, præterito anno, ipſe ſcripſit. Etſi autem *Rhodum* deportatus fuerit, ut vulgatum ibi ad tempus exilii ſupplicium ſuſtineret, adverſarii tamen cœdi ejus, aut ſaltem exthroniſationi fervidè intenti) conſentire nolebant; ſed ſuis eum vinculis conſtrictum tenere geſtiebant: quod etiam factum eſſet, niſi autoritas *Becchii Baſſæ*, qui Rhodienſi militiæ imperabat, obſtitiſſet. Hic enim favit Patriarchæ, utque manibus piratarum eriperet virum, Rhodo eum commodè avehi mandavit; Ita cautum, ne ſanguine Lucaris Capitolino Jovi tum fuerit litatum. Hoc in exilio Cyrillus, à Papanis crudeliſſimæ morti deſtinatus, Apologiam adverſus eoſdem paravit; ſed opere nondum confecto, *Conſtantinopolin revocatus*, eò rediit, Julii 25. die an. 1636. ubi à ſuis non modò incredibili gaudio, ſed & venerabunda admiratione, tanquam redivivus, ad clavum patriarchatûs regendum, exceptus fuit, operam inprimis navante Neophyto, Heracliæ t. t. Epiſcopo, Cyrilli quondam alumno. Hilar. citat. loc.

Metrophanes Critopulus, qui ante duodecim annos Angliam, Germaniam, & Italiam perluſtraverat, (in Academiis etiam Helmſtadii, Wittenbergæ, Argentorati, Tubingæ, ac Altorfii, ſatis diu ſubſtiterat) hoc tempore *Patriarcham Alexandrinum* egit, Meletii, ut fertur, in iſta ſede ſucceſſor, cujus inter alia doctrinam *de Capite Eccleſiæ*, contra Papam Romanum taliter propagavit & propugnavit: „ Nunquam in Eccleſia Catholica auditum fuit, hominem mortalem, & quamplurimis obnoxium peccatis, caput Eccleſiæ vocari; „ ille enim homo (merè talis) quum ſit, morti ſubjectus eſt; interea „ autem dum alius ipſi ſucceſſor eligatur, Eccleſiam ſine capite eſſe „ neceſſum eſt; &c. Indiget porrò Eccleſia tali capite, quod in ſublimi conſtitutum, ac naturæ quidem Divinæ particeps omnia obſervare, & ad melius dirigere queat &c. Hoc igitur cùm ſciant

„ qua-

„ quatuor ſanctiſſimi beatiſſimique univerſalis Eccleſiæ Patriarchæ,
„ ſucceſſores Apoſtolorum, ac veritatis propugnatores, neminem in
„ univerſum caput appellari volunt, illo contenti Capite Deificato
„ & omnipotente, quod ad dexteram Patris ſedet, rerumq; omnium
„ ſupremam habet inſpectionem ac poteſtatem. Hilar. in append.
ad Chron. Cypr. d. 4. confer lib. I. cap. V. & XII.

LIB. IV. CAP. XLIV.

Summaria.

Fridericus Haſſus ad Pontificios tranſit, ſucceſſurus, licet non ſine controverſia, Ordinis Johannitici Præfecto.

Saynenſis Comitatus partem Elect. Trev. & Colon. ſibi vendicant.

Luſitani & Hiſpani totâ Japoniâ abeſſe jubentur.

Quo illi ſucceſſu mercaturam ibi exercuerint? quæ cauſa expulſionis?

Decedunt Cardinalis Franciſcus Dietrichſtein; & Petrus Laſena.

Concepta ab hoc inſcriptio Gymnaſii Neapolitani.

FRidericus, Ludovici, cognomento Fidelis, Haſſiæ Darmſtatinæ *Landgravii filius junior*, in peregrinatione Italica *Pontificiorum caſtris acceſſit*, & Equeſtri *Ordini S. Johannis* in Inſula *Melitenſi* nomen dedit, Præfectus dein ejusdem ab Urbano Papa conſtitutus, poſthabito *Georgio Burkardo à Schaumburg*, Exſpectativâ, ut vocant, jam ante inſtructo, quod Natio Germanica graviter accepit; unde aliquandiu acre volutum eſt diſſidium. Rem paulo altius repetemus. Nimirum cùm anno 1636. vergente, ætate *Hartmanni* von der Tanne/ qui tum temporis Magiſterium Ordinis Johannitici per Germaniam ſuſtinebat, *Schaumburgius* Prior Ungariæ, expectativam in dignitatem illam à Natione Germanica, nec non à Conſilio impetraſſet, ipſeque Pontifex R. eam aſſenſu ſuo confirmatiorem reddidiſſet, factum eſt, ut non multò poſt, citra omnem culpam, eâ privaretur, per *Breve* ejusdem Papæ die 7. Maji an. 1637. datum, quo illa conferebatur *Friderico Haſſiæ Landgravio*, qui eo temporum tractu ad Romanam Communionem acceſſerat. Ægrè id ac permoleſtè Natio Germanica initio tulit, tandem tamen in conſilio die 30. April. 1638. habito, Breve Papale agnovit, & prædictum Landgravium *Coadjutorem Prioratûs*, ac futurum ſucceſſorem ſalutavit; qui etiam Hartmanno vivis exempto, dignitatem hanc ſibi aſſeruit (accipiente & muſſitan-

te injuriam Schaumburgio) illamque quoad vixit, poſſedit; Vixit autem usque ad annum 1681. quo vitam cum morte commutavit. Imhof. Not. Procer. 546. 318.

Mortuo *Ludovico Saynenſi Comite*, Erneſti filio, anſam arripuere *Trevirenſis & Colonienſis* Electores & Archiepiſcopi, ut ſub prætextu Caducitatis *maximam Comitatus partem* ſibi vendicarent. Inprimis verò *Colonienſis*, armata manu Caſtrum *Hachenberg*, cum appertinentibus occupavit, eaque feudi titulo Comitibus de Wartenberg contulit. Adverſus violentam occupationem iſtam, Saynenſes Comites proximè agnati, cum vidua, mandatum equidem pœnale de reſtituendo, & non amplius turbando, ſine clauſula die 14. Octob. an. 1636. impetrarunt; Quoniam autem leges tum inter arma ſiluere, Hachenburgi reſtitutio ſufflaminata fuit usque ad Pacificationem Oſnabrugo-Monaſterienſem. Cum *Trevirenſi* vidua Erneſtina Loyſa nempe Juliana Erbachia, tranſegit; ſed ægerrimè hoc ferentibus cognatis, mariti præſertim Conſanguineis, ex lite lis nata, diutius partes tenuit, eamque prolixius recenſuit Imhofius in Procer. Notit. pag. 1117. & 1116. confer Burgold. Not. Rer. Imp. A. 506.

Ea tempeſtate *Chiongon* Japoniæ Rex, de quo ſupra mentio facta, *omnes & Luſitanos & Hiſpanos, ex toto ſuo regno migrare juſſit*, ſine ullâ ſpe reditûs, ullo tempore exſpectandi. Ex Europæis *Luſitani* omnium primi fuere, qui circa an. 1542. In Japoniam delati ſunt, ac deinceps negotiandi causâ navibus eam frequentarunt, ut etiam *Hiſpani Caſtiliani*, qui ex Philippinis Inſulis iſtuc venére, cùm Luſitaniæ Imperium ad Hiſpanos devolutum eſſet. Inprimis autem incolæ urbis *Macao*, poſtquam Japonicum argentum oculos ipſorum feriit, magna induſtria mercaturam iſthic loci exercuerunt, nec minori lucro. Etenim cùm antea pauperes eſſent, Japoniis commerciis magnas divitias opesque ſibi compararunt, ita ut ſplendidiſſima extruerent ædificia, atque in omnium rerum abundantia & voluptate vitam agerent. Iidem Luſitani & Hiſpani, ſicut in omnibus aliis, quas adiere, terris; ita quoque hîc, non contenti mercaturâ, *Chriſtianam religionem* introduxerunt, atque hoc tanquam medio, ut quidam ajunt, dominationem quandam vel Imperium ſibi vendicare attentarunt. Id ſive verum, ſive falſum ſit, certè Japonenſium Regi delatum, cauſa fuit, ut anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum trigeſimo ſexto, tàm Luſitani, quàm Hiſpani omnes cum uxoribus ac liberis expellerentur (quùm ſæva Chriſtianorum perſecutio multos

tos jam annos obtinuiſſet) eisque in perpetuum aditus prohiberetur, diruto prius eorum *caſtello*; ubi tamen præſenti animo ſe defenderant, ac Japoniis cruentam victoriam reliquerant. Bern. Varen. de regn. Japon. pag. 189. ſeq.

Ex vitæ hujus Scena exceſſit *Franciſcus, Princeps à Dietrichſtein* (ex familia Baronum ejus nominis ortus) *Cardinalis & Epiſcopus Olmucenſis*. Is poſtquam Eccleſiaſticæ vitæ ſe dicaſſet, ſua virtute, eruditione, ac prudentia, in Clementis octavi P. R. gratiam ſe inſinuavit; à quo inter Cubicularios intimosque familiares cooptatus & admiſſus, denique anno 1598. in Cardinalium Collegium adlectus fuit, ac titulum *S. Sylveſtri de Capite*, tum *S. Mariæ trans Tyberin*, accepit. Paulus quintus, & Urbanus octavus, quater eorum nomine *Legationes* obire, ipſum juſſerunt; Primò quidem apud Matthiam Ungarorum Regem, dein apud eundem Imperatorem, deniq; apud Ferdinandum ſecundum Cæſarem. Nec minus domi honoribus cumulatus eſt, nam *Epiſcopus Moraviæ* creatus, tribusque Imperatoribus, nempe Rudolpho ſecundo, Matthiæ, ac Ferdinando, à Conſiliis Secretioribus fuit, inſimul Director & *Locumtenens* Marchionatus Moraviæ audiit, atque tandem à Ferdinando ad *Principale* faſtigium provectus eſt, hac ipſi facultate conceſſa, ut è gentilibus ſuis, quemcunque vellet hæredem Principalis dignitatis conſtitueret. Scriptis ergò, ætate ingraveſcente, tabulis ſupremis, nepotem è fratre *Maximilianum*, hæredem ex aſſe nuncupavit, atq; 1636. menſe Septembri Brünnæ, quò ſe ad Conventus celebrandos contulerat, ſupremum diem obiit. Notit. Procer. 896.

Mortalia quoque tum explevit *Petrus Laſena* (aut, ſi mavis *Laſejina*, ut in manuſcriptis nomen ſuum exaravit ipſemet) Neapolitanus, qui autem Romæ maximam vitæ partem tranſegit, ibidemque obiit, ad D. Andreæ de Valle ſepultus, ubi hoc ejus *Epitaphium* legere eſt: „ Petrus Laſena Neapolitanus, Divini humanique Juris „ & liberalium diſciplinarum peritiſſimus, bona fide Patronus, an„ tiqui Urbanique moris, vir bonis omnibus, doctis maximè, cha„ rus, obiit 3. Non. Sept. A. C. N. 1636. ætat. 46. Johannes Jacobus „ Buccardus, Nobilis Pariſienſis, ſtudiorum virtutisque conſorti, „ Amico M. P. Hactenus Epitaphium. In amicis eum numeraſſe dicuntur Cardinalis Brancacius, Leo Allatius, Fabius Columna, Antonius Carocciolus, Lucas Holſtenius, Gaſparus de Symnonibus aliique Eruditorum illius ævi Primicerii. *Laſena* in lucem, dum vivebat,

vebat. edidit : *Vernaculam Virgatorum*, ut inſcriptio habet, hoc eſt, miſcellanearum obſervationum in Poetas Italos, librum primum; Latinè verò Homeri *Nepenthes*, ſeu de abolendo luctu librum; *Cleombrotum*, ſive de iis, qui in aquis pereunt, Philologicam diſſertationem. Affecta doctiſſimi viri opuſcula, plura fuerunt, è quibus autem, poſt annos ferè quadraginta novem, ab exceſſu autoris, tantùm poſteritati, providâ *Brancacii* cura, *Gymnaſium Neapolitanum* publicæ luci datum; ex quo communicari meretur *Inſcriptio*, quam cum aliis id genus Scholæ Neapolitanorum publicæ imponi curavit Petrus de Caſtro, Comes de Lemos, Prorex Neapolitanus: „Gymnaſium cum urbe natum, Ulyſſe auditore inclytum, à Tito Veſpaſiano reſtitutum, à Friderico ſecundo legibus munitum & honorariis auctum, à Carolo ſecundo Andegavienſi intra mœnia poſitum, Ferdinandi Catholici cura, tumultibus penè obrutum, ex humili anguſtoque loco in ampliſſimum Auguſtiſſimumque juxta urbem, veteri Sapientum inſtituto, Regio ſumptu tranſtulit, anno 1616. Hoc ipſum nempe marmor anſam dedit Laſenæ in monumenta inquirendi, unde ſua ei veritas conſtare poſſet. Ex Act. Erudit. Lipſ. an. 1689. pag. 251. ſeqq.

LIB. IV. CAP. XLV.

Summaria.

Academia Ultrajectina aperitur, gratulante A. M. Schurmannia.

De Adriano VI. Papa, Ultrajecti nato, Inſcriptio profana.

Colluſio cum Pontificiis manifeſta, Epiſcopis Anglicanis objecta.

Eccleſia Calvinianorum Oſtrorogana Poſnanienſis, diſſipata.

Ex obitu J. A. Ducis Guſtrovia-Mecklenburgici, per viduam Calvinianam natum ditioni periculum.

Presbyter quidam Arianus, quid olim per Conſtant. M. ſororem effecerit?

Artes, quibus Dd. Calvin. per fœminas illuſtres dogmata ſua propagare ſæpius moliti.

Mors Caroli Zerotinii, & Raphaelis de Leſno.

ULtrajecti (urbe ampla Germaniæ inferioris in Batavis, & capite unius è ſeptem fœderati Belgii provinciis) *aperta eſt anno 1636, Academia*, vocatis undique ad Profeſſiones Viris doctiſſimis; & *gratulata eſt* ejus Natali, *carmine* excellenti, *Anna Maria Schurmannia*, virgo no-

nobiliſſima, ſupra ſexum in linguis ac ſcientiis docta, quæ diu ſcholam recens inſtitutam illuſtravit. Iſthæc urbs *patria* fuit *Hadriani ſexti* Pontificis Romani, quo Carolus quintus Præceptore uſus, in cujus honorem (Adriani ſcilicet) cùm celebres ludos Batavi darent, tapetibus ac parietibus adſcribentes: *Trajectum plantavit, Lovanium rigavit, Cæſar incrementum dedit!* quidam adjecit: *Hic DEUS nihil fecit, &c.* Hoſm. Lex. univ. part. 2. 555.

Epiſcopis Anglicanis, in argumentum *colluſionis cum Papicolis* non nemo ſequentia objecit: „ Reſponſa Patrum, Interpretationes Do„ ctorum, ſeculorum uſus, antiquitatis conſuetudo, Traditiones „ humanæ ſunt; Illa tamen inſpiratis Divinitùs Scripturis illorum„ que autoritatem harum dignitati præponitis. Verba veſtra in fre„ quenti Curia (hactenus) exultabant. Quaſi hoc vobis non dedecori „ futurum eſſet, ſi ſciat populus, quàm parvi apud vos Scriptura „ fiat. Hoc palmarium erat: Nos nec ſcire, nec noſcere Scriptùras, „ niſi Patrum teſtimonio. Sanè Epiſcopus Elienſis Scripturas ap„ pellabat *hæreticorum effugium*, & *latibulum Schiſmaticorum*. Quod „ argumentum nec ſpernebat, culpabatve Cantuarienſis. Londi„ nenſis verò præfabatur, ſe magnum quid exſpectaſſe in N. libro, „ cujus autorem tantæ confidentiæ plenum animadverterat; ſed in„ veniſſe pro theſauro carbones, *nihil præter Scripturam*. Nec diſſo„ nabat ab Elienſi vir acer, in Scripturarum epitheto, *Latebrâ hære„ ticorum*. Elienſis iſte omnibus è trivio maledictis me conſpuebat, „ quod ſola Scripturarum autoritate, *ſuffragio hæreticorum*, uterer. Il„ las enim, niſi Patrum interpretamentis ac traditione aperiantur, „ tenebroſas & obſcuras eſſe; illis ipſum Auguſtinum haud fuiſſe „ crediturum, niſi propter Eccleſiam; illas ab Apocryphis & prophanis, „ niſi Patrum judicio, non diſcerni; Patrum operâ nobis Apoſtoli„ cum Symbolum innoteſcere; illorum ex luce, oriri Scripturis claritatem. Huc usque autor objectans. Addit *Leidekerus*: „ Diſtin„ guebant etiam inter *verbum ſcriptum* & *non ſcriptum*, dicebantque: „ Scripturam lucem fieri, quando ceu candela eſſet accenſa per tra„ ditionem; quin ſenſum ipſius ab Eccleſia ſuſpendebant, quoniam „ eſſet obſcurus; de Papa honorificè loquebantur, nec non de Car„ dinalatu; Controverſias extenuabant; Elementorum in cœna ad„ orationem probabant, etiam extra actum; Imagines (ad cultum „ proſtantes) non damnabant; reliquiàs venerabantur; Sanctos Me„ diatores eſſe docebant; permittebant dici, *Angele cuſtos, ora pro me*;

Mo-

„Monaſteriorum everſionem per Henricum VIII. fuiſſe ſacrilegam „clamabant; Pro defunctis orationes indulgebant; ac denique ope„ra eſſe juſtitiam coram DEO aſſeverabant. Apud Hornium in hiſtor. Eccleſ. p. m. 404. ſeq.

Circa medium ſeculi ſuperioris proximi, *Jacobus, Comes Oſtrorogius, Bohemis fratribus favens*, ſuas ædes *Poſnaniæ* (Polonorum) in ſuburbio, ſacris illorum exercendis conceſſerat, earumque poſſeſſione & uſu gaudebant fratres ad an. 1595. quo adverſarii per Syncretiſmum quorundam, Confeſſionibus Auguſtan. Helvet. ac Boëm. addictorum, irritatiores, furore Studioſorum accenſo, templum illud exuſſerunt. Reparatum equidem domicilium ſacrum ac Divino cultui dicatum, ſed conditoribus denuò ereptum an. 1636. Sicque *Oſtrorogana fratrum Eccleſia* poſt 86. ann. cum pluſculis aliis, *diſſipata eſt*. Hofm. Lex. B. 75. 199.

Hoc anno ſupremum diem explevit *Johannes Albertus, Guſtrovienſis lineæ Dux Mekelburgius*, qui, poſtquam in torum aſſumpſerat *Eleonoram Mariam*, Chriſtiani, Principis Anhaltini, filiam, & ex ea ſuſceperat *Guſtavum Adolphum*, non modò ſacris Calvinianorum acceſſit, ſed etiam in caſum mortis, Uxori per Teſtamentum, Principis minorennis Educationem in religione, quam Reformatam vocabat, atque Ducatûs Adminiſtrationem tutelarem, commiſit; unde magnorum cauſa diſſidiorum fuit, adùo inprimis *maximorum, quoad ſtatum religionis, periculorum*; Sanè niſi tàm prudenter, quàm fortiter & conſtanter *Adolphus Fridericus*, demortui frater, interceſſiſſet, brevi tempore totus iſte tractus Megapolitano-Guſtrovienſis Calviniſmo involutus eſſet. Vid. Imhof. 499. ſeq. Notit. Procer. & peculiarem tractatum, ſub titulo: Erläuterung der vermeynten dunckelen Præfation der Würtembergiſchen Theologorum, in beſcheidenlicher Antwort/ auff ſo genante treuhertzige Vermahnung der Pfältzer &c. anno 1652. ed. lit. H. 2. ſeqq. Ita nimirum fert Calvinianorum Polytechnema, ut per fœmellas ac Dominas conjuges, Maritorum Principum animos demulcere ſibi, ſuas in partes allicere, & capere ſtudeant, ac ſuam adeò doctrinam proſpero ſucceſſu per orbem propagent.

De *Arrianis* commemorant Scriptores E. H. Socrates, Ruffinus, ac Theodoretus, quod illi per *Presbyterum* quendam, illorum Sectæ clàm addictum, *Conſtantiam*, ſororem Conſtantini Magni, cui iſte familiaris erat, in blaſphemiæ ſuæ patrocinium attraxerint, quæ cùm eun-

eundem presbyterum, intimum ſibi & familiariſſimum, in agone ſuo Imperatori graviſſimè commendaſſet, id effecit, ut ab eo poſtmodum perſuaſus Imperator, clementiſſimis literis ad Arium ſcriptis, nec non mandato edito, magnum Impoſtorem ab exilio revocaret, & ad cauſam denuò poſt Nicæni Concilii decretum dicendam invitaret. Neque hoc tantùm fœminæ effectum commendatione, ſed etiam iſtud, ut nominatus Presbyter Conſtantino per univerſam vitam chariſſimus eſſet, adeò, ut in extremis ei Teſtamentum committeret, quod ab illo, remotis omnibus, filio Conſtantino tradi volebat; idque cùm Presbyter haud ſegnis exequutus eſſet, ejus beneficii gratiâ Conſtantius, Regni cupidus, ita ſe devinctum viro agnovit, ut, qui cunctis imperare ambiit, ab hoc ſolo ſibi imperari æquanimiter pateretur. Ex eoque mox cœpit Presbyter de Arii reſtitutione conſilia ſuggerere novo Imperatori, & nolentes acquieſcere Sacerdotes, ut vi cogeret, perſuadere &c. Hæc ſi, mutatis mutandis, ad noſtra tempora, & caſum præſentem, aliosque non omninò diſſimiles accommodare, nec non conſuetis Calvinianorum attentatis (in medium prolatis perſonis, hiſtoriis, nuptiis, affinitatibus, cognationibus) applicare liberet, ad commonſtrandũ, quid & quantum in ſanæ religionis præjudicium damnumque per Gynæcocratiam iſtud hominum genus continuè moliatur, absque omni difficultate, modò absque offenſione, id facere poſſemus. Cùm haud obſcurum ſit, qua illi fraude utantur in perreptandis Magnatum aulis, quibusque technis *imbecillem ſexum* irretire, & per *muliercularum blanditias* virus ſuum in virorum animos infundere conſueverint; ut in eos non inconcinnè illud quadret, quod de Arianorum ſimili panurgia Alexander, Epiſcopus Alexandriæ ſcripſit: „ Per Colloquia „ (quin potius Matrimonia) muliercularum immodeſtarum, quas „ deceperunt (vel inſtruxerunt) ſeditiones adverſus nos, perſecutio- „ nes, & quid non malorum? concitant. Geſnerus in Papiſmo Calvinianorum practico XIV. lit. H.

Vitæ finem apud terrigenas tunc fecit *Carolus Zerotinius*, Johannis filius, Baro & Moraviæ Pro-Marchio, ad carceres usque & bonorum confiſcationem, quæ ſub Friderico Boëmiæ Rege ei obvenit, fidus Imperatori Ferdinando II. nihilominus Paſtores dimittere, templaque cum aliis occludere juſſus erat. Eam ob rem Viennam profectus, cùm nihil apud Imperatorem impetrare poſſet, dicentem: *ſe Prædicantes ferre non poſſe*, intrepidè reſpondit: *Neque ſe ſacro*

DEI cultu carere poſſe, neque hunc abſque verbi Miniſtris peragi. Inde diſcedens, non ſolùm aulæ ſuæ Eccleſiaſten Paulum Hronovium palàm, ſed & plures alios Verbi Præcones, in ſpecubus ſuis clam ſuſtentavit, ad ſacra veniendi facultate omnibus conceſſa. Tandem exilio generali Proteſtantibus impoſito, Uratislaviæ in Sileſia conſedit. Hofm. Lex. univerſ. part 2. 593.

Ita etiam *Raphaël de Leſno* ad metam venit ſuam, Palatinus Belzenſis, qui non tantùm ditiones ſuas, ſed portas, atria, templa, animumque Fratribus, è Bohemia pulſis circa 1628. an. aperuit; Leſnâ & Ulodovia refugii loco illis deſignatis. Obiit an. 1636. ipſo Rege funeri ejus illachrymante, ac dicente: Gemmam Senatûs noſtri amiſimus. Idem Hofm. part. I. 910.

LIB. IV. CAP. XLVI.

Summaria.

Godofredus Beſoldus, Sp. S. à Chriſto ſecundum Humanam quoque ejus Naturam procedere, aſſerit.
Socinianorum repreſſio in Polonia.
Angeli Mariani offene Hertzens Pforte; Thomæq; Campanellæ Atheiſmus Triumphatus prodeunt.
De Campanellæ monitore intra ſomnum & vigiliam.
Johannes Warnerus, Viſiones Propheticas jactare pergit.
Leimburius Vates, in vincula raptus.
Pſeudo-Meſſias Boruſſicus, pudefactus.

Circa annum trigeſimum ſextum, ſupra milleſimum & ſexcenteſimum, cœpit *Godofredus Beſoldus*, Veteranus Theologiæ Studioſus in Academia Wittenbergenſi, poſtea Portenſis Eccleſiaſtes, docere; *Spiritum S. à Chriſto ſecundum humanam naturam procedere*; ſuamque opinionem auditoribus enixè inculcavit. Cùm verò moneretur à rectè Sentientibus, nec tamen deſiſteret, in aulam propterea vocatus, & brevi pòſt aliò translocatus fuit. Si quis Beſoldi partes tenere velit, ex eo, quòd & *Hüpfnerus* alicubi dicat, humanam Chriſti naturam, propter Unionem perſonalem, mittere Spiritum Sanctum, etiamſi non ſpiret; in eandem ſententiam *D. Hunnium* allegans: Is ſciat, cum Beſoldo Hunnium nunquam feciſſe, qui *Miſſionem per gratiam*, non *per naturam* intellexit, & ab hac Miſſione ſolùm ad æternam proceſſionem, non ab illa colligi poſſe aſſeruit. Confer Kromajeri H. E. pag. 650. & Scherzeri Syſtem. Theolog. loc. 2. 78.

Quùm in *Poloniæ* Regno *Sociniana* hæreſis altiores egiſſe radices vide

videretur, publico Comitiorum Decreto t. t. utcunque repreſſa eſt; Poſtea verò acrius in Sectarios inquiſitum. Unde vix tutum illis in Polonia manſit hoſpitium; Transſylvaniæ tamen, Walachiæ, aliisq; regionibus deinceps graviores extiterunt. Hofm. Lex. B. 370. confer 1604. an. cap. XXV.

Angelus Marianus ita dictus, vero, an fictitio nomine? libello quidem parvo ſed peſtilentiſſimo, *Homines etiam ſine Chriſto ſalutem æternam conſequi poſſe,* ſtatuit. Libelli, non typo, ſed igne digni, titulus eſt: Offene Hertzens-Pforte/ i. e. porta cordis ad verum Chriſti regnum patula. D. Wagner. in Exam. Elencht. Atheiſmi ſpeculat. 74. & Müller. D. Hamb. in Atheiſ. devict. præf. a. & pag. 39. ubi refert, opuſculum illud, licet nauci, à primo quaſi publicationis momento, à multis avidè exceptum, lectumque & magni æſtimatum eſſe.

Thomas Campanella, Dominicanus, elati Monachus ingenii, (ut eum Cæſar Branchedautius appellat) Nobilis Taurinenſis, peculiari tractatu, ſub nomine *Atheiſmi Triumphati*, Lutetiæ Pariſiorum impreſſo, videri quidem voluit ſummam ac monſtroſam Atheorum impietatem ſupprimere & contundere; ſed cùm argumentis & rationibus valdè infirmis atq; futilibus uteretur, non injuria liber iſte, judicio doctiſſimorum Virorum, inſcribendus dicitur *Atheiſmus Triumphans*, veriùs quàm *Triumphatus*. D. Müll. Atheiſ. 28. 63. D. Wagn. Atheiſ. ſpecul. 19. pag. Johannes Adamus Oſiander, Theologiæ Profeſſor Tubingenſis, *Campanellæ majus cum Dæmone, quàm cum Deo commercium interceſſiſſe* ſuſpicatur, propterea, quod Monachus iſte de ſemetipſo ſcripſerit: „ Mihi cùm imminet mali quippiam, intra ſo„mnum & vigiliam audire ſoleo vocem, clarè loquentem: *Campa„nella! Campanella!* & interdum alia verba addentem, & ego attendo, „nec intelligo, quis ſit? At profectò, ſi Angelus non eſt, aut dæmon, „ ſicut Socrati aſſiſtebat, neceſſe eſt, aërem ſic vociferare, turbatum „mea paſſione futura, aut affectum à præparante mihi malum, aut „ex ſimili ſimilem alteram imaginantem. Refert Oſ. in Exerc. V. de Not. Dei contra Atheos, theſi decima nona, in hæc tandem verba deſinens: *En, ut prodat ſe ſorex iſte!* Ac revocans iſti Dominicano in mentem, quod alicubi Thomas de Aquino monuit: „ Cùm quis ad „probandam fidem Chriſtianam inducit Rationes, quæ non ſunt „cogentes, cedit in irriſionem Infidelium (cur non & Atheorum, „quia de ſimilibus idem eſt judicium) credunt enim, quod hujus„modi rationibus innitamur, & propterea credamus.

Johannes Warnerus, Pokendorfa-Miſnicus, de quo ſupra lib. III. cap. LXVII. usque & usque jactat *Propheticas Viſiones*, ac revelationes Divinas perfrequentes; adverſus *Pacificationem Pragenſem* horrendum detonat, omnibus eam approbantibus diras imprecans; quaſi à Deo juſſus ad *Exercitum Suecicum* ſe confert, deque armorum illius felicitate, modò bellum contra Cæſarem & Ligiſtas perſequi velit, multa blaterat; quibus cùm eventus deinceps nonnihil reſpondiſſe videretur, miris Virum præconiis decorarunt *Hogelius*, & alii. Viſion. Warn. pag. 24. 28. & ſeqq. Hogel. in Gamal. 281. 294. pl.

Leimburius, quùm in Auſtria prognoſticis ac vaticiniis, neſcio quibus, ſeditionem concitare videretur, in carcerem & vincula raptus: In *Boruſſia* non nemo ſe pro *Meſſia* vendicans, dignis modis exceptus, in ruborem datus & pudefactus eſt. Model. in Tab. hiſt.

LIB. IV. CAP. XLVII.

Summaria.

Speculum Brandenburgicum rurſus productum.
De illo, ejusque refutatione plura.
Deductio Fundamentalis à Theologis Darmſtadienſibus edita.
Biblia Polyglotta Pariſiana publicata.
Quis Gabriel Sionita?
Aſtrum inextinctum Romani Haji, Jeſuitarum Conſcientiam revelat.
De illo, atque hac, Alphonſus Vargas.
Johannis Launoji Tractatus de Concurſu DEI;
Et Bernardini Senenſis, opera prodeunt.

DEnuò in lucem publicam t. t. promotum eſt *Speculum veritatis Brandenburgicum*, cujus mentionem fecimus an. 1632. lib. 4. cap. 15. de quo & ejus refutatione, non abs re erit hiſtoriolam (verbis quidem Wagnerianis) referre. „ Occupato ante biennium à Cæſareanis Ducatu Wirtembergico, & profligato Principe, dici vix poteſt, quàm præſumptuosè Papani hoc *Speculum*, tanquam eſſet irrefutabile extulerint. Magni nominis quidam Conſiliarius, magno ſtudio, quid Speculo Veritatis reſponderi poſſet, & cur obmuteſceremus (Lutherani) quæſivit? cui dictum, impetraret licentiam, & mox viſurum primam reſponſionis partem, &c. Ejus enim editio an. 1636. Stutgardiæ typis Röſslinianis fuit iterata, ut ſcandalo in gremio Eccleſiæ, etiam ob quorundam Apoſtaſiam, inter quos *Beſoldus* Anteſignanus erat, obviam iri omninò oportue-

„tuerit, atque *D. M. Nicolai* calamum adverſus hoc ſpeculum uſ-
„que ad oculorum debilitatem ſtrinxerit. Opere abſoluto manu-
„ſcriptum exemplar Argentoratum *Duci Eberhardo*, ibidem in exi-
„lio viventi, miſſum, in quo etiam ad prelum promovendo Sereni-
„tas Sua eum, poſthabito exilio, zelum demonſtravit, quem vix
„quisquam inter Evangelicos Magnates demonſtraret, intra caſtel-
„lum extra teli jactum conſtitutus. Interim cùm hoc fieret, exivit
„*Brochmandi Urim ac Thummim* latinè ſcriptum in Dania, Speculoque
„oppoſitum, Ulmæ autem anno 1638. in germanicam linguam ver-
„ſum; cui è veſtigio autor Speculi, ſub nomine *Christiani Wilhelmi*,
„Marchionis Brandenburgici, *Apologiam*, ipſo Speculo acriorem,
„objecit. Quæ veritatis inſectatio generoſum pectus Ducis Eber-
„hardi adhuc preſſius tetigit, ac promovit, ut Nicolaio juxta Speculi
„refutationem, etiam committeretur Apologiæ pro Speculo publi-
„catæ repreſſio, uno libro comprehendenda, ut Apoſtatici duo pa-
„rietes ex una fidelia dealbarentur, id quod (poſt multas interje-
„ctas remoras) plenè demum contigit anno 164?. ſub inſcriptione:
„Gründliche Beantwortung zweyer Schrifften / unter dem Nahmen
„Herrn Chriſtiani Wilhelmi getruckt &c. durch D. Melch. Nicolai ver-
„fertiget. Quem librum, qui legit, attendat, ut intelligat, quid di-
„ſtent æra lupinis; imò quam magno hiatu diſtet juſtitia ab inju-
„ſtitia, lux à tenebris, Chriſtus à Belial? Ex quibus inſimul conſtat,
„tam grande fuiſſe *documentum Conſtantiæ*, quàm Patientiæ, quod
Wirtembergici Theologi temporibus, cùm omnia ſub cultro verſa-
rentur, in Evangelica confeſſione tuenda, in Ducatu, contra Apo-
ſtatarum ſcandala, dederunt. Ex vita Melch. Nicol. à Wagn. pero-
rata, pag. 19. ſeq.

Edita etiam hoc anno, *Fundamentalis* illa *Deductio Theologorum Haſſiaco-Darmſtadienſium, contra Calvinianos* inprimis Haſſo-Caſſelenſes; opus auro contra carum, pro quo maximæ DEO debentur gratiæ, unanimi Saxonicorum Theologiæ Profeſſorum, Wittenbergenſium, Lipſienſium, & Jenenſium conſenſu ac judicio: à quibus eapropter commendatur, ut ſcriptum pro aſſerenda defendendaque infallibili veritate Divina Eccleſiarum Evangelico-Lutheranorum, & confutanda deſtruendaque Calvinianorum doctrinâ multifariam erronea, imò etiam calumniis ac mendaciis plenâ, tum utiliſſimum, tum ſolidiſſimum. vid. Wittenb. gründl. Bew. contra Syncretiſt. Rintel. pag. 605. append. 554. 556. confer Liebhart hiſt. de Luth. & Calvin. 36.

Ex parte Pontificiorum, ea tempeſtate prelo ſubjectum fuit, Pariſiis in Collegio Lombardorum, *opus Bibliorum S. Polyglotton*, quo juxta textum authenticum, & Verſiones Græco-Latinas, habentur & Chaldaica, & Syriaca, & Samaritana, & Arabica, &c. Huic operi perficiundo potiſſimum Galliæ Rex adhibuit *Gabrielem Sionitam*, teſte Wilhelmo Schikardo, in fine præfationis ad Guliſtanum Perſici poëtæ Sadi, à Ryerio in Gallicam, ab Ochſenbachio autem in Germanicam Linguam translatum. Fuitque *Gabriel Sionita* natione & ortu è Libano Maronita, ab Adoleſcentia Romæ in Maronitarum Collegio educatus, ac dein ultra viginti annos L. L. Orientalium Regius Profeſſor Pariſinus, ut ſcribit Elias Vejel Ulmenſis D. in defenſione Exercitationis Hiſtorico-Theologicæ de Eccleſia Græca, contra Leonem Allatium edita, pag. 139.

Acceſſit *Aſtrum inextinctum Romani Haij*, Monachi Ochſenhuſani, ſive, *Jus agendi antiquorum religioſorum ordinum, pro recipiendis ſuis Monaſteriis (quæ nonnulli perperam EXTINCTA fuiſſe dicunt) & Bonis Eccleſiaſticis, per Cæſ. Majeſt. Edictum generale vel jus belli reſtituendis, &c.* Liber in laudem Lojolitarum, *ſcilicet*, ſcriptus, quem allegat Chriſtophorus Peller, in politico ſcelerato impugnato pag. 15. 16. hiſce verbis: „Vix credo, an magis idoneos Politicæ Profeſſores, quam „*Jeſuitas* proponere quis potuerit, ſi fides omninò adhibenda ſcripto „Romani Haij Ordinis Benedictini, quod anno 1636. cum privile„gio S. C. M. publicè prodiit, ſub titulo *Aſtri inextincti*. De quo *Alphonſus Vargaſius*, Toleto-Hiſpanus (aliis Gaſpar Scioppius) affir„mat, quod qui librum illum Haij legere voluerint, animo percipere „queant, ipſa veritatis evidentia ſe ſubactum iri, ut poſt homines „natos agnoſcant & fateantur, nuſquam terrarum inventos fuiſſe, „tam nullius Conſcientiæ, fidei, honeſtatis, ac pudoris doctores, aut „ductores; quorum (addit) ſi quis ingenium ac mores ex ipſis eo„rum ſcriptis perſpexerit, fieri nullo modo poteſt, ut eos poſthac „vel Conſcientiæ arbitros ac moderatores, vel liberorum ſuorum „Magiſtros habere, ac vel viſos, vel auditos velit, niſi aut faſcina„tus, planeque oculis ac mente captus ſit, aut quæ tantorum ſcele„rum magiſtri docent, ea diſcere gaudeat, & opere exercere nihil „dubitet. Non, quin plurimi, pergit Vargas, in ordine ipſorum „ſint viri boni, omniſque expertes culpæ, ſed quod eos nulla nota „à cæteris eorum diſſimilibus ſecernat, quorum hoc ipſo commiſe-

, ratione digna, ac deploranda conditio. Confer Hott. Hiſt. Eccleſ. Sec. XVI. 500. & Nicol. refut. Brandenb. Warheit Sp. 688. pag.

Nec omninò prætereundus videtur ſilentio, *Johannis Launoji* tractatus, quem anno 1636. pro *Durandi* opinione *de Concurſu DEI & creaturæ* in lucem emiſit, immediatam providentiæ Divinæ in ſingulis operationem aſſerentis. Contenditque Launojus, cum Durando conſenſiſſe ex eadem ſchola Pariſienſi Petrum Aureolum, vulgò Capreolum, Nicolaum Bonnetum, Richardum Armachanum, Petrum de Aquila, qui omnes ſeculo decimo quarto vixerint. Subjunxit etiam teſtimonia Johannis Gerſonis, Jacobi Merlini, Guilielmi Pepini, & Nicolai de Martimbos, itidem Pariſienſium Doctorum ſecul. XV. & XVI. qui magnoperè Durandum commendarint. Ac, licet Launojus non neget, diſputatum eſſe adverſus Durandum, & adhuc diſputari; negat tamen, ſententiam illam condemnatam eſſe, eoque allegat Hurtadum Mendozam, Jeſuitam, alioſque. Videantur act. Lips. an. 1685. pag. 520. ubi de ſententia *Pajonii* & *Juxii* quædam habentur. Boſſaccii contradict. Pontif. cap. X. 348.

Claudant Sectionem hanc *Opera Bernardini Senenſis*, quinque tomis edita ſub idem tempus, Lutetiæ Pariſiorum. Obiit Vir, Ordinis Franciſci, anno 1444. ſexennio poſt à Nicolao quinto P. R. Sanctis adſcriptus. Hofmann. Lex. Univerſ. A. 277.

LIB. IV. CAP. XLVIII.

Summaria.

Sueci, Saxonibus bellum inferunt: Utriusque partis clades & victoriæ mutuæ:
Wilhelmi Haſſi, Goezii, Vinarienſis, Condæi, Galaſſii expeditiones.
Ferdinandus III. Romanorum Rex electus, & inauguratus.
Legatio Holſatica ad Perſarum Regem adornata.
Bannerii nuptiæ, cum Comitis Leonſteinii vidua.
Julii Erneſti Ducis Brun. & Lunæburgenſis;
Item, Johannis Alberti Ducis Güſtrovienſis;
Tartarico-Niuchenſis Regis, ac Siamenſis deceſſus.

Sueci cùm ab Electore *Saxonico* Germaniæ finibus migrare juberentur, prorogatis cum Polono (ceſſione Boruſſiæ) induciis, *crudeliſſimum bellum*, ob privatim quæſtuoſam pacem Pragenſem amplexam, dicto Septemviro intulerunt; ut ſolet prioris amicitiæ recordatio infeſtiſſima odia reddere. *Johannes Bannierius* equidem Sve-

cicarum copiarum ductor, jam in extremum Germaniæ angulum rejectus erat; ſed repente collectis, quæ poterant, copiis Saxones Domitium obſidentes aggreſſus, rejectosque cum clade inſecutus, ſævis populationibus provinciales exhauſit. Interea Saxoni *Melchior Hazfeldius* à Cæſare ſubſidio miſſus, Bannierium magna equitatûs parte multatum apud Serveſtam fundit; Magdeburgum dein, cæſo iterum ad Tangermundum Banneriano præſidio, deditur; eundem caſum ſequuta mox Werbena, & major agri Brandenburgici pars. Utramque cladem iſtam *Bannierius* haud multo poſt egregiè ultus eſt, cæſis ad Witſtochium Hazfeldio, Saxonicisque copiis, inter quas multos fuiſſe fama eſt, qui Saxonicis armis, aſt animis Svedicis pugnârint. Ea victoria Saxoniam rurſus Bannierio aperuit, ex qua, recuperatis omnibus, quæ amiſerat, præter Magdeburgum, in Thuringiam ac Miſniam movens, Ephordiam primò, deinde Torgam ad Albim expugnabat, reliquum hyemis, reficiendis per hyberna copiis, & exprimendis ubique pecuniis, quibus exercitum aleret, producens. Burgold. Not. rer. Imp. A. 132. Pufend. contin. Introduct. de ſtat. Europ. 787. 802.

Pari exemplo *Landgravius Haſſiæ Wilhelmus*, Hanoviam prope Francofurtum ad extremum obſidionis à Cæſareanis redigi paſſus, repente à tergo eos aggreſſus, fugat, & Paderbornenſem Epiſcopatum, Monaſterienſem quoque, & quicquid Bremâ tenus cis Viſurgim eſt regionum, ipſamque Friſiam (jungendæ cum Hollandis manûs cauſa) ſubactam, exactionibus ac rapinis dilacerat, interim *Gezio* Cæſareano idem patrante in Wilhelmina Haſſia. *Vinmarienſis*, Tabernas Alſaticas recuperat, fruſtra Præſidiariis à *Galaſſio* expectantibus opem. Dolam autem *Condæus*, Gallicanæ militiæ ductor, nullo ſucceſſu tentat. Epit. R. G. 199. ſeq. ac Turſellin. app. 2. 61.

Denuò Cæſareani magno militum numero in Galliam irrumpunt, belli ſedem ultra Germaniæ limites prolaturi; ſed quum *Galaſſius*, militaris Imperii ſummam tenens, rebus ad res gerendas neceſſariis, præſertim tormentis aliisque inſtrumentis expugnandarum urbium, ſe deſtitutum prætenderet, mox ad Germanos redeunt inglorii, exercitu plurimùm diminuto, culpam in Hiſpanos haud minimam transferentes. Calviſ. 1013. Epitom. R. G. pag. 201. ſeq.

Sub anni finem Imperator Ferdinandus ſecundus, modicum ab hoſtibus ocium nactus, creando *Romanorum Regi* Ratisbonæ Comitia Electoralia celebrat; conveniunt Electores Romano-Catholici

ci omnes, præter Trevirenſem, qui Viennæ captivus attinebatur; Saxo & Brandenburgicus legatos mittunt. Ibi diu diſputata Trevirenſi cauſa, & ad extremum dilata, reliquorum Electorum ac Legatorum ſuffragiis, Hungariæ ac Boëmiæ Rex, Imperatoris filius *Ferdinandus III.* jam diu ſpei huic deſtinatus, *in Regem Romanorum eligitur*, & inauguratio poſt paucos dies per Moguntinenſem Archiepiſcopum, ſolennibus conſuetis peragitur; non ad extremum deſerentibus Germaniam fatis, cum paulò poſt inſequuta Cæſaris morte, nihil ad plenam ejus perniciem, quàm diuturnum interregnum & anarchia, quæ ut re obtinebat, ita etiam ipſo nomine imminebat, deeſſe videretur. Stratem. hiſt. 1135, Turſell. app. 2. 62.

Factis elapſo anno præparatoriis apud Michaëlem Federowizium Moſcoviæ magnum Ducem à *Friderico Holſatiæ Gottorpienſis Domino*, jam ſplendida illa celeberrimaque *Legatio ad Perſiæ Regem Schach Seſi* adornatur, *Ottone Brükmanno* ſuaſore, qui eidem cum *Philippo Cruſio* præfuit, Secretarium agente *Johanne Adamo Oleario*, qui de Perſarum rebus, ſtatu, regimine, multis aliis cognitione dignis, ſcripto reliquit, quæ legentes in ſtuporem ferè rapiunt. Reiß-Beſchr. Ol. lib. 1. pag 60. ſeq. Hilar. ad Chron. Cyprii, 329.

Bannierius, Suedici Jovis fulmen, quem Rex Guſtavus Adolphus alteram ſuam manum vocare ſolitus, in *Matrimonium* duxit Georgii Ludovici Comitis Löwenſteinii viduam, Eliſabetham Julianam Erpachiano ſtemmate natam; cujus deinde filia Maria Chriſtina, Gabrieli Ochſenſtirnæ, Regni Sveciæ Mareſchallo, nupta. Burgold. Not. rer. Imp. part, 1. 132. 509.

Naturæ ſatis fecit *Julius Erneſtus*, *Dux Brunsvicenſis & Lunæburgenſis*, lineæ *Dannebergicæ*, à quo an. 1636. mortuo, filiisque deſtituto, ditiones ad fratrem ſuperſtitem natu minimum *Auguſtum* delatæ ſunt. Imhof. not. procer. 469.

Viamque omnis carnis ivit *Johannes Albertus*, *Guſtrovio-Megapolitanus*, qui paria cum fratre Adolpho Friderico fata habuit, juſſu Cæſaris anno 1628. ditionibus à Wallenſtenio exutus, reſtitutus autem à Svecorum Rege G. A. victore an. 1631. pater Guſtavi Adolphi, quem tutor patruus Eleonoræ Mariæ Anhaltinæ, matri, è ſinu abreptum, Lutheri ſacris imbui curavit. Hofm. Lex. A. 725.

In *Tartaria Orientali* vivis exceſſit *Rex Niuchæ, Thienzungus*, qui hactenus multas & acres adverſus Magnum Sinenſis Regni Dominum, nomine Zunchinium, hoſtilitates exercuerat. Eum excepit filius

 lius

lius *Zungtheus*, continuandæ hoſtilitatis hæres, qui diu apud Sinenſes ignotus vixiſſe dicitur, ut mores, literas, doctrinam ac ſermonem, totumque Regni Statum accuratè perdiſceret. Hofm. Lex. B. pag. 358. Neuhof in Deſcr. R. Sin. 407. ſeq.

Per eadem ferè tempora fatis conceſſit *Siamenſium Rex* (ni fallimur) Ragihapi, qui, ut fama ferebat, totum regnum Peguanum debellârat, atque exercitu ad urbem Aracam adducto, eam obſidione cinxerat longo tempore. Nam ſanctè juraverat, ſe non reverſurum in Indiam (Siamenſis Regni munitiſſimam urbem) antequam expugnaſſet Aracam: Sed quum res ex animi ſententia non ſucceſſiſſet, ſibi domum ædificari circa eam urbem curavit, in qua, retento apud ſe toto exercitu, conſedit, donec vitam cum morte commutaret; Inſignis tyrannus, & crudelis vir. Bernh. Varen. de Regn. Siam. 276. Franciſc. in Oſt-und Weſt-Indiſchen Luſt-G. 1516.

LIB. IV. CAP. XLIX.

Summaria.

Tempeſtas Linziana ominoſa: Phænomena Lunæ & Solis memoranda.

Portenta quædam alia. Conflagratio Cœnobii Monicani in Goa.

Inundatio Mexicana perquam funeſta.

Pueri, flumine abrepti, mira conſervatio.

Coloniæ in Malagetta collocatæ.

Grönlandia, à Danicis mercatoribus fruſtraneo conatu tentata.

Wilhelmi Schikardi fatum dolendum.

Brokii, militis omninò longævi, funus magnificum.

CUm Ferdinandus II. in procinctu eſſet Ratisbonam ſe conferendi, ut Electorali Collegio filium commendaret, in Regem Romanorum eligendum, *Linzii horrenda tempeſtas* orta, derepente domum provincialem diffregit, inauratas ibi & ſuper columnam proximi fontis extantes Aquilas deturbavit, ipſamque arcem Archiducalem iſtius loci tantùm non in ruinam contruſit; quod mortem Imperatoris brevi ſequuturam portendere nonnulli dicebant, haud vani augures: Etenim is Viennam deinde reverſus, poſt modicum temporis è vivis exceſſit. Zeil. part. 2. Epiſt. 450.

Portenti loco habendum & habitum fuit *phænomenon*, quod *Pariſii* viſum fuit in Marchionatu Brandenburgico, ubi *lunam* atra nubes circumdedit, in cujus medio, quaſi cavernâ, quædam ſtella valdè

dè micans conſpici potuit; Nube dein diſpertita, in extremitate alicujus partis, animal, formâ leonis, hominem ungulâ ſupprimentis, adeò, ut penitus diſpareret, conſpiciendum ſe præbuit. Ex leone porrò nativi hominis, mox immanis Turcæ myſtacei caput, enatum; denique in medio lunæ Turcicum caput cadaveroſum, & infans exanimato ſimilis, ſpectatorum ſe ſubjecerunt oculis. Ex tract. Türcken-Trutz und Gottes Schutz. pag. 32.

Magis mira in *Sole* obſcurato, ibidem apparuêre, atra præſertim Crux ab uno Titanis extremo ad alterum pertingens; A latere verò Septentrionem verſus clara facies tanquam ex alabaſtro, ſimulacrum venerandi cujusdam Sacerdotis, cum denſiore collari repræſentans, & erga meridiem ſe inflectens; quibus juſtum in modum exhibitis, prunæ colòrem ſol aſſumpſit, & paulò pòſt occidit. Autor anonymus ibid. pl.

Liburnica (navis) omni apparatu bellico munita per *Holſatiam* in aëre viſa; & *ſuper Anyſum*, tympanæ & tubæ, clariſſimè ſonantes, auditæ. In regione *Darmſtadienſi* grandinem tripondium decidiſſe; *Zacynthum* horribili terræ motu concuſſam, à fide dignis relatum eſt. Calviſ. cont. 1013.

Goæ, in urbe Archiepiſcopali citerioris Indiæ, ſplendidiſſimum *S. Monicæ Cœnobium*, cujus ſtructura plus nonaginta millium florenis conſtitiſſe dicitur, menſe Februario *totum conflagravit*. Sed *Mexicum, ſeu Mexico*, urbs totius Americæ præcipua & ampliſſima, intra lacum, ut Venetiæ conſtructa, novæ Hiſpaniæ caput, ac ejusdem Proregis magnifica ſedes, ante aliquot annos nempe an. 1629. miſerè quidem aquarum *eluvie deformata*, & peſſimè habita; jam nunc ex lacu in ripam translata, *majori inundatione tota periiſſe* ſcribitur. Hofm. Lex. A. 1036. orbis Lum. 221.

Tunc temporis *Eſslingæ* 29. Auguſti die, intra tertiam & quartam veſpertinam, *Georgius Conradus Wagnerus*, ſex annorum puer, Superintendentis ibidem Eccleſiaſtici filiolus, quùm fortè grandiorem quendam lapidem, inclinato corpore de ponte in ſubterfluentem *Nicrum* projicere vellet, ipſe ſimul in rapidum flumen incidit, & continuò à fluctibus opertus, ac ſpatio *quingentorum paſſuum* provectus eſt, donec ab annatantibus (maximo cum vitæ periculo) extraheretur, jamjam pro ſuffocato planeque mortuo habitus. Cùm verò *Parens* approperaret, atque breviuſculis precibus peractis filium veſtibus nudatum, proprio pectoris tegumento calefaceret, inverſo ſi-

mul corpore, ad exhauriendam aquam, aliquantiſper inter brachia eum teneret, apparenter ſuffocatus & mortuus, poſt motum arteriæ in collo præcedaneum, clamare, ac adeò manifeſta vitæ ſigna prodere cœpit; qui deinde poſt multos annos Paſtorem animarum, ſub inſpectione autoris hujus operis, egit Ex refut. D. T. Wagneri, motiv. Beſold. pag. 350.

Malagettæ, in Ora Guineæ, maximè in Occidentem extenſa; inter Oram Dentium ad ortum & montem Leonis ad occaſum, primò Franci cœperunt *Colonias* ducere; quos dein ſequebantur Luſitani, Angli, ac Batavi. Hîc celebre piperis commercium, arbores ingentes, aër peregrinis infeſtus, incolæ robuſtiſſimi, & in elaborando ferro ingenioſi, varia frugum genera, venatio optima, viniq; ex palmis expreſſi vis ingens. Hofm. Lex. A. 975.

Tunc etiam *Danici Mercatores* quidam, collatis ſumptibus duas inſtruxere naves, ad *Grönlandiam* tentandam, ut, ſi fieri poſſet, aditum ſibi ad iſtas terras, quondam Norwegis Danisque tributarias, denuò pararent; ſed quamvis in freto Davis feliciter appulerint, barbari tamen eorum ſpem & impenſas fruſtrati ſunt. Eſt autem *Grönlandia* ſeu terra Viridis, ampliſſima terræ Arcticæ pars, ſupra Islandiam, ab Erico Ruſo quondam detecta. Olear. in deſcript. itin. Moſcovit. Perſ. lib. 3. 166. ſeq. confer Hofm. Lex. A. 718. pl.

Mortalia explevit, longiori vitâ digniſſimus Vir *Wilhelmus Schikardus*, L. L. Orientalium & Matheſeos Profeſſor celeberrimus, non modò Tubingenſis Academiæ, ſed univerſi orbis literati decus, deliciumque, ferali lue abſumptus. Zach. Schæf. in funebr.

Hagæ Comitum, Belgæ fœderati magnificam inſtruxere ſepulturam Chiliarchæ *Brokio*, natione Scoto, cujus ob id ſaltem facimus mentionem, quod *Septuaginta continuos annos in re militari apud Belgii Status unitos confecit, & nonageſimo ſexto* demùm *ætatis anno naturæ debitum perſolvit*. Zeil. epiſt. tom. 2. 851.

LIB. IV. CAP. L.

Summaria.

Fridericum Wirtenbergiæ Principem opima promiſſa ad apoſtaſiam nequicquam pelliciunt.

Georgii Wagneri, Conſulis Eſslingenſis, peritia Theologica.

Status Eccleſiaſtici apud Livones emendatio.

Ad Beatos properat Johannes Gerhardus.

Chri-

Chriſtianis Armeniis, Schamachiæ Monaſterii ædificatio conceditur.
De eorum Patriarchis & Confeſſione.

FRidericus, *Wirtembergiæ Princeps*, Johannis Friderici filius Exul, poſtquam ad Regem Daniæ aliquandiu ſubſtitiſſet, Electorem Saxoniæ primùm, deinde Imperatorem Viennæ adiit, periturus aliquid ſuæ Domui proficuum. Ibique multus ab ipſo Cæſare, Archi-Duce Leopoldo, & aliis Proceribus ei habitus honor, ac per Trautmansdorfium Ducatus integer oblatus, modò Pontificiam Religionem amplecteretur. Sed *cum DEI offenſione & fratris natu majoris injuria, accipere beneficium generosè negavit*; cumque pro fratris reſtitutione oraſſet, aſſignatis, unde vivendi media ipſe deinceps haberet, aliquibus Præfecturis dimiſſus, literas Cæſareas ob hoc ad Sulzenſem & Wolkenſteinium præfectos datas, nullo fructu ſecum tulit. Spener. in Syllog geneal. pag. 189.

Iisdem quoque temporibus perquam laudabilem ſe præſtitit *Georgius Wagnerus*, Eſslingenſis Conſul, qui libris præcellentiſſimorum Theologorum, ad declinanda opinionum in religione diverticula, domi attentiſſimè lectis, ea brevi *fundamenta in orthodoxa confeſſione* locavit, quæ Theologo ex profeſſo propemodùm ſufficerent, quemadmodum ex ejusdem ſermonibus, quos ultro citroque non modò cum amicis de religione, ſed & cum adverſariis contulit, liquidò conſtitit, etiam ſicubi à Ducibus belli, quorum tunc Reipublicæ causâ ferè continuus erat, quæſtiones de Lutheraniſmo, magna ex eorum mente hæreſi, ex curioſitate moverentur; comiter tamen ut plurimum acceptis, quæ à non injucunda ejus libertate in medium proferebantur. Memorat in vitæ hujus Viri deſcriptione D. T. W. *Oſſavium*, Cæſaris Commiſſarium ei tunc propria manu Tractatum *de Cœna DOMINI* perſcriptum, Viennâ Eſslingam eo fine miſiſſe, ut ex Evangelicè Catholico, Papiſticè Catholicus, h. e. Acatholicus fieret, ſi Gordios quos Oſſavius jactabat, argumentorum nodos incidere non poſſet; Sic enim inter ipſum & noſtrum convenerat; Cùm Wagnerus Oſſavio ſanctè promitteret, ſe fore Papiſtam, ſi noſtra ſaltem argumenta de Cœna refutare poſſet. Impoſſibile Commiſſario id fore, ſatis noverat Conſul, ut adeò fiducia ſia non temeraria fuerit ejus tam inſigni Cæſaris Miniſtro, dum Eſslingæ hæſerat, comiter facta promiſſio; quod in eventu apparuit, quando noſter equidem aliis occupationibus, quo minus calamum

ipſe ſtringeret, præpeditus, manuſcriptum Pontificium vicariâ Paſtoris Eſslingenſis pennâ perpexum, ad autorem Viennam remitteret, nec aliud reciperet; quàm ſe (Oſſavium) benè videre, ad ſuum ſcriptum à Wagnero quodam fuiſſe reſponſum. Tanti tum temporis inter magnæ autoritatis Politicos adhuc æſtimabatur fides ac Religio. Vid. orat. de Vita Wagn. Conſ. lit. c. ult.

Sueciæ Proceres, intellecto *miſerabili Eccleſiarum Livoniæ Statu*, Inſtigatore potiſſimum Axelio Ochſenſtirna, Regni Cancellario, mox in emendationem feriò incubuerunt; Eaque propter ſalutariter ordinarunt, mandaruntque, ut omnes Eccleſiarum totius Provinciæ Paſtores annuatim convenirent, &, Præſide ac Directore Revalienſi Epiſcopo de iis omnibus, quæ ad veræ Religionis propagationem, nec non Chriſtianæ diſciplinæ ſtabilitionem facere poſſunt, feriò agerent, collatisque diligenter conſiliis, ea deinceps prudenter applicarent & exequerentur; interim in ejusmodi Conventibus diſputationes etiam atque declarationes de præcipuis Theologiæ Capitibus habentes ac edentes, ut conſtet, quantum in his cognitu maximè neceſſariis, quilibet ſciat ac valeat? Ad iſtam *Statùs Eccleſiaſtici Reformationem & Emendationem*, præ aliis multum contuliſſe dicitur *M. Henricus Stalius*, Narvæ Superintendens. Vir benè doctus, qui tum docentibus, tum diſcentibus juvandis, Catecheſin Lutheri minorem verbotenus, Dominicalia verò & Feſtivalia totius anni Evangelia cum explicationibus, aliaque plura ad communem uſum ac ædificationem conducentia opuſcula, in Linguam Eſthonicam tranſtulit, ac typis æneis impreſſa vulgavit, habita inprimis eorum ratione, quibus difficile eſſet, ſacros cœtus publicè frequentare. Nec Henrico Stalio, cedere inſerviendi ſtudio voluit *Henricus Brokmannus*, primùm Profeſſor Græcæ Linguæ, deinde Concionator in Lingua Livonica, qui multas cantiones & pſalmos in Eccleſiis Lutheranis cantari ſolitos, in ſermonem Eſthonicum rhythmicè vertit, atque ſic ex ore Livonum DEO laudes perfecit, hactenus ibi locorum apud rudem populum inauditas. Jam per aliquot equidem annos paſſim in urbibus & pagis Livoniæ, non tantùm Germani, ſed etiam reliqui, Concionatores habuerant, Auguſtanæ Confeſſioni addictos, Verbum DEI proponentes, & Sacramenta Chriſti adminiſtrantes; nihilominus miſera plebs nimia laborabat rerum ſacrarum ignorantiâ, hinc ſuperſtitionibus variis, artibus magicis, ac peſſimis moribus dedita; magnam partem culpâ Paſtorum, quos Provinciæ

No-

Nobiles jure Patronatûs gaudentes, non rarò minus idoneos, *ex pædagogis domeſticis Curatores animarum publicos* fecerant, &c. Olearius in deſcr. itin. Moſcov. Perſ. lib. 2. pag. 111.

Mundanis & caducis valedixit hoc anno, die Auguſti decimo ſeptimo, Magnus noſter *Johannes Gerbardus*, D. Theologus patriâ Quedlinburgenſis; primò Superintendens Heldburgicus, poſt Coburgenſis; demum Profeſſor Jenenſis Celeberrimus, de Scholis & Eccleſiis Chriſti optimè meritus, præſertim ſcriptis quàm plurimis ac utiliſſimis inſigniter clarus, nempe, Locis communibus ampliſſimis, & eorundem, qua primum tomum, exegeſi; Continuatione Harmoniæ Evangeliſtarum, à D. Chemnitio cœptæ, à Lyſero auctæ, & à noſtro tandem perfectæ; Commentario in Geneſin Moſaicam; in Michæam Prophetam; in Epiſtolas Pauli ad Romanos, Timotheum, Hebræos; In Epiſtolas Petrinas; voluminibus Diſputationum Academicarum; libro Confeſſionum Catholicarum; quinquaginta Meditationum ſacrarum opuſculo; Schola Pietatis; Poſtilla Salomonéa; Dominicalium Evangeliorum explicatione; Aphoriſmis Theologicis; Methodo Studii Theologici, &c. Obiit anno ætatis 55. Adamantius noſtri Seculi, ſed Orthodoxiæ tenaciſſimus. Helvico *vir inculpatæ vitæ & immenſi laboris*; Albertino teſte, *accuratè collegit, quicquid Chemnitius, Hunnius, & alii habent*. De eodem Dilherrus: „ Venerem „ illam Evangelicam, à magno Chemnitio pingi cœptam, à diſer„tiſſimo Lyſero continuatam, quis præter Gerardum attigit? Hic „ erat alter ille Apelles, qui abſolveret. Micræl. H. E. pag. 493. Hofman. Lex. A. 847.

Ut *Armenii Chriſtiani* per Septentrionem ac Orientem oppidò diffuſi ſunt, ita plurimos *Perſia* tenet, cujus populos ante multa ſecula conſuetudinem cum illis habuiſſe, Sozomenus obſervavit; Cui homopſephus eſt & avtoptes Olearius, qui *Armenii* etiam *Epiſcopi ſplendorem*, quem Holſatiæ Legatis conſpiciendum præbuit, ac templum in Iſphahan, Sophi Regiâ, memorat, addens: ei, Legatorum interceſſione, *in urbe Schamachia Monaſterii ædificationem* cœptam, & aliquandiu impeditam, hoc ipſo anno, à Gubernatore Regio impetratam atque conceſſam fuiſſe. Armenii quondam ad Patriarchatum Conſtantinopolitanum, quoad Regimen Eccleſiaſticum, pertinuerunt, quia erant Ponticæ provinciæ, quam, ut & Aſianam Thracicamque Chalcedonenſe Concilium Conſtantinopolitano Patriarchæ ſeu aſſignavit, ſeu confirmavit; ſed jam à longo tempore ab illo

de-

deſciverunt, & propriis duobus Patriarchis, quos *Catholicos* vocant, nemini ſubjectos, alterum Armeniæ majoris (dictæ ab occupatione Turcorum, *Turcomannia*) alterum verò Minoris. Olear. in Itinerar. Perſ. part. 3. 430. Hornbek. S. C. 906.

Theologiam, fidem & confeſſionem Armenorum (præſertim extra Turcomanniam) quod concernit, pro fundamento Religionis Chriſtianæ ac ſuæ, habent S. Scripturam, libris Prophetarum & Apoſtolorum comprehenſam, quam æquè, ac Ruſſi, Moſcovitæ, Moldavi, aliæque gentes Patriarchæ Byzantino ſubjectæ, cum Africanis Eccleſiis, in linguâ vernacula legunt, & magni æſtimant. Multa errorum opinionumque monſtra illis imputari, tùm à Græcis, tùm ab aliis, præter jus & æquitatem, ſupra diximus lib. 4. cap. 33. idque hic repetitum volumus, præſertim, ſi hactenus perſtiterunt in iis, quæ præterito ſeculo Stephanus Gerlachius, dum Conſtantinopoli verſaretur, ex ipſo *Patriarchæ Armenii* ore audivit. Primò enim dixit, ſe credere & confiteri *Unum Deum, ac tres perſonas* coæternas, conſubſtantiales, & per omnia æquales. Dein, credere & confiteri ſe, *Chriſtum* verum, unigenitum ac æternum DEI filium, per quem Pater omnia condiderit, & in tempore ex Maria hominem factum, ut unicus noſter Salvator & Mediator eſſe poſſet. *Spiritum Sanctum* ex Patre, Filioq; procedere, contra obſtinatum errorem Græcorum. De *Majeſtate Chriſti hominis* expreſsè & nominatim rogatus, reſpondit: Chriſtum non modò ſecundum Divinam, ſed etiam ſecundum Humanam naturam nobis in ejus nomine congregatis, ac toti Eccleſiæ ſuæ in orbe terrarum diſperſæ, ſingulisque membris præſentem eſſe; addens ſimilitudinem iſtam: Veluti ferrum candens per omnes partes, ignis particeps eſt, & propter ignem candet, uritque, nec alius calor eſt ignis, & alius ferri, ſed quo ignis, eodem & ferrum, cum quo unitum quiddam, urit; ita Chriſtus, Deus & homo, unica perſona eſt, & Chriſtus homo, ſive humana Chriſti natura, propter Divinam, corporaliter in illa habitantem, omnipotens, omniſapiens ac omnipræſens eſt. Nec alia eſt omnipotentia, omnipræſentia &c. Divinitatis, alia humanitatis, ſed unica, quemadmodum ferrum & ignis unica & eadem virtute urunt; ſicque ſuam illi virtutem per Unionem communicat. Nec pars tantùm, ſed totum Verbum incarnatum eſt, ut nullibi ſine ſua carne, in qua, tanquam proprio domicilio, habitat, eſſe velit, &c. De *Libero arbitrio*, ſcribit Gerlachius, doctrinam ita diſtinctè & exquiſitè, ut noſtris in Scholis traditur, non viden-

videntur habere cognitam. Agnoſcunt hominem propter peccatum extremè corruptum eſſe, attamen in hominis arbitrio poſitum opinantur, ut vel bonum vel malum operari poſſit; quod equidem ipſos de externis factis intelligere puto, non diſtinguentes inter externa & politica, internaque ſeu verè ſpiritualia opera. De *juſtificatione* docent, hominem ſolâ Dei miſericordia propter Chriſtum, nullo ſui merito, ſalvari, dicente Davide: Si obſervaveris iniquitates Domine, quis ſuſtinebit? De *Baptiſmo* etiam ſinceri ſunt, infantem ter in nomine Trinitatis aquæ immergentes, & poſteà quodam oleo præcipuas corporis partes inungentes. In *Cœna Domini* verum, ſubſtantiale corpus, & ſanguinem Chriſti adeſſe dicunt, ſed videntur Transſubſtantiationem probare. *Papam Romanum*, licet pro Càpite (vel potius pro præcipuo Epiſcopo) univerſalis Eccleſiæ, ſaltem ob cauſas politicas, agnoſcere videantur, nil tamen ei pendunt, nec autocratoricum ejus Imperium ſuſtinent. *Indulgentias* etiam *Papales* expreſſè damnant, ac impoſturam illam deteſtantur. *Purgatorium, & preces pro defunctis*, turpia Sacerdotalis avaritiæ inventa explodunt, nonniſi duo animarum receptacula, poſt hanc vitam, agnoſcentes; Quosvis in Chriſtum verè credentes, dicunt ſtatim ſalvari, impios verò & incredulos damnari ſtatim; nec eſſe tertium genus hominum, qui precibus, eleemoſynis, miſſarumque lectione, cruciatu eximi poſſint. *DEUM ſolum, non Sanctos, ſe invocare ajunt*, niſi forte rudiores iter facientes, S. Georgium. *Conjugium Sacerdotum* ſemel tantùm admittunt; ſecundas eorum nuptias prohibentes, nî officio deponi velint. *Imagines* pauciſſimas in templis habent, ſtatuas planè nullas, nec easdem ſuperſtitioſè colunt, & adorant, &c. Homines ingenui, aperti, veraces, ſimplices, ſine faſtu & ſuperbia, cùm vitiis contrariis utplurimùm Græci laborent. Judicatu autem exinde facilimum, dictos Armenos propiùs omninò ad Lutheranos in Religione, quàm vel ad Pontificios, vel ad Calvinianos, accedere. Optamus interim, de hodiernis Armeniorum dogmatibus, ut quis pleniorem ſuppeditet informationem, quæ felicitas, quùm nobis nondum contigerit, præſenti Catone contenti ſimus, oportet. Verùm, quia Græcos inter ac Armenos tantum verſatur odium, ut, referente Varenio, vel cibum unà ſumere, aut eodem ex poculo bibere recuſent, non abs re de cauſa quæritur, quam paulò poſt indicabimus. Vid. Gerlach. Itiner. Conſtantinop. pag. 103. ſeq. & Martini Kempii Differt. de Stat. Armen. Eccleſ. & Polit. lit. H 3. ſeqq. pl.

LIB. IV. CAP. LI.

Summaria.

Marquardus Schenkius, in ſedem Aichſtettenſem evectus.
Epiſcopatus hujus Elogium peculiare.
Urbani VIII. exterius pacifici, verba lactis, fraus in factis.
Juriſdictio Papæ Rom. œcumenica, an ab Orientalibus agnita?
Marcelli Maſtrilii hiſtoria & martyrium.
Luſitanorum, ad libertatem cum Japonenſibus commercandi denuò aſpirantium, conatus fruſtranei.
Obitus Cornelii à Lapide.

POſtquam *Johannes Chriſtophorus à Waſſerſtetten*, anno 1637. morte ſua vacuam ſedem feciſſet, evectus eſt ad *Epiſcopatum Aichſtettenſem, Marquardus*, ex familia Franconiæ *Schenkiorum de Caſtel*, quam aliquot jamdum abhinc ſeculis inter Barones numeratam, deinceps Leopoldus Imperator Principali axiomate ornavit. Alioquin *elogium inſigne* eſt, &, Spenero judice, omni aliorum potentiæ ac opulentiæ, & mille triumphis vel palmis non æquiparandum, ſed longiſſimè præponendum, quo Bruſchius Epiſcopos Aichſtettenſes ornavit, quum eosdem ſolos, inter omnes alios Germaniæ Epiſcopos conſervandæ pacis ac tranquillitatis publicæ ſemper amantes & ſtudioſos, nunquam arma ſumpſiſſe, nunquam bella geſſiſſe, aut ullius inquietis autores fuiſſe prædicat. Not. Procer Imhof. 196. 199.

Urbanus VIII. ardente adhuc inteſtino Germaniæ bello, tot jam exteris etiam in eadem infeſta ſua circumferentibus arma, *pacis & componendorum* ubique motuum *ſtudioſus videri magis, quam eſſe voluit*. Legatis in Hiſpaniam, Galliam, Germaniam emiſſis, Urbanis equidem lacteisque verbis pacem ſuaſit, animo interea, ne degeneraret à genio Paparum Romanenſium, nil niſi bella volutans; Cæſari enim ad continuandum illud, ducenta millia coronatorum præſentanea numeravit, & poſt unius anni decurſum, ſi neceſſitas ita poſtularet, denuò centum millia ſe ſoluturum recepit; Inſtans præterea vehementer, ne Pontificii de pace tranſacturi, quidquam de Religione ac bonis Eccleſiæ paciſcantur, quæ pacis remora haud poſtrema fuit. Boxhorn Chronol. 160. Heideg. hiſt. Papat. 392. pag.

Papæ Romani ſupereminentiam & œconomicam juriſdictionem, ut probaret *Leo Allatius* etiam ab Orientalibus Chriſtianis agnitam, ad *Epiſtolam Armenii Metropolitæ*, Conſtantinopoli hoc anno ad

Ur-

Urbanum octavum perſcriptam, provocat, in qua *Præſulem Tyberinum* nominârit *Caput atque Decus omnium Chriſtianorum, & Catholicorum Præſidem.* Papæ, quid jactat Allatius? ipſemet addens: Factum hoc ideò, quia Papæ in miſeros Parthos Armeniosve, egregia merita extabant. Sanè, ſi *Frank Armenus* iſte Metropolita fuit, quid mirum tanto cum honore Papam affeciſſe, in cujus verba volens, an nolens? juraverat; etenim iſta gens ad Communionem Latinorum jam olim, per Emiſſarios Archiflaminis Romani, tracta potiùs, quàm ducta eſt, ut ex Mirzo conſtat: Sin ex reliquis Armenis, *beneficiariis* tamen *Papæ*, titulis luxuriari ob ſacrum denarium geſtiit. Hinc eſt, quod in præcedenti capite diximus, Armenos aliquando honorificentius, ob cauſas privatas & politicas, de P. R. ſentire & loqui, retenta tamen ſibi Autonomia Eccleſiaſticâ ſub ſuis Patriarchis, usque ſartâ tecta. Diſſertat. Kemp. de Armen. L. 4. Urſin. vom Unterſch. der Relig. 64. de Franc-Armenis confer lib. 1. cap. XX. II.

Maximè paradoxa creditu q; difficillima ſunt, quæ (potiſſimum in honorem Franciſci Xaverii) à quodam Abbate Pontificio in hiſtoria Eccleſiaſtica Japoniæ, narrantur de *Marcello Maſtrilio.* „ Hic, „ ſcribit autor, illuſtri familia Neapoli progenitus, invitis ſuis, Jeſui„ tarum Societati aggregatus, cùm periculoſo morbo decumberet, „ Franciſci Xaverii frequentibus apparitionibus & colloquiis non „ ſolùm valetudinem recuperavit, ſed tanto illius imitandi ſtudio „ accenſus eſt, ut flagitare Præpoſitos Societatis non deſineret, do„ nec miſſionem in Indiam & Japoniam impetraſſet. Hoc ejus in„ ſtitutum ac iter, magnis, ut fertur, prodigiis divinitùs probatum „ eſt. Quum Goam appuliſſet, lapis olim repertus (cui crux inciſa „ erat, quique ſingulis Apoſtolorum feſtis, aut ſi quid rari ac novi „ inſtaret, mutare colorem & ſanguinem ſudare ſolebat) guttas ſan„ guinis tantâ copiâ emiſit, per quatuor & viginti horas, ut multa „ linteola iis tangi potuerint: Duæ Chriſti effigies, oculos aperuere „ & clauſere ſæpius; omitto, quæ aperto Xaverii ſepulchro, & aliis „ modis accidiſſe dicuntur. Cùm in Japoniam veniſſet anno 1637. „ Marcellus iſte, qui in honorem Xaverii, Franciſcus dici maluit, „ terra ſubitò horribili motu concuſſa fuit. Mox cùm captus, judi„ cibus Nagaſankii ſiſteretur, circulus capiti ejus cœleſti luce coru„ ſcus circumfundi viſus eſt. Neque tamen hoc ei profuit, quò mi„ nus aqua ſæpiſſimè ingurgitatâ, aliisque diris modis excruciare„ tur, & quum ad renegandam fidem adigi non poſſet, ad mortem

„ in foſſa condemnaretur. Nocte, quæ ſupplicium præceſſit, ite- „ rum caput ejus cœleſti lumine circumfuſum ſplenduit, & precan- „ tis corpus in altum ſublevatum viſum eſt. Cùm in foſſa ad quar- „ tum diem pependiſſet, ac in confeſſione fidei perſiſteret, nullum- „ que capitis tumorem aut alia corporis mala in eo viderent carni- „ fices, magnumque feſtum Idolorum inſtaret, Octobris die decimo „ ſeptimo foſsâ retractum capite truncarunt, quod ſupplicii genus „ dudum ſibi revelatum eſſe, & in foſſa ſe non moriturum dixerat. „ Miraculum tamen denuò recenſetur, quod bis gladio percuſſus „ Maſtrilius vulnerari non potuerit, & lictor attonitus gladium ab- „ jecerit, eum verò à decollando recipere juſſus, tum demum tertio „ ictu caput abſciderit. Stant hæc fide referentium, qui tamen multa allegant teſtimonia: Interim, ſi vera ſunt, exemplo carent, neque de ullo viro ſancto Veteris aut Novi Teſtamenti tempore paria leguntur, & in hoc tanto magis miranda ſunt, quia nihil ab eo in converſione barbarorum præſtitum eſt, ſed ejus omnis conatus breviſſimo tempore miſerabili ac funeſto fine intercidit! Verba ſunt Eruditorum Lipſ. in Act. 1690. 247. ſeq.

Luſitani nuper expulſi, *lucro mercaturæ Japonicæ illecti*, quod præteritis annis guſtaverant, licet grandi damno contumeliaque à Japonenſibus eſſent affecti, ſemel tamen atque iterum formæ minoris naves iſthuc miſerunt, ſed nullo ſucceſſu; unde etiam factum, ut Urbis *Macao* ſplendor contabuerit, & magna pars incolarum, inprimis opulentorum, eam deſeruerit. Etenim anno 1637. Duæ naves majoris formæ à Luſitanis venére in Japoniam, petentes, ut negotiandi tantùm poteſtas redderetur; barbari reſponderunt, ſi facerent, ſicut Hollandi (de quibus capite ſequente) datum iri, quod peterent, alia verò conditione nequaquam. Id Luſitani minus honeſtum ſibi fore rati, nempe omnibus Chriſtianæ religionis exercitiis atque indiciis penitus abſtinere præſentibus Japoniis, recuſarunt: Ne quid autem Japonenſes timere neceſſum haberent, promiſerunt, ſe in terram deſcendere nolle, ſed in navibus permanere, atque in tabulatis ſeu foris merces ſuas velle exponere; venirent modò Japonenſes, inſpectisque mercibus argentum permutarent: hoc quoque denegatum. Cùm deinceps duæ Liburnicæ, à Japonenſibus comburerentur, omni prorſus mercatura denuò negatâ, abſtinuere hac navigatione, relictis commerciis Hollando-Batavis, qui poſtremi ex Europæis iſthuc venere. Bernhard. Varen. de Regn. Jap. 191. pl.

Vi-

Vitam cum morte mutavit *Cornelius à Lapide*, celebris Jeſuita; prolixis in ſacram Scripturam Commentariis famam ſibi fecit in erudito orbe; Mortuus Romæ hoc ipſo anno, ætatis ſeptuageſimo primo. Hofm. Lex. Univerſ. part. I. 487.

LIB. IV. CAP. LII.

Summaria.

Johanni Duræo, Syncretiſmi proco, quid reſponſum ab Archiepiſcopo Suecico?

Hafnienſes Theologi, quid ab eo requiſiverint?

Turbæ in Scotia, præprimis ex nova editione Libri Liturgici natæ.

Severa in Baſtwikium, Burtonum, & Prinium animadverſio.

Chriſtianiſmus, in nova Anglia per Puritanos latè propagatur.

Academia Neo-Cantabrigienſis.

Eccleſia plantata per Batavos in Braſilia.

F. L. R. literæ Braſilianis inuſitatæ.

Probrum nomini Chriſtiano ab Hollandis apud Japonenſes illatum.

QUum *Johannes Duræus*, de quo præced. cap. XXXI. in Svecia publico nomine ſyncretiſmum vel pacem quandam religioſam tentaret, ibi die Julii undecimo 1637. ab *Archiepiſcopo reſponſum hujus tenoris reportavit:* „ Si Duræus incepto pacificationis negotio „ pergere voluerit, hac & non alia via nos illud ſuccedere poſſe arbi„ tramur, ut videlicet Calviniani DEO dent gloriam, atque retracta„ tis manifeſtis erroribus fundamentalibus, iisque damnatis, ipſam „ veritatem Evangelicam in verbo DEI, tribus Eccleſiæ ſymbolis, ac „ invariata Confeſſione Auguſtana expreſſam, ſyncerè & orthodoxè „ nobiſcum agnoſcant, ſtylum & linguam ad hypotypoſin ſanorum „ verborum accommodent, ſuæque hujus ſive fidei, ſive veræ „ Confeſſionis aliquod ſymbolum edant, & publicam confeſſionem „ ſcribant, in eamque omnes Calvino-reformati, ac inter ſe conve„ niant. Quæ confeſſio ſi talis fuerit, quam nos non tantùm, ſed & „ Theologi in Germania, Dania &c. Salvâ Conſcientiâ poſſimus ap„ probare, ſperamus utique futurum eſſe, ut in exoptatam illam „ utrinque ſpiritualem fraternitatem & Concordiam tandem coale„ ſcere valeamus. Cujus rei ſi nos etiam, vel ſocii vel promotores „ fieri quiverimus, nunquam huic operi erimus defuturi. Calov. ſyſt. Theol. A. 1150.

Hafnienſes autem *Theologi* haud immeritò *requiſiverunt à Duræo*, in eadem cauſa ipſos compellante, *cautionem de rato*, non impugnatum iri à ſociis ea, quæ Britannus circa controverſos articulos, de perſona Chriſti, de S. Cœna, de prædeſtinatione &c. ſpondeat, ſe non ſolùm tolerare velle in Lutheranorum dogmate, ſed & formulas loquendi (cum licentia interpretationis voluntariæ) acceptare: quoniam conſtet, Pareum ſuo tempore, cum ſuffragantibus, expreſsè proteſtatum eſſe, ſe id ferre non poſſe, quod jam Duræus & ferre & rati habere paratus ſit; nuper etiam Collocutores Lipſienſes Calvinianæ partis, iſtos tres articulos, tam quoad dogma, quàm quoad proponendi formulas, falſos & ſacræ Scripturæ contrarios judicarint, &c. Hülſem. in Calviniſ. irreconcil. pag. 181.

Medio tempore *in Anglia Scotiaque Epiſcopi*, auſpiciis potiſſimum *Guilielmi Laudi*, Cantuarienſis Archiepiſcopi, curarunt excudendum denuò ac obtrudendum Eccleſiis famoſum iſtum *Codicem Liturgiarum* ſive communium precationum atque cremoniarum. Hunc verò, quùm videretur Papiſſantia continere plurima, Paſtores plerique ac Proceres non admittendum cenſuerunt, præprimis *in Scotia*, ubi Tumultus Edinburgi exortus, continuò totum illud regnum corripuit. Una vox omnium, ut Epiſcopi tollerentur, ac leges Majorum & parlamenta reſtituerentur. Ab iſthoc igitur maleſano auſu obtrudendi cœtibus, quoad obeunda ſacra publica, novas ceremonias, ritus, res & precandi formulas; ac inſimul Presbyteria, Claſſes, ac Synodos provinciales opprimendi, Scotosque cum Anglis in totum conformandi, additis comminationibus graviſſimis pœnarum, ſi quis obniteretur: omnes propemodum calamitates fluxerunt, quæ multis deinde annis Eccleſias & politias Britannicas exercuerunt. Boxhorn. Chronol. 160. Horn. H. E. 417.

Londini, *D. Baſtvvik* Medicus, ob novellas Ipſvvicenſes, & falſam quondam ab eo editam Litaniam; *M. Burton* Paſtor loci ad S. Matthæi (qui Inſtrumento à Duræo apud exteros producendo ſubſcripſerat inter alios) ob acrem ſuam ad Regem & proceres miſſam appellationem, & habitas duas conciones ad ſeditionem illicientes populum; Atque *M. Prin* Advocatus, ob conſcriptam tragœdiam, de violatione Sabbathi, & ſtatu Epiſcoporum; ad *amputationem utriusque auriculæ*, mulctam quinquagies mille florenorum Hollandicorum ſeu quinquies mille librarum Britannicarum, perpetuum carcerem in finibus regni, Carnari, Cornuvaliæ, & Lanceſtriæ,

fin-

ſinguli condemnati ſunt, per ſententiam publicam die 30. Junii an. 1637. in palatio Weſtmonaſterienſi, executioni datam. Hülſem. Calvin. irreconciliab. 180. pag.

Interim tamen in *Nova Anglia*, quo *Puritanorum* plurimi, ob ſævitiam Epiſcoporum, confugerant, *magna* fuit *Chriſtianiſmi propagatio*, atque in ſequentibus annis non adeò multis multa millia barbarorum converſa, ex quibus ipſis nonnulli, poſt ſufficientem in capitibus religionis informationem, conterraneorum ſuorum facti ſunt Paſtores. Imò ſucceſſu temporis conſtituta ibi *Novæ Cantabrigiæ Academia*, ubi diverſis in facultatibus, perinde ac in Europa, plurimi promoti ſunt Doctores. Quin & ſacra *Biblia in linguam Americanam verſa*, Cantabrigiæque impreſſa. Extat hiſtoria admirandorum DEI operum, quæ in nova Anglia ad propagationem Evangelii facta ſunt, libri titulus eſt: *An Eſſay for The Recording of illuſtrions providences, Edit. Boſtoni novæ Angliæ, &c.* Leydeker in notis ad Hornii Hiſtoriam Eccleſiaſticam, p. m. 400. 53... Ipſe autem Georgius Hornius in orbe politico, quem dehinc poſt ſeptem & viginti annos emiſit in publicum, ſcribit: „*Nova Anglia* inter cultiſſimas totius Americæ regiones cenſetur. Anno ſupra milleſimum „ſexcenteſimum trigeſimo quarto & ſequentibus eò plusquam du„centa hominum millia ex veteri Anglia migrarunt, ibique & paſſim „per Inſulas Americæ ab Hiſpanis deſertas, ſuæ gentis colonias du„xerunt. Angliæ novæ Metropolis eſt novum Londinum, dein„de Boſton, novum Plyminouthum, & nova Cantabrigia, quæ Urbs „Academiâ inſignis eſt, & quam Angli ſtudiorum gratiâ frequenta„re ſolent. Hæc eſt illa Regio, ex qua Independentes (magnam „partem) tempore Belli Anglici contra Carolum primum, in Angliam Europæam regreſſi ſunt. Orb. pol. pag. 563. ſeq.

Ea tempeſtate per Batavos in *Braſilia* quoque *Chriſto*, ut ferunt, *magna aperta fuit porta*, præclaram præſtante operam *Naſſovio-Principe Mauritio*, qui capta Pernambuci præfectura, quatuorque ſubactis regnis, per duodecim annos Vice-Regem ibi egit. *Braſilia*, Americæ regio eſt ampla & fertilis, quondam à Luſitanis detecta; poſt Luſitanos Galli huc venerunt, Angli dein & Belgæ. Ligni hinc Braſiliani, in tinctorum uſum, ſaccari, aliarumque rerum copia in Europam adfertur. Apud gentem Regionis trium ex Alphabeto elementorum *ELR* nullus eſt uſus, minimè abſurda quorundam animadverſione, factum id eſſe divinitus, eò quod *FIDE, LE-*

GE, REGE *careant.* Non deeſſe autem viros in Braſilia, vel Europæis prudentiores, docet Colloquium ſenis alicujus Braſiliani cum Johanne Lerio habitum, & ab hoc enarratum libro Gallico de ſuis peregrinationibus edito, quem allegat Licent. Feller. not. ad Horn. orb. Imper. num. 185. confer Hofm. Lex. A. 305. voce Braſilia.

Verùm *apud Japonenſes, maximo nomen Chriſtianum dehoneſtamento jam diu affecerunt, afficiuntque Hollandi*, qui, ut excluſis Luſitanis ac Hiſpanis ad ſe ſolos commercia cum iſta gente raperent, hanc turpem & impiam iniére conditionem: ut poſtquam naves eorum appulerint, non tantùm omnia ad exploſionem tormentorum bellicorum neceſſaria Inſtrumenta, ſed etiam gubernacula navium, commiſſariis & præfectis Monarchæ Japonici tradere, omnes præterea libros, ſi quos ſecum adduxerint, arcas quoque & ciſtas, juſſi, reſerare teneantur; illa rurſus, abituri omnia recipientes; Inſuper exercitiis Chriſtianæ religionis omninò abſtineant præſentibus Japoniis, adeò ut *ne manus quidem complicare ante cibum, vel poſt aſſumptum audeant*; ſin ſecus faciunt, capitale ſit ipſis, & navi mulctentur. Bernh. Varen. de regn. Jap. 193. confer an. 1646.

LIB. IV. CAP. LIII.

Summaria.

Antinomi in Anglia Americana.
Hutchinſoniæ errores, & exodus.
Wekewalleſii abſurdum de ſalute proditoris Judæ.
Salmurienſes quidam, conditionem & cauſam confundentes.
Commentum, de hominibus è ſolo ſemine fœmineo conceptis, incruſtatum.

IN *Anglia Americana* quidam *Antinomi*, ex Europæa illuc transvecti, ſeduxere nonnullos, & præprimis in ſuas traxére partes *Hutchin-* (aliis *Huchtin*) *ſoniam*, quæ callida, ſagax, & contumaciſſimi Spiritûs mulier, prætextu repetendi ſermones Cottonianos, Boſtoniæ furores illos, hinc in totam regionem, diſperſit. *Opiniones* præcipuæ ſequentes erant: „ Legem, nullum uſum habere, in adducendis ho„minibus ad Chriſtum. *Hominem* eſſe juſtificatum & unitum Chri„ſto *ſine fide*, ab omni æternitate. *Fidem* non eſſe *inſtrumentum* reci„piendi Chriſtum, ſed *diſcretionem*, quod jam receperimus eum. *Ho*„*minem* tantùm uniri Chriſto per opera *Spiritûs*, ſine ullo actu ſuo. „*Hominem* non ante actualiter Chriſti eſſe, quàm *fiduciam* habeat:

„ Hanc

„ Hanc *fiduciam* tantùm eſſe ex teſtimonio *Spiritus*: Hoc autem te-„ ſtimonium Spiritus, tantùm eſſe *immediatum*, ſine ullo verbo. Qui „ ſemel hoc teſtimonium habeat, non amplius *dubitare*. Dubitare „ de certitudine, etiamſi quis fiat latro vel adulter, indicio eſſe, eum „ nunquam habuiſſe certitudinem vel fiduciam. *Sanctificationem*, „ non eſſe bonum ſignum ſtatûs gratiæ. Nullam conſolationem ha-„ beri poſſe ex *conditionalibus* promiſſis. Pauperes ſpiritu, apud Mat-„ thæum tantùm illos eſſe, qui vident ſe nullam gratiam habere. Si „ quis videat, ſe planè non habere grati[illegible] ſolatio futurum; ſed ex „ gratiæ ſenſu conſolationem capere, *legale* eſſe. Hypocritam poſ-„ ſe gratiam habére Adami, quam is habuit in ſtatu Innocentiæ. Gra-„ tiam *Sanctorum* & *hypocritarum*, non differre. *Subjectivè* in Chriſto „ eſſe omnes gratias, & nullas in nobis; ita ut Chriſtus *credat*, Chri-„ ſtus *amet*. Chriſtum eſſe novam Creaturam. DEUM non amare „ hominem plùs propter ullam ſanctitatem, nec odio habere magis „ propter ullum flagitium. *Peccatum*, non debere filios DEI tur-„ bare. Si quis turbetur propter peccata, non eſſe *regulam* vitæ. „ Non teneri Chriſtianum *precari*, niſi Spiritus moveat eum. Mi-„ niſtrum, qui non habeat hoc novum lumen, non poſſe docere alios, „ qui id habent. Totam Scripturæ literam, eſſe fœdus operum. „ Nullum *Chriſtianum* ad officia pietatis adigendum eſſe. Nullum „ Chriſtianum eſſe exhortandum ad *fidem*, *Charitatem*, *preces*, niſi „ ſciamus eum habere Spiritum. Hominem poſſe omnem *gratiam* „ habere, ac tamen *Chriſto* carere. Omnem fidelem activitatem „ tantùm eſſe agere peccata. Hæc monſtroſa Hutchinſonia *tandem relegata in remotiorem quandam Inſulam, ibique ab Indis cæſa & combuſta*, Horn. hiſt. Eccleſ. cum Leidekeri notis, pag. 401. 423. ſeq.

Wekevvalles, Anabaptiſta Gröninganus, multa tùm garriit *de probitate ac ſalute proditoris Judæ*, qui tradendo Chriſtum non peccârit, uti nec ſacerdotes & ſcribæ, juxta ipſius ſententiam; quodque ambo latrones, unà cum Chriſto crucifixi, æquè fuerint ſalvati: Et haſce opiniones tanta urgebat cum vehementia, ut diſſentientes, pro ſatis levi apud ſectam illam excommunicationis vi & pretio, tanquam in Spiritum S. blaſphemos, fulmine feriret Eccleſiaſtico; in quem proinde Magiſtratus animadvertere neceſſum habuit. Illiusque commatis *inter veteres hæreticos nonnulli* extitere, qui factum Judæ aut excuſarunt, aut probarunt, propter ſequutam nempe (ſed non ex facto proditoris per ſe) redemtionem; de quibus lege-

re eſt apud Philaſtrium, Epiphanium, &c. allegante Hornbekio in ſumma controverſiarum lib. 5. 368.

Inquiſitio DEI & Eccleſiæ per Naturæ lumen, ſanioribus Theologis dicta *conditio*, per *Salmurienſes* quosdam pro *cauſa* venditari voluit, puta revelationis Evangelii in adultis extra Eccleſiam; hinc ut Errantes in ſynodo Alenconienſi atro carbone notati ſunt. Chriſtian. Nold. in legib. diſtinguendi, pag. 427.

Superiori ſeculo *Hieronymus Cardanus*, *Georgius Venetus*, aliique nonnulli finxerunt, *quosdam homines è ſolo ſemine fœmineo conceptos productosque fuiſſe*; quibus jure meritoque ſe oppoſuit, eosque confutavit Marcus Merſennus, in fine commentarii in Geneſin. Nec tamen dubitarunt *Medici quidam Gallicani* hoc tempore orbi eodem commento imponere; ſed graviter nugivendulis obſtitit Sorbona Pariſienſis, ex occaſione partûs, quem nobilis quædam fœmina, marito per quadriennium abſente in lucem edidit, ut in ſequenti capite dicetur. D. Hülſem. vindic. S. S. poſthum. 300. & Franciſc. Schaub. B. 1213.

LIB. IV. CAP. LIV.

Summaria.

Synodus Alenconienſis, dogma Hypotheticorum Salmurienſium rejicit.

Controverſiam, an ſoli ſemini fœmineo partus vendicari poſſit? Sorbona definit.

Franciſcus Gomarus, Lyram Davidis promit.

Prodit Belgicè, Corpus controverſiarum Anabaptiſticarum.

Philippus Guadagnolus, Apologiam pro Religione Chriſtiana, Achmedi Perſæ opponit.

Quanta veneratione à Perſis colatur Haly?

Schiſma inter Perſas atque Turcas.

ANno 1637. menſe Julio habita *Hugonottarum Synodus Nationalis Alenconienſis*, ubi rejectum & exploſum fuit *Hypotheticorum Salmurienſium, aliorumque dogma de Catholiciſmo gratiæ Divinæ Redimentis & vocantis homines ad ſalutem*; quia ſit aſſertum, communem Eccleſiarum, quin & Synodi Dordracenſis, adeoque omnium Calviniano-Reformatorum ſententiam perſtringens ac vellicans. Proin ſi curæ cordique ſit ipſis vera & ſincera cum Reformatis Eccleſiis Communio, requiri omninò, ut revocari ſe patiantur ad ordinariam traditivam, vel ſaltem obligari, ſuas opiniones ſibi habere, nec illas ſcripto aut viva voce propugnare. *Paulus Teſtardus* Paſtor Bleſenſis, & *Moſes Amyraldus* Profeſſor Salmurienſis, prolixius probare ſategerunt,

ſe in

ſe in doctrina de Univerſalitate meriti Chriſti, atque annexis articulis, abſoluto inprimis decreto Electionis, cum cæteris Galliæ doctoribus Reformatis conſentire. Tum facta declaratione, à ſynodo pro ſociis agniti quidem ſunt, ut qui in *centro Religionis Calviniſticæ*, hoc eſt, in particulari redimentis Chriſti merito (quantum ad efficaciam vivicantem ac ſalutarem ipſius effectum) inque particulari Electione, ac determinatione voluntatis humanæ, per ſpecialem & efficacem (vocantis & invitantis DEI) gratiam, cum fratribus conveniant, quicquid vel tandem de Catholiciſmo quodam Gratiæ ex hypotheſi Conditionis impræſtabilis, ad pelliciendos in ſuas partes Lutheranos, hactenus docuerint; obſtricti tamen tum ſubſcriptione certæ formulæ, tum juramento, ad vitandam phraſin: *Chriſtum æqualiter pro omnibus mortuum eſſe, & gratiam Redemptionis æqualem eſſe debuiſſe.* vid. Act. Er. Lipſ. 1693. pag. 29. 31. Item, Wittenbergiſchen gründl. Beweiß. contra ſyncretiſt. Rintel. 187. 289. pl.

Tunc etiam in Gallia non parum exercuit Medicos, Jureconſultos, atque Theologos, quæſtio *de partu maſculini ſexus, quem vidua nobilis* Hieronymi Auguſti de Montleon *enixa fuerat, marito per quadriennium abſente, & jam vitâ defuncto.* Aſſeverarat mulier, ſe aliquando cubantem in lecto ſuo, arſiſſe deſiderio abſentis mariti & unionis carnalis cum eo; mox alto ſopitam ſomno, ſomniantem à marito (ſua imaginatione jucundiſſima) compreſſam eſſe, factamque exin gravidam. Cùm ergò filium è phantaſia conceptum, & productum, hæredem bonorum & feudorum Montleanorum ſcribi mater flagitaret; abnuit frater demortui, & contradixit, filium recens natum nothum vocans, hinc obeundæ hæreditatis minimè capacem; in eamque ſententiam ivere *judices ordinarii.* Re verò ad *ſuperiorem judicem Gratianopolitanum* (Parlament zu Grenobles) delata per Mulieris appellationem, poſtquam non obſtetrices tantùm, ſed & Medici (Ludovicus Sardine, Petrus Meraude, & Jacobus Graſſis) teſtarentur, per Naturam fieri poſſe, ut ex unius fœminei ſeminis, vi ardentis deſiderii facta motione, & ſpeciei per vehementem imaginationem addita impreſſione, homo concipiatur & producatur, pro partu quæſtionis pronunciatum eſt. *Sorbona* Pariſienſis demum elapſis aliquot annis confirmata priori ſententia, poſteriorem rejecit, ut ſcandaloſam, nulli non proſtibulo favorabilem, ac intuitu ſanctiſſimæ conceptionis & Nativitatis J. C. ex Maria virgine nimis periculoſam. Ex Eraſmi Franciſci Schaubühn. part. 2, pag. 1213.

Orbem literatum exhilarare geſtiit *Franciſcus Gomarus*, Theol. & Hebr. L. in Gröningæ & Omlandiæ Ordinum Academia Profeſſor, ſua (ſic dicta) *Davidis Lyrâ*, ſeu nova hebræa ſacræ Scripturæ arte pöetica, certis canonibus deſcripta, & an. 1637. Lugduni Batavorum impreſſa; in qua carmina ſacra cum Pindari ac Sophoclis parallelis, magna induſtria confert, & poſt artis fundamenta poſita, demonſtratumque ſvaviſſimum Lyricorum utrinque Carminum concentum, analyſin quorundam Pſalmorum Davidicorum, & cantionum ſacrarum inſtituit. Lyram iſtam *D. Michaël Waltherus* in diſſertatione de Immortalitate animæ rationalis p. m. 104. commendat equidem ut præclarum laborem, ingenioſumque inventum. Sed ex adverſo indignatur *D. Johannes Conradus Dannhauer*, Spiritui S. Sophoclis Cothurnos indui, adque Lyram Pindari, Saltaturientes Moſes, Davides, Salomones induci, tandem in hanc Epicriſin deſinens: *Ejusmodi qui animo volvet, dicturus eſt, ſi mitiſſimè, Gomari Lyram delirare.* Ex Hermeneutica ſacra, pag. 445. ſeq.

Prodiit quoque Belgica linguâ, *Corpus Controverſiarum Anabaptiſticarum*, ubi exactiſſimè tanquam in tabula, variæ Anabaptiſtarum opiniones, ex propriis ipſorum ſcriptis, tanquam in Digeſtis enotatæ conſpiciuntur. Opus arduum & præſtans (Petri Jacobi Auſtro-Sylvii, & Abrahami à Doorenslaar) quod multam lucem cognoſcendis hiſce controverſiis, magnumque uſum confert ad facilè feliciterque diſputandum, loco prodromi factum teſtibus Enchuſanæ ſynodi an. 1630. Actis, ad extruendam hinc plenam Anabaptiſmi confutationem, quòd levi opera ad illam controverſiarum deductionem & expoſitionem addi nunc poſſet; juxta Hornbekium in ſum. controverſ. lib. 5. 373.

Philippus Guadagnolus, Apologiam pro religione Chriſtiana edidit, adverſus Ahmed filium Zin Alöedin, Perſam Aſpahenſem, latinè primùm Romæ an. 1631. & poſt Arabicè an. 1637. Atque Ahmedis Perſæ illum librum, cui titulus, *Deterſor ſpeculi*, ſcriptum fuiſſe adverſus Jeſuitæ alicujus librum, *Speculum veritatem monſtrans*, uti ex Guadagnolo diſci poteſt, ita ejus autorem, ac proinde diſputationum ſcriptionumque inter Amedem & Guadagnolum, primum fuiſſe Hieronymum Xavier, eundem, qui turpiter hiſtoriam Chriſti, Perſicè conſcriptam, mendaciis ac fabulis conſpurcavit, Ludovicus de Dieu docet in præfatione ad hiſtoriam Chriſti Perſicam, Xaverii, à ſe in latinum verſam, atque animadverſionibus in eam ſuis dignè caſti-

ſtigatam: Amed in *Politore* ſuo, Chriſtianis objicit pluſcula Scripturæ, præſertim N. T. loca, quæ inter ſe, vel cum veritate pugnare videantur, iisque corruptionem Scripturæ demonſtrare ſatagit. Philippus in Apologia pro religione Chriſtiana reſpondet, objectaque futilia diſſolvit; contundens deinde Muhammedanorum pro ſuo Propheta exceptiones, & excuſationes. Hornbek. in S. C. lib 3. 81. 103. 109.

Alioqui licet Amedes iſte ad exemplum conterraneorum ſuorum, pro Mahumete tanquam Propheta DEI, proque Corano ſeu Alcorano totis pugnet viribus, expoſitionem tamen Sectamque *Hali* ſequitur, tanquam Præceptoris & Regis fidelium, tantùm non ſupra Mahumedem collocandi; quia Gabriel in mandatis habuerit Alcoranum ad Halin deferre, ſed per imprudentiam dederit Muhammedi; Deum verò errorem tuliſſe, ac voluiſſe, ut Hali ſtatim ſuccederet Muhammedi. Hinc Perſæ diris devovent Abubekrum, Omar, & Oſman, qui poſt Mahmedis obitum, Haly ſucceſſionem in Imperio præverterint; hinc *ſchiſma inter Sectatores Impoſtoris Magni*, quod in hunc usque diem implacabili odio & ſumma animorum exacerbatione durat inter Perſas, Syros, & Ægyptios, illis *Alin*, his & reliquis Saracenis Omarum, Turcis *Abubekrum* ſequentibus; hinc *diſtingui voluere Tulpantis*; Turcæ enim ſuum habent ex lino, Perſæ ex lana. Horn. H. E. cum not. Leidek. pag. 247. Horn. O. J. cum not. Feller. 422. ſeq.

Sanè *quàm inſigni veneratione Alin*, patronum ac deaſtrum ſuum, *Perſæ proſequantur*, cum Legatis Holſaticis ad Schach Sefi miſſis anno 1637. & 1638. Adam Olearius præſens obſervavit Schamachiæ & Reſchtæ, cùm ejus Parentalia ſingulari ſolennitate celebrari videret, audiretque hoc elogium: *Aly quidem non eſt ipſe Deus, verùm Divinitati valde propinquus eſt.* Quin apud eos in proverbium abiit: *Alim pro Deo non agnoſco, ſed non procul à Deo eum eſſe ſcio &c.* Olear. Itin. Perſ. lib. 4. cap. 19. Hott. Hiſt. Or. p. m. 594. pl.

LIB. IV. CAP. LV.

Summaria.

Imperator Ferdinandus II. decedit, magnus pro ſacris Pontificiis Zelotes,

Sueci ad mare Balthicum usque fugati.

Ehrenbreitſtein/ Gallis extortum.

Gallorum, Belgarum, Hiſpanorumque arma, variis obnoxia viciſſitudinibus.
Mina Guineæ, cum inſigni Hiſpanorum damno, ab unitis Batavis occupata,
Ferdinandus III. Thronum Imperatorium conſedit.
Legati Holſatici à Perſarum Rege honorificè admiſſi.
Cantimirii Tartarici ſeceſſus in Moldaviam, infauſtus.
Nuptiæ Uladislai IV. Reg. Polon. & Eberhardi III. Ducis Wirtenberg.
Mors Bogislai XIV. Pomeraniæ Ducis ultimi, & Wilhelmi Haſſiæ Landgravii.
Item, Victoris Amadei Sabaudi, & Caroli Mantuani.

MEnſe Februario *Coronam cum vita depoſuit Ferdinandus II. R. Imp.* ſub quo mota ſacrâ religionis anchorâ, Imperium Germanicum decumanis fluctibus perpetuo agitatum, nec ante obitum ejus in portum conſtitui potuit. Princeps fuit omnibus virtutibus Regiis ornatiſſimus, zelo autem in Pontificia ſacra nulli ante ſe Cæſarum ſecundus, qui ſi devotione ſua tàm Evangelicus fuiſſet, quàm fuit Pontificius, Conſtantinum & Carolum M. æmulari potuiſſet. In ipſo ſuſcepti regiminis exordio Laureti coram S. Virgine Deo Max. vovit, vel cum vitæ diſcrimine abacturum ſe ſectas ſectatumq; Magiſtros è Stiria, Carinthia, Carniolia. Idemque pòſt, Ungariæ ac Boëmiæ jam Rex, & Cæſar, ſe in Boëmia illique regno adjunctis provinciis acturum, Cellis Deiparæ promiſit. Octo dein ante obitum annis obſtrinxit ſemet, nullis defuturum occaſionibus ad Hungariam ſub Virginis patrocinium reducendam. Præſtitit vota, & putatur centies centena millia hominum ad Eccleſiam Romanam duxiſſe, vel traxiſſe; non ſemel profeſſus, malle ſe cum conjuge ac liberis, ſolo Scipione inſtructum ire in exilium, oſtiatim panem mendicare, in fruſta concidi, quàm injuriam Deo Eccleſiæq; ab hæreticis (ita Evangelicos vocabat) in ſubditis ipſi provinciis illatam diutius perferre. Rudolpho à Tieffenbach/ Baroni Auſtriaco, acceſſum ad Romanenſium Partes, hiſce verbis proprio calamo exaratis gratulatus eſt: *Exoſcularer tui capitis verticem, ſi tibi præſens adeſſem. Mariam* Virginem, datis ad duces bellicos literis mandatisq; vocavit *Generaliſſimam.* Ardenter egit cum Pontifice, ut Virginem ſine originali macula fuiſſe conceptam pronunciaret. *Jeſuitas* vehementer coluit, Auguſtæ & alibi ſæpius aſſerens: D. Ignatio ſua ſe omnia peculiari curâ commiſiſſe, voluiſſe ab illo ſua vota dirigi, per illum Deo exhiberi, &c. Burgold. Not. Rer. Imp. part. I. p. m. 296.

Rotâ

Rotâ fortunæ verſa, *Suecos* rejecere Cæſareani, ex omni propè Germania, ad extremum Balthici maris angulum; *Bannierius* enim extrema hyeme Lipſiam fruſtra oppugnans, hoſtium adventu Torgam primò recedere, dein Pomeraniam repetere, coactus eſt, fugatus ad ipſa Stetini mœnia, ſubſiſtens ibi, donec è libero mari, quod in Suecorum erat poteſtate, recentibus ſuppetiis confirmaretur. Turſell. app. hiſt. 2. 63.

Interea *Saxoni & Brandenburgico* ſpatium fuit ſua recuperandi, quæ adhuc Suedicis præſidiis tenebantur. *Verdanus* autem *Erenberti lapidem* (Ehrenbreitſtein/ vel Hermanſtein) acceſſu inviam arcem ad Rhenum, firmiſſimum Germaniæ munimentum, quod Galli hactenus tenebant, longa obſidione cinctum, deditione tandem, cæſis commeatum inferre molientibus Haſſis, cepit; Ipſum etiam Vinarienſem, qui Gallicis copiis Rheno ſupra Argentoratum trajecto, terrore Germaniam impleverat, repulit. Epit. R. G. pag. 206. 210. ſeq. Burgold. A. 132.

Sed in Belgio, Burgundia, Hannonia, Arteſiaque, *Galli* varia *Hiſpanis* oppida extorquebant; rejectis etiam non ſine clade Iberis, qui Pyrenæos montes transgreſſi, derepente Aquitaniam invaſerant. *Hollandis*, recuperato *propugnaculo Schenkiano*, *Bredam* quam ante duodecim annos Spinola ceperat, iterum ſuæ poteſtati ſubjecerunt; *Hiſpanis* tamen medio tempore *Venloam & Ruremundam* expugnantibus. Turſell. app. 2. hiſt. 64.

In Africa, celeberrimum Guineæ propugnaculū, ab Unitis Belgii Statibus Hiſpanis ereptum. *Mina* nomen munimento, adjacetq; Mari Æthiopico; ibi commiſſa cum Æthiopibus felici pugna, Hollandi poſt triduanam Arcis oppugationem, loco per deditionem potiti ſunt. Hinc *Æthiopici litoris negotiatio Hiſpanis turbata*, & Orientalis navigatio longè infeſtiſſima eſt reddita. Hofm. Lex. part. I. 1041. pag.

Sub hæc *Ferdinandus tertius* Rex Hungarorum, Bohemorum, Romanorum, ab Electoribus Ferdinando ſecundo, fatis functo, ſuffectus eſt, qui tandem Imperio diu deſideratam pacem clementer induſit, ut ſuo dicetur loco. Burgold. Not. Rer. Imper. A. 300.

Menſe Auguſto hujus anni, *Holſatiæ Ducis Friderici, ad Perſarum Regem Schach Sefi, transmiſſi Legati*, clementer in urbe Iſphahan *admiſſi, & auditi ſunt*, poſtque Audientiam magnificentiſſimè inſtructo exhilarati convivio, quo nobili *Mandelslovio* licuit pateram vino impletam de manu in manum tradere Regi, qui exhauſtâ illa viciſſim,

ſim, in ſingularis gratiæ ſignum, elegantiſſimi coloris *pomum* porrexit Mandelslovio, isque hunc influxit in animos & æſtimationem aulicorum omnium. Quo minus autem Legatorum Negociatio ad optatum finem perduceretur, Mercatores Hollandici obſtitere. Zeil. Epiſt. B. pag. 813. Olear. in Itiner. Perſ. lib 3 pag. 500. pl.

Tum *Cantimirius* Tartarorum Tauricanorum Præfectus, cum magna Procerum & clientum manu ſoli bonitate illectus, *in campos Moldaviæ vicinos*, relictis patriæ anguſtiis, *ſeceſſerat*, indeque in Moldaviam colonias transferebat, connivente Amurathe Turcarum Imperatore, quod Tauricanos, gentem acrem & bellicoſam, in ſubitos belli impetus vicinam utilemque haberet. Sed magnus Tartarorum Princeps injuriam non tulit, itaque collectis copiis Cantimirium, cæſis aliquot millibus, profligavit. Jamque perſequebatur fugientes, atque Turcarum, aut Poloniæ finibus, ne illum eò victoriæ curſus inferret, timebatur, cùm *Amurathes* vocatum ad ſe *Cantimirium ſtrangulari juſſit*, permiſitque Chamo Tartarico, Tauricanos ut ſuos in Cherſoneſum ad veteres ſedes compelleret; ex quibus dein Proceres aliquot capitaque ſeditionum, juſſu Amurathis, una nocte necati ſunt, pari Turcarum levitate & in recipiendis, & in puniendis transfugis. Turſellin. append. 2. hiſt. 65.

Poſtquam *Uladislaus IV. Poloniæ Rex* diu de *Matrimonio* cum Regni Ordinibus conſultaſſet, *Cæciliam Renatam* Ferdinandi II. Imper. filiam elegit, quæ Septembri menſe Viennâ Varſaviam deducta, ſolenni ritu coronata, Regique deſponſata fuit. *Eberhardus III. Wirtembergiæ Dux Conjugem* ſibi junxit *Annam Catharinam*, Johannis Caſimiri, Sylvarum & Rheni Comitis, ex Dorothea Solmenſi gnatam. Turſell. cit. loc. Joh. Val. Andr. epiſt. 575. pag.

Mortem obierunt, *Bogislaus XIV. Pomeraniæ Dux*, qui cum vita *familiam clauſit*. *Wilhelmus Haſſiæ Landgravius*, qui ex Principibus Imperii hoſtis Cæſari ſupererat, & relicta Caſſella in Phriſiam fugiens, ibi fato functus, poſtquam ditionum & liberorum tutelam Regi Galliæ commendaſſet. Haſſum *Sabaudiæ Dux Victor Amadeus* morte, & pari ante mortem voluntate ſecutus eſt. Eodemque anno *Dux Mantuæ Carolus*, fatis conceſſit, relicto unico ex filio nepote octenni. Imhof. Not. Procer. 123. Turſell. c. l. 63.

LIB. IV. CAP. LVI.

Summaria.

Quæſtio de CHRISTO, nimis curioſa.
Caſus Leodienſis tragicus.
Filius parricida.

Rudolphi Stadleri, & Eliæ Bekii fata, quæ ſubierunt apud Perſas, dolenda.
Beata emigratio Eraſmi Schmidii, L. Gr. Prof. Wittenb.
Et Joh. Taurini, Rectoris Scholaſtici ſemiſecularis, Oringani.

EA eſt natura & curioſitas humani ingenii, ut ſæpè res in medium proferat, deque iis contendat ac diſceptet, quæ ne cogitandæ quidem videbantur. Ita ſub Camatero, Patriarcha Conſtantinopolitano (qui biennio poſt magnæ urbis expugnationem Turcicam vivis exceſſit) quæſtio illa miro ardore à nonnullis agitata eſt: *Num Chriſtus etiam opus Naturæ, ſicut cæteri homines, feciſſet?* aliis rem affirmantibus, aliis verò negantibus. Inde ad hunc usque diem fluit odium plusquam Vatinianum inter Græcos, & Armenos Chriſtianos, de quo ſupra cap. L. in fine dictum. Confer Hilar. in Cyprii Chron. pag. 208. Topogr. Hott. 69.

Leodii Conſul Ruellius, à Comite *Warfuſæo* ad convivium invitatus, mox autem poſt comparitionem ab armatis perſonis in proximum conclave deductus (ut conſcientiam in ſinum Sacerdotis exoneraret) atque confoſſus eſt. Re à famulorum uno enunciata, furibunda plebs effregit Comitis ædes, ipſumque trucidavit, per plateas deinde tractum in partes diſſecuit, & urbis eas portis affixit. Poſthæc funus Conſulis pompoſè ductum, ac viduæ ſtipendium honorarium ſancitum. Calviſ. contin. Chron. 1014.

Erffurti Studioſus quidam *Zieglerianæ familiæ*, cùm vino ſe ingurgitaſſet, proxima nocte *patrem enſe lethaliter vulneravit*. cujus inſequutam altera die mortem, morte propria luit filius, publicè in area decollatus. Zeiler in tragicis, pag. 348.

Rudolphus Stadler, Tigurinus, poſtquam in urbe Iſpahan Regi per quinquennium in conficiendis horologiis laboraſſet, firmiter ſibi propoſuerat cum Legatis Holſaticis redire ad patrios lares. At, quùm ferè ſtaret in procinctu, accidit eheu! ut infelix Helveticus ad expellendum è domo furem nocturnum, qui reculis ipſius inhiabat, ſclopetulum ſolveret, ac hominem nequam globulo trajiceret. Ad judicium propterea tractus Rudolphus, mox damnatoriam audivit ſententiam, niſi carnis circumciſionem admitteret, eoq; ſe Mahumetanis aſſociaret; negans unquam ſe facturũ hoc, ſed *in fide Chriſtiana moriturum aſſeverans, à Perſis* (fruſtrà intercedentibus Legatis) *minutim conciſus eſt*, honorificè tamen ſepultus; Brugmanno funus inſtruente, juxtaq; Holſatos id comitantibus Legato Ruſſico, Gubernatore Armenorum cum fratribus, aliisq; fidei ſuæ ſociis, & Europæa-

LIBER V. HISTOR.

Siſtens Memorabilia, quæ contigere ſub Imperatore FERDINANDO III.

ab anno 1638. ad reſtitutam usque & publicatam Germaniæ Pacem Oſnabrugo-Monaſterienſem.

CAPUT PRIMUM.

Summaria.

Auguſto, Saxoniæ Principi, Archiepiſcopatus Magdeburgicus, compoſitâ controverſia cum L. W. Auſtriaco, ſolenniter confertur.

Templum Poſonienſe Lutheranum conſecratur.

Mortalitatem exuunt Lucas Oſiander, cujus ardor in vindicanda puriore doctrina excuſatur.

Item, Georgius Zeæmannus, de cujus Reverſalibus pluſcula.

Cyrillus Lucaris, Patriarcha Conſtantinopolitanus, tandem calumniis Pontificiis miſerè ſuccumbit.

ANno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum trigeſimo octavo, dignitas *Archi-Præſulatus Magdeburgenſis*, ad inclutam *Saxoniæ* Domum devoluta eſt, adeoque ad *Auguſtum*, Septemviri Johannis Georgii filium, cui Diœceſis *Halæ Saxonum* ſolenniter commendata. Equidem jam ante decennium, cùm Edicto Ferdinandi ſecundi Epiſcopatus ille repeteretur à Papicolis, Capitulum, Proceres, imò ſubditi Magdeburgici, quò firmioribus munimentis inſiſterent, Auguſtum illum in proſcripti *Chriſtiani Wilhelmi Brandeburgici* locum poſtularant; ſed Romanus Pontifex, dirus Imperii turbator & concuſſor, Juniorem *Cæſaris filium Leopoldum Wilhelmum* in contrarium Archiepiſcopum deſignavit, qui tamen poſſeſſionem, gliſcente adhuc inter ipſum & Electorem controverſia, non apprehendit. Poſtea cùm Cæſaris Legati nomine ArchiDucis inaugurationem Hallis procurarent, ac Reformationem inciperent, ægrè hoc tulit Saxo, cujus filius in Magdeburgenſem Adminiſtratorem aſſumptus de injuria querebatur. Inprimis etiam id peſſimè habuit Chriſtianum Wilhelmum, Brandenburgenſem, dudum Admi-

miniſtratorem, cui hac inauguratione Leopoldi Wilhelmi ſua ditio, ſuique reditus adimerentur. Chriſtianus itaq; quùm per ſe parum potens eſſet, cognatum Saxonem, & Suecum cauſæ patronos ac defenſores adſcivit, atque cum Mareſchallo Suecico Theodoro Falkenberg Magdeburgum intrans, anno 1630. inauguratus eſt. Secuta dein obſidio, & an. 1631. expugnatio, in qua tota urbs à Cæſareanis exciſa, flammisque, ut altera Troja, deleta. Tum Elector Suecis arctiori fœdere junctus, armis arma oppoſuit, usque ad *pacificationem Pragenſem, cujus vigore dictus Archipræſulatus Auguſto relictus*, & hoc anno conſuetis ſolennitatibus demum collatus fuit, quem dein per omnes vitæ dies retinuit. Bak. in expoſ. Evang. part. 2. præf. lit. d. Burgold. Not. Rer. Imp. III. pag. 115.

Poſonii, i. e. Presburgi, *SS. Trinitatis templum publico Lutheranorum cultui dicatum*, & conſecratum vigeſimo ac vigeſimo primo Decembris, Zeillero teſte in epiſtolis tom. 2. pag. 610. Eſtque *Poſonium* urbs primaria Superioris Hungariæ, inter hanc atque Germaniam quaſi limes, juxta verſiculos: Hic ubi Poſonium conſurgit mœnibus altis, Limes Teutonicis, Hungaricisque viris. Hofm. Lex. B. 199.

Vivendi clauſulam in his terris fecit *Lucas Oſiander*, Andreæ frater, & Lucæ filius, SS. Theol. Doctor ac Profeſſor celebris in Academia Tubingenſi, Eccleſiæ ibidem loci Præpoſitus & Univerſitatis Cancellarius optimè meritus; pluſculis adverſus Lojolitas, Calvinianos, Anabaptiſtas, Menzerianos item, ut & Arndianos, vulgatis ſcriptis paſſim in Germania notus; inſignis didacticus, qui dexteritate claritateque ſingulari præcipua & maximè ardua religionis capita enodabat, ac ſimilitudinibus idoneis ſagaciſſimè & prudentiſſimè adhibitis illuſtrabat; Polemoſophus non minori laude dignus, potens ad arguendum doctrinâ ſanâ, & convincendum contradicentes; id quod ſæpius demonſtrabat magno animi ardore, perfecto habens odio, qui DEUM odére; imò exterminatos cupiens videre gregis Dominici vaſtatores. Viſus fuit quibusdam hac in parte *vehementior & acerbior*; „ Satis autem, inquit ejus parentator, excuſatum habebunt, qui, quanta ab ingruente luporum rabie ſit metuenda pernicies, quàm facilis & proclivis à fide ad infidelitatem „ lapſus, quàm celeriter morbidus falſæ doctrinæ cancer ſerpat, diligentius cogitabunt. Non ſemel, M. N. pergit, illum quorundam „ vel ignavam ſocordiam, vel præpoſteram prudentiam accuſantem „ atque deteſtantem audivi, qui vel officio ſuo ſatisfactum putant, ſi ve-

„ ſi veritatem ſanæ doctrinæ ſimpliciter tradant, ab omni autem a-
„ lienæ ſequioris inſectatione ſibi caveant; vel tempori cedendum,
„ neque crabrones, magno & exitiali rerumpublicarum malo, irri-
„ tandos arbitrantur. Abſurdiſſimum eſſe dicebat, profiteri paſto-
„ rem, ac defendendi gregis curam abjicere; velle tueri veritatem
„ fidei, & vaſtatores ejus non reprimere: An ullum tempus aptius
„ poſſit eſſe defenſioni, quàm id, quo oppugnatur, quo calumniis
„ & inſectationibus adverſariorum laceratur; quo lupus imminet
„ ovi, mortiferæque inſidiæ ſimplicioribus tenduntur? An prodenda
„ ſit veritas cujuscunque boni cauſa? An diffidendum DEO, ne for-
„ tè non ſervet, qui ipſius causâ periclitantur? An magis metuen-
„ dum hominem, quàm Deum? Cætera facie tetragonos in utraque fortuna fuit, agoniam ſuam finiens ætat. 68 tempore turbulentiſſimo. D. Nicol. in Orat. fun. 18. ſeq. Jub. Acad. 2. pag. 103.

Eadem tempeſtate ad ſuperos migravit *Georgius Zeamannus* D. Theol. & Superintendens Stralesſundinus in Pomerania; Tractatu de Ratisbonenſi Colloquio, Imagine DEI, Carnificinâ Jeſuitica, Papiſmo, Athleta larvato & ſtramentitio, Grezero triumphato, Jeſuita vapulante, Baſi fidei, de S. Scriptura, & aliis libris piè ac eruditè concinnatis clarus. Ante decennium à Forero, aliisque Lojolitis inſimulatus criminis libellorum, quos famoſos vocant, ſparſorum in ignominiam Papæ, Jeſuitarum & Monachorum; ut & Calumniarum criminationumque in ipſos Cœlites, v. g. Franciſcum, Eliſabetham, aliosque ſanctos, præſertim in Beatiſſimam Virginem Mariam; Cæſaris mandato per Commiſſarios & milites *Ehrenbergam* in Pathmum Tyrolenſem, Campiduno, ubi tum Eccleſiaſten egerat, abductus, arctæque cuſtodiæ mancipatus, nec ante dimiſſus fuit, quàm *Reverſales* ad præſcriptum relinqueret. *Ob has dein à multis malè Zeamannus audiit*, quaſi per eas Religionem Papanam pro antiquiſſima & verè Catholica; ſemet pro ejusdem Calumniatore, ac blaſphematore ſanctorum DEI; Papam denique non tantum pro ſancto, ſed pro ipſa ſanctitate, declararit, cum obligatione, in poſterum abſtinendi à concionibus ad populum habendis; & à famoſis libellis, aliisque ſcriptis injurioſis adverſus DEI (opinione Romanenſium) ſanctos, adverſus Papam R. ac Papanos omnes; ideoque Pontificiis anſam plauſûs & jubili, Evangelicis autem ejulatûs & ſcandali non minimam præbuerit, &c. Verùm enim verò poſtquam ea de re Facultatem Theologicam Tubingenſem Noſter plenius informaſſet,

accuratè *diſtinguendum eſſe inter verba Cæſaris*, tanquam acerrimi Pontificii, *Narrativa*, &, *inter diſpoſitiva ſeu obligatoria ipſasque Reverſales ingredientia*; quæ duorum generum verba per tertium quendam, ex grandi errore ac imprudentia, mixtim & confusè in chartam biancam conjecta fuerint, eo reſpectu Zæmanno t. t. captivo minime indifferenter attribuenda. *Prioris generis* fuiſſe, & eſſe, quæ de religione Papana, de ipſo Papa, de ſanctis Papiſticis, deque calumniis & blaſphemiis adverſus eos, tanquam indubiè veros atque ſanctos, perperam effuſis, in reſcripto Cæſareo contineantur, ex quo demum Reverſales formari debuerint, ac ſubſcriptione firmari; *Poſterioris* autem *generis* fuiſſe, & eſſe: Zeæmannum uſque ad ulteriorem C. M. ordinationem, abſtinere velle, ac debere a concionibus ad populum habendis, à famoſis libellis concipiendis & ſpargendis, ab injurioſis denique ſcriptis in perpetuum. Non ad illa, ſed ad hæc tantùm, ſecundum ſubjectam Examinationis & actionis Ehrenbergenſis materiam intellecta, obligationem ac ſubſcriptionem Zeæmannianam fuiſſe, & eſſe extendendam, accipiendamque; hinc igitur neque Pontificiis juſtæ gloriationis, nec Evangelicæ fidei conſortibus offenſionis materiam præberi. Poſtquam, ut ante diximus, Noſter Theologos Tubingenſes, aliosque plures, hoc modo informaſſet, mentemque ſuam & verum obligationis Cæſareæ Majeſtati exhibitæ ſenſum explicuiſſet, acquieverunt illi, & optimum virum culpâ liberarunt. Stratem theatr. hiſt. 1137. Apolog. Zeæman. pl.

Cyrillus Lucaris Patriarcha Conſtantinopolitanus, Græcus, t. t. *delationibus & calumniis Papiſtarum circumventus, juſſu Imperatoris Turcici, laqueo ſtrangulatus, ac in Mare projectus eſt. Leo Allatius* hoc aſtutè diſſimulans, quaſi Papicolæ extra omnem culpam forent, alicubi pluſculos poſt annos ſcripſit: Eum à Græcis, facta Cyrilli deteſtantibus, totius Cleri aſſenſu de throno deturbatum, carceri incluſum, & paucis poſt diebus juſſu Turcarum Principis necatum eſſe. Sed *Angelus Petricca*, Pontificis Rom. partes eo tempore Conſtantinopoli gerens, ipſemet ſponte faſſus eſt, atque jactanter, ſe dejeciſſe ac proſtraviſſe Lucarim, damnatæ, ut ejus verba habent, memoriæ, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Antiſtitem. Equidem negari nequit, è Græcis Epiſcopis & Presbyteris haud paucos in Archi præſulem iſtum infenſo fuiſſe animo, tùm ob alias quasdam cauſas, tùm ob hanc potiſſimum, quod is in Calvinianos nimium propenſus videretur, & ſuſcepiſſe, quam illi præſcribunt expoſitionem

fidei,

fidei, propalam deprehenderetur; ſed communi aſſenſu totius Cleri Græcanici, eundem tam atrociter ſede deturbatum, & ad mortem crudeliſſimam ignominioſiſſimamque abreptum fuiſſe, hoc à vero longiſſimè abeſt. Inſtinctu & artibus *Cyrilli* cujusdam *Berrhöenſis Metropolitæ*, Lojolitarum diſcipuli (ut fert relatio virorum fide dignorum) Cyrillus Lucaris apud Imperatorem Turcicum, contra Perſas tunc bella gerentem, per literas delatus, proditionis accuſabatur ſequentem in modum: *Patriarcha ſenior inſidiatur Regno, & is ipſe eſt, qui ſcripſit ad Moſcum, ut occuparet urbem Tanais*, quam Moſcoviæ Coſſacci Turcis paulo ante eripuerant. A Papæ creaturis addita complura, quibus odium & indignationem Sultani adverſus Lucarin concitare quovis modo ſtudebant, ut eo Patriarchatu dejecto, & capite multato, Berrhoënſis in ſedam promoveretur, beneficio ſummæ pecuniariæ, quam dare promiſerant. Ita permotus Imperator, abſolutam poteſtatem conceſſit Lucarin occidendi; dictum factum ſine mora; nam ſedente Patriarcha cum famulitio in æde præſulatûs, inopinatò venit quidam Tribranus, apparitoribus quatuor ſtipatus, & abducit Lucarin cum famulitio in novum Caſtrum, in Occidentali ſitum littore, ac latereBoſphori Thraciæ propè Galatam, ubi valida in turri concluduntur, & à Turcis cuſtodiuntur. Paulò poſt approperant quindecim Ganizari, cum quæſtoribus rerum Capitalium, cumque Carnifice, Cyrillum prehendunt, eductumque in paratam naviculam conjiciunt, occidendum; interim ſimulantes, quaſi vellent eum in exilium mittere, quo fine aliam navim conduxiſſent, ſtantem apud S. Stephanum (eſt nomen loci) propè ſeptem turres, in ea Conſtantinopolis parte, quæ ad Helleſpontum vergit. Cùm autem in locum truculentæ occiſioni deſtinatum veniſſent, ſole jam occidente, paululum exſpectant; ingruente mox nocte, faucibus injecto fune ſenecionem ſuffocant; corpusque interſecti tandem in Mare præcipitant, ne in poſterum reperiri poſſet. At enim dicitur, quod nonnulli Chriſtiani, caſum acerbè ferentes, umbrâ corporis obſervata, præcipitatum Eccleſiarcham extraxerint, & in Monaſterio aliquo clàm depoſuerint, uſque dum commodiori tempore, honeſtâ ſepulturâ terræ mandari poſſet. Hæc de *Cyrillo Lucari* nos, qui nec dogmata Calviniana probamus, nec viri, cætera doctiſſimi, ærumnis atque malis inſultamus, prolixiùs nonnihil proponere voluimus, ut benevolus Lector, harum rerum præſertim ignarus, atque libris unde hæc deſumpta deſtitutus, pleniorem aliquam

quam de vita & morte hominis, cognitionem haberet, ac tanto melius accuratiusque de omnibus judicare poſſet. El. Vejel. in def. Ex. de Eccl. Gr. 102. & Hilar. in Cypr. Chron. 455.

LIB. IV. CAP. II.

Summaria.

Papicolæ, purioris doctrinæ confeſſores in Sileſia denuo fervide perſequuntur.

In Hungaria, contra libertatem Religionis, Evangelicæ partis, iidem acriter proteſtantur.

In Japoniæ provincia Arimenſi, Chriſtianorum XXXVII. millia ſimul cæſa perhibentur.

Naturæ ſatisfaciunt Hieremias Drexelius; & Cornelius Janſenius.

IN *Sileſia*, Clero papali opus Reformationis denuò flagranter urgente, purioris doctrinæ, & *Evangelicæ veritatis Confeſſores* iterum iterumque *duriter & acerbè habentur.* Etenim perpetuæ ſeu continuæ ſunt Eccleſiæ, verè Chriſtianæ, *perſecutiones* in hoc ſublunari orbe, mutatis tantùm perſonis & locis. Nam licet alicubi DEUS quaſi inducias aut halcyonia quædam concedat, in his illisve regionibus Tyrannos & malorum incentores removendo, aut interjiciendo bella, aut alias immittendo clades ac remoras; interea tamen cæteris in Mundi plagis non feriantur Satanas ejusque organa, mox etiam rebus ibi ſuis ex voluntate peractis, priora repetere loca geſtiunt, idque dum ſuccedit faciliùs, graſſantur impetuoſius, &c. Burgoldenſ. Not. rer. Imp. B. pag. 136. Wigand. de perſecut. pior. 59.

Cùm anno 1638. *Evangelici Hungari, Religionis libertatem* in Comitiis Poſonienſibus à Ferdinando tertio, vigore veterum pactorum poſtularent, ac ſolennem illius confirmationem peterent, *Pontifici Romano addicti Status*, acrem produxere *proteſtationem*, eamque Regi obtulere, in hunc Epilogum deſinentem: „ Quæ (à nobis allata,) „ cùm ita ſint, Majeſtatem veſtram obſecramus per miſericordiam „ DEI, per animæ ſuæ ſalutem, per inclytæ Domûs Auſtriacæ illibatam fidem, per æternum poſteritatis de M. V. judicium, ut hanc „ libertatem religionis, omnibus Regni noſtri legibus contrariam, „ concedere non velit, articulisque includi non patiatur: Sed contenta ſit V. M. tolerare, quod corrigere non licet. Si verò, quod „ abſit, Majeſtas veſtra ſtatuerit aliter faciendùm, Nos omnes ac ſinguli Prælati, Capitula, Conventus, cæterique omnium Ordinum „ Status Eccleſiaſtici in Hungaria, coram Divina Majeſtate, glorioſiſ-

„ ſima-

„ ſimaque Virgine Maria, item coram V. M. ac toto Mundo proteſtamur, Ordinem Eccleſiaſticum nunquam conſenſiſſe, nec deinceps conſenſurum eſſe in hanc libertatis conceſſionem; atq; adeò ante tremendum juſtitiæ divinæ Tribunal rationem animarum, quæ, occaſione hujus libertatis, æternæ damnationi adjudicabuntur, à ſe transſcribere. Rogamus verò M. V. ut hanc noſtram proteſtationem benignè & clementer ſuſcipere dignetur. Deus enim, qui corda ſcrutatur & renes, teſtis eſt, quod nullo alio fine hæc noſtra reclamatio & proteſtatio à nobis profecta ſit, quàm ut noſtræ inprimis, quos Deus animarum ſaluti procurandæ præfecit, deinde verò etiam cæterorum Conſcientiæ conſuleremus. Quod ſupereſt, M. V. diu feliciterque ac dignè imperare, à DEO votis omnibus & ſacrificiis contendemus! Erneſt. de Euſeb. in judic. Theol. de Pace Weſtphal. 38. ac Dorſcheus in Anticriſi ad jud. 211. pag.

In Japonia Chriſtiani t. t. in *Provincia Arimenſi*, perſequutionum immanium pertæſi, *arma arripuerunt*, & collecto ſeptem ac triginta millium hominum exercitu, caſtra communiverunt; ſed eductis adverſus eos ducentis millibus armatorum, cùm ſtrenuè reſtitiſſent, & plusquam ſexaginta millia ex hoſtibus interfeciſſent, *ad unum omnes cæſi ſunt*. Ex Act. Lipſ. Erud. de an. 1690. pag. 248.

Sub hæc mortalia explevit in Bavaria, *Hieremias Drexelius*, Bavariæ Ducis & Electoris Maximiliani Confeſſionarius, Jeſuita celebris, ac paſſim in Germania notus, præſertim ex variis, quos, dum vivebat edidit, libellis, ad promovendam pietatem Chriſtianam, & ritè componendos mores, vel, ut loquitur Magnus ille gentium Doctor, ad vivendum piè, juſtè, ſobriè, collimantibus. Ex poſthumis eſt *Joſeph, Ægypti Prorex*; *Daniel, Prophetarum Princeps*; uterque morali doctrina illuſtratus, &c. Model. in Tab. Chronol. ac Dorſch. diſſert. de Angel. quint. pag. 359.

Eodem anno vivendi finem fecit *Cornelius Janſenius*, Epiſcopus Yprenſis in Flandria. Natus anno 1585. in obſcuro Belgii loco Leerdam/ Ultrajecti primò, dein Lovanii literis incubuit, hinc Theologiæ Doctor & Profeſſor, ter in Hiſpaniam ad Regem Catholicum Academiæ nomine Legatus. Quinto poſt Profeſſionem laudabiliter obitam anno, *ad Cathedram Yprenſem* nominatus eſt, nimirum *eodem die quo natus*, ac vertente anno ſimiliter *eodem die in Epiſcopum conſecratus*; Verùm ut ſunt fluxæ & caducæ res humanæ, vix anno cum

dimidio in ea dignitate exacto, digniſſimus longiori vita habitus Præſul obiit, peſte extinctus. E Patribus, Auguſtini opera omnia vel decies legiſſe dicitur, libros verò de Gratia Divina & libero arbitrio plus tricies, à capite ad calcem, decerptis, & in adverſaria per claſſes, quæ in rem videbantur, diſtributis. Commentarios in Pentateuchum, Eccleſiaſten, & in Evangelia ſcripſit, inprimis autem librum, cui titulus eſt: *AUGUSTINUS*, ingentium cauſam turbarum, ut ſuo dicetur loço. Huic operi ſe natum, & ubi abſolviſſet, mori paratiſſimum dictitabat, quod ei profectò evenit, Nam peſtilenti ac lethali morbo correptus, moribunda manu noviſſimas lineas duxit, & in fine ac ipſo puncto perfecti operis finivit ſimul vitam; Nec alia *Teſtamenti* ejus cura ſolicitior, quàm ut fideles amicos rogaret, ne fœtus inſtinctu, quod credebat, Divino tot vigiliis ac laboribus ab ipſo efformatus, ſupprimeretur, & non veniret ad partum. vid. Hofman. Lex. univ. A 487. J. Ad. Oſiand. in Specim. Janſen. pag. 1. ſeqq.

Diverſus hic eſt *Iprenſis* Epiſcopus, à *Gandavenſi*, ejusdem nominis, de quo Aubertus Miræus, Canonicus Antwerpienſis, in Elogiis illuſtrium Belgii Scriptorum: ,, Fuit in hoc viro, inquit, præ,, ſtans ingenium, exacta trium linguarum, Latinæ, Græcæ, & He,, braicæ cognitio, ſingularis prudentia, eximius rerum uſus, inpri,, mis verò ſummum Religionis ac pietatis ſtudium. Fertur primus ,, Gandavenſium Epiſcopus fuiſſe, ad Concilium Tridentinum à ,, Philippo II. Hiſpanorum & Indorum Rege miſſus. Multis incla,, ruit ſcriptis, nominatim Commentario in Pſalmos Davidis, Pro,, verbia Salomonis, librum Sapientiæ, Syracidis &c. quibus addidit ,, Harmoniam Evangeliſtarum; fatis functus anno 1576. Hofmann, Lex. l. c. & Oſ. Specim. Janſ. pag. 7. pl.

LIB. V. CAP. III.

Summaria.

Theologi Bremenſes apud Calvinianos Batavos malam gratiam ineunt.

Lis agitatur in Belgio de Juriſdictione Eccleſiaſtica, & cognitione rerum fidei

Turbæ Cantuarienſes, in totam Angliam diffunduntur.

Conjuratio Scotorum, ob librum Anglicanæ Liturgicum.

Rationes, ob quas illi ne purgatam quidem Liturgiam admittere voluerint.

Incrementa Eccleſiæ in Braſilia plantatæ felicia.

EA tempeſtate *apud Calviniſmos Batavos*, qui Synodi Dordracenæ Decretis & Canonibus tenaciter inhærent, *Bremenſes Theologi*, Ludovicus Crocius, & ejusdem Collegæ, *malam iniere gratiam*, eò quod ſæpius provocarent ad *Augustanam Confeſſionem*, ad hujus Apologiam, & Corpus doctrinæ Chriſtianæ Philippi Melanchthonis; adeoque *univerſalem DEI gratiam*, ſeu benevolam ejus voluntatem de ſalvandis hominibus quibusvis, per *Meritum J. C. Catholicum*, & *communia fidei tum parandæ, tum conſervandæ media*, ſtatuere ac defendere viderentur: ut pluribus legere eſt in ſolida Theologorum Wittenbergenſium deductione contra Syncretiſtas Rintelenſes, daß die Calviniſche Irrthumbe den Grund deß Glaubens betreffen/ pag. 369. & 417.

Inter ipſos autem Belgas lis movebatur gravis, de jurisdictione Eccleſiaſtica, & cognitione rerum Fidei. D. Hülſemannus in Prælectionibus publicis ad Breviarium Theologicum, cap. XVIII. de Eccleſia Repræſentativa ſcribit: „Calviniani in moderno Belgio cœperunt nuperè inter ſe concitare litem, tum de limitibus Jurisdictionis; tum „etiam de limitibus Cognitionis de rebus Fidei, quæ non eſt juris„dictio; tum verò de partitione utriusque; quantum de unaquaq; „harum duarum Paſtoribus, quantum Magiſtratui ſeculari, quan„tum denique auditoribus ſimul ſumptis competat? Concitavit „hanc litem Nicolaus Vedelius, diſputatione anno 1638 Daventriæ „habita, de Epiſcopatu *Conſtantini Magni*, ex non intellecta voce „parœmiali C. M. apud Euſebium, in illius vita: *Vos eſtis Epiſcopi* „*intra Eccleſiam; Ego Epiſcopus extra Eccleſiam.* Quam Diſputationem „Senatus Daventrienſis equidem ſuppreſſit; refutarunt autem eam „bini Profeſſores Leidenſes, puta Jacobus Triglandus, & Jacobus „Revius, &c. Vacillare etiam ac hæſitare in his fœderatos Belgas, „mirum non eſt; quia ſeptem Provinciæ Hollandicæ ita coiverunt „in unum Corpus, ut ſingulæ Jus Majeſtatis in ſolidum retinuerint, „tàm in Eccleſiaſticis, quàm in Civilibus: Unde factum eſt, *ſingulas* „*Provincias contraria Decreta Synodalia* (aliaque) *circa res Eccleſiaſti*„*cas promulgaſſe*, præſertim ab anno 1570. quæ ſummo quidem ſtu„dio poſtea ſuppreſſerunt, ſed collegit popularis ipſorum, *Cornelius* „*Schultingius*, ſeptem libris de Hierarchia ſcriptis. Vid. opus poſt„hum. Hülſem. pag. 1222.

Cantuariæ ſeu Canterbory in Anglia, *rituum Latinorum* ſeu Papiſſantium *introductione*, ab Archiepiſcopo facta, *Eccleſiæ Status admodum turbatus eſt*; Nec ibi Turbæ ſubſtiterunt, ſed mox diffuſæ totum

regnum inquietarunt, & Rempublicam concuſſerunt. Hofman. Lex. A. 366.

Scoti Confeſſionem illam, quæ anno 1581. edita, tumque à Rege, Regia familia, & omnibus Miniſtris ſubſcripta fuerat, hoc anno repetivere, ac per *Conjurationem* adverſus modernum Regem Carolum Stuartum, qua ſe invicem adjurarunt Comites, Barones, Nobiles, Præfecti, Miniſtri Eccleſiæ, & populus: *Sese Confeſſionem hanc fortunarum & ſanguinis ſui jacturâ defenſuros eſſe, ſusque deque habita Rebellionis infamiâ, ſtabilitam voluere*; additis identidem *rationibus, propter quas Librum Liturgicum* (quem Rex & Parlamentum ſanxerant introducendum) *repudiarint*, nihil attendentes, quod liber iſte jam an. 1621. à Parlamento confirmatus fuerit. Nimirum, quia in Liturgia illa ſint, *ex judicio Scotorum*, quædam *Idololatrica*, quædam *ſuperſtitioſa & ſimul idololatrica*, quædam defectuoſa & *erronea*. Ad *primam claſſem* referebant capita duodecim, inter quæ tertium eſt de Adoratione DEI panacei; quintum de Evchariſtica menſa in formam Altaris redacta; undecimum de genuflexione Sacerdotis ante conſecrata Elementa, &c. Ad *alteram claſſem* numerabant quinquaginta ceremonias, inter quas eſt Feriatio feſtorum Chriſti & Apoſtolorum, feſta Mariæ, ſignatura Crucis ſuper baptiſandos, impoſitio manuum iisdem facienda, nuptialis annulus inter neonymphos, conſecratio Baptiſterii, adminiſtratio Baptiſmi & Evchariſtiæ extra templa publica, conciones funebres, præſentatio puerperarum in templo, converſio vultûs ſacerdotalis ad plebem, quando impertit benedictionem, & averſio vultus à plebe ſub lectione collectarum, aſſurrectio plebis ad lectionem Evangeliorum Dominicalium, antiphonæ & reſponſoria populi ad collectas à Sacerdote recitatas & cantatas, &c. Ad *ultimam claſſem* ponebant, quod in lectione Scripturarum quædam Capitula Levitici, ac Ezechielis in prælectione demagogica Bibliorum prætermittenda ſtatuantur; quod quædam Scripturarum capitula minus luculenta doctrinis eſſe cenſeantur; quod apocrypha quædam legenda inſtituantur; quod Litania conjurationi ſimilior fingatur; quod in vicem ceremoniarum in Baptiſmo conſuetarum, ſi infantis baptiſandi morbus urgeat, ſolius orationis Dominicæ recitatio baptiſmo præmittenda dicatur, hinc enim Papiſtis anſam dari abſolutam neceſſitatem Sacramentorum comminiſcendi; quod affirmetur, omnes infantes baptiſatos habere omnia ad ſalutem neceſſaria, & ſi mox decedant, ſine dubio ſalvari; quod requirendo à bapti-

baptiſatis uſum Sacramentorum (in plurali) horum numerus ultra dualem extendatur; quod gratia DEI univerſalis introducatur per librum Liturgicum, præſcribendo hanc formulam confitendi: Deus Pater me & univerſum Mundum creavit; Deus filius me & univerſum genus humanum redemit, &c. Hieron. Kromaj. hiſtor. Eccleſ. 671. pag.

Propter indigitatas tres claſſes, Idololatriæ, ſuperſtitionis idololatricæ, ac errorum, execrati ſunt Scoti novam Liturgiam Anglicanam, proteſtando: *Tametſi purgetur Liturgia ab his talibus, & ad orthodoxiæ puritatem redigatur, ſeſe tamen eam admittere nolle.* Rationes: quia Deus non præceperit prælectione collectarum & precularum informare populum, ſed concionibus, quas omittant Epiſcopi Anglicani. Deinde, quia nulli homini licitum ſit, adſtringere Eccleſiam ad aliquam Liturgiæ certam formam, proque hac negativa ſequentes allegare cauſas. Quia talis forma ſit, quaſi menſura cultûs Divini, quem liberum ac indefinitum eſſe oporteat; quia pugnet cum gloria Chriſti, quaſi alios laudandi & precandi modos non poſſit ſuggere Eccleſiæ, præterquam hos; quia faciat ad extinguenda dona Spiritûs Sancti, quorum exercitium his formulis conſtringatur; quia impediat ædificationem Eccleſiæ per prædicationem publicam, auditores enim ſpretis concionibus, domi Liturgicum librum ſeu breviarium eſſe evoluturos; quia impediat converſionem infidelium, nudam enim formularum recitationem, ſine ſenſu & affectu, nihil movere, nihil docere infideles; quia impediat converſionem hæreticorum, impœnitentium & ſecurè peccantium, qui his talibus nihil quidquam afficiantur; quia ſecuros potius confirmet in impietate ſua, quaſi ſatis fecerint, ſi ſaltem libri Liturgici partes abſolverint; quia ſeducat homines ad ſocordiam & inertiam, ut de cætero meditationi ſtudiisque, ad Miniſterium Eccleſiaſticum requiſitis, operam dare detrectent; quia vel ſeptennis puer, aut Turca, dummodo legere didicerit, hac ratione ad Miniſterium Eccleſiæ futurus ſit habilis; quia talis fomula inadæquata ſit omnibus orantium neceſſitatibus, quas neceſſum ſit offerre DEO; quia ſi certa quædam Liturgiæ formula, bona ſit aut neceſſaria, Chriſtum procul dubio eam fuiſſe præſcripturum. D. Hülſem. in Calviniſ. irreconcil. pag. 37. ſeq.

Poſtquam præterito anno Mauritius Princeps Naſſovius, cum ſuis Hollandis pedem fixiſſet in *Braſilia*, mox *Evangelium ibi longè lateque diverſis linguis prædicari cœpit*; Reciſæ præſertim, ubi deſtructa

formoſiſſima Olindâ, MAURITIANA poſt ædificata eſt ſedes curiæ & Aulæ Gubernatoris Batavici. Paraybæ etiam, in Rio Grande, in Inſula Tamarica & Caraſſaum, in promontorio Auguſtiniano, & ad S. Antonium, in Serinhæmia, in porto Calvo, aliisque locis Ordinarii Paſtores conſtituti. Singulis inſuper Eccleſiis dabantur prælectores, qui & Scholæ præceptoris officio fungebantur. Ordinata quoque presbyteria ex Paſtoribus, Senioribus, Diaconis, quibus cura pauperum commiſſa; ſicubi doctores ordinarii deerant, prælectores eorum ſupplebant vices. Ipſi Braſiliani barbari, nulla aut exigua Chriſti notitiâ præditi, dociles oſtenderunt ſe, relictoque tam Gentium rudiſſimarum, quàm Pontificiorum cultu (à Luſitanis introducto) Reformatam religionem voluntariè ſuſceperunt, Chriſtum unicum Salvatorem ſuum amplexi. Quidam ex Hollandis vernaculam Gentis edocti, Braſilianicè prædicarunt Verbum DEI, & Catechiſmum Heydelbergenſem explicuerunt, unde ſperatus omnium, juvenum etiam, progreſſus. Singulis diebus, manè ac veſperi, tum ad fundendas preces, tum ad legendam Scripturam convenerunt omnes. Durante bello, Societati Belgico-Indicæ non minus fidem, quàm DEO pietatem, & in religione conſtantiam probarunt converſi Braſiliani; Paſtores ſuos denique majori propemodum honore proſecuti ſunt, quàm Chriſtiani nati, parentum eos loco colentes. Ex Hottingeri topographia Eccleſiaſtica, pag. 47. ſeq.

LIB. V. CAP. IV.

Summaria.

Johannes Warnerus, Divinas revelationes immediatas jactare pergit.

De Solœciſmis ac Barbariſmis librorum N. T. Wittenbergenſium judicium.

Socinismus, quouſque judicio Golii à Turciſmo differat?

Obſervatio Polycarpi Lyſeri, de doctrina Calviniana, ex Philippi Nicolai ſcripto:

Ut & ex Neuſeri confeſſione, ac reſponſo quodam Turcico.

Chriſtiani imperiti diſputatio cum judæo infauſta.

NOtiſſimus in bello Svecico Vates (fanaticus) *Johannes Warner*, adeò nondum deſiſtit jactare immediatas revelationes Divinas, & angelica colloquia, ut potius hoc anno ſuas viſiones typis expreſſas publici juris faceret, nimium quantum ſe efferens, gloriando plusquam

quam quadraginta Talentorum millia ſibi Divinitùs eſſe conceſſa. Hunc deinceps fertur ſequutus quidam *Johannes Capſius*, miram ſanctitatem ſpirans. vid. ipſ. Warner. & Hogel in Gamal. 292.

Ut olim, ita jam nunc fuere Critici maleſani, qui Scripturæ S. textui authentico, præſertim *Novi Teſtamenti*, Græcè conſignati, *ſolœciſmos ac barbariſmos* affingere non veriti ſunt. Sed contra eos *Theologicæ & Philoſophicæ Facultatum Wittenbergenſis Academiæ Cenſura brevis & accurata*, petenti Miniſterio Hamburgenſi data, hunc in modum ſe habuit: „Ad quæſtionem, An blaſphemum ſit ſtatuere, „TextumGræcum N.T. ſcatere barbariſmis? directa & brevis eſtno-„ſtra reſponſio: Omninò eſſe admodum blaſphemum, ſi vitioſos „barbariſmos intelligamus, & barbariſmum non aliter, quam vitium „cum univerſa Technicorū natione interpretemur. In eundem planè ſenſum *Daniel Heinſius* in Ariſtarcho ſuo ſcripſit optimè, veriſſimeque: „Vellicare aliquid in illis N. T. ſcriptis, aut deſiderare, non eſt Eru-„diti, ſed blaſphemi hominis, ac malè feriati, & qui nunquam in-„tellexit, quæ humana ſit conditio, aut quanta debeatur reverentia „cultusque cuncta diſpenſanti DEO; quod non judicem, ſed ſup-„plicium depoſcit. Joh. Meiſn. D. de Majeſtate Script. S pag. 27. ſeq. Calov. ſyſtem. part. 1. 571. 578 pl.

Cum anno 1638. ejecti ex Poloniæ Regno *Sociniani*, ab unitis Batavis recipi peterent, eorumque Legatus Amſterodami fortè in hoſpitio communi offenderet *Jacobum Golium*, Profeſſorem LL. OO. Leidenſem, & ex eo quæreret, *qualem putaret eſſe Turcarum religionem?* Scitè reſpondit Golius, *Talem, qualis ipſa Socinianorum ſit*, excepto ferè hoc uno, quod magnum Impoſtorem Muhammedem Turcæ pro inſigni Propheta DEI haberent, hactenus conſimiliter à Socinianis, publicè ſaltem, non agnitum, referente D. Raithio in Epitome Islamiſmi Turcico-Muhammedici pag. 13. ex Hottingero, qui hujusce diſcurſus quoque mentionem facit in hiſtoria Orientali, p. m. 362. & ſeqq. ubi paralleliſmum Sociniani ſmi & Mahummediſmi prolixius exhibet. De Wilhelmi Reginaldi autem (cujus veſtigia deinde Wilhelmus Giffordius preſſit) *Calvino Turciſmo*, quem Sutlivius *Turco-Papiſmo* compenſavit, alibi diximus, confer an. 1604. cap. XXVI. lib. 1.

Attamen liceat nobis occaſione hac, verba *Polycarpi Lyſeri* transſcribere, quæ ita fluunt: „Quia omnes Calviniani negant & per-„negant, quod Alcorani blaſphemiis affinis illorum doctrina ſit, „brevitatis cauſa ad refutationem ſcripti Irenici Eccleſiæ Palatinæ,

„quam

„quam *D. Philippus Nicolai* inſtituit, remitto, in quo ad oculum demonſtratur, quod Calviniani in multis ad Alcorani blaſphemias accedant. Hanc nucem frangant, non arrodant; neque enim negare „ſufficit, ubi verba & conſequentiæ manifeſtè contrarium evincunt. „Haud libenter, DEUS novit, tale quid illis imputamus, neque tamen omninò, ob inſignem quorundam impudentiam diſſimulare „poſſumus. Nota eſt, pergit, hiſtoria Calviniani quondam ac Theologi Heidelbergenſis, *Adami Nenſeri*, qui primùm noſter, poſtea „Calvinianus, hinc Antitrinitarius factus eſt. Is cùm D. Gerlachio, „tum Conſtantinopoli degente familiariter collocutus, qua ratione „ad fidem Turcicam deductus eſſet, ab ovo repetens, diligenter expoſuit, & hæc inſequentia propria manu exaravit: Nullus noſtro „tempore (mihi notus) factus eſt Arianus, qui non ante fuerit „Calviniſta, Servetus, Blandrata, Alciatus, Franciſcus Davidis &c. „Igitur qui timet ſibi, ne incidat in Arianiſmum (conſequenter „Mahummediſmum) caveat Calviniſmum. Refertur etiam à fide „dignis *hiſtoria*, quæ itidem Conſtantinopoli acciderit: Cùm Legatus Cæſareæ Majeſtatis Krakevitius, anno 1592. primarios Aulæ „Turcicæ, pro more convivio excepiſſet, quæſivit ex illis, quî fieret, quod ipſi cæteriſque Ambaſſatoribus & Legatis liberum Religionis exercitium, vix & ne vix quidem privatum concederetur, „cùm Legato Regis Angliæ duos alere Calvinianos doctores permitteretur, qui etiam publicè in frequenti Auditorio docerent? hoc „autem reſponſi ab illis tulit: Calvinianam doctrinam, ipſorum „doctrinæ tam affinem, ut parum diſſenſionis ſuperſit, quapropter „ſperandum, totalem conſenſum brevi tempore futurum. Hucusq; *Lyſerus*, in vindiciis Pareo oppoſitis, ſuper quæſtione: An Syncretiſmus cum Calvinianis in rebus fidei coli poſſit? pag. 52. ſeq.

Anno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum trigeſimo octavo, in præcipua quadam Hollandorum urbe, N. N. *Chriſtianus* equidem, ſed rerum ſanctiſſimæ religionis non admodum gnarus, de dicto Eſaiæ: Ecce virgo erit gravida, & filium pariet, cui nomen Immanuel. *Diſputationem iniit cum Judæo*; ſed mox confuſus ab hoc, deſerta Chriſtianorum communione, nomen ſuum recutitorum albo inſeruit. „Valdè vereor, inquit J. H. ne quod Hollando accidit, aliis „quoque haud paucis eveniret, ſi quando cum Judæis committerentur: quod quàm turpe & infandum eſt, tam ne contingat, omni modo ſingulis providendum. D. Müller Hamb. in Judaiſ. 1387.

D. Raith.

D. Raith. in diſſert. de proſelitiſmo Judaico-Chriſtiano, pag. 11 & 12. pl.

LIB. V. CAP. V.

Summaria.

Holmiæ Suecorum, Conventus cleri ſententiam ſuam de ſtudio Duræi Irenico exponit, eique ingratitudinis turpitudinem exprobrat.

Poloniæ Rex Thorunii Conventum, ob conciliandas Religionum formas inſtituit, at ſine ſucceſſu.

Synodus Alcmariana, in Bremenſes acris.

Synodus Edenburgica, librum Liturgicum, unà cum Epiſcoporum autoritate rejicit atque conculcat.

Bartholomæi de les Caſas liber de Tyrannide, Belgicè editur.

R. Leo de Modena, libellum de Ritibus Judæorum hodiernis, cura ſecunda exhibet.

Muhammedis Teſtamentum, Chriſtianis favens, iterum vulgatur.

Stokholmiæ in Svecia habetur menſe Februario *conventus Comitialis*, ibique gravibus de cauſis ab *Epiſcopis*, & à *Clero totius Regni*, *Cenſura de Inſtituto & actionibus Johannis Duræi*, Eccleſiaſtæ Scoto-Britanni, in oblato pacis concordiæque Eccleſiaſticæ inter Lutheranos & Calvinianos conciliandæ ſtudio, agitur peculiari ſcripto, cujus hæc ferè *ſumma* eſt: „Se ex Duræi propoſitione, colloquiis, & omnibus aliis „circumſtantiis deprehendiſſe per integrum præteriti anni ſpatium, „quod vir iſte in magno hoc negotio, non tàm publico Calvinianarum Eccleſiarum nomine, quàm proprio ſuo conſilio, & privato „auſu rem gerat; Hinc igitur conſultum non eſſe, longiorem cum „ipſo tractationem inire; Pacem & fraternitatem inter L. atque C. „puram, ſinceram, ſtabilem & infucatam non optari quidem, ne„dum ſperari poſſe, niſi ſub conditione fundamentalis in religione „conſensûs, ac eorum, quæ huc ſpectant, approbatione & ratiha„bitione Communi. Præſuppoſitis autem conditionibus hiſce, quo„minus cum Calviniſequis unionem ſperare poſſint, obſtare mani„feſtam hujus gentis, in articulis pleriſque fundamentalibus, ab „Orthodoxia diſſenſionem; eademque ad huc impedimenta, quæ „per integrum ſeculum tentatam Concordiam ſufflaminarint; pro„priam denique illorum hominum hac de re diſcrepantiam à ſe in„vicem. Unionis ineundæ media ſive Conſilia per Duræum propo„ſita, inſufficientia eſſe, inadæquata, inepta, nulla. Totum pro-

„ inde Viri negotium ipſis fuiſſe, & manere ſuſpectum, quem pro-
„ pterea opinione conſequendi ſperata, diutius non putarint ſuſpen-
„ dendum, ſed maturè dimittendum. Propè finem ſcripti, querelam
annectunt Sueci, quod Britannus, auditâ illorum ſententiâ, nihilo-
minus Holmiæ adhuc hæreat, vulgarisque literis pleraque actitata
in deteriorem partem interpretetur, quædam & mala fide referat,
varia in ſuas chartas aculeatas convitia ingerat, adeoque *prò declara-
tis erga ipſum officiis humanitatis oppidò multis, malam rependat gratiam.*
Vide Wittenberg. gründl. Bew. contra Syncret. Rintel. append. pag.
577. ſeqq. Calov. Syſt. Theol. A. 1151.

Thorunii verò, auſpiciis *Uladislai* Poloniæ Regis inſtituitur *Con-
ventus, ob conciliandas diverſarum iſtius regni Religionum formas*, Ponti-
ficiæ nimirum, Lutheranæ & Calvinianæ; mittitque Rex ipſum *Oſ-
ſolinski*, Archi-Cancellarium, qui hortaretur eò convocatos, ut pio
convocantis deſiderio, reducendi ad Concordiam diviſas de doctri-
nis fidei Chriſtianæ ſententias, ad quod Synodum indixerit, æqua-
bilibus animis, ſuſpicionibusque ſemotis, obſecundarent; ſed fru-
ſtrata ſpes Regis & intentio, &c. Dannhau. Salv. Reform. & Ill. ob
pacis Eccleſiar. 77. pag.

Synodus Hollandiæ Borealis *Alcmariæ celebrata*, præmonuit omnes
Claſſes & Eccleſias, de ſuis *Bremam* non emittendis Theologici ſtu-
dii gratiâ, & rigidè examinandis, qui ex illa Schola venirent, ne quid
erroris iſthîc imbibiſſent, (intellige de *Gratia & Redemptione Univer-
ſali*) continuataque ea cura in Synodo *Harlemenſi*, & aliis. gründl.
Bew. Facult. Wittemb. cont. Syncret. Rintel. 417.

Per illa tempora quoque *Synodus Nationalis Edenburgica* habe-
batur à *Scotis*, congregatio ſeptingentorum Antiſtitum Eccleſiaſti-
corum, plurimorumque Procerum & Nobilium: in quo Puritani *Li-
turgiam* ſeu librum ritualem, ab Epiſcopis conſcriptum, & à Rege
Scotis, ut conformarent ſuas Eccleſias Anglicanis, propoſitum, pe-
nitus reſpuebant, ac libertatem in *quinque articulis Perthenſibus* poſtu-
lantes, omnem *Epiſcoporum autoritatem, ipſumque nomen*, eliminari vo-
lebant. Hinc etiam paulò pòſt, in *Conventu Glaſguenſi*, Rege fruſtra
intercedente, *Epiſcopos ab omni adminiſtratione deponebant*, ſimul reje-
ctis atque damnatis *Perthenſibus articulis* (de genuflexione in S. Cœ-
na; celebratione quinque dierum, Nativitatis, Paſſionis, Reſurrectio-
nis, Aſcenſionis J. C. ac deſcenſionis Spiritûs Sancti; Baptiſmo pri-
vato; Cœna privata; & Paſtorum Confirmatione ad ritum Anglica-
num)

num) quos obſervandos maximoperè hactenus Epiſcopi contenderant. Inde verò atrox bellum, quo tota Britannia in alium ſtatum redacta. Micræl. H. E. part. 3. 439. Boxhorn. Chronol. 16..

Interim recuſus Epiſcopi *Don Bartholomæi de los Caſas liber*, olim Philippo Hiſpaniæ Principi dicatus & inſcriptus, *de Tyrannide*, Amſtelodami nunc Belgicè editus. Speculum eſt ſævitiæ truculentiæque *Hiſpanorum in Indos*, eo usq; exercitæ, ut miſeri ad Tartara cum cæteris deſcendere, quàm *Hiſpanicum cœlum* adire maluerint. Exemplum occurrit magni cujusdam Principis, ſeu, ut vocant, *Cacique*, qui cùm igne tollendus moneretur à Franciſcano, ut Chriſtianorum amplecteretur ſacra, quò cruciatibus Inferni exemptus, angelico remigio in cœlum eveheretur, quæſivit: an Cœlicolæ eſſent Chriſtiani? &, Monacho reſpondente, imò Chriſtiani! dixit: *Sibi habeant iſti Cœlum ſuum, mihi cum Inferis habitare, magis volupe erit.* Ex Hiſt. Eccleſ. Hott. Sec. XV. pag. 907. Lanſ. Orat. contr. Hiſpan. p. m. 425.

Rabbi Leo de Modena, quæ Mutina olim dicebatur, Italicâ linguâ *de ritibus atq; ceremoniis Judæorum hodiernis* conſcripſerat exiguum libellum; quem cùm non ſine mendis Lutetiæ præterito anno expreſſum videret, inſequente hoc, ipſe *Venetiis* accuratiorem vulgavit, abſciſſis, quæ diſplicebant in prima editione, aliisque & melioribus in locum illorum ſurrogatis. Libellus, lectu Chriſtianis, ut videbatur, non indignus, in alias deinceps linguas transfuſus eſt, ut à pluribus legi poſſet. Ex Act. Lipſ. de an. 1683. pag. 136. confer an. 1681.

Muhammetis, quod vocant, *Teſtamentum, in favorem Chriſtianorum compoſitum*, antehac à *Gabriele Sionita* publicatum legimus; *Johannes* autem *Fabricius*, Dantiſcanus, idem denuò jam protulit. *Fœdus* dicendum videtur, & pactio, qua putatur voluiſſe Muhammetes, imò conſtituiſſe, ut hi pari conditione cum ſuis ubique haberentur vitâ, commercio, ac omni denique auxilio; viciſſim verò ut Muslimici à Chriſtianis omni fruerentur favore & beneficii genere. *Grotius*, in epiſtola quadam ad Salmaſium, *quicquid ejus eſt, ſuppoſitum à Chriſtianis Orientalibus* exiſtimat, ut ſub obtentu tanti nominis, Muſulmannis æquioribus uterentur; Grotio accedit Hornbekius, ac in Mercatorum, & Monachorum gratiam præcipuè conditum arbitratur. Ab aliis habetur pro *pactione particulari*, qua certis tantùm Chriſtianis, id petentibus, benevolentiam & ſecuritatem, ſui ſuorumque nomine promiſerit Muhammetes, Hujusmodi fœdus quoddam *univer-*

ſale ſeu generale cum Chriſtianis eum iniiſſe unquam, aut inire voluiſſe, à tanti certè Impoſtoris genio & ſtylo videtur alieniſſimum. Hornbek. in Sum. Controv. pag. 82. ſeq. Monatl. Unterred. an. 1693. 184. ſeqq.

LIB. V. CAP. VI.

Summaria.

Eberhardus III. Wirtembergiæ Dux, avitis ditionibus magnam partem reſtituitur.

Vinarienſis, inſigni Victoria potitur, deinde Rhinfelda, Friburgo, & Briſaco.

Bannierius, Miſniam & Saxoniam rurſus invadit.

Hazfeldius, novum Palatinorum exercitum prælio fundit.

Hollandorum & Gallorum arma t. t. minus felicia.

Turcarum Sultanus recuperandæ Babyloniæ intentus.

Spes aliqua Germanicæ Pacis affulgens.

Principis Naſſovio-Dillenburgici nuptiæ.

Sabaudiæ Ducis Caroli Emanuelis tutela controverſa.

Georgii Friderici, Marchionis Durlacenſis, fatum ſupremum.

E*Berhardus III. Wirtembergiæ Dux*, anno 1634 poſt infelix prælium Nerolingenſe Ducatu exutus à Cæſareis, & anno 1635. pace Pragenſi ab Amneſtia excluſus, poſt longam ac difficilem tractationem cum Ferdinando tertio, ei reconciliatus, & *avitis ditionibus magnam partem reſtitutus eſt* anno 1638. menſe Octobri, *maximo cum ſubditorum applauſu.* Multa tamen durante belli tempore Ducatus pati non deſiit, usque dum poſt Pacificationem Weſtphalicam optimus Princeps, unà cum ſubditis, meliorem experiri ſortem cœpit. Selen. Auguſt. D. Andreæ, pag. 575.

Vinmarienſis refecto in Delſpergenſium faucibus exercitu, inde emergens per Baſileenſium fines, movet *Rheinfeldiam*, eamque initio anni obſidet; ſubſidio protinus mittuntur Verdanus, Sabellius, Sperreuterus, & Fürſtenbergius, ut hoſtem trans Rhenum rejiciant. Vinmarienſis, quamvis eos adventantes primò non ſuſtinuerit, Rheinfeldamque coactus admiſerit, poſtero tamen die in eam negligentiam effuſos, tanquam ipſe nusquam eſſet, audacter aggreſſus, vix dimidiæ horæ ſpatio, exercitu toto fœdiſſimâ fugâ diſſipato, omnes illos *Duces* (excepto Fürſtenbergio, qui naviculam ad Rhenum nactus, evadendi facultatem habuit) & plerosque præterea majorum minorumque ordinum ductores *capit.* Inde *Rhinfelda, & Friburgo potitus*, ad circumſidendum *Briſacum* animum adjecit, ac ſub finem

anni,

anni, fruſtra repugnantibus Cæſareanis & Bavaricis exercitibus, expugnavit, *ad extremam famem* ac humanæ carnis eſum, ex penuria commeatuum, *redactum*. Ita non modò celeberrimum Alſatiæ munimentum, ripæ Gallicanæ oppoſitum, ſed etiam *clavis Germanici Imperii, in Gallorum poteſtatem venit*. Epit. R. G. pag. 215.

In Pomerania *Bannierius*, acceptis è Suecia auxiliis confirmatus, Wolgaſtum & Garſiam recuperat. Tum ejecto inde Galaſſio cum Cæſareanis Ducibus, quorum exercitus, nulla propemodum re ad victitandum reliqua, plurimùm erat imminutus, *in Saxoniam & Miſniam populabundus irrumpit*, nullo jam hoſte, cùm Galaſſius recolligendis viribus in Bohemiam conceſſiſſet, obſiſtente. Turſell. app. 2. hiſt. 66. pag.

Sed in Weſtphalia *Hazfeldius* rem Cæſaris egregiè geſſit. *Carolus Ludovicus, Electoris Palatini filius cum fratre Ruperto*, Anglorum, Gallorum, & Batavorum ope non ſpernendas copias in Weſtphaliam adduxerat, & *Meppenam* à Suecis emptam, omni apparatu neceſſario impleverat, ut ibi horreum ſedemque belli conſtitueret. Mox autem à Kettlero interceptâ hac urbe, *Palatinus ab Hazfeldio* apud Lemgoviam *juſto prælio fuſus eſt, & Rupertus frater captus*, uterque paternam fortunam, veterum irarum admonitam potius, quàm ſatiatam, longo infelicis familiæ infortunio, ſentiens. Tſchimmern. in contin. Sleid. de quat. Monarch. lib. 3. 428. ſeq.

Hollandi quoque inſignem per ea tempora cladem apud Calloum accepere, paulò pòſt ignominiâ pari ab obſidione Geldriæ rejecti. Ab obſidione Fontarabiæ, celebri ad mare Cantabricum portu, *Galli* tum depulſi, ut & in Arteſia ab Audomari fano; *Hiſpani* in Italia quoque hoc anno ſeſe feliciores vidére. Attamen *Galliæ Rex Ludovicus XIII.* quicquid ejus damni fuit, non tantùm per occupationem Briſaci reſtitutum ſibi putavit; ſed inprimis per *nativitatem filii Ludovici XIV.* quem ultra mortale gaudium, die 5. Sept. excepit, ex Anna Maria, Hiſpaniæ Regis ſorore *poſt viginti tres ſterilitatis Conjugalis annos*. Turſ. ap. 2. hiſt. 68. & Feller. in Horn. orb Imp. not. 105.

Turcarum Sultanus Amurathes IV. incredibili tunc apparatu ſe accinxit ad *bellum Perſicum* proſequendum, præprimis autem ad amiſſam *Babylonem* in Meſopotamia recuperandam. Etenim hæc urbs, haud procul à ruinis priſcæ Babylonis, celeberrimæ Chaldæorum Regiæ, extructa, jam à longo tempore pomum Eridos inter Turcas & Perſas, præmiumque belli perpetuum fuit; pro qua occupanda

tanto ſtudio gens utraque certat, quaſi Imperium Aſiæ penes eum eſſet, qui illa potitur. Erat olim ſedes Caliphæ ſive ſummi Pontifi-cis Muhammedanorum, qui ſolus habebat jus & poteſtatem coronandi declarandique *Imperatorem fidelium*, ſcilicet! quem ipſi vocant *Emirelmu- Menina*, unde natum eſt monſt oſum illud vocabulum *Admiralii Murmelii*, quod in hiſtoriis Chriſtianorum frequenter occurrit, Horn. orb. pol. 439. 543.

Interea Daniæ Rex, atque Dux Megapolitanus, *pacem reducendam Germaniæ*, ut & vicinis regnis atque provinciis, urgebant. Collibuerat nuper *Colonia Agrippina* generaliſſimæ deliberationi dicata; nunc ad præliminaria conſignatur *Lubeca*, ubi Legati fiduciarias ſuas, & modum procedendi aperiebant. Calviſ. Chron. cont. 1015.

Georgius Ludovicus, Princeps Naſſovienſis-Dillenburgicus, Henrici Ludovici ex Catharina Sainenſi filius, *Annam Auguſtam Henrici Julii Ducis Brunovicenſis gnatam, connubio ſibi junxit*, ex ea ſex liberorum Pater factus; moriens anno 1656. ſuperſtitem reliquit filium Henricum. Notit. Procer. Imhof. 809.

Hyacintho fratre ſexenni vivis exempto, ſuccedit in *Sabaudiæ Ducatu Carolus Emanuel II.* Victoris Amadei filius alter, annorum quatuor, qui dein ſub *tutela matris Chriſtinæ Franciæ* adolevit, armis Hiſpanorum exercitus. *Thomas, ac Mauritius Cardinalis, Principes Sabaudiæ,* quos à *tutela* liberorum Victorius moriens excluſerat, Nepotum tutelam de facto, ſimul Taurinum, aliaque loca invadebant; non omittentibus *Gallis* tutelam matris, quæ Galliæ Regis ſoror erat, ferro & vi aſſerere. Turſell. hiſt. append, 2. pag. 69.

Georgius Fridericus, Marchio Durlacenſis, qui ante ſedecim annos à Tillio & Cordubenſi ad Wimpenam commiſſo prælio ſuperatus, & à Cæſare proſcriptus, hactenus vagam atque incommodam vitam toleraverat, eam finiit. Princeps vera laude religionis, prudentiæ, ac fortitudinis nemini poſtponendus; quem verò Unioni accedentem, cauſamque Friderici Palatini, exercitu conſcripto, ſuſcipientem, fortuna omni ratione potentior, deſtituit & graviter concuſſit. Imhof. Not. Procer. 578.

LIB. V. CAP. VII.

Summaria.

Galliæ Delphinus, mammarum roſor, non ſine triſti omine.

Apoſtata extremè oſcitans: Pejerans à diabolo abreptus.

Pro-

Profanatio diei Dominicæ vindicata; Terræ motus horrendi.
Nobilis gratus in Ephorum, & in Præceptorem.
Schach Choram, Rex Iridorum, ſalaciſſimus.
Mandelslovii peregrinatio, & fatalis meta.
Hirundines Europeæ, ubi hyement?

IN puero lactente infauſtum omen! Ludovici XIII. filiolus, *Galliæ Delphinus*, cùm vix bimeſtris aut trimeſtris eſſet, *ſuas nutrices ita morſibus læſit*, ut una poſt alteram, quæ lactare debebat infantem, ex aula ſe ſubduceret, quod protinus aliqui, haud vani augures, pro ſigno non bono habuere: *Grotius* præſertim, cujus in epiſtola menſe Decembri ad Sueciæ Cancellarium exarata, hæc erant verba: „Delphinus jam ter mutavit nutricem; fugiunt eum conquiſitæ ad hoc „ fœminæ, quod ubera earum lancinet, robuſtus calidique ſpiritus „ puer, non ſine omine futuræ rapacitatis. Ex menſtr. Colloq. 1689. pag. 49. 50.

Exemplum hominis extremè oſcitantis, & negligentis omnes tum pietatis, tum communis debiti partes; exhibuit eo tempore *Matthias Machmar* Oettingenſis, quem prope Tarkumium in Tartaria Tageſtiana offendit Adamus Olearius, cum Holſaticis Legatis ex Perſia redux. Machmarius iſte, inter Chriſticolas Germanos & Lutheranos natus atque educatus, in Ungaria, ſub Imperatore Rudolpho meruerat, ibi verò à Turcis captus, & in Tartariam venditus, non modò carnis circumciſionem admiſit, inter Muſulmannos deinceps numerandus; ſed & catecheticarum inſtitutionum atque Chriſtianarum precationum, imò patrii idiomatis ita turpiter oblitus eſt, ut Germanicè nec ſufficienter mentem ſuam erga Holſatos explicare poſſet, nec planè ac plenè orationem Dominicam recitare; monitus de curanda ſalute, equidem ſe credere Deum in Unitate Trinum, Chriſtumque pro ipſo mortuum, dicebat, ſymboli tamen Apoſtolici rudis & ignarus. Lib. 5. Itiner. Perſ. deſcr. pag. 729.

Iræ ac juſtitiæ DEI vindicis in pejerantem atque diris ſemetipſum devoventem! Scribebatur ex inferiore Luſatia, ſub dat. 15. Jan. 1638. militem quendam ex præſidio Forſtiano, lanium in via publica ſpoliaſſe centum thaleris, ſed coram officiali accuſatum eapropter, factum conſtanter negaſſe & pernegaſſe, additis dejerationibus ac pejerationibus quamplurimis, diabolo ſe devovens, ſi reus eſſet mali facinoris imputati. Quid fit? quùm eadem ſæpius homo nequam repetiiſſet, inopinatò hypocauſtum ignotus aliquis ingreditur, pal-

verno tempore inde remeare ad priſtinos nidos, motus argumento lepidæ hiſtoriæ, quæ ſic habet: „ Monacho cuidam in Cella ſua hoſpes fue„ rat hirundo per aliquot annorum æſtivos menſes, cùmq; ſub hye„ mem ea denuò avolatura eſſet, clerico incidit cogitatio, explora„ re ne poſſet, quò ſe interim deportaret? Schedulam captæ pedi „ affixit: In qua ſcripſerat, ubi hyemaſti? redux aliam proximo vere „ retulit, in qua hæc legebantur: In India, in domo ſutoris. Rem „ ita geſtam, dejerabat, &c. Vid. Urſin. Analect. ſacr. lib. 3. phyſ. cap. 6. 171. pag. ubi doctiſſimus Vir ejusdem ſententiæ aſſeclas ex antiquitate producit.

LIB. V. CAP. VIII.

Summaria.

Introductæ in Lipſiam doctrinæ Evangelicæ rememoratio ſecularis.

Johannis Kircheri Apoſtaſia perquam dolenda.

Academiarum Germ. inſtitutum de Pennaliſmo ſerium & ſocium.

De eo Marpurgenſium verba.

Ad ſedes beatas pergunt Conradus Dietericus; Et Samuel Bohſius.

Bohſii ſententia de uſu accentuum Hebraicorũ peculiaris.

Item, de Conjugio Comprivignorum; deque ſignificatione vocum formali.

Cyrillus Contari, ope Jeſuitarum Patriarchatu Conſtantinopolitano potitur.

Ejus, & capitalis odii adverſus Lucarim, improbitatisque, ac ſupplicii, ſuccincta hiſtoria.

ANno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum trigeſimo nono, celebrabatur *Lipſiæ memoria ſecularis, ob introductam ante centum annos Evangelii doctrinam.* Mortuo enim an. 1539. *Georgio*, Duce Saxonico, veræ religonis acerbiſſimo hoſte, ſucceſſit *Henricus* frater, qui ſacra Pontificia ibi abolevit, Lutheranaque induxit. Et mirabili diſpoſitione DEI factum, ut quùm Pontificuli docuiſſent in *Paſchate*, proximo *Pentecoſtes* feſto Lutherus, ac alii purioris doctrinæ Profesſores in ſuggeſtis ſtarent Lipſiæ. Ex Indic. Hiſt. Eccleſ. Joh. Kromajer. pag. 419. Oſiand. Cent. XVI. 310.

In media Eccleſiæ Chriſti luce, quam inter graviſſimas ſpargit tempeſtates, natus; in Ducatu Würtembergico, qui jucundiſſimum fœcundiſſimumque veritati cœleſti domicilium præbuit, nutritus;

in Illuſtri Tubinga, quæ ſtrenuos ſubinde vindices doctrinæ ſanæ contra inſaniam ſeculi dedit, educatus; pulcherrima in principio de ſe facta ſpe, ſuis Ephoris, atque Ordinibus Academicis pergratus; poſtea caſu aliquo prioris vitæ veſtigia prætergreſſus, & in anguſtias conſtituendæ fortunæ actus; porrò conſiliis non ex veræ pœnitentiæ myrothecio depromptis ad ſananda mentis ſtatusque ſui vulnera uſus; denique ad ea caſtra migravit, ubi contra gloriam Salvatoris militatur, & miſerè ſubverſus eſt *M. Johannes Kircherus, ex Lutherano factus Pontificius.* Lapſus profectò lamentabilis, & inter Satanæ ferocientis conatus atque ſeculi hujus calamitates numerandus. Brevi potuiſſet ille inter inſtrumenta boni ſeculi numerari & reparandis ruinis deſtinari, quas in Eccleſia fecit belli rabies. Potuiſſet Illuſtri patriæ ſuæ ſe conſervare integrum atque vegetum poſtquam plurima præclara ingenia ſuppreſſit in arcta temporis calamitas. En verò! cùm univerſus Ducatus de ſui Principis reditu ad diſcutiendas tempeſtates ſibimet gratulatur, tranſit limites recti honeſtique, & labitur ille, in Hungariam dein abit, fit miles non contra Turcam, ſed CHRISTUM! Verba D. Dorſchei ſunt, in dedicat. Hodeget. ad Eberh. III.

Juſti laudem zeli *Saxonum aliorumque Germanorum Academiæ* t. t. meruere, junctis conſiliis operisque inito quaſi fœdere, de *Pennaliſmo*, quem vocant, tetrâ illa & noxia quamplurimorum malorum Lernâ, *univerſaliter abrogando & extirpando*, ac ea de re in certas leges, infra ſummatim communicandas, convenere. Digna ſunt *Marpurgenſium* verba, in Programmate ſub initium anni publicato, quæ interim huc transſcribantur. „ Extra dubium eſt, inquiunt, à malo „ dæmone invectam Pennaliſmi peſtem, premendis affligendisque „ ſtudiis, per quæ in pietatis arcana & arcem virtutum omnium patere ſolet aditus. Neque enim ignorabat nequitiæ conditor, quanta ad res ſuas futura acceſſio eſſet, detortis in omnem petulantiam „ ætatis primæ moribus, præcipitatisque in ignorantiam animis, velut altiſſimas tenebras, unde vix unquam emergere iterum in veritatis liceret lucem. Hinc ſtrenuè igitur contendit ſemper, ut „ quàm latiſſimè ſe diffunderet labes, & velut morbi contagione omnes propemodum per univerſam Germaniam Academias penetraret. Nam probè videbat vafer, non tàm proclivè eſſe in ordinem cogere, quod dominaretur paſſim; aut pati poſſe exilium, qui „ habitaret ubique. Hinc etſi pro ſe quilibet eorum, qui Academiis

„ præ-

„ præſunt, operam dederint, ut liberarentur tanto malo. atque in „ carcinomata iſta adeò carceribus, proſcriptionibus, excluſionibus „ (nec enim ulterius animadverſiones Academicæ poſſunt progredi) pugnaretur; non tamen ad ſummam rerum proficere licuit, „ ut nihil amplius metuendum eſſet; cùm contumax malum, & à „ ſeipſo portentosè fœcundum, velut Lerna excetra, in novam repullulaſcentis nequitiæ prolem ſubinde ſe repararet, &c. Itaque „ docti tandem, commune periculum, Concordiâ propulſandum; „ id unum ad ſtabilendam Academicam diſciplinam, & barbarum „ iſtum atque crudelem in innocentes graſſandi morem ſuſtollendum penitùs, ſi fieri poſſit, ac eradicandum, ſupereſſe exiſtimavimus, ut ſi non omnes, quam plurimæ tamen Germanorum Academiæ, quaſi fœdus quoddam jungerent, & ſocietatem boni publici causâ inirent. Proin ea de re, invitante Electorali Academia „ *Wittenbergenſi*, & hoc negotium inprimis adminiſtrante, cùm multa ultrò citròque acta tractataque eſſent literis, tandem in certas „ quasdam leges & pacta convenit, quibus conſtituatur diſciplina „ ſcholaſtica, maximè verò illa teterrima peſtis, quæ hactenus Academias noſtras & infamavit, & afflixit, inde profligetur, &c. Ex Volum. Oration. Schuppii, edit. iterat. p. m. 143. 148.

Ad meliorem vitam abiit *Conradus Dietricus*, D. Theologus, primùm Profeſſor Gieſſenſis, poſt Ulmenſium Eccleſiarum Superintendens, celebris Inſtitutionibus Catecheticis abſolutiſſimis; Myſteriologia Sacramentorum; Analyſi Evangeliorum; Explicatione Pſalmorum pœnitentialium; Expoſitione Eccleſiaſtis, & libri Sapientiæ, per conciones plurimas; aliisque Scriptis cùm Philoſophicis, tùm Theologicis, paſſim probè notus, deque Eccleſia JESU CHRISTI optimè meritus, anno ætatis quinto & ſexageſimo terrenis exemptus. In volum. Orat. Schup. paneg. Dietr. pag. 71. & Micræl. lib. 3. H. E. 482.

Abreptus etiam præmatura morte *Samuel Bohlius*, Theologus Roſtochienſis, Hebraicæ Linguæ, cujus in Academia Profeſſionem ſuſtinebat, peritiſſimus. Primus inter Chriſtianos & Judæos recentiores, inductione facta per totum Codicem Biblicum, ut ipſe de ſe dicit, *accentus inſervire conſtructioni, conſequenter ſenſui*, partim Collegio diſputatorio de Scrutinio Scripturæ ex accentibus, partim in tractatu de duplici accentuatione Decalogi, partim in aliis Scriptis hac de re editis, docuit. Ejusque dein veſtigia Auguſtus Varenius

(qui verſiones interdum ex hoc accentuum poſitu in ſuis Commentariis ſuper libros Moſaicos correxit) Caſpar Ledebuhr, Elias Schnegas, & alii preſſerunt. Non autem accentus *cauſam*, ſed *ſigna* tantùm juſtæ conſtructionis fecere, cauſam in poſitu latere dicentes. Hinc veluti vocales anima ſunt conſonantium, ſic accentus eſſe animam non tantùm verſuum, ſed & vocum, non quatenus talium, ſed quatenus in verſibus taliter vel aliter conſtitutis reperiuntur, voluere. *Modulationi* non inſervire accentus, variis rationibus probare anniſus eſt Bohlius, recenſente Hieron. Kromajer. in Polymathia Theologica, pag. 48. pl. de quibus Lector judicabit.

Idem *Bohlius*, præter alia, Tractatum de *Matrimonio Comprivignorum* ſcripſit, quo connubia eorum, tanquam divina lege prohibita, variis rationibus impugnavit, tertio præſertim partu accedente. Cùm verò hactenus abſque ulla difficultate, vel etiam diſpenſatione, frequentata fuiſſent iſtiusmodi conjugia, tâm Juriſconſultorum, quàm Theologorum tela in ſe convertit. Micræl. lib. 3. H. E. 467. Hier. Krom. in Theol. poſit. polem. pag. 758. ſeq. Singularem Viri opinionem, de *formali vocum* eruenda *ſignificatione*, multos quidem poſt annos, carbone notavit Hülſemannus, D. & Profeſſor Lipſienſis, ut capite ſeq. XI: dicetur.

Poſtquam anno proximè præterito *Cyrillus Lucaris*, Græcorum ArchiPræſul, Conſtantinopoli fune ſuffocatus, & in mare præcipitatus fuiſſet, Patriarchatu potitus eſt *Cyrillus Contari* ſeu Berrhoënſis, qui ut functionem obtineret, ope Romani Pontificis uſus eſt, hujusque fidem amplexus, literas ad Urbanum octavum exaravit, Petricca teſte, obedientia, reverentia, & animi ſubjectione plenas. Fuit ille *Contari* patria *Berrhoënſis*, ex urbe Macedonum, quæ juxta pronunciationem Græcis uſitatam *Veria* hodiè appellatur. Literas primum ab Hieromonacho quodam Gregorio didicit, in urbe Theſſalonicenſi; Poſtea verò ſectatus eſt Lojolitas. Non enim in Europa tantùm omnes angulos dudum perreptarunt Jeſuitæ, ſed & Græciam tentarunt, arcemque adeò Turcici imperii Conſtantinopolin ipſam penetrarunt, ac, ſi non ibi, ſaltem è regione urbis, Peræ ſeu Galatæ, ut Allatius ſcribit, jam ante multos annos fixerunt ſedem, amplas Collegii ædes exſtruxerunt, Biblothecam compararunt numeroſam, & ſua non parum promoverunt commoda, multosque ex plebe in partes pellexerunt Societatis; Præſertim cûm abſque ullo ſtipendio pueros erudirent, aliaque ſacra Miniſteria gratis exercerent,

rent, magnam ſibi auram captarunt. Ex his Magiſtro ac Præceptore Cyrillus noſter uſus eſt potiſſimum Dionyſio Guillio, homine Italo, qui organon Ariſtotelis auditoribus explicabat. Poſtmodum Epiſcopatu patriæ ſuæ vacante, ad eum ipſe à Patriarcha Timotheo, de quo ſupra lib. 3. cap. 8. promotus. Cùm ita Epiſcopatui præeſſet, contigit ut Metropolita *Theſſalonicenſis* iter faceret in Moſcoviam, & benignè ibi à Zario habitus, juſto diutius emaneret. Quid fit? Berrhoënſis à Patriarcha Lucari mittitur Theſſalonicam, ut rebus interim Eccleſiæ provideret. Illectus verò ſplendore urbis, Lucarim in modum majorem rogat, ut ipſum ad Epiſcopatum illum proveheret; quod cùm non impetraſſet, *capitale in Patriarcham odium* conceſſit, quod nonniſi morte Lucaris reſtingui potuit. Hilar. in Cyprii Chronicum Eccleſ. Gr. pag. 440. 460. pl.

Cæterò non videtur neceſſe aut operæ pretium eſſe, in *vitam ac mores illius Berrhöenſis* pluribus inquirere, quem ſatis flagitioſum ac improbum non unus deſcribit. *Allatium* quidem ſi audimus, *Contari* fuit vir probus, pius, melioribus temporibus dignus; de quo etiam in S. S. Martyrum numerum referendo, Romæ jam actum ſit. Haud parum tamen ipſemet eidem de pietatis & probitatis opinione detrahit, quando memorat: Eum propterea, quod à Cyrillo Lucari Epiſcopatum Theſſalonicenſem exorare nequiviſſet, irâ facem ſubminiſtrante, odia capitalia in protomyſtam exercuiſſe, quæ neque novis promiſſis, neque amicorum interceſſionibus, neque ullo alio beneficentiæ munere reſtincta fuerint; hinc frequentes inſidias, & ſæpius pertentatas ab utroque fraudes Clerum exagitaſſe, donec ejecto & ſuffocato Lucari, Berrhöenſis Patriarchatum inierit; Eum tunc iracundè, non tantùm verbo, ſed ſæpe etiam manu cum præſulibus egiſſe, ac ideò multorum ſubiiſſe invidiam, qui ſimul omnes cum Parthenio conſpirantes, illum è ſede truſerint, qui mox Tunetum ablegatus, laqueo ab adverſariis conſtricto gutture vitam finierit; hæc autem, quomodo cum præconio priori Papiſtico conveniant, nos non capimus? *Verius* fortaſſe *judicium* tulit, qui ſcripſit: „Quadrare in hunc Berrhöenſem illud de Bonifacio VIII. Pontifice „paſſim jactatum: Intravit ut vulpes; regnavit ut Leo; mortuus eſt „ut canis! Imprudenter nimis ac impudenter ſuas res Contarinus geſſit, dum alios contumelioſe de ſolio deturbare anniſus eſt, nec etiam prius quievit, quàm deturbaſſet; non conſiderans, magnam eſſe inconſtantiam fortunæ ac humanarum rerum, ut quæ nihil diu

in ſummo faſtigio conſiſtere patiatur; &, quo majori mole homines in altum attollat, eo rapidiore impetu de ſummo ejus culmine præcipitet. Expertus eſt id opinione citius Berrhöenſis, teterrimus parricida, qui per unicum annum, & aliquot menſes, Patriarchatum Conſtantinopolitanum tenuit, ac tum in Barbariam ablegatus, peſte periit, quo mortis genere anteceſſorem ſuum extinctum eſſe lætatus fuerat. Hilar. cit. loc. ac D. El. Vejel. Ulm. Superintend. in defenſ. Exercitat. de Eccleſ. Græc. 104. pag.

LIB. V. CAP. IX.

Summaria.

Literarum ab Urbano VIII. P. R. ad Contarinum perſcriptarum exemplum.

Angelæ Brixianæ oſſa Coloniam deportata.

De Congregatione Urſelinarum, ab eadem inſtituta.

Privilegium Societatis Lojolicæ, virtute precum Xaverianarum prorogatum.

Res Jeſuitarum in India florentes.

In locum abeunt ſuum Thomas Campanella, & Ludovicus Valetta.

EXemplum *literarum*, quas vocant, *Apoſtolicarum*, *ab Urbano VIII.* Pontifice Romano per dilectum ſuum filium Angelum Petriccam, Vicarium Patriarchalem Conſtantinopolitanum, *Cyrillo Berrhöenſi*, poſt acceptam ab eo Fidei Romanenſium profeſſionem, obedientiæque exhibitionem, *tranſmiſſarum*, ita habet:

Venerabili Fratri Cyrillo de Veria,
Patriarchæ Conſtantinopolitano. exterius.
Urbanus Papa VIII. Intus:
Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem!

„ Uberem Chriſtianæ conſolationis fructum, ex Fraternitatis „tuæ literis percepimus, quibus eximiam erga nos & Apoſtolicam „ſedem Pietatem, atque obſervantiam luculenter teſtaris. Com„plectimur te brachiis Pontificiæ charitatis, & ſolennem fidei or„thodoxæ profeſſionem, ad nos miſſam, perlibenter accepimus. „Neque minus ſolatii, noſtræ ſolicitudini partum eſſe fatemur, dum „periculum, quod imminere videbatur, Omnipotentis ope ſubtra„ctum, & exitioſas Cyrilli Lucaris hæreſes à te, aliiſque præſulibus, „Chriſtianarum virtutum Zelo munitis, improbatas fuiſſe, audivi„mus. Tam pro vigilis conſtantiæ documento univerſæ Eccleſiæ

„lau-

„laudes promeritus es, venerabilis frater; dum mendaciſſimam do-„ctrinam, qua neſarius veræ religionis hoſtis omnem Orientem per-„nicioſis errorum tenebris obvolvere conatus fuerat, proſcripſiſti. „Diſſipavit Dominus iniquorum conſilia; viam fecit ſemitæ iræ ſuæ; „non pepercit à morte; docuitque miſerrimo illius exitu, digna „reos animadverſione à ſe puniri, qui reddit unicuique juxta opera „ſua. Ad hunc ſtatum cùm res deducta ſit, tuum erit, omne ſtu-„dium ac diligentiam adhibere, ut falſa Calvini dogmata, quæ idem „Lucaris magno plurimorum damno diſſeminare adnixus eſt, te „Catholicam fidem propugnante, ex populorum mentibus penitus „evellantur. Id autem ex animi ſententia cedet, ſi ſedulò curave-„ris, ut Prælati & Parochi impiis hæreſium commentis decepti, aut „reſipiſcant, aut ab Eccleſiis removeantur, eorumque munus Ca-„tholicis demandetur. Id ſanè ſi præſtiteris, Altiſſimus, qui dives „eſt miſericordiâ, labores tuos proſperis eventibus cumulabit. Nos „verò te omni ope & officio tueri minimè prætermittemus, atque à „Catholicis Principibus, quorum patrocinium tuis rebus opportu-„num fore videbitur, majorem in modum poſtulabimus, ut per „ſuos miniſtros iſthic commorantes, te, ubi uſus venerit, impensè „adjuvent. Datum Romæ, 30. April. an. 1639. Pontificatûs noſtri 16. Ex D. Vejelii Defens. exerc. de Eccl. Gr. pag. 103.

Ea tempeſtate *Angela Brixiana*, anno 1540. demortua, cui debetur inſtitutio *ſacræ Congregationis Virginum & viduarum Urſulinarum*, Coloniam demum delata fuit, quippe quæ hactenus certum locum, ubi permanentem haberet quietem, invenerat nullum. Dicta verò *Congregatio* in Communione Romana, ſub Epiſcoporum ductu, regulam Auguſtini ſequitur; Inſtituta primùm ab Angela Brixiacenſi in Italia, approbataque à Gregorio XIII. an. 1572. dein *Magdalena Luilleria*, ſimilem in Gallia cœtum adornavit, an. 1611. à Paulo V. confirmatum. Inibi puellæ præſertim diligenter in iis quæ ſexum decent fœmellarum, inſtruuntur. Hofm. Lex. Univ. B. 568. Zeil. Ep. B. 691.

Luctuoſa fuiſſent Jeſuitis annorum 1639. & 1640. confinia, ob inæſtimabile exeuntis *privilegii Loyolitani* diſpendium, niſi Xaveriano abundè compenſata fuiſſet iſtius amiſſio. Etenim in libello de vitâ *Ignatii Loyolæ* legitur, *eum devotiſſimis precibus, apud Majeſtatem Divinam inter alia meritum eſſe privilegium hoc inſigne, pro tota Societate ſua, ne quis ex illa unquam aut uſquam peccaret mortaliter, ad annum uſ-*

que

que 1640. Franciſcum autem Xaverium, Indorum Apoſtolum, impetraſſe Privilegii *prorogationem* ultra dictum terminum, *in ducentoſ annos* deinceps tranſigendos. Zachar. Hogel. in Gamaliele refert, pag. 157.

Lojolitarum res, ut alibi paſſim, ſic *in India tunc floruerunt* egregiè, inprimis GOÆ, ubi Collegium habent magnificentiſſimè inſtructum, & frequentiſſimum. Cùm eò delatus fuiſſet ex Perſia Nobilis *Mandelslovius*; illud cum admiratione conſpexit & oculis perluſtravit, benignè à patribus, numero centum & quinquaginta, habitus; fratrum quoque & ſtudioſorum totidem aderant, imò plures; multi etiam ex Mauritanis pueri, quos literarum ac morum elegantiis erudiebant, ad captandam Nationis benevolentiam. Goæ fixam ſedem habent, & Vicarius Hiſpaniæ ſeu Luſitaniæ Regis, & Archiepiſcopus, & pater provincialis, per quos publica tum ibi, tum aliis in locis Indiæ quam plurimis, diriguntur. Celeberrimum eſt *Emporium*, ubi & *Noſocomium* totius Orbis magnificentiſſimum; Templa vitrorum loco margaritiferis ſplendent conchis, &c. Mandelsl. lib. 4. 123. 126. Hofm. Lex. 706.

Vivere deſiit inter terræ filios *Thomas Campanella* Calaber, & Jacobinus. Auctor *Atheiſmi triumphati*, malè ſic inſcripti. Phyſiologiam quoque publicavit; librum de ſenſu rerum; de Monarchia Hiſpanica, ubi multa carbone digna infarſit; & alia quædam. De eo non injuriâ ſcribit vir doctiſſimus: „ Ecquis non miretur, quan„do legerit conſilium hoc à Thoma Campanella Monarchæ ſuo ſug„geſtum fuiſſe, ut ſcholas *linguæ Græcæ & Hebraicæ* clauderet, quia „hæ Imperio exitium tulerint, atque hæreſes hodie potiſſimum illis „nitantur; contra verò introduceret *Arabicam*, qua Mahummedani „convincantur, ac Transalpini in coarguendis Turcis, non Catholi„cis, occupati fiant. Itane, addit J. H. claudat Hiſpanus ſcholas omnes „*L. L. Gr. & Hebr.* Hem, barbaram vocem! Nempe hæreſes illis po„tiſſimum nituntur. Felices ſanè hæreſes (nihil quàm doctrinam „puriorem intelligit) quæ tam excellens habent bonarum literarum „præſidium, & quibus hoc teſtimonium dat magnus earum adver„ſarius! Contra *Maturinus Simonius*, in eleganti libello de literis per„euntibus, in eos graviter invehitur, qui defectionis cauſam linguis „attribuunt: Invitus repero, dicens, quosdam turpiſſimè cauſam ſuæ „defectionis, linguarum Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ refloreſcenti „cognitioni attribuere. Revera autem à linguis, earumque revi„vo-

„ reſcentia, magnum Reformationi acceſſit auxilium & honeſtamen„tum. Quod de *Arabica* dicit Campanella, facilè nos, verùm unà „ cum Hebræa, Græcaque lingua, & his quidem ſupra illam, utpote „ divinioribus, admittimus. Verba ſunt *Johannis Hornbekii*, lib. 3. Sum. Controverſ. pag. 184. plura vide ſupra de Campanella, lib. IV. cap. XXX. & XLVI. Hofm. Lex. 359.

Ad ſuum non minus locum abiit, *Ludovicus Valetta*, Cardinalis & Archiepiſcopus Tholoſanus, filius Ludovici Eſpernonii; Animo bellorum cupiente præfuit Exercitibus in Germania, Belgio, & Italia; obiit prope Taurinum in Pedemontio. Calv. Chron. 1016. Hofm. Lex. A. 947.

LIB. V. CAP. X.

Summaria.

Duræo, conciliationem Lutheraniſmi & Calviniſmi in Dania urgenti, quid à Theologis Hafn. reſponſum?

Suffiaminatorum conatuum Duræanorum culpam Amyraldus Riveto, Spanhemio, & ſimilibus imputat.

Waldenſibus afflictis, afflictio additur acerbior.

Inter Angliæ Regem, & Scotiæ Proceres, jamjam res ad manifeſtam colliſionem vergit.

Johannes Chriſtianus, Dux Brigenſis, fato fungitur.

Cùm *Johanni Duræo* jungendorum in religione Lutheranorum & Calvinianorum ſtudium, integro biennio *in Suecia* tentatum, non ex animi ſententia ceſſiſſet, mox *in Dania* Conciliationem Eccleſiaſticam intentiùs urſit; vi præſertim voti, quod in Suecia morbo correptus DEO ſe nuncupaſſe dicebat. *Reſponſum à Theologis in Academia Hafnienſi*, ad Syncretiſtica Anglicani Pacis Angeli conſilia, à Rege per Cancellarium ipſis propoſita: „ Nihil quidem in hoc ne„gotio promi à Duræo, quod non dudum attulerint & urſerint Ju„nius, Crocius, Pierius, Bergius, & omnium ingenioſiſſimè ac di„ctiſſimè in ſuo Irenico Pareus; qui tam non laborioſo conatu „ motas controverſias, animorum irritamenta, ſuſtulerint aut ſopi„verint, ut oleum potius huic flammæ videatur affuſum. Si tamen „ denuò ulla ſuſcipi cum Britanno de pace religioſa debeat conſul„tatio, ſaltem fructuoſa, eidem *tria prius eſſe præſtanda*. *Primum*, ut „ doceat, coalitionem ſalvo fidei fundamento eſſe poſſibilem, &, „ quæ à Lutheranis Doctoribus huic poſſibilitati oppoſita ſunt, non „ obſtare, ac proinde falſa eſſe demonſtret. *Secundum*, ut pia ſolici-

„ tudine ac prudenti moderatione efficiat, ut Eccleſiæ Calvini do-
„ gmata ſequutæ, revocent ac damnent omnia illa ſcripta, quibus
„ Lutheranas Eccleſias periculoſſimarum damnatiſſimarumque hæ-
„ reſium inſimularunt. *Tertium*, ut perſonam ſuam ſufficienter le-
„ gitimet, ne alii Calviniſtæ id non habeant ratum, quod ipſe tran-
„ egerit. Animadvertimus (ajunt) læti ex transmiſſis à Duræo do-
„ cumentis, quod multa in controverſis articulis concedāt, quæ ad-
„ verſa pars ſolita ſit impugnare: Nam non modò omnipræſentiam
„ humanæ naturæ Chriſti probat, ſed etiam oralem corporis Chriſti
„ manducationem in S. Cœna certo ſenſu admittit. Quem cum no-
„ ſtris Eccleſiis conſenſum veluti æſtimamus & laudamus, ita ve-
„ remur, ne Eccleſiæ Calvinianæ hanc Duræi moderationem impro-
„ baturæ ſint; nec vanus videtur metus, intuitu actorum Lipſienſis
„ Colloquii, ubi & omnipræſentia Humanæ Chriſti naturæ impro-
„ bata Calviniſequis, & oralis manducatio corporis Chriſti rejecta.
„ Hi ergò, cùm id improbant, quod Britannus adeò liberaliter con-
„ cedit, cui foret uſui, aut de pace conſultatio, aut inita cum illo in
„ religione conſociatio, ſi, quæ probaverit modernus pacis procus,
„ ea improbaverint ſocii? quocirca ut omnia eſſe poſſint ratiſſima,
„ quæ in religionis negotio concluſerit nomine Eccleſiarum Calvi-
„ nianarum Duræus; hoc impetret ab Eccleſiis partium ſuarum in
„ Germania, Gallia, Belgio, Polonia &c. ut quem ipſe in articulis fi-
„ dei controverſis fixerit ac formaverit ſtatum, hunc velint omnes
„ agnoſcere genuinum quæſtionis ſtatum; & quam Duræus iniverit
„ moderationem, eandem nunquam velint in dubium vocatam.
Qua niſi ratione Duræus inſtruatur à ſuæ fidei Eccleſiis, autoritate
„ ſolenni, non poterit quidquam ejus operâ & ope confici, quod
„ paci Eccleſiarum diſſidentium conſtituendæ ullo ſucceſſu firmiter
„ ſerviat. Hülſem. Calvin. irreconciliab. pag. 49. ſeq. deduct. Wit-
tenb. quod errores Calvinianorum ſint fundamentales, append.
573. pl.

Expoſita ſanè ſunt in Solis menſa, modernorum *Theologorum Batavorum* cum *Moſe Amyraldo, Johanne Bergio, Ludovico Crocio*, a-
liisque per provincias Auguſtanæ Confeſſioni addictas reptantibus Calvinianæ ſectæ miniſtris *litigia*: An è S. literis defendi poſſit uni-
verſalis quidem, ſed hypothetica DEI benevolentia, erga omnes in Adamo lapſos; juxta quam omnes velit facere ſalvos, ſi credant, fi-
dem verò nolit omnibus dare, quâ credant? Amyraldus, Bergius,
Cro-

Crocius, circa quæſtionem hanc *Johannis Duræi moderationem* commendant, *culpamque ſufflaminatorum ejus conatuum* Amyraldus ſaltem apertè Riveto, Spanhemio, aliisque in Batavia Calviniſtis impingit. Hi excepere tantùm, ſe non impedivisſe conatus Duræi, *ſed nec juviſſe*; ſcribit D. Joh. Hülſem. in Præfat. dialyſ. apol. problem. Calixt. de Myſter. Trin. lit. D. pag. 31.

Waldenſes in Vallibus Pedemontii, ſub Victore Amadeo Duce duriter habiti, ſub vidua tractantur jam durius. Præſertim verò *Legerus*, è præcipuis Verbi Miniſtris, animoſius ad privilegia olim data provocans, & religionem ſuam adverſus Antagoniſtas confidentius propugnans, tanquam refractarius in carcerem detruſus, & in furcam actus eſſet, niſi fugâ ſibi conſuluiſſet, à Genevenſibus in patrocinium ſuſceptus; parilem deinde ſortem ſubire nonnullos alios Legeri *Symmiſtas* oportuit, ibique Miſſificos admittere, ubi poſt hominum memoriam viſi fuere nulli. Pecul. tract. de Stat. Sabaud. pag. 294.

Tandem apud *Carolum I.* Britanniæ Regem, tantum obtinent *Episcopi*, eorumque fautores, ut in Anglia claſſicum contra *Scotos* canatur. Inde concurrunt *Anglici & Scotici exercitus* in utriusque regni confiniis; At miſſis ultrò citroque Legatis, Scotis perſuadetur, ut militem dimittant, ea lege, ut Eboraci nova Synodus inſtituatur, facta deputato Regio, Johanni Comiti Traquariæ, poteſtate, pro ſuo judicio, Regis nomine, omnia in ea Synodo ſtatuenda, ac probanda ſibi, ritè confirmandi. In ipſa verò *Eboracenſi Synodo*, eadem, quæ in Glasguenſi, decernuntur, & à Regis Deputato, quùm videret nullum aliàs futurum motuum finem, & æquitatem Statutorum ſatis colligeret, confirmantur. Sed quùm in *Parlamento Scotico* mox convocato, ſolenni more, ejusdem Synodi confirmatio deberet obtineri, Deputatus Regius, aliis jam acceptis ex aula mandatis, noluit eam à Parlamentariis Regni confirmari; cui dum obluctantur Proceres, ipſe Regis nomine Parlamentum confeſtim diſſolvit. Hinc proteſtatio Procerum, Regi in Scotia ritè convocati & conſtituti Parlamenti ſolvendi non eſſe, aut fuiſſe unquam, poteſtatem. Boxhorn. Chronol. 161.

Interim Naturæ debitum ſolvit in Sileſia, *Briegæ Dux. Johannes Chriſtianus*, Joachimi Friderici, qui Olaviæ, & poſt matrem Briegæ habitavit, filius; vel ob id hîc memorandus, quod Calvinianam Religionem, cui Parens viam paraverat, & hoſpitium, in Ducatu ſuo

 ul-

ulterius promovit, & ſtabilivit. Ei ex Dorothea Sibylla Brandenburgica ſuperfuere filii tres, nempe *Georgius*, *Ludovicus*, *atque Chriſtianus*; qui poſt exacta ſtudia, & obita itinera, Patri ſucceſſerunt, ac ſingulari Concordiâ ditiones inter ſe partiti ſunt. Spener. in Geneal. pag. 275. confer an. 1601. cap. III. de Calvin. Hofm. 309. in Lex.

LIB. V. CAP. XI.

Summaria.

Bohlii opinio de Formali ſignificatûs.
Fundamentum Fidei Duræanum.
Muhammedes, de legis ſuæ duratione.
Cur ſubſtiterit hactenus, ac tam latè diffuſa ſit Religio Muhammedana?

INter *Samuelis Bohlii* (hoc anno vivis exempti) ſingulares, quas foverat ac promoverat, opiniones, non minima de *Formali ſignificatûs* fuit, à *D. Hülſemanno* poſtmodum ſub cenſuram vocata, & rejecta Prælect. Academ. in F. C. loc. de DEO, cap. IV. §. VI. ſequentibus verbis: „ Spiritualitatem ſive incorporeitatem DEI quod attinet, non ſolùm Vorſtius, ſed haud ita nuper quidam in Roſtochienſi Academia comment. in c. 7. Eſ. & in Proverb. l. 3. proprietatem vocum Ebræarum, quæ DEO manus, pedes &c. attribuit, absque ulla metaphora ſive Anthropopathia ſic exponendam eſſe contendit, ut hæ voces propriè Deo, analogicè tantùm hominibus, aliisque animantibus competere cenſeantur. Quæ quidem *hypotheſis* non ſolùm enervat omnem vim demonſtrandi ſacris in literis, utpote quæ nititur talibus ſignificatis nominum ac verborum, qualia communis uſus omnium gentium iis impoſuit, qualia à Genitoribus & obſtetricibus ſuis hauſerunt, non verò quale ſignificatum primitivo ſive primæ Radici vocis, per generalem quandam Analogiam, inhæſit; ſed abolet etiam ac evertit omnem efficaciam pactorum & conventorum inter homines, ſi formale ſignificatum cujuscunque verbi æſtimandum eſt & explicandum ex generaliori ſive latiori ſignificatu verbi primitivi ſive originalis, quod requirit Bohlius; præterquam quod ex genericis ſignificatibus cujuscunque verbi pro arbitrio ſuo arripit, quodcunque lubet, idque dicit eſſe formale hujus vocis, &c. atque ita convertitur ſenſus cujuscunque dicti Biblici per adulterinam illam maximam: *Generaliſſimum cujuscunque radicis ſignificatum eſſe* FORMALE

„ *vocis*,

„*vocis, & ad formale hoc eſſe omnium derivatorum expoſitionem reducen-*
„*dam, &c.* Vide Opus poſthumum D. Hülſem. Vind. Scriptur. per loc. claſſ. Syſt. Theol. pag. 253. pl.

Johannes Duræus, de quo in præcedenti capite, ad poſtulatum præcipuum Facultatis Theologicæ Hafnienſis, ut doceret: *Coalitionem Lutheranorum & Calviniſtarum in unam Eccleſiam, ſalvo fidei fundamento eſſe poſſibilem*, hunc in modum declamavit: „ Obſecro vos per „ veſtram in Chriſtianiſmo Profeſſionem, velitis nos docere: An putetis illud, quod Apoſtolus Paulus ſibi ſcitu & factu neceſſarium „ eſſe judicabat ad ſalutem, nobis ſufficere ad eundem finem debe- „ re? Ille igitur ſic ait Act. 24. 14. Ita colo Patrum Deum, ut credam „ omnibus, quæ in lege ac Prophetis ſcripta ſunt &c. Hic habemus „ fundamenta profeſſionis Apoſtolicæ iſta: Colendus eſt Deus Pa- „ trum, i. e. Deus Iſraëlis. Credendum eſt omnibus, in Scriptura S. „ de Deo & ejus voluntate ac operationibus revelatis. Speranda eſt „ reſurrectio ad vitam, omnium mortalium. Studium bonæ conſci- „ & inculpatæ coram Deo ac hominibus vitæ, capeſſendum eſt. Jam „ quæro, utrum hæc vera ſint fundamenta Chriſtianiſmi, nec ne? Si „ talia ſunt, quis poteſt dicere, Reformatos illa non admittere? ſunt „ itaque in fundamento fidei. Si verò Lutherani à Reformatis, ut „ dicitur, in fundamento differant, monſtrate nobis, quidnam ho- „ rum fundamentorum à Lutheranis negetur? Si nihil horum hi „ quoque negant, ubi eſt diſſidium in fundamento? En tibi lector, *fundamentum fidei & religionis Duræanum*; ſed inadæquatum, tam fidei Chriſtianæ in genere, quàm ſalvificæ in ſpecie, imò fidei fundamentum, *cui ſe inhærere omnes Turcæ ac Judæi profitentur!* Judice Hülſemanno, in Calviniſmo irreconciliabili, pag. 140. ſeq. ubi, quàm Scoto-Britannus iſthoc ſuo diſcurſu toto ineptiat, ſatis ſuperque oſtenditur. pag. 142. 143. confer Calov. Syſt. A. 782.

Magnus Impoſtor *Muhammedes* olim interrogatus à Muſulmannis, *quamdiu eſſet ab ipſo condita Lex duratura?* decem digitos extendiſſe, & oſtendiſſe fertur, quibus mille deſignari annos conjectarint; & credibile eſt ſingulis digitis centenos annos ipſum ſignificaſſe. Mortuus autem creditur Muhammedes à Chriſto nato, anno ſexcenteſimo triceſimo nono; quibus ſi mille addantur anni, fatalis erit, ſecundum Muhammedem Turcicæ religioni, annus æræ Chriſtianæ ſupra milleſimum & ſexcenteſimum trigeſimus nonus; quæ ſuo loco relinquimus, &, quod non tam prædixit Mahometus, quàm de-

 crevit

crevit Deus, maturè impleri optamus! Quærenti autem *cur hactenus ſubſtiterit, ac tàm late diffuſa fuerit hæc ſpuria* religio? reſpondetur: Tam latè propagatam fuiſſe terrore gladii, probroſa carnalium voluptatum licentiâ, imperato ſtupore, cæcaque in capitibus religionis obedientia; ex quo de qualitate conſtare poterit, quæ ſi proba eſſet, non refugeret examen; eoque referimus illa Anglici Scriptoris, qui ita: „ Dum in *cauſas*, ob quas longè latèque diffuſa eſt impia iſta ſecta, „ inquiro, *quatuor*, præter Divinam juſtitiam, peccata Chriſtianorum hoc modo punientem (illæ primò regiones oppreſſæ ſunt, in „ quibus Chriſtiana religio maximè viguit) invenio. *Primam* in tot „ proſpero ductu partas victorias conjicio; victi ſemper victoris religionem ſequi coacti ſunt. *Alteram*, omnium de religione diſputationum ſub pœna capitis inhibitio ſuggerit. *Tertia*, ſuppreſſioni „ ſtudiorum Philoſophiæ, per quam maxima potiorum ſuperſtitionis „ Muhammedanæ partium vanitas detegi potuiſſet, debetur; Eam „ in Univerſitatibus docere, à quadringentis & ultra annis prohibitum eſt, cùm antehac Cordubæ, Feſſæ, Marocci, Bagdadi, ac in „ aliis urbibus floruerit. *Quartam*, carnalibus voluptatibus fruendi, „ & plures uxores ducendi licentia ſuppeditat; cui ſimilium oblectationum in paradiſo promiſſa accedunt; Magis horum oblectamenta expertos afficiunt, quàm ſpiritualium deliciarum promiſſa, „ quæ in ſpe duntaxat offeruntur, taleſque ſunt, ut propter eas ſenſuales voluptates neceſſe ſit derelinquere. D. Oſiander in Syſtemate theologico part. I. Exercitat. 9. pag. 174. ſeq. Berew. in Scrut. Relig. 35.

LIB. V. CAP. XII.

Summaria.

Buſcherus, Theologos Helmſtadienſes crypto-Papiſmi arguit.

Thomæ Haynei pax in terra prodit, principiis Acontianis nixa.

Statuta de abrogando Pennaliſmo, Academiis Germaniæ ſociis communia.

ANno 1639. *M. Statius Buſcherus*, Paſtor Hannoveranus, *de crypto-Papiſmo Novæ Theologiæ Helmæſtadienſis*, Eccleſias A. C. peculiari ſcripto commonefecit, erroreſque iſtius Academiæ Doctoribus pluſculos impegit, e. g. de duplici principio fidei, de peccato originis, de juſtificatione & bonis operibus, de vera Eccleſia, de poteſta-

te

te Romani Pontificis, de S. Cœna, &c. quos declinare quidem ſcripto *Apologetico* conati ſunt Helmſtadienſes, ſed ita, ut in multis hæreant, in quibusdam nihil planè reſpondeant, in plerisque magis magisque ſe implicent. Calovius in Syſtem. Theol. part. I. pag. 1176. Hartnak. in contin. hiſt. Eccl. Micræl.

Tunc etiam in lucem publicam *Thomas Hayne*, Anglus, prodiit cum libro ſuo, cui titulum fecit: *Pax in terra*, cum cenſura Capellani domeſtici Archiepiſcopi Cantabrigienſis, ad *Jacobum Acontium*, & ei ſimiles, proximè accedens, quoad facilem (illius opinione) omnium ſectarum inter Chriſtianos conciliationem. *Acontius* autem, ea tantùm *doctrinæ Chriſtianæ capita cognitu eſſe neceſſaria* docuit, de quibus ſpeciatim certa Verbi Dei teſtimonia extent, quod ſint neceſſaria; voluitque ea Divinis literis clariſſimè, apertiſſimèque expreſſa contineri, quæque ut cognitu neceſſaria aſſerenda ſint, ea iisdem etiam verbis aſſerenda eſſe contendit, quibus divinitùs expreſſa Atq; hæc, non plura, cognitu neceſſaria eſſe affirmavit, nempe: Quod unus ſit Deus, Deus, & quem ille miſit, Jeſus Chriſtus, & Spiritus Sanctus. Quod homo iræ judicioque Dei ſit obnoxius, & quod mortui ſint reſurrecturi, juſti quidem ad æternam beatitudinem, impii verò ad æternos cruciatus. Quod Deus Jeſum Chriſtum filium ſuum in orbem miſerit, qui homo factus propter peccata noſtra mortuus ſit, & propter juſtitiam à mortuis excitatus. Quod ſi crediderimus filio, per ejus nomen vitam conſequuturi ſimus. Quod non ſit in ullo alio ſalus. Quod unus ſit Baptiſmus in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti. Hujusmodi ſymbolum quicunque profiteantur, (quæcunque cæterò ſuperſint controverſiæ) eos omnes pro fratribus & Chriſtianis amplectendos eſſe, cenſuit. Hülſem. Calvin. irreconcil. pag. 18. Calovii Syſt. A. 780. ſeqq.

Publicatæ *leges*, & *Statuta*, in quæ *Sociæ Germanorum Academiæ*, abrogandi *Pennaliſmi* cauſa conſenſere, hæc ſunt: „ 1. Si qui delati „ deinceps fuerint, novitiis Academicorum Studiorum pecuniam „ aut compotationem ſeu extorſiſſe vi ac minis, ſeu ſimulatis per- „ ſuaſionibus exſculpſiſſe; aut aliam quamvis rem vel eripuiſſe pa- „ làm, vel arte ac dolo ſubduxiſſe; tùm eos convitiis verberibusve „ tractaſſe indignè, aut quavis ratione, quocunque loco ac tempore „ exagitaſſe; vel interfuiſſe his rebus illicitis, & perpetrantibus talia „ navaſſe operam; de ea cauſa neque cognoſcat privatim Rector, „ neque pronunciet; verùm ad totum Senatum referat, admonitis

„ Pa-

„ Patribus, ut neque odio ducti, neque gratiâ, ad normam legum, „ & juxta pacta conventa ſententiam ferant; Nunquam autem aut „ connivebit Rector, aut diſſimulabit hujusmodi, neque alios patie- „ tur id facere. 2. Convicti hujusmodi criminum, ſi in re aliqua „ ſint, adigentur ante omnia, ut ſumptus non tantùm, qui facti ſunt, „ ſed quicquid in aliis rebus novitio datum eſt damni, rependant „ omninò; deinde ſine ullo reſpectu aut perſonæ ac loci, aut condi- „ tionis ac meriti, relegentur & ejiciantur ex literatorum ſocietate, „ ad plures alii, alii ad pauciores annos, pro modo ſcilicet eorum, „ quæ admiſerunt. 3. Programmata, quibus relegationes iſtæ pro- „ mulgandæ ſunt, typis deſcripta ſunto, quorum certa exemplaria „ in relegatorum transmittantur patrias; ut quanto deteriores ac per- „ nicioſiores hoc genus noxæ, tantò conſpectiores quoque, & ſic „ omnibus deteſtabiliores evadant. 4. Præcipuè docendæ de eo ſo- „ ciæ ac fœderatæ Academiæ ſunt per literas, & ea ipſa programma- „ ta iisdem incunctanter transmittenda, ut caveant ſibi ab iſtius- „ modi peſtibus, & omnem ipſis ſimiliter in viſcera ſua graſſandi li- „ centiam maturè præcidant; Sociæ verò Academiæ, quamprimum „ acceperint hujusmodi literas, reſpondebunt ſtatim, & ſignifica- „ bunt, rectè fuiſſe perlatas. 5. Si fiat, ut ſympoſia inſtituantur tam „ callidè, ut vera cauſa maximè lateat, & quicquid aliud potius vi- „ deatur agi, quàm qnod reipſa agitur; ac demonſtrare eorum, qui „ interfuere, quiſpiam poterit, nihil quicquam de eo, cùm accede- „ ret, conſtitiſſe ſibi, eamque ignorantiam ſuam adeò idoneis rebus „ probaverit, tùm ille, aut ſi qui plures fuerint, non relegatione qui- „ dem, ſed arbitraria pœnâ afficiantur. 6. Quæ omnia, etſi firma „ inconcuſſaque manere debeant, eò tamen minimè trahenda, ac ſi „ relegatis ſemel, hoc nomine nulla omninò reſtitutionis ſpes relicta „ ſit. Et tamen de ea fruſtra erit, niſi quis reconciliatus Academiæ „ fuerit, unde proſcriptus primùm ob commiſſum ibi facinus, & re- „ legatus eſt, quò ipſi præcipuè confugiendum. Nec erit cuiquam „ copia interim verſandi in ulla fœderata Academia, priusquam pu- „ blico teſtimonio demonſtret, delicti veniam, & liberam poteſta- „ tem continuandi in Academiis ſociis ſtudia, legitimè ſeſe obti- „ nuiſſe. Neque enim temerè, atque ſimul cùm peti cœperit, ea con- „ cedenda venia eſt; extrahetur nonnihil res, ac deliberabitur probè, „ ne facilitate peccetur aliquid, & inconſulta lenitas, præcipuum „ ſanctionis robur enervet, totamque viliter proſtituat. 7. Et quo-

„ niam

„niam ſæpius accidit, ut, qui nihil aliud habent, quo pravè facta
„excuſent, ignorantiam culpis prætexere ſoleant; Idcircò in id in-
„cumbent Rectores, ut omnes, qui nomina ſua profitentur apud
„ipſos, ac in Studioſorum numerum recipi poſtulant, non modò
„de hoc decreto & pacto admoneantur diligenter, ſed ut itidem re-
„ligioſè promittant inter cætera auctoramenti Academici capita,
„nec ſeipſos contra ſanctionem hanc molituros unquam aliquid,
„neque diſſimulaturos, ſi alii ipſis hoc improbitatis genere moleſti
„fuerint & graves. 8. Sed quia fieri poteſt, ut aliqui præpediti ti-
„more, & interminando territi, officii ſui obliviſcantur; dandum
„negotium publicis miniſtris (pedellis) pro ea fide, qua aliàs ob-
„ſtricti reipublicæ Academicæ ſunt, inquirendi diligenter, ſicut in
„alias actiones Scholaſticorum, ita in Pennaliſationes iſtas nefarias,
„ut protrahantur in lucem, è ſuis tenebris, ac juſto rigore vindicen-
„tur. 9. Atque ut omnes viæ ac aditus obſepiantur veluti, per quos
„inſinuare ſe, ac ſerpere latius tam peſtilens malum poſſit; nava-
„bunt Rectores operam, ut per ordinarios Magiſtratus, hoſpitibus,
„cauponibus publicis, tabernariis, & quocunq; nomine venire poſ-
„ſint, qui in hujusmodi rebus quæſtum exercent, ne procurare has
„commeſſationes vel conviviorum etiam ſpecie, aut adjuvare ſal-
„tem quacunque ratione ſuſtineant; aliàs perdituros eos impenſas,
„pretiaque rerum, quas præbuere, & arbitraria inſuper pœnâ puni-
„endos eſſe. 10. Cùm infinitæ fraudes & machinæ ſint, quibus Ca-
„codæmon inſidiari bonis moribus ſolet, ac illud omne, quod ad
„pietatis, juſtitiæ & honeſtatis rationem compoſitum benè ac ordi-
„natum eſt, convellere ac diſturbare contendit aſſiduè, quo extin-
„cta virtute omni, ac pudore, impietas & petulantia impotens ubi-
„vis rerum potiatur, cunctaque miſceat & confundat; Eam ob cau-
„ſam elaborandum ſedulò, non tantùm ut dignis modis hæcce com-
„peſcatur improbitas, quam nunc præcipuè nobis tanquam infau-
„ſtam obſcœnamque matrem, unde innumeræ peſtes aliæ progna-
„ſci ſolent, debellandam & expugnandam ſumſimus, ſed aliis etiam
„facinoribus atque flagitiis, in quæ procumbere juventus, tum
„mali inſtinctu genii, tùm labe temporum cumprimis conſuevit,
„injiciatur frenum, ac diſciplina ſcholaſtica, ſine qua nec ſtare Aca-
„demiæ, nec ſapientiæ ſtudia, quibus Reſpublicæ nituntur præci-
„puè ac florent, conſervari poſſunt, undequaque ſtabiliatur & ro-
„boretur, pari diligentia ſeveritateque, &c. Poſtremò, cùm nullæ

„ unquam leges aut tàm prudenter excogitatæ, aut undiquaq; tàm „ firmiter roboratæ ſint, quin contra commenti non pauca fuerint „ callidi aſtutique homines, quibus, ſi non ſubverterent penitus, de„ bilitarent tamen, atque infringerent ex parte, præclarè ſancita: „ Idcircò danda eſt opera, ut hæc pacta conventaque, ſupremi cu„ jusque Academiæ Magiſtratus autoritate & ſuffragio confirmen„ tur. Ita enim futurum exiſtimabatur, ut, quo plus Majeſtatis in„ eſſet iis, hoc majorem religionem injicerent animis, qui ad illa„ rum obſervationem obligati aliàs devinctique eſſent. Nam gra„ vius ac formidabilius eſt, adverſus autoritatem Principis, quàm in „ eorum ſanctiones delinquere, quorum decreta & ſententiæ à po„ teſtate ſumma impediri poſſunt. Publ. Marpurgi, Calend. Januar. 1639. Vide volum. oration. Schuppii, pag. 150. ſeqq.

LIB. V. CAP. XIII.

Summaria.

Bannierii progreſſus per Miſniam atque Bohemiam felices.

Pomerania, in provinciæ Suecicæ formam redacta.

Bernhardi Vinarienſis expeditio extrema, & mors repentina.

Carolus Ludovicus Palatinus à Gallis diuturna cuſtodia detentus.

Martini Trompii victoriæ navales: Babylonia à Turcis capta.

Legati Holſatici ex itinere Perſico domum reverſi, mox inſequentibus Legatis Perſicis, & Moſcoviticis.

Nuptiæ Eggenbergicæ, & Lauenburgicæ.

Stirps Comitum de Gleichen exareſcens.

Lis Hazfeldii, Saxoniæque Ducum, de fundis Gleichenſibus.

Mors Maximiliani Pappenhemii, Teſtamento ſuos agnatos inſigniter lædentis.

Marocco, Regnum Africæ, ad novum Regem devolutum.

B*Annierius* fuſo *in Miſnia* Cæſareano Duce Saliſſio mox & Maraſinio, Suikavia potitur, inde fugientium veſtigia legens, in mediam usque *Bohemiam* illatus, Leitmarizium, Brandiſium, circumjectaque oppida, ſuæ poteſtati ſubjicit; ipſis dein *Pragæ* mœnibus non ſemel juſtæ oppugnationis terrorem oſtentat. Tſchimmern in contin. Sleid. de 4. Monarch. lib. 3. 430.

Per idem ferè tempus & *Sueci*, Dammino per inopiam recuperato, *Pomeraniam in juſtæ Regni Suecici Provinciæ formam redigunt*, extincta quidem ſtirpe priorum Ducum ad Brandenburgicos devolutam; ſed victoria id Suecis transſcripſit, nullo novo exemplo, ut, quod

quod quis aliis opitulandi prætextu ſuum fecit, ſuum etiam nuncupet. Sperabantque Sueci, ut à Germanis conceſſa olim ſit externis Boruſſia, ſic ſe Pomeraniam, per futuram pacificationem habituros. Epit. R. G. pag. 234.

Vinmarienſis autem poſt occupationem Briſaci, movit in Burgundiam ad Galli petitum, ibique Pontarlino vi capto, & omni cladium genere devaſtata regione, dum in Alſatiam regreditur, Neoburgi repentina contagione *extinguitur*, non ſine fama procuratæ mortis. Militare Imperium quatuor Præfectis, Erlachio nimirum, Ochmio, Naſſovio, ac Roſæ reliquit, addito ſingulis aliquot millium Imperialium legato. Briſacum dein, & quicquid in Alſatia Burgundiaque ſubſidiis Gallicis occuparat Vinmarienſis, ac demum exercitus ipſe, delinitis auro præfectis, in Regis Galliæ verba juravit. Turſellin. append. 2. pag. 69.

At *Carolum Ludovicum, Palatini filium*, qui ad orbi exercitus Vinmarienſis regimen, ex Anglia per Galliam properare credebatur, *Galli* contra fidem gentium in itinere exceptum, *longâ cuſtodiâ detinuerunt*. Ægrè iſtam injuriam plerique Principes tulere, inprimis Angliæ Rex (quem interim domeſtica Scotorum rebellio diſtinebat) ſed res intra querelas ſubſtitit. Burgold. Not. Rer. Imp. A. 134.

Claſſem Dunkerkanam viginti navium, Archithalaſſus fœderati Belgii *Martinus Trompius*, cùm ipſi non plures decem eſſent, fortiter invaſam, feliciter *vicit*. Eodemque anno navibus non multis inſtructus, ſtupendam *Hiſpanorum claſſem* ſub Imperio Antonii de Ocquendo fretum Anglicum ingreſſam, aperto prælio *ſuperavit*, hoſtilium viginti captis, aliis merſis ac incenſis, è quibus ingens & magnificè extructa ductoris Neapolitani (quæ S. Thereſiæ nomine ſuperba) duobus æſtimata millionibus, fuit, ſimulque cum hominibus periit. Hofman. Lex. B. 494. confer Horn. orb. pol. cum notis Menkenii, pag. 63.

Ea tempeſtate *Babylonia*, quam Amurathes Imperator Turcicus quadringentorum millium exercitu obſederat, *capta*, omnesque in armis deprehenſi, ferro trucidati ſunt. Triginta millia Perſarum, ut ſcribitur, inerant, veterani omes. Neque inulti periere, cum propè centum millia è Turcico exercitu occidiſſe credantur, præter eos, quos peſtis, aut alia vis extinxit. Reverſus tamen Amurathes Conſtantinopolin, ibi cum Triumphis Tropæisque ingreſſus eſt. Doct. Wagn. Türckenb. 106. 135. Turſ. ap. 2. hiſt. 66.

Ex Perſia quoque *reduces facti ſunt Legati Holſatiæ Ducis, Friderici Gottorpienſis*, per Kilanum ſeu Hirkaniam & Mokanum iter facientes primùm. Deinde Derbento egreſſi apud Tartaros Dageſtanos in Albania tranſiere, hinc per Terkios atque Circaſſos, donec in Moſcoviam delati, priorem viam per Novogardiam, Narvam, Revaliam, remetirentur, Gottorpii Calendis Auguſti magna ſuorum lætitia excepti. Spener. Geneal. 57. confer ſup. lib. 4. cap. 48. Olear. Itin. Moſco-Perſ. 763.

Eosque mox viciſſim, ad nominatum Ducem ſequebantur *Perſici & Moſcovitici Legati*, nimirum à Rege Sefi, ac Zare Federowizio; nomine Dominorum ſuorum offerentes maximas favoris & amicitiæ ſincerioris conteſtationes, tum in promovendis commerciis, tum in concedendis aliis, quacunque data occaſione, ipſomet opere præſtandis & exerendis. At verò *ſumptus* neceſſariò impendendi, debitis non levibus totam gravavere provinciam. Spen. cit. loc. & Olear. in Itinerar. Rutheno-Perſ. pl.

Nuptias celebrarunt *Johannes Antonius Eggenbergius*, Gradiſcæ Princeps, cum Chriſtiani Brandenburgo-Culmbacenſis filia; Et, *Franciſcus Carolus, Saxo-Lauenburgicus*, cum Bethlemi Gaboris relicta vidua. Calviſ. contin. Chronol. 1016.

Eodem temporum tractu vetuſtiſſima *ſtirps Comitum de Gleichen exarsit*, cujus quædam poſſeſſiones ad *Moguntinam* Eccleſiam ex lege feudali devolvebantur; has Anſelmus Caſimirus, qui tum rerum ibi potiebatur, Melchiori & Hermanno Comitibus *Hatisfeldiis*, eorumque deſcendentibus maſculis anno 1639. ritu beneficiario contulit, nominatim caſtrum Gleichen / vicum Wandersleben / lacum amplum caſtro contiguum, & alia, quæ in tabula inveſtitoria, quam Gaſtelius recenſuit, enumerantur. Atque horum feudorum reſpectu cùm Hazfeldii non modò *titulum Comitum de Gleichen* uſurparent, ſed & *ſuperioritatem & immedietatem, jusque voti ac ſeſſionis inter Comites Imperii* ſibi ſumerent, iis adverſati ſunt, ac omni, quod ajunt, pede contra ſteterunt *Saxoniæ Duces è Vinarienſi linea*, ex cauſis non contemnendis, quas Imhofius annotavit in Procer. Not. pag. 970. ſeq.

Mors fato propera tunc etiam abſtulit vitam *Comiti à Pappenheim, Maximiliano*, Conradi filio, de cujus hæreditate, cùm ſine liberis deceſſiſſet, ac Annæ Sophiæ, Com. Palatinæ ex Domo Soliſbacenſi, Sponſæ is præter bona mobilia magni pretii, *fundos quoque legaſſet*, ac per modum inſtitutionis particularis donaſſet, *gravis con-*

tro-

troverſia, de qua in jus itum, reliquis Pappenhemiis nata eſt, quippe qui enormiter ſe Teſtamento illo læſos eſſe conqueſti, litem Legatariæ coram Judicio Imperiali Aulico intentarunt. Notit. procer. 1216. ſeqq.

In *Marocco*, Africæ Regno, poſt obitum *Mulæ Alvvalid* (hic frater erat Mulei Sidanis, cui graviſſimum interceſſit bellum cum Mahumede Ben Abdalla, de quo vid. an. 1612. cap. 6.) anno 1639. rerum potitus eſt *Muhammed Ibban Mula Sidan*, puer tredecim annorum, ſub quo inſignes feruntur accidiſſe mutationes. Conf. Horn. orb. Imper. 478. & Hiſt. Eccleſ. polit. 598. pag.

LIB. V. CAP. XIV.

Summaria.

Portenta Viennenſia: Bacahanalia in auſpicata.
Vexillum, multum ſanguinis emittens.
Monſtroſus Gemellorum partus.
Cornu aureum, improviſo ancillæ cuidam obvium.
Henricus Wottonus obit, pruritum diſputandi abominatus.
Somnia ominoſa, Wottonianæ familiæ familiaria.
Abitus Johannis Harpprechtii, Juriſconſulti Tubingenſis.
Ut & fœminarum Eruditarum, ſcil. Johannæ de Cambry, nec non Eliſabethæ Thanfeldiæ.

MEmorabilium loco cenſeatur, *Viennæ* t. t. *rhedam* cum ſex equis & aliquot perſonis è ponte, vi ventorum, in Danubium fuiſſe dejectam; Inter *campanas* verò maximam, nullo impulſore ſe moviſſe, & magnos edidiſſe ſonos; *Aquilam* quindecennem in Aula, ex improviſo concidiſſe mortuam. Calviſ. contin. 1016.

Nec planè ſubticendum, ibidem, quùm ſub ſpecie habendarum nuptiarum ad modum ruſticæ gentis, plus quam centum illuſtres perſonæ, utriusque ſexûs, *bacchanalia* celebrarent, per plateas civitatis circumvectæ, veſtibusque hominum villarium indutæ; *Spectrum* oppidò formidabile, extra civitatem ſeſe conſpiciendum præbuiſſe, ab equo tantùm tripede & ignivomo, trahâ ductitatum; ejusque intuitu nonnullos apoplexiâ tactos, repentina morte periiſſe. Zeiler. epiſtol. part. 2. pag. 109. ſeq.

Inter iſtius temporis prodigia meritò numerandum, quod *Halberſtadii* contigit in *vexillo* militari Cæſareanæ Legionis, cui Saliſius præerat. Id enim in diverſorio depoſitum, *multo ſanguine madens*,

 cruo-

cruorem per omnes propendulas extremitates largiter emiſit, cum admiratione & ſtupore aſpectantium. Factum eo ipſo tempore, quo cæſi à Svecis Cæſareani; Nimirum ut impii mortales diſcerent, profundendi ſanguinis in Germania nondum adeſſe finem; quod etiam triſtis experientia ſatis ſuperque deinceps probavit. Zeil. epiſt. tom, 2. 110.

Editus in Gallia *monſtroſus gemellorum partus*, à pectore ad umbilicum uſque concretorum, cœtera diſtinctorum, ſeque invicem perpetuò ferè intuentium, amplectentium ſæpius, ac deoſculantium. Nec raró tamen uno vigilante, alterum dormiviſſe; & hoc plorante, illum riſiſſe, Francofurtana relatio autumnalis recenſuit pag. 79. allegante Zeil. in Epiſtol. part. 1. 221.

Magnum fortunæ donum de improviſo pauperculæ datum! In Jutia ſub dominio Danici Regis, *ancilla* vulgaris ad labores rurales feſtinans, ad aliquid è ſolo eminens in via pedem offendit; viſura, quid rerum eſſet, bacillo id luxare tentavit & extrahere, ſed cùm videret, opus moram requirere, abiit. Poſt octiduum per eandem viam cum aliis duabus puellis ambulans, rurſus ibidem hæſit; unde irarum plena, non deſiit, uſque dum radicem (opinione ſua) ex vetuſta arbore viatoribus moleſtam, convelleret omnimodè. Quid fit? pro radice *cornu* videt evulſum, ignara tamen, cujus materiæ, cujusve pretii? Tandem patuit, *ex puriſſimo* id eſſe *conflatum auro*; quod proin benè repurgatum, Rex in Gazophylacium ſuum deponere juſſit, viciſſim dato ancillæ donario Regia liberalitate condigno. Idem tom. 2. 227. pl.

Fatis conceſſit *Henricus Wottonus*, celebris Anglus, Eques & Collegii Ætonienſis præfectus, multis Legationibus adhibitus, quas inſigni cum laude obivit; ſcriptis etiam, præſertim de Architectura, clarus; deceſſit vergente anno 1639. ætat. 72. Epitaphii loco nonniſi ſimplex marmor popoſcit, cui tantùm ſequentia inſculpi teſtamento juſſit: *Hîc jacet hujus ſententiæ primus autor*: Diſputandi pruritus, Eccleſiarum ſcabies! *Nomen alias quære.* Ex act. Lipſ. Erud. ſuppl. ſect. 2. pag. 81. 84.

De *familiâ Wottoniana* id ſpeciatim commemoratur, quod ex ea oriundi, *ſomnia* ſubinde habuiſſe ferantur apprimè *ominoſa*, cujus rei exempla dederint etiam in vulgus nota, *Nicolaus & Thomas Wottoni*, quorum uterque ipſam ſuæ mortis diem prædixiſſe compertus ſit. Ibidem in act. Lipſ. pag. 83.

Mor-

Mortalia tum explevit quoque *D. Johannes Harpprechtus*, Profeſſor Juris, & Anteceſſor in Academia Tubingenſi, ſingularis exempli, qui ſumma cum laude in Profeſſorio iſthoc munere complevit *annos quadraginta ſeptem*; obiit *ſeptuagenario major*, ſuprema laudatione celebratus à D. Lanſio, quam vide in Mantiſſa Conſultationum pag. 746. ſeqq.

Eodem anno ſublunaribus exempta vivis *Johanna de Cambry* Tornacenſis, illuſtribus fœminis annumerata; reliquit poſt ſe librum de Ruina proprii amoris, & inſtauratione amoris Divini, referente J. J. Hofm. in Lex. univerſ. pag. 837. part. I.

Nec minus *Eliſabetha Thanſeldia*, Angla, Hebraicè, Græcè, Latinè, & Gallicè loquuta; quæ dum vivebat, Cardinalis Petronii ad Regem Jacobum, quod vulgarat, ſcriptum Anglicè vertit. Ex eodem Hofmanno, part. 1. pag. 592.

LIB. V. CAP. XV.

Summaria.

Ditiones Schaumburgicæ, Comitum familiâ extincta, variam diviſionem ſubeunt.

Typographiæ inventæ memoria Secularis, Argentorati celebrata.

Academiæ Aböenſis natales.

Spes plantandæ in plagis Orientalibus Eccleſiæ Orthodoxæ acciſa.

Hakwirdius, eruditus Perſa, converſus.

Saxoniæ Dux Erneſtus, Biblia Vinarienſia adornari curat.

Patriarchatui Conſtantinopolitano præficitur Parthenius.

ANno 1640. exſtinctâ Comitum *Schaumburgenſium* familia, in OTTONE, Comitatus Pinnenbergicus *Regi Daniæ*, & aliæ quædam præfecturæ *Duci Holſatiæ in Gottorp* ceſſerunt; reliqua inter plures Principes diſtracta. Præfecturas Schaumburg, Bukenburg, Sachſenhagen, & Stathagen, Epiſcopatui Mindenſi olim aſſertas, *Domus Haſſò-Caſſellana* deinceps obtinuit. Nec diſſimulandum tamen, Bukenburgum à *Comitibus de Lippe*, qui etiam titulo Comitum Schaumburgenſium utuntur, poſſideri, ſed forſan beneficio Domus Caſſellanæ. An iſta territorii Schaumburgici diviſio facta ſit ſalva ubique Lutherana Religione? de eo certi nil habemus, valdè tamen dubitamus. vid. Horn. orb. pol. cum notis Menkenii, pag. 293.

Hîc

Hîc incidit *Jubilæum Argentoratenſe*, quo ſolennes DEO agebantur gratiæ, ob *Typographiam*, promovendæ rei literariæ ante ducentos annos *ibidem inventam*. Licet autem typographia (quæ unicum eſt contra tineas & blattas, omnis eruditionis inimicas, remedium; quamque cum omnibus veterum inventis, certare facilè poſſe cenſet Johannes Bodinus) neque Saturnum; neque Themiſtaneos, novi orbis populum; neque Cathajénſes Indos, aliosve; ſed Germanos, ſaltem ob typos elegantiores, inventores habeat: Acris tamen *controverſia* eſt, quibus Germaniæ civibus ea gloria debeatur? ſtantibus non nullis pro *Moguntinenſibus*, aliis pro *Argentinenſibus*. Ex vocab. Majer. Ulm. maj. pag. 9. Lex. Hofm. part. 2. 507. pl.

In *Finnonia*, ad mandatum Regio-Svecicum, per generalem Gubernatorem Petrum Brahe, Comitem in Wiſingborg, *Academia Aböenſis introducta fuit*. Eſtque *Aboa*, quæ hoſpitium ei præbet, Urbs Epiſcopalis Sveciæ, ſub Archiepiſcopatu Upſalenſi, ad fluvium Aviaroki, Finnoniæ Meridionalis, propè littus Maris Balthici, provinciæ Metropolis, in diœceſi quinquaginta parochias habens. Micræl. lib. 3. Hiſt. Eccleſ. 174. Hofman. Lex. A. 10.

Magna t. t. *ſpes* affulſit *plantandæ Eccleſiæ purioris Evangelicæ in Orientalibus Regnis & provinciis*, maximè verò in *Perſia*, cujus Regem SOPHI magnifica Legatione, pro commerciis inibi promovendis, ita permulſit Holſatiæ Dux Gottorpenſis FRIDERICUS, ut & Legatione viciſſim à dicto Rege honorraretur, & variis benevolentiæ indiciis. Quemadmodum ergò ratione Commerciorum omnia propemodum in vado jam extabant; ſic de conceſſione, ſaltem aliqua, exercendæ religionis Lutheranæ, nihil dubitabatur, aut certè parùm. Quanquam enim Schach ille Sephi Princeps eſſet ſupra modum iracundus, & in ſuos crudelis, ut Hornius de eo loquitur; nihilominus Chriſtianos, ad exemplum avi ſui (Abaſii) toleravit, iisque Sacrorum libertatem ſatis largiter indulſit, atteſtantibus hoc & Armeniorum, & Pontificiorum exemplis. Quis igitur crederet, Lutheranos non eodem beneficio gaviſuros in Regno Perſico fuiſſe, modò cœpta proſequi laudato Principi, ex capite *Impenſorum*, licuiſſet. At Impar bonus Fridericus immenſis ferè ſumptibus, calamitoſo præſertim belli Germanici tempore, ſuſtinendis, voto excidit ſuo; juxta tritum in ſcholis veriverbium: *Deficiente PECU-deficit omne-NIA.* Ex Itinerar. Olear. pl. Burgold. Not. rer. Imp. A. 266.

Aliquot animas tamen iſthoc negotio Perſico, lucratus eſt JESU CHRI-

CHRISTO, Holſatorum Dux inclitus, inter quas nobiliſſima fuit *HAKWIRDII*, è comitatu legati Regii. *Hakvvirdius* ille, vir annorum quinquaginta quinque, *ex eruditis Perſicis* non minimus erat, Arabicæ præſertim linguæ peritiſſimus, quam & Adamo Oleario, fideliſſima informatione notiſſimam fecit. Ex alleg. Itinerar. confer an. 1650.

ERNESTUS autem *Saxo-Gothanus Dux*, ut ſuæ potiſſimum provinciæ multum adjumenti, in ſinceræ religionis ac pietatis ſtadio attulit & conciliavit; ita de tota J. C. Eccleſia, per univerſam præcipuè Germaniam, optimè mereri voluit, dum adornari *BIBLIA VINARIENSIA* juſſit, atque celeberrimis quibusdam Theologis clementiſſimè in mandatis dedit; ut perſpicuè dilucideque per notas nervoſiſſimas enarrarent omnia, quæ in Scripturis ſacris ullâ opus habent expoſitione; & quidem ratione non alia, quàm ut ubique Scriptura ſui ipſius ſit maneatque interpres, & locus intricatior explicetur per verba, quæ alibi paulo clarius planiusque ſunt adducta. Gratiſſimo certè animo beneficentiam hanc tantam agnoſcunt Eccleſiæ Orthodoxæ, Confeſſionem profitentes Auguſtanam minimè variatam; Agnoſcet etiam ac debitis deprædicabit laudibus ſera, ſi qua futura eſt, poſteritas, uſque ad ſeculi conſummationem. Et præclarè omninò fecit *Noriberga*, Ocellus Germaniæ, quod in ipſo ſequentis anni ingreſſu, quo diviniſſimum illud opus lucis uſuræ fuerat expoſitum, *de omnibus cathedris ſuis DEO propterea gratias egerit ſolenniſſimas.* Magni nominis Theologus *M. W.* quamprimum compos erat factus Exempli Bibliorum illorum, continere ſe & cohibere non potuit, quin ſequentia eidem in frontiſpicio inſcriberet:

Non liber eſt alius JHOVÆ moderamine ſcriptus,
Quàm præſens, Animæ pharmaca Diva ferens.
Hunc abs te verſum proles tua, patre GERHARDO,
Plenè enarratum, ſancte LUTHERE, dedit.

D. Michaël Walther, in epiſt. dedicator. ad Erneſt. Centur. Miſcell. præmiſs. pag. penult.

Cyrillo Berrhöenſi è vivis ſublato in *PatriarchatuConſtantinopolitano* ſucceſſit *Parthenius*, Metropolita Adrianopolitanus, *Latinis*, ut ſcribit Allatius, non admodum æquus. At neque *Calvinianis* favit Parthenius, quippe convocata ſynodo, Cyrilli Lucaris capita, & eosdem illos Calviniſtarum errores anathemate perſtrinxit, & excommuni-

 muni-

municavit omnes, qui cum hac gente ſentirent. vide Hilar. in Chron. Cypr. pag. 468.

LIB. V. CAP. XVI.

Summaria.

Abbatiæ Elwangenſis transmutatio in Præpoſituram.
Decreta Pontiff. Rom. de Libris prohibitis recentiora, uno volumine edita, & ea quidem iniquiſſima.
Seculum Jeſuitici Ordinis completum.
Sectæ iſtius hiſtoria in compendio exhibita.
Petricoviæ, celebri ſynodo claræ, conflagratio.
Infidelium converſio in Canada.
Aubertus Miræus morte abreptus.
Sigeberti Chronicum ab eo truncatum.

ANno 1640. *Abbatiam* Elvacenſem (*Elvvangen*, quinque milliaribus à Nördlinga) quæ una eſt è ſingularibus, von den Gefürſteten Abbtejen / ſuffragia in Collegio Principum habentibus, in *Prioratum*, & Monachos Ordinis Benedicti in Canonicos transmutatos eſſe *Sprengerus* in Inſtitutionibus Juris publici memorat, allegante Menkenio in notis ad Horn. Orb. pol. pag. 197. Sed Monachos iſtos jam olim in ſeculares Canonicos fuiſſe converſos, *Imhofius* ſcribit; cujus verba ſic ſe habent: „Elvacenſe, aliàs Elphancenſe Ordinis Benedictini Monaſterium ad Jagiſtam ſitum, fundatum eſt, „an. 764. ab Hariolpho ac Erlolfo fratribus, & ſucceſſivè Epiſcopis „Lingonibus in Gallia; ſeptimo autem abhinc ſeculo, an. ſcilicet „1460. Abbate Johanne ab Hirnheim in Præpoſituram mutatum, „Monachique in Canonicos ſeculares converſi ſunt. Eminuit Principali dignitate, nec non Seſſionis ac ſuffragii jure in comitiis, jam „inde ab Henici II imperatoris ætate &c. Miniſtros hæreditarios „habet Pincernas, Barones de Rechberg; Mareſchallos, Adelmannos ab Adelmansfelden; Camerarios, Barones de Freyberg; Dapiferos, Nobiles Blareros de Wartenſee: Canonici duodenarium numerum implent. Notit. procer. Germ. Imp. 317.

Româ tunc, ut quidem Calixto videtur, prodiere *Decreta de libris* poſt Indicem Clementis octavi *prohibitis*, hactenus edita omnia, Leguntur autem in *Codice*, iſta *inſcriptione* publicato: *Decreta ſub Clemente VIII. Paulo V. Gregorio XV. & Urbano VIII. promulgata*, „Quibus ad exemplum Anteceſſorum in Cathedra Romana, damnantur in Univerſum, expunguntur, ac è manibus hominum (ſecularium) excutiuntur omnes libri, & librorum particulæ, Ponti-

„fici-

„ ficibus, aut eorum placitis, vel minimum derogantes. Vaferri-
„ mum hoc eſt ſtratagema, quo cùm aliud ferè nullum ſuis rebus
„ magis conducere opinentur Tyberini Pontifices, ideò cœperunt
„ inſtituere ſacram, ſcilicet, congregationem S. R. E. Cardinalium,
„ à ſanctiſſimo domino ſanctaque ſede Apoſtolica ad Indicem libro-
„ rum, eorundemque permiſſionem, prohibitionem, expurgatio-
„ nem & impreſſionem in univerſa republica Chriſtiana, ſpecialiter
„ deputatorum. Hi nemini parcunt, nec Theologis, nec Medicis,
„ nec Juris conſultis, nec Politicis, nec Hiſtoricis, nec Philoſophis,
„ nec Grammaticis, nec Poëtis. Quicunque aliquid proferunt,
„ quod videri poſſet heterodoxiæ Papali, aut jurisdictioni adſciti-
„ tiæ, quicquam derogare, & contra impias, aut iniquas uſurpa-
„ tiones, autoritatem S. literarum, juraque Imperatorum, Regum,
„ Principum tueri, ſtatim atro carbone notantur. Accuſantur pro-
„ ferre pernicioſas & execrandas hæreſes, contra veritatem & puri-
„ tatem ſanctæ fidei Catholicæ; ac propterea libros, ne Chriſti fide-
„ les ex illorum lectione erroribus & hæreſibus inficiantur, ac de-
„ praventur, à S. Congregatione ſanctæ Inquiſitionis prohiberi, &c.
„ Certum verò eſt, inter quos hujusmodi decreta valent & obtinent,
„ iis adimi cognitionem ad repellendas uſurpationes injuſtas, qui-
„ bus Eccleſiaſtici populum Chriſtianum, Romani Pontifices Epi-
„ ſcopos & Concilia, quin Reges ac Imperatores opprimunt, neceſ-
„ ſariam. Qui ingenio valent ad arcana penetranda idonei, facilè
„ animadvertunt, quo iſta tendant, & quod à DEO profecta non
„ ſint. Cùm autem ſinceriora verioraque diſcere omnibus modis
„ prohibeantur, multi eò adiguntur, ut ſaltem dicis ergò ſacra fre-
„ quentent, & reapſe ex animi ſententia nullam Religionem æſti-
ment; verba ſunt Calixti ſenioris, in tractatu de autoritate S. Scri-
pturæ append. lit. b. 3.

Hic annus *Lojolicæ Societati* maximè ſacer & ſolennis fuit, ob *confirmationem ſui Ordinis ante centum abhinc annos à Pontifice Paulo III. factam* peculiari Bulla, 5. Calend. Octob. editâ, quam Hoſpinianus Jeſuitarum hiſtoriæ inſeruit, & qua Ordinem illum laudavit etiam & approbavit Papa commemorans: *Dilectos filios*, Ignatium de Lojola, Petrum Fabrum, Franciſcum Xaverium &c. Spiritu S. ut pie credatur, afflatos. jam dudum è diverſis mundi regionibus diſcedentes, in unum conveniſſe, & ſocios effectos, abdicatis hujus ſeculi illecebris, vitam ſuam perpetuo Domini noſtri J. C. atque ſuo

& Succeſſorum, Romanorum Pontificum, ſervitio dedicaſſe, &c. Subjectâ *Regulæ Societatis formulâ*, cujus initium eſt: *Quicunque in Societate noſtra, quam JESU nomine inſigniri cupimus, vult ſub Crucis vexillo DEO militare, & ſoli Domino, atque Romano Pontifici ejus in terris vicario, ſervire &c.* Declarat Paulus, ſe præmiſſa omni Apoſtolica autoritate ex certa ſcientia approbare, confirmare ac benedicere, perpetuæque firmitatis munimine roborare; *non obſtantibus Concilii* (puta Lateranenſis, quo novorum Ordinum inſtitutio prohibita eſt) atque felicis recordationis Gregorii Papæ X. prædeceſſoris ſui, *& quibusvis aliis conſtitutionibus ac Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuscunque*, &c. Ubi notatu apprimè dignum: Papam *non Obſtantibus quibusvis conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis*, Jeſuitarum Ordinem laudare & approbare. Obſtant ſanè, inquit vir celebris, ordinationes Apoſtolicæ impiis moliminibus; at non obſtantibus iis, ad eoque neglectis, poſthabitis, & rejectis, nefas Papa tentavit, dum nova munimenta ad manum ſuccederent, quibus Pontificia ſedes inſiſteret. Nam peculiare huic ſocietati eſſe, *tueri Apoſtolicam* (Pontificiam) *ſedem*, Romanique præſidis autoritatem, ex Bulla Canoniſationis Ignatii, Mutius Vittelleſcus comprobat. Joh. Henr. Heidegger. in hiſt. Papat. pag. 225. Lucas Oſiand. Epit. hiſt. Eccleſ. cent. XVI. 242.

Si cui volupe eſt, *hiſtoriam de Origine & progreſſu ſectæ Jeſuiticæ* totam ferè *per Compendium* noſſe, eam ex H. K. taliter exhibemus: „Jeſuitarum ſectam quod attinet, *Autorem* illa Ignatium Lojolam „Hiſpanum habuit (circa an. Chriſti 1534.) qui cùm primitùs caſtra „ſequeretur, & inter præſidiarios milites Pompejopolin adverſus Gal„los defendentes, reperiretur, amiſſo in obſidione loci crure (unde „Gallis perpetuas juraſſe dicitur inimicitias) Ordinem ſacrum & „quidem novum inchoavit. *Præter tria vota* reliquis in Papatu reli„gioſis communia, nempe Caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ „ſeu humilitatis, iſte ſuper adjecit *quartum*, nexûs & mancupii, „quo Pontifici R. teneantur, ſive profectionis votum abſque viatico „ad convertendas exteras gentes. *Fuerunt initio decem tantùm*, ut „Ignatius Lojola, Franciſcus Xaverius, Jacobus Laneſius, Alfon„ſus Salmeron, Simon Roderik, Nicolaus Bobadilla, Petrus Faber, „Claudius Jaius, Johannes Codurius, Paſchaſius Bröetius. Etſi „verò tenuiſſima fuerint initia, temporis tamen progreſſu hoc in„felix crabronum examen per omnes orbis angulos ſe diffudit, ut cer-

„to

„to numero vix poſſint comprehendi. *Confirmatio Societatis* de„mum an. 1540. à prædicto Pontifice Paulo III. facta. Habent Jeſuitæ ſuum *Generalem* Romæ, alterum quaſi Pontificem, propter exi„miam autoritatem, qua fretus vel ipſis non rarò Pontificibus oppo„nere ſe ſolet; poſtmodum in ſingulis provinciis Antiſtites (ex eo „*Provincialium* nomine inſignitos) ordinant, horumque vicarios, „quorum beneficio tantùm non omnia, quæ geruntur in orbe ter„rarum, explorare poſſunt. De ſectæ *Generali* referunt, eum ad mi„nimum *viginti quatuor amanuenſes* continuè ſecum habere, ſaltem „exarandis epiſtolis & reſponſionibus adornandis deſtinatos, & ſin„gulis hebdomadibus grammatophoris tercentum circiter aureos „numerare. Primus Ordinis Generalis fuit ipſe Lojola, cui ſucceſſit „in officio Laneſtus, qui etiam cum Salmerone Concilio Tridentino „circa finem interfuit. Franciſcus verò Xaverius, in Indias Orienta„les, ad convertendas gentes barbaras fuit miſſus, cui miracula (ſi „facta ſunt, non ficta) certè ingentia tribuuntur. Propter votũ iſtud „peregrinationis ad convertendas gentes exteras, utuntur pileo qua„drangulari, ad quatuor Mundi plagas, ſive Cardines repræſentandos. „Quas autem *turbas* dederit iſthæc ſocietas, quot aſſaſſinia procu„rarit, quot regicidia commiſerit, quot bellorum incendia ſæpius „è tenuiſſimis favillis excitaverit, quot perſequutiones Chriſtiano„rum ſuſcitaverit, plena ſunt hiſtoriarum, maximè in Gallia & An„glia, monumenta, Hier. Kromaj. H. E. cent. XVI. 619, & Hofm. in Lex. univerſ. part. A. pag. 817.

Annum hunc infauſtum habuit *Petricovia*, Poloniæ inferioris oppidum, ſatis elegans & cultum, quod ferè totum *deflagravit*, ædibus quoque ſacris non illæſis. Locus è variis ibi Conventibus habitis clarus; præſertim *Synodo Provinciali Papicolarum*, ejusque confeſſione anno 1551. publicata, & inſcripta Sigismundo II. Regi, ex Jagellonica familia ultimo. Hofman. Lex. B. pag. 131.

In *Canada*, ſeu *Nova Francia*, regione Americæ Septentionalis ampliſſima, jam olim à Gallis detecta, *incolarum plurimi h. t. ad Chriſtum converſi dicuntur*. Multas ibi duxere Franci Colonias, quarum præcipuæ ſunt Quebecum (regionis caput) Taduſſacum, Mons regalis, Richelæum, Plaſentia, Portus Regius. Terminatur ad Auſtrum Virginiâ, novo Belgio, & nova Anglia, quæ aliàs ipſius etiam pars erat. Hofm. c. l. part. I. 362. part. 2. 36.

Vivis tum exceſſit *Aubertus Miræus*, Bruxellenſis, Scriptor Ponti-

tificius, ex Notitia Epiſcopatuum totius orbis, (liber eſt Geographiam Eccleſiaſticam continens) & ex Bibliotheca Eccleſiaſtica, aliisque in lucem editis, haud incelebris; at *quanta fide dignus?* judicent alii. Certè non meliori, quàm Expurgatores Hiſpani, verſatus eſt Miræus in edendo *Sigeberti Chronico*, integras ſententias, adverſus Romanorum Pontificum temporalem in Imperatores jurisdictionem facientes, abſcindens, referente D. Hülſem. in Manual. Conf. Aug. contra Balthaſ. Hagerum, pag. 679. conf. Model. in tabell.

LIB. V. CAP. XVII.

Summaria.

Theologorum Bremenſium, aliorumque Calvinianorum concertationes de Chriſti merito univerſali.

Magiſtratus Bremenſis ea de lite conſtitutio.

Scotorum ingreſſus in Angliam armatus.

Epiſcoporum Anglicorum de convocando, mox iterum diſſolvendo Parlamento, curæ.

Cum Scotis pax, ad conditiones, quas ipſi ferebant, concluſa.

Parlamentum Anglicanum, urgente neceſſitate, reſtitutum.

Deceſſus Chriſtophori Radzivillii, & Johannis Davenantii.

Ludovicus de Dieu inclareſcens.

EA tempeſtate turbatum eſt *Breme*, ob articulum ſalvificæ religionis primarium *de Merito & Redemptione Chriſti*, graves que ea de re Syrrhaxes inter Paſtores & Profeſſores loci; aliosque Theologos, qui Reformatorum titulo ſuperbiunt, extitere: quibusdam ſanctiſſimi Lytri *Univerſalitatem* tuentibus, aliis verò *Particularitatem* propugnantibus. *Priorem* ſententiam præcipuè defenſarunt Matthias Martinius, & Ludovicus Crocius; iisque dein acceſſerunt Hermannus Hildebrand, Almerus, Varenbold, Schildius, ac Lælius, Bergius itidem, & Willius; nec minus ex Anglia ſuffragati ſunt Johannes Davenantius, & Joſephus Hallus, theſin approbantes tanquam orthodoxam, quæ dicit: „ Absque omni dubio hanc Patris æterni & „ Chriſti Servatoris noſtri voluntatem in morte ipſius fuiſſe, ut ſa„ crificium ejus unica & ſufficiens, imò actu atque reipſa efficax, „ MEDICINA TOTIUS MUNDI, adverſus omnium hominum „ peccata & mortem æternam eſſet, quò omnes peccatores pœni„ tentes conſolationem pleniſſimam, impœnitentes autem excuſa„ tionem nullam haberent, &c. Sed *veterem & communem* Calviniſtantium opinionem, tenuere Henricus Iſelburgius, Bremenſis; Ma-

raſius,

reſius, Belga; Retorfortes, Scotus; Twiſſius, Anglus; Zwingerus, Baſileenſis; Molinæus, Gallus; Biſterfelde, Transſylvanus, aliique plures, mordicùs defendentes aſſertionem: Paſſionis, mortis, ac meriti Chriſti, eam quidem eſſe dignitatem & virtutem, ut per ſe, & naturâ ſuâ abundè ſufficiat ad expianda tollendaq; omnia omnium hominum peccata, nec minùs ad impetrandam & conferendam omnibus omninò ac ſingulis reconciliationem cum DEO, gratiam, juſtitiam, & vitam æternam; Non autem voluiſſe, nec debuiſſe Dominum indiſcriminatim omnes ac ſingulos homines in novum gratiæ ſalvificæ fœdus & ſtatum reſtituere, iisq; reconciliationem cum DEO, ac æternæ vitæ hæreditatem acquirere ſeu impetrare; Neque etiam ea prædictum in modum omnibus indiſcriminatim impetraſſe, ſed pro ſuis ovibus electis tantùm, ſive fidelibus omnibus & ſingulis, eorumque loco & bono, Chriſtum animam poſuiſſe, ſeu mortuum eſſe &c. *Bremæ*, cùm tandem ad periculoſos motus omnia ſpectarent, *Magiſtratus* autoritatem ſuam interpoſuit, ac de cauſa judicavit in genere, hoc modo: „ Ut ibi pro Cathedra Eccleſiaſtica, „ particularibus controverſiis & quæſtionibus, novisque ac inuſitatis phraſibus omiſſis, in generalibus & communibus propriè urgendis, in quibus omnes conveniant, perſiſtatur, omniaque ad „ ædificationem auditorum dirigantur; in ſpecie, quantum ad articulum de morte ac merito Chriſti, juxta vulgatam *ſufficientiæ & „ efficaciæ* diſtinctionem doceatur. Cæterùm res intra varias partium declarationes atque cenſuras, nullo tamen interveniente ſchiſmate ſubſtitit. Ex deduct. Facult. Theol. Wittenb. contra Calvin. & Rintel. Syncret. 297. 310. 368.

Quùm *Scoti* confirmationem eorum, quæ tum Glasguæ, tum Eboraci ſynodaliter decreta fuerant, à Comite Traquarienſi, Deputato Regio, contra quàm ipſis promiſſum, obtinere non poſſent, novi hinc inter ipſos & Regem orti motus, ac ab illis *in Angliam* inſtructo, ſed diſciplinæ obſervantiſſimo, *exercitu*, ne rectè ſentientium Anglorum à Scotis abalienarentur animi, eſt properatum. Tunc *Epiſcopi*, ac eorum fautores, *convocandi Anglicani Parlamenti*, aliquot annos dilati, conſilium ſuppeditarunt. Illud ergò à Rege indicitur magna Epiſcoporum ſpe, futurum ut ingentibus promiſſis lactati Angliæ Proceres, ante omnia ingentem pecuniæ vim decernerent, qua bellum ad opprimendos rebelles gereretur. At in ea exſpectatione mox deluſos ſeſe deprehendunt, Aſſeſſoribus inprimis

mis Inferioris Domûs aut Senatûs plebeji contendentibus: „CAU-„SAS horum motuum ante omnia inſpiciendas eſſe ac fontes, ſa-„tisque faciendum etiam Procerum Angliæ tot dilatis hactenus „querelis àc poſtulatis. Inde ſibi metuentes Epiſcopi, mox à Rege petunt, ac obtinent, ut *iſthoc Parlamentum confeſtim diſſolvatur*. Solvitur ergò, acciſa Scotorum ſpe, quam in æquitate judiciorum hujus Parlamenti repoſitam habebant. Boxhorn. in Chronol. pag. 162. Pufend. Introd. ad cogn. Stat. 588.

Interim Regis nomine cum Scotis iterum agitur de fine motibus imponendo; cùm intelligerent ſatis Epiſcopi, ab idoneis opibus belli gerendi ſe deſtitutos eſſe. „Tunc *poſtulare Scoti*, ut nuperi „Parlamenti (puta Scotici) licet iniquo aliorum conſilio id ſolvi „Rex juſſiſſet, Statuta ſuo nomine jubeat promulgari. Ut Scoti „tùm in Anglia, tùm Hybernia liberi pronuncientur ab omni pœna, „ob fœdus contra Regis & regni hoſtes obſignatum. Ut in belli hu-„jus faces ac Incendiarios, ſeverè animadvertatur. Ut naves Sco-„torum in Anglia & Hybernia detentæ, ſimul cum bonis interce-„ptis reſtituantur. Ut de injuriis, damnis, & ſumptibus hoc bello „expenſis, Scotis detur ſatisfactio. Ut edicta Regia contra Scotos „promulgata, reſcindantur ac revocentur. Tandem, ut conſilio & „conſenſu Ordinum Regni Angliæ, in publicis Comitiis, præſidia-„rii milites à limitibus removeantur, & quicquid libero commercio (utriusque gentis) remoram ullam poſſit afferre. *His conditionibus, quas ipſi ferebant Scoti, pax denuò concluſa.* Boxhorn. & Pufend. cit. loc.

Quoniam autem Rex in iſta tranſactione Scotis, in *ſumptuum compenſationem* promiſerat ducenta Sterlingarum librarum millia, nec ei, exhauſto jam ærario, reſtabat aliud medium, quàm ut *Parlamenti liberalitate* ipſis ſatisfaceret; Occaſione hac, & quia complures Angliæ Proceres, juxtaque cives Londinenſes, miſſis ad Regem ſupplicibus literis, rogaverant, ut in Parlamento Anglico ſuſcipi pateretur cognitionem turbarum & malorum omnium, quæ hactenus magnam Britanniam exercuerint; *Carolus Stuartus*, videns præſentiſſimam neceſſitatem, *Parlamentum reſtituit atque prolongavit*. Horn. Orb. Imper. 342. Boxhorn. Chronol. 163.

Sub hæc Naturæ curſum abſolvit *Chriſtophorus Radzivill*, vir arte & Marte clarus, Vilnenſis Palatinus; is, qui pro fidei ſociis (erepto hisce ſuperioribus annis celeberrimo in urbe templo, exercitioque

in

in ſuburbium relegato) novas ædes habendo cultui ſacro, erexit. Hofman. Lex univerſ. part. 2. 244. & 546.

Et *Johannes Davenantius*, natus Patre Eſſexienſi, cive divite, apud Davenandsland genito, ubi Majores ejus à Johanne Davenant, Equite, qui ſub Henrici III. Principatu floruit, ad hæc usque tempora generis decus tuiti ſunt; S. Theologiæ Doctor atq; ad D. Margaretæ Profeſſor apud Cantabrigienſes, Epiſcopus Sarisburienſis. Vir celebris, à Jacobo Rege ad Synodum Dordracenſem ire juſſus. Commentarium in Epiſtolam ad Coloſſenſes ſcripſit, & alia quædam, referente Hofman. in Lex. A. pag. 846. *judicium de Duræi negotio pacificatorio* tulit, quo quid probandum ſuſceperit Sarisburienſis, irrito conatu, effectu nullo, D. Hülſemannus annotavit in Calviniſmo irreconciliabili, pag. 164. ſeq.

Sed *Ludovicus de Dieu*, patria Fliſſingenſis, Leidenſis Theologus, paſſim inclaruit, Johanni Michaëli Dilherro, Phœnix Philologiæ ſacræ; Vir, eidem, in lingua Syriaca incomparabilis: L'Empereurio, Theologiæ veræ, artium & linguarum cognitione, ſyderis inſtar ex alto coruſcantis, eminens. Animadverſionibus in omnes Veteris Teſtamenti libros eruditis commendatus. Hofm. Lex. A. pag. 946.

LIB. V. CAP. XVIII.

Summaria.

Hornejus & Calixtus, in doctrina de juſtificatione à forma ſanorum verborum recedentes, amicè monentur.

Quid Hornejus ea de re Wilhelmo Lyſero reſponderit?

De Indifferentia Religionum, Ruſſanus Turcicus.

De eadem Auſtriacus quidam; & Anonymus.

Barlæi Epigramma minimè Chriſtianum, ad Problemata Menaſſis Ben Iſraël de Creatione.

HElmſtadienſes Theologi, nempe *D. Conradus Hornejus* ac *D. Georgius Calixtus*, uti de aliis pluribus doctrinæ Chriſtianæ capitibus, ita de articulo maximè fundamentali, *hominis peccatoris Juſtificatione coram Deo*, atque annexis, puta, *conſequutione ſalutis*, & *ſtudio meritoque bonorum operum*, in publicis diſputationibus ac ſcriptis, à forma ſanorum verborum S. Scripturæ & Eccleſiæ, modo non uno tantùm diſceſſiſſe videbantur; eapropter ab aliis Lutheranorum partium Theologis, verè ſic dictis, præſertim à *Wilhelmo Lyſero*, & *Henrico Höpfnero*, candidè *admoniti*, quo vel emollirent nonnulla, vel

uberiori explicatione ad ſententiam irrefragabiliter orthodoxam revocarent, ſanamque mentem, de qua gloriarentur, commodis verbis exprimerent, abſtinentes in poſterum ab ejusmodi phraſibus, quæ erroris occaſio aliqua eſſe, aut offenſionis poſſent. Hartnak. in Continuat. Micræl. & Hülſeman. in Præf. dialyſ. Apolog. problem. Calixt. de Myſt. Trin. pl.

Hornejum primò quod attinet (de Calixto alibi dicetur) *Lyſerus* eum, literis die 17. Jul. an. 1640. exaratis, monuit de acceptione morali vocis Juſtificationis, quando de Juſtificatione peccatoris coram Deo adhibetur; de Chriſti merito ad claſſem inſtrumentalium juſtificationis cauſarum relato; de præparatione ſeu diſpoſitione hominis ad conſequendum juſtificationis beneficium; de inhærentis juſtitiæ præmio, quaſi gloria æterna ei, licet ex gratuita promiſſione DEI, perſolvatur; de neceſſitate bonorum operum ad æternam ſalutem conſequendam, &c. addiditque ſub finem literarum: *Sed in negotio Buſcheriano. commoda forſitan & pia declaratio ſequetur, ne Eccleſiæ alloquin afflictiſſimæ malum hinc ſubnaſcatur.* Verùm hanc admonitionem *Hornejus* literis 21. Decembr. die ſcriptis, *injuriam* vocavit, & non ſolùm incruſtavit ac defenſavit imputatos errores, de quibus monitus erat; ſed meliorem etiam declarationem exſpectandam eſſe, prorſus negavit: „Omnia tam manifeſta ſunt, ajens, ut decla„rationem meo judicio ulteriorem non requirant; multò minus „Sycophantiæ & mendacia Buſcheri tale quid expoſcunt, ut Tua „quidem Excellentia, non ſine noſtra aliqua injuria exiſtimare vi„detur. &c. D. Hülſem. Præfat. dialyſ. pag. 97. & in reſponſ. ad app. Calixt. 450. ſeqq. ubi epiſtolæ exhibentur integræ.

Augerius Gislenius Busbequius, Imperatoris Maximiliani II. (ni fallor) ad Solymannum I. Turcici regni Dominum olim Legatus, à *Ruſtano*, magno Aulæ Ottomannicæ Sejano, interrogabatur olim, Cur non Religioni Mahummedanæ accederet, & veri Dei cultûs ea ratione particeps fieret? planè certus, hoc ſi faceret, ipſi magnos honores, magnaque parata apud Solymannum eſſe præmia. Reſpondebat: Mihi certum eſt, manere in religione, in qua natus ſum, quamque Dominus meus profitetur. Tunc: pulchrè, Ruſtanus inquit; ſed tamen de anima quid fiet? Etiam de anima, dicebat Legatus Chriſtianus, benè ſpero! Tum ille, cùm pauliſper interrogitaſſet: *ita eſt profectò*, ait, *neque ego ab hac abſum ſententia, æternæ beatitudinis conſortes fore, qui ſanctè ac innocenter hanc vitam traduxerint.*

quam

quamcunque illi religionem ſequuti ſint, referente Dannhauero, in myſterio Syncretiſmi detecto, lit. E. 2. pag. 35. Ita etiam Stephanus Gerlachius, ex relatione Preineri, Oratoris Rudolphici apud Amurathem III. in actis anni 1575. commemorat, N. N. *haud poſtremum ex Magnatibus Auſtriacis*, idem ſine ulla dubitatione ſtatuiſſe: quemvis nimirum in qualibet religione, ſalutem æternam conſequi poſſe; blaſphema ſcurrilitate ſubjicientem: „ DEUM in magno illo die Pantocritico interrogaturum eſſe homines ex omni Natione & po„ pulo ſub cœlo, quid crediderint? eosque reſponſuros, *in DEUM*, „ *in DEUM*, *in DEUM*; hunc verò dicturum: quoniam in me credi„ diſtis omnes, ad quid ergò infinitæ illæ, quas moviſtis de rebus „ Religionis, controverſiæ? Ingredimini vos &c. in cœlum DEI veſtri. Gerlach. in Itiner. Conſtantin. pag. 124. Teterrimam iſthanc opinionem ex orco revocavit *Anonymus* quidam anno 1640. eamque peculiari ſcripto divulgavit, ſub titulo: *Confeſſionis de fide una, ſalvante inter omnes religiones ac populos in Orbe terreno; etiam inter Judæos non baptiſatos, ac Ethnicos, qui Chriſtum, Filium Dei eſſe negant*; quem propterea libellum orco, non prelo dignum, jure meritoque cenſuit D. Tobias Wagner, in Atheiſmo ſpeculativo pag. 74. conf. præfat. Atheiſ. devict. D. Müll. Hamb. ab init. & pag. 34. 38. tract.

Dicto Anonymo ſubſcripſit, eodem ferè ſeculi noſtri tempore, *Caſpar Barlæus*, Orator & Poëta Batavus, in *Epigrammate* ſuo, problematibus Menaſſis Ben Iſraël de Creatione, præfixo:

Cunctorum eſt coluiſſe DEUM. Non unius ævi,
 Non populi unius credimus eſſe pium.
Si ſapimus diverſa, DEO vivamus amici,
 Doctaque mens pretio conſtet ubique ſuo.
Hæc fidei vox ſumma meæ eſt: Hæc crede Menaſſe;
 Sic ego Chriſtiades; ſic eris Abramides.

Cui Poëtæ Armeniano *Nicolaus Vedelius* duos libros oppoſuit, de *Deo Synagogæ*; ſiquidem is aſſereret, unum Judæis atque Chriſtianis eſſe Deum. Vide D. Calovii Syſtem. Theolog. A. pag. 179. 180. Myſter. Syncret. D. Dannhauer. 62. ubi doctiſſimus vir in hæc verba deſinit: *Quid tandem fiet, niſi ex omni religione, una religio, ſicut multa jura confundit coquus?*

LIB. V. CAP. XIX.

Summaria.

Diſputatio inter Abrahamum Calovium, & Joh. Bergium publica.

Bergii conteſtatio de Fraternitate inter ſuos & Lutheranos memorabilis.

De Bibliis Vinarienſibus judicia Erbermanni, & Waltheri.

Johannis Pauli Windeccii de Hæreſibus extirpandis deliberatio.

Janſenii Auguſtinus, à Lojolica gente vapulans.

Urielis Ebræi de Judæorum libertate, qua inter Chriſtianos utuntur, querela.

Ejusdem vita delineata; ſcriptumque à Philippo Limburgio refutatum.

ANno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum, quadrageſimo, die Novembris nono, inter *Johannem Bergium*, & *Abrahamum Calovium*, coram Illuſtriſſimo Auditorio, præſente Regio Legato, in Academia Regiomontana, de articulis inter Lutheranos & Calvinianos controverſis, inſtituta *diſputatio publica*; in eaque tandem *Bergius* propalàm teſtatus eſt: *Fateor nos* (Calviniſtas) *vos Lutheranos pro FRATRIBUS agnoſcere non poſſe, quamdiu errores veſtros fovetis ac defenditis.* Ad quid ergò Parei, Duræi, Davenantii, aliorumque, toties jactatus inter utrosque conſenſus, & ad Fraternitatem Communionemque (ſub hypotheſi fundamentalis conſenſus) Eccleſiaſticam, Lutheranorum invitatio? Micræl. hiſt. Eccleſ. 474. Calov. Syſt. A. 223.

Eodem anno primùm typis expreſſa ſunt BIBLIA ERNESTINA, vulgo VINARIENSIA gloſſata; Contra quæ immaturum & veſanum *Vitus Erbermannus*, Lojolicæ ſectæ Socius, tulit judicium: *Illud opus tam execrabile* pronuncians, *ut vix unquam nocentius prodiiſſe ſibi perſuaſum habeat, dignumque, quod cum ſuis operariis ultricibus adjiceretur flammis.* At malè perſuaſum fuiſſe Lojolitam, quis integræ mentis dubitare poteſt? plures omninò applauſores putamus habere ex omni Bonorum cœtu *Dn. M. Waltherum*, qui in Præfatione Centuriæ Miſcellaneorum ita: „ Biblicum iſtud opus mihi adeò arridet, ut laudare nunquam auſim, quandoquidem omni laude eſt „ ſuperius. Veritas & conſcientia me hoc ſolùm fateri cogunt, Solem per tot annorum millenarios enarrationem fundamentaliorem utilioremque Codicis ter ſancti nec vidiſſe, nec radiis ſuis perſtrin-

„ ſtrinxiſſe unquam. Retribuat J. C. pientiſſimo Duci Conſilium „ hoc nomine primò ſubminiſtratum; beatiſſimæ Gerhardi animæ „ directorium, aliisque auxilium, quod affatim præſtiterunt puriori „ Eccleſiæ ad unum omnes; faciatque clementiſſimè, ut per ſalu- „ tare hoc Verbi Divini penitùs enucleati rete innumera capiantur „ Animarum millia! confer Ekhardi Paſtor. Conſcient. pag. 154. & Ariſtotelem ad Corn. append. reſcribent. editore Zapfio, lit. F.

Verùm *Johannes Paulus Windek*, Canonicus Marchdorfenſis, in lucem publicam emiſit ſuam *Deliberationem de hæreſibus extirpandis*, Coloniæ cum præfixo Cæſaris privilegio impreſſam; librum puta Eriſticum, & novum belli ſacri (ſcilicet) claſſicum, quo calcar addit Ligæ Romanenſium, exhortans, ut crudeliter adverſus Evangelicos agant Imperator, & omnes Pontificiæ religionis Principes, Acatholicos, quos vocat, ubique, ſi fieri quidem poſſit, proſcribant, exilio ac morte mulctent, Vulcano tradant, & quovis modo premant, opprimant, exterminent, eradicent; Summum enim pietàtis genus eſſe, in hac re crudelem ſe gerere. Hoc eſt caput rei, de quo agit furioſus Alaſtor, Lutherano-maſtix, rectè credentium Cerberus. Alioqui ſcribit: „ Ex edicto conſtat, Cæſarem Proteſtantibus pacem „ tantùm ad usque Concilii tempus, quo diſſidium ſanari poſſet, „ indulſiſſe; Proteſtantibus eundem tantùm conceſſiſſe moratorium, „ dilationem, tolerantiam, usque ad judicium Concilii Tridentini. „ Quamobrem, ait, mirari animum ſubit vecordiam Sectariorum, „ qui pro religione tuenda toties Comitiorum decreta contra Ca- „ tholicos ſtultiſſimè detonare ac deblaterare ſolent! ſubjicit: Quod „ nonnunquam Catholici cum Sectariis tranſegerunt, eo fine fece- „ runt, ut interea reliquis negotiis expediti, poſtea unum hoc bel- „ lum contra Sectarios adminiſtrarent, omnemque ejus molem in „ ipſos converterent. J. J. Bek. in Lutheraniſmo ante Lutherum, pag. 268. ſeq. Balthaſar Meiſner in Philoſ. ſobr. part. 3. 400.

Ab ea tempeſtate pomum Eridos fuit in Eccleſia Romana, *Cornelii Janſenii*, de quo ſupra cap. 2. *AUGUSTINUS*; ingens volumen, quod reliquit, tribus tomis diſtinctum, ubi ſe doctrinam Auguſtini de humanæ Naturæ ſanitate, ægritudine, & Medicina adverſus Pelagianos ac Maſſilienſes exhibere dicit. Pariſiis impreſſum eſt, curantibus, poſt obitum Autoris, executoribus Teſtamenti ipſius Liberto Fromondo, Henrico Caleno, & Reginaldo Lamæo, ut in Lucem prodiret an. 1640. Opus, ut Janſenitæ loquuntur, admiran-

dum, ævi noſtri miraculum, atque duorum ſupra viginti annorum ſpatium labore indefeſſo elucubratum. Magno illud applauſu exceptum eſt & in Belgio, nec non *approbatum* ab Archiepiſcopo Philippenſium, qui ſe Vicarium profitebatur Papæ in iſtis provinciis; à ſex itidem Doctoribus Facultatis Theologicæ Pariſienſis, quatuordecim autem, Facultatum Lovanienſis, Duacenſis, Bononienſis; ab aliquot etiam Abbatibus celebribus, quibusdam Eccleſiarum Cathedralium Decanis, Paſtoribus variis, doctiſſimisque ex Clero Belgii; à Superiore patrum oratorii in Flandria nomine Theologorum ſuæ Congregationis; à Senioribus Profeſſoribus ex ordine Benedictinorum, Præmonſtrantenſium, Auguſtinianorum, Franciſcanorum, Capucinorum, Carmelitarum & Carthuſianorum. Sed cum liber hic dogmata *de Gratia*, contra *Moliniſtas*, & Jeſuitas modernos ita tractet, ut illi accuſentur Pelagianiſmi, reſuſcitetque *bellum de auxiliis* aliquandiu compreſſum; eapropter *Lojolitæ* omnibus ei viribus oppoſuerunt ſe, præprimis Pater & Rector Lojolitarum Bleſacenſium, Briſſacerius; neque tantùm ſcriptis, pasquillis, cantilenis, ac libellis criminatoriis in Gallia rem ſuam egerunt, ſed & Romam negotium detulerunt, ut *Papa Janſenianum Opus editâ bulla damnaret.* Micræl. H. E. part. 3. 703. J. A. Oſiander Specim. Janſen. pag. 10.

Magiſtratum Amſtelodamenſem, *Uriel* Juriſta Ebræus autocheir, literis poſt ſe relictis, quod tantam *Judæis libertatem* indulgeret, reprehendit, ſequentem in modum: „ Unum inter multa miror, & verè mirandum eſt, quomodo poſſint Judæi inter Chriſtianos agentes uti tanta libertate, ut etiam judicia exerceant; Ac verè dicere poſſum, quod ſi JESUS Nazarenus, quem Chriſtiani adeò colunt, concionaretur Amſtelrodami, & placeret Phariſæis (Judæis Phariſæorum ſectæ addictis) illum denuò flagris cædere, propterea quod illorum traditiones impugnaret, & hypocriſin objiceret, hoc liberè poſſent facere. Certè hoc ignominioſum eſt, quod tolerari non debuit in civitate libera, quæ profitetur ſe ſubditos in libertate ac pace tueri, & tamen non tuetur à Phariſæorum injuriis. Et, quando quis non habet defenſorem aut vindicem, quid miſer faciet? Joh. Müll. Hamb. in Judaiſm. pag. 72. Oſiand. ſyſt. Theol. A. 151.

Natus fuit Uriel parentibus Chriſtianis in Portugallia, ſed qui originem à Judæis traxerant, ad Chriſtianam religionem vi compulſi. Hinc baptiſatus, in Chriſtiana quidem religione, qualem Pontificii pro-

profitentur, *educatus*, atque ad Eccleſiaſticum Theſaurarii in Collegiata Eccleſia beneficium admiſſus fuit; poſtea tamen de religione dubitare cœpit, ac annos natus unum & viginti, *ad Judæos* Amſtelodamum pervenit, ibidemque ſuſcepta circumciſione, ipſorum proſelytus factus, avitam religionem repetiit. Mox cùm illa quoque diſpliceret, *excommunicatus*, ac iterum multo pòſt tempore *pœnitentiam teſtatus*, per ſeveram, qualem quidem non metuerat, *animadverſionem*, à ſynagoga receptus eſt. Quam ille graviter moleſteque ferens, in fratrem, quem caſtigationis hujus autorem credidit, ædes ipſius prætereuntem, ſclopetum vibravit; ſed cùm fruſtrato ictu non exploderetur, ſe detectum videns, ſubitò domûs ſuæ Januâ clauſâ alterum, eum in finem paratum, in ſe ſclopetum exploſit, ſeque ipſummet miſerandum in modum trajecit. Repertum in autochiris ædibus *ſcriptum*, cui ipſe titulum fecerat: *Exemplar vitæ humanæ.* Duabus id partibus conſtitit, in quarum altera tragicam vitæ ſuæ hiſtoriam autor texuit: In altera verò acerrimè invectus eſt in Judæos, ab iiſdem graviſſimè ſe læſum, & indignis modis tractatum, conqueſtus; atque hîc immiſcuit ea, quibus & omnis Divina revelatio impugnatur, & omnis *revelata* religio, veluti falſa, hominumque fraude, confictà, odioſè traducitur. *Philippus* igitur *à Limborch*, deindè ſcriptum illud, quod avunculo ſuo Simoni Epiſcopio ſe debere fatetur, cum brevi refutatione recenſuit, in qua poſt Apologiam pro Magiſtratu Amſtelodamenſi ſcriptam, argumenta Urielis pro religione *naturali*, contra *revelatam* allata, ad examen vocavit. Ex act. Erud. Lipſ. de an. 1688. pag. 222.

LIB. V. CAP. XX.

Summaria.

Leopoldi Auſtriaci, & Bannierii Suecici expeditiones.
In Comitiis Ratisponenſibus quid actum?
Galli Arrebatum capiunt; Taurinum recuperant; Caſſilium liberant.
Portugallenſes, novum ſibi Regem conſtituunt.
Catalonii ad Gallos deficiunt.
Hollandi Malaccam expugnant, cujus incolæ novam Linguam excogitarunt.
Vitâ decedit Georgius Wilhelmus, Elector Brandenburgicus.
Comitum Ortenburgicorum familia terminatur.
Amurathem IV. Turcarum tyrannum crapula ſuffocat.

Qui

Quilonge Angola, Rex Africanus, anno regiminis 72. mortem ſubit.

CÆſar collectis ex Weſtphalia Belgio, Auſtria, Bohemiaque copiis, *Leopoldum Archiducem*, fratrem ſuum iis præficit; qui ſtatim ſub initium anni, luſtratas properè Legiones in hoſtem educens, Reginogradecium, quod paulo ante captum ſumma ope Bannierius munierat, primo impetu recipit, recuperatisque mox etiam aliis locis, tota Bohemiâ hoſtem exigit. Sed *Bannier* in Miſniam atque Turingiam fugâ delatus, Vinarienſes, Haſſos, & Lunæburgicos ad ſe recipit, ac ita confirmato exercitu, iterum ſe Cæſareanis obvertit, qui commeatuum & pabuli inopia compulſi recedere, movent in Franconiam, atque cum Bavaricis ibi caſtra conjungunt. Epit. R. G. pag. 241. ſeqq.

Interim poſt conventum Noribergenſem, per Electorum & Ordinum Imperii Legatos equidem, at nullo ſucceſſu frequentatum, indicta *Comitia Ratisbonæ* habenda, ubi de reducenda pace inprimis actum, publicata offenſionum venia, paucis exceptis; neque tamen omiſſa belli cura, deſcriptus hybernorum ſtipendiorumque modus, definita tributa, correcta diſciplina militaris, & alia ordinata, quæ Reipublicæ neceſſitas exigere videbatur. Turſellin. hiſt. app. 2.72.

In Arteſia, *Galli* munitiſſimam Urbem *Atrebatum* (*Arras*) vi ſumma, duce Caſtilionio intercipiunt, nequicquam Ferdinando Belgii Principe cum valida manu Hiſpanorum, hoſtilia Gallorum caſtra oppugnante. In Italia quoque iidem pari felicitate magna *Pedemontii* parte, ac *Taurino* ipſo per Arcurtium Comitem recuperato, *Caſſalium* obſidione liberant, ingenti clade multatis Hiſpanis, captoque caſtrenſi ac impedimentorum apparatu omni. Pufend. Introd. in Notit. Stat. Eur. pag. 116.

Eodem anno 1640. *Portugalli crearunt ſibi Regem, Johannem Breganzæ Ducem*, aſſerentes eum ſolum, verum & legitimum Regni hæredem eſſe; Philippum verò Hiſpaniæ, injuſtum uſurpatorem ac Tyrannum: Ita Imperium Hiſpanicum dimidia ferè ſui parte imminutum fuit præter exſpectationem. *Catalonii* verò, diu infinita Hiſpanorum militum atque ducum homicidia. Latrocinia, adulteria, raptus, rapinas, incendia, & ſacrilegia perpeſſi, *Clientelæ Regum Galliæ ſeſe tradiderunt*. Horn. orb. Imp. 392. & Boxhorn. Chronol. 165. pag.

Malacca, Urbs Indiæ extra Gangem, Caput Regni cognominis

nis in parte Auſtrali aureæ Cherſoneſi è regione Sumatræ, anno ſeculi ſuperioris 1529. à Luſitanis, per Emanuelem Albuquerquium occupata, hoc tempore, poſt obſidionem ſex menſium, *Hollandis ceſſit*; Emporium oppidò celebre, cum portu capaciſſimo, & arce permunita. Idque multis admirabile, quod *Malaccani novam penitus linguam ex cogitarunt*, ſibi delectis aliarum gentium elegantiſſimis vocabulis, cujus tantam eſſe ſvavitatem ac elegantiam ferunt, ut propterea per univerſam Indiam facta ſit communis, ac nemo habeatur doctus, vel moribus excultus, niſi ejusdem linguæ peritus. Hofm. Lex. 974. Horn. O. J. 454. pag.

Sub hæc mortem obiit, *Georgius Wilhelmus*, Joh. Sigismundi filius, *Elector Brandenburgicus*; qui aliquot ante parentis obitum ſeptimanis, anno 1619. Electoratum obtinuerat, & anno 1621. à Polonis inveſtituram Boruſſiacam; In cauſa Palatina favit affini Friderico, eumque è Bohemia profugum excepit, & ad Batavos dimiſit. Unicum reliquit filium, nomine Fridericum Wilhelmum, paternarum ditionum atque dignitatum hæredem. Spener. ſyll. Gen. 147. D. Wagn. lim. gen. 91.

Tunc temporis *Comitum Ortenburgicorum ſtirps* in Carinthia, exaruit, ditionesque olim ab Imperatore Ferdinando primo, *Gabrieli Salamancæ* (genere Hiſpano, Baroni in Freyenſtein & Carlspach benè de ſe merito) an. 1524. feudi titulo conceſſæ, iterum ad Auſtriacos delapſæ ſunt; pretio deinceps addictæ fratribus *Widmanſtadiis*, Venetæ nobilitati paulò ante, interveniente conſveta argenti ſumma, adſcriptis. Imhof. Notit. procer. 1031.

Et in locum ſuum abiit *Sultanus Turcicus* Morath, vulgo *Amurathes IV.* ſtrenuus Miles, magnus Tyrannus. Is anno 1623. quatuordecim annorum puer, depoſito à prætorianis patruo Muſtaphæ ſucceſſerat, poſtea ſuis propemodum intolerabilis factus; qui tamen patrui lenitati & profuſioni, qua Imperium potentiſſimum penè deſtruxerat, contrarium vitium opponens, ſervati auctique dominatûs causa fuit, dum ſtricto & plus quam herili modo imperandi, diſciplinam gloriamque militarem reſtituit, & ærarium quod vacuum invenerat, quindecim auri millionibus impletum reliquit. Eum interemit, multis præliis ſervatum, ac ætate florentem, *immodicus vini uſus*, cui contra ſectæ ſuæ præcepta (per transfugam Perſam, quem ad intimam familiaritatem admiſerat, incitatus) indulſit,

 ſit,

ſit, ita ut *crapula* anno 1640. *ſuffocaretur*; ſucceſſit ei frater Ibrahim. Hoſm. Lex. 106. Act. Lipſ. Erud. an. 1684. 115. pag.

Tandem etiam *Quilonge Angola*, aliàs Angolaire dictus, vivendi finem fecit, ex Regibus Africanis inter potentiſſimos numeratus. Ferunt, eum *regnaſſe* ab an. 1568. ad hunc usque, nimirum *annos ſeptnaginta duos*, quod oppidò rarum, & exemplum in ultimis Mundi ſeculis forſan ſine exemplo. Horn. orb. Imper. 466. Franciſ. in der Schaubühne/ part. 3. 736.

LIB. V. CAP. XXI.

Summaria.

Septena ſoboles uno partu nata.
Caſus Forchemianus maximè tragicus.
Saltuarius undecim luporum victor, à duodecimo demum victus.
Venatio diabolica. Murium exercitus.
Terræ motus univerſam fere Germaniam concutiens.
Balæna ingens capta, in Gallia.
Mors Zachariæ Schæfferi, & Matthiæ Berneggeri.
Item, Petri Kirſtenii; Martini Hortenſii; atq; Pauli Rubenii.
Ottonis Brückmanni ſupplicium ſupremum.

MUlta ſubminiſtrat hic annus memoratu digna, ex quibus non poſſumus non B. L. unum & alterum breviter communicare. In Suecicis nempe caſtris, *Mulier uno partu continuo ſeptenam ſobolem edidit;* quatuor maſculos, tresque fœmellas, quarum poſtrema accepto baptiſmo exſpiravit, ſuperſtitibus reliquis. Calviſ. in Chronol. contin. 1017.

Sed in *pago ad Forchemium*, Franconiæ fortalitium, *caſus valdè tragicus* contigit. Ruſticus mactarat porcum, & abiverat. Quid fit? pueri duo, ſexennis unus, alter trimulus, fraterculum nondum trimeſtrem, itidem eheu! mactant, & quaſi re benè geſta, parenti facinus in horto narrant; qui ſpectato triſti negotio, ſeveris puerulos verbis increpat. Hi latebras, metu ferularum, in furno quærunt; Operoſa mater, omnium, quæ contigerant inſcia, recurrit à pecore, ignem in arida ligna ad pinſendum immittit, ac diſcedit; poſtea & carbones & prunas extractura, viſcera ſua videt aduſta; præceps ideò in puteum, maritus in laqueum ruunt. Idem ibidem refert. Exemplum verò non diſſimile recenſet Valentinus Velthemius, in Inſtitutionibus Metaphyſicis, pag. 1268. de quo vide an. 1644.

Prope

Prope Briſacum, *ſaltuarius* quidam ſua curans, menſe Junio (quod miraberis) à *duodecim lupis* impetitus, diu maſculè ſe defendit, & illorum *undecim*, tum ſclopeto, tum gladio venatorio *proſtravit, atque occidit;* ſed nimis defatigatus *tandem à duodecimo victus* miſer, ac dilaceratus eſt, referente Zeillero in Epiſt. part. 2. 110.

Eadem tempeſtate *per Bavariam* tenebrarum Princeps *Cacodæmon, ſpatioſum egit venatum*, ululatibus, canibus, cornibus, famulitio, variisque feris; piſcatum etiam brevi, quod ajebat, acturus; magno hominibus in iſto terrarum tractu incuſſo terrore. Continuat. Calviſ. 1017.

De Heliogabalo Imperatorum Monſtro, ſcribit Ælius Lampridius: Jubebat ſibi decem millia murium exhiberi, & mille muſtelas, mille ſorices. At multo plures hoc tempore noſtri Heliogabali habere potuiſſent, præſertim in *Saxonia;* quam *ingens murium copia* paſſim infeſtavit, non tantùm fruges in agris magnam partem conſumendo, ſed & in ipſis deinde horreis; ubi feruntur ſæpius ex uno alteroque faſciculo ad triturandum objecto, triginta, quadraginta, quinquaginta, imò plures proſiliiſſe mures, alii quidem fiſſis auribus, alii perforatis, caudis etiam carentes multi. Herrenſchmid in Gottes Mäuſe-Regiment/ A ij. Dorſch. in Diſſert. 6. de Angelis, pag. 419. 483. ſeqq. ubi de Satana, variis DEI creaturis, etiam abjectiſſimis animalculis, muribus præprimis, ad damnum maleficiumque hominibus inferendum, abutente, multa habentur tàm piè, quàm eruditè dicta.

Menſe Aprili, univerſam ferè Germaniam horriſonus *terræ motus*, duabus ante lucem horis, concuſſit, quod eo pronius diri ominis loco acceptum, quia gliſcentibus ubique bellis, ſpes etiam Pacis propemodum auferebatur; diſcedente Coloniâ Romam Martino Ginette Cardinali, quem (ſi Turſellino fides habenda) Pontifex Urbanus VIII. ad promovendam pacem dudum in Germaniam miſerat. Continuat. Turſell. hiſt. app. 2. pag. 71.

In æſtuario Provinciæ Gallicanæ, ad Monaſterium S. Tropaſii, deſtituta *Balæna 320. pedes longa, lata, 62.* per novendium inſtar Caſtelli, tormentis confecta eſt, à quingentis deinde viris lacertoſis in littus protracta, *rictu expanſo equum cum ſeſſore receptans.* Calviſ. contin. 1017.

Mortem tunc naturalem obiere: *Zacharias Schæfferus*, Hiſtoriarum, Eloquentiæ & Poëſeos in Academia Tubingenſi Profeſſor celebris;

lebris; Et, *Matthias Bernegger*, Philologus atque Hiſtoricus Argentinenſis famigeratiſſimus; Item, *Petrus Kirſtenius*, Philoſophiæ & Medicinæ Doctor inclytus, notitiâ Linguarum Orientalium, Arabicæ præſertim, excellens. Heſenthaler in Parentat. Heinliniana, pag. 7. Model. in tab. hiſt. & Megiſer. in Inſtitut. ling. Turc. præfat.

Eodem modo vitæ clauſulam habuere: *Martinus Hortenſius*, Delphis oriundus, Mathematicus haud vulgaris. Et *Petrus Paulus Rubenius*, pictor ſeculi noſtri inſignis, cujus Epitaphium ſic habet:

Ipſa ſuos Iris, dedit ipſa Aurora colores,
Mox umbras, Titan lumina clara tibi.
Das Tu Rubeni vitam, mentemque figuris,
Et per te vivit lumen, & umbra, color.
Quid te *Rubeni, nigro* mors funere volvit?
Vivis; vita tuo picta colore *rubet.*

Vid. Hofm. Lex. 1003. part. A. & B. 280. Act. Erud. Lipſ. 1694. 284.

Sed violenta & ignominioſa morte periit *Otto Brükman*, ob admiſſa in Legatione ad Perſarum Regem, Gottorpii menſe Majo, juſſu Domini ſui, Friderici, publicè decollatus; Exemplum tardæ quidem, ſed acerbæ in facinoroſos Divini Numinis vindictæ, & monitorium de Memoriali Funcciano;

Diſce meo exemplo mandato munere fungi,
Et fuge ceu peſtem, τὴν polypragmoſynen.

Spener. Geneal. 57. Adam. Olear. in Itinerar. ſub fin.

LIB. V. CAP. XXII.

Summaria.

Contra ineundam pacem, Evangelicorum rebus proficuam, Clerici Pontificii magnam partem proteſtantur.

Amneſtiam Ratisponæ concluſam Urbani VIII. Nuncius arietat.

Joh. Valent. Andreæ opera, in inſtauratione ſanctioris diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

Parthenius Patriarcha Conſtantinop. Confeſſione Cyrilli Lucaris proſcripta, Confeſſionem Jeremiæ confirmat.

ANno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum quadrageſimo primo, cùm ab Imperatore Ferdinando III. & Imperii Statibus, negotium *reſtituendæ Pacis* urgeretur, non unus tantùm ex *Clero Papali* anniſus eſt ſummis, queis potuit, viribus *obſtare*, ne in cauſa Re-

ligionis

ligionis in integrum reſtituerentur *Evangelici*, ad normam & formam conceſſæ ſuperiori ſeculo libertatis. Præſertim verò *Henricus, Epiſcopus Auguſtanus, proteſtationem* valdè rigidam Cæſari, Cancellariæ Moguntinæ, & Conſilii Principum directoribus, per Matthæum Wanner J. U. D. Cancellarium ſuum propoſuit, in eum, qui ſequitur, tenorem: „Nos Henricus, DEI, & Apoſtolicæ ſedis gratiâ, Epi„ſcopus Auguſtanus, profitemur atque declaramus, quod omnem „deſiderabilem pacem reipſa promovere, & pro noſtra parte fideli„ter ſervare, neque adverſus quenquam hoſtile quid moliri velimus. „Simul autem verbis ac animo teſtamur, quod in articulos ſeu me„dia pacis, ab anno 1555. hucusque in Comitiis & tractatibus Im„perialibus propoſita, & concluſa, vel in poſterum proponenda „concludendaque, quatenus Catholicæ religioni, ejusque dogma„tibus, juribus, rebus ac perſonis adverſantur, ſive multum ſive „parum, conſentire neque poſſimus, neque velimus. Sed confi„dimus, nos in noſtra obligatione, qua Pontificiæ Sanctitati & ſe„di Apoſtolicæ, Cæſareæ item Majeſtati, & ſacro Imperio nos ob„ſtrinximus, conſtanter ac inviolabiliter permanſuros; & potius, „quàm ut in ejusmodi tractatum conſentiamus, corpus, vitam, & „quicquid in terris habemus, conſtanter abdicabimus. Coram DEO, „ac univerſo Mundo expreſsè proteſtantes, nos in obligationum & „juramentorum noſtrorum obſervatione, ut conſtantis animi Chri„ſtianum, & Germanum natum decet, uſque ad mortem perſeve„raturos. Actum Dillingæ in arce Epiſcopalis reſidentiæ noſtræ, die 30. Jan. an. 1641. Erneſt. de Euſeb. pag. 37.

Quin imò ipſius Pontificis *Urbani VIII*. nomine, *adverſus Amneſtiam* Ratisbonæ nuper concluſam, *proteſtationem* Cæſari obtulit *Caſpar*, Archiepiſcopus Athenarum, ad Majeſt. Cæſ. cum poteſtate Legati à Latere *Nuncius*, in hæc verba: „Cùm in præſentibus Co„mitiis Imperialibus de mandato V. C. M. in hac Ratisbonenſi civi„tate, convocatis, concluſum fuerit ſuper Amneſtia infra ſcripti vel „alterius tenoris &c. ac diverſa fuerint ab Hæreticis producta in di„rectoriis, ut vocant, gravamina; cùmque hæc ſint contra S. S. Pa„trum decreta, Concilia œcumenica Generalia, & Conſtitutiones „ſummorum Pontificum: Ideòque ego, Archiepiſcopus Athena„rum S. D. N. Urbani Papæ VIII. & S. ſedis Apoſtolicæ nuncius, ſan„ctitatis ſuæ, ac S. ſedis nomine, ſicuti Paſtoralis officii ſui ſollici„tudo poſtulat C. M. V. ut Catholicum Principem, & Eccleſiæ Ro-

„ manæ Advocatum ac defenſorem rogo, requiro & hortor, ut Ma-
„ jorem ſuorum veſtigiis inhæreat, ac ut M. V. pietatem decet, in
„ columitatem integritatemque religionis Catholicæ, & Eccleſia-
„ ſticorum ac piorum locorum, perſonarumque Eccleſiaſticarum
„ indemnitatem tueatur; neque permittat, aut conſentiat ſecus
„ quid fieri. Aliàs omni meliori modo ejuſdem S. D. N. ac ſedis A-
„ poſtolicæ nomine repugno & reſiſto, meque ſemper repugnare ac
„ reſiſtere velle conteſtor, prout certus ſum, quod idem S D. N. ac
„ ipſa ſedes Apoſtolica, repugnabit & reſiſtet. Dat. Ratisb. 18. Apri-
„ lis anno 1641. Erneſt. de Euſeb. in Judic. Theolog. de pace, qua-
lem Proteſtantes deſiderant. pag. 31.

Ab iſthoc potiſſimum tempore, de Eccleſiis Proteſtantium, in Würtembergia præſertim, egregiè mereri cœpit *Johannes Valentinus Andreæ* (Jacobi Andreæ, vulgò Schmidelini, Tubingenſis Academiæ Cancellarii, nepos) Eccleſiaſtes Aulicus Ducis Eberhardi tertii, & Conſiſtorialis graviſſimus, ex honorum in Theologia ſummorum oblatione ſpontanea Doctor creatus Tubingæ an. 1641. 27. Sept. Is enim in renovando decenti ordine Eccleſiaſtico, & *revocanda ſanctiore diſciplina*, indefeſſam navavit operam; unde in ſubſidiis Rei Chriſtianæ ac Literariæ præfat. ad Lector. §. V. de Arca Noæ ſic diſſeruit:

„ In hac patriæ communis deſolatione, cùm Domui DEI, à normæ
„ vitæ Eccleſiaſticæ ignorantia, plurimum immineat periculi, diſ-
„ ſolutis diſciplinæ ſacræ compagibus, & crudis hominibus ad œco-
„ nomiæ Religionis Chriſtianæ munia ſubnaſcentibus, ſine metho-
„ do, regula, harmoniâ, inſpectione, uſu atque exemplo in rem ac
„ Theſauros CHRISTI, involaturis, & animas abſque diſcrimine ac
„ modo mactaturis, (quid enim à barbariei renatæ minis non ex-
„ ſpectemus, & Bellonæ amaris fructibus non imputemus?) Arcam
„ Nohæ minutam, quam Jacobus Andreæ, Avus meus, quondam
„ in domo DEI magna fidei & operæ laude verſatus, dum inſtituen-
„ dis ac reſtituendis Eccleſiis officium ſuum addixit, circumtulit, ac
„ Indicis loco habuit, publicare placuit; profuturam haud dubio,
„ non iis tantùm, qui ad Eccleſiæ culturam accinguntur; ſed iis quo-
„ que quos alienas operas inſpicere, & nequid detrimenti Reſpu-
„ blica Chriſtiana capiat, cavere neceſſum eſt. Scilicet quæ Majo-
„ rum noſtrorum circumſpectio ac ſolicitudo fuerit, & quæ recti re-
„ gula per varia experimenta animo ſederit, reperturis, atque cum
„ ſui ſeculi inſtrumentis collaturis.

Par-

Parthenius, hujus nominis primus, *Patriarcha Conſtantinopolitano-Græcus*, in eo totus tunc fuit, ut *proſcripta & rejecta Cyrilli Lucaris confeſſione*, (quam ante decennium, & quod excurrit, falsò, quaſi Communem Græcæ Orientalis Eccleſiæ doctrinam continentem, iſte publicaverat) *Confeſſionem JEREMIÆ*, ſuperiori ſeculo cum occidentalibus Eccleſiis, præcipuè verò cum Tubingenſibus communicatam, reproduceret, ac omnibus modis tanquam Orthodoxam *conſtabiliret*. Quamvis enim jam ante biennium, ad verſus Lucarinum illum fœtum, Cyrillus Berrhöenſis cenſuram ſynodalem promulgaſſet, eique Anathema dixiſſet; haud levibus tamen ex cauſis Parthenius, ut purè Græcus, Cenſuram iterare, ac non modò notham confeſſionem proſcribere & exterminare, ſed ſimul genuinam ſuæ gentis Religionem toti Mundo exhibere & commendare voluit, quam temerare tum *Lucaris* (Calvinianus) tum *Berrhöenſis* (Papanus) audaciſſimè cœperant. Fhelav. in dedicat. lib. Chriſtoph. Angeli de ſtatu & ritu Eccleſ. Gr. fac. 23. & Hier. Krom. de Eccleſ. Gr. ſub cent. V. hiſt. pag. 198.

LIB. V. CAP. XXIII.

Summaria.

Abbatiæ S. Maximini prope Treviros, Immedietas reſpectu Imperii reſtituitur.

De eodem Privilegio, Abbati ad S.S. Ulrici & Afræ in Aug. Vind. controverſia movetur.

De ratione & numero votorum, quibus in Comitiis Imper. gaudent Abbates Immediati, Principali dignitate deſtituti.

Urbani VIII. Bulla adverſus Janſenii Auguſtinum.

Methodus diſputandi Richeliana.

Papiſtarum Hibernorum immanis furor in Calviniſtas.

Jacobi Uſſerii de eodem prædictio.

Mors Cardinalis Ferdinandi, Hiſpani, & Principis Stadiani:

Jacobi item Gordoni, & Jacobi Suffreni.

De celebri *Abbatia S. Maximini*, extra Urbis Trevirenſis pomœria, dictum lib. IV. cap. II. quàm gravi ac diuturnæ controverſiæ cum Archiepiſcopis proximi territorii implicata fuerit, quæque an. 1630. contra Monaſterium & ejus Præſulem lata ſententia? Deinceps autem cùm Archiepiſcopus ad Gallorum partes deficiens, indignationem Auſtriacorum ſubiiſſet, *Abbatis patrocinium Ferdinandus Imperator ſuſcepit*, eumque tanquam Imperii civem immediatum,

ad

ad Comitia publica Ratisbonæ an. 1640. in choata, & ſequente continuata, vocavit, & *ad ſeſſionem in Collegio Principum admiſit.* Nihilo tamen ſecius Archiepiſcopi manſerunt in poſſeſſione ſuperioritatis, inter axiomata ſua etiam titulo Commendatoris S. Maximini quandoque utentes. Imhof. Notit. Procer. 54. pag..

Conſimili modo *immedietatem Cœnobii S. S. Ulrici & Afræ*, in Auguſta Vindeliciæ metropoli, à longo tempore *impugnarunt Epiſcopi Auguſtani*, hodieque ſub judice Camerali lis pendet, Abbate tamen in poſſeſſione libertatis conſtituto; id quod in dictis Comitiis anno 1641. evicit. Condidiſſe illud Monaſterium fertur *S. Udalricus* quondam Epiſcopus Auguſtanus, poſt reſtauratam S. Afræ vetuſtiſſimam ædem, ibique Canonicos Regulares introduxiſſe; quos poſtea Bruno Epiſcopus, Imperatoris Henrici ſecundi Germanus frater, ejecerit, atque in eorum locum Ordinis Benedictini Monachos aſciverit. Ex. eod. pag. 348.

Cæteroquin ut *Abbatibus dignitate Principali eminentibus*, (nempe Hirſchfeldenſi, Fuldenſi, Campidonenſi, Elvacenſi, Murbacenſi, Ludrenſi, Berchtelsgadenſi, Weiſſenburgenſi, Prumienſi, Stabulenſi & Corbejenſi) licet in Comitiis Imperialibus *viritim* ſententiam dicere; ita *reliqui*, civibus quidem Imperii adſcripti, non ad Principale tamen faſtigium evecti, *curiatim* ſuffragia ferunt, eaque pro numero Collegiorum, quæ ſcamna vocant. „Scimus, inquit JCtus „quidam doctiſſimus, Paurmeiſterum Prælatis eorumque Curiæ, „unum ſaltem votum tribuere. Nec ignoramus, à Paurmeiſtero, „Wehnero, Lehmano, accuratiſſimis alioqui ſcriptoribus, & anti„quis Publici Juris autoribus omnibus, duo tantùm vota tribui Co„mitibus & Baronibus. At in Comitiis Ratisbonenſibus an. 1641. „ipſi Prælati hanc rem accuratius expoſuerunt, &, cùm olim ſingu„lis Prælatis, ſingula vota competerent, aucto ita eorum numero, „ut Principes votis ſuperare poſſent, eò rem reductam, ut illis duo „tantùm relicta fuerint, clarè oſtenderunt, votumque ſibi duplex „poſtliminiò vindicarunt; quemadmodum Comitibus & Baronibus „Weſtphalicis & Saxonicis (inferioris Circuli) duo alia vota ſunt „conceſſa. D. Ericus Mauritius in Diſſert. de receſſib. Imper. pag. 22. Notit. procer. 319. 236.

Urbanus VIII. Papa, motus à factionis Lojolicæ Patronis, præſertim à Cardinali Franciſco Barbarino, *Bullam* edidit prid. non. Martii hujus anni, qua *Cornelii Janſenii Auguſtinum*, præcedente anno cum

cum Cæſareæ Majeſtatis, & Regis Hiſpaniæ privilegiis publicatum, *damnavit ac prohibuit*. Verba diplomatis Pontificii ſic fluunt: „ Cùm „ ex diligenti & matura libri, cui titulus Auguſtinus, lectione compertum fuerit, in eodem libro multas ex propoſitionibus à prædeceſſoribus noſtris olim, ut præfertur, damnatas contineri, & magno cum Catholicorum ſcandalo, & autoritatis Apoſtolicæ ſedis „ contemptu, contra præfatas damnationes ac prohibitiones defendi. Nos huic malo in ſcandalum totius Reipublicæ Chriſtianæ ac „ fidei Catholicæ perniciem vertenti, opportunum remedium volentes adhibere, Conſtitutiones Gregorii XIII. & Pauli V. prædeceſſorum noſtrorum (quibus Pio V. propoſitiones Michäelis Baji „ damnanti, ſubſcripſere) perpetuò confirmamus & approbamus, „ librumque prædictum, cui titulus eſt Auguſtinus, articulos, opiniones, & ſententias in dictis Conſtitutionibus reprobatas atque „ damnatas, ut à nobis compertum eſt, continentem & renovantem, „ reprobamus ac damnamus. Hucusq; Urbani decretum adverſus „ fœtum Janſenii, Præſulis, dum vivebat Iprenſis. Cautumque ſimul, „ ſub graviſſimis cenſuris Eccleſiaſticis & pœnis ſecularibus, ne quis „ in poſterum de materia Auxiliorum Divinorum, ſine expreſſa & „ ſpeciali licentia, donec aliud à ſede Apoſtolica fuerit ordinatum, „ tractaret. J.A. Oſiand. in Specim. Janſen. 11. atque Dorſch. tractat. de Gratia, contra Ferrium, pag. 17. 18. 26.

Richelius Cardinalis, neſcio quam doctrinæ Catholicæ incœptat Reformationem per emiſſarios: Calviſii Continuator ſcribit, pag. 1018. quo autem quid innuere velit Chronologus, nos non capimus, niſi ad *Methodum diſputandi Richelianam* reſpiciat, cujus meminit J. H. H. verbis inſequentibus: „ Armandus Richelius novam ſingularem- „ que viam (agendi cum Eccleſiis & hominibus Evangelicis) praivit, jubens in ſua, deinceps publicata, Methodo, fidei conſortes „ è cœtu Romanenſium, miſſo examine doctrinæ, utpote arduo & „ moleſto nimis, de Eccleſia diſputationem omnem ſuſcipere, ac „ eandem inquirere non è S. Scripturis, ſed potius ex notis magis „ obviis, & ferè ſenſus ſimpliciorum ferientibus; cujus modi ſint „ inprimis haud interrupta Pontificum ſucceſſio, Eccleſiæ ſplendor, „ magnificentia, duratio &c. Tum præcipiebat ille controverſiarum momenta librare, ſoliciteque adſtruere, quod capita, de „ quibus diſceptatum hactenus, fundamentum fidei non contingant, adeoque ſalvo in iis diſſenſu, Romana, & Evangelica Eccle-

„ ſia, facili negotio conciliari queant. Inde non modò Pontificio- „ rum, præſertim Petri de Marca Pariſienſis Archiepiſcopi diatribæ „ de ſacramento Euchariſtiæ, ſed & Milleterii atque Grotii, Cardi- „ nalis Richelii conſiliis callidis obſtetricantium, ac aliorum ſcripta diallactica, exorta ſunt. Heidegg. in hiſt. Papat. pag. 3 8.

Die 23. Octobris an 1641. *Hiberni Papiſtæ, horribili laniena in Calviniſtas totâ Inſula ſævierunt.* Pluſquam *ducenta hominum millia* paucis menſibus illa rabies abſumpſit, ut nihil tormentorum & mortium reperiri potuerit, quod non illæ furiales beſtiæ commiſerint, ſolo Religionis odio, &, quod Papæ gratum ſe officium internecione Calviniſequarum præſtituros, vitamque æternam abſque purgatorii flammis ſe conſequuturos, ut Monachi ſanguinolenti jactabant, crederent; rudibus omnis & fidei & humanitatis facilè ad omne nefas pronis. Quapropter totus in horruit Orbis, reperiri inter illos, qui dici volunt Chriſtiani, & quidem Catholici Romani, talia Monſtra! Conſtat etiam, *Urbanum* eadem occaſione in turbido piſcaturum, per Nuncium ſuum Rinuccinum, variis artibus *ipſum Hiberniæ Regnum*, à Reformatorum, quos vocant, ſanguine ſic preſsè purgatum defœcatumque, *affectaſſe*, uſum prætextu Juris in totum Orbem, & omnia regna hujus Mundi, ipſiſmet ringentibus Papiſtis, & artes illas in detrimentum Coronæ vergentes deteſtantibus; prout hæc & alia, in vindiciis Romano-Catholicorum Hiberniæ, prolixius expoſita legere eſt. Horn. H. E. cum not. Leidek. 505 Heideg. H. P. 391 pag.

Funeſtam cladem illam *prædixiſſe fertur Jacobus Uſſerius*, habita concione anno 1601. ad verba Domini Ezech. 4. 6. *Tu feres iniquitatem domûs Judæ dies quadraginta; dedi unum diem pro uno anno.* Cùm enim textum expoſuiſſet, applicuit Hiberniæ, & dixit: quod ab eo tempore ferent Reformati annos quadraginta iniquitatem eorum, quos vellent tolerare tam diu; Et eſſe afflictionem Reformatorum per Papiſtas, & pœnam tunc metuendam! Eventus verbis reſpondit. Leidek. in not. ad Horn. H. E. pag 505.

Menſe Novembri Bruxellis diem ſuum obiit *Ferdinandus Cardinalis, Hiſpaniæ Princeps*, & Belgii Gubernator, qui ad victoriam Ferdinandi 3. apud Nördlingam contra Svecos obtentam, haud parum contulerat. Eum biduo poſt *Princeps à Statian*, Magnus Magiſter Ordinis Teutonici ſequutus eſt, ſuccedente Leopoldo Wilhelmo, Auſtriaco, Cæſaris fratre. Contin. Calviſ. 1018. Epit. R. G. 280.

Eo-

Eodem anno vivis exceſſere *Jacobus Gordonus*, Lojolita Scoticus; Ludovico XIII. Galliarum Regi à Confeſſionibus; Autor Chronologiæ, & Commentariorum in ſcripturam 3. volum. in fol. Nec non Jacobus Suffrenus, Confeſſionarius Mariæ de Medices, Reginæ; Aſceticorum variorum autor. J. J. Hofman. in Lex. Univerſ. A. 802. 803.

LIB. V. CAP. XXIV.

Summaria.

Belgarum Unitorum de Jeſuitis non tolerandis, ac Miniſtrorum Verbi ſalariis, novum decretum.

Conſpiratio adverſus Angliæ Regem, Scotiæque proceres.

Multiplicati motus Anglicani: Et, Epiſcopi Parlamento excluſi.

Thomas Staffordius, Hiberniæ Pro-Rex, capite plexus.

Invidia, Regi Carolo I. ex Laniena Hibernorum conflata.

A *Fœderatis Belgis novum* ſancitur *decretum*, *de Lojolitis* in Unitorum Statuum provinciis *minimè tolerandis*. *Miniſtris* autem *Eccleſiarum*, tam in pagis, quàm in urbibus, ordinantur *ſalaria* pro eorundem honeſta ſuſtentatione neceſſaria, & ſufficientia. Orb. Lum. pag. 1157. pl.

In *Anglia* detegitur menſe Octobri exitioſa *adverſus Britanniæ Regem, Scoticique Regni Proceres*, *conſpiratio*, quæ plurimos, & inter eos quoque Lojolitas, multorum criminum reos facit; qui propterea in nervos & vincula compacti, pœnas perſolvunt. Epitom. Rer. Germ. 278.

Mox tamen *in Anglia novi motus* extiterunt, multis in ſuſpicionem Conjurationis adductis, multis etiam in carcerem conjectis, qui Hibernico igni oleum affuderunt, & ſeditionem excitatam vel apertè, vel clàm & quaſi per cuniculos, ſuſtentarunt. Conſcriptus igitur exercitus in Hiberniam mittendus, decretumque factum, ut Papicolæ omnes intra decem milliaria Londino abeſſent. Idem autor ibid. pag. 282.

Reſtituti & prorogati *Parlamenti Anglicani* præcipuum tunc fuit (eſſe ſaltem debuit) *cognitio Turbarum ac malorum*, quæ hactenus magnam Britanniam exercuerint, vel, ut verbo dicamus, *REFORMATIO Status Eccleſiaſtici.* Primò igitur omnium *Guilielmus Landus*, Archiepiſcopus Cantuarienſis, tanquam artifex & autor motuum ac mu-

mutationum triſtiſſimarum, in carcerem conjectus; *reliqui* dein *Epiſcopi* ex Ordinum Regni numero & Parlamento excluſi; Tum ſuperſtitiones ceremoniæque inutiles, ut videbantur multis, vel abrogatæ vel mitigatæ ſunt. Horn. H. E. pag. 417.

Thomas autem *Staffordius*, Hiberniæ Protex, in Angliam vocatus eſt, &, quod Pontificiis nimium indulſiſſet, Regemque ad arma in Scotos movenda impuliſſet, *ſupplicio capitis damnatus*, facta per ſubſcriptionem Regiam ſententiæ confirmatione; quam ob cauſam Staffordius Comes, jamjam decollandus, *Regi planè ſimilem internecionem prædixiſſe fertur.* Zeiler. ep. 2. part. 898. pag.

Et poſtea *magnam Regi movit invidiam laniena Hibernica*, quaſi ex aula Lojolitis aliisque deſperatis hominibus plena, fluxiſſet atrox illud facinus; *auctaque ſuſpicio*, quod Hiberni admodùm ſerò & lentè, ſatis inſuper frigidè, Rebellionis damnarentur, impreſſis nonniſi quadraginta exemplaribus; cùm tamen Scoti ad primos motus, per omnia Angliæ templa proclamati fuerint ferocientes DEi & Regis hoſtes. Ex quo populus, jure an injuria, non diſputabimus, colligebat, longè in majori gratia eſſe apud Regem Hibernos, Papiſtas rebelles, horribiles homicidas, quàm ſint Scoti religione Reformati, & in quorum toto bello vix centum perierint, etiam aperto prælio, homines. Georg. Horn. Orb. Imp ed. iter. pag. 344. ſeq.

Quàm horibiliter Papiſtæ Hiberni, odio religionis, *in Calvinianos derepente ſævierint*, jam in genere, præcedenti capite dictum eſt; ſed hìc in ſpecie quædam commemorare non diſplicet. „Ipſi certè Monachi & ſacerdotes accuratum patratæ lanienæ Catalogum, authenticamque adeò publicorum actorum conſignationem ediderunt. Ibi videtur ingentem miſerorum Chriſtianorum multitudinem, poſtquam omnibus ad cutim uſque exuti & ſpoliati fuiſſent bonis, trucidatam; pleroſque ferro, multos deinde ſuſpendio, ſubmerſione, vivicomburio, in templis, ædibus, aliisque locis; plurimos ſpirantes adhuc, terrâ defoſſos, aliquos à canibus dilaniatos ac diſcerptos, lapidibus obrutos; alios ferventibus ahenis merſos, nonnullos carbonibus toſtos; nonnullis inteſtina per poſticum extracta, diſſectos ventres, evoluta viſcera, confracta funibus intortis crania, dorſum, brachia, crura, femora comminuta vel abſciſſa; alios toto corpore cruentatos, cum nil niſi vulnus eſſent, in ſuo ſanguine ac frigore enectos; capillitio ſuſpenſos; impuberes ſecus parentum immolata cadavera, fletu, fame, in-

opia

„opia extinctos, multis ex innocua illa ætate jam intermortua
„matrum ubera, mordendo potius quàm lactendo appetentibus.
„Multi fractis omnibus artubus, ut loco ſe movere non poſſent, cùm
„herbarum circum circa paſtu, bruto cibo vitam in triduum miſerri-
„mè traxiſſent, ab hoſtibus ſpectatum & inſultatum venientibus,
„cùm mortem beneficii loco precarentur, nec impetrarent omnes,
„in locum herbidum alium, ut diutius acerrima inter tormenta pre-
„carium ſpiritum traherent, oculoſque immanium belluarum gra-
„tiſſimo ſpectaculo, aures horrendis clamoribus ſatiarent, delati
„ſunt. Mancipia in dominos, omni telorum & contumeliarum ge-
„nere ſævierunt. Miſellæ mulieres, dependentibus de cervice aut
„cingulo liberis, &, ad majorem ignominiam, canibus ſimul ac fe-
„libus appenſis, laqueo ſuffocatæ ſunt. Multi puteis, ſubtus gla-
„ciem actis, ſubmerſi; alii mucronibus in mare & flumina protruſi;
„ac ſiqui ad littus aut ripam enatarent, eliſo cerebro, aut contis affi-
„xi, denuò aquis immerſi ſunt. Ædium, caſtellorum, templorum
„ruinæ, cæſorum inſepultis cadaveribus ſtipatæ; cùm paucos terra
„tegeret, multi ſub ſtillicidiis, in foſſis, hinc inde etiam plateis
„computeſcerent. Innoxia ætas, diſſectis carnibus, unco, velut in
„macello agnina, fuit ſuſpenſa. Miſer non nemo nudo corpore,
„aſſeri impoſitus, à Tigribus illis ad ſingulos hauſtus, ſingulis vul-
„neribus, at non penitus in mortem adactis, ita paſſim diffuſus, ut
„continuum vulnus videretur, quem deinde in fimetum projectum,
„dolor, fames, & injuria äeris extinxere, prohibitis omnibus, ne
„miſerias tantas ullo modo levare auſint. Alius adacto per poſte-
„riora palo, ut altius infigeretur, velut per ludibrium circum ſcari-
„ficatus, donec inter atroces convulſiones, plaudentibus hoſtibus,
„exſpiraret. Pueri parentum Pontificiorum charitatem æmulati,
„denſo agmine in agros egreſſi, ubi in cæſum Proteſtantem incide-
„runt, ejus pudenda virgis loriſque tamdiu flagellarunt, donec ru-
„ptis nervis, & carne diſperſa, membrum à reliquo corpore diſſol-
„veretur, quod ipſi arreptum, feſto clamore, parentibus gratiſſimum
„munus obtulerunt. Si fœmina cæſa, prono in terram ventre ja-
„cuiſſet eam in dorſum reſupinatam, omnibus membris, iis maxi-
„mè, quæ natura occulta eſſe voluit, taxarunt. Concluſi arctiſſimâ
„intra ædes ac templa cuſtodia, illis repentè ſuccenſis, lamentabi-
„liter conflagrarunt. In ipſo templo pater filiuſque in partes ſecti,
„eorumque tegmina matris extremùm ſauciæ capiti impacta ſunt.

„ Nobiles virgines totam noctem capillitio de arbore ſuſpenſæ, cùm „ orta luce aliquid in illis vitæ reſiduum deprehenderetur, protinùs „ obtruncatæ ſunt. Tres orphani, quorum parentes à latronibus „ iſtis cæſi erant, cùm nudi, ac frigore penè enecti, in fornacem ſe „ abdidiſſent, ignibus immiſſis, immiſericorditer combuſti ſunt. „ Uxor gravida cum liberis vitæ conſultura, cùm terror fœtum ante „ tempus excuſſiſſet, illo à latronum canibus devorato, ipſa cum „ cæteris obtruncata fuit. Multæ Nobiles diſſectæ, fœtus utero ex„ cuſſi, & ipſæ viſceribus apertis, horrendum ſuſpenſæ. Infantes ha„ ſtis rebellium præfixi, præda eâ gloriantium. Duæ filiæ toto cor„ pore nudæ, metu mortis, decrepitum parentem lacertis ſuis in pa„ ludem trahere adactæ, ubi & ipſæ ſubmerſæ perierunt. Uxor ju„ gulare maritum, filii verò matrem coacti; ipſos, velut ultimam vi„ ctimam, latrones mactarunt. Equorum caudis alii alligati, tra„ ctique, excarnificati, fame enecti, mille tormentis excruciati ſunt. „ Quibus erat corpus hebetius & obeſum, eviſcerati ſunt, ut ex eo„ rum pinguedine lychni efficerentur. Vir pius, ac zelo DEI fla„ grans, terrâ, ſolo capite prominente, defoſſus, atque ita relictus, „ donec corvi & vultures oculos vivo eruerent, feræ beſtiæ reliquum „ abligurirent. Plurimi ſpirantes ſubtùs terram defoſſi, quos inter „ unus cratibus & ſaxis depreſſus, cùm diu lamentabiliter fruſtra „ inclamaret, nec uxor pedibus capta eum eruere poſſet, faciem æ„ grè nudavit, ac ut finem immenſis doloribus imponeret, ſtrophiolo „ ſpiritum intercluſit. Multorum plantæ ad lentum ignem toſtæ; „ alii ſecuribus diſſecti, funibus ſurſum deorſum per aquas raptati; „ nonnulli ſemineces relicti, vel ferro clauſi, donec membris putre„ ſcentibus animam exhalarent; & infinita tormina ad pecuniam „ prodendam, quam, omnibus jam ante ſpoliati, nullam habebant, „ excogitata. Oſſa & cadavera dudum in Domino defunctorum, „ tumulis eruta, projecta viliſſimis locis, per fimeta, aggeres, fruti„ ceta, campos, ſparſa ac disjecta ſunt. Hæc omnia, pluraque etiam, „ uti certis documentis ab ipſis hoſtibus, infandorum facinorum „ autoribus, ſuppeditatis conſtat, à Papicolis Hibernis patrata, tàm „ profectò dira ſunt, ut ab orci emiſſariis, extremæ nequitiæ dæmo„ nibus, diriora patrari non potuiſſe, ambiguum neutiquam ha„ beatur. Verba ſunt Heideggeri, in hiſt. Papat. pag. 388. ſeqq.

Fatis conceſſit *Franciſcus Gomarus*, Calviniſta rigidus, & Supralapſarius, Brugis Flandrorum natus an. 1562. Docuit primùm in

Aca-

Academia Lugduno-Batava, in qua Jacobo Arminio acerrimè reſtitit, exinde Gröningam poſtea vocatus. Unus ex Theologis fœderatorum Statuum, qui novæ verſioni S. Bibliorum procurandæ adhibiti fuere. Obiit anno ætatis ſeptuageſimo octavo. Lyrâ Davidica, de qua ſupra dictum, aliisque ſcriptis, in folio extantibus, innotuit. *Controverſiæ Sabbathariæ*, quæ multos annos, etiam poſt exceſſum Gomari, Belgium exercuit, anſam dedit. In utraque Cathedra Gröningenſi ſucceſſorem habuit Samuelem Mareſium, inter celeberrimos Calvinianæ gentis Theologos numerandum. Vid. J. J. Hofman. Lex. univerſ. part. I. pag. 707. & 992. Micræl. lib. 3. Eccleſ. 435. pl.

LIB. V. CAP. XXV.

Summaria.

G. Calixtum H. Hœpfnerus fideliter & placidè monet.
Ille autem hoc indignatur & ægerrimè fert.
Moſes Amyraldus, propria vineta cædit.
Bergius, definitionem Reprobationis Calvinianam communiorem, ipſe improbat.
Mulieres Anglicanæ, Miniſterii publici partes involant.
Status Anglorum in Bermuda Eccleſiaſticus, per Independentes mirè immutatur.

D. *Georgium Calixtum*, Helmſtadienſis Academiæ Profeſſorem Theologum, à forma ſanorum verborum in aliquot Chriſtianæ doctrinæ articulis decedentem, præcipuè in puncto de Juſtificatione & bonis operibus, *D. Henricus Höpfnerus*, Theologus Lipſienſis t. t. fideliter quidem, ſed fruſtra, per literas die 17. Maji exaratas, *monuit:* „ Quia intelligo, inquiens, Apologiam veſtram (Calixti puta & Horneji) contra Buſcherum, ad umbilicum deductam eſſe, „ exiſtimavi me amico dignum officium facere, ſi ſubjicerem vobis, „ quæ à quibusdam deſiderantur in ſcriptis veſtris, ut tantò magis „ occaſionem habeatis, vos melius explicandi. Et, poſtquam de cauſa formali ac inſtrumentali juſtificationis, deque bonis operibus ad ſalutis conſecutionem, ſub notione *cauſæ ſine qua non*, perperam requiſitis, citra ullius acerbitatis veſtigium, nonnulla monuerat, modeſtè hoc officium excuſavit: „ Hæc, ajens, pro temporis ratio- „ ne, & ſtatu valetudinis meæ breviter, & quidem M. Langii ma- „ nu exarare volui. Non quod putem ea vos latere, ſed ut fraternè „ commoneam, ad omnem diligentiam nihil minus eſſe vobis relinquen-

„ quendum in Apologia veſtra, quam ut cum Scriptura & Matre
„ Eccleſia loquamini; adeoque potius allubeſcat vobis pollicitatio
„ omnimodæ abſtinentiæ à talibus phraſibus, quæ erroris occaſio
„ aliqua eſſe, vel eximios veſtros labores in deſpectum aliorum ad-
„ ducere poſſunt. Si enim rectè vos novi, non ita ſuffeni eſtis vo-
„ bis, ut abnuatis vos corrigere, & ſanam mentem commodis ver-
„ bis exprimere. Quod ſi intellexero meam per epiſtolam hanc
„ communicationem vobis non ingratam fore, ETIAM DE ALIIS
„ capitibus doctrinæ Chriſtianæ, poterit alia occaſione diſputatio
„ quædam per literas inſtitui. Nunc tantùm de maximè funda-
„ mentali articulo hæc ſcribere placuit: In quo explicando ut vos
„ reliquis Eccleſiis Evangelicis è Scriptura S. conformetis, & omnem
„ ſiniſtrè veſtra interpretandi anſam in Apologia veſtra præcidatis,
„ vos per DEUM & Eccleſiæ ſalutem, atque veſtrammet ipſorum
„ honorificam exiſtimationem, meo loco pro amicitiæ jure oratos
„ cupio. Benè valeat E. V. & ingenuæ meæ parrheſiæ, quæſo, igno-
„ ſcat. Teſtor enim in conſpectu DEI, ſanctorumque Angelorum,
„ me nihil hujus ex animo carpendi alios, vel arrogantia quadam
„ attentare; ſed potius Paci Eccleſiæ, ac ſinceræ conjunctioni Do-
„ ctorum ſub vexillo Chriſti militantium, conſultum velle.

Ad has *reſpondit Calixtus* die 27. Sept. *hac ferè ſumma:* Se literas accepiſſe; quæ tales fuerint, ut ad eas reſpondere non libuerit; Ac doluiſſe, quod Höpfnerum eſſe ægrum corpore intellexerit, multò magis autem, quod animum à morbo turbatum & infectum animadverterit; aliàs fieri non potuiſſe, ut in amicum tanto ſupercilio & acerbitate inveheretur. Contigiſſe paulò poſt, ut hiſtoriam Joſephi, olim à ſe enarratam, denuò ederet, ibique ſub Abſtinentiæ Joſephi mentione commodum exiſtimaſſe, ut ſuam & univerſæ Chriſtianæ Eccleſiæ ſententiam, ſi non prolixè attamen perſpicuè exponeret; eam ubi lecturus monitor, nullum relictum iri ſcrupulum &c. *Ad rationes ab Höpfnero in contrarium allatas, omninò ſiluit Calixtus.* Vid. Hülſ. Dialyſ. apologet. ad probl. Calixt. de Myſt. Trin. Præfat. pag. 93 ſeqq. Integras literas, lectu digniſſimas, idem Hülſemannus exhibet, ſub fin. tractat. pag. 444-449. confer Hiſt. Joſeph. per Calixt. ed. 3. pag. 17. ſeqq.

Moſes Amyraldus. Profeſſor Salmurienſis Gallo-Hugonoticus, qui Univerſalitatem Gratiæ Divinæ erga miſeros Adami poſteros, aliquandiu aſſerere viſus erat, hoc ipſo anno, ſuimet oblitus, pecu-
liari

liari libro Salmurii edito, cui titulus: *Doctrinæ de abſoluto Reprobationis decreto, adverſus Anonymum defenſio*, eandem gratiam iterum abnegavit, impiam Zwinglii, Calvini, Bezæ ſententiam propugnans, ut videre eſt ex Judicio quodam Facultatis Theologicæ Argentinenſis in cauſa Latermanni, à Theologis Wittenbergenſibus allegato in appendice Deductionis, quod errores Calvinianorum fundamenta fidei tangant, pag. 567.

Sed *Johannes Bergius*, Marchia-Brandenburgicus, de quo ſupra, in literis ad Hildebrandum Regiomonti die 18. Jan. an. 1641. ſcriptis, *definitionem Reprobationis, per propoſitum abſolutæ præteritionis, aut meræ voluntatis decretum, aliquos Adamitas, in communi miſeria relinquendi, fidemque iis & gratiam converſionis non donandi*, expreſsè taxavit; ſponte ſua faſſus: „Optare ſe, in ipſa Reprobationis deſcriptio-
„ne id paulò dilucidius exprimi, non omnem converſionis gra-
„tiam reprobis denegari, ut appareat, non abſolutè à Calvinianis
„tale propoſitum ſtatui, quale ipſis odioſè paſſim impingatur; ſed
„quod præter communem ex primo lapſu miſeriam, inexcuſabi-
„lem gratiæ contemptum in ſingulis illis hominibus, ſive etiam in
„integris populis, qui juſto Dei judicio rejecti, præſupponat. A-
„lioqui ſe non videre quomodo ſeriò & ſincerè Deus ad reſipiſcen-
„tiam & fidem eos invitare dici poſſet, quibus ABSOLUTO PRO-
„POSITO CITRA NOVAM IN IPSIS culpam, fidei & conver-
„ſionis gratiam ſimpliciter denegare ſtatuerit? At quomodo hæc talia cum Synodi Dordracenæ placitis, communique Calviniſtarum Traditiva, conveniant, aut quatenus illa cum Bergio faciant, B. L. judicabit? Facult. Theol. Wittenb. in fol. deduct. adverſus Syncret. Rintel. 494. ſeq.

Tunc temporis in triſti rerum Anglicarum confuſione, *mulieres* plebejæ incipiebant *concionari*, & Miniſterii publici partes involare. *Londini* præſertim Fanatica in publicum procedebat, magna temeritate blaterans: Jamjam adeſſe tempus diu exſpectatum, acceptiſſimumque, quo Deus effundere velit Spiritum S. ſuper ancillas ſuas, ut prophetare queant. D. Müller Hamb. im Quaker-Greul/ pag. 129. Et puto hanc eandem fuiſſe, de qua non nemo refert, quod hebdomadatim deinceps, feriæ tertiæ horâ quartâ conciones habuerit, in magna inconditæ plebis frequentia. Schwarm-geiſter-Brut/ pag. 168. confer an. 1645. ubi de hiſce pl.

In *Bermuda*, novi Orbis Inſula, *totus Anglorum Status*, quantum

ad *Eccleſiaſtica* ſpectabat, *ab Independentibus* ex Nova Anglia eò delatis, prorſum & properè *immutatus eſt.* Ibi tria incolarum extabant millia, qui multis annis pacificè per Eccleſias ſuas, & piè vixerant, usque ad annum 1641. cùm ipſorum Miniſtri à Novanglis perſuaſi, Miniſterio ſe abdicarunt, ac privatas perſonas aſſumpſerunt; donec tres fœdere Eccleſiaſtico obſtricti, novam Eccleſiam conſtituerent, inductis ad ſocietatem aliis circiter quadraginta. Hi confœderati unum ex Miniſtris, qui ſe abdicarant, Paſtorem ſuum crearunt, aliosque duos Presbyteros. Et hi tres per totam Inſulam prædicarunt, præparantes cæteros, ut membra Eccleſiæ fierent; Nullis verò Sacramenta præterquam illis quadraginta confœderatis adminiſtrarunt. Cæteroqui ſeptem ejusmodi perſonis, dabant omnem poteſtatem Eccleſiaſticam independenter ſub cœlo, eligendi, ordinandi, deponendi, excommunicandi, ac decidendi omnes controverſias Eccleſiaſticas. Horn. H. E. pag. 441.

LIB. V. CAP. XXVI.

Summaria.

Batavorum Synodi, Bremenſibus doctrinam de Univerſalitate Gratiæ, & Redemptionis, exprobant.

Joh. Muſæus non ſuſtinet aſſerere, viris Theopneuſtis verba æquè, ac res, fuiſſe inſpirata.

Verſiones Bibliorum, Germanica Lutheri gloſſis Vinarienſibus illuſtrata, & Amſtelodamenſis Belgica, in publicum prodeunt.

Duræus, capita ſua de Concordia inter Lutheranos & & Calvinianos incunda edit.

Calvininiſmum autem Irreconciliabilem, Hülſemannus emittit.

Viginti Epiſtolæ Antonii Magni, Monachorum Parentis.

Johannis Baptiſtæ Galli libellus, in Thuanum injurius.

IN fœderato Belgio, *Synodus Hornana* an. 1641. habita, inter *errores*, quorum tunc *Bremenſes* inſimulabantur, enotavit §. 6. & 8. *Univerſalem Gratiam, & Redemptionem univerſalem.* Similiter *Synodus Roterodamenſis* ejusdem anni, hæc duo capita nonnullis aliis, tùm nigro lapillo notatis in *Bremenſibus*, annumeravit, ac in literis ſcriptis ad Doctores, Profeſſores, Paſtores Scholæ & Eccleſiæ Bremenſis, *putidas* pronunciavit *opiniones*, quas ibi quidam foverent, de univerſali gratia, de electione ex prævisa fide, de actuali mortis Chriſti ſufficientia pro omnibus hominibus (etiam pro mille Mundis) de

pec-

peccato vincibili per gratiam communem, &c. Solid. demonſtr. contra Syncret. Rintel. Facult. Theol. Wittenb. Calvin. err. eſſe fundam. pag. 417. ſeq.

Jenæ verò, in Diſputatione Theologica ſub *D. Johannis Muſæi* Præſidio, Apologeticis Obſervationibus M. Jacobi Groſſii oppoſita, clarè aſſertum fuit: quod hypotheſis nondum conceſſa, nec ſatis probata ſit, *Spiritum S. Apoſtolis non ſolùm res, ſed ipſa etiam verba inſpiraſſe*; ac eadem de Paulo, Eſaia & Jeremia tum dicta; ægrè id ferentibus aliis purioris Theologiæ Doctoribus. Inſtar omnium ſit nobis *W. Lyſerus*, in dictatis ad Summarium ſuum Theologicum, ita mentem ſuam declarans: „ Sunt, qui aſſerunt, ſenſum quidem „ Divinum à Spiritu S. dictatum & Apoſtolis communicatum fuiſſe, „ ſed cum libertate aſſumendi verba, quæ genio ſuo viderentur com„ moda: At errant! Sic enim authentia verborum corrueret; ac tan„ dem reſolutio fieret non in Divinam, ſed in humanam fidem, ſi „ humana, & non Spiritus S. verba eſſent. Unde & dubitari ſemper „ poſſet, an modus loquendi ſatis accommodatus fuerit ad expri„ mendum Sp. S. ſenſum, cùm verba ſint humana. Requirimus er„ gò ſemper verba authentica, quæ nonniſi Spiritus S. producere „ poteſt, inque iis fundamentum ponimus. Videmus hodie vel „ unius puncti transpoſitionem magnas difficultates & errores pa„ rere; quæ oſtendunt, non poſſe verbis infallibilem fidem haberi, „ niſi ſint à Spiritu S. Adhibuit autem verba Autoribus & Audi„ toribus communia, ſed de quibus Deus ne jota vel punctum mu„ tari aut perire vult, &c. D. Calov. Syſt. A. 561. & Joh. Meiſner. in tract. de Majeſt. Script. S. pag. 20. 24.

Hoc anno in publicam lucem prodiit, verſio *Germanica Lutheri cum Commentariis Germanicis* Noribergæ edita, auſpiciis *Erneſti* Saxo-Gothanici Ducis, cujus præclari operis jam ſupra debitam fecimus mentionem, libro V. cap. XV. & XIX. Nec non Amſtelodami *Verſio Belgica*, incomparabili ſtudio, & viginti duorum annorum ſpatio, ut præfatio oſtendit, à Viris doctiſſimis confecta: Inter quas Bibliorum S. editiones, quantum ad *ſimplicem paraphraſin textûs*, Noricam; quantum ad *parallelîſmos* Ebraicos, Belgicam præſtare ſcripſit D. Johan. Hülſem. in Prælect. ad F. C. artic. 1. cap. §. 10. oper. poſthum. pag. 239.

Bremæ edita ſunt *Johannis Duræi*, Scoto-Britanni, *capita de Pace Religioſa & Concordia inter Eccleſias Evangelicas inſtituenda*. Sed quic-

quid etiam laboris inſumpſit pacis iſte Procurator, eum tamen eventus tandem multa docere potuiſſet, meliora. Illi ſe oppoſuerunt Hülſemannus in Calviniſmo irreconciliabili; Dannhauerus, in Salve Reformatorum; Haberkorn, in diſputatione de Syncretiſmo; & Micrælius, in Heterodoxia Calviniana. Ex continuat. Boxhorn. Chronol. 2. edit. 165.

Calviniſmus irreconciliabilis, Exercitii ſcholaſtici gratiâ propoſitus in Academia Wittenbergenſi, die 18 Maji, anno 1641. Præſide Johanne Hülſemanno Theol. D. & Profeſſ. publico. Reſpondente pro LICENTIA aſſumendi Doctoris Theologi decus, M. Petro Rhebindero. &c. Libellus in quo docetur, propter easdem cauſas Calviniſmum eſſe irreconciliabilem cum Lutheraniſmo, propter quas Joſephus Hallus, Exonienſis Epiſcopus, Papiſmum cenſuit eſſe irreconciliabilem &c. Ab *Hornbekio feralis liber* audit, quo eluſerit Hülſemannus tum ſuorum, tum Calvinianorum vota & labores pro facienda Eccleſiarum unione, non omninò absque fructu jam aliquo usque producta. Oppoſuit equidem *Duræus* Epiſtolicam Diſſertationem, qua Diſputationis Præſidem, & Reſpondentem, continuati Schiſmatis inter partes hactenus diſſidentes reos egit; ſed in ſequente anno reſpondit Hülſemannus, & biennio poſt, reſponſionem demum publico expoſuit, relicto in totum æquo eruditoque lectori judicio. Videatur ipſe Tractatus, & Hornbekii Summa Controverſiarum lib. 9. de Lutheranis, pag. 694.

Pariſiis lucem conſpexerunt *Antonii Magni*, Monachorum omnium uti titulus habet, parentis, *epiſtolæ viginti*, ex Arabico Latini juris factæ, & ab *Abrahamo Echellenſi* editæ, pro defendendo Monaſtico inſtituto. Et hîc miratio ſubit, contra Mornæum, atque Lutherum *peti ſuffragium ab ipſis Muhammedanis*. Ita enim Echellenſis: „ Ipſi Chriſtiani nominis hoſtes, nobis in hoc ſuffragantur. Nam „ Gelaleddinus Sajuti, Mahumetanus vir, in ſua Ægyptiaca hiſto- „ ria ex variis autoribus, quos ibi citat, ſequentia de Inſtituti Mo- „ naſtici exordio refert: Facultatem petiere qui crediderunt ex Ma- „ gis, à Moſe, ut redirent ad ſuos & ea, quæ habebant in Ægypto; „ & impertitus eſt eis Moſes facultatem, æquè deprecatus pro illis; „ quamobrem profeſſi ſunt Monaſticam vitam in ſummitatibus „ montium; & ſanè primi fuerunt, qui Monaſticam vitam profeſſi, „ Cœtus appellabantur. Remanſerant verò quidam eorum cum „ Moſe, donec fatis conceſſit, DEO jubente: Et interruptus eſt Mo- „ nacha-

„nachatus poſt illos, donec reſtauraverunt eum Chriſti Apoſtoli, ſu-„per quos pax? Imò ipſe (pergit Echellenſis) pſeudopropheta Ma-„hometes, inſtituti veneratione motus, conceptis verbis Monachos „ſuis commendavit, ac Monachorum, & Monaſteriorum bona à „tributorum gravamine exemit. Huc uſque A.E. Ita & à Mahumetanis Pſeudoprophetis, probationem non minimam ſuæ *religionis* quæri videmus ab ipſis Pontificiis Profeſſoribus, recenſente Georgio Fhelavio, in notis ad libellum Chriſtoph. Angeli, de ſtatu & ritibus Eccleſiæ Græcæ, pag. 184.

Jam olim *Thuanum*, celebrem hiſtoricum natione & officio Gallum, nigro Theta notare auſus erat *Johannes Baptiſta Gallus* JCtus, quaſi peſſimum Hugonotam, hæreſi à vertice uſque ad talos delibutum, peſſimæque fidei hiſtoricum, odio internecino in Religionem Romanenſium flagrantem. Sed contra ſycophantam, inclytum virum *Curia Pariſienſis* defendit peculiari ſcripto, quod annexum habetur in latina hiſtoriarum Thuani editione Aureliana an. 1620. ubi ſenatores autorem libri laudarunt, ut Catholicæ fidei tenaciſſimum, & Eccleſiæ Romanæ religioſiſſimum cultorem, &c. *Galli* autem *opuſculum*, famoſi libelli (multa pernicioſa continentis) nomine inſigniverunt, ipſum denique *Gallum* damnatæ Conſcientiæ perditiſſimum Nebulonem declarantes. Nihilominus tamen hoc anno *Lojolitæ*, mendaciſſimum iſtum *libellum* Ingolſtadii *denuò* typis excuſum, *vulgare* non erubuerunt. Joh. Müll. in Def. def. Luth. pag. 77. Dannhau, in Myſt. ſyncretiſ. 35. pl.

LIB. V. CAP. XXVII.

Summaria.

Poſtquam Bannierius Ratisponæ ſe oſtentaſſet, inque Miſniam recepiſſet, Halberſtadii occumbit.

Comitiorum decreta, paci promovendæ conducentia.

Wenceslai Euſebii Lobkowizii admiſſio in Senatum Principum.

Brema inter Liberas Imperii civitates recepta.

Caſtrum Hohentwiel à Sparrio fruſtranea obſidione tentatum.

Henricus Sedanenſis, Principatu ſuo exutus, cur?

Bellum Civile Gallicanum, cæſo Ludovico Borbonio finitum.

Ibrahimi, Turcarum Sultani, prima pacis & belli negotia.

Georgius, Dux Brunov. & Lunæb. fatis concedens; Crato item Hoenloicus:
Nec minus Schach Sefi, Perſarum Rex.

BAnnierius, poſt quam auctus eſſet Lunæburgicis & Haſſiacis ſubſidiis, ex agro Brunsvicenſi, ſub initium anni, per Miſniam, Voitlandiam, & Palatinatum ſuperiorem tranſiens, mox *ſub ipſis Ratisbonæ mœnibus* ſeſe oſtentavit, *Comitia* illic conſcripta, quod ſolùm labentis Imperii ſuſtentaculum ſubruendum ſupererat, *disjicere cupiens;* At magno Imperator animo & reſtitit ipſe intrepidus, & ſuo exemplo reliquos continuit, ne morientis quaſi Reipublicæ cura ultimò exitioſa fugâ deſereretur. Quod ſi enim Bannierius, Turbo ille Imperii, omiſſis in Franconiam & Sveviam populationibus, occaſionem benè obſervaſſet, certè cùm urbs primò hoſtium adventu præſidio careret, Imperatorem aulamque omnem, & Imperii Ordines aut profugos illinc cum dedecore exigere, aut immorari auſuros, nullis audito ſeculis exemplo, captivos detinere potuiſſet. Sed comperta Slangii clade, & adventu Ghelenii, Bannierius per Bohemiam ac Miſniam ſe recipiens, & *Halberſtadium* pergens, ibi menſe Majo *mortuus eſt.* Burgold. not. rer. Imp. A. 134.

Quod *Imperii Comitia* hoc tempore celebrata attinet, *pacis reducendæ* deſiderio in iis illaboratum magno ſtudio, *Edictum* promulgatum *de Amneſtia;* in receſſu deinde conſtitutum, ut cum Regnis Galliæ & Sveciæ ſeparatis Conventibus, Monaſterii & Oſnabrugæ in Weſtphalia, tractaretur; utque Pax religionis anno 1555. inita, ſanctè ſervaretur. Interim tamen quia ſpes pacis nondum apparebat, etiam *de continuando bello deliberatum.* Idem ibid. p. 135.

Tunc & *Wenceslaus Euſebius Lobkovvizius*, ab Imperatore Ferdinando III. Imperiique Ordinibus in Comitiis Ratisbonæ habitis impetravit, ut D*ynaſtia Neoſtadienſis* in Nortgavia, quam ab avo ſuo acquiſitam, jure hæreditario tenebat, in Principalem Comitatum ſub nomine *Sternſtein* erigeretur, juribus Principalibus ornaretur, Circuloque Bavarico adſcriberetur. Inde cùm de Summa etiam pecuniæ, quam in publicum Imperii ærarium conferret, cum ipſo pactum eſſet, ſequentibus in conventibus *ad ſeſſionem & ſuffragium in Principum ſenaculo admiſſus* eſt. Imhof. not. procer. 772.

Brema verò, Anſeatica urbs ad Viſurgim, *liberis Imperii civitatibus adſcripta*: Inter inſigniores Germaniæ urbes locum tenens; in inferiori Saxonia cùm Archiepiſcopatu, cujus ſedes olim ab Hamburgen-

burgenſibus huc translata dicitur. Calvino-Reformatam religionem ea, primo Evangelii præcone Henrico Zutphanienſi uſa, ſequitur; Lutheranis tamen exercitio libero quoque conceſſo. Exper. & Hofm. Lex. A. 306. pl.

Sub hæc in Svevia *Sparrius* magnam animo ſpem de ſubigendo occupandoque Duellio, vulgo *Hohentwiel*, conceperat, caſtro illo muniriſſimo, in quo jam prius alii ſuas vires, at fruſtra, tentaverant. Itaque nova illud & coronali quaſi circumſidione obſidere cœpit, & exploſis in illud è vicinis locis tormentis plurimis, conjectisque globis ignivomis concutere, ac terrere conatus eſt. Verùm res ex voto ſententiaque non ſucceſſit, nec obſeſſis propter loci ſublimitatem ac diſtantiam multum detrimenti allatum eſt. Quin potius illi ſub imperio *Widerholdii*, ſtrenuiſſimi ducis ac defenſoris, viri ſagacis admodum ingenii, factis creberrimis eruptionibus, Cæſareanos magno robore aggreſſi, plurimùm infeſtarunt, multisque cladibus affecerunt. Conatus equidem fuit Sparrius, dictum Widerholdum literis ad ipſum datis, partim ampliſſimis pollicitationibus, partim graviſſimis comminationibus propoſitis, ad ſeſe pertrahere, eique ut caſtrum Cæſari dederet, perſvadere. Verùm is contra firmo defenſionis propoſito, illa omnia ſprevit, eluſitque, nec ſui juris aut arbitrii negotium eſſe, ſed ex æquo ad omnes fœderis ſocios pertinere, reſcripſit. Quapropter Sparrius, re deſperata, exercituque partim frigore ac tempeſtatum injuriis, partim quoque frequentiſſimis hoſtis irruptionibus valdè attrito, & quod Erlachium cum auxiliis jamjam appropinquantem metueret, obſidionem ſolvit; ac tanta quidem feſtinatione, ut plurima impedimenta bellica, tormentorum item, globorum, & pulveris pyrii maximam ibi copiam reliquerit; quæ Twielenſes poſt ejus diſceſſum in Arcem intulerunt, Didicit utique Sparrius, non eſſe idem, metalla ex montibus effodere, atque Caſtrum ſolidiſſimis ſaxis innixum, ſubruere. Ampliorem laudem forſan conſequuturus, ſi armis aliò converſis, temeritatis & audaciæ notam non ſubiiſſet, Epit. rer. German. p. m. 275. & ſeqq.

Tunc temporis *Henricus*, propter conſpirationem cum Hiſpanis, à Galliæ Rege Ludovico XIII. *Principatu Sedanenſi exutus eſt.* Attamen poſt novem annorum, & quod excurrit, ſpatium, duodecies centena millia librarum Turonenſium pro Principatu iſto, compenſationis loco accepit. Horn. in orb. polit. 284.

Gallia

Gallia interim *civili bello tentata*, & mox *cæſo* duce abſoluta eſt. *Ludovicus Borbonius*, Regii ſanguinis Princeps, manifeſtis in Johannem Armandum Richelium, qui omnia ferè ſolus in Aula adminiſtrabat, odiis diſceſſerat. Illum ſequuti ex primaria nobilitate, Guiſius, & Bullionius Duces, aliique; nec ſpernendas jam contraxerat copias, quibus Hiſpanicarum dux partium Lambojus, cum firma manu adjungebatur. Galli Caſtilionium novo hoſti objiciebant. Commiſſa apud Sedanum pugna, Caſtilionius fundebatur, amiſſis tribus ferè millibus. Gravem haud dubiæ cladem Gallia tùm accepiſſet, ſi victoriæ ſuæ Borbonius ſuperfuiſſet. Verùm *cæſo Duce*, Regi dein reliqui ſunt reconciliati, & Lambojus in Belgium revocatus. Turſellin. in app. hiſtoriar. 2. pag 74.

Ibrahim, hujus nominis primus, anno ætatis vigeſimo ſeptimo fratris Amurathis quarti ſucceſſor in Imperio Turcico, *pacis* tractationem cum *Perſis* continuavit; *Poloniæ* Regi contrà minitatus ſæviſſimum *bellum*, Tartaris etiam in Societatem adſcitis. D. Wagn. in ſtemin. Genealog. 358. pag.

Fatis conceſſit ea tempeſtate *Georgius*, *Dux Brunovicenſis & Lunæburgenſis*. Wolfenbutelię iisdem, quibus olim Pappenhemius obſtruendo fluvii alveo expugnavit, operibus recuperandæ per aliquot menſes fruſtra intentus; cujus ſi eadem, quæ Bannierii morientis, mens fuit, ſuique illam ſint ſequuti, plus Germania defuncto, quàm viventi debere non nemo ſcripſit; *Bannierius* enim *extrema* ſuos *Oratione* vehementer ad pacem cum R. J. componendam hortatus eſſe dicitur. Epit. R. G. pag. 262.

Tunc etiam denatus *Crato*, *Comes*, *Höenloicus*, Neolitani Dominus; quatuordecim liberorum pater factus, per Sophiam (Palatinam in Birkenfeld) Senior inter filios ejus, quorum ſex. fuit Johannes Fridericus, qui ſedem primò Neoſteinii, dein *Oringæ* fixit, Oppido ſatis commodo in confinio Franconiæ atque Ducatus Würtembergici; ubi per illa tempora præſentis Autor operis, rudimenta literarum ac liberalium diſciplinarum poſuit. Imhof. Not. procer. 1326.

Denique *Schachſefi*, Perſarum Rex, de quo ſupra cap. XV. Naturæ debitum ſolvit, Princeps vinolentus & furioſus, qui perpetuo in ſinu ſuo ſtrictum habuiſſe dicitur acinacem, quo ſuos proceres levi de cauſa obtruncarit. Turcas obſidione Bagdat primò feliciter depulit, illam tamen Urbem (perpetuum Eridos pomum inter Perſas

ſas Turcasque jactatum) deinde amiſit. Ei Schach Abas 2, filius tredecim annorum ſucceſſit. Horn. orb. Imp. 424.

LIB. V. CAP. XXVIII.

Summaria.

Numerus hominum, quos in Ducatu Würtenbergico, intra ſeptennium variæ calamitates abſtulerunt.

Fames Thuringiaca; & judicium Divinum in frugiperdas Bavaros.

Arma militum ignita; Portentum Holmianum.

Maria Stuarta, Wilhelmo Auriaco deſponſata.

Amor ſenecionis centenarii pertinax, & in deamatæ familiam extremè crudelis.

Levinzander, diaboli martyr.

HOc ſciat, ſi qua futura, poſteritas, quod J. V. Andreæ in ſua Oratione Inaugurali Tubingæ (Sept. 27. an. 1641.) habita, pag. 92. commemorat: „ *Ter centum & quadragies quinquies capitum mille*, „ patriæ noſtræ clades proximo afflictionis *ſeptennio*, nempe à 1635. „ usque 1641. incluſivè, varia peſte abſumpſit *in ſolo Ducatu Würtembergico*; relictis circiter quinquagies octies mille &c. unde facilis „ eſt conjectura, toto belli civilis tempore totam Germaniam vicinasque provincias, quas idem implicuit malum, innumerabili ho- „ minum copia orbatas.

„ Nimis, heu! nimis pro vate, ille vates, qui talia effatus olim: „ *Dura quidem miſeris eſt Mors mortalibus omnis: at periiſſe fame, res una* „ *miſerrima longè eſt!* Id experta hiſce temporibus *Thuringia*, ubi ad „ promiſcua gramina depaſcenda incolæ fame compulſi ſunt, imò „ ad putidiſſima cadavera devoranda, multis inediâ extabeſcenti- „ bus & exſpirantibus, aliis ad alias regiones, pro colligendis elee- „ moſynis, dum licebat per vires, demigrantibus. Zeiler. Epiſt. 2. 108. pag.

Miſerat *Bavariæ Dux* media propemodum æſtate, in Hercyniam ſylvam aliquot militum turmas, ut verſus Hohentwielam *fruges* circumcirca omnes *comburerent*; Sed quid fit? cùm in procinctu ſtarent milites mandata exequi, horrenda tempeſtas oritur, præcipitans cadit imber grandine implicatus, gradumq; ſiſtit miſſis frugiperdis, & à propoſito deterret; interim in Bavaria, tractu potiſſimum Ingolſtadienſi, per milliaria duo & viginti paſſim, proſtratis

perditiſque frugibus; quod pro ſingulari vindicis iræ DEI exemplo à multis, ipſo etiam Bavaro, habitum. Schwel. Chron. 471.

Initio Maji, quum ad portas *Zizaviæ* in Miſnia mille pedites, neſcio cui merentes, pernoctarent, accidit horam inter ſecundam ac tertiam, ut vicarii centurionis cujusdam *haſta*, quam terræ infixerat, ex improviſo cuſpide appareret planè *ignita*; rem admirantes reliqui officiales, mox talia vident ſua quoque arma; dein & milites gregarii evaginatos enſes quosvis ignitos cernunt, auribusque adhibitos, audiunt ſibila edere; demum tympaniſta cultrum extrahens, eundem conſpicit candenti ferro ſimilem; iis autem omnibus, quid inauditus iſte caſus portenderit, aliis conjectandum relinquimus. Zeil. Epiſt. tom. 2. 110. ſeq.

Sed *Stokholmiæ* in Suecia, viſa eſt Aula Reginæ tota luminibus perluſtris, ac ſuavibus harmoniis reſonare; quodque ſummum, audita tunc tria grandia tormenta, mortalium nemine manum aut ignem admovente, explodi. Calviſ. continuat. Chron. pag. 1018.

In Anglia, *Caroli primi*, Magnæ Britanniæ Regis, *primogenita MARIA*, licet adhuc immatura, *Wilhelmo Principi Auraico deſponſata fuit.* Hinc deinceps ejusdem Auraici filius ad Coronam Anglicanam ſuas deduxit prætenſiones. Calviſ. cit. loc. Turſell. hiſt. app. 74.

Ea tempeſtate *Janduy*, vel *Jandewy*, Tapuyenſium Rex in Braſilia, Mauritii Naſſovienſis antehac fœderatus, *centum vir annorum, deperibat virginem*, vicini cujusdam Principis filiam valdè formoſam, eamque petebat in Matrimonium; Poſtquam verò ſpes ea decollaſſet, in Principis necem tacitè juravit, eumque cum tota familia, paulò poſt ſub ſpecie optimi affectûs & amicitiæ, ad Convivium aliquod, & ſpectaculum honorarium invitavit; ſed comparentem peſſimè excepit, fraudulentiſſimèque cum omni comitatu & famulitio trucidavit, peramatam deinde filiam ſibi contoralem fecit. Eraſm. Franciſ. im Oſt- und Weſt-Indian. Luſt-G. p. m. 1680.

Cæſareus Magiſter equitum *Levinzander*, cujus infauſtis auſpiciis Brunſvicenſibus multum damni ſubinde illatum, an. 1641. demum à Lunæburgicis fuit captus; quùm arte autem dæmoniaca obduratam cutem haberet, proptereaque nec enſibus aut haſtis perfodi, nec ſclopetis exploſis trajici poſſet, bipennibus, uncis ferreis & ſecuribus feriendo, prope Hildeſiam neci datus eſt, factus *diaboli Martyr*. Burgold. Notit. Rer. Imp. A. pag. 97. 115.

LIB.

LIB. V. CAP. XXIX.

Summaria.

Joh. Val. Andreæ Idea Diſciplinæ Eccleſiaſticæ.
Puellæ duæ Tartaricæ Gottorpii baptizatæ.
Choreſius, Græcorum illius temporis doctiſſimus.
Cœlo recepti Johannes Himmelius.
Et Henricus Höpfnerus.

IDea Diſciplinæ Eccleſiaſticæ D. Johannis Valentini Andreæ, t. t. non tantùm publicata, ſed & paſſim autoritate Principis EBERHARDI apud Eccleſias Würtembergicas introduci cœpta; ejusque *capita* ſunt ſeqq. „ 1. Duo Presbyteri ſive Seniores Præfecto vel Prætori „ cujusque loci aſſiſtant, & unà cum ipſo attendant curentque, ut „ flagitia & ſcelera juxta ordinationem politicam puniantur; Et „ hoc eſt politicum. 2. Singulis Dominicis diebus poſt meridia„ nam concionem omnes ſelecti Presbyteri, unà cum cujusque loci „ Eccleſiæ Miniſtro, in loco idoneo, de quo inter ſe conveniant, „ congrediantur ad colloquendum de rebus ad plantandam & con„ ſervandam Chriſti Eccleſiam conſtitutu neceſſariis. 3. Miniſtri „ cujusvis loci per datam injuncti muneris fidem curent, ne iſti „ conventus abſque graviſſimis cauſis intermittantur. Selectos, ſi „ remiſſiores fuerint, Præfectus vel Prætor per eandem officii fidem „ ad hosce frequentandos adigat: Miniſtros negligentiores Super„ intendens excitet, adque continuandos iſtos congreſſus compel„ lat. 4. In ſingulis congreſſibus, Miniſter ab initio Orationem Do„ minicam precetur. 5. Eâ finita, quid ſecum meditatus ſit ad æ„ dificationem Eccleſiæ conducturum, ad deliberandum ac diſcu„ tiendum proponat, ſive id prædicationem Verbi Divini, Sacra„ mentorum diſpenſationem, Scholarum incrementum, pauperum „ ſuſtentationem, ægrotorum & captivorum viſitationem concer„ nat, ſive quod ſcandalum in Eccleſia quà doctrinam falſam, vel „ mores pravos, & flagitioſam vitam occurrat, quoque eidem mo„ do obviam iri oporteat, inquirat, ac ſuper his articulis ſingulorum „ judicia requirat & percipiat. 6. Dehinc Miniſter ſingulos Pres„ byteros cohortetur, ut, quid de articulis in medium allatis conſu„ lere ad ædificationem Eccleſiæ noverint, exponant, ſingulorum„ que vota & judicia ſecundum ordinem colligat, ſuum quoque ſu„ peraddat. 7. Cuncta ſententiis decreta Miniſter in librum, hunc

„ in finem comparatum & compactum, à juratisq; ſolvendum con-
„ ſcribat, ac ſequente congreſſu, quid definitum, & unicuique de-
„ mandatum fuerit, relegat, numque peractum & perfectum ſit?
„ requirat: Effectui tradita in margine Aſteriſco quodam ſeu ſigno,
„ e. g. litera V. notet, & executioni mandata eſſe ſubindicet; qui-
„ bus hoc ſignum V. non eſt appoſitum, tamdiu in conventibus
„ repetat relegendo, inculcetque, donec peracta & perfecta ſint,
„ atque tunc demum, non prius, illud ſignum V. annotet ac adjun-
„ gat. 8. Presbyteri in hoc potiſſimum intendant, ut doctrina pu-
„ rè prædicetur, Sacramenta ritè diſpenſentur, pauperes Chriſtianè
„ curentur, ægri cum captivis viſitentur, inceſtus nulli committan-
„ tur, cunctaque flagitia coherceantur, liberi & famulitia unà cum
„ adultis ad doctrinam Catecheticam adigantur & compellantur:
„ Ac ut parentes prima vice liberos ad S. Synaxin adducturi, com-
„ modo tempore Miniſtro Eccleſiæ illos ſiſtant, ad percipiendam
„ neceſſariam in Chriſtiana religione informationem, ac edendam
„ fidei Confeſſionem. 9. Si quis in Eccleſia ſit, qui prædicto mo-
„ do ſcandalum ipſi præbeat, ſive doctrinâ, ſive moribus, is ad Pres-
„ byteros & Miniſtrum Eccleſiæ accerſatur, & amicè humaniterque
„ ad emendationem commoneatur. 10. Qui comparere coram
„ Deputatis renuerit, ei Præfectus aut Prætor interpellatus, nomine
„ Sereniſſimi Domini Principis, ut citra tergiverſationem ſe ſiſtat,
„ demandet ac injungat. 11. Commonefactio è ſolo Dei verbo, &
„ quidem præmeditatè, fiat, inque caſu hoc Miniſter nil quidquam
„ agat autoritate privata, ſed omnia ex Collegarum conſilio, ope-
„ ramque det, ut ſemper ei, qui commonendus eſt, peccata ſua è
„ Verbo Dei declaret, exaggeret, eumque ad veram ac ſeriam pœ-
„ nitentiam, contritionem & correctionem adigat: Caveatque ſe-
„ dulò, ne vel ipſe vel collegæ aliquid ex livore, ira, odio, aliove pra-
„ vo affectu, ſed omnia ex amore proximi, & modeſtia, quæ Chri-
„ ſtianos decet, peragant, nihil præter lapſi erectionem & emenda-
„ tionem quærentes ac intendentes. 12. Quam ſi monendus ſpon-
„ deat, ac præſtet, benè eſt. 13. Si verò admonitionem ſpernens &
„ floccipendens, non exhibeat, & in flagitiis pergat, à Miniſtro &
„ Collegis ſimul, bis, ter, vel ſæpius etiam commonefiat; nihil ta-
„ men emendatus, à Sacramentis ſuſpendatur & arceatur, donec e-
„ mendationem pollicitus fuerit, ac præſtiterit. 14. Si toties com-
„ monefactus, adhuc pergat ſcandalo DEI Eccleſiam perturbare,
nul-

„ nullamque correctionem promittat verbis, vel factis præſtet, ſe-
„ lecti Presbyteri, & Paſtor ipſum tamen admonere, quamdiu poſ-
„ ſibile & conſultum fuerit viſum, non ceſſent, interim rem omnem
„ ad Superintendentes & Præfectos deferant, qui juxta Ducalem
„ ac receptam ordinationem, eum, quem par eſt, proceſſum, porrò
„ cum iſthoc refractario inſtituent. 15. Ex hisce Presbyteris ordi-
„ nentur duo pauperum Curatores, ſive ærarii Eccleſiaſtici & Elee-
„ moſynarum quæſtores, qui unà cum Miniſtris Eccleſiæ, deque
„ eorundem adjunctorum Collegarum conſilio, ſingulis dominicis
„ ac feriatis diebus ſacculo Eleemoſynam colligant, collectam, ut &
„ mulctatitiam pecuniam, ob hæc vel illa flagitia, juxta politicam
„ provinciæ Conſtitutionem, pendendam, ſtipem item reditusve
„ legatos & fundatos non pro favore, ſed magna circumſpectione,
„ & juſto habito conſilio, inter egenos cives, aliosque pauperes ac
„ peregrinos, quos indigere noverint, fideliter erogent ac diſtribu-
„ ant, Præfectisque expenſorum & reſiduorum rationem reddant,
„ de hisce juxta Ducalem Ordinationem porrò diſpoſituris. 16.
„ Denique, ut Miniſter & Presbyteri ipſi in pietate ac vitæ integri-
„ tate conſerventur, proxima, quæ publicam S. Euchariſtiæ admi-
„ niſtrationem præcedit, Dominicâ, cum Miniſter ac Presbyteri con-
„ gregati fuerint, primò Miniſter ſecedat, cæteri, quid in ipſius do-
„ ctrina & moribus reprehendendum ſit, deliberent, idque ut emen-
„ det, fraternè eum admoneant; poſtmodum ſinguli, alter poſt al-
„ terum, eodem ſecedant modo, quidque in ipſo Cenſurâ dignum
„ occurrat, unicuique à Collegis exponatur, adhortantibus unà, ut
„ errorem quamprimum emendet. Hucusque Idéa Diſciplinæ Ec-
cleſiaſticæ poſtliminiò tum revocandæ; vid. Rei Chriſtian. & Lite-
rariæ ſubſidia D. Joh. Val. Andr. pag. 574. ſeqq.

Gottorpii Holſatorum eo tempore *baptiſatæ*, poſt acceptam ſuf-
ficientem de Chriſtiana Religione informationem, *duæ puellæ Tar-
tarica*, Perocopenſis una tredecim, altera Nagajenſis, decem anno-
rum. Eas *Otto Brügmann*, Legatus Holſatiæ Ducis ad Perſarum Re-
gem, an. 1638. mediocri pretio emerat, & ſecum ad aulam ſui Prin-
cipis perduxerat; Idque inter optima Brügmanni facta relatum eſt.
Olear. in deſcript. Itin. Perſ. circa fin.

Conſtantinopoli tunc florebat, & quidem in Patriarcheio Græ-
corum, *Choreſius*, Chius literatiſſimus, ut Goar, in notis ad Eucho-
logium, eum vocat, Medicus celebris, ac præſtantiſſimus Theolo-

gus, Magnæque Conſtantinopoleos Eccleſiæ Doctor inclytus. *Poſtremus* hic videtur eſſe, qui de dogmatibus controverſis *contra Latinos ſcripſit*. Compoſuit enim tractatum adverſus Occidentales, qui unà cum aliorum Græcorum Orientalium, puta Palamæ, Gabrielis Philadelphienſis, Meletii Margunii, Nili, Scholarii &c. Scriptis Londini publicæ luci expoſitus eſt. Sicut etiam orationes ejus de Proceſſione Spiritûs S. pariter extant; ipſe inter multiplices Patriarcharum depoſitiones, atq; directiones, non parvum Patriarchiæ Conſtantinopolitani decus fuit & ornamentum. Henr. Hilar. in Chron. Cypr. pag. 485.

Interim ex Germanorum Confeſſionis Auguſtanæ Theologis ad ſuperos migrarunt *D. Johannes Himmelius*, primum Rector Gymnaſii Durlacenſis, inde Spirenſis, poſt in Academia Jenenſi Profeſſor, qui variis operibus Eccleſiæ laudabiliter inſervit, ut Analyſi in librum Concordiæ, Calvino-Papiſmo, Calvinianiſmo item, & Papiſmo, Photinianiſmo, Jeſuita phariſaizante, Tractatu de Natura veræ ac religioſæ Invocationis, Memoriali Biblico, AntiCoppenſteinio, AntiMajero, AntiAlſtedio, Becano enervato, Collegio Irenico, Poſtilla demum Academica. Stratem. Theatr. hiſt. 1139. Micræl. H. E. part. 3. pag. 501.

Et *Henricus Höpfnerus*, Lipſienſis Theologus, de Academia & Eccleſia Chriſti meritiſſimus, è Saxonia Evangelica; & exquiſitis de variis fidei articulis, inprimis de Juſtificatione, diſputationibus; Iſagoge de Cœna ſacra, aliiſque celebris. Fuit etiam *Johannes Höpfnerus*, D. Theol. ac Superintendens Lipſienſis, qui & ipſe in vinea Domini ſtrenuè operatus eſt, cujus decas de AntiChriſto proſtat; ſed quo anno hic vivis exceſſerit, nos ignorare fatemur. Vid. progr. funeral. Hülſem. ad init. & Micræl. H. E. lib. 3. 503.

LIB. V. CAP. XXX

Summaria.

Urbani VIII. Bullæ, Janſenii Auguſtinum damnanti, ſubmittere ſe Belgæ detrectant, ſed caſſo conatu.
Bellum inter Ducem Parmenſem & Pontificem Romanum.
Novi Portugalliæ Regis Legatus, ut Regius à Pontifice exceptus, non ſine offenſione Hiſpani.
Gratitudo Reginæ Francicæ erga Mariam Lauretanam.
Reſiduorum in Japonia Chriſtianorum fata diverſa.

Impe-

Japonenſium in Chriſtianos implacabile odium, epiſtolâ Conſulis Nangaſaquenſis comprobatum.
Ejusdem cauſa inveſtigata.

DE *Bulla Urbani VIII. adverſus Cornelii Janſenii Auguſtinum*, ſupra dictum libri hujus 5. c. 23. Huic diplomati Pontificis, quùm ſe non ſubmiſiſſent *Belgæ*, nec publicationem admiſiſſent, priusquam Regis Catholici per ſuos Miniſtros autoritas & conſenſus acceſſiſſet, ſeverior cenſura prodiit hoc anno; dein etiam *Brevia* ad Franciſcum de Mello Belgii Gubernatorem; ad Archiepiſcopos, & ad Academias Hiſpanico-Belgicas, Lovanienſem nempe & Duacenſem: licet verò quidam Theologi tum Lovanienſes, tum Duacenſes, Conſtitutioni Papali ſe ſubmiſerint; alii tamen plurimi eam non receperunt, ſed cum Conciliis Regiis, Sanctiori & Brabantii, nec non præfato Gubernatore, totum hoc negotium Bullarum in ſuſpenſo habendum eſſe ſtatuerunt, donec Papa melius informatus juridicè cognoviſſet, partibus utrisque auditis; Et propterea Legatos miſerè Romam, ad inquirendum de veritate diplomatis, ut ſi verum deprehenderent, Papæ cauſam ſub- & obreptionis exponerent. Quicquid autem egerunt, fuit fruſtraneum; licet enim Urbanus erga Deputatos declararit, non aliud ſeſe mandaſſe, quàm ut denuò confirmaretur Bulla Pii quinti, à Gregorio decimo tertio repetita; nihil tamen immutatum eſt in Cenſura ſecunda, utut illius publicationi formaliter interceſſerit Archiepiſcopus Mechlinienſis, Belgii Primas; Verùm favore Barberinorum factum eſt, ut per Abbatem S. Anaſtaſiæ Sedis Romanæ Nuncium in Belgio, decretum fuerit inſinuatum provinciæ incolis. Oſiand. in Specim. Janſeniſ. pag. 11. quocum conferatur Dorſch. in tract. de Gratia contra Ferr. pag. 26. pl.

Inter *Pontificem Romanum*, interque *Ducem Parmenſem Edoardum Farneſium*, ſimultates non leves, quæ dudum gliſcere cœperunt, ea tempeſtate invaluerunt, ita ut Farneſius, à Papa excommunicatus pariter & armis laceſſitus, arma non ſegniter opponeret. Ejus mali bellique cauſa & initium ſic ſe habent: Juſſerat Pontifex, ut Parmenſis Ducatum Caſtri, (quem fiduciario jure à Romana ſede dicitur obtinere) liberaret ære alieno, quo illum obligaverat. Id quia Parmenſis neglexit, ſaltem tempore determinato pecuniam ſolvere, igitur Papa Caſtrum occupari, atque cæteras Ducis poſſeſſiones, quæ Romæ in S. P. poteſtate erant, æſtimari, exque iis debitum ex-

ſolvi

ſolvi juſſit; quam injuriam, ut quidem Parmenſis cenſebat, armis ulciſci ſtatuit. Itaque infeſto exercitu (conſpirantibus & aliis quibusdam Italiæ Principibus) ditiones Pontificis ingreſſus, apertum ei *bellum* intulit; quod multis ultrò citròque datis & acceptis cladibus usque ad mortem ferè Pontificis geſtum, donec Parmenſi Ducatus Caſtri, ablataque alia redderentur. Turſell. append. 2. hiſtor. pag. 81. Zeiler. Epiſt. tom. 2. 854.

Sub idem tempus *Roma muniebatur*, quod & Hiſpanorum arma timerentur. *Johannes Dux Bregantinus, à Luſitanis* (deſerto Hiſpanienſi Sceptro) in *Regem* electus, & coronatus erat; qui propterea ſtatim *Legatos* omniverſum, ad Reges, Status, & Principes dimiſit, gratiam aucupaturos. Cumque *Pontifex* etiam Legatum Bregantinum, ad ſe venientem cum honorifica ſubmiſſione, ut Regium agnoviſſet & excepiſſet, id Hiſpaniæ Regem graviter offendit. Calviſ. continuat. Chron. pag. 1018. 1019.

Galliæ Regina, voti rea, ob Delphinum ſanitati ex morbo reſtitutum, fertur ad *Mariam Lauretanam*, venerationis & gratitudinis ergò, miſiſſe Angelum mille ducentarum librarum Argenti; cujus in brachio teneatur puer JESUS, ducentarum & quinquaginta librarum Auri. Calviſ. Chronol. 1019.

Chriſtiani adhuc *in caſulis leproſorum Japonenſium* latitantes, inde paſſim extracti, mandato Regis ad inſulas Philippinas deportati ſunt, Gubernatori Hiſpanico donationis loco miſſi. *Antonius Rubinus* autem, ſubalpinus Jeſuita, & ſocii quatuor, in foſſis enecati, poſtquam per ſpatium aliquot menſium, ſingulis propè diebus, aquarum ingurgitatione excruciati eſſent. Eraſ. Franc. in der Schaubühn. part. I. Act. Eruditor. Lipſ. de an. 1690. Maj menſ.

Quàm inexpiabili odio Japones erga Chriſtianos flagrent, probat *Epiſtola* illa, quæ à *Japonio Conſule* civitatis *Nangaſacque*, nomine *Jebia Siragemon domes*, ad Prætorem Belgicum in India ſcripta, anno 1642. die 18. Octobris (apud quosdam autores ponitur 1542. Sed tum temporis Hollandorum commercia in Japoniæ Regno nondum exercita, nec Belgica Societas in India conſtituta erat) & cum deſcriptione *Caronii* publicata. In illa enim inter alia hæc leguntur: „ Japonicæ leges juſtæ ſunt, ſed rigidiores aliquantum & ſeveræ, præ„ primis quæ ad Chriſtianiſmum directæ ſunt. Verùm cum Hol„ landi multis jam annis, quibus apud Japonenſes commercia ex„ ercuerunt, nunquam de propaganda religione Chriſtiana quid-

„ quam

„ quam attentaverint, nec de ea ſolliciti fuerint, ſed quieti ſtudue-
„ rint; Magiſtratus illud probè cognitum habens, conceſſit illis li-
„ berum ad Nangaſequem negotiandi ergò aditum, qui locus non
„ alicujus Dynaſtæ, ſed ipſius Cæſaris eſt, ubi omnibus peregrinis
„ nationibus mercaturam facere licitum; Si vobis idem liber, omnia
„ benè ſe habent. Subditis autem veſtris in Japoniam mittendis,
„ & iis, qui hîc remanebunt, mandabitis, ut ſibi diligenter caveant
„ ab exercitio cultuque religionis externo, ſed ut Chriſtianiſmum
„ celent ac tegant: Et poſtquam Japonenſes leges rectè cognove-
„ ritis atque obſervaveritis, omnia vobis concedentur, quæ petetis,
„ imò offerentur ultrò. Si verò in literis veſtris ad Magiſtratum no-
„ ſtrum ſcriptis denuò quicquam de Chriſtianiſmo petieritis, malè
„ vobis ſuccedet; quemadmodum etiam quamdiu apud Hollandos
„ aliquid, quod Chriſtianiſmum redoleat, peragetur, nihil impetra-
„ bunt, quicquid etiam petierint. Sique compertum foret, quod
„ ad Chriſtianiſmum conniveremus, nos, Syroye Modonne, inter-
„ pretes, ac omnes in Inſula hacce commorantes (Kiſma, eſt parva
„ Inſula in Nangaſaque, in qua ædes Conſulis fuere) ipſaque Inſula,
„ funditùs deleremur, &c. Hæc è Conſulis Japonenſis epiſtolâ de-
ſumpta, apertè & clarè oſtendunt id, quod à Belgis multoties nar-
ratum, ut deteſtabilem & impiam Magiſtratus diligentiam in ar-
cenda religione Chriſtiana, nec non execrandum erga eandem o-
dium colligere poſſimus; quippe cui non ſatis videbatur crudeliſſi-
mis in innocentes Chriſtianos ſæviiſſe tormentis, niſi etiam ingenti
cum rei Chriſtianæ opprobrio, externis populis, qui in eam fidem
baptiſati, & educati ſunt, ejus exercitio interdixiſſent, adeoque hy-
pocritas effeciſſent. Bernhard. Varen. in deſcript. relig. Japon. regn.
pag. 208. & Chriſtian. Hofman. in conſ. ac diſſenſ. relig. prof. cum
Chriſt. lit. I 2.

Quid autem *ſummè horrendis perſecutionibus iſtis Chriſtianorum in Japonia occaſionem dederit, & implacabilis cauſam odii?* non immeritò quærat aliquis. At nihil de eo auſimus certò affirmare, cùm Pontificii ejus nil, quod ſciamus, ediderint in publicum, Belgæ perparum. *Hagenerus* in Notis ad Caronium ita loquitur: „ Romanæ Eccleſiæ
„ Ceremoniis valdè capiebantur Japonii, unde factum, ut felici
„ ſucceſſu Pontificii religionem ſuam in eandem intulerint, latèque
„ propagarint; quin etiam ſplendida & magnifica templa in Nan-
„ geſaque ſuſcitarint. Sed Hiſpanorum arrogantia & ambitioſa ſu-

„ perbia effecerunt, ut Japonii Magnates eos odiſſe cœperint; Cum„ que iidem Caſtiliani vim adhibere conarentur, naves illorum ex„ pugnatæ ſunt, ipſique ferro & flamma interempti, non ſine mul„ torum Japoniorum cæde. Sic Hagenerus. Alius Belga, nomine *Leonardus Campen*, in eo ſcripto, quo emolumentum Japonicæ negotiationis deſignat, & commendat, quodque deſcriptioni Caronianæ adjunctum eſt, hæc de illa cauſa commemorat: „ Hiſpani, „ inquit, non contenti lucro ex commerciis Japonicis hauſto, to„ tum inſuper Regnum ſua religione ita implere allaborarunt, ut „ hujus beneficio ipſam Regni Majeſtatem ac Dominium ſibi ven„ dicarent. Verùm cùm illud jam ſe conſecutos arbitrarentur, ne„ que illis deeſſet aliquid amplius, quàm dux & caput, aliter DEO „ viſum fuit, & impediti ſunt per Hollandica inſtrumenta. Sic Belga loquitur, nec tamen explicat, quænam illa inſtrumenta fuerint? *Varenius* autem putat, iisdem ſignificari, quod Belgæ Hiſpanorum conatus ad magnum Regem Japonicum detulerint, huncque de illorum tyrannide, in patriam ſuam, edocuerint, & quid iidem in aliis regionibus machinati ſint, declaraverint, ut nimirum Hiſpanis expulſis, ipſi commercia Japonica ſibi ſolis acquirerent, cùm eo tempore inter Belgas & Hiſpanos odia capitalia eſſent. Ex his jam colligere datur, *præcipuam dictarum perſecutionum cauſam* fuiſſe inſatiabilem Hiſpanorum cupiditatem Imperii in omnes propemodum Occidentis & Orientis Provincias, Inſulasve acquirendi: ut, qui quum acceſſione Luſitaniæ, & cum ea plurimis Indiæ locis, adjacentibusque Inſulis ac Urbibus potentiores facti eſſent, Japoniam quoque ſuo ſubjicere ſceptro cupierant. Hoc tamen ſuper dubiam Belgarum fidem fundatum, pro explorato ſeu certo non proponimus. Aliæ cauſæ dubio procul acceſſerunt, nempe Anglorum, aliorumque Hiſpanis minus faventium obtrectationes, & ſtudia, qui Regis & Magnatum Japoniæ animos, ab eis alienarunt, ſibi autem devincire laborarunt; *Bonziorum* item, infenſiſſimorum Chriſtiani nominis hoſtium delationes & calumniæ, quibus apud Regem ſuum Hiſpanos gravabant. Lojolitarum denique & Sacerdotum Romanenſium conciones ac literæ, quibus ad ſeditionem rebellionemque ſuos auditores, contra ſuperiores Japonios, minus ipſis faventes, incitare videbantur, &c. Vid. Heidegger in Hiſt. Pap. pag. 375. Varen. cit. lib. 211. ſeqq.

LIB.

LIB. V. CAP. XXXI.

Summaria.

Synodi Gorichemenſis actio cum Bremenſibus.
Edicta Anglicana in Clerum Anglicanum, & ſacrificulos Pontificios.
Simultates Regem inter & Parlamentum invaleſcentes, Epiſcoporumque artes extremæ.
Quàm fidi, ſcilicet, ſub iſtis turbis Regi ſuo Ordines Magnæ Britanniæ omnes?
Obitus Thomæ Godwini, & Guilielmi Bedelli.
De numero Beſtiæ Apocalypticæ, à Bedello hoc eruto.

BElgicis Calvinianis nondum convenit cum *Bremenſibus*, de quibus in præcedd. facta mentio. Hinc *ſynodales Gorichemenſes* hoc ipſo anno, Roterdamenſium, de quibus cap XXVI. inſiſtentes veſtigiis, novas formare quereles, novasque literas ſcripſere ad Scholam & Eccleſiam Bremenſem, quas etiam prius aliò miſſas & communicatas fuiſſe cum ſupremo Hollandiæ Magiſtratu, aliunde conſtat. Iſtarum verò literarum inter cætera hæc fuere verba: „ Sunt „ alia, in quibus non ſolum loquendi modo, ſed & ipſa mentis ſen„ tentiâ, ab Eccleſia (Calviniano-)reformata diſcedere videmini, ac „ Novatoribus noſtris (id eſt, Remonſtrantibus) accedere, quale præ„ ſertim illud, quod videmini credere ac docere: per mortem Chri„ ſti univerſalem aliquam humani arbitrii inſtaurationem effectam „ eſſe, qua ij quoque habeant aliquam facultatem ſeipſos conver„ tendi, qui vi gratuitæ Electionis per Spiritum S. regeniti non ſunt „ (NB. ſed ex Ludovici Crocii, & Matthiæ Martinii doctrina hoc non „ videtur ſequi. ſed iis præter meritum imputari) quam ſententiam, „ pergunt Gorchemenſes, ſi cum Specialis electionis doctrina con„ jungatur, tam levem putatis, ut ad minimum toleratione digna „ ſit; Ac iſtud potiſſimum conquerimini, quod hanc unam ob cau„ ſam tam acerbè à quibusdam Collegis veſtris traducamini. Non „ conſtat nobis de modo agendi, quem veſtri fratres in ſententiæ hu„ jus refutatione ſectantur; ſententiam ipſam pro Orthodoxa non „ habemus, neque ſuis periculis carere credimus; ſed potius effica„ ciam Gratiæ ſpecialis convellere, Divinorum Decretorum firmi„ tatem labefactare, nec non multas ſiniſtras Scripturæ interpreta„ tiones ſecum trahere. Facult. Wittenb. in ſolida deductione Calvin. error. eſſe fundam. cont. Syncret. Rintel. pag. 418.

Turbatum porrò *in Anglia*, remotis à ſuffragiis dicendis; rebusque Status tractandis, per *Edictum* promulgatum, & ab ipſo Rege confirmatum, qui ſacris initiati eſſent: Jubebantur eodem intra viginti dierum ſpatium, Inſulâ excedere omnes Romano-Catholici ſacerdotes, conſtituto in transgreſſores capitis ſupplicio. Id quod Pontifici R. ita bilem movit, ut de ferendo Hibernis auxilio, deque vindicandis judicii Regii quas ipſe vocabat, injuriis cogitationes ſuſceperit; in cujus rei ſuſpicionem Hiſpaniæ Rex quoque tractus fuit. Epit. R G. pag 250.

Sub hæc inter *Carolum I. Regem*, & *Parlamentum* variæ ſuſpiciones oriebantur; hinc diffidentia, abalienatio! Nam *Epiſcopi* & pravi conſiliarii, videntes actum de ſua dominatione, ac rationem ipſis reddendam adminiſtratæ Reipublicæ, vel capitis periculo; etiam Regem involvere conabantur pari periculo, ut, ſi aliter fieri non poſſet, ſaltem cum ipſo præclarè occumberent. Feruntur tamen *Proceres*, *Barones*, *Equites*, *Generoſi*, *Cives Burgenſes*, *Verbi Miniſtri*, & cujuscunque Ordinis trium regnorum, Angliæ, Scotiæ, Hyberniæque plebes, jam tum juris jurandi religione ſemet obſtrinxiſſe: „Regiæ Majeſtatis perſonam atque autoritatem ſe conſervare ac de„fendere velle ut atteſtetur univerſus Orbis Conſcientiis ſuis de ſua in Regem fidelitate, debitamque Regiæ Majeſtati poteſtatem & amplitudinem imminuendi nullum ſibi animum aut intentionem ſubeſſe &c. Addentes: In hoc fœdus coram DEO opt. Max. omnium cordium ſcrutatore juramus, cum vera intentione id ipſum adimplendi, ut in magno illo die, cùm omnium cordium arcana pa efient, rationem reddituri. D. Joh. Meiſner in Vindicatione art. V. Aug. Confeſſ. pag. 7. 8. ſed quomodo ſui Regis Majeſtatem & incolumitatem cordi habuerint ac tuiti ſint, poſtea patefactum Orbi cum horrore, ut ſuo dicetur loco.

Fato autem ſuo conceſſit menſe Martio, notiſſimus in re literaria *Thomas Goduvinus*, Sommerſetenſis Anglus, Scholæ Abendonenſis in agro Bercherenſi moderator, dein Theologiæ Doctor & Profeſſor Oxonienſis, tandem Eccleſiæ Brigtwellenſis Rector. Scripſit libros *Antiquitatum Hebraicarum & Græcarum*, ſub titulo *Moſes & Aaron*, quibus abſolvuntur Civiles & Eccleſiaſtici ritus Antiquorum Hebræorum, tam quos illi nulli debent genti, quàm quos iidem ab Ethnicis, & hi ab Hebræis per Cacozeliam adſciverant. Neque negandum eſt, opus illud facili methodo ſuccinctaque

brevitate juventuti Antiquitatum ſacrarum ſtudioſæ, gratiſſimum eſſe debere; præſertim ex quo Johannes Henricus Reizius, V. D. M. ſingulis ferè paginis ſubjecit notas haud pœnitendas, ac è Philologis, Godwino recentioribus, Coccejo cumprimis, Ligfoto, Altingio, Burmanno, Wagenſailio, aliisque excerptas, &c. Ex Act. Eruditorum Lipſienſibus de An. 1691. pag. 109.

Eadem tempeſtate mundanis valedixit *Wilhelmus Bedellus* Th. D. & Epiſcopus Kilmorienſis in Hibernia. Primum & initio noſtri ſeculi Parochus Edmondsburienſis in Suffolcia; deinde præfectus Collegii Dublinenſis in Hibernia; tandem Epiſcopus Kilmoriæ factus, in qua ſtatione manſit ad an. 1641. ubi in horrenda illa & ſanguinolenta ſeditione, in Calvinianæ religionis aſſeclas à Pontificiis concitata, ipſe etiam à rebellibus ſede ſua ejectus, cumque aliis quam plurimis in captivitatem abductus fuit, ac in ea ſequenti anno ſub initium, piè deceſſit, poſtquam inſignia prius conſtantiæ, patientiæ & magnanimitatis Chriſtianæ in ſe exempla exhibuiſſet. Nec obſtitit barbara *ſeditioſorum Hibernorum* feritas, quo minus ob morum ſanctitatem & inculpatam vitam, virum egregium in pretio haberent; Unde etiam exequiis ejus frequentes adſtiterunt, exploſisque in ejus honorem, quas geſtabant bombardis, contumularunt ipſum, addita Latinè hac exclamatione: *Requieſcat in pace ultimus Anglorum!* Frequentes enim antea aſſeverarant, ipſum Anglorum, quos ſcilicet omnes ſuis limitibus, ejicere ſtatuerant, ultimum in Hibernia fore. Act. Erud. Lipſ. de an. 1686. pag. 240. p'.

Unicum adhuc, idque ſuperpondii ſaltem loco afferre liceat: Cùm *Bedellus* iſte aliquando Venetiis commoraretur, contigit, ut *Thomas Maria Caraffa*, è Societate Lojolitica, chiliadem theſium Theologico-Philoſophicarum Pontifici dedicaret, ampulloſa hac uſus inſcriptione: *PaVLo V, VICe-DEO Chriſtianæ reipubl. Monarchæ invictiſſimo, & Pontificiæ Omnipotentiæ Conſervatori acerrimo.* Bedellus ea offenſus, pro egregia, qua pollebat animi præſentia, mox è primis dictæ Inſcriptionis verbis, ope literarum numeralium, eruit *numerum Beſtiæ Apocalypticæ*, nempe *DCLXVI*. Id cùm amico Sarpio communicaſſet, atque hic tanquam rem omine non carentem, ad Ducem ac Senatum pertuliſſet, tantum, prout facies iſtorum temporum erat, applauſum meruit, ut non ſolùm ubivis per territorium Venetum ſuggeſta paſſim id perſonarent, ſed & idem rumor Italiam reliquam, aliaque loca latè pervagaretur; ad quem publicum rumo-

Nnn nnn 3 rem

rem reprimendum, Pontifex dicitur ubique per ſuos Emiſſarios divulgaſſe, Antichriſtum nuper Babylone in lucem eſſe editum è tribu Dan, ac jam in eo occupatum, ut vaſto exercitu collecto Chriſtianos debellaret; curandumq; adeò horum Principibus eſſe, ut copias adverſus tantam invaſionem paratas haberent: conſultum ita judicans, hac fabula famam ex intempeſtivi adulatoris nugis periculosè ſubnatam diſſipare, priusquam latius ſerpens, Romanæ ſedi graviora cieret incommoda. Act. Erud. ibid. 144. pag.

LIB. V. CAP. XXXII.

Summaria.

Sectæ Quæſtioniſtarum, Quærentium & Expectantium, ortus in Anglia.

Eorum de Apoſtolo Johanne opinio.

Symboli Apoſtolici velum, à Schlichtingio doctrinæ Socinianæ fruſtra obductum.

Fabula de recens nato Antichriſto.

Mors Johannis Crellii, cum Paulo Crellio minimè permutandi.

CIrca tempus iſthoc in Anglia *Quæſtioniſtarum* ſecta prodiit, omnia religionis capita in dubium vocans, nihilque certi ſtatuens, niſi Conſcientiarum & Prophetiæ libertatem. Sunt, qui hos in duo genera diſpeſcunt, & alios ſtatuunt *Quærentes*, alios *Exſpectantes*. Summa diſcriminis in eo conſtituitur, quod illi credant Eccleſiam alicubi eſſe, ſed latere, ideoque inquirendum, unde & Quærentes dicti: Alteri autem planè ejus præſentem exiſtentiam negent, ac in futurum exſpectent, miraculoſam nempe cœtûs Chriſtiani per Apoſtolos reſtitutionem: Sed utrique in eo conſentiant, nullam eſſe viſibilem Eccleſiam. Eſtque hoc præcipuum Erroris caput, Nullam eſſe Eccleſiam, nullum Miniſterium, nulla Sacramenta, nullam diſciplinam, propterea quia nullus ſit Apoſtolus. Itaque hi tamdiu quæſiverunt Eccleſiam, donec eam planè amitterent. Exſpectant Apoſtolum *Johannem*, quem adhuc vivere credunt, & brevi compariturum, ut Eccleſias reſtituat. Alii dicunt, eum jam in Suffolcia conſpectum. Juxta alios verò in Transſylvania adhuc hæret; ac eò deſtinarunt literas, quibus ipſum hortantur, & obteſtantur, ut citò veniat in Angliam. Ideò moris eſt apud eos, quando peregrinum aliquem vident, inquirendi, num is fortaſſe Apoſtolus *Johannes* ſit? Secta hæc videtur *Scepticorum* vel *Pyrrhoniorum* eſſe propago, de quibus

bus apud Aulum Gellium legitur: „ Quos Pyrrhonicos Philoſophos „ vocamus, hi græco cognomento Sceptici appellantur. Id fermè „ ſignificat quaſi Quæſitores & Conſideratores; Nihil enim decernunt, nihil conſtituunt, ſed in quærendo ſemper conſiderandoque ſunt. Quis primus *Autor* infamis hujus ſectæ, quæ parem ab Orbe condito vix habuit, nobis equidem non conſtat. Hornius putat, eam in Virginia ſeu nova Anglia, noſtro ſeculo renatam eſſe, & *Hutchinſoniam*, de qua ſupra, ſi non *Matrem*, ſaltem *Nutricem* habere ac alumnam. Inde in veterem Angliam traducta eſt, & quidam *Rogerus Guilielmus*, ex nova Anglia proſcriptus, eam Londini propagavit. D. Dannh. in Myſter. Syncretiſ. pag. 113. Hornb. Sum. Controv. 534.

Jonas Schlichtingius, Nobilis Polonus Natione, ignobili Anti-Trinitariorum Sectæ addictus, ſimplicioribus ut fucum faceret, non tàm fœdam eſſe impiamque ſui ſuorumque contribulium doctrinam, ac plurimi putare ſoleant, & iisdem imputare, Polonicarum Eccleſiarum, quæ Socinum ſequuntur, nomine, Confeſſionem Chriſtianæ (ut jactat) fidei exhibiturus *Symbolum Apoſtolicum* edidit, ſuis gloſſis inſtructum, quibus poſitis prono aſſenſu omnes fidei Chriſtianæ articulos ibi comprehenſos amplecti ſe & credere lubentiſſimè profeſſus eſt. „ Quaſi verò ſufficeret, formulam & confeſſionem „ aliquam, quolibet ſenſu ſumptam, accipere ac profiteri! Sanè, ſi „ liceret alicui doctrinæ & Confeſſioni ſubſcribere, ut liberum ſit aſ„ fingere ipſi ſenſum, quem lubet, ac ne reliquis confeſſionibus & „ ſcriptis, utut contrariis, quidquam derogetur, jam aliquis non „ tantùm diverſiſſimis ac adverſa fronte concurrentibus Luthera„ norum, Calviniſtarum, & Papiſtarum Confeſſionibus, atque Sym„ bolo Chriſtianitatis communi, ſed & impio ac blaſphemo Judæo„ rum Talmudi, Turcarumque Corano licitè ſubſcriberet; ut verba D. Johannis Meiſneri habent, in Vindicat. art. 5. Aug. Confeſſ. pag. 5. 6. confer Calov. Syſt. A. 838.

Denuò repetita tunc vulgi ore fabula *de recens nato Anti Chriſto*, quem formoſiſſima mulier, nomine Sameritta, ex incognito patre conceptum, *Oſſæ* in pago regni Babyloniæ pepererit; puerum plerubique nigrum, contracto collo, ſed oblongo capite, corrugata fronte, minantibus & aſpectu horrendis oculis, pendulis auribus, ore retorto, acutis dentibus, naſo adunco &c. qui octo poſt nativitatem

tatem diebus, rectè tum ambulare, tum loqui cœperit. Sed enarrare talia, eſt confutare. Vid. Zeil. Epiſt. tom. 2. pag. 17.

Interea viam ivit ſuam *Johannes Crellius*, Francus gente, fide Socinianus; Rector Gymnaſii Raccovienſis in Polonia; Socinianiſmi propugnator acerrimus, & impiæ gentis promachus; pluribus ſcriptis orbi gravis. Oſiand. Exercitat. III. de Nomin. DEI. theſ. V. & Exerc. IV. th. 3 Hofmann Lex. univ. part. I. pag. 497. Alius fuit *Paulus Crellius* Islebius, Profeſſor Wittenbergenſis, initio cum Crypto-Calvinianis equidem ſentiens, qui autem poſtmodum ad ſaniorem rediens mentem, utile Chriſti organum exhibuit, fortique tandem apoplexia, non à Dæmone interfectus, (ut ex Peucero Hoſpinianus recenſet) anno 1575. obiit, & opus Concordantiarum Biblicarum poſthumum poſteritati reliquit. Micræl. Syntag. H. E. part. 3. pag. 480.

LIB. V. CAP. XXXIII.

Summaria.

Synodus Conſtantinopolitana, ſub Parthenio, doctrinam Cyrilli Lucaris anathematizans.

Hornbecii in Patriarchas, Lucarin, Berrhoënſem, & Parthenium affectus.

Philippi Cyprii Chronicum Eccleſiæ Græcæ, ab Hilario illuſtratum.

Arca Noæ Andreana; & Vargaſii Relatio de ſtratagematis Lojolico-Politicis.

TUm temporis *Præſide Parthenio* hujus nominis primo, Eccleſiarcha Conſtantinopolitano, habita *Cleri Græcanici Synodus* menſe Majo, cujus Acta ſub finem anni typis excuſa fuere Jaſii Moldaviæ. Materia ferè tota & unica, de qua tractatum in frequenti ſplendidoque Sacrorum Antiſtitum conſeſſu, fuit: Examinanda *Cyrilli Lucaris Confeſſio*, quam ante aliquot annos publico Eccleſiarum Græcarum nomine vulgaverat; quæq; collectis in unum ſuffragiis, tanquam ab Orientalium Chriſtianorum fide ac profeſſione multis modis diſſona, publicè rejecta & anathemate percuſſa, cum ſubjectis Cyrillianæ Confeſſioni quæſtionibus ac reſponſionibus. Patet hoc ex ipſis Parthenii verbis, ita ſub initium fluentibus: „ Parthenius „ Miſericordia DEI Archiepiſcopus Conſtantinopoleos, novæ Ro- „ mæ, & Oecumenicus Patriarcha. Præſidente Synodicè Mediocri- „ tate noſtra, aſſidentibus Epiſcopis, & honoratiſſimis, dilectis in

Spi-

,, Spiritu S. fratribus & comminiſtris, nec non ſpectatiſſimis Cle-
,, ricis Magnæ Chriſti Eccleſiæ, quæ apud nos eſt; Producta ſunt
,, in medium Capitula quædam, inſcripta nomine deceſſoris noſtri,
,, Patriarchæ Senis, Domini Cyrilli, de quibus quæſitum, Eane o-
,, porteret, ut pia reputare & amplecti? An verò, ut ab Orientali no-
,, ſtra & Apoſtolica Chriſti Eccleſia longè aliena, rejicere? Quare
,, univerſa hæc ſacra Synodus, horum ſingulis diligenter examina-
,, tis, ac inveſtigata eorum, quæ ſcripta erant, ſententiâ, cenſuit,
,, hæc omnia (præter ſeptimum) Calvinicam hæreſin profiteri, & à
,, Catholica Orientalium Religione longiſſimè diſcrepare.

Enumeratis dein ac reprobatis Cyrilli poſitionibus, hæc ſe-
quuntur: ,, Præterea, prodierunt etiam Interrogationes, quas Ca-
,, pitulis adjunxit, & judicatæ illæ ſunt univerſæ huic Synodo, nihil
,, Capitulis meliores. Non ſolùm enim Scripturæ Interpretationes
,, à Patribus noſtris elaboratas, rejicit, ſed & libros ejus aliquot ab-
,, rogat, quos Sanctæ Oecumenicæque Synodi ut Canonicos rece-
,, perunt: Ad hæc omnia, venerabilium & ſanctarum Imaginum
,, relativum cultum reſpuit, quem Sancta Oecumenica Synodus ſe-
,, ptima confirmavit. Quapropter & hæc Capitula, & Interroga-
,, tiones, communi ſuffragio plenè (ait ſacra hæc Synodus) ſubver-
,, timus, & ab Aula noſtra repellimus, tanquam hæreſibus repleta,
,, & omninò ab orthodoxa religione noſtra aliena, eumque, qui iſta
,, conſcripſit, exſortem falsò nos criminari, dum ait: Privatam ſuam
,, fidem, eſſe Orientalem Chriſtianæ fidei Græcorum profeſſionem;
,, Cùm ſit Calvinica, non noſtra. Eos verò, qui Capitula iſthæc, ut
,, vera & pia ſcilicet legunt, ac pertinaciter retinent eaque ſive ver-
,, bis ſive ſcriptis defendunt, tanquam conſentientes, atque com-
,, municantes ejus hæreſibus, & Corruptores Eccleſiæ Chriſti, arce-
,, mus à Congregatione fidelium, & tanquam Ethnicos ac Publica-
,, nos haberi præcipimus, nullam habentes Communionem nobiſ-
,, cum, cujuscunque ſint conditionis, & ſunto anathemati æterno
,, obnoxii, ac ſegregati à Patre, & Filio, & Spiritu S. uno ſecundum
,, naturam ſolo DEO, atque in hoc, futuroque ſeculo & maledicti,
,, & expertes veniæ, & inſolubiles poſt mortem, & æternæ damna-
,, tionis participes. Neque enim unquam Eccleſia noſtra (NB.) ta-
,, libus dogmatibus deluſa eſt; ac utinam nunquam tantoperè in
,, in poſterum præcipitetur, gratiâ regentis ipſam & gubernantis
,, Spiritûs. In Confirmationem verò ac autoritatem præſentis actio-

„ nis, mandata ſunt præſentia ſacro Codici Magnæ Chriſti Eccle-„ ſiæ, quæ apud nos eſt, ſubſcripta propriis manibus ſanctiſſimorum „ Epiſcoporum, & ſpectatiſſimorum Clericorum; Anno ſalutis mil-„ leſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſecundo, menſe Majo, in di-„ ctione decima, &c. Henric. Hilar. in Chron. Cyprii, pag. 471.-476. pl.

Tota *Cyrilli Lucaris Confeſſio* à Græcorum Synodo damnata, extat in Syntagmate Confeſſionum Genevæ anno 1654 publicato, poſt Baſileenſ. ac Dordracen. Eandem quoque, cum brevibus annotatiunculis marginalibus, exhibet Hieronymus Kromajerus in hiſtoriæ Eccl. Cent. V. pag. 191. ſeqq. additis deinde cenſuris Græcorum Synodalibus, tàm ſub Cyrillo Berrhoënſi, quàm Parthenio factis, pag. 98. ſeq. *Johannes Hornbekius*, Calviniſta Batavus, *famoſas & latrocinales* vocat contra *Cyrillum Lucarin*, tùm *Berrhoënſis*, tùm *Parthenii* Synodos; qui ipſi Pſeudo-Patriarchæ ſcelerum quoque pœnas, ſedibus ſuis ejecti, poſtea dederint; præſertim verò Parthenius ab ipſo audit homo levis, ingratus, crudelis, improbus; jurene an injuria? rerum gnari lectores judicent. Interim fruſtra gloriari Calvinianos de Græcorum cum ipſis in doctrina conſenſu, ex allatis nemo non intelligit; Idq; ex profeſſo demonſtravit egregiè *D. Joh. Olearius*, Lipſienſis Theologus, in Oratione ſua Inaugurali, cùm Profeſſionis Theologicæ munus inchoaret publicè. Conf. Hornb. Sum. Controv. pag. 985. ſeq. dedicat. Georg. Fhelavii, in libellum Chriſtoph. Angeli de Statu & Ritu Græcæ Eccleſiæ, circa medium.

Nec ſubticendum heic, *Philippum Cyprium*, qui Synodo à Parthenio inſtitutæ, ſubſcripſit ut *Protonotarius Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopoleos*, illum fuiſſe, qui Chronicon Eccleſiæ Græcæ edidit, multis poſt annis ab *Henrico Hilario*, Rectore Cellerfeldenſi, doctis commentationibus & notis illuſtratum. *Protonotarii* autem dictæ *Eccleſiæ Magnæ* (de cujus titulo plura inferius) *officium* eſt, nomine Patriarchæ Conſtantinopolitani, ad Eccleſiarchas reliquos, Metropolitas, Epiſcopos, familiares & Eccleſias, literas & mandata, aliaque ad Patriarchatum pertinentia, ſcribere. Quo præciſè anno Chronicum illud concinnaverit, & quamdiu poſt Synodum celebratum ſuperſtes in vita fuerit, de eo nil quidquam conſtat. Hilar. in Præf. ad lector. libel. lit. b 4.

Arca Noha ſive Domûs DEI in hoc Mundi Pelago fluctuantis Oeconomia, quæ præterito anno ſub prelo maduerat, hoc eodem publicam

blicam lucem aſpexit, accurante *D. Johanne Valentino Andreæ*, typis Philiberti Brunnii Tubingenſis. In parva mole, magni libellus pretii, de quo facilis eſt conjectura, ſi quis conſiderare velit ſaltem *ſumma Contentorum Capita*. *Primum*, Eccleſiæ Miniſtrorum vocationem expendit. *Secundum*, examen dirigit. *Tertium*, Inveſtituram diſponit. *Quartum*, immunitates ſancit. *Quintum*, cauſas Matrimoniales decidit, agens de perſonis contrahentibus, pœnisque libidinoſorum; de gradibus prohibitis; de deſertoribus, de pœna adulterii & vagarum libidinum. *Sextum*, inſtituit Scholas, tractans de Ordinatione particularium Scholarum; de pietate in Scholis exercenda; de Diſciplina Scholaſtica; de Statutis ac feriis Scholaſticis; de Electione, Examine & Officio Præceptoris atque Collaboratoris; de Officio Præceptorum in privatis repetitionibus; de Pauperibus Scholaſticis; de trivialium Scholarum Inſpectoribus; de Scholis clandeſtinis & Angularibus; de Examinibus Scholaſticis; de Stipendiariis; de lectionibus Stipendiariorum; de Magiſtro Domûs; de Stipendiariorum Examinibus; de Suſtentatione horundem; de Stipendii Superintendentibus. *Septimum*, Viſitationes Eccleſiarum proponit, ubi de Officio Superintendentis poſt Viſitationem; de Officio Generalium Superintendentûm; de Sumptibus Viſitationum; de Superiori Conſiſtorio; de Officio Conſiſtorialium; de Synodo; de Negotiis in Synodo tractandis. *Octavum*, generales articulos injungit, de Ordinatione, Doctrinâ, Catechiſmo, annuo Catechumenorum Examine, Baptiſmo, Confeſſione & Abſolutione privata, Communione, Ceremoniis Eccleſiaſticis, Excommunicatione Chriſtianâ, Litaniâ, Nuptiis, Viſitatione ægrotorum, Mortuis & Sepulturis, vitâ & moribus Eccleſiæ Miniſtrorum, officio Auditorum, Choreis, Conventibus nocturnis cum colo & penſo, de Salariis, reditibus ac decimis Miniſtrorum, cultura Prædiorum Parochialium, lignis cæduis Parochialibus, ædibus Parochorum conſervandis, de Hoſpitalibus, Ærario ſacro, Procuratoribus & Inſpectoribus bonorum Eccleſiaſticorum, Subſelliis Templorum, Æditui eorumque officio, uſu campanarum earumque pulſu, de diſceſſu Pupillorum & Viduarum à feudo Parochiali, Tabulis Redituum Parochialium libriſque in Eccleſia depoſitis, de Officio Patronorum & Collatorum, Politicorumque Miniſtrorum. Vid. Subſid. rei Chriſtian. & Literar. I. V. A. pag. 477. usque ad finem.

Hoc anno prodiit quoque *Alphonſi de Vargas, Toletani*, *Relatio*

ad Reges, & Principes Chriſtianos, de Stratagematis & Sophiſmatis Politicis Jeſuiticæ Societatis, ad Monarchiam Orbis terrarum ſibi conficiendam. In qua Lojolicæ gentis erga Reges ac populos, optimè de ipſa meritos, Infidelitas, ergaque ipſum Pontificem perfidia, contumelia, & in fidei rebus novandi libido, illuſtribus documentis comprobatur. Hotting. in hiſt. Eccleſ. part. V. pag. 498.

LIB. V. CAP. XXXIV.

Summaria.

Lambojus profligatus prope Kempenam.

Suecorum expeditiones in Germania; Gallorum in Catalonia.

Fortuna Gallis in Belgio Piccardiaque adverſa.

In Anglia, Regis & Parlamenti de cujusque partis juribus, armatæ diſceptationes.

Hulla, prima belli prorumpentis materia.

Novo Luſitaniæ Regi Tercera, Regnaque Mexici ac Peru, ſubjiciuntur.

Antonii Piemeni regio detecta.

Tractatio pacifica præliminaris, Hamburgi ſuſcepta.

Epiſcopus Curienſis, in priſtinum Jus Circuli reſtitutus.

Tranſactio Ratisponenſis Comitum Iſenburgicorum, cum Domo Darmſtattina.

Philippi Wilhelmi Neoburgici nuptiæ.

Deceſſus Wilhelmi, Ducis Lunæburgenſis; & Johannis Ernesti, Comitis Hanovici; nec non Armandi Richelii, Cardinalis.

HIc annus *Cæſareanis ubique propemodum infauſtus* extitit; initio enim ejus Vinarienſes & Haſſi, Gebriano, & Eberſteinio Ducibus, Lambojum in campo Antoniano, non procul Kempena, perruptis aggeribus priusquam aciem explicare poſſet, memorabili clade profligarunt. Fuit inſignis illa victoria, & vel hoc nomine pluris facienda, quod multa ſtatim oppida & caſtella regionis, victoribus ceſſere. Epit. R. G. 286.

In Saxonia per idem tempus, Halberſtadium inter & Aſcherslebiam, *Königsmarkius* aliquot Legiones Cæſareanas obtrivit, moxque depulſos ab arce Mansfeldia hoſtes, tota penè Saxonia exegit. Quem inſecutus haud multò poſt novus militiæ Suedicæ Dux *Leonardus Torſtenſohnius* (in locum Bannierii ſuffectus) poſtquam recenti è Suecia ſupplemento exercitum auxiſſet, movit in Sileſiam, & flexo inde in Moraviam curſu, victricia circumtulit arma: Isque porrò

porrò in Sileſia Luſatiaque facta proviſione, in Saxoniam regreſſus, propè Lipſiam, ArchiDucem Leopoldum & Piccolominéum gravi prælio fudit, eodem ferè loco, quo ante annos undecim Sueciæ Rex Guſtavus Adolphus, cum Tillio pugnans, cruentam ediderat ſtragem. Tſchimmern contin. Sleidan. de 4. Monarch. lib. 3. 438. Puffend. contin. Introd. pag. 840.

Eodem anno *Gallorum* quoque arma optatos *in Catalonia* ſucceſſus habuere, cæſis haud procul Barcinone Hiſpanicis copiis, & captis non tantùm *Colibrâ*, oppido benè munito commodoque in finibus regni, ſed etiam *Perpigniano*, valida ad amnem Thetim urbe, munitionibus Briſaco haud inferiore. Turſell. hiſtoriar. append. 2. 77. Epit. R. G. 294. 300.

At in *Belgio* longè alia fortuna *Gallos* excepit; Etenim *Franciſcus de Melo* ſimulata Arienſi obſidione, mutato repentè propoſito, *Baſſæam* contendit, eaque in poteſtatem redacta in *Piccardiam* porrò movens, Guiſium Ducem cum duodecim Gallorum millibus propè Caſteletum juſta acie profligavit, ac ea clade Catalaunicæ Gallorum victoriæ famam haud parum imminuit. Turſellin. ibid. Epit. R. G. 299.

In *Anglia* cùm aliquandiu acerrimè diſputatum eſſet, *quantum juris Rex, quantum etiam Parlamentum habeat?* editis eapropter ab utraque parte ſcriptis, prudentiæ politicæ & ſaluberrimorum Præceptorum plenis; res deinde à verbis ad verbera, à ſcriptis ad arma devenit, hac occaſione: Erat *Hulla*, Eboracenſis Ducatus oppidum, natura loci & præſidum ingenio munitiſſimum, & in quo aſſervabatur armamentarium totius Angliæ. Ad id intercipiendum, Carolus Stuartus I. inermi comitatu, quaſi obiter inviſurus, acceſſit. Sed Præfectus ejus *Hothamus*, præcluſis portis Regi, proſpiciens de vallo, reſpondit: Se non poſſe, niſi prius intellecta Parlamenti voluntate, Regem intromittere. Irritus ergò voti ſui Rex non ante receſſit, quàm Hothamus fuiſſet proclamatus proditor & rebellis; Urbem quoque collectis hinc inde copiis, obſidere, ac ei vim intentare cœpit. Hoc rumore Londinum delato, ſtatim ad arma conclamatum, approbatum Hothami factum, & judicatum fuit, Regem pravo conſilio ſeductum, moliri bellum contra Parlamentum ſuum; quod ſi facere pergeret, negligentem ſui muneris Regii, & quicunque ſequerentur partes ejus, hoſtes Regni fore. *Utrinque* igitur *exercitus conſcripti*, & Parlamenti Dux Robertus Eſſexiæ Dux creatus,

cœpitque Julio menſe bellum; hic tamen annus inter mutuas colluctationes exactus, & nil magis memorabile, quàm immenſum auri & argenti pondus ex tota Anglia in uſum belli collatum. Qui ſpectarunt, Salomonis theſauros vix potuiſſe majores eſſe referunt; adeò certatim omnes, quicquid opum poſſidebant, ultrò contulere; Sed hæc omnia potiùs alimentum bello præbuere, quàm optatum ſucceſſum. Horn. Orb. Imper. 346. ſeq. Orb. pol, 114. pag.

Novus *Luſitaniæ Rex Johannes Bregantinus*, *Terceram* arcem, & Inſulam ejusdem nominis (mediam ferè inter Africam & Americam Septentrionalem) occupat, de qua vid. Hofman. Lex. B. 434. Nec multò poſt, quum Archiepiſcopus Goæ illi ſe ſubjeciſſet, *Regna Mexici ac Peru* in India Occidentali, à Rege Hiſpanico ad Luſitanum deficiunt. Boxhorn. Chronol. ed. 2. 167.

Antonii Piemeni regio, pars terræ Auſtralis, detegitur, ſub auſpiciis *Antonii Piemeni*, Hollandi, Præfecti Statuum Societatis Batavæ in India Orientali. Nota tamen eſt ejus pars maritima tantùm verſus Auſtrum. Utrum autem Inſula ſit, an continens, neſciunt. Inſulis in littore quamplurimis referta eſt, ſita in Mari pacifico verſus terram Auſtralem, ac media ferè inter Hollandiam & Seelandiam novam. Hofm. Lex. A. 136.

Medio tempore, ſtrepentibus licet armis in Germania, ad acre ac diuturnum bellum, inter Suecos & Gallos ex unâ, Auſtriacosque & Ligiſtas ex altera parte ortum, vel tandem rurſus tollendum, ex mutua conventione *Hamburgi præliminariter de reducenda pace agitur*, Chriſtiano IV. Danorum Rege opus non parum promovente. Burg. not. rer. Imp. A. 138. pag.

Cumque *Epiſcopi Curienſes* Comitiis ac diætis Circularibus per longum temporis ſpatium non interfuiſſent, petiit anno 1642. *Johannes* Præſul, in conventu à Circulo Svevico Ulmæ agitato, ut priſtini juris ſui ratio haberetur, ipſeque nunc & in poſterum ad ſeſſionem ac ſuffragium admitteretur, quod etiam ei conceſſum eſt. Imhof. Not. proc. 288.

Eodem anno *per transactionem Ratisbonenſem Comitibus Iſenburgicis*, de quibus an. 1635. vid. *à Domo Haſſiaca redditus eſt Comitatus*, exceptis tribus cum dimidio pagis, & reſervata Haſſis, primariò Darmſtattinis, Exſpectativa ſeu ſucceſſione, in caſum deficientium maſculorum, ac Tituli jure. Hanc transactionem, tanquam duro neceſſitatis telo ſibi extortam, reſcindi Comites Iſenburgici poſtea ma-

maximopere ſæpius, in caſſum tamen, petierunt. Not. procer. pag. 547. & 980.

Porrò Varſaviæ in Polonia, *Philippus Wilhelmus*, *Palatinus Neoburgicus*, Juliæ, Cliviæ ac Montium Dux, *Annam Catharinam Conſtantiam, Sigismundi tertii Regis filiam*, Uladislai ſororem in Matrimonium accepit, ſine prole defunctam anno 1651. id. ibid. 375.

Fato functi *Wilhelmus Dux Lunæburgicus*, Ottonis Jun. fil. (quem Otto ille Harburgiorum ſator, ex Nobili Metta de Campen ſuſcepit, lineam Cæſare contra agnatos tutante) initio cum fratre Chriſtophoro, deinde ſolus regimen geſſit. Linguarum ac Theologiæ peritus, unde aliqua ejus Mſcr. ſuperſunt. Fratribus præmortuis, ultimus lineam terminavit Hofm. Lex. Univ. B. 576.

Et *Johannes Erneſtus Comes Hanovienſis*, Alberti Suarzenfelſenſis filius, qui Patri an. 1636. ſucceſſerat, poſteaque agnati etiam Philippi Ludovici hæreditatem creverat, ſed breviſſima uſurâ; Nam altero menſe ab illius morte, vivis & ipſe exemptus eſt an. 1642. menſ. Jan. cumque careret prole, totius ſtirpis ſucceſſionem lineæ Liechtenbergicæ, pacti vigore hæreditarii, reliquit. Not. procer. 962.

Armandus Richelius Cardinalis, & rerum Gallicarum ſummus arbiter, mundanam quoque gloriam depoſuit; Vir dum viveret, in omne negotium expeditus, adeò, ut non viderit Gallia, ab initio regni in hanc ætatem, nec viſura ſit poſtmodum, qui in comparationem venire poſſit, ut verba Gramondi habent, lib. 13. 602. Vir animo & conſilio maximus, Stratemanno in theat. hiſt. 1159. Autor *Academiæ Eruditorum Franciccæ*, ad exornandam tum ſtricta, tum ſoluta oratione linguam patriam, de qua Roland. Mareſ. in epiſt. pag. 468. ſeqq. de Unione Hugonotarum & Pontificiorum in Gallia, quantum ad religionem, à Richelio per corruptionem præcipuorum doctorum tentata, vid. act. Erud. Lips. de an. 1684. pag. 252.

LIB. V. CAP. XXXV.

Summaria.

Vinitor Eſslingenſis, vinculis diaboli feliciter liberatus.

Portenta varia: Gemelli Hermaphroditi uno partu excluſi.

Caſſunga Sinenſium, per imprudentiam aquis miſerè merſa & everſa.

Car-

ſtabant area, currui impoſitarum, cumque per hiantes doliorum rimulas grana quædam in humum prolapſa eſſent, ab equo è ſilice ſoleâ ferrea excuſſum concipiebant ignem, qui dein accenſis doliis pulverariis, vicina ſtatim disjecit ædificia, nec non triginta ſex homines miſeranda morte necavit. Calviſ. contin. pag. 1019.

Caiſung, urbs magnifica in regno Sinæ, à Lincungzo rebelli hoſtiliter obſeſſa, dum à Zunchinio Rege ſuo liberari ſperabat, ex imprudentia ejus, flavi fluminis oſtium ad ſubmergendum hoſtes aperientis, de abentium aquarum vi & copia; cum omnibus incolis (quorum vel trecenta millia fuiſſe dicuntur) cumque mœnibus ac ædificiis, turribus etiam, atque templis univerſis, *paucarum horarum ſpatio, tota periit & abſumpta fuit, ut nullum Urbis remanſerit veſtigium, in fœdam paludem verſæ.* Franciſc. in Oſt-und Weſt-Indiſch. auch Sineſ. Luſt-und Staatsg. pag. 600. & Neuhof. in deſcriptione regni Sinæ, pag. 410. ſeq.

De *Armando Richelio* Gallicanus quidam ſcriptor ſequentia memorat: „Hic ſcilicet Regius Miniſter in mortis lectulo, cùm jam „accepturus viaticum ad tremendum judicem ſub Sacramentalibus „ſpeciebus latentem, os & animum converteret, ſic dicebat: *Hic eſt „MEUS judex, qui citò me judicaturus eſt, illum ex toto corde oro, ut me „condemnet, ſi in uſu & adminiſtratione MEI Miniſterii aliud habuerim aut cogitaverim, aut intenderim, quàm bonum Religionis & Status.* Quam obteſtationem Richelianam, ſe cum horrore animi referre ait W. J. S. nec ſine cauſa; quis enim hominum tàm ſincerus & perfectus in omnibus ac ſingulis actionibus ſuis, ut ne in minimo quidem peccare ſe coram tribunali DEI ſeveriſſimi judicis, gloriari, ac pœnam æternæ damnationis, conſcientiæ ſecuriſſimus rogare poſſit? ſanè in multis labimur omnes! Et habet Cor hominis multas latebras, quæ imperveſtigabiles ſunt. Equidem teſtimonium Conſcientiæ cuivis homini curæ & cordi eſſe debet, maximè tamen cavendum, ne decipiatur. &c. vid. Ahasverus Fritſch, in tractat. de peccat. Miniſtr. Princip. pag. 10. ſeq.

LIB. V. CAP. XXXVI.

Summaria

Domus Brunovicenſis & Lunæburgenſis, Epiſcopatum, Hildeſienſem penè totum per transactionem amittit.

Hiſtoria rei paulo altius repetita.

Confuſiones in Saxonia inferiori, è novis quæſtionibus Catecheticis natæ.

Catechiſmi Lutheri præſtantia.
Beate Obdormiunt, Johannes Kromayerus; Andreas Keslerus; & Nicolaus Hunnius.
Magna Eccleſia Conſtantinopolitana, ejusque ſtructura, & fata.
Juſtiniani de Templo Sophiæ, Salomonicum ſuperante, gloriatio.
Ingreſſus in Baſilicam iſtam, Chriſtianis præcluſus à Muſulmannis.

INcidit hunc in annum pœnitenda illa *transactio Domûs Brunsvicenſis & Lunæburgenſis*, qua nobilis *Epiſcopatus Hildeſienſis*, quondam ab Henrico juniore armis acquiſitus, & à Carolo V. Imper. Rom. Ducibus graves ob cauſas addictus, ac ſub Ferdinando I. Maximiliano II. Rudolpho 2. & Matthia, quietè poſſeſſus, iterum amiſſus fuit, paucis exceptis. Abbas equidem *de la Roque*, Protonotarius Pontificiæ ſedis in Memor. Eccleſiaſtic. allegat. ab Erud. Lipſ. an. 1691. pag 157. ſcribere non dubitavit: „Epiſcopum Hildeſianum „pacto cum Domo Brunsvicenſi an. 1643. inito, conſenſiſſe, ut „Duces ditionibus, quas eorum Majores Epiſcopatui olim eripue„rant, quietè fruerentur, atque ſic totum propè territorium illius Epiſcopatûs, Ducatui Brunovicenſi incorporatum fuiſſe. Sed longè aliter ſe res habet, haud indigna, quæ Paulò altius repetatur.

Epiſcopatus Hildeſienſis à Carolo Magno inter alios plures ad propagandum verum DEI cultum, & ad Saxones convertendos fundatus, cùm ad amplam excreviſſet potentiam, factum tandem eſt JOHANNIS Præſulis, è familia Saxo-Lauenburgicorum, temeritate ac inſolentia, ut ingens detrimentum acciperet. Ea tempeſtate *ſeptem Comitatus* ſub ſe habebat Diœceſis, nempe *Wizenburg*, *Schladen*, *Poppenburg*, *Peyne*, *Oldenburg*, *Levvenſtein & Hunsruk*. Hac potentia, ut & Heinrici Lunæburgenſis Ducis aliorumque confœderatione ferox *Johannes* Epiſcopus, Ducibus Brunsvici, ac Mindenſi Præſuli an. 1519. bellum intulit; ſed à Carolo V. paulò poſt ad Imperiale faſtigium evecto, ob violatam pacem publicam proſcriptus, in eas redactus eſt anguſtias, ut præter *Hildeſiam* nonniſi tres arces, *Peyne*, *Steyervvald & Marienburg*, ipſi ſupereſſent, reliqua Brunsvicenſes tenerent; unde hæc pars major diœceſis, illa minor dicebatur. Hujus equidem ſeculi anno vigeſimo nono in Camera Spirenſi, contra Brunovicenſes lata eſt ſententia, eisque reſtitutio Hildesheimenſium ditionum imperata; Sed *Fridericus Ulricus Dux Bruns-*

Brunſvicenſis reviſionem quæſivit, & impetravit; Interim tamen Imperator Ferdinandus 2. Archiepiſcopum Colonienſem, de Epiſcopatu quæſtionis Viennæ inſtituit. Res dein variè armis tentata, Cæſareanis ac Bavaricis manu militari Epiſcopatum occupantibus, & hinc Diœceſis inſtar pilæ inter Cæſareanorum, Brunovicenſium ac Lunæburgenſium Ducum manus volutata fuit. Ad extremum Dux Georgius jure belli Epiſcopatum uſque ad vitæ finem tenuit. Poſt hujus mortem *Goslariæ* transactio inſtituta, & *Brunsvici* confecta eſt, qua Epiſcopatus in eum ſtatum, quo an. 1519. gaudebat, reſtituebatur; *Brunsvicenſibus* verò *quatuor tantùm* (aut fallimur) *præfecturæ* nimirum *Coldingen*, *Luttern*, *Bahrenberg* & *Weſterhoff*, relinquebantur. Circa *Religionis exercitium* ita transactum, ut Nobilibus eorumque domeſticis A. C. addictis, id ſalvum ac integrum ad annos uſque ſeptuaginta, civibus autem & ruſticis ad quadraginta, manere debeat. Quantum ad *Hildeſiam*, de ea Specialiora inita ſunt pacta, quæ Inſtrumentum pacis Weſtphalicæ confirmatiora reddidit. Inprimis autem Duces Brunovicenſes *jus protectionis in Civitatem Hildesheim* ſibi perpetuum reſervarunt. Imhof. notit. procer. p. 228. & Burgoldenſis in rer. Imp. Notit. part. 2. 129. 141. & part. 2. 113. ſeq.

Hiſce temporibus in Saxonia inferiori e. g. *Gunterslebii*, *Stadæ*, *Quedlinburgi*, aliisque in locis, variarum querelarum, confuſionum, ſcandalorum, ac iliadum ferè malorum, occaſionem & cauſam dederunt *novæ Inſtructiones*, *quæſtiones* & *appendices Catecheticæ*, quas nonnulli hyperphronuntes, præter & juxta Catecheſin Lutheri hujusque annexas quæſtiunculas, tanquam doctrinæ fideique ſalvificæ normam, rudioribus inprimendas, miniſtris Eccleſiarum (& ex his alii aliis) obtrudere conati ſunt: Quibus *Theologi Wittenbergenſes*, hac de re ſententiam rogati, ſummopere diſſuaſeruut innovationes & immutationes ejuscemodi; fideliter monentes, ut potius *Catechiſmo B. Lutheri* preſsè tenaciterque tum docentes, tum diſcentes inhæreant, ob rationes valdè momentoſas, prolixè diductas part. 2. Conſil. pag. 7.. ſeq. præſert. 79. ad 81. ſuma in idem recidit quod jam olim *D. Johannes Förſterus* in Theſauro Catechetico, præf. ad lector. 3. de Megalandri opuſculo Catech. ſcripſit: „Hoc eſt palladium illud, & „pretioſiſſimum Eccleſiarum Orthodoxiæ Lutheranæ γνησίως addi„ctarum Cimelion, quod, ut ſymbolum earundem lucidiſſimum, „ſyſtemati etiam libri Chriſtianæ Concordiæ, inſertum eſt. Et non „immeritò quidem; eſt enim præcipuorum fidei capitum Epitome „abſo-

„ abſolutiſſima, dexteritate ſumma, judicio gravi, & non abſque „ ſingulari SPIRITUS Sancti afflatu concinnata. Cujus gratia & „ nonnulli eò accommodant oraculum illud Propheticum, ab Apo„ ſtolo productum (Rom. 9. 28.) *Sermonem abbreviatum faciet Dominus* „ *ſuper terram* &c.

Mortalitatem explevit menſ. Jul. *Johannes Kromayer*, Aulæ Vinarienſis Eccleſiaſtes primarius, Eccleſiarumque & Scholarum inclyti Ducatûs Inſpector Generalis; Autor Epitomes libri Chriſtianæ Concordiæ, cum Indiculo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ab origine Mundi uſque ad an. 1620. in uſum Eccleſ. Miniſtr. præprimis autem ſtudioſæ juventutis, percommodæ & utilis. vid. Epit. aut. in eſſig.

Eodem anno fatis etiam conceſſit *Andreas Keslerus* D. Theol. Superintendens primùm Eisfeldenſis, deinde Coburgenſis, Francus; Philoſophus ac Theologus acutus, variis eruditisque ſcriptis, e. g. de bello Ubiquetiſtico contra Fprerum; Methodo hæreticos convertendi; Logica, Phyſicâ, & Metaphyſica, contra Photinianos; Theologiâ Caſuum Conſcientiæ, ipſius cumprimis temporiaccomodatorum; Diætâ item, prudentia, pœnitentia, patientia, Chriſtianâ, commendatiſſimus. Micræl. 3. part. H. E. pag. 507. dedicat. Caſ. Conſc. lit. c.

Eadem tempeſtate ad meliorem vitam transmigravit *Nicolaus Hunnius*, Ægidi filius, ex Ephoria Eilenburgenſi, Wittenbergam vocatus ad Profeſſionem Theologicam, poſt B. Hutteri fata; Exinde Lubeccenſium Superintendens, paterna veſtigia pari dexteritate ingenii legens: Limatiſſimis libris, ut: Epitome credendorum; Innocentia Lutheranorum; demonſtratione Miniſteri Lutherani; Apoſtaſia Eccleſiæ Rom: pelle ovina Pontificiis detracta; Eccleſia Romanâ non Catholica; Neceſſaria defenſione de Papa Antichriſto; Fundamentali diſſenſu Lutheranorum & Calvinianorum; Examine errorum Photinianorum; Refutatione Theologiæ Weigelianæ; Neceſſaria admonitione contra Theoſophos, novellos prophetas; aliisque ſcriptis celeberrimus. vid. Catal. Theol. Witteb. Conſili præf. & Micræl. H. E. pag. 505.

Idem D. Hunnius Autor extitit *Conſilii* ſaluberrimi, *de inſtituendo Exercitatiſſimorum Theologorum ſingulari Collegio*, qui res fidei & religionis omnium accuratiſſimè, communicatis invicem conſiliis & laboribus, tractarent, adeoque Congregationis Pontificiæ de propagan-

paganda fide, nocentiſſimos conatus magnam partem ſi non infringerent, ſaltem ſufflaminarent. Omninò dignum eſt Conſilium illud, ut B. L. communicetur integrum quod. σ. Θ pauò poſt facturi ſumus, ex præfat. Admirandorum JESU ſept. e. b. 7.

Hîc verò ſi de *MAGNA* Conſtantinopoleos *ECCLESIA* quædam dicamus, noſtri memores promiſſi, putamus nos operæ pretium facturos. Obſervavit proculdubio Lector, cùm præcedenti cap. XXXIII. de *Philippo Cyprio* ageremus, factam eſſe mentionem de *Magna Eccleſia* in Urbe Conſtantinopolitana, cujus Philippus ille proto Notarius fuerit. Quoniam autem non omnibus notum, quid per eam denotetur, nec de officiis ejus conſtet quibusvis; haud ingratum ſperamus fore, ſi de Eccleſia illa, quæ in Lectoris commodum vergere poſſunt, in medium proferamus; de officiis dicturi an. 1648.

Intelligitur itaque per Magnam Eccleſiam, *Templum S. SOPHIÆ*; opus, quod adeò cuncta inter ædificia excellit, ut in omnibus terrarum ſpatiis huisSimile non poſſe inveniri, qui vidére, teſtentur. *Autor* ejus, qui extrui curavit, Imperator *Juſtinianus* fuit. Opifices ædificii, ex omni terra, unde Juſtinianus eos accerſi curavit, præcellentiſſimi; ſed *ſupremi* munere *Architecti* functus eſt *Anthemius* quidam *Trallianus*, mechanicæ artis peritia nobiliſſimus, non inter eos tantùm, inquit Procopius, qui tunc vixére, ſed & alios, qui præceſſerunt, ſi ſtudium animadvertatur, in diſponendis emetiendisque omnibus; *Proximus* huic, artis peritiâ, erat *Iſidorus Mileſius*. „Exſtructa igitur, dicit idem ſcriptor, S. Sophiæ Eccleſia eſt, „in ſpectaculum planè pulcherrimum, iis quidem, quibus contigit „videre, ſtupendum, illis verò, qui audiunt, prorſus incredibile. „Diceres locum illum non externo ſole illuminari, ſed fulgorem in „ipſo templo enaſci; Tanta luminis copia templo affunditur. Quis „tabulata, in quibus verſantur mulieres, exponet? quis numeroſos porticus enarrabit? quis columnis firmatas aulas, quibus tem„plum obcingitur? quis ſaxorum & columnarum ornamenta, qui„bus templum decoratur? Hæc ita & multo plura citato loco Pro„copius. Hinc fortaſſe non mirandum, ſi *Nicetas Choniates*, capta à Latinis Urbe, exulatum abiturus, ſermone per Apoſtrophen ad hoc magnificum adeò Templum converſo, cum fletu & lacrymis ita eſt affatus: „Numquid Templum ampliſſimum ac diviniſſi„mum, unquam poſthac te videbo? Cœlum terrenum, ſolium glo-

„riæ DEI, Cherubicæ currus, firmamentum alterum, fabricam ma„nuum DEI annuncians, ſpectaculum & opus ſingulare, firmum „universæ terræ decus! Sophiæ ergò templum Cor quaſi totius eſt ædificii. At circumcirca Magnificus ille Princeps Juſtinianus, plurimas & ſplendidas, tamque ingenti pecuniarum acervo conſtructas ædes adjunxit, ut ſi quis iſthoc unum duntaxat Templum cum adjacentibus domibus conſpexerit, hoc ſolum opus ab ipſo elaboratum exiſtimabit, ac in eo perficiendo omne Regni ſui tempus conſumpſiſſe. In hiſce tam ſplendidis circa Sophiæ Templum ædibus, Patriarchæ ſua habitatio, & Clericis pariter ſuæ manſiones aſſignatæ fuerunt; In quibus etiam ſub Imperio Chriſtianorum Principum perpetuò conſederunt. Cùm autem Urbis atque Imperii exitium immineret, paulatimque appropinquaret, obſervatum eſt à curioſis, non tantùm palatia, quæ Imperator & ejus Aulici inhabitabant; ſed etiam ſacra Patriarchæ & clericorum domicilia nutationem minari, referente Hilario in appendice ad commentar. in Chron. Cypr. lit. a.

Capta autem anno reparatæ ſalutis humanæ 1453. ab infidelibus Conſtantinopoli, hoc adeò ſplendidum & Salomoneo non immeritò comparandum Templum ſtatim in primariam Moſcheam à Turcis converſum, ac Mahometis abominando cultui conſecratum eſt; aliis tamen *Patriarchæ*, & *Clericis Græcorum*, habitaculis & manſionibus conceſſis, ac initio quidem *Templo Apoſtolorum* cum propinquis ædibus. Cùm verò præter ſpem aliquando tempore nocturno in illa vicinia quidam eſſet interfectus, continuò metus Patriarcham inceſſit, utque tutior ſibi locus concederetur, Sultanum rogavit. Annuit etiam Imperator, ac *Templum Pammacariſtæ* (divæ Virginis Mariæ) ei aſſignavit, quod ſatis diu Patriarchæ inhabitarunt. At, cùm tempore Jeremiæ, qui cum noſtratibus de articulis religionis controverſis egit, Turcæ quererentur, ſe ob ingentem Muſulmannorum Conſtantinopoli numerum pluribus templis indigere, juſſu Sultani duo Græcis templa fuere à Turcis ablata; quorum alterum Pammacariſtæ, à Patriarcha hactenus inhabitatum fuiſſe, ſunt qui ſcribant: Loco autem illius Patriarcham poſtea *templum S. S. Petri & Pauli* in ſedem accepiſſe, à non nullis traditum legimus. Quamvis verò habitaculum Patriarchæ, à capta Urbe toties fuerit mutatum, ac Templo Sophiæ tamdiu jam careant Græci: nihilominus *proceres ac officiales Eccleſiaſtici* ſuos inde *titulos* retinent, ac

de

de Magna Eccleſia ſuas dignitates denominant; quod in ſubſcriptione ſynodi Partheniana, præcedente anno habitæ, omnium clariſſimè Lector videre poterit. Hilarius ad Chron. Cypr. pag. 475. & app. a. 3.

Id porrò non ſubticendum, quod Lanſius profert in Mantiſſa Conſultationum pag. 174. Certè cùm *Juſtinianus*, inquiens, Baſilicam Sophiæ inuſitata Magnificentia abſolviſſet, hæc illius audita vox fuit, *jam Te, Salomon, vici!* ac ut ſapientiſſimo Regum adderet convitium, ejus imaginem lapidi inciſam, è regione S. Sophiæ collocaverat, ſed ea ſpecie, ut Salomon, dum Sophiam contemplatur, præ mæſtitia genas carpere videretur, quaſi tanti mole ac pulchritudine ædificii ſuum Templum ſuperatum doleret.

Sæpius dictum *Sophiæ Templum*, ab eo tempore, quo à Turcis occupatum, *Chriſtianis non licet ingredi*, niſi rariſſimè, & ex Specialiſſima Muſulmannorum conceſſione. Ita ſeculo ſuperiore Cæſaris Ferdinandi primi Legato, *Augerio Busbequio*, ex gratia quadam ſingulari conceſſum fuit illud ingredi, & paulo curioſius contemplari. Sic enim ipſe in Epiſt. 1. ſui Itineris Conſtantinopolitani hac de re ſcripſit, ex allegat. Henr. Hilar. append. cit. „Reſponſum ab Imperatore (Solymanno, qui t. t. cum exercitu erat in Aſia) dum „exſpectatur, urbis Conſtantinopoleos per otium inſpiciendæ facul„tas fuit. Inprimis divæ Sophiæ Templum adire placuit; quo ta„men nonniſi ſingulari beneficio ſum admiſſus. Turcæ enim ſua Templa profanari credunt, ſi quis Chriſtianus ingrediatur. Eſt ea „ſanè Magnifica moles, ac digna, quæ ſpectetur, maximo cum „fornice ſive hæmiſphærio in medio, quod à ſolo impluvio lumen „habet. Ad hujus templi formam, omnia ferè Turcarum templa „ſunt conſtructa. Multò majus fuiſſe iſtud ædificium, aſſerunt, „multisque appendicibus latè ſe extendiſſe, easque jam pridem re„ciſas omnes, & adyta ſola, quodque fuit in Templo Juſtinianeo „medium, remanſiſſe. Ita Busbequius.

LIB. V. CAP. XXXVII.

Summaria.

Cauſæ Hildeſianæ patrocinium à Papa ſuſceptum; ab Imperatore ad Cameram Spirenſem remiſſum.

Johan. Caſim. Poloniæ Princeps, Jeſuita factus.

Urbani VIII. Zelus contra conſilium de B. E. Proteſtantibus committendis.

Hen-

Henricus Dormalius, de diverſarum religionum aſſeclis.
Henrici Spondani mors.

PRo ſupplenda hiſtoria *Hildeſiana*, initio hujus capitis, de rebus Pontificiis, non tædet verba Burgoldenſis transſcribere, ex part. 2. 19. Not. rer. Imper. quæ ita fluunt: „ Poſt Maximilianum, *Ca-„rolus V.* Priſca Reipubl. jura felicius cœpit vindicare. Hic Johan-„nem Epiſcopum Hildeſienſem, contra leges pacis publicæ in „ Brunsvicenſes Duces impetum facientem proſcripſit an. 1521. ex „ decreto Ordinum Imperii, & Brunsvicenſibus Ducibus bona, „ Epiſcopo erepta, in feudum conceſſit. Cùm porrò Papæ judicio „ cauſam hanc ſubmiſiſſet Epiſcopus, & Romæ ſpoliis eſſent dam-„ nati à *Paulo III.* Duces an. 1540. ſententiam tamen illam Papalem „ Cæſar minimè admiſit, licet aliquoties ab ipſo P. R. rogatus, ſed „ tandem Cameræ Spirenſi an. 1548. rem omnem, ex ſententia Or-„ dinum remiſit. Imò Cæſar illam ſententiam Papalem, non ad „ unum pilum æſtimavit, quum Pontificis non fuerit, ſuper validi-„ tate & invaliditate banni ſui imperialis diſputare, atque cognoſce-„ re &c. Haud facilè tamen dixeris, eandem eſſe hodie ſententiam „ Proceribus Germaniæ, qui Romanam religionem tuentur, quod „ Clerici nempe noſtri non ſint exempti amplius in perſonalibus „ cauſis à foro Cæſaris ac reipublicæ. Ad hoc non dubitavit *Camera* „ *Spirenſis* an. 1629. ſententiam olim à Carolo V. in Epiſcopum Hil-„ deſienſem latam (quantum Conringio videtur) eo nomine reſcin-„ dere, quod Cæſar Epiſcopum non potuerit proſcribere, eoque „ pronunciavit pro ſententia Papali: quo utique fit manifeſtum, „ etiam ex illius maximi Tribunalis mente, Cæſari non competere „ jurisdictionem in Epiſcopos. Cæterum durante bello tricennali, „ quum judicium illud nondum ad omnium votum ordinatum erat, „ non tam quærendum quid factum ſit Spiræ, quàm quid fieri de-„ buerit; præſertim cùm *Ferdinandus ſecundus* Imperator, & Romano-„ Catholici, cum Proteſtantibus miſerè afflictis, pro Imperio quaſi „ egerint; Ac ſine dubio quoque (deinceps) cauſa Hildeſianæ in „ longè alium ſtatum fuiſſet, D. Langenbekio, Lampadio & Colero „ id ipſum flagitantibus, deducta, niſi infelix transactio, de illo „ Epiſcopatu an. 1643. interpoſita, negotio huic manum injeciſſet. Hactenus verba P. A. Burgoldenſis.

Hoc tempore *Laureti* in Italia, *Johannes Caſimirus Princeps Polo-niæ*, rerum humanarum (ut ajunt) contemptu, ac deſiderio ſanctio-

ris

ris vitæ, dimiſſo à ſe comitatu, *Societati JESU nomen dedit;* offenſo non leviter fratre Uladislao Rege, qui ingraveſcente indies valetudine, ad ſpes altiores Caſimirum deſtinaverat. Turſellin. append. hiſt. 2. pag. 81.

Cùm Deputati ex Imperii Ordinibus Francofurti *de bonis Eccleſiæ Proteſtantibus tradendis* nonnihil ſtatuiſſent, conſiliumque ſuum Cæſari approbandum obtuliſſent, mox Papa R. *Breve,* Octobris 17. die exaratum, ad Epiſcopum Auguſtanum miſit, in hæc verba conſignatum: „ Urbanus P. P. VIII. propoſitam Francofurti de Eccle„ſiaſticis Bonis, Hæreticorum poteſtati committendis, ſententiam „ex Fraternitatis tuæ literis, tum etiam è ſupplici libello ad nos „transmiſſo, non ſine gravi moleſtia audivimus. Nempe facile eſt „conjicere, quænam inde animarum pernicies, & ſacri cultus im„minutio exſpectanda eſſet. Ea tamen Imperator electus pietate „pollet, eam erga Eccleſiaſticos gerit propenſionem, ut minimè „verendum arbitremur, ne improbum illud Conſilium conſtanter „ſimul & religiosè rejiciat. Nos quidem, ut Pontificii muneris par„tes impleamus, cuncta, quæ è re fore ſignificaſti, officia accuratè „adhibuimus, Deumque precamur, ut optatus exitus graviſſimo „negotio haudquaquam deſit. Interim, qua par eſt laude proſe„quimur inſignem zelum fraternitatis tuæ, cui jugem à Divina cle„mentia felicitatem petimus, & Apoſtolicam benedictionem ex „animo impertimur. Dat. Rom. 17. Octob. an. 1643. Ita recenſet Erneſtus de Euſebiis in Judicio Theologico ſuper quæſt. an pax, qualem Proteſt. deſider. ſit illicit. pag. 32.

Henricus Dormalius, Leodius, eodem tempore, cum approbatione vices gerentis & Magiſtri S. Palatii, in explicatione ad poëmata Maphei Barberini, fol. 362. *Stultus, ut Luna mutatur!* diverſarum religionum aſſeclas hiſce inſignivit Epithetis: „ Nihil autem „ſtultius eſt Circumciſo; nihil infidelius Calviniſta; nihil craſſius „Lutherano; nihil illotius Anabaptiſta; nihil impurius Puritano; „nihil furioſius Zwingliano; nihil denique pervicacius Schiſmatico. Ita *Dormalientis homo capitis, Dormalius,* allegante D. Dorſch. in in Anticriſ. Theol. ad Jud. Erneſt. de Euſeb. pag. 211.

Supremum diem ſuum obiit *Henricus Spondus* (aliis fortaſſe Spondanus) Epiſcopus Apamienſis, zu Pamiers in Gallia; qui de Cœmeteriis ſacris ſcripſit, & continuavit Epitomen Baronianam, ab anno 1600. ad 1640. Annalibus quoque V. Teſt. Eccleſiaſticis in-

tentus; Tholoſæ anno ætat. 75. exſpiravit. Hofmann. in Lex. univerſ. A. 753.

LIB. V. CAP. XXXVIII.

Summaria.

Johannes Caſpar Suicerus inclareſcit.
Hugonottæ, poſt obitum Ludovici XIII. confirmatione Edicti Nannetenſis gaudent.
Libertas Religionis Anglicana, in licentiam tranſit.
Status Religionis Anglicanus, qualis ſub Eliſabetha & Jacobo II. fuerit?
Qua ratione meliorem ſortem ſervarint Eccleſiæ Scoticæ?
Hiacom, Virginianus, ad Chriſtianiſmum converſus.
Varia fortuna Anglorum in Virginia; regionis ſtatus, gentisque Religio.

JOhannes Caſpar Suicerus, Tigurinus, Theologus & Philologus, Scholæ patriæ conſecratus mox inclareſcere cœpit; Nam plerosq; Scriptores Eccleſiaſticos Græcos evolvit, ac poſtmodum ſuas obſervationes in ſeptem tomis, Titulo Theſauri Eccleſiaſtici Græco-Latini, collectas exhibuit. Hofm. Lex. B. 396.

Hugonotis in Gallia poſt exceſſum Regis Ludovici XIII. ſtatim Reginæ decreto, Regnum nomine quinquennalis filii Ludovici XIV. adminiſtrantis, *liberum religionis exercitium* (ad normam & formam *Edicti Nannetenſis Henriciani*) de novo conceſſum eſt, ac firmatum; Boxhorn. contin. Chron. 168. Act. Lipſienſ. ſuppl. Sect. V. pag. 277.

At in *Anglia* miſerè *Status Eccleſiarum* turbatus, cùm ſublata penitùs Hierarchia Epiſcopali, & regimine Presbyteriali ſimul arctius conſtricto, de certa ſacrorum forma nondum conveniret, atque hinc *libertas Religionis* in *licentiam* evadere, ac ad *Anarchiam* omnia deflectere viderentur, indies aucto Sectarum, Schiſmatum, hæreſium numero. Sub *Eliſabetha & Jacobo primo*, hic ferè in univerſum *Eccleſiæ Anglicanæ Status fuit. Epiſcopi* erant, ac *Puritani.* Et hi quidem in tria genera diſtincti, *Conformiſtas, Non-Conformiſtas, & Separatiſtas. Conformiſtæ*, erant genuini Calviniſtæ, qui contra Socinianos, Pelagianos, Anabaptiſtas, Arminianos, Papiſtas pugnabant, & ſe filios Eccleſiæ Anglicanæ profitebantur; id eſt, antiquas ceremonias, utcunque inviti tolerabant; quales Witakeri, Perkinſii, Rainoldi, & ſimiles fuerunt. *Non-Conformiſtæ*, ſe à Ceremoniis quibus

busdam ſeparabant, ſed non omnes ab iisdem; erant, qui admitterent, quas alii rejiciebant. *Separatiſtæ*, in rigidos Separatiſtas ſive Browniſtas, &, Semiſeparatiſtas ſive Robinſonianos diſtincti, qui poſtmodum Independentes dici cœperunt. *Anabaptiſtarum* illo tempore duo genera; quidam hæreticè liberum Arbitrium, & bonorum Communionem aſſerentes, Magiſtratum quoque ac Pædobaptiſmum negantes; horum verò tum pauci. Alterum genus eorum, qui ſolum Pædobaptiſmum negabant, cætera (Calviniſequis) orthodoxi; & horum in Anglia magnus numerus. Prætereà nonnulli ex plebe, prædicandi licentiam ſibi aſſerebant, miſeris quibusdam ſeducti rationibus; Hique jactabant, Spiritum, ubi velit, flare, nec alligatum Academiis; itaque internam vocationem, cum donis ad hoc munus neceſſariis, accedente alicujus congregationis deſiderio, ſufficere: Sibi quidem abſtinere non licitum, niſi veritatem in injuſtitia detinere, ac talentum ſuum abſcondere velint. *Sub Carolo I.* præſertim à tempore belli civilis, alia facies & in Regno, & in Eccleſia cœpit. Religio enim, ſeu Sectarum familiæ & nomina, in *Epiſcopales*, *Presbyterianos*, *ac Independentes* diviſa. *Independentes* iterum ſciſſi fuere in quamplurimas partes; Nam ut quisque erat novarum opinionum Studioſus, ita ſe Independentibus aggregabat, potiſſimum *Anabaptiſtæ*. Tandem pleræque Sectæ in commune nomen *Quakerorum* degenerarunt, &c. Ita Hornius in hiſtor. Eccleſ. ed. 2. pag. 420. Orb. polit. 111.

Melioris conditionis erant *Eccleſiæ Scoticæ*, immunes penè à Sectariis & Schiſmaticis, atque hoc, beneficio Presbyterii, Claſſium, ac Synodalium Conventuum, regimini Epiſcoporum abrogato ſtatim ſuffectorum. Multis tamen calumniis adverſus eas, Independentes ac Eraſtiani graſſabantur, de quibus vid. Horn. H. E. pag. 500. pl.

In *Virginia* (pars eſt regionum Indiæ Occidentalis) vixit ea tempeſtate quidam nomine *Hiacom*; Is à Barbarorum Rege, quùm pro Anglis verba faceret, alapâ, præmii loco exceptus, inde occaſionem ſumpſit, familiariter cum Britannica Natione converſandi, & explorandi, qualem Deum agnoſcerent; quaque eundem ratione colerent; cui bono ac fine hoc facerent, &c. Sufficienter informatus de omnibus ſalutiferæ fidei & religionis partibus præcipuis, per gratiam Spiritûs Sancti CHRISTO nomen dedit, aliorumque conterraneorum converſionem haud parum promovit. Schwarm-geiſt. Brut/ pag. 221.

 Va-

Variâ fortunâ per annos complures iſtam regionem Angli tentarunt, priusquam ibi fixam ſedem conſtituerent. Eaque à *Richardo Grenvilio*, Equeſtris Ordinis Viro, ſumptibus Nobilis *Waltheri Ralegii*, ex autoritate *Eliſabethæ* Reginæ anno 1585. detecta. „ Aër „ hujus loci, verba Bucholzeri refero, ſanus eſt ac temperatus; *Soli* „ verò ea ubertas, ut arbores, fructus, frumenta, legumina, herbas „ ac radices varii generis producat, & ſylvarum ac fluminum amœ„ nitate, animalium etiam quadrupedum, avium piſciumque copia „ & varietate abundet, &c. Barbaræ gentis *religionem* quod attinet, „ Deos multos credunt, diverſorum tamen ordinum & generum; „ Unum tamen primarium Deum & Magnum, qui ab æterno fue„ rit, quique Mundum conditurus initio crearit alios Deos prima„ rii ordinis, qui eſſent tanquam media & inſtrumenta ipſi ſubſer„ vientia, cùm ad creationem, tùm ad gubernationem; Deinde ſo„ lem, lunam, & ſtellas, tanquam ſemideos ac inſtrumenta alterius „ ordinis præcipua. Aquas primò omnium factas, & ex iis creatu„ ras omnes viſibiles ac inviſibiles conditas dicunt. Exiſtimant „ quoque mulierem primum fuiſſe creatam, quæ ex unius deorum „ congreſſu conceperit, & liberos genuerit, unde ſe originem du„ cere perhibent; quot verò ſecula inde præterierint, ignorant. Cum„ que omnes Deos naturam humanam habere putent, imaginibus „ humanæ formæ illos exprimunt, & ex ligno fabricatos, variis co„ loribus exornant. Hæc Idola, linguâ ſuâ KEWASOWOR ap„ pellata, pro diis habent, illisque proprias ædes ſive templa dicant, „ in quibus fiunt precationes, cantus, & per multos dies oblationes. „ Animam à corpore ſolutam, ſtatim transferri credunt, ſecundum „ opera, quæ fecit, vel ad deorum ſedes, ad perpetuam felicitatem; „ vel ad ingentem foſſam (quam in extremis Mundi finibus, ver„ ſus Occidentem, ſitam eſſe cenſent) ad perpetuum ignem. Prin„ cipes & Sacerdotes hujus regionis, à plebejis in ſummo habentur „ honore; fures autem, & mœchi, aliique ſcelerati, vel mulcta, vel „ morte, aut verberibus, pro delicti magnitudine, debita ſeveritate „ puniuntur. Ex Anglia in hanc provinciam iter tam facile eſt, ut „ ter in anno, quocunque tempore abſolvi poſſit. Qui plura hisce „ de rebus cognoſcere volent, ii conſulant Narrationem totam de „ commodis & ritibus incolarum Virginiæ, à Thoma Harioto An„ glo deſcriptam, & Francofurti ad Mœnum editam. Hucusque Bucholzerus in Indice Chronologico pag. 728. ſeq. Act. Erud. Lipſ. an. 1689. pag. 153. ſeq.

LIB. V. CAP. XXXIX.

Summaria.

Jactatas Neoprophetarum Revelationes defendere ſuſtinet Jacobus Fabricius, eapropter à Wittenb. Theol. fideliter monitus:

Ab aliis verò acriori cenſura notatus.

Weke Walleſii ſecta, in Friſia Occidentali ſerpit latius.

Clemens Wrigter, quis fuerit? quæque impia ejus emblemata?

POſtquam diu multumque duo Miſnici Vates, *Johannes Warner*, & *Georgius Richard*, varias inſignes *Revelationes* & *Viſiones* perquam inſolenter jactaſſent ſibi cœlitùs oblatas, multaque de totali quadam Papatûs, ante extremum univerſalis judicii diem, everſione; de imminente Domûs Auſtriacæ interitu; de quartæ, quæ nunc in Mundo eminet, Monarchiæ approperante fine; de quinti Sanctorum regni, quod Chiliaſtica ſomniat phantaſia, ſucceſſione; deque aliis hujus generis pluribus, tantâ eventûs præſumptione blateraſſent & prædixiſſent, ac ſi omnia facta, & completa ſuis oculis vidiſſent, ægrè id ferentibus plerisque purioris Theologiæ Doctoribus; En, præter omnem exſpectationem Vatibus iſtis palpum obtrudit *Jacobus Fabricius*, D. Theologus, atque citerioris Pomeraniæ Superintendens Generalis, Vir aliàs non incelebris; Imò etiam libro, quem ſub titulo *probationis Viſionum*, anno proximè præterito vulgarat, ſatis manifeſtè jubet, memoratos Viſioniſtas pro Divinis ac Theopneuſtis vatibus agnoſci & coli. Fideliter & fraternè monitus Autor probationis à *Theologis Wittenbergenſibus*, Librum iſtum nonnulla minus exactè ad Verbi Divini cynoſuram conformata, minusque proficua Chriſtianorum informandis Conſcientiis, continere; Mox *reſponſum* format, quo in una & altera comparatione modernorum Vatum ac Neoprophetarum, cum Theopneuſtis illis Myſteriorum Divinorum promis condis, alicubi mitiorem amplectitur ſententiam, in ſumma tamen rei, de duratione ejusdem ſpeciei doni Prophetici, ejusque vindicatione pro certis Individuis ſuſcepta, perſtat. Sed ita nullam cum veritate, nullam cum ipſis gratiam & Harmoniam per illud reſponſum, ad Admonitionem datum, initam eſſe, ægrè quidem ac dolentes Theologi Wittenbergenſes, ſeriò tamen profitentur: *Alii* verò, adverſus tantum Viſioniſtarum hujus temporis Patronum ad Defenſorem, haud ſegniter calamum

ſtringunt publicè; Alii ſtringentibus applaudunt. plano plenoque conſenſu aſſiſtunt. Vid. Conſil. Wittenb. A. 804. ſeqq. & 816. pag. pl. D. Wagnerus diſp. 3. de S. Script. pag. 35. 48. ubi Theologus Wirtembergenſis in hæc tandem Verba deſinit: „ Ecquam Nugivendulis illis fidem habendam eſſe putemus, quam nullam? ut „ non immeritò illis omnibus, qui horundem hominum nugis θεῖόν „ τι (quiddam Divini) ſubeſſe putant, Verba *Ludovici Vivis*, virorum „ judicioſiſſimi, reponamus, ſuper lib. 18. Auguſt. de Civit. DEI, „ cap. 13. ubi ait: Nulla res eſt, de qua liberius homines mentian„ tur, quàm de venturis: quoniam nihil nos audimus libentiùs, et„ iamſi mentiri ſciamus; Ita favor in eos noſter, qui futura jactant „ prædicere, licentiam eorum irritat, & alit; usque adeò in re mira„ bili vel voluiſſe dicere, mirandum ducimus!

In *Friſia Orientali*, quæ Unitorum Belgii Statuum Jurisdictioni ſubjecta eſt, impia *Weke Walleſii* Secta, de qua ſupra libr. IV. cap. LIII. mentio facta, non paucos ex rudi plebe dementaverat; hinc in ſequente anno *Synodus Franequerana* inſtitit apud Magiſtratum, ut ad exemplum Dominorum Gröningenſium faceret, ac tota regione nefarios iſtos homines expelleret. Hornbek. in ſum. Controverſ. 368.

Londini *Clemens Wrigter* vixiſſe fertur, Anti Scripturiſta, Quæſtioniſta, Scepticus & Atheiſta; Princeps eorum, qui negant, S. Scripturas eſſe Verbum DEI, ſive in originali, ſive in verſionibus ſpectetur, nec fidem ei ſtatuunt ſuperſtruendam. Non aliam, ajebat, fidem Scripturis deberi, quàm humanam, ſicuti credatur hiſtoria Henrici VIII. vel alterius Regis. Negabat eſſe Miniſterium, Fidem, Evangelium, niſi quis demonſtrare poſſit, æquè immediatam vocationem ſe habere, ac Apoſtoli habuerint. Neminem poſſe damnari, dicebat, niſi ob rejectum Evangelium; neminem autem rejicere Evangelium, niſi cui prædicetur, ut Apoſtolorum tempore factum, & miraculis confirmetur. Idem negabat, animam hominis eſſe immortalem; & cùm homo excedit, tùm totum ejus dormire, dicebat, usque ad reſurrectionem. Horn. hiſt. Eccleſ. 482.

LIB. V. CAP. XL.

Summaria.

Synodus Londinenſis de Reformatione Eccleſiarum tractans, infeliciter diviſa.

Con-

Controverſia de hodiernis Viſionibus, inter A. C. Theologos agitata.

Judaiſmus Johannis Mülleri, Hamburgenſis: Et libelli Pariſienſes Anti-Jeſuitici in lucem emiſſi.

Calovii Oratio, Regiomontano-Valedictoria, de fraude, qua Calviniſtæ Confeſſioni Auguſtanæ ſubſcribant.

Conſilium Nicolai Hunnii, de peculiari quodam Collegio Theol. ſuggeſtum.

Dorſchei de eo judicium. Collegium Conſtantinopolitanum.

VAriis in Anglia Sectis, hæreſibus, Schiſmatis, ac opinionum monſtris paſſim exorientibus, & accreſcentibus indies, convocata fuit *Londini Synodus*, ex Anglorum & Scotorum Theologis, in qua Reformatio Eccleſiarum tractaretur. Sed ſicut Reſpublica, ita Eccleſia quoque factionibus diviſa erat. Quidam enim, & major numerus, ad normam Eccleſiæ Scoticæ & Genevenſis omnia conformari volebant, hique dicti Presbyteriani. Alii contra, Independentiſmum, qualis in Anglia nova erat, etiam in veteri tolerandum cenſebant, hi numero ſeptem erant, quos inter, & reliquos, convenire non potuit. Per aliquot igitur annos de regimine Eccleſiæ deliberandum fuit, cùm pro *Presbyterianiſmo* alii, alii (tandem prævalentes) pro *Independentiſmo* acriter niterentur. Medio temporis quælibet Sectarum, generali libertate (quæ Libertas Conſcientiarum dicebatur) & quaſi interregno Eccleſiaſtico abutebantur; ita ut tota Anglia illo pravarum opinionum veneno miſerè inficeretur. Horn. H E. pag. 418. ſeq.

Johannes Warner, & *Georgius Richard*, Miſnici Vates, de quibus in præcedenti capite, occaſionem dederunt gravi t. t. agitatæ *Controverſiæ* inter A, C. Theologos, de quæſtione: *Quid de modernis Viſionibus, deque revelationibus poſt Apoſtolorum tempora tenendum?* Status ritè formatus, fuit: „ Utrum Deus his ultimis temporibus Eccleſiæ „ tales Prophetas mittere (non poſſit, ſed) velit, quales in V. Teſt. „ fuere, reſpectu graduum excellentiæ in prophetando de regno„ rum & Imperiorum Cataſtrophe, ſub quibus Eccleſia, tanquam „ ſub ſpinis roſa, variis ictibus expoſita eſt? Vel, utrum Deus ad„ huc immediatas revelationes, aut viſiones concedere velit, ſaltem „ de Eccleſiæ vel piorum ſorte, aut futuris eventibus, rebusq; con„ tingentibus aliis, &, an tutò eas jactantibus fides habeatur? *Affirmativam*, quantum inprimis attinebat vindicationem Warneri & Ri-

Richardi, tuebantur Zacharias Hogelius, Erfurtenſis; Jacobus Fabricius, Pomeranus; ac alii nonnulli. Pro *negativa* ſtabant Jacobus Stolterfot, Lubeccenſis; Tobias Wagner, Eſslingenſis; & orthodoxi plerique. Vid. Wagn. diſpp. de S. Script. tert. & quart. pag. 43-47. plur. Calov. Syſt. A. 347. ſeqq. Cui ad manus eſt heptas diſſertationum Hiſtorico-Theologicarum Dorſchei, ſext. ear. pag. 561. 573. usque ad finem, cum allegatis conferat; non pœnitebit.

Hoc anno typis excuſus eſt *Johannis Mülleri*, D. Hamburgenſis, *Judaiſmus*, ex Rabbinorum Scriptis detectus, & Verbi Divini Oraculis refutatus, i. e. liber de Populi Judaici ſumma incredulitate, cœcitate ſpirituali, ac induratione, qua miſeri homines obſtinatiſſimè adverſus vaticinia Prophetica de Adventu, Perſona & Officio Meſſiæ, præprimis JESU Nazareni veram Divinitatem, & ex Maria Virgine aſſumptam humanitatem illibatam, Genealogiam item, doctrinam, vitam, ac alia ſub hiſce contenta, pugnant. Occaſionem, cauſas, & ſcopum libri autor in præfatione explicat; Vir, ut aliis utiliſſimis ſcriptis, ita hoc ipſo etiam optimè, tàm de Judaica gente, quàm Chriſtiana Eccleſia meritus.

Eodem, *Pariſiis* adverſus *Jeſuitas* ita dictos, pluſcula in publicum prodiere ſcripta, eaque à Facultate loci Theologica, nec non totâ ſimul Academiâ, v. gr. libellus monitorius, contra pernicioſam Jeſuitarum doctrinam circa vitam hominum, Regum maximè, & cæterorum in eminentia exiſtentium: Quinque diſtincti Tractatus Apologetici: duo denique libelli ſupplices ad ſupremam Curiam, contra eosdem. Unde plus ſatis conſtat, ipſis è gente Pontificia doctiſſimis Viris, tàm non cùm Lojolitis, graves ob cauſas, convenire, quàm non Lutheranis, & Calvinianis. Vid. Hotting. Hiſt. Eccleſ. part. V. pag. 495. 497.

Tunc temporis *D. Abrahamus Calovius Regiomonti orationem ſuam valedictoriam habuit, eaque ſubſcriptiones Calvinianorum, qua Confeſſionem Auguſtanam, omnimode fraudulentas, nullatenus verò ſinceras eſſe, oſtendit.* „Intelligunt namque, dixit Orator, vel variatam Con„feſſionem, quæ à Philippo, autoritate privata, corrupta fuit: Vel „invariatam (cui Bergius ſubſcribere non dubitat) ex mente Phi„lippi acceptam; non quam, cùm exhiberetur, ſed quam poſtmo„dum, cùm in Calvinianas partes propenderet, fovebat: non verò „ex mente Eccleſiarum noſtrarum, quarum nomine exhibita fuit: „Uti Beza C. A. ſe ſubſcribere paratum teſtabatur literis ad Dudithium,

„ thium, ſicut eam Philippus interpretatus eſt; vel juxta propriam „ interpretationem, prout piam & congruentem ipſi judicant S. „ literis, ut Joh. Calvinus, & Ludovicus Crocius ſe ſubſcribere velle „ profitentur: quo ſenſu Eccleſias Palatinas, Haſſiacas, Wetteravi-„ cas, & Bremenſes eam recipere, Crocius docet. At ludificatoria eſt „ ea ſubſcriptio, perinde ut olim Hieronymus Zanchius profeſſus „ eſt: Se ad eundem modum ac ſenſum recipere A. C. quemadmo-„ dum illam agnoſceret piam, ſecùs verò minimè; agnoſcere autem „ piam, ſi ita intelligatur, quemadmodum ipſe explicet. Calov. Syſt. Theol. A. 127.

Conſilium Hunnianum, de inſtituendo peculiari quodam Collegio Theologico, exhibet Georgius Dorſcheus hiſce verbis: „ Egregium publico conſecravit conſilium Nicolaus Hunnius, magnum „ ſeculi noſtri lumen decusque. Poſtquam enim oſtendit, non eſ-„ ſe deſperandum de Compoſitione controverſiarum Religionis; „ eandemque commodius fieri non poſſe, quam convictione Con-„ ſcientiarum ſcripturarum S. ſolida applicatione; ut pote quæ ſo-„ læ ſint infallibile Sapientiæ immenſæ lumen; Tandem concludit, „ ejusmodi Controverſiarum religionis deductionem ad illud uſque „ faſtigium, ultra quod nulla poſſit eniti ſophiſtica, quod omnes „ ſubmoveat ſuperetque Contradictiones, & Conſcientias convin-„ cat, nullo commodiori modo ad exoptatum progreſſum exitum-„ que pervenire poſſe, quàm ſi Orthodoxarum Eccleſiarum conſen-„ ſu, Collegium hominum doctiſſimorum huic uni labori conſecra-„ retur. Hoc inſtitutum eſſe facile, nec tantis impenſis conſtitu-„ rum, quantis tot Jeſuitarum in ſola Germania Collegia, regiâ Ma-„ gnificentia inſtructa, ſeminaria & aſceteria ingentibus opibus do-„ tata. Singulos univerſo labori pares non eſſe, ſi brevitatem vitæ „ mortalis, ac plurimas ex omni parte difficultates interlabentes æ-„ ſtimaverimus. In rebus civilibus & militaribus res magni mo-„ menti conſilio accuratiſſimo ſelectiſſimorum ingeniorum perfici, „ dolendum eſſe negotio ſanctiſſimo, ac ſummè neceſſario, quo „ Gloria Divina fortiter aſſeri, veritas Divina utiliter vindicari, tot „ ſeductarum animarum ſaluti prudenter conſuli poſſet, nullum de-„ ſtinari Collegium, quod unum hoc agat, ad unum hoc omni ap-„ paratu neceſſario ampliſſimè inſtruatur. DEUM ipſum, cùm „ ſumma negotia pro Majeſtate ſua propugnanda moliretur, & viros „ extra ordinem menſuramque communem donis armaret admi-

„randis, raró uni molem omnem impoſuiſſe; ſemper ferè plurium „Societatem prætuliſſe. Salvatorem Chriſtum, Collegio Apoſtoli„co, & ſeptuaginta diſcipulorum, Evangelii in Orbem proferen„di curam commiſiſſe. Omninò itaque neceſſum eſſe, Collegium „duodecim aut decemvirale conſtitui, in quod præcipuè ſeligendi „Viri in controverſiis exercitati, ad labores tolerandos firmi, pro„priarum opinionum patrocinio non nimis dediti, propoſiti ſan„ctioris tenaces, in pertexendo labore ſemel cœpto perſeverantes, „zelo propugnandæ veritatis ardentes, non puſillanimes, aut ad „periculorum laborumque magnitudinem languidi. His totidem „adjungendos è Studioſorum provectioris ætatis & eruditionis „numero, qui iisdem animi corporisque dotibus inſtructi ſint, ut „tanti laboris ducibus atque auſpicibus nunc adminiculo eſſe, dein „ſuccedere poſſint. Eſſe in eo Collegio labores ita inſtituendos, „ut primò ſanctorum veteris Eccleſiæ Doctorum lectio ſuſcipiatur, „annotentur locorum Scripturæ interpretationes, loquendi chara„cteres, controverſiarum capita, hæreſes ipſæ, progreſſus & res ge„ſtæ Eccleſiæ, ſacri regiminis formæ, Conciliorum Decreta, doctri„næ ad pietatem multiplices, Conſcientiæ Caſuum remedia, Ec„cleſiarum conſilia, variæ denique res cæteræ. Secundò Pontifi„ciorum Scriptorum omnis generis, veterum recentiorumque, ſive „quibus Scripturæ explicandæ manum admoverunt; ſive quibus „Scholæ quæſita diſcuſſerunt in Lombardo ac Thoma occupati; „ſive quibus officia Eccleſiaſtica conſtituerunt; ſive quibus hiſto„riam Eccleſiæ tradiderunt; ſive quibus ordines aſceticos informa„runt; ſive quæ ſunt alia. Tertiò Calvinianorum Scriptorum va„rietas evolvatur. Quartò denique Photiniani, Enthuſiaſtæ, novi „Prophetæ, Weigeliani perluſtrentur, annotatis paſſim, quæ ad ſa„crum bellum neceſſaria & profutura videntur. Lectione abſolu„ta, in Claſſes omnia digerenda, & in quædam promptuaria refe„renda, ad varios faciendos apparatus inſtrumentorum & ſubſi„diorum, nihilque prætermittendum, quod operibus adornandis „emolumentum adferre queat. Conſtitutis denique præſidiis & „ſubſidiis omnibus, ad opus ipſum tractandarum rerum contra „varios errores progrediendum eſſe. Hactenus D. Nicolaus Hunnius.

D. Dorſcheus autem addit: „Ejusmodi conſilium conſumma„tiſſimi Theologi optimum eſſe, nemo dubitat, qui rationes ejus

„gra-

„ graviſſimas expendit, Deum & Eccleſiam amat, controverſiarum-„ que ſacrarum molem rectè æſtimat. Simile propemodum in Ec-„ cleſia Conſtantinopolitana Collegium fuiſſe inſtitutum, ex Ce-„ dreno, Zonara, & Conſtantino Manaſſe, Meurſius, Profeſſor Ha-„ fnienſis, in Lexico Græco-barbaro ſub voce didaſcalos, docuit. „ Nimirum inter Doctores, qui in Eccleſia Magna Conſtantinopo-„ litana eminuerunt, & Patriarchæ adſtiterunt, fuiſſe aliquem di-„ gnitate maximum, quem œcumenicum vocarunt, qui apud ci-„ ſternam Regiam in palatio habitabat, cum duodecim diſcipulis, „ viris in omni diſciplinarum genere inſignibus, qui tanta cum au-„ toritate res Divinas tractabant, ut abſque ipſorum conſilio ne „ ipſi quidem Imperatores temerè aliquid aggrederentur. Speran-„ dum omninò eſſet, ita Dorſcheus pergit, ſi deſignati labores è tali „ Collegio prodirent, & ſe adverſis partibus ſiſterent, multis diffi-„ cultatibus carituram Eccleſiam, quibus nunc fatigatur: Ut planè „ obligatas cenſeam Regum, Principum, Procerumque Chriſtiano-„ rum conſcientias, ut monſtrati inſtituti ſanctiſſimi ac utiliſſimi „ votum promoveant, Eccleſiæque afflictiſſimæ donent autoritate „ benignitateque ſolatium. Et obſecrandos puto omnes eos, quos „ Summatum Magnatumque lateribus conſiliisque Deus junxit, „ ut ſeriò ſecum perpendant ſaluberrimi conſilii rationes, & ſuſci-„ tent egregio publico præpoſitos, ut vel tandem ſalutis Eccleſiæ „ ſeriam ſuſcipiant curam. Erubeſcant, quotquot fateri neceſſe ha-„ bebunt, longè ſapientius civilia negotia tractata eſſe, eorumque „ tractatoribus paſſim majori apparatu allaboratum fuiſſe, quàm „ Sacra geſta ſunt, & Sacrorum tractatoribus impenſum. Vide de his omnibus, Dorſchei Admirandorum Jeſu Chriſti Septenarium, in Præfat. lit. b. 7. ſeqq.

LIB. V. CAP. XLI.

Summaria.

Pacis tractandæ cauſâ Monaſterii & Oſnabrugæ undique confluunt Legati.

Torſtenohnius in Miſnia Fribergam fruſtra tentat, felicior in Moravia.

Königsmarkii ſucceſſus; Gallo-Vinarienſium caſus ad Rotwilam atque Tuttlingam.

Duci Anguienſis expeditiones; Belli civilis Anglicani viciſſitudines.

Woldemarus Chriſtiani IV. Daniæ Regis filius naturalis, Zarii Moſcovitici filiam irrito ſtudio procat.
Philippi, Landgravii Butisbaco-Haſſi, fatum lugubre.
Deceſſus Ludovici XIII. Galliæ Regis.
Cardinalis Mazarini Miniſterium Francicum primarium.

POſtquam de Pacis tractandæ præliminaribus Hamburgi conveniſſet, magno numero Regum, Principum, Rerumpublicarum, Comitum, Baronum atque Civitatum *Legati*, Viri prudentia civili ac rerum Imperii excellentiſſimi, *Monaſterium & Oſnabrugam* confluxere, quorum nomina cum effigie in Theatro Europæo & Brachelio extant, ut non immeritò celeberrimam hanc Panegyrin, totius Europæ compendium vocare poſſis. Burgold. Not. Rer. Imper. pag. 138. part. I.

Suecicæ militiæ Generalis *Torſtenſohnius* ad obſidionem *Freybergæ* Saxonis, oppidi montani, ſe contulit, nec minori ſtudio & conſtantia eam, atque Lipſiam, oppugnavit, ſed irrito conatu, ſtrenuè urbem defendente Sueinizio, cui ſubſidio quoque venit Piccolomineus; Miſſa igitur poſt aliquot ſeptimanarum obſidionem Freybergâ, rurſus in Boëmiam ac Moraviam irrupit, & *Olmutio* inventum ibi *theſaurum* in Sueciam ablegavit, Chriſtinæ Reginæ, nuper ſolenni apparatu coronatæ, ampliſſimo acceptiſſimoque munere gratulaturus. Calviſ. contin. Chron. 1019. Epit. R. G. pag. 315.

Königsmarkius, à Torſtenſohnio in Saxonia relictus, *Halberſtadium* & alia ibidem loca, Saxonicis pulſis, in poteſtatem ſuam redegit, ac dein Cracovium, quem Galaſſius in Pomeraniam populatum miſerat, collatis contra caſtris, ex Pomerania abegit, receptis *Camino* aliisque locis, quæ Cæſareani Præſidio vacua primo adventu interceperant. Hiſtor. Turſell. append. 2. pag. 80. Calviſ. 1020.

At *Gallo-Vinarienſes* hoc anno parum felices fuere, præſertim ad *Rotweilam*, ac *Tuttlingam*. Novembri menſe Comes *Gobrianus*, Vinmarienſium copiarum Dux, *Rotwilam* obſidere aggreſſus, dum dirigendis in urbem tormentis poſt crates vimineas adſtitit, minori machina, quas falconettas vocant, petitus brachium amiſit, quo ex vulnere, paucis diebus elapſis, in capto quidem oppido, vivere deſiit. Mortem Ducis repentina Exercitûs clades inſequuta. Dum enim in propinqua circum oppida legiones diſtribuerant, primaria *Tuttlingæ* juxta Danubium ſtatio præfectorum erat haud procul ab oppido tormentis ac bellicis inſtrumentis omnibus in colle depo-

ſitis,

ſitis, additisque, qui præſidio eſſent. Re omni explorata Cæſareani, Duce Hatisfeldio, Bavaricisque & Lotharingicis contractis militibus, Tuttlingam ſubitò invaſere, occurrentem cum aliquot legionibus Roſam rejicientes; inde in vicinas etiam ſtationes digreſſi, diviſas ad deditionem compulere. Pauci equitum evaſere cum Roſa; Reliqui ferè omnes ſummi infimique, cum apparatu bellico, ſine ullo Cæſareanorum ſanguine, capti; recepta quoque victoriarum appendix, Rothwila. Vid. Chron. Schwel. 477. pl. Turſ. cont. 2. 79. ſeq.

Contra in Belgio *Ludovicus Borbonius, Dux Anguienſis, Rocroam*, quam Franciſcus Melo obſederat, ſuſo Hiſpanorum exercitu liberavit. Multi ex Hiſpanis præcipui Ordinum ductores, in iſto prælio perierunt. Eâque potitus victoriâ *Theodonis Villam* (Diedenhofen) munitiſſimum in agro Lucemburgenſi propugnaculum, circumſedit Anguienſis, & ſecundo poſtquam obſederat menſe, magna ſuorum ſtrage expugnavit. Boxhorn. Chron. contin. 166. Hofman. Lex. B. 445.

In *Anglia* continuatur *bellum inteſtinum*, quod inprimis tres magnas periodos habuit. Prima fuit ab initio usque ad Auguſtum 1643. quo tempore intra unius anni ſpatium ita mutata belli fortuna fuit, ut *Rex* è contemptibili metuendus, & ex victo quaſi, victor derepente evaſerit, ſucceſſu tam admirabili, ut ſub finem Julii nil ferè *Parlamento* reſtaret, quàm aliquot urbes & propugnacula, nullus propemodum exercitus, nullæ copiæ, meraque deſperatio ſupereſſet. Eo momento debellari potuiſſet Anglia, ſi Rex tàm victoria ſciviſſet uti, quàm vincere. In ſolo *Londino* reſtabat belli momentum, eaque urbe capta, procul dubio tranſactum fuiſſet. Cùm autem omiſſo capite rerum, Gloceſtriam, Sommerſetiæ oppidum (quod à fortiſſimo viro Edoardo Maſſio ſtrenuè defendebatur) obſediſſet Rex, brevi fortuna totius belli circumacta fuit: Rex enervatus iſthac obſidione, fractusque; Parlamenti autem conditio ad meliorem ſtatum rediit. Londinenſes enim interea non tantùm urbem ſuam, exſtructis hîc & ibi propugnaculis haud contemnendis, veluti Divino Spiritu afflati, communiverunt; ſed etiam quicquid reſtabat opum ac virorum conferentes, Exercitum eo ſucceſſu repararunt, ut obſeſſis jam ad extremum deductis, Rex obſidionem ſolvere cogeretur, & commiſſo prope Nuberiam prælio, victoriam Eſſexio, menſe Septembri, concedere. Horn. Orb. Imper. pag. 348.

Sub hæc *Woldemarus*, Chriſtiani quarti Daniæ Regis, ex pellice Chriſtina Monkia gnatus, in Moſcoviam ducendæ *Zarii* ſeu Magni Ducis *filiæ*, firmandæque cum Regia domo amicitiæ cauſâ profectus, multos fecit ſumptus, nullo tamen voti ſucceſſu; quin potius occaſionem haud minimam dedit acerrimo inter Suecos Danosque bello, de quo infra V. D. mentionem faciemus. Hofm. Lex. univerſ. B. 580.

Ad vitæ temporalis finem oppidò lugubrem tunc temporis, præter exſpectationem pervenit *Philippus* Haſſiæ Superioris Landgravius, *Butisbaci* Dominus, Georgii Darmſtadienſis filius, Philippi Magnanimi nepos; qui *ambuſtus in balaeo*, miſera morte interiit: nulla quidem ex Margareta Diepholtina, & Chriſtianâ Sophia Friſia, conjugibus prole relicta. Spener. in Syllog. Geneal. p. m. 223.

Mortuus etiam *Ludovicus XIII. Galliæ Rex*, anno ætatis tertio & quadrageſimo, eodem planè die, quo ante annos tres & triginta patrem ejus, Henricum quartum, Sicarius interfecerat. Cardinali autem *Richelio*, ſuperiori anno vivis exempto, in Regiorum conſiliorum arcana *Julius Mazarinus* itidem Cardinalis ſucceſſit; Armando Richelio, dum vivebat, intimus, ac ipſius favore ad maxima quævis provectus. Horat. Turſell. Hiſt. Ep. contin. app. 2. 19.

LIB. V. CAP. XLII.

Summaria.

Scortum nefarie temerarium, infantis bicipitis mater.
Militum compotatio in ſanitatem cacodæmonis.
Partus quadrimeſtris vox articulata; Monſtrum humanũ.
Ex arce deſtructa Grimmenſtein, nata arca Fridenſtein.
Samojedia per Legatum ſuum egregiè commendata.
Prodigia varia.
Viri Japonii vindicta in uxorem adulteram, & mœchum, inaudita.

TEmerarium! Steinhemii, in pago ditionis Ulmenſis, vitam egit fœmina quædam temeraria, laſciva, procax, jam ante haud unius fœda mater ſpurii; hæc imprægnationis per illicitam Venerem iterum ſuſpecta, cùm interrogaretur: Annon denuò uterum gereret, brevi paritura nothum? Invita id negavit conſcientiâ, ſubjiciens: *Iterum paritura, infantem edam bicipitem*; dictum factum! poſt aliquot ſeptimanas partum (equidem exanimum) in lucem protulit, unius corpuſculi duo capita habentem, è pluribus à loci quo-

que

que Parocho Stölzlino viſum, ut ipſe refert im Adlerſtein. dedic. lit. b.

Horrendum! Bernſtadii contigit in Sileſia: Cùm tres deſperatæ profanitatis & malitiæ *milites in ſanitatem Cacodæmonis* compotarent, mox adfuit infernalis genius, per feneſtram ingreſſus hypocauſtum, exque impiis potatoribus continuo primarium arripiens, ad fornacem projecit; hic tamen, cùm ex metu ac dolore exclamaſſet, *O JESU*, Satanam abire fecit; qui per tectum ſuperius erumpens, duabus fractis & ablatis trabibus, multisque ſcandulis, diſparuit. Zeil. in Epiſt. tom. 2. 728.

Rarum, & monſtroſum! Scribit autor fide dignus, anno 1643. Winſpergæ *ſedecim hebdomadum partum* tertia vice, claraque & articulata voce clamaſſe: *O JESU!* & in veteri Sittenbachio (pagus eſt prope Noribergam) pauperis cujusdam operarii uxorem *duas peperiſſe puellas, lateribus concretas*, cætera omnibus externis ac internis membris, excepto corde uno & communi, diſtinctiſſimas, longiuſculis ac valdè nigris capillis, fœdisque labiorum ſciſſuris, quas vocant Haſenſcharten/ utrinque notatas. Zeil. citat. ep. 733.

Commodè mutatum! Superiori ſeculo, tempore belli Grumbachiani, validiſſima illa & ferè inexpugnabilis *Arx Grimmenſteinia*, incredibili ſumptu (de quo etiam in Receſſibus Imperii mentio fit) mandato Cæſareo deſtructa & ſolo æquata fuit; conſtititque illa demolitio florenis plus quinquagies quinque millenis; Verùm hoc ipſo anno, impenſis *Erneſti* Saxo-Gothani Ducis, cœpta eſt reparatio iſtius Caſtelli, &, mutato nomine odioſo, pro arce *Grimmenſtein*, extructa *Fridenſtein*. Vid. Burgold. Notit. Rer. Imper. A. 50. & Birkii Sächſiſcher Helden-Saal/ 606. pag.

Ridiculum! Samojedia Tartariæ deſertæ pars eſt, hodie provincia Moſcoviæ Borealis ultra Siberiam ad Hyperboreos montes, nullo neque oppido, neque caſtello, neque eximio aliquo ædificio inſignis; verùm anguſtis tantùm & vilibus caſulis hinc inde poſitis aſperſa potius, quàm ſpatioſis ac ſpecioſis domibus inſtructa; maximam partem inculta, ſylvis ac nemoribus horrida. Nihilominus tamen iſtius populi *Legatus* ad Moſcoviæ Ducem, de patriæ ſuæ ſtatu & qualitate t. t. rogatus, *miris eam laudibus extulit*, quaſi omnibus aliis regionibus præferendam; hinc dicere non dubitabat: Magnum Zarium, ſi ſatis ei conſtaret, quàm bellè & commodè in ſuo natali ſolo Samojedæ vivant, proculdubio Aulam hactenus inhabitatam, totamque Ruſſiam deſerturum, ac in Samojedia fixam e-

rectu-

rectūrum ſedem. Non igitur immeritò quis repetit illud Ovidii: *Neſcio, qua natale ſolum dulcedine cunctos ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui; Quid melius Româ* (Muska) *Scythico quid frigore pejus? hunc tamen ex illa barbarus urbe fugit.* Vid. pl. in Adam. Olear. Itiner. lib. 3. 160. ſeqq.

Ominoſum! Hunc annum apprimè memorabilem reddidit octava Mundi Revolutio, ſeu *Magna ſuperiorum planetarum Saturni & Jovis Conjunctio* in igneo, ut loquuntur Aſtronomi, Trigono, ſubque ſigno Arietis, die 10. Febr. facta. *Duo* etiam viſi circa ſolem *Parelii, cum Iride;* Obſervata multis in locis *inſolita tempeſtas;* Conſpecta ſunt prodigioſa in cœlo *Chaſmata;* audita menſ. Jan. & Febr. frequentia tonitrua, &c. quod omne in omen pœnarum & calamitatum Germaniæ porrò exſpectandarum, à multis, nec immeritò acceptum. Zeiler. Epiſt. part. 2. pag. 18. Anonymi Türcken-Trutz und Gottes Schutz/ lit. E ij.

Inauditum! In *Japonia* vir quidam, de uxore ſua malè ſuſpicatus id, quod res erat, domo exiens ſimulabat, quaſi peregrè ab urbe eſſet profecturus. Non multo poſt rediens domum præter opinionem uxoris, reperit eam in cubiculo cum alio viro turpiter ſe gerentem. Statim ergò mœchum interficit, uxorem autem ſcalæ alicui alligat capite ac pedibus, totaque nocte ſic alligatam ſinit. Sequenti die invitat omnes conſanguineos & affines ad convivium. Venére frequentes tàm Viri, quàm fœminæ. Hæ cùm matremfamilias non conſpicerent, ignaræ eorum, quæ acciderant, aliquoties Convivatorem percontantur, ubinam uxor eſſet, cur non accederet? Ille reſpondit, occupatam eſſe præparandis edulis, juſſitque convivas hilari eſſe animo. Cùm jam aliquot horis accubuiſſent menſæ, ferèque convivium abſolutum eſſet, maritus ille conclavi exiens, ad interfectum priori die cadaver ſe confert, genitalia ejus reſecat, eaque floſculis quibusdam infixis exornata in capſulam recondit, clauſamque hanc uxori ſuæ de ſcala religatæ, feralibus veſtimentis indutæ & capillo paſſo, tradit cum his verbis: *I, convivis appone has dapes, & experire, ſi fortè propter cognatos tibi gratiam fecero, culpamque condonavero.* Mulier inſcia quid capſula contineret, & jam tum ſemimortua, rationisque (propemodum) expers, mandata mariti exequitur, ac terribili iſta ſpecie magis ſpectro, quàm homini ſimilis cubiculum ingreditur, capſulam porrigit, coramque convivis in genua procumbit. Apertâ capſulâ, &, quid ineſſet, conſpecto,

ſpecto, miſera in animi deliquium incidit, & ab adſtante marito caput illi mox amputatum eſt. Quæ res tantoperè convivas percuſſit, ut illicò omnes domo aufugerint, relicto convivio. Bernh. Varen. in deſcript. Japon. pag. 93.

LIB. V. CAP. XLIII.

Summaria.

Fundatæ Academiæ Regiomontanæ memoria ſecularis.

Pennaliſmus Jenæ iterum invaleſcens, aliquantiſper tamen reprimitur.

Johannes, Princeps Anhaltinus, ditioni Serveſtanæ Religionem Lutheranam reſtituit.

Hippoltſteinium, ad W. W. Neoburgicum devolvitur, fato Evangelicis dolendo.

Gravamina de Libertatis Germanicæ, ac Pacis Religioſæ violatione, quomodo in conventu Oſnabrugo-Monaſterienſi tractata?

G. Rakozius, vindicandæ in Hungaria purioris Religionis cauſa, armatus.

Tettelbachii, Senioris Miniſterii Eccleſ. Francoſurtani, obitus.

HIc annus *Academiæ Regiomontanæ* in Boruſſia *Secularis* & Jubilæus primus fuit. Fundata enim anno 1544. ab Alberto primo Marchione Brandenburgico, qui uxore ducta, veram Evangelii doctrinam in iſtum Ducatum invexerat, quem conceſſione Regis Poloniæ obtinebat. Inauguratio Academiæ facta ſolenni ritu menſe Auguſto, die decima ſeptima. Univerſitatis Scholaſticæ *primum Rectorem* egit *Georgius Sabinus*, poëta clariſſimus, Philippi Melanchthonis gener. Micræl. H. E. lib. 3. 171. Oſiand. Cent. XVI. pag. 353.

Jam diu quidem eſt, ex quo *Pennaliſticas actiones*, non modò Profeſſores omnium Facultatum, ſed & Principes ac Nutritii Academiæ *Jenenſis*, ab Univerſitate ſua Scholaſtica in totum abeſſe juſſerunt; per proximum verò abhinc triennium à maleferiatis quibusdam ex Orco ſunt revocatæ, ac, fruſtra renitentibus optimis literaturæ diſciplinæque politioris moderatoribus, eousque denuò invaluere, ut anno hoc ineunte, orto propter eas ingenti tumultu, Principibus, aliisque honeſti & recti amantiſſimis viris, juſta conquerendi cauſa naſceretur: Studioſos, qui tum Jenæ vivebant, omnes, paucorum maleferiatorum inſtinctu, *Pennaliſmum*, cui unus alterque antea non niſi clam addicti fuerint, nunc in Academiam iſt-

 hanc

hanc, publica quaſi autoritate inaudito modo introduxiſſe, adverſantes inſtituto ſuo pro infamibus habere, ac ſumma vi perſequi; ejusq; rei cauſa certas confœderationes, Deo & legibus repugnantes, iniiſſe, ac ordinario Magiſtratui, poſthabita jurisjurandi religione, debitum honorem & obſequium palàm denegare &c. Sed huic malo cùm inclutorum Saxoniæ Principum territorialium ſevera mandata, tum Ducis Wilhelmi præſentia, medicinam attulere, adeò, ut per annos tres proximos furor ille non parum remiſerit; qui tamen mox, dubio procul cacodæmonis inſtinctu, majore cum impetu rediit. vid. pennaliſm. ab Academ. Jen. profliɡ. A. 3. Similes tumultus, eadem tempeſtate, *Marpurgenſem* Haſſorum, & *Vilnenſem* Lithuanorum Academias, magno bonorum omnium cordolio, expertas eſſe, refert Calviſii Continuator in Chron. pag. 1021. Zeiler, epiſt. part. 2.732.

Poſtquam ſuperiori ſeculo *Joachimus Erneſtus, Princeps Anhaltinus* (qui mortalitatem exuit an. 1586.) in Religione Calvinianorum partibus, impulſu Wolfgangi Amlingii acceſſiſſet, mox ejusdem ſectæ errores in totum Principatum intulit, quos etiam ſubſequentibus temporibus quinque ejusdem filii, nempe Johannes Georgius, Deſſavienſis; Chriſtianus, Bernburgicæ; Auguſtus, Ploezkavienſis; Rudolphus, Serveſtanæ; & Ludovicus, Cæthenſis ditionis Poſſeſſores, magno ſtudio propagarunt. Hiſce temporibus autem *Johannes*, quem *Rudolphus* ex Magdalena Oldenburgica ſuſtulit an. 1621. in lucem editum, Zerveſtæ aliisque in locis ipſius jurisdictioni ſubjectis, Lutheranam religionem reſtituit. Is enim poſt obitum patris, ab avunculo *Antonio Günthero, Comite Oldenburgico*, educatus, & ad *Auguſtanæ Confeſſionis puritatem* reductus, acquieſcere noluit ante, quàm ſubditis ad ejusdem doctrinæ ac fidei communionem rectam & planam paraſſet viam. Ut verò ſatis cautè ageret, nihilque contra bonum publicum ſuſciperet, ſuper tanto negotio fidele Conſilium à Facultate Theologica Wittenbergenſi requiſivit, &c. vid. Notit. procer. Imhof. pag. 666. 674. & Conſil. Witt. part. 3. pag. 27. ſeqq.

Per mortem *Johannis Friderici, Principis Neoburgici*, cui in ditionum paternarum diviſione *Hippoltſteinium*, cum præfecturis *Heydek, Allersperg, & Gözin*, obvenerat, quia nullos reliquit liberos, ditiones ejus ad fratrem *Wolfgangum Wilhelmum* devolutæ ſunt, magno Lutheranæ religionis detrimento; quam W. Wilhelmus non hìc minus, ac in dominio fratris *Auguſti Soliſbacenſis* an. 1632. defuncti,

ſub

ſub jurium ſuprematûs prætextu, everſum ibat. Notit. procer. Germani. pag. 372. 378. confer. lib. II. cap. XV. & lib. 4. cap. XV. annotata.

Interea *Legati Proteſtantium in conventu Oſnabrugo-Monaſterienſi Pacificatorio*, variè *conquerebantur* de imminutis Imperii Rom. Germanici juribus, de conſtuprata libertate, de calcatis legibus, & violata præſertim pace, quæ Religioni æquiſſima ſuperiorum Cæſarum, utpote Caroli quinti, Ferdinandi primi, & Maximiliani ſecundi, cum Ordinibus conventione pacta fuerat Auguſtæ Vindelicorum, anno præcipue 1555. Ac optimum fortaſſe fuiſſet, ſi in celeberrima iſthac panegyri, omnium primò illis *gravaminibus*, tanquam omnium morborum & malorum ſcaturigini, fuiſſet ſatisfactum. Sed quod in intentione & exſequutione meritò primum eſſe debebat, id ultimum ferè punctum conſtituit, & pacis quaſi appendix fuit. Ut verum illud inveniatur Taciti: *Paucis decus publicum curæ; privata cuique ſtimulatio, & vile decus publicum!* Ac (ceu Poëta canit) *reditus jam quisque ſuos amat, & ſibi quid ſit utile, ſolicitis computat articulis.* Refert Burgoldenſ. in rer. Imper. notit. part. 1. pag. 139.

In Hungaria verò, Daciaque ſeu Transſylvania, *Georgius Rakozius* preſſam purioris doctrinæ confeſſorum fidem & *religionis libertatem armis vindicare auſus eſt*; Iſtis in univerſum conquerentibus: Auſtriacos in eo potiſſimum videri occupatos, ut Regnum Hungariæ (cum annexâ ſimul Transſylvania) hæreditarium ſibi faciant; verum DEI cultum exterminent, ac veritatis Evangelicæ ſectatores genuinos proſcribant, ejiciantque Regno, aut prorſus opprimant & proculcent. Hoc fine, Ferdinandi Regis nomine, viros etiam ex Papali Clero, Primariis Regni officiis præfici; plus nimio Lojolitis tribui, publicæ tranquillitatis perturbatoribus Regis & regni perpetuis inimicis; iisdem religioſis Papæ R. addictis, optimos paſſim fundos (pulſis poſſeſſoribus legitimis) occupare permitti; Evangelicis plurima templa eripi, alia occludi; privilegia olim clementer conceſſa, & juratò confirmata, quotidie violari & imminui; gravaminibus & querelis toties iteratis nullum conveniens remedium ſerid adhiberi, &c. Tſchim. in cont. Sleid. de Monarch. lib. 3. 445.

Supremum hujus ævi diem clauſit N. N. *Tettelbachius*, Theologiæ Doctor, verbi Divini præco Francofurti ad Mœnum, & S. Miniſterii Senior, de Eccleſia Chriſti benè meritus: Cui quidem Francofurtenſes *D. Dannhauerum*, Argentinenſem Theologum, ſubſti-

tuere cogitabant; ſed hic ſorte ſua contentus, quin imò ad vitam Academicam quaſi natus ac datus, modeſtè vocationem iſtam deprecabatur. Program. funer. Dannhau. prop. fin.

LIB. V. CAP. XLIV.

Summaria.

Urbanii VIII. Pontificis R. mors, & nonnulla de ejus Poëſi.

Cacodæmonis, deſtupenda ſex Perſonarum nece, memorabile diſtichon.

Pontifex iſte, Patrimonii Petrini, ſic dicti, augmentator:
Idem, Ignatii Lojolæ in ſanctorum numerum promotor:
Galilæi verò de Galilæis Cenſor ſeverus.

Matthæus de Caſtro, mira Lojolitarum invidiâ exercitus.

Johannes Baptiſta Pamphilius, in ſedem Papalem evectus, qui nomen Innocentii X. aſſumpſit.

Ejusdem ſolennis inauguratio; Et cujusdam Italo-Græci adulatoris acclamatio, homine Chriſtiano in digna.

Bentivoglius, metu ne Papa fiat, extinctus.

ANno 1644. ſub finem Julii menſis, implevit ſuæ mortalitatis legem *Urbanus VIII.* R. Pontifex, ætat. 77. poſtquam triplicem Coronam geſtaſſet 21. an. Celebris *Poëta*, ſcripſit Hymnos, paraphraſes aliquot Pſalmorum, & Canticorum V. T. Epigrammata, aliaque Poëmata latinè ac Italicè concepta. Facilis ergò eſt *conjectura* ſub hoc Pontifice hiſtoriam contigiſſe, quam Velthemius narrat ſequent. verb. „Puerulus imitaturus lanionem, quem viderat „mactare porcum, ex puerilitate (quæ Senecæ dictio) teneriori „fraterculo mortiferum vulnus inflixit: Mater, quæ in inferiori ædium parte bimeſtrem filiolum laverat, triſti voce moribundi commota, cùm tenerrimum ejus corpus vulneratum ferro confectumque vidiſſet, iratiſſima miſerrimum mactatorem eodem cultro transfodit: Mox iterum Puſionis in Bapiſterio jacentis memor, eum „aqua ſuffocatum invenit, ſeque ipſam ſuſpendit: Marito tandem, „ſpectatori quatuor funerum, trium filiorum, unicæque matris, „mœror intolerabilis animam extinxit. Pontifex R. poëta aliàs ex„cellentiſſimus, totam rem geſtam diſticho includere in rei memo„riam tentavit, ſed fruſtra: periculum quoque fecit, ſpe promiſſi „præmii pauper poëſeos cultor, nec minus infelici ſucceſſu, qui „tandem præ nimia indignatione diabolo iſtud poëmatis genus „commendans, hoc diſtichon ab atro tragœdo dictatum calamo ex„cepit:

„cepit: *Sus, pueri bini, puer unus, nupta, maritus, Cultello, lympha,* „*fune, dolore, cadunt!* Valent. Velthem. in Inſtitut. metaphyſ. p. m. 1268. Stratem. 1140.

Hic Pontifex titulum *Eminentiæ* Cardinalibus, & Magiſtro Hoſpital. Hieroſ. primus impertiit. Illius etiam tempore, cùm Franciſcus Marianus 2. *Urbini* Dux nullo hærede maſculo relicto moreretur, *Ducatus* iſte, Caducitatis jure Patrimonio Petri ceſſit; Eaque ad Papæ Majeſtatem additione factum, ut à Terracina, limite regni Neapolitani, Loretum uſque, primum Venetorum oppidum, ditio Pontificia ſe per trecenta milliaria longitudinis continua extendat, & latitudinem habeat ab Oſtia ad Anconam, à mari infero ad ſuperum. Satis id pro Rege ſacrificulo; qui jam præter Romanum agrum inter Romam & agrum Neapolitanum, ac præter Patrimonium Petri, quondam (ut ajunt) à Mathilde in Hetruria à Roma verſus Florentiam Eccleſiæ donatum, poſſidet Umbriam ſeu Ducatum Spoletanum; Picenum ſeu Marchiam Ancontinam, inque ea Ducatum Urbinatem, Romaniolam ſeu Flaminiam & Æmiliam; in agro Neapolitano Beneventum: in Gallia Comitatum Avenionenſem; in Mediolanenſi tandem territorio Ducatum Parmenſem, qui, ut & Caſtri Ducatus, eſt in ipſius beneficio. Micræl. ſyntag. H. E. lib. 3. pag. 589.

Idem, *Ignatii Lojolæ nomen AlboSanctorum* inſcripſit, ejusque feſtum anniverſarium Jul. 31. die celebrari voluit, ut ſupra dictum lib. III. cap. XXIII. Eò igitur impudentiæ Ignatiani mox provecti ſunt, ut è faſtis, & Calendario ipſo Romano, nomine *S. Germani*, qui eum ſibi diem hactenus vindicaverat, eraſo, Ignatianum ſubſtituerint. Iſta verò res in *Gallia*, quæ Germanum præcipuè colit, non levibus turbis occaſionem præbuit, Gallis, Germanum ſuum tanta contumeliâ affici, quiritantibus. Lis ad Urbanum delata, ſic deciſa eſt: Ut eodem die ſimul *Germanus & Ignatius* celebrentur; quod ſi ſimul ſtare nolle viderentur, exſpectaret Ignatius, ceu recentior, annum biſſextilem, ac diem, qui tum intercalatur, ſibi eximium haberet. Heideg. hiſt. Papat. Pag. 357. Hofm. Lex. B. 565.

Contra, carbone notavit nomen; *Galilæi de Galilæis*, propter opinionem de terræ motu circa ſolem immobilem, tanquam Scripturæ S. contrariam. Fuit iſte Galilæus inſignis Mathematicus, Florentinus, ſcriptis inventisque inclytus. In ſole maculas, in Saturno figuræ varietatem, viciſſitudines Veneris Lunaribus haud abſimi-

ſimiles, ſatellites Jovis, quos Aſtra Medicæa vocavit &c. Obſervaſſe legitur. A *Mæſtlino* Copernici ſententiam edoctus, de motu terræ rationes invenit, quibus illa redderetur confirmatior. Hinc ſubjectus inquiſitioni, per aliquot annos in *carcere* languit, *coactus tandem palinodiam canere*; Obiit an. 1642. Hofm. Lex. A. 674. Micræl. H. E. lib. 3. 590.

Circa finem Pontificatus Urbani, *Matthæus de Caſtro*, natione Indus, Romam uſque miſſus, eos fecerat in ſtudiis profectus, ut Vicarius Apoſtolicus in Æthiopiam deſtinaretur; ſed à Jeſuitis, quos vocant, per conſtitutum ex illis Æthiopicum Patriarcham (Titularem) rejectus, & Romam redire coactus eſt. Inde denuò cum Epiſcopi charactere miſſus in Indiam, novas Lojolitarum perſecutiones incurrit, inter alia delatus apud Luſitaniæ Regem, quod Semipaganus eſſet, ac parva Idola ſecum ferret, itemque ex Templis boum ſtabula faceret. Deprehenſam autem, non nemo ſcribit, fuiſſe calumniam, cùm inſtituta juſſu Regis inquiſitione, compertum fuerit, *nummos*, quos Epiſcopus habebat, in regionibus illis uſitatos, *Idola* vocari, quod figuris illorum ſignati eſſent; boves verò, quos in templa admiſiſſe dicebatur, *homines* eſſe, bajulando victum quærentes, qui populari dicacitate boves vocarentur. Sed alia graviora viro, gens Lojolica objecit, ut vel tertia vice Romam proficiſci coactus, ibique ſatis rigidè tractatus, tandem verò penitùs abſolutus, ac in Indiam remiſſus fuerit, in qua multis annis ad extremam uſque ſenectutem ſuo muneri præfuiſſe perhibetur. Ex act. Eruditor. Lipſienſ. de an. 1690. pag. 387.

Urbano ſucceſſit *Johannes Baptiſta Pamphilius*, natione Romanus, poſtea dictus *Innocentius X.* Quamvis enim de novo Pontifice creando miris modis certatum, factionibus Hiſpanica, Gallicanâ, Romanâ, Barberina diu colliſis, & jam ſex hebdomadæ in Conclavi exactæ eſſent, cùm Johannis Baptiſtæ ne mentio quidem creandi Pontificis ulla incidiſſet: eò quod obſtaret ingenium ejus à literarum, ſacrarum præſertim, ſtudiis alienum, nonniſi cauſis dicendis aſſuetum; &, quod eum eſſe mancipium alienæ libidinis, puta *Olympiæ*, quæ uxor fratris ejus fuiſſe dicitur, conſtaret ferè omnibus: Nihilominus tamen inter Hiſpanicorum Gallicorumque Cardinalium, æquis viribus certantium, acerrima ſtudia, Olympiæ inprimis, ut ferunt, artibus effectum eſt, ut præter opinionem Pamphilius Papa proclamaretur. Cujus antehac electum ſymbolum, nempe

Columba, ore præferens Olivæ ramulum, lætis omnium animis acceptum, ſub ejus Pontificatu redituram pacem, non temerè præſagientium &c. Heideg. in hiſt. Papat. pag. 393. Turſellin. contin. hiſt. append. 2. 81.

Inauguratio Pamphilii ſic ſe habuit: Poſtquam in Papam electus eſſet, Cardinalis Barbarinus clara, qua potuit voce, aperta prius feneſtrâ, converſus ad populum in area ſtantem, clamavit: *Annuncio vobis gaudium magnum! habemus Papam Dn. Johannem Baptiſtam Pamphilium, qui poſthac nominari geſtit Innocentius X.* Alius, qui ante Coronationem ipſius digito annulum indidit, hisce verbis uſus eſt: *Accipe annulum, ceu ſigillum ſanctiſſimæ fidei & fidiſſimæ curæ, ut ſanctam DEI Sponſam, nempe Eccleſiam, inviolata fide ornatiſſimam, puram & immaculatam ſerves.* Cùm pallium acciperet, hæc ſonabant: *Accipe pallium, ſanctam plenitudinem Pontificalis officii, ad honorem Omnipotentiſſimi DEI, glorioſiſſimæque Virginis Mariæ, ac beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Romanæ Eccleſiæ.* Ante impoſitionem Infulæ recitabatur precatio: *Omnipotens ac æterne DEUS, gloriæ Sacerdotii, regnique* (ita vocant Infulam) *inſtitutor, impertire gratiam ſervo Tuo, ſummo Sacerdoti noſtro Innocentio, ad regendam Eccleſiam T. ſalutariter, ut ille, qui benignitate T. conſtitutus eſt Regum Pater, atque Director omnium fidelium, auxilio T. omnia benè regat, per Dn. JESUM CHRISTUM Amen!* Peractis precibus, Cardinalis de Medices impoſuit REGNUM, ut vocant, novo Pontifici, addita hac verborum formâ: *Accipe infulam triplici corona cinctam, & agnoſce, Te Patrem eſſe Regum ac Principum terræ, MUNDI RECTOREM, J. C. Salvatoris noſtri Vicarium in his terris; Cui honos & gloria in ſeculorum ſecula!* Ad populum converſus Cardinalis prædictus clamabat: *Hodie Salus contigit Orbi; hodie vobis omnibus, qui creduli eſtis, plenariæ à Dn. Papa noſtro Innocentio decimo Indulgentiæ donantur, in nomine Patris, & Filii & Spiritus S.* Pontificem jam diademate exornandum, Cardinalis Columna flexis genibus alloquebatur: *Sanctiſſime, beatiſſimeque Pater, Eccleſiæ Caput, Mundi Regens univerſi, quem è ſingulari providentia, ſuprema Majeſtas in cœlis, ipſius Vicarium in terris eſſe voluit, diſtributorem æterni gaudii, ac defenſorem* (vindicem) *Chriſtianæ libertatis, nobis ac toti Mundo præpoſuit; Cui claves regni cœlorum traditæ ſunt, poteſtas ligandi ac ſolvendi; quem Angeli in cœlo venerantur, portæ inferorum formidant, totus denique Mundus adorat; Nos etiam honoramus, amamus, adoramus Te unum, ut Patronum noſtrum, Caput ſummum, Epiſcopum & Patrem ſpiritualem, ſubmittentes*

tes nos perquam ſolicitè, omniaque noſtra, paternæ tuæ ac pluquam Divinæ diſpoſitioni, fidei, curæ; claves itidem ſolvendi & ligandi, quas CHRISTUS D. Petro; ejusque Succeſſoribus reliquit, offerimus humili devotione, in nomine P. F. & Sp. S. Amen! Subinde porrexit Cardinalis Innocentio, Clavem auream, ſymbolum poteſtatis ſolvendi; & argenteam, ſignum poteſtatis ligandi. Denique Muſici cantabant: *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Hoſianna in excelſis, &c.* ex Eraſ. Franciſc. Schaubühn. pag. 417. 424. 428. ſeqq.

Nota etiam eruditis eſt, & eſſe debet, *votiva* illa *acclamatio*, qua thronum Pontificium gratulatus eſt Innocentio quidam *Italo-Græcus*: „ PHILIUS Dei ex æterna ejus charitate, qua ſe DEO Patri „ obtulit in amantiſſimum Interceſſorem ac Mediatorem DEI ac „ hominum, ab inſtanti conceptionis in utero B. Mariæ Virginis, fa„ ctus fuit Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedeci, „ ac primus Pontifex Optimus Maximus. Sed *Philius* fuit *Philius*, „ non *Pamphilius*. Fuit Interceſſor DEI & hominum; non fuit uni„ verſalis Mediator Angelorum & hominum, ſeu Pamphilius. Si ex „ nominis analogico æternoque anagrammate præſagire licet my„ ſterium aliquod in tempore; Tu ab æterno prædeſtinatus es, eſſe „ *Pamphilius* in terris, ac dici Pamphilius, æmulus Filii DEI in cœlis. „ *Pamphilius* ergò eris, univerſalis nimirum Reconciliator Angelo„ rum & hominum, in terris hoſtiliter pugnantium Regum ac po„ pulorum, &c. Ex Laurentio Bank in Roma triumphante, Rumetſch in Collatione Concil. Trid. & Nicæn. I. pag. 17. Scherzer. in Syſt. Theol. pag. 851.

Guido Bentivoglius, Ferrarienſis, natus anno 1579. Cardinalis creatus menſ. Jan. 1621. *metu Papalis Dignitatis*, quam poſt exceſſum Urbani VIII. in ſe collatum iri timebat, undecim noctibus nihil ſomni capere potuit; eaque de cauſa febri correptus, menſe Septembri *Spiritum emiſit.* Vid. Act. Erud. Lipſ. de an. 1691. pag. 133.

LIB. V. CAP. XLV.

Summaria.

Parlamenti Anglicani, ob contentiones de Regimine Eccleſiaſtico, concluſum.

Idipſum Parlamentum, in Presbyterianos ac Independentes periculosè diſtractum.

Guilielmus Laudus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, ex Parlamenti ſententia ſecuri percuſſus.

De

De Laudo Hornii, & cujusdam Irenæi Philadelphi, querimoniæ.

Culpa confuſionis Anglicanæ, an ſoli Laudenſium factioni imputanda?

Henrici Altingii ex vita mortali deceſſus.

IN *Anglia* fervent contentiones de *Regimine Eccleſiaſtico*, quæ cùm acerbiores, & graviores eſſent, quàm ut brevi tempore componi poſſe inter ſolos Myſtas videretur, die 13. Sept. *concluſum in Parlamento*, ut Deputati utriusque Domûs, unà cum delegatis Eccleſiæ Scoticanæ, ac ſynodi Londinenſis, de qua ſupra, de Compoſitione & Unione Controverſiæ in ſynodo agitatæ ſuper Eccleſiaſtico regimine diſpicerent: vel ſin minus iſthoc obtineri poſſet, inquirerent in modum, quo teneræ Conſcientiæ, quæ ſe in omnibus nequeunt ſubjicere eidem ſtabiliendæ regulæ, tolerari poſſent juxta DEI verbum, ad publicam tranquillitatem, & ſynodi progreſſus non diutius illis contentionibus inhibendos. Hornbek, S. C. pag. 784.

Ex controverſiis de regimine Eccleſiaſtico, hoc potiſſimum tempore *Parlamentum Anglicanum* in duas factiones diſtractum fuit, *Presbyterianos* ac *Independentes*. Cùm enim, ſublatis Epiſcopis, convocata ſynodus Anglicano-Scotica de reformanda Eccleſia deliberaſſet, magna Theologorum pars, Eccleſiarum Scoticarum, Helveticarum, Gallicarum, Belgicarum, & Germanicarum Eccleſiarum regimen approbavit; ut nimirum per Presbyteros, Claſſes ac ſynodos ſacra adminiſtrarentur: His alii ſe oppoſuerunt, magis odio Scotorum, quàm quod res tanti momenti eſſet: ac profectò in ſumma rei conveniebant omnes; de formulis tamen atque circumſtantiis litigabatur. Et quanquam factiones illæ magis politicæ, quàm Eccleſiaſticæ videbantur, earum tamen occaſione non minus in Eccleſia quàm in Republica mutatio longè graviſſima conſecuta eſt Boxhorn. Chronol. contin. pag. 167. Horn. Orb. Imper: 350.

Eadem tempeſtate nomen *Independentium*, & *Independentiſmi*, primùm ferè in Veteri Anglia innotuit. *Independentes* autem communiter appellabantur omnes, qui ſeſe Scotorum opinionibus de adminiſtratione ſacrorum per Presbyteria, Claſſes, & Conſiſtoria opponebant, & pro libertate (quam vocabant) Conſcientiarum differebant; abjudicantes Presbyterianorũ ſynodis & Conſiſtoriis poteſtatem judiciariam excommunicandi, exautorandi, definiendi: Adjudicantes autem ex adverſo ſingulis Eccleſiis Particularibus Jure Divi-

no, naturali & gentium, quamcunque circa ſacra poteſtatem, ita, ut quilibet, paucarum etiam perſonarum, cætus, ſeorſim ſit & maneat ſubjectum omnis diſciplinæ Eccleſiaſticæ, induens conditionem liberi populi, omni ſubjectione, præterquam Chriſtiano Magiſtratui, planè ſoluti. Unde quiſpiam non immeritò deſcribit Independentiſmum per *Democratiam*, deſinentem in Anarchiam, juraque regiminis Eccleſiaſtici perimentem, omni rupto fœdere, & violata communione Sanctorum. Horn. citat. pag. 350. Leideker ad Horn. H. E. pag. 419. 398.

Guilielmus Laudus, Archiepiſcopus Cantuarienſis & primàs Angliæ, quod Regiis ſtudere partibus, & autor Præſentis belli crederetur, poſt diuturnam captivitatem, à Parlamento condemnatus ad mortem, & *ſecuri percuſſus eſt*, menſe Februario; idque incredibili cum lætitia populi, qui eum ſummo proſequebatur odio. *Laudus* enim, juxta Horn. „ H. E. pag. 400. homo ambitioſiſſimus fuerat, turbulentus, & crudelis, cujus præcipuum opus: novas in„troducere parum à Papiſmo diſcrepantes ceremonias; perſequi „illos, qui ſe conformare nolebant eis; denique Eccleſiam Angli„canam, Scoticam, & Hybernicam miris modis affligere, opprimere „ac perturbare. Sic Hornius, jurene an injuria? diſceptare noſtrum non eſt. Confer Zeil. epiſt. tom. 2. pag. 899.

Vehementiſſimè omnium in *Wilhelmum Laudum* invehitur *Ireneus Philadelphus* in Epiſtola ad *Renatum Verdæum* (quem ſi aliquot literas poëtæ condones, anagramma prodit, *Andream Rivetum*) „Agmen, inquiens, duxit Gillelmus Laudus Archiep. Cautuar. „Novatorum & Altaricolarum Coriphæus, dogmatum & rituum „Papalium ſub incudem revocatorum, non tantùm fautor ac vin„dex, ſed & Autor inſtauratorque longè acerimus, qui, dum totus „erat ut uniformitatem rituum, ſub quorum onere omnes boni „gemebant, per totam Britanniam ſtabiliret, faciem Eccleſiæ de„formavit, ac penè compagem Eccleſiæ & Reipublicæ abrupit, id„que vulneris inflixit, quo etiam duo Regna tument à ſe invicem „divulſa, adeò, ut, nî remedium DEUS adhibeat fidelium causâ, „timendum ſit, ne res (usque & usque) in pejus ruant. Volumen „prodiit à Laudo exaratum, & annis plus minùs viginti medita„tum, antequam lucem aſpiceret, quod continet *acta diſputationis* „*cum Jeſuita Piſcatore*; quæ quidem diſputatio propior amicæ veli„tationi & collationi inter fratres in paucis diſſidentes, quàm diſce-

„pta-

„ptationis inter duos ſententia & religione ex adverſo pugnantes:
„quisquis enim operam perdere voluerit, in evolvendo hoc libro,
„comperiet, Archiepiſcopum eo modo impugnare Jeſuitam, quo
„diabolus diabolum ex corpore humano expellit, non animo in-
„fenſo, ſed ex compacto, & occulto ſyncretiſmo conſpirans cum
„eo, quem mentitur adverſarium. Ex allegatione D. Dannhaueri, Myſter. ſyncret. detect. p. 115.

Robertus Bailius ad ſynodum Weſtmonaſterienſem delegatus, libro, qui *Avtocatacriſis Laudenſium* inſcribitur, oſtendere voluit: Quod factio illa, cujus caput eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis W. L. rea ſit aperti Papiſmi, Arminianiſmi, ac tyrannidis, tam Eccleſiaſticæ, quàm politicæ. „Verùm enim verò, dicit *J. J. Zentgravius*,
„quanquam Epiſcopis propter enormem ſuæ poteſtatis abuſum, &
„inprimis Laudo, turbæ iſtæ & confuſio imputari queant, illos ta-
„men non ſolos, ſed inprimis cæcum Puritanorum impetum iſtas
„concitaſſe exiſtimamus. Immaturus enim illorum zelus ſi ſuis ſe
„carceribus continuiſſet, nec in Anglia Colmannus, Buttonus, Ha-
„linghamus, Benſonus & alii, qui plus cæteris in religione ac pu-
„ritate ſynceri aut eſſe ſibi perſvadebant, aut videri volebant, rece-
„ptam in Anglicana Eccleſia diſciplinam, Liturgiam, & Epiſco-
„porum autoritatem in quæſtionem vocare cœpiſſent, nec omnes
„ejus ritus ad præſcriptum Genevenſis Eccleſiæ conformari cupi-
„viſſent; ſi non, quod ſine ſimpliciorum ſcandalo minimè factum
„eſt, in ſtatuas & imagines ſæviſſent, illas templis ejeciſſent, ac in
„campum raptatas, proque ſcopo collocatas ſagittis & jaculis peti-
„iſſent, imò ipſius Salvatoris imaginem in ignem conjeciſſent; ſi
„non Epiſcoporum depoſitionem, imò Hierarchiæ Epiſcopalis e-
„verſionem, ſed tantùm correctionem tentaſſent; ſi non rituum,
„qui ſine peccato ſervari poterant, omiſſionem, ſed ut indifferen-
„tium obſervationem quæſiviſſent; imò ſi non ſeceſſionem tandem
„feciſſent, nec Bruniſmus, nec Independentiſmus exorti eſſent,
„nec Britannica Regna tot malorum Iliades obruiſſent. Zentgrav. in Colluvie Quakerorum, pag. 5. 7.

Fatis conceſſit *Henricus Altingus*, Theologus Heidelbergenſis, dein Groningenſis. Præfuit cum aliis ſuæ ſectæ viris doctis recenſioni novæ verſionis N. T. & librorum Apocryphorum. Dictus à quibusdam *Scripturarius*, & *Biblicus*, quod gloriæ ſibi duxit. Pluſcula ſcripſit, inter quæ eminent Theologia Didactica, Catechetica, Po-

lemica, ac Problematica vetus & nova, cum hiſtorica ex parte; quæ duo poſtrema ſcripta filius ejus Jacobus, Profeſſor Gröninganus poſt obitum patris edidit. Hofman. Lex. A. pag. 90.

LIB. V. CAP. XLVI.

Summaria.

Religionum Lutheranæ, Pontificiæ, & Calvinianæ Syncretiſmum G. Calixtus cum complicibus urgere incipit.

Ratio conatus iſtius in quo conſiſtat?

Calixti veſtigia legit Alardus Vlack.

Miniſterio N.T. Eccleſiaſtico inſultat, ſub Eliæ Prætorii nomine, Chriſtianus Hochburgius.

Puer duodecennis in Thuringia, Eſtaticus, revelationes jactat.

Schiſmatici cujusdam Londinenſis, & Anabaptiſtarum Anglicorum, Blaſphemiæ in Chriſti Deitatem Humanitatemque, & in S. S. Trinitatem.

SYncretiſmum trium Religionum in Europa publicè receptarum, *Lutheranæ* puta, *Pontificiæ*, & *Calvinianæ*, *D. Georgius Calixtus*, Profeſſor Theologiæ Helmeſtadienſis (à juventute novaturientis vir ingenii) ſvadere paſſim & urgere cœpit, cum *Hornejo*, *Böhmio juniore*, *Dreiero*, *Latermanno*, aliisque complicibus. At fruſtra tentatus hic religionum Androgyniſmus. Nam ex parte *Pontificiorum* præcipuè obſtabat pertinax Hiero-Monarchiæ Papalis propugnatio, quippe quæ omnem inter Pontificios ac Lutheranos ineundæ Concordiæ ſpem incidit. Ex parte *Calvinianorum* diſſenſus in fundamento fidei, concordiam iniri vetabat. Quantumvis enim inter hos, & A.C. Profeſſores, conſenſúm eſſe, ad ravim uſque clamitarint, contrarium tamen jam olim oſtenſum non ab uno. Calov. ſyſt. Theol. A. pag. 1155. Feller ad orb. Imper. Horn. 105.

De conatu & opere iſthoc Syncretiſtico Calixtino *in quo ſc. conſiſtat*, notatu digna ſunt, quæ *Balthaſarus Raithius*, Theologus Tubingenſis alicubi ſcripſit: „Syncretiſtarum prolepticon ætema eſt; „Non ita unam, præcisè, veritatem eſſe, quin mediatio quædam „interpretativa locum inveniat. Subſumunt (gratis autem) convenire Chriſtianos in fundamento fidei, quod ſimplex, breve & „ſufficiens ſit, ambitu ſymboli Apoſtolici clauſum. Reliquum diſ„ſenſum tanti non eſſe, ut in Eccleſiam Schiſma invehere, vel il„latum hactenus fovere debeat, utpote verſantem circa Conclu-

„ſio-

„ſiones tantùm Theologico-Scholaſticas, ſalva ſalute ignorabiles. „Inferunt, proinde nos coaleſcere in mutuam Spiritus fraternitatem poſſe, ac Tolerantiam Interimiſticam ſuperſtitum palearum, „donec negotium henoticum plenè confectum ſit. Authoramenta inde perquam favorabilia & plauſibilia promittunt; felicitatem „domeſtico-politicam majorem, facilitatemque vitæ, ad imitationem Chriſti amuſſitandæ, planiorem. Ex Errorum Aquilegio, ſeu diſp. Theol. de primo falſo præcipuar. relig. noſt temp cap. 6. theſ. 44. ſeqq.

Calixti æmulum egit ejus diſcipulus *D. Alardus Väek*, teſte libro *de uniendis Chriſtianorum animis*, Amſterodami duobus tomis edito, quorum poſteriore proponens: *quæ ſint illa, quæ pertineant ad fidei ſubſtantiam*? generali & indefinita hac reſponſione Lectorem ſuſpendit: Quicquid ſemper & ubique ab omnibus adultis ac ſanæ mentis Chriſtianis in Eccleſia Catholica cognitum, doctum, creditum & approbatum, id eſſe de ſubſtantia Fidei. Eandem quæſtionem in alio loco iisdem ſolvit verbis, quibus omnes Sociniani, Anabaptiſtæ, Pontificii, & Calviniani non ſine tripudio ſubſcriberent; Acceſſitque ad Calixti ſententiam de *ſymboli Apoſtolici articulis*; mox ajens, Chriſtianos non obligari ad ea, quæ ad ſubſtantiam fidei non pertinent. Videlicet cùm in præcedentibus dixiſſet: ea ſola pertinere ad ſubſtantiam fidei, quæ illic expoſuerat; nulla mentione facta de modo conſequendi remiſſionem peccatorum per ſolam fidem, de neceſſitate & efficacia Baptiſmi, &c. aliisque articulis inter Chriſtianos hodie controverſis. Ex vind. S. Script. Hülſem. poſthum. pag. 805.

Perſonatus quidam *Elias Prætorius*, libro *de abuſu Miniſterii in hodierno Chriſtianiſmo*, & ejusdem libri *Apologia*, horrendas criminationes contra Miniſterium Novi Teſtamenti Eccleſiaſticum, ipſamque doctrinam Chriſtianam effutiit. Hamburgenſis Theologus D. Johannes Müllerus in Atheiſmo devicto ſcribit, autorem nominati libri fuiſſe *Chriſtianum Hochburg*; id quod Cancellarius Tubingenſis *D. Tobias Wagnerus*, non ſine ſingulari mentis alteratione ſe percepiſſe dicit, quippe qui ejusdem Hochburgi libellum, vom heutigen langwürigen teutſchen Krieg / hoc ipſo etiam anno impreſſum in for. 12. ſtudioſè ac devotè aliquando perlegerit, in plerisque calculo ſuo eidem adjecto, dum per integrum libellum, abuſum mediorum pædagogicorum Eccleſiaſtici Miniſterii, præprimis Verbi præ-

ti, & adminiſtrationis Sacramentorum, ſeverè taxet, impugnetque non ſecus ac ſi commentarium ſuper canticum Eccleſiæ noſtræ ſcripſiſſet: Gott hat das Evangelium gegeben/ daß wir werden fromb &c. & paulò poſt: Man rühmt das Evangelium / und will doch niemand werden Fromb / für wahr man Spott den lieben Gott / noch ſprechen ſie/ es hat kein Noth/ das iſt ein Zeichen vor dem jüngſten Tag! excepto, quod interdum Evangelio per ſpeciem fallaciæ accidentis adſcribere videbatur, quod Miniſtrorum (non paucorum) fraudulentiæ in faciendo officio adſcribere debuiſſet; „Mitigavi tamen, pergit D. W. hoc „de commate meam ſententiam, quia ipſa Scriptura per Metony„miam ſubjecti pro adjuncto, populum DEO ſacrificium offerre „vetat, & ob in cenſum increpat; non eo ſenſu ac ſi DEUS ſacrificia „improbaret, quæ in lege præcepit, ut ſibi offerrentur, ſed propter „abuſum operis operati, ne fruſtra, ſine fide ac vera pœnitentia of„ferrentur, juxta Prophetæ verba: *Ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra!* „quo ſenſu præſumpſi, etiam hunc Hochburgium tetigiſſe libello „ſuo ulcus hypocriticum, quia plauſibilius ſchema ſuæ hypocriſeos „hypocritæ non habent, quàm cultum publicum, quo videri ma„lunt, quàm eſſe boni, devoti. Extat etiam in appendice libelli „(vom Teutſchen Krieg) annexa precatio, tumultuoſis iſtis tempo„ribus appropriata, valdè ingenuè peccata, quæ acriter arguit, e„diſſerens, & irato DEO deprecans; quam tamen publicè orare à „Magiſtratu loci tunc fuit prohibitus: At quia ipſe per Conſcien„tiam prohibitioni ſe parere non poſſe ajebat, ab officio ſuo in Ec„cleſia dimiſſus. Unde tantùm non obſtupui, cùm, ut dixi, per„ciperem, Hochburgium eſſe perſonatum iſtum Eliam Prætorium, „cujus dicteria ipſe fui deteſtatus, & ad huc deteſtor! ita D. Wagn. in Exam. Elencht. Atheiſ. ſpeculat. pag. 75. quo cum omninò conferendus Johannes Hornbek in ſum. Controverſ. pap. 535. pl.

In Thuringia *puer duodecim annorum*, pauperculus, æger & ſcabioſus, *Ecſtaſes ac revelationes*, neſcio quales, habuiſſe dicebatur. Tempore ecſtaſeon atque revelationum, corpus pueri viſum quaſi mortuum, animam verò in ſacris ædibus, verſus domicilium patris, ſvaviſſimè cantantem, à vicinis auditam eſſe, vulgari narratione ferebatur; quo de quid ſentiendum, lector judicet. Zeil. epiſt. tom. 2. p. 732.

Menſe Februario Londini *Schiſmaticus quidam* prædicavit: CHRISTUM non magis eſſe DEUM, quàm ſe, vel alium hominem;

nem; quod cùm pii viri audirent, metuentes, ne domus ad tales blaſphemias corrueret, feſtinanter ad ſua conceſſerunt. Horn. H.E. pag. 482.

In *Bathonia* & *Briſtonia*, inter *Anabaptiſtas* hæ duæ opiniones, tanquam *glorioſum lumen*, ortæ ſunt: Chriſti humanam naturam, æquè ac noſtram, peccato originali corruptam; Unamque tantùm Deitatis perſonam eſſe. Idem pag. 486.

LIB. V. CAP. XLVII.

Summaria.

Synodi Carentonienſis in Gallia decretum contra Independentes.

Concertatio inter Woldemarum, Daniæ Regis filium, & Joſephum, Ruſſiæ Patriarcham; ſecutaque W. captivitas, ac dimiſſio.

Diſceptatio Pariſienſis, de Theologia Morali Lojoſica.

Controverſia de Pentateucho Samaritano, inter Hottingerum, & Morinum.

Moguntinenſes Calixtum, ſyncretiſmi ſuaſorem, impugnant.

Reſponſio Calixti, Theologis Boruſſiacis minimè accepta.

IN Gallia *ſynodus* habebatur *Carentonenſis*, in qua menſe Decembri hoc *decretum contra Independentes* conditum fuit: „Quoniam Delegati maritimarum provinciarum retulerunt, multos exteros no„mine Independentium, in hoc Regno verſari, qui docent, quam„libet particularem congregationem ſuis legibus gubernandam, fi„ne dependentia ab ullis aliis in Eccleſiaſticis rebus, repudiata au„toritate Synodorum, Claſſium, Colloquiorum, magno in futurum „periculo, niſi obviam eatur; ſynodus, metuens ex contagione „hujus veneni turbas & confuſionem, judicat, ſectam Independen„tium eſſe noxiam Eccleſiæ DEI eousque, ut introducat Confuſio„nem, ſingularitatibus & extra vagantiis feneſtram aperiat, ſubla„to omni remedio; eamque eſſe Statui periculoſam, quòd ſic reli„giones pro numero Parochiarum multiplicari queant; omnibus „proin provinciis, maximè maritimis, mandat, ut videant, ne il„lud malum in hoc Regno radices figat, ſed pax & uniformitas in „religione ac diſciplina inviolata conſervetur, neve quidquam ir„repat ſervitio Regis adverſarium. Horn. Hiſt. Eccleſ. pag. 502.

Eodem ferè tempore memorabilis illa inter Principem *Woldemarum*, Regis Daniæ filium naturalem, & *Joſephum Ruſſiæ Patriarcham* inſtituta *concertatio* fuit. Affectabat is conjugium cum Irenæ, Michäelis Federovizii Magni Ducis filia: ſed obſtabat religionis diverſitas, & quod Ruſſi omnes, à religione Græca diſcrepantes abominantur, neque conjugia cum iis iniri poſſe exiſtimant. Ergò Joſephus Eccleſiarcha Moſcovicus, Woldemarum ad Græcam ſive Ruſſicam religionem amplectendam adhortabatur, ſpem inde Conjugii faciens. *Præcipuæ* Controverſiæ erant de *adoratione Imaginum*, quam Patriarcha in ſeptimo concilio œcumenico Niceæ an. 788. habito approbatam prætendebat; Woldemarus autem uſum quidem ſtabilitum aſſerebat, ex Verbo DEI adorationem negans, & Ruſſos non authenticum in Græca lingua, ſed perversè translatum exemplar habere, ſubjiciens: deinde *rebaptiſationem* Woldemari, Joſephus urgebat, eò quod Baptiſmus aſperſione tantùm factus, illegitimus eſſet; Princeps verò Baptiſmum Lutheranum legitimum, ac Verbo DEI conſentientem eſſe demonſtrabat, ac ſemel Baptiſatum rebaptiſari non debere. Cætera *ritus atque ceremonias* potiſſimum ſpectabant, v. g. de pane fermentato vel azymo in S. Cœna, de vino aqua non miſcendo, de jejuniis, trina in Baptiſmo immerſione. &c. Tandem quod Religioni Ruſſorum accedere nollet Woldemarus, in *vincula* conjectus eſt; poſt ſoceri verò mortem, ab ejus filio & ſucceſſore Alexio libertati redditus, nec ſine donis, ſed abſque ſponſa *dimiſſus*, in Daniam rediit. Idem citat. loc. 503. & Imhof. Notit. procer. 613.

Pariſiis tum acriter diſceptatum de *Theologia Morali Lojolica*. Eam impugnabat *Univerſitas Lutetiana*, inprimis autem Facultas Theologica, edito libro hoc titulo: *Theologie Morale des Jeſuites, extraicte fidellement de leurs Livres contre la Morale Chriſtiene en general.* Hanc verò maculam ut ordini abſtergerent, arrepto calamo *Jeſuitæ* nonnulli, eorumque fautores, aliquot *Apologias* adornâre hoc ipſo anno; ſed Facultas mox *Antapologiam* oppoſuit. vide Hotting. H. E. part. V. pag. 496.

Inter *Hottingerum* autem, & *Morinum*, hunc Pontificium, illum Calvinianum, agitata eſt Controverſia *de Pentateucho Samaritano*, quem Bleſenſis Presbyter miris laudibus extulit, imò & Judaico præferre non dubitavit. Contra Profeſſor Tigurinus, Judaico Exemplari primas dedit, ac Samaritani autoritatem argumentis

non

non contemnendis elevavit. Hinc enatæ *Johannis Henrici Hottingeri Exercitationes Anti-Morinianæ de Pentateucho Samaritano, ejusque udentica authentia; oppoſitæ Canonicæ ejusdem authentiæ, à Johanne Morino, Bleſenſi, Congregationis Oratorii, ut vocant, presbytero temerè aſſertæ:* in quibus non tantum firmis rationibus Pentateuchus Samariticus, magno conatu ab ipſo canonizatus, convellitur, & apographum vitioſum ex Hebræo autographo eſſe demonſtratur; ſed etiam non nulla S. Scripturæ, ac Antiquitatis loca difficiliora de Samaritanorum religione, ſcriptis, moribus, illuſtrantur, atque ex monumentis variis eruuntur. Ex Elencho Scriptorum Hottingeri, Cippo Hebraico præfix. pag. 1. confer act. Erud. Lipſ. de an. 1682. 200.

Quanti fecerint evulgatum *pacis ſtudium*, quo Pontificios in communionem Regni Chriſti admittebat cum Calvinianis *D. Calixtus*, *Moguntinenſes* Theologi, docet *Anatomia Calixtina*, ubi præfatione ad Archiepiſcopum hæc de pacis proco Helmſtadienſi habentur: „Pacem præ ſe fert, ſed jura pacis vel ignorat, vel odit. Diſ„ſidentium unionem pollicetur, ſed quæ fidem Eccleſiamque peri„mat. Methodum ſanciendæ Concordiæ proponit, verum à Cla„riſſimis Eccleſiæ doctoribus jam dudum confutatam, ideoque vel „nauſea, vel riſu dignam. Caſſandrum (quem Orthodoxi nec „amant, nec timent) velut excubitorem in fronte proſtituit, nimi„rum ut pueros terreat, vel aves, ut illa formido apud Baruchum „in cucumerario. *Contra Moguntinenſes* igitur anno 1644. prodiit *Calixti Reſponſio*, in qua plures, & alios adhuc errores Theologi A. C. notarunt, adeò ut inde moti *Dantiſcani* (quibus Irenicum illud ſcriptum transmiſerat) & *Senior Johannes Behm*, Profeſſor in Academia Regiomontana primarius, itemque *Paſtores Tripolitani*, Calixtum ad inſtans *Colloquium Thorunienſe* admittere noluerint. Cùm ex adverſo *Chriſtianus Drejerus*, Ordinibus Boruſſiæ autor extiterit, ut Calixtus eidem Colloquio director præficeretur. Calov. ſyſt. Theol. A. 1137. & Hartnak. in contin. Micræl. H. E. de diſſid. ab Helmſtad. excitat.

LIB. V. CAP. XLVIII.

Summaria.

Gallorum progreſſus memorabiles: Controverſia inter Danos & Batavos.

Bellum Sueco-Danicum ſubito exortum.

Gallaſſius, Dano ſuppetias laturus, in longam fugam actus.

Res Regis Britaniæ deficientes in Anglia; in Scotia prævalentes.
Invaſio Peruviæ, à Societate Batavorum in India Occid. fruſtra tentata.
Mons Potoſi, totus ferè argenteus.
Familia Taimingana, in Regno Sinenſi miſerè terminata.
Trautmansdorffius ad promotionem pacis inſtructus.
Ducis Sunderburgo-Holſati conjugium cum Parochi filia, factusque dein ad Pontificios tranſitus.
Mors Johann Theodorici, Comitis Werthemio-Lœwenſteinii.
Comitis item Georgii Falkenſteinenſis: Reginarumque Polon. & Hiſpan.

IN ſuperiori Germania Bavari *Uberlingam*, & *Friburgum* occupant; mox autem *Galli*, Duce Anguienſi, ſtupenda pugnandi pertinacia (poſtquam jurejurando ſe invicem obſtrinxerant, non quieturos ante, quàm *cladem Tuttlingenſem*, pari clade compenſaſſent) in ipſis caſtris eos aggrediuntur, prope mœnia *Friburgi*, ac omni ferè peditatu cæſo, equitatum inde rejiciunt, & ad fugam propellunt. Hinc moventes *Germersheminm*, *Wormatiam*, *Spiram*, *Moguntiam*, iſta & alia in tractu Rhenano loca, uno velut impetu recuperant, ipſamque *Philippopolin* quindecim dierum ſpatio ſubigunt. Turſ. app. 2. 82. Schwel. Chron. pag. 481. pl.

Propter *Sundenſe telonium*, quod Rex Daniæ multis modis contra antiqua jura & conſuetudines aggravaſſe dicebatur, *magnæ inter Danos & Batavos controverſiæ* oriebantur; quæ tamen eodem hoc anno compoſitæ, & vectigalia ad certas leges ac modum redacta ſunt; compoſitionem iſtam plurimum promovente *inopina Suecorum irruptione. Torſtenſohnius* enim Holſatiam, & Jutlandiam invaſerat hoſtiliter; *Hornius* Scandinaviam; Norwegiam *Flemmingus*. *Cauſæ* allegabantur, detentio aliquot navium in freto Danico; Societas Moſchi Svecico Regno inviſa & periculoſa; partium Cæſareanarum ſtudium; & occultæ machinationes ad imminuendam Svecorum potentiam. In Holſatia Chilonium, aliaque loca prima ſtatim aggreſſione capta; In Scania verò Coronia, Helſingburgum, Lunden, Chriſtianopolis, Bornholmia; Inde ad Femeram quoque profligata Claſſis Danica: ut *Brahei vaticinium*, quo Regem Chriſtianum IV. an. 1644. ſolo baculo inſtructum Regno exceſſurum dixerat, multis in memoriam revocaretur. Boxhorn. Chronol. 167. Spener Syllog. Geneal. pag. m. 52.

Sub

Sub hæc, dum Sveci bello Danico occupati erant, in Sileſia & Moravia Cæſareani nonnulla repetebant armis; cumque *Rex Daniæ* hoſtibus tam ſubitò irrumpentibus impar videretur, *Ferdinandus 3. Imperator* magnam ſuæ militiæ partem *auxilio* miſit amico, ductore *Galaſſio*. Verùm *Torſtenſonius*, nondum perfecta Danica pace, valido prius præſidio communitis, quæ in Holſatia & Jutlandia occuparat, adverſus Galaſſium in confinibus Holſatiæ caſtra figentem, improviſus erupit, ac inde *Magdeburgum uſque* fugientem inſequutus eſt, obtrito ferè omni peditatu Cæſareano, & captis potiori parte impedimentis, quæ, Svecis equitatu prævalentibus, fugam Galaſſii aſſequi non poterant. *Galaſſius* demum aliquandiu apud Magdeburgum à Torſtenſonio circumſeſſus, relicto illic valido præſidio, cum eo, qui ſupererat Equitatu, ac paucis peditibus, ægrè *in Bohemiam* evaſit. Tſchummern in contin. Sleid. de Monarch. lib. 3. 444. Turſellin. hiſt. app. 1. 83. ſeq.

Poſt liberationem *Glocestriæ*, partamque *victoriam Nuberianam*, indies aucta Parlamenti Anglicani fortuna, Regis imminuta, quanquam rerum viciſſitudo mira eſſet. Sed procul dubio prævaluerunt *Parlamentarii* maximo in *prælio ad Eboracum* Julii. 17. die commiſſo, in quo *totius Nobilitatis*, Regias partes tenentis, *flos* cecidit, ac illorum octo circiter millia interfecta fuerunt: ſecuta *urbis Eboracenſis*, quæ poſt Londinum ſecunda totius Angliæ eſt, *deditio*, ſimulque omnes provinciæ Septentrionales, præter paucas arces, in poteſtatem venere. Interea *Scotiam* affligebat Montroſius (quam in Auxilium Angli vocaverant) exigua manu admirabili ſucceſſu pugnans, ita ut *Regiæ partes* mox iterum prævalerent, non tam ſua virtute, quàm hoſtium diſcordia. Boxh. Chronol. 167. Horn. orb. Imp. 349. ſeq.

Ea tempeſtate *Societas Indiæ Occidentalis*, miſſo cum claſſe *Brovvero*, fœdus contra Hiſpanos cum *Chilenſibus* moliebatur, ad invadendam ab illa parte *Peruviam*, & *montem Potoſi* Hiſpanis extorquendum; ſed cùm *Chilenſes*, Batavos quoque auri cupidine flagrare deprehendiſſent, Browerus re infecta diſcedere coactus eſt. Quantum autem ad *montem Potoſi*, dicitur ille totus argento refertus, ita ut vix ſufficiens hominum copia reperiri poſſit, ad opes illas ex terra eruendas. Horn. Orb. Pol. pag. 74. & 451. Hofm. Lex. 201. B.

Lingcunzus, latro Chinenſis, maximam urbem *Peking*, Regiam ſedem

ſedem, proditione cepit. *Sinicus Imperator Zunchinius*, cùm nullam elabendi rimam videret, ne vivus in poteſtatem hoſtium veniret, arrepto gladio filiam nubilem transfodit, ac in pomarium digreſſus, *ſemet ex pruno ſuſpendit, ultimus Taiminganæ familiæ, cui latro exordium Regni, latro finem dedit.* Nec aliam vitæ clauſulam ſibi *Regina*, & fidiſſimi Evnuchorum delegere; ſic loca delitiarum funeſtata, *fructuque arbores tulere nefandos.* Orb. pol. Horn. 443. Hoſm. Lex. B. pag. 358.

Interim in Germania *Circuli Franconici Principes ac Ordines*, tam Eccleſiaſtici, quàm Seculares, in literis ad Imperatorem Ferdinandum 3. *tractationem pacis urgent* graviſſimis omninò rationibus & argumentis, allegatis & productis à D. Dorſcheo in prodromo Anticriſeos Theologicæ oppoſitæ Judicio Erneſti de Euſebiis, pag. 24. Unde *Imperator Maximilianum Trautmansdorſium*, ex Barone Comitem Imperii créatum, *ad indeſeſſam tanti negotii promotionem plenius & incunctantius inſtruxit*; qui quomodo rem geſſerit, privatum tamen intereſſe Domini ſui, publico Imperii bono haud obſcurè præferens, Burgoldenſ. pl. edocet, in rer. Imper. notitia part. I. pag. 139. ſeq.

Circa idem tempus, *Alexander Henricus Holſatiæ, Sunderburgenſis lineæ, Dux*, Alexandri filius, in torum aſſumpſit Dorotheam Catharinam, *Heſſhuſii Paſtoris Evangelici in Aula Sunderburgica filiam*, ex qua multam prolem ſuſcepit, ipſe verò poſtremis vitæ annis *ad Pontificiorum caſtra tranſiliit.* Imhofii Not. procer. 627. ſupplem. 38. pag.

Fatis verò conceſſit *Johannes Theodoricus Comes Löwenſteinio-Werthemenſis*, vel ob id memorandus, quod, poſteaquam ſacris Romanis idem acceſſiſſet, *lineæ Comitum Lœwenſteinenſium* religione diſtingui cœperint, ita, ut prior, aliàs *Virnenburgia*, per Chriſtophorum Ludovicum propagata, *Evangelica*; altera verò, aliàs *Rupifortia*, *Catholica* appellaretur. Burgoldenſ. Not. rer. Imper. part. I. pag. 510. Imhof. Notit. 1351. 1355.

Georgius, Comes Flekenſteinenſis, in linea *Dachſtulenſi*, cœlebs vitam lineamque, quoad mares finivit; cùm prius Dynaſtiam Dachſtul, Philippo Chriſtophoro à Sœtern, Electori Trevirenſi vendidiſſet. Eodem anno exceſſerunt è conſortio viventium in terris *Cœcilia Renata*, Uladislai *Poloniæ* Regis; & *Eliſabetha*, Philippi IV. *Hiſpaniæ* Indiarumque Monarchæ, uxores. Imhof. cit. lib. 957. Turſel. hiſtor. append. 2, 83.

LIB. V. CAP. XLIX.

Summaria.

S. VIAR. Hiſpanorum, nupere productus.
Spectaculum Romæ Triumphantis, in Papæ Innocent. X. inauguratione.
Falſo dicta Retorſio D. T. Wagnero, à quorundam monaſteriorum Wirtembergicorum Abbatibus Pontificiis, per Notarium inſinuata.
Summa vitæ pericula, quibus defuncti Ferd. III. Imperator;
Et Wilhelmus, Princeps Auraicus.
Pax per Spectrum Sylveſtre prænunciata.
Sylvæ Norinbergenſis deflagratio: Königsmarkii tres filii fulmine tacti.
Petrus Gallus, Claſſiarius Danicus, capite plexus.
Johan. Albr. Mandelslovius, naturali morte abreptus.

POntifex Urbanus VIII. dum vivebat, ab *Hiſpanis* interpellatus de concedendis Indulgentiis ob cultum *S. VIAR*; negavit, ſe id facturum, niſi prius reſciret, quis & qualis ille Sanctus fuerit? Allatus ergò lapis, in quo hæ literæ reliquæ erant *S. VIAR*. Verum periti judicarunt, fragmentum eſſe veteris inſcriptionis, in qua quidam præfectu *S. VIAR* um laudatus fuerit. Ex act. Erud. Lipſ. de an. 1687. pag. 602.

Tempore Inaugurationis Innocentii X. in foro Borgeſiorum, ante eorundem palatia, ſpectantium oculis objiciebatur maxima & admirabilis quædam ſtructura, *Romam Triumphantem* denuò repræſentans, in qua diverſa ædificia, Palatia & templa diſtinctiſſimè conſpici poterant, omnia tamen ex pulvere tormentario facta; in ſummitate unius templi *Columba cum Olivæ ramo* poſita fuit; cumque multi urbem illam intrare voluiſſent, in flammam converſi ſunt. Poſt horulæ ſpatium, cùm omnibus reliquis introitus denegatus fuiſſet, acceſſit unus equo albo inſidens, cujus caput Corona cinctum; ſed cujus adventu non ſolum portæ Urbis aperiebantur, verùm etiam unius templi janua: quum autem intraret ille, Muſici ad id conſtituti, ſuaviſſima voce cecinerunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſianna in excelſis!* Poſt ingreſſum ejus in templum, Columba illa in ejus ſummitate poſita, fuit incenſa, quæ poſtea per univerſam illam ſtructuram ignem ſparſit, donec tota in flammam & fumum eſſet converſa. Refert ex L. Bankii Roma Triumphante, D. Dannhau. in Salve Reform. pag. 187. & Gamal. Teuton. 73.

Anno 1644. die 5. Febr. Bernhardinus, Abbas *Maulbronnenſis*; Joſephus *Murrhartenſis*; Joachimus *Bebenhuſanus*; Georgius, Cognominatus Schönheintz/ *Adelbergenſis*; Wolfgangus *Königsbronnenſis*; & Bernhardus *Lorchenſis*; hor. matut. per Notarium quendam Cæſareum, ac duos Teſtes, *D. Tobiæ Wagnero* t. t. Eslingenſium Eccleſiaſtæ primario, ſub nomine *Retorſionis ac defenſionis neceſſariæ*, in forma patente, inſinuarunt in via publica ſcriptum virulentiſſimum variisque injuriis & comminationibus refertum; quaſi Wagnerus in Evangelica Cenſura Motivorum Apoſtaſiæ Beſoldianæ, puncto de uſu & abuſu bonorum Eccleſiaſticorum, adverſus prænominatos Monachos, eorumque anteceſſores Pontificios, impudentiſſima craſſiſſimaque mendacia effudiſſet, eidem jure meritoque in os regerenda, &c. *Reſpondit* breviter Eſslingenſis Paſtor: „Scriptum inſinuatum, ſe non pro defenſione dictorum Præſulum, „ſed pro pura puta injuria, & iniquiſſima læſione ſui honoris & exi„ſtimationis accipere; ſibique pro vindicanda boni nominis famâ, „reſervare quælibet conceſſa jura, iniquæ Retorſioni Monachali, „& offenſioni, contradicendo & refutando contraveniendi, quem„admodum in inſtanti, animo non injuriandi quidem, ſed pro„priam exiſtimationem defendendi, contraveniat, injuſtamque „retorſionem, malè ſic dictam in autores mendaciſſimos retorqueat, &c. vid. Wagn. Evangel. Cenſ. Beſ. motiv. pag. 646. 653. pl. Ejusdemque Evangel. patr. Theolog. 332. ſeqq.

Tunc *Imperator Ferdinandus* equo, in venatu per aprum ſubverſo, excuſſus in maximo mortis dicam, an vitæ periculo, extitit; ſingulari tamen providentia DEI conſervatus eſt, corpore illæſus, niſi quod humero & crure leviter contuſus videretur. *Wilhelmus* autem *Uranienſis*, Hagæ Comitis matrimonium conſummaturus, ab equo, excuſſis frenis, præceps in Mare conjectus fuit, vivus tamen iterum extractus. Contin. Calviſ. Chron. pag. 1020. & ſeq. Notit. procer. 798.

A fide dignis relatum, *Sylveſtrem fæmellam* in Miſnia, longam uno tantum cubito, captam, quæ formam hominis repræſentans (facie, manibus, plantisque pedum glabra, in cæteris verò partibus corporis piloſa) *futuram pacem annunciarit*; Eam teneri, Electorem noluiſſe, ſed mandaſſe, ut rurſus dimitteretur in ſylvam; quia recordetur, ante annos quinque ac viginti maſculum agreſtem & ſylva-

ſylvanum apparuiſſe, qui bellum prædixerit in ſequuturum, nec vanus fuerit præſagus. Zeiler. in epiſt. tom. 2. pag. 734.

Notari meretur, menſe Majo *ſylvam Norimbergenſis ditionis*, octies mille jugerum *deflagraſſe*. In exequiis cujusdam Tribuni, *fulmen* (Mindæ, non procul à templo Mariano) ita *Königsmarkii liberos* afflaſſe, ut primogenito faciem turparet, ſecundogenito latus & brachium dextrum; tertio-genito brachium dextrum percuteret; filiabus maximæ & minimæ nil noceret; famulum cum famulo extingueret. Calviſ. contin. Chron. pag. 1021.

Petrus Gallus, vice Prothalaſſiarcha Regis Daniæ, quod Svecos, ut hoſtes ex portu Chilonienſi paſſus eſſet intactos evadere, *ſeptuagenario major capite plexus eſt*, juxta *Tychonis Brahei*, de quo vide an. 1601. *Prognoſticum*; refert Martinus Zeiler, in Epiſtolarum tomo ſecundo, pag. 480. pl.

Morte naturali obiit *Johannes Albertus Mandelslovius*, Nobilis Holſatus, ex peregrinationibus in Moſcoviam, Perſiam, Indiam, earumque deſcriptionibus, probè notus atque celebris; die 15. Maji, qui olim Natalis ei fuerat, Spiritum DEO reddens. Zeil. cit. lib. 823. pag.

LIB. V. CAP. L.

Summaria.

Georgii Calixti pruritus novaturientes Orthodoxis multum tædii cient.

Quid moleſtiarum contraxerit ex Calvinianorum receptione, Dantiſcum?

Conſilium Dorſcheanum Hunniano-ſuccentariatum, de arctiori confœderatione Collegiorum.

Pax inter Ferd. III. & G. Rakozium, puriori Religioni proficua.

Parthenio I. Patriarchæ Conſtant. ſede deturbato, ſuccedit Parthenius alter, ex Cyrilli Lucaris diſciplina.

Status Eccleſiæ Græcæ miſerandus.

Ad meliorem vitam pergit Matthias Hoe ab Höenegk.

SAxonicis Academiis, aliisque Collegiis Theologicis, & Eccleſiis in univerſum, Auguſtanæ Confeſſioni verè & ſincerè addictis, hoc tempore multum negotii tædiique *Georgius Calixtus*, Helmſtadienſis Profeſſor Theologus, cum adhærentibus in Academia Boruſſorum Regiomontana faceſſit, opinionibus, aſſertis, & attentatis variis, à S. Scriptura, ſymbolicis libris, formaque ſanorum verbo-

borum Orthodoxis probatâ, non parum deflectentibus, ut ſuo loco ſtrictim indicabitur. vid. Dialyſ. Apolog. Hülſ. pag. 2. 7. Hartnak. in continuata hiſt. Eccl. Micræl. de diſſid. ab Helmſt. excit.

Certum eſt, quod non niſi Confeſſionis Auguſtanæ ſociis, & ſectatoribus Pontificis R. publica exercitia Religionis, antiquis *Dantiſcanæ Civitatis* legibus, permiſſa ſint. Impetrâre tamen *Calviniani* templum ibi locorum, quod eſt nomini Petrino ſacrum, cùm olim tempore perſecutionis Hiſpanicæ plures è Belgio familiæ lares iſthic figerent, eorumque doctores *Notulæ Eccleſiaſticæ*, ſeu formulæ Concordiæ Dantiſcanæ (in qua errores Calviniſtici ſatis expreſsè caſtigantur) ſubſcriberent. Sed eo eventu facta eſt admiſſio & immiſſio illa, ut, quum Kekermannus, Fabricius, Pauli, Adami, Nigrinus apoſtata, aliique à potentioribus in Senatu promoti, non tantùm Eccleſiaſticas, ſed & Gymnaſii Cathedras errore Sacramentario conſpurcarent, veritatis periclitantis ſtatum Orthodoxi ſerò nimis intelligerent. Factum poſtea, nempe anno ſeculi hujus ſupra quadrageſimum quinto, ut, cùm *Johannes Cæſar*, Calvinianus Eccleſiaſtes, homileticum ſermonem *de S. Cœna* habuiſſet, *Abrahamus Calovius* alia homiliâ eum confutaret. *Apologiam* pro ſe ſcribebat iſte *Cæſar; presbyterium Dantiſcanum* è contra *tractatum* promulgabat, quo lectorem de vero Controverſiæ ſtatu informabat. In illo (ut res eſt) aſſertum, *Dantiſci non eodem jure frui Calvinianos, quo Aug. Conſ. ſocios.* Id injuriam rati Cæſar & aſſeclæ, non tantùm coram ſenatu, ſed & apud exteros, querebantur de neſcio qua perſecutione. Illorum ergò tum vicini in Polonia, tùm remoti patroni, literis ac legatis monebant ſenatum, ut parceretur fidei conſortibus, quaſi valdè preſſis. Calumniis etiam res agebatur, cùm nonnulli Theologi diffamarentur, quaſi Reginam & proceres Sveciæ inducere voluerint, ne Calviniſtas pace religioſa comprehendi paterentur. Illis autem facilè itum eſt obviam, cùm Regni Sveciæ Cancellarius Oxenſtierna interpellatus, veritati ac Innocentiæ dabat Teſtimonium. Micræl. in ſyntagm. H. E. pag. 603.

Quale *Conſilium* Bono Eccleſiæ Lutheranæ publico conſecrarit *Nicolaus Hunnius*, Doctor Theologus, & Superint. Lubecc. *de peculiari quodam decem aut duodecim doctiſſimorum Theologorum totidemque eruditorum Amanuenſium Collegio*, rerum fidei & religionis unicè accurateque tractandarum cauſa inſtituendo, cap. XXXVI. & XL. dictum eſt. Quoniam autem illius Collegii nondum ſpes aliqua

huc-

hucuſque fuit, *Joh. Georgius Dorſcheus*, Profeſſor Argentinenſis aliud *Conſilium de arctiori confœderatione inter Collegia Theologico-Academica*, dedit. „Interim, ajens, UNIO Collegiorum Academicorum „illius inſtar erit. Cùm & Imperiũ adhuc Orientis & Occidentis terrarũ complectebatur ambitum, potiſſima ejus ſalus in Magiſtratuum „& eorum, qui paſſim rebus gerendis ſive toga ſive ſago præfuerunt, „conjunctione communicationeque poſita fuit. Auguſtus Cæſar, „quo celerius ac ſub manum annunciari cognoſcique poſſet, quid „in quaque provincia gereretur, juvenes primò modicis intervallis „per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuit. Curſus hic publicus innumera depulit à Romanorum cervicibus pericula, quæ, „quia maturè animadvertebantur, erumpere non poterant; intra „initia ſua exoleſcebant: Et ut nulla impediretur negligentiâ, variis rationibus curatum fuit. Hinc munium nomina, Parochi, „portitores, tabellarii, tractatores, Hippocomi, Parippi, alia, de „quibus plura legimus apud Wolfgang Lazium, Reipub. Rom. II. „14. 265. Cur non eadem induſtria conjungamus excubias noſtras, quas in ſalutem Eccleſiæ, præſidiumque veritatis, pro DEI „gloria ſuſtinemus? Cur non communicamus de hoſtium vel auſibus, vel artibus de eorundem viribus, conatibus, ſucceſſibus? „Intereſt profectò omnium, ut id ſinguli celeriter ſciamus. Cur „non conferimus ſententias de communi hoſte ſuis dejiciendo præſidiis? Nonne communibus armis rectiſſimè communis hoſtis petitur? quid cunctamur, quid hæſitamus? Cur occulimus noſtros „conatus, & prius eoſdem hoſtibus, quàm fratribus proponimus? „Nonne pulchrius eſt & fidei conſanguinitati magis conſentaneum, „ut prius cum fratre conſilium capiamus, quàm contra hoſtem claſſicum canamus? Cur diſſociamus vires, & ſinguli audemus, „quod conjuncti efficeremus felicius? quàm concinnum eſſet, ac, „præter quam quod perfectiſſimam quandam conciliaret voluptatem, utile, ſi poſtulanti cuivis poſſemus indicare, quis in hac vel „illa orbis terrarum parte contra hos vel illos errones, quibus præſidiis & roboribus quo apparatu in acie ſtet? vel quid moliatur pro „veritate, pro eruendis abſtruſioribus, pro illuſtranda hiſtoria, pro „diluenda infamia quilibet? Nemo exiſtimabit profectò ſe perviſſe omnia, ſe contuliſſe omnia, ſe exhauſiſſe omnia, ut fratribus „videndi, conferendi, attingendi, hauriendique omnem ſubtraxerit materiam. Cur dedignabimur ergò æquis oculis adſpicere,

„quod vidit frater? Cur nolimus acceptum ferre, quod conferet „frater? Cur nequimus tangere amico ſenſu, quod attigit frater? „Cur reſpuimus, quod hauſit frater? Quid? anne maculam judicabimus, quod frater laboribus noſtris ex ſua induſtria adſperſit? „anne monſtrum futurum ſcriptionis noſtræ corpus ominabimur, „ſi membrum adjecerit frater? anne gratiam d cusque meditationibus noſtris periturum cenſebimus, ſi laciniam affixerit frater? „anne feſtinato in lucem enixu protrudemus, quod parturimus, „ne manum injiciat, moneatve de aliquo frater? Itane erubeſcemus ad fratrum monitum, qui non ſubterfugimus Orbis judicium? ſuccenſebimusne corrigenti fratri, qui nos exponimus infeſtanti hoſti? abſit ut hoc morbo laboremus, qui ſacram profitemur medicinam. Non interea elabetur hoſtis, ſi omninò aliquandiu inter fratres exercitos habuerimus noſtros contra eundem labores. Suſpectum perpetuo & formidabile erit illi, quicquid tot „mentibus illuſtrari, tot manibus inſtrui exploraverit. Econtra „facilius aſpernabitur, quod plurimorum conſenſum pro munimento non habet. Sperabit, ſe facilius everſurum eum, quem „ſolum ſecum congredientem offendit, quàm ſi in acie ſtantem & „integro exercitu ſacro circumfuſum deprehenderit. Ne igitur id „audeamus, quod audaciorem facit hoſtem noſtrum. Conſpiremus potius, qui uno S. Spiritu doctore gaudemus. Credamus, „neminem unquam tantis ejus gratiis divitiisque perfuſum eſſe, „ut non etiam alibi extet, quod inexhauſtam ejus opulentiam ac „interminabiles dotes conteſtetur. Perſvadeamus nobis ex tot dotium immenſi luminis communicatione illud denique oriri apoteleſma, quo Eccleſiæ ſuæ ſalutem conſummari cupiat. Sciamus, „hoc jubere providentiam Divinam, ut, quæ illa in diverſas myſtici corporis partes diſtribuit, ad totius conferemus emolumentum; quod ſi nollet, in ſingulos univerſa contuliſſet. Cogitemus, non noſtra eſſe, quæ ex ingenii noſtri ſagacitate, ex omni „ſcriptorum memoria, inter perpetuas lucubrationes noſtras congeſſimus, ſed DEI eſſe, ſed fratrum. Patiamur itaque ſub oculis „fratrum eſſe, quod oculis DEI ſubducere nolumus, neque poſſumus. Judicemus, neque totum id eſſe, quod nos depromimus, quo DEI cauſa ſuffulciri debet, invicta ut perſeveret concredita nobis veritas: Eſſe etiam alibi ſanctam portionem, quæ, „ſi cum noſtra coaluerit, noſtram perfectura ſit. Hucuſque Dorſcheus

ſcribens ipſo Pentecoſtes feſto, anno 1645. præfat. Admirandorum Jeſu Chriſti Septenar. lit. b. ult. & c. I. & ſqq.

Et hæc eſt, concludit laudatus Theologus, quam neceſſariam „Eccleſiæ judico, quam decoram, quam piam, quam ſalutarem, „quam Spiritualibus deliciis plenam exiſtimo, quam adornari de„ſidero, *Theologorum unio.* Hanc, velut priſcæ Eccleſiæ decus, ca„næ & fatiſcenti, & inter pericula plurima conſilia ſalutaria & for„tia auxilia poſtulanti, reddi reſtituique peto. Per ipſum miſeræ „ac lamentabilis Eccleſiæ triſtiſſimum ſtatum, qui non niſi con„junctis remediis curari poteſt, imò per Caput & ſponſum ejus „JESUM compello, rogo, obſecro omnes, quot quot Eccleſiæ ſi„num amant, ſacramentum præſtiterunt, myſteriis fruuntur, cu„ram ſuſceperunt, bona diſpenſant, ſalutem defendere tenentur, „ut ad iſtam, quam animo complexus ſum, Unionem animum ad„vertant, judicia conferant, conſilia impendant, corda diſponant, remedia & vincula comportent. Citat. præfat. non procul à fine.

Menſe Auguſto, & quidem in feriis Bartholomæi Apoſtoli, *pax inter Ferdinandum 3.* Ungariæ Regem (Rom. Imperat.) *& Georgium Rogozkinm* Transſylvaniæ Principem coiit ea lege, *quantum ad Religionem ſpectat*, ut Hungaris Auguſtanam, aut Helveticam Confeſſionem amplectentibus, reddatur ſacrorum libertas juxta ſtatum, in quo poſita fuit anno ſupra milleſimum & ſexcenteſimum decimo octavo; Et, *Lojolitæ* transdanubiani, tanquam pacis turbatores, tota ſuperiore Hungaria exeant, ſolis, qui Poſonii ſua habebant receptacula, exceptis vid. Relat. an. 646. Fr. vernal. pag. 12. 14. 73. pl. confer 1647. an.

Conſtantinopoli, *Parthenius* ejus nominis *primus*, Eccleſiarcha Græcus (fraudulenta vi, & violentæ fraude) ſolio dejectus eſt, ſi quidem Allatio tutò habenda fides. Allatius enim opus ſuum de utriuſque Eccleſiæ (puta Græcæ ac Latinæ) perpetua conſenſione ſcribebat anno 1645. & hoc eodem, illum ſuo munere pulſum, non obſcurè inſinuat. Succeſſit autem Parthenio prænominato, *Parthenius alter*, ex diſciplina Cyrilli Lucaris, Calvini ſectator ſtudioſiſſimus, Orientalem Eccleſiam fraudibus nequiſſimis, at ſine ullo ſui fructu, vexans, & ſic demortua in Lucarim odia Græcorum denuò in ſe concitans. Indeque benevolo lectori cognoſcere datur, maximè infelix fuiſſe hoc ſemiſeculum Eccleſiæ Græcanicæ ut quod nihil niſi merum chaos, ac omnium rerum inibi Confuſio-

nem ob oculos ponit. *Cyrillus Lucaris*, ob Calvinianorum dogmatum introductionem, ab Eccleſia pulſus, & laqueo ſuffocatus eſt. *Cyrillus Berrhöenſis*, ejus ſucceſſor, qui ex adverſo Pontifici Romano adhærebat, ac hujus ope Patriarchatum conſequutus erat, malè pariter interiit. *Parthenius primus*, in religione purè Græcus, factionibus priorum Patriarcharum, præter opinionem jam detruditur; & *alteri Parthenio*, Calvini partibus addicto, cedere cogitur. Quæris? An igitur hic poſterior non curavit anathematiſmos utriuſque ſynodi nuper celebratæ; Prioris quidem ſub Cyrillo Berrhöenſi, alterius, ſub Parthenio primo? verùm, ſcias lector, eum t. t. fuiſſe, & nunc etiam eſſe, perturbatum Eccleſiæ Græcæ ſtatum, ut interventu pecuniæ omnia peragantur; ita quidem, ut plurimum licitanti, Patriarchatus à Turcis addicatur. Unde Græci, nimis ambitioſi, cum Patriarchæ vix ingreſſi ſunt munus, nihil faciunt libentius, quàm ut ſe invicem pellant atque deturbent. Henr. Hilar. in Chron. Cypr. pag. 482. ſeqq.

Interim ſublunaribus valedixit, *Matthias Höe ab Hoënegk*, Theol. Doct. Nobilis Auſtriacus; primum Superintendens Plavienſis Eccleſiæ dein Pragenſis Ephorus, tandem Saxonici Electoris Concionator Aulicus. Firmiſſimi Vir animi, & adverſus quasvis hæreticorum injurias varia eruditione munitiſſimus; cùm aliis ſcriptis publicatis, tum inprimis Manuali Evangelico; Philoſophia ſpeculatrice; Apologetico contra Bellarminum; explicatione Pſalmorum; Jubilæo Evangelico; Labyrintho Papiſtico; Calvinianorum deſcriptione & refutatione; luculento in Apocalypſin Commentario, celeberrimus. Micræl. H. E. lib. 3. pag. 502.

LIB. V. CAP. LI.

Summaria.

Novus Ferd. III. exercitus, illiusque ad imaginem B. Virg. Mar. Brandiſianam ſupplicationes.

Rigor Pontificius in Belgicos Janſeniſtas; Formulaque juramenti, Janſeniſmo oppoſiti.

Elector Trevirenſis cuſtodiâ dimiſſus, gravis diſſidii autor.

Mutius Vitelleſcus, Lojolicæ Societatis præpoſitus Generalis, denatus.

Autoritas præpoſiti Generalis Jeſuitici.

Jeſuitarum vindicta in F. G. Maniliæ Archiepiſcopum, eos non ſtatim ad ſacra admittere volentem.

Novus Epiſcopus Conſtantienſis, ac divitis Augiæ Dominus.

In-

Ingentes olim Cœnobii Reichenoviani opes.
Deceſſus Franc. Rupifulcaudi, Cardin.

IMperator *Ferdinandus III.* laceris copiis ex Holſatia receptis, valdeque imminutis, indefeſſi hoſtis metuens, novum exercitum ſcribit; quo ut rem felicius ageret, ſupplicationes publicas inſtituit, obitque ad *B. Virginem* Brandiſii reſtitutam; cujus *imaginem* è Svecorum manibus antehac *duodecies mille florenis redemerat.* Calviſ. contin. Chronol. 1021.

Per Abbatem S. Anaſtaſiæ, ſedis Romanæ Nuncium in *Belgio*, urgetur ibi locorum *executio Bullæ Urbani VIII. ab Innocentio X. confirmatæ, adverſus Janſenii opus Auguſtinianum*, de nemine ſcilicet ad ullum beneficium Eccleſiaſticum deinceps admittendo, qui conceptis verbis Cornelii Janſenii Auguſtinum, à Pontifice prohibitum, non ejuraret, ut hoc ipſum conſtat, partim ex iis, quæ habet Numa Sedulius; partim ex iis, quæ Cramoſii Pariſiis ediderunt in hac materia; partim ex Joh. Gratiani presbyteri querela, & appellatione ad futurum Concilium inſtituta nomine B. Aurelii Auguſtini. *Formula juramenti* quod exegit prædictus Abbas, ita fuit concepta: „Ego N. N. profiteor, me obedientem S. R. Eccleſiæ ſanctiſſimo Dn. „Innocentio X. Pontifici Maximo, ejusque ſucceſſoribus, atque „ideò me acceptaturum, prout de facto accepto debita ſubmiſſione, „conſtitutionem felicis recordationis Urbani VIII. editam an. XIX. „ſui pontificatus, incarnationis Dominicæ 1642. prid. Non. Martii, „quæ incipit: In Eminenti Eccleſiæ &c. in qua prohibetur liber Cornelii Janſenii, cui titulus AUGUSTINUS, quam Conſtitutio„nem Ego integrè accepto, & cum ea in omnibus ſentio & conſen„tio, ac promitto, me, quantum in me fuerit, curaturum, ut „præfatam conſtitutionem omnes ac ſinguli acceptent, & cum ea„dem in omnibus ſentiant & conſentiant; ita ſpondeo, & voveo ac „juro, Ego idem N. N. ſic me DEUS adjuvet, & ſancta DEI Evan„gelia. D. Oſiand. in Specim. Janſen. pag. 12.

Sub idem tempus *Lotharius Elector Trevirenſis*, ex decenni apud Cæſarem captivitate, Papa Innocentio admonente, *liber emiſſus.* Treviris, cedentibus Hiſpanis, Electori reſtituta. Mox autem ſequutum inter Electorem, & Metropolitani Collegii Canonicos *grave diſſidium*, dum ille omnia ad Gallos, quorum amicitiæ eum necdum pœnitebat, hi contra, ſua conſilia ad Cæſarem trahebant. Turſell. hiſt. app. 2. 85.

Poſtquam fatis conceſſiſſet *Mutius Vitelleſcus*, Lojolicæ Societatis Præpoſitus Generalis, Romæ congregabantur Sodalitatis Patres, demortuo Hierarchiæ ſuæ capiti aliud ſubſtituturi. De Hierarchia illa, per Lucium Cornelium Europæum ſatis accuratè deſcripta, dictum à nobis alibi, Burgoldenſem, part. A. Not. Rer. Imper. pag. 69. ſequutis. Hîc de Capite nonnulla transſcribere liceat ex Antichriſtoſophia Theologi Argentinenſis, cujus ita fluunt verba: „Ad caput hujus Monarchiæ veniamus; Id eſt *Societatis* „*JESU Generalis*, magnus ille pſeudoprophetæ Antichriſti Armiger, „de cujus immenſo dominatu hæc nobis prodidere illarum par„tium myſtæ: Verè Regium, imò deſpoticum ſive herile & abſo„lutum Patris Generalis in omnes totius Orbis Jeſuitas eſt Impe„rium: Ejus firmamentum cœca obedientia. Omnibus Genera„lis iſte legibus eſt ſolutus. Nihil eum effugere, aut ipſi occultum „eſſe poteſt, cùm Gregorii XIII. vivæ vocis oraculo permiſſum ſit, „ut quoties Societatis ſalus & conſervatio id poſtulare videatur, „Sacramenti Confeſſionis ſecretum ſine ullo piaculo Superioribus „revelare poſſint; Et hæc *Bernhardus Giraldus* refert; Illa verò ve„teranus *Mariana*: Generalis Jeſuitarum habet Imperium Inde„pendens & abſolutum, qui etiamſi deliret ſive aberret, majorem „tamen Societatis partem ſibi aſſentientem habet. Si ipſe Paulus „Apoſtolus Jeſuitarum Generali ac Aſſentatoribus ejus contradi„ceret, neque errores illorum probaret, futurum eſſet, ut pro ex„travagante ac pacis turbatore haberetur. Generalis cum aſſiden„tibus ridet ea, quæ ipſi à Provincialibus congregationibus propo„nuntur, & pluris facit, quæ unus aliquis ſcribit, quem ſibi novit „obnoxium; Idque facit propter nimium zelum alendæ & ampli„ficandæ ſuæ Monarchiæ. Generalis in eligendis officialibus non „curat, quod ſit cujusque talentum, quasve dotes habeat eminen„tiores; ſed quàm benè ſecum, aut cum provinciali ſuo conforme„tur: quæ cauſa eſt, cur (non rarò) homines viles & abjecti ani„mi officiis præponantur, qui à ſuperioribus duci ſe ſinant, ut ner„vis alienis mobile lignum. vid. Antichriſtoph. D. Dannhaueri, pag. 391.

De *Ferdinando Guerrero*, Maniliæ ſeu Philippinarum Archiepiſcopo, narrat alius ſcriptor Pontificius, cùm ille *Jeſuitas* ad miniſteria ſacra, antequam diplomata ſua exhiberent, admittere recuſaſſet, horum artibus apud Gubernatorem Regium effectum fuiſſe

ſe,

ſe, ut illum è ſacello, hoſtiam conſecratam manu gerentem, & præ ſenio, ac fame ſeſe vix ſuſtinentem, à militibus rapi, & in Inſulam deſertam deportari curaverit. Ex act. Erudit. Lipſ. de an. 1690. pag. 387.

Poſt obitum Johannis in Waldburg, S. R. Imperii Dapiferi, *Conſtantienſis, Epiſcopi*, Franciſcus Johannes, ex Illuſtri ſtirpe Svevica Dominorum de Prasberg prognatus, in illius locum electus & ſuffectus eſt; inſimul declaratus *Divitis Augiæ*, ſeu *Reichenoviæ* Dominus, de qua legi meretur Imhofii Notitia Imperii R.G. Procerum, pag. 213. 216. 337.

Id unum de Richenovia, ſeu *Cœnobio Reichenavienſi*, occaſione hac notamus ad memoriam, quod Bruſchius alicubi teſtatur: Tantis quondam opibus illud valuiſſe, ut ejus Abbas Romam iter faciens, ſingulis noctibus in ſuo proprio domicilio, quoad Romam attingeret, pernoctare poſſet. vid. Imhof. citat. lib. 337. pag.

Vivis hoc demum anno, ætatis 88. exceſſiſſe fertur *Franciſcus Rupiſulcandius*, Pictonum Epiſcopus, & Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, qui *omnibus laborarat viribus, ut in Gallia Concilium Tridentinum promulgaretur*; ſed fruſtra. Hofm. Lex. A. 658. confer Grammond. hiſtor. pag. 72. 524. Quo tamen aſtu ſuis Tridentinam illam Helenam ſynodis immiſcuerint præſules Gallicani, & in toto regno Conciliabuli Papani decreta cuſtodienda vulgarint, lib. II. cap. XXIII. diximus.

LIB. V. CAP. LII.

Summaria.

Siega, hactenus Papæa, Calviniſmum recipit.

Amyraldo h. t. ut prius Cameroni, Synodicè impoſitum ſilentium.

Ordinariorum Eccleſiæ Miniſtrorum in Anglia periculum.

Adverſus Miniſterium Eccleſiæ, conatus Independentum.

Familia quatuor hominum, totidem Religionum profeſſione notabilis.

Britannia Monſtroſarum Religionum Lerna.

SIega vel Sigen, oppidum Veteraviæ, Caput Comitatûs cognominis ad Sigam fluvium, præteritis belli annis à Cæſareanis capta, *Romanam religionem ſuſceperat*. Cùm autem an. 1645. Menſ. Jan. Mauritius Naſſovius illam rurſus in poteſtatem ſuam redegiſſet, *reducta ſunt Calviniana ſacra*. Burgoldens. Notit. rer. Imper. A. 501.

Per

Per *Synodos Nationales Gallicanas*, *Alenſonienſem* anno 1637. & *Carentonienſem* an. 1645. habitas, *Moſi Amyraldo*, Salmurienſium Profeſſori, cum ſociis Hypotheticis, *impoſitum fuiſſe ſilentium*, eoſque vel revocatos ad Ordinariam Traditivam, vel ſaltem obligatos, ſuas opiniones ſibi habere, nec illas ſcripto aut viva voce propugnare; eodem planè modo, quo olim actum fuerat cum *Camerone*, eorum præceptore, in quæſtione de Juſtificatione; qui per juramentum fuit obſtrictus, ubi Salmurii Profeſſor factus, ſuam ſententiam ſibi ſervare, nec eam Studioſæ juventuti inſtillare, refert Samuel Mareſius, ex allegat. Theol. Wittenb. de Error. Calvin. fundam. contra Syncretiſt. Rintel. pag. 289. confer 1649.

Inter multas hujus temporis *confuſiones Anglicanas* non minima & hæc fuit, quod *Ordinarii Eccleſiæ Miniſtri* haud amplius tuti fuerint in exequendis officii publici partibus. Exempli loco eſſe poteſt *Johannes Warren*, Paſtor animarum Hauringdenius in Comitatu Bugkinghamenſi, cui fanaticus quidam nomine Hiech, exautoratus miles, poſt habitum ſacrum ſermonem ad populum, jamjam ſacras preces peracturo, coram toto cœtu contradixit ob ea, quæ prædicarat, monitusque, ut taceret, Warrenio violentas geſtiit injicere manus, niſi Myſta ſe de loco ſubduxiſſet. Schwarmgeiſterbr. append. pag. 166.

Imò *parum abfuit*, *quin* prævalentibus nimis *Independentibus* Parlamento immixtis, cuilibet libertas prædicandi daretur decreto publico, *tolleretur Ordinarium quodvis Miniſterium*, ac diſpoſitus ad veterem normam & formam cœtus Eccleſiaſticus omnis diſſolveretur, decimis aliisque reditibus ſacris ad politicos uſus applicatis. videatur Orbis Lumen pag. 439.

Rebus eò devolutis, tot ferè opinionum (pro religioſis habitarum) deliramenta, quot capita ſe aperuerunt. Unde quidam civis Londinenſis retulit: *In ſua familia quatuor tantùm homines eſſe, & ſingulos peculiarem religionem ſequi.* *Se* eſſe membrum Eccleſiæ Anglicanæ; *Uxorem* è ſecta Quærentium; *Ancillam* Anabaptiſtis adhærere; *ſervum* ſibi legiſſe Eccleſiam aliorum viginti quatuor perſonarum, qui conveniant exerceantque dona, ſed nullos pſalmos decantent, Miniſtrorum auditionem abominentur, nullos dies precum vel jejunii obſervent. Horn. H. E. pag. 484.

Inde Claſenius *lernam monſtroſarum religionum* vocat *Britanniam*, ubi quilibet ſingularem ſibi effingat fidem, & ſæpè quidem non ſine

ne Regiæ Majeſtatis imminutione. Alius dicit, olim Hannibalis exercitum vocatum fuiſſe omnium gentium colluviem; ſic meritò Angliam appellari *omnium ſectarum atque errorum colluviem.* Tractat. de Relig. Polit. 144. 486.

Cauſas auctarum hæreſium, ſectarum & ſchiſmatum in Anglia, Hornius indicat ſequentibus penè verbis: „ Si quis conſideret, in quantam multitudinem exiguo tempore hæreſes in Anglia, ſectæ, ſchis„mata cum erroribus & blaſphemiis excreverint, is jure mirabitur, „ quibus ex cauſis id factum ſit? Et illæ quidem ſatis manifeſtæ ex „ ipſorum ſectariorum natura oſtendi poſſunt. Quia enim Inde„ pendentes Parlamentarii vagam quibusvis publicè prædicandi li„ bertatem concedebant, ſaltem non prohibebant; hinc factum, „ ut multi ex plebe, quibus aliqua verborum & rerum copia erat, „ in medium procedere auderent, ad exercenda, eo quo loqueban„ tur ſermone dona, objicerent atque diſputarent propalam adver„ ſus ea, quæ ab aliis dicta fuerant. Auctitum numero auditorum, „ & eorum applauſu ad famam provecti, credebant ſe maximos Ec„ cleſiæ doctores eſſe; & cùm antiquam ſolidamque Theologiam „ nunquam didicerint, quicquid novum, plauſibile, fucatum, in „ in pulpita protrudebant; & eadem aviditate, ab auditoribus pru„ rientium aurium, illa hauriebantur. Poſthæc libertas Conſcien„ tiæ, & generalis toleratio ab illis ſectarum fabris, velut carecta, „ poſt quæ latére poterant, in medium proferuntur. Nihil eſt quod „ carni, & vanitati humanæ magis arrideat, quàm ſibi religionem „ ſtatuere; ſibi Ephod & ſacerdotem comparare. Et favorem ex „ eo quoque ſibi acquirebant nugatores illi, quod ſtipendia certa „ Miniſtris ac decimas hìc & ibi ſubtraherent; ex quo factum, ut „ quæ pro ſuſtentatione prædicantium Ordinariorum pij Magiſtra„ tus conſtituerunt, ſolvere nolentes, facile ad novas Religiones „ tranſirent. Acceſſit propulare regimen, quo ſingulæ Congrega„ tiones Monarchicum quoddam jus, ſpretis omnibus ſynodis Claſ„ ſibusque, ſibi arrogabant. Maximè tamen ipſa doctrina, quam „ ſectarii ſunt commenti, hominum Carnalium rudiumque genio „ & libidini accommodata, eos tanto incremento per univerſam „ Angliam auxit. Hucusque Horn. in H. E. pag. 450. ſeqq.

LIB. V. CAP. LIII.

Summaria.

Anonymi opinio de doctoribus infallibilibus, Eccleſiæ neceſſariis.

Gynæcodidaſcalia apud Anglos, publica.

Sectarii, de propinquitate judicii extremi.

Pauli Hobſonii, & W. Webbe, conciones atque confeſſiones deteſtandæ.

Fato functus H. Grotius; Vir qualis & quantus Eruditis?

Ejus & prudentum Religio; ad emigrationem compoſitio.

FUit isthoc tempore vir non indoctus, præſertim in hebraicis olim, & vitæ hactenus non malæ N. N. qui ſeparatum ab omnibus in Chriſtianiſmo Eccleſiis moliebatur cœtum, ideò, quod putabat, Eccleſiam omnem Chriſtianam ab ævo Apoſtolico, quam diu defuere *doctores infallibiles*, Apoſtaticam eſſe; quia in ea doceatur & exponatur verbum DEI à Miniſtris non infallibilibus, ac tamen DEI nomine proferatur: pro qua ſua ſententia libellum ſcripſit, *Ad Legem ac Teſtimonium* &c. Sed Apologiam ei oppoſuit pro Eccleſia Chriſtiana, non Apoſtatica, Joh. Hornb. S. C. pag. 463. 473. Dicto prælusére Viro *Euſebius Meiſner*, *Sebaſtianus Frank*, & ſimiles, de quibus vid. Lib. IV. C. IV. Horum autem veſtigia legere *Quærentes & Expectantes* in Anglia, ullam in orbe terrarum Eccleſiam extare, negantes, ut ſupra dictum lib. V. cap. XXXII.

In *Anglia* t. t. invaluit, ex conceſſa generali libertate prædicandi orta, *Gynæco-didaſcalia publica*, cujus exempla recenſet G. H. ac dicit, muliebres iſtas conciones refertas fuiſſe multis damnandis erroribus & blasphemiis, e. g. Non conſiſtere cum bonitate DEI quisquam damnetur. Deum patrem regnaſſe ſub Lege; Filium ſub Evangelio; nunc verò Spiritum S. regnaturum, & effuſum iri in omnem carnem. Fore univerſalem inſtaurationem & ſalutem omnium &c. Horn. in hiſtor. Eccleſ. pag. 483.

Menſe Julio Colceſtriæ in Eſſexia, Sectarii quidam blaterabant, *Extremi diem Judicii magno cum terræ motu paulo poſt venturum.* Ideò nullus eorum in futuram hyemem ſibi proſpiciebat; ſed omnis cura & conſultatio erat de *itinere verſus Hieroſolymam ſuſcipiendo*, ut ibi transferrentur in Cœlum. Quædam è ſecta Quærentium ad hoc iter ſolicitata, reſpondit, ſe non ſatis eſſe paratam ad peregrinationem tam longam. Alii Londinenſes iverunt ad Judæum, qui eos de

ac via Hieroſolymam ducente inſtruxit, & quid fugiendum, faciendumve, edocuit. Horn. c.t. lib. 484

Paulus Hobſon ſartor, & Anabaptiſta, contra vitam Chriſtianam ita concionatus eſt: „Olim æquè legalis eram, ac aliorum „ quis quam eſſe poteſt; nulla dies abiit, quin manè, veſperi, ante „ & poſt ſumptum cibum precarer, peccataque mea adeò deflerem, „ ut ferè oculos perdiderim; attamen certus ſum, cum omnia hæc „ facerem, me ne Jota quidem DEI habuiſſe! *W. Webbe, homo novæ lucis*, ut gloriabatur, dixit: ſe gratias agere DEO, quod nunquam confiſus fuerit Chriſto crucifixo; neque ſe credere, eum eſſe Filium DEI: Neque, ſcripturam Verbum DEI, verùm inventionem humanam, ineptam, quæ non ſit regula fidei & vitæ. In Confirmationem ſubjecit, ſcripturam eſſe aureum vitulum, & æneum ſerpentem, qui Regem contra Parlamentum, Parlamentum contra Regem, Regnum contra Regnum excitet: Nec unquam benè Mundo fore, quamdiu non ille ſerpens æneus comminuatur. Interrogatus idem, quid de reſurrectione mortuorum ſtatueret? Non magis homines, reſpondit, reſurrecturos quàm bruta, nec aliam ſe animam habere, quàm corpus; Spiritum tamen eſſe quendam pijs & impijs, qui ad DEUM revertatur. Non agnovit ullum locum pro piis, vel impiis, non Cœlum, non infernum, non diabolos alios præterquam quos ipſi homines faciant. Illicitum eſſe arbitrabatur in hominis uſum ullam occidere creaturam; Ex rigido Independente Anabaptiſta, ex Anabaptiſta factus Atheiſta. Idem ibid. pag. 484. 478.

Vitam finiit 28. Aug. *Hugo Grotius*, Batavus, patriâ Delphenſis, primùm ſyndicus Roterodamenſis; dein poſt turbas ab Arminianis motas & biennalem carcerem, ex quo uxoris fraude, eum in ciſta per ancillam efferri accurantis, liberatus eſt. Suecorum ad Galliæ Regem Legatus. *Heinſio*, vir ſummi judicii; *Dempſtero*, Criticus acutus & inſignis; *Voſſio* non Divinarum minus, quàm humanarum rerum ſcientiſſimus; *Voëtio*, dubiæ aut variatæ Religionis; *Dannhauero*, magnus polypragmon; *Dorſcheo*, magnus Politicus, & ſequiorum opinionum ſectator avidiſſimus; aliis, ut ingenii portentoſi juvenis, ita portentoſæ Religionis ſenex. Multa ſcripſit, ſed multo luto temerata, ut ſunt Annotationes in V. Teſt. infol. Annales & hiſt. Belg. tractatus de Jure Belli & Pacis &c. Hofm. Lex. univ. A. 718.

De prædicto *Grotio*, dum vivebat, Hollandus quidam tale judicium tulit: *ille habet Religionem Doctorum virorum*; & quærenti alteri: quæ eſſet iſta Religio? reſpondit: *Credunt, quod volunt*; ref. Burgold. Not. rer. Imp. part. 2. 11. „Nunquid Grotius voluit, ſtandum „eſſe Interpretationi ac deciſioni virorum Prudentum? Inter quos „ipſum eminuiſſe non diffitemur, nec invidemus profectò; Fallor; „aut hæc eſt illa PRUDENTUM RELIGIO, paucis nota, quæ in Gallia hodie, ac Belgio (potiſſimum) jactatur; ſcribit Hülſemannus in Diatr. ſchol. de Auxil. Grat. pag. 479. Indeque & Müllerus Hamburgenſis, & Kromayerus Lipſienſis Theol. non dubitabant, Grotium foviſſe *Religionem Prudentum*; quæ diverſas religiones, & earum partes miſcet, jam ex hac, jam ex alia, quod arridet, amplectens, & in rem ſuam vertens. Vocatur autem Religio *Prudentum*, quod à prudentibus hujus Mundi, nec abſque ſingulari prudentia, ut ipſis videtur, talis eligatur, teneatur, quando & quamdiu placet. Vocatur etiam Religio *Politica* & *Philoſophica*. *Politica*, rectius politicorum, quia ſolet à viris Politicis, libertatem etiam hac in parte ſectantibus, & ad omnia flexibilibus, eligi; *Philoſophica*, ob libertatem, ut videtur, ab obligatione ad credendum, prout Philoſophus nullius autoritate tenetur, juxta dictum: liber homo Philoſophus, nullius addictus jurare in verba Megiſtri. vid. Müll. Atheiſm. devict. pag. 459. Kromayer. loc. Antiſyncret. pag. 271. ſeqq.

De *morte* verò Viri, *epiſtola Quiſtorpii* ſic nos informat: „Contendis à me N.N. ut perſcribam, quomodo Mundo huic valedicturus, Literatorum phœnix Hugo Grotius ſe geſſerit? En paucis id „habe. Conſcenderat ille Stokholmiæ navim, qua Lubecam ferre„tur; vehementibus per triduum in mari jactatus procellis, naufra„gium patitur, & æger ad Caſſubiæ littora appellit, indeque per„quam incommodo curru, pluvia tempeſtate, per 60. & plura mil„liaria Roſtochium noſtrum devehitur. Secundo ab ingreſſu in „Urbem die me hora nona veſpertina (erat 18. Aug.) ad ſe vocat. „Acceſſi, propemodum in agone virum conſtitutum offendi, com„pellavi, & me nil maluiſſe affirmavi, quàm ut mihi cum ipſo inco„lumi ſermones ſociare licuiſſet. Regerit ille, ita DEO viſum! pergo: „ut ad beatam emigrationem ſe componat, peccatorem agnoſcat, „ſuper commiſſa doleat, moneo; cumque inter loquendum pub„licani peccatorem ſe fatentis, utque DEUS ſui miſereretur, pre„cantis meminiſſem, reſpondet: Ego ille ſum publicanus! progredior,

„ dior, ad CHRISTUM, extra quem nulla ſalus, remitto; ſubjicit „ ille, in ſolo Chriſto omnis ſpes mea eſt repoſita. Ego clara voce „ precationem illam Germanicam Germanicè recitabam, quæ inci- „ pit: HErr JEſu Chriſt wahr Menſch und GOtt ꝛc. Ille complicatis „ manibus, ſubmiſſa voce me inſequebatur. Cùm finiſſem, quæſi- „ vi, an me intellexiſſet? reſpondet probè intellexi. Pergo illa re- „ citare ex verbo DEI, quæ jam jam morituris in memoriam revo- „ cari ſolent. Quæro an me intelligat? reſpondit vocem tuam au- „ dio, ſed quæ ſingula dicas, difficulter intelligo. Cùm hæc dixiſſet, „ planè conticuit, & brevi pòſt Spiritum exhalavit, in puncto duo- „ decimæ nocturnæ. Habes Cataſtrophen vitæ, à Grotio ſummo „ viro actæ &c. Molliter cineres cubent! Vale; dabam Roſtochii „ propridie Michaëlis, an. 1645. Ex obſervationibus Oſiand. in „ Jus bell. & pac. Grot. pag. prolegom. 29.

LIB. V. CAP. LIV.

Summaria.

Colloquii Charitativi Thorunienſis ſcopus, collocutores, proceſſus, & eventus.

Calvinianorum in eo exhibita Confeſſio qualis? ab ipſis conſortibus vilipenſa.

Myſterium S. S. Trinitatis, juxta Calixtum, fidelibus V. T. penè ignotum; Et iis haud explicite propoſitum; nec ad ſalutem neceſſarium.

Biblia Pariſina Heptaglotta prodeunt.

L. Allatius tribus libris perpetuam Orient. & Occident. Eccleſ. conſenſionem venditat.

Eruditorum de iis allegantur judicia.

Walenbergii Methodum Novam Auguſtinianam, & Henr. Nicol. Irenicum de differentiis Religionum conciliandis, promunt.

ANno ſeculi hujus quadrageſimo quinto ſupra milleſimum & ſexcenteſimum, die $\frac{18}{28}$ Auguſti, autoritate Uladiſlai IV. Poloniæ Regis *Thorunii* Boruſſiæ inſtitutum fuit *Colloquium*, quod appellatur ex prima deſignatione *Charitativum*, eò convocatis Theologis ex Pontificiis, Lutheranis, & Calvinianis, è Regno Poloniæ ac annexis provinciis, ut periclitarentur, an via quædam reconciliationis, intribus Religionibus diſſentientibus reperiri poſſet? Ex parte *Pontificiorum* aderant Regis nomine Legatus Georgius, Dux Oſſolinus; Matthias Lubinski, Archiepiſcopus Gneſnenſis, qui primas in

Colloquio tenere debuit; Jeſuita Schonhof, & alii. Ex parte *Lutheranorum* præcipuè fuerunt Johannes Hülſemannus, director conſeſſus Confeſſioni Auguſtanæ addicti; Abrahamus Calovius, Gymnaſii Dantiſcani t. t. Rector; Johannes Botſaccus, Paſtor Dantiſci primarius. Pro *Calvinianis* verò ſtetere, Sbygneus Goraiski, Caſtellanus Chelmenſis; Stanislaus Drohojowski, rerum ſui cœtus Moderator; Johannes Bergius, Eccleſiaſtes Brandenburgicus; cui ſe adjunxit Georgius Calixtus, Helmſtadienſis Theologus, cum illa tamen proteſtatione, ſe in materia Sacramentaria, in loco de prædeſtinatione, ac aliis quibusdam doctrinæ capitibus Calviniſtarum propriis, cum eorum cœtu non facere, verùm in communi ſaltem cauſa contra Pontificios. Circa *tractationis ordinem*, tres faciebant periodos: ita, ut prima, partium ſententiæ liquidò proponerentur; ſecundâ, veniretur ad examen doctrinæ; ultimâ, ſi quid ad mores dicendum eſſet, inquireretur. Itaque cùm quælibet pars juberetur fidem ſuam exhibere, *D. Hülſemannus* dixit: Fidem Eccleſiæ Lutheranæ in ejus *quinque ſymbolicis libris* extare, nimirum in Auguſtana Confeſſione invariata, in ejusdem Apologia, in Articulis Smalkaldicis, in Catechiſmis Lutheri, ac denique in Formula Concordiæ. *Pontificii* ſuam, in unico *Concilio Tridentino*, quod ſit omnium Conciliorum egregium compendium, contineri aſſerebant; ſimul à Lutheranis poſcentes, ut & ipſi in una Auguſtana Confeſſione acquieſcerent. *Calviniani* ſuam fidem etiam comprehendi dicebant in *Auguſtana Confeſſione*, ſive *invariatam* quis intelligere velit, ſive *repetitam aut emendatam*; has duas enim Confeſſiones non diſcrepare niſi verbis tantùm; contra quod *Hülſemannus publicè proteſtatus eſt*, ſe non permittere Calvinianis Communionem Auguſtanæ Confeſſionis, quoad communionem dogmatum, perhibens. Cùm ad *Examen doctrinæ* cujus libet partis deveniendum eſſet, Jeſuitarum cunctationibus & artibus factum, ut intra tempus à Rege conceſſum, in principalibus nihil ageretur, conventu poſt habitas 36. Seſſiones mutua valedictione ſoluto. Patuitque ſatis, tum ex eventu, tum ex ipſo agendi modo Papiſtico, ſcopum inſtituti hujus Colloquii, ſine tamen debita colloquendi ratione habiti, ex Romanenſium parte ſaltem fuiſſe, ſolam ad verſantium ipſis cætuum ad Papatum reductionem, vel ſeceſſionis à Papatu condemnationem; nullam autem Eccleſiæ ſuæ vel reformationem, vel emendationem, ſine qua religionum conciliatio, vel diſſidentium partium Unio & Concordia nulla dari

dari poteſt, ſperari nulla. Strateman in theat. hiſt. 1140. Hornb. S. C. 276. 694.

Unum adhuc non omittendum, de *Confeſſione Calvinianorum Thorunienſi.* Quoniam enim à Lutheranis non agnoſcebantur pro ſociis A. C. quoad communionem dogmatum peculiarem, aliam exhibebant Confeſſionem, ſed ſæpius mutatam, valde lubricam, & eo modo conſcriptam, ut ab ipſis fidei conſortibus reliquis vilipenderetur, id quod patet ex *Spanhemii* verbis, Amyraldo adiſtam Confeſſionem provocanti, reſpondentis: „Non opus eſſe Polonis „Theologis ad pacificationem: ſtandum eſſe confeſſione Eccleſia„rum Gallicarum, atque decretis ſynodi Dordracenæ, quam omnes „Eccleſiæ Reformatæ approbaverint: Se tenere, & quod Thorunii „geſtum ſit, & quo conſilio negotium iſtud ita fuerit adminiſtra„tum (Bergiano nempe & Syncretiſtico) idque ſe cum tempus po„ſtularit, probaturum. Quæ aliorum etiam in Belgio, & ipſa Boruſſia Calvinianorum, de iſta confeſſione judicia fuerint, *Mareſius* prodidit in prolegomenis Epicriſ. part. Anaſcevaſt. eam appellans *quaſi confeſſionem*: „Nec patiantur, inquit, Eccleſiæ Gallicæ ſibi il„ludi à Dallæo, oſtentatione illius QUASI CONFESSIONIS, quæ „nomine Reformatarum Eccleſiarum Poloniæ & Lithvaniæ propo„ſita fuit in Colloquio Thorunienſi Charitativo, vel ſpe facilioris „Concordiæ hac via cum Lutheranis ineundæ. Certum eſt, Collo„cutores Thorunienſes ſuas habuiſſe privatas rationes, pro ratione „temporis, loci, actionis aliquid hîc relaxandi (*infle*c*tuntur enim* „*Confeſſiones Calviniſticæ ſecundum RATIONEM STATUS*) & illam „ipſam formulam, quam tum conceperunt, offenſioni fuiſſe mul„tis, eò uſque, ut vir magnæ & autoritatis & dignitatis, qui tunc in „illis confinibus habitabat per N. N. CENSURAM ac judicium no„ſtræ hîc Facultatis (*Gröningenſis*) de illa petierit, quod & ei haud „gravatè conceſſimus. Ex demonſtr. F. W. de error. Calvin. fundam. contr. ſyncret. Rintel. pag. 19. 693. Hülſ de auxil. gr. 142.

Verendum *S. S. Trinitatis Myſterium*, non in N. T. Eccleſia primùm tradi cœpiſſe, ſed in Veteri quoque ad credendum fidelibus propoſitum fuiſſe, Auguſtanæ Confeſſionis doctores contra Anti-Trinitarios hactenus frequenter & feliciter oſtenderant. Ideò, quùm *Georgius Calixtus*, primarius Theologiæ Profeſſor Helmſtadienſis, ejusque diſcipulus Johannes Latermannus, in diſputatione quadam publica quint. Cal. Mart. habita, non tantum V. T. dicta ſive

ſive teſtimonia removerent, tanquam ad probandum iſthoc Myſterium adverſus Photinianos & ſimiles hæreticos inidonea; ſed etiam aſſererent, veſtigia potius, quàm aperta animumque convincentia de eo ibidem oracula reperiri; hujus myſterii cognitionem, in diſtincta cognitione Redemptionis, quæ N. T. reſervata fuerit, includi; *Myſterium Trinitatis è ſolo V. T. non poſſe evinci;* Non eſſe in libris V. T. apertè ac perſcicuè propoſitam, ut, qui illis uterentur, id à DEO revelari animadvertere potuerint; explicitam fidem Trinitatis antiqui fœderis temporibus ad ſalutem neceſſariam non fuiſſe, &c. diutinis & gravibus litigiis latam dedere anſam. vid. Hülſem. dialyſ. pag. 1. ſeqq. Calov. ſyſt. Theol. A. 495.

Sub finem Novembris, completè prodierunt in lucem publicam *BIBLIA PARISINA*, de quibus jam ſupra lib. IV. cap. XLVII. mentionem fecimus, à ſeptem linguis, nempe *Hebræâ, Græca, Latina, Samaritanâ, Chaldoica, Syriaca, & Arabica*, eruditis HEPTAGLOTTA dici ſolita, ſumptibusque Michaëlis de Say (aliis *Monſieur de Say*) decem tomis, charta Imperiali, ſpatio viginti annorum excuſa, & ex collatione antiquiſſimorum Manuſcriptorum, quæ Europa & Aſia habere dicitur, ſtudioſiſſimè concinnata, *Gabriele Sionita* potiſſimum accurante. Unum operis exemplar quadringentis (quater centum) Francis conſtare fertur. Relat. Francof. Vernal. 1646. p. 70. & Herwart. in Scrutin. Philol. ex Glaſs. ſupplem. pag. 93.

Inter alia hujus temporis ſcripta celebriora, referunt opus *Leonis Allatii*, Chii, Lojolitæ, qui Romæ tum floruit, opus, inquam, *tribus libris* conſtans, quos magnifico hoc titulo: *de perpetua Orientalis & Occidentalis Eccleſiarum conſenſione*, prænotavit. Sed jactatum illum utriuſque Eccleſ. conſenſum, nil eſſe niſi merum diſſenſum, doctiſſimorum virorum teſtimoniis liquet. „Non eſt, inquit *Conringius* præfat. in Confeſs. Eccleſ. Gr. Metrophanis, quod quempiam moveat Allatiani operis titulus. Quamvis enim opus ſit „vaſtum, & à multa lectione egregiè inſtructum, nihil tamen minus agit, quàm quod titulus pollicetur; qui reapſe totus eſt inanis, imò ipſimet operi planè adverſus; omni ſcilicet grandi illo „opere, ſi pauca quædam noni, decimi, ac duodecimi capitum excipias (quædam ajo, nam & hæc ipſa capita diſſenſionum plena „ſunt) in certaminibus, quæ multis jam ſeculis Græcam Latinamque Eccleſiam diviſerunt, ſive narrandis, ſive in Latinorum gra-

„tiam

„tiam propugnandis, occupato. *Scripſit ille* (Allatius) *de Concordia Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, qua tamen Concordia nihil diſcordius; libri Titulus debuiſſet eſſe, ſi veritatis autor habuiſſet rationem, de diſcordia Or. & Occ. Eccleſ.* dicebat *Bernhardus à Mallinkrot*, Monaſterienſis Capituli Decanus ſeptuagenarius, ad Joh. Conr. Dieter: profeſſorem Jenenſem. *Princeps* quidam Papiſmo aliàs addictiſſimus, in Colloquio cum Petro Haberkornio faſſus eſt, Allatium, quem Romæ viderit, conſenſum illum Græcorum cum Latinis, nimium extendiſſe, pro conſenſu quorundam, in quibusdam, & quandoque Conſenſum perpetuum ponendo; Id quod omninò falſum ſit. Henr. Hilar. in Chron. Cyprii, 156. 482. D. Elias Vejel, in defenſ. Exercitat. de Eccleſ. Gr. adverſ. Allat. 99. pag.

Tunc etiam lucem aſpexit publicam, *Nova Methodus Auguſtiniana*, ſic dicta, de fide Catholica (pontificiam intelligit) è ſolo DEI Verbo probanda defendendaque, à *fratribus Walenburgicis* edita, qui ſub iſthoc titulo Methodum Gonterio-Veronianam interpolarunt & venditarunt. Artis autem hujus vanitatem Orbi Chriſtiano jam dudum oſtendere celeberrimi Theologi *D.* Keſsler, Dannhauerus, Calixtus, alii. Rechenberg in diſſertat. de maleſana & ſana in Theologia Curioſitate, lit. F. 2. D. Vejel cit. exerc. pag. 98. confer quæ diximus lib. II. cap. XII. & lib. III. cap. XXXIX.

Magnumque puriori Eccleſiæ tædium peperit *Irenicum de differentiis Religionum conciliandis, Henrici Nicolai*; opus exitioſiſſimum, judice D. Calovio, variis erroribus impletum, & colloquio Thorunienſi, contra Magiſtratûs interdictum, vafrè ingeſtum. Ubi cum Arminianis eò abiit, ut cenſeret ſufficere ad ſalutem ea, quæ in ſymbolo Apoſtolico continentur, accepta intellectaque communi omnium, qui Chriſtiani vocantur, ſenſu; quo nomine etiam complexus eſt Anti Trinitarios, Arianos, Somoſatenianos, Socinianos, Anabaptiſtas, quos pariter fundamenta ſalutis retinere ſalva frivolè aſſeruit, & in Societatem Spiritualem aſſumendos cupivit. D. Calov. in ſyſtem. A. 839. & Vindiciis Apolog. Nicol. oppoſit. lit. H. 1.

LIB. V. CAP. LV.

Summaria.

Tractatio Pacis Germanicæ impedita: Trautmansdorffii Sueci Gallisque facta oblatio.

Torſtenſonii expeditio hyberna; Militare Imperium Wrangelii.

Königsmarkii ſucceſſus; Pax Sueco-Danica.

Mercii ac Turenii clades mutuæ: Gallorum progreſſus in Catalaunia, & Lotharingia: Rex Carolus I. à Fairfaxio victus in Anglia.
Bellum Ibrahimi Turcæ, cum Venetis & Melitenſibus, quo Caneam ſubegit.
Guntheri Schwarzenburgici nuptiæ; obitus Friderici Caſimiri, Pr. Bipontini; Michaëlis item Federowizii, Magni Moſcorum Ducis.
Regnum Sinenſe, à Tartaris Niuchenſibus tunc ſubjugatum.

T*Ractatio Pacis Germanicæ*, Monaſterii quidem continuatur, ſed per integri anni ſpatium, & quod excurrit, propter Auſtriacorum cum exteris, Pontificiorum cum Proteſtantibus, ac horum inter ſe multiplicem diſſenſionem, nihil promovetur. *Comes Trautmansdorfius*, Cæſaris Plenipotentiarius, Principio Svecis Pomeraniam, Gallis Alſatiam loco ſatisfactionis obtulit, ratus Ordines Imperii auxilio nudatos, Cæſaris arbitrio relinqui. Quæ cùm Coronis non ſatisfacerent, Comitem oblationis pœnituit. An verò Trautmansdorfius ad iſtud ab Imperatore fuerit inſtructus, an verò motu proprio hoc artificium invenerit, altioris res eſt indaginis. Burgold. Not. rer. Imp. A. 139. pag.

Interea *Torſtenſonius*, media hyeme movet in Bohemiam 24. Februarii die, ac ibidem Cæſareanos, cum auxiliaribus Bavarorum copiis, ad Jankoam iterum prælio ſuperat; ſed Brunnam fruſtra tentat in Moravia; rebus deinde ſuis pro ratione temporis & ſtatus diſpoſitis in Germania, ob acutos & frequentes dolores podagricos, Sveciam repetit, cui in Imperio militari ſuccedit *Wrangelius*, bellator fortis, prudens, & felix. Tſchimmern, in contin. Sleid. de 4. Monarch. pag. 447. 452. lib. 3.

Wrangelius, per Holſatiam Danum affligit, uſque dum *Königsmarkius*, Stadâ, Buxtehuda, Bremerverda, aliisque munitis locis vi aut deditione captis, Archiepiſcopatum Bremenſem Suedicæ poteſtati ſubjicit; cumque Saxonico Electore ſemeſtres inducias pangit. *Pax* deinde *cum Dano* ad Bræmſebroum pontem in Regni finibus initur, qua Gotlandia, Jemptia, & libertas Svedicis navibus perfretum euntibus in perpetuum, Hallandia verò pignori in 30. annos, poſt quos vel denuò aſſignanda vel alio æquivalenti mutanda, conceditur. Spener. in Sylloge Geneal. p. m. 52.

Sub hæc in ſuperiori Germania, Bavaricarum copiarum Dux *Mer-*

Mercius Vinarienſes ſub ductore Turenio apud Mergenthemium inſigni clade profligat. Verùm *Turenius* in Haſſiam cum parte equitum elapſus, brevi ad parem Bavaris numerum, exercitum reficit, cumque Anguienſi movet in hoſtes, ac deprehenſos prope Allerhemium, inter Nördlingam & Donavverdam, prælio vincit, ipſo *Mercio* in prima aggreſſione *cæſo*, cujus mors ob claritudinem facinorum, & militarem prudentiam, à ſuis maximè deplorata. Turſellin. hiſtor. append. 2. pag. 85.

Eadem æſtate in *Catalaunia*, Arcurtius prorex, occupatâ Roſâ, inſigni portu apud Mare Gallicum, mox converſo itinere Sicorim fluvium cum omnibus copiis, in conſpectu Hiſpanorum transgreditur, eosque commiſſo brevi prælio magna clade profligat. In *Lotharingia*, Motta præcipuum ejus ditionis oppidum, poſt quinque menſium obſidionem, Gallis cedit; *Hulſtum*, Urbs parva, ſed probè munita Flandriæ, ab Hollandis intercipitur. Turſell. ibid. 80.

Angliæ Parlamentum, cùm hactenus nimis multos habuiſſet duces decernit omnibus Imperium abrogare, & novum exercitum inſtruere ſub uno duce. Creatus Imperator *Thomas Fairfaxius*, cui cum viginti millia militum ſubeſſe deberent, menſe Majo vix M. duodecim in campum producere poteſt, plerosque tyrones, pueros, & quorum vix centeſimus unquam hoſtem aſpexerat. Regii putabant, eos vix conſpectum ſuum laturos, certamque animo victoriam concipiebant. Sed quid fit? Exercitus hic Parlamentarius in Occidentem traductus, ibi proſpero ſucceſſu Tauntonam oppidum à Regiis obſeſſum liberat. Inde Oxonium cingit; ſed cùm Rex interea valido exercitu univerſam Angliam perterreret, jubetur Oxonii obſidionē ſolvere Fairfaxius & contra Regem pugnare. Committitur ergò prælium Jun. 14 in Comitatu Northamptoniæ prope pagū Naſebim; ibi miraculoſe (quaſi) & contra omnem hominum ſpem, *Parlamentarii vincunt*, omni Regis peditatu ab 8000. capto; redactis etiam in poteſtatem ſecretis ipſius literis, viribus Carolinis finem imponunt. Horn. orb Imper, 351. ſeq.

Grave bellum ea tempeſtate *Melitenſibus & Venetis*, cum *Ibrahimo* Turcarum Imperatore exortum, ob raptam & captam ab iſtis navem, in quâ Sultani concubinæ, multique alii nobili proſapia nati vehebantur, quatuor millionum pretio æſtimata. Melitam Inſulam peti ſimulabat Muſelmannus; cæterum inſtructiſſima claſſe *Cretam*, in Venetorum ditione, infeſtus aggreditur. *Canea*, quod

 pri-

primarium Inſulæ hujus emporium eſt, terra marique obſeſſa. Jamque redegerat eam in poteſtatem, priuſquam auxilia Venetorum, Pontificiſque & proregis Neapolitani, aliorumque Italiæ Principum convenirent. Turſell. hiſt. app. 2. 87. Wagn. limin. geneal. 359.

Chriſtianus Güntherus, *Comes Schwarzenburgicus*. Sophiam Dorotheam, Georgii Comitis de Moersburg & Beffort filiam in matrimonium duxit. Primus, qui pietate in DEUM, & amore erga ſubditos, *probi* cognomen implevit, & Arnſtadium incoluit. Imhof. Not. proc. 1073.

Obijt ſupremum diem ſuum, *Fridericus Caſimirus*, *Dux Bipontinus*, alter Johannis primi filius qui Appennagii loco *Landsbergam*, unde palmiti, quem condidit, nomen, acceperat, & Amaliam, Wilhelmi Principis Arauſionenſis filiam, connubio ſibi junxerat, quo ditionem Montfortiam in Burgundiæ Ducatu nactus. Id. ibid. 382.

Extinctus quoque *Michaël Federowicius*, *Magnus Moſcorum Dux*, repentino morbo, incertum an veneno, Princeps inclytus, de quo vid. ſup. lib. 2. cap. 13. Ei ſucceſſit filius, Alexius Michalovizius, qui Comitem Voldemarum, Regis Daniæ f. n. è cuſtodia cum donis & honore dimiſit, in quam illum parens, quod filiam ipſius ducturus, ritus atque ceremonias Græcorum profiteri nollet, intrudi juſſerat. Horn. Orb. pol. pag. 434. Hofm. Lex. A. 83.

Poſtquam *Tartari*, *Niuchenſes* non tantùm Urbem *Pekingam* occuparant, ſed & maximam partem Regni Sinenſis poteſtati ſuæ ſubjecerant, Zungtei filium oppidò tenerum, nomine *Xunchium*, Throno impoſuere *Sinico*; In adminiſtranda Republica nil ferè immutantes. *Veſtem* ſolùm *ac tonſuram Tartaricam Sinenſibus imperabant*, unde tamen haud leves & ſæpius iterati tumultus. Militiam ſibi ſervant, at Sinicis non excluſis, quos etiam tribunalibus miſcent. Neuhofen. deſcript. regni Sinenſ. pag. 418. 420. pl.

LIB. V. CAP. LVI.

Summaria.

Moguntinenſes de G. Calixto.
Duarum puellarum caſus miſerabilis.
Cancellarii Perſici imprudentia, ſeveriſſimo ſupplicio expiata.
Sceleton immanis alicujus Gigantis effoſſum.
Kocheræ admirandum: Et calamitates variæ.
Mors Mariæ Jarſiæ, Virginis eruditæ.

In

IN ſuis animadverſionibus ad Anti Becanum Crocii, *Moguntinenſes*: „ An neſcimus, ſcribunt, quid an. 1645. Torunii in Boruſſia *D.* „*Calixto* acciderit? qualem repulſam miſellus tulerit? A noſtris ut „hæreticus eliminatus; à Lutheranis, quibus accenſeri optabat, „Calviniſmi ſuſpicione ejectus; à Calviniſticis, Lutheraniſmi no- „mine repudiatus; in tam ſolenni conventu locum non reperiit. „Audi N. N. Epiſcopum Samogitienſem, Torunio 3. Octob. 1645. „ſcribentem: Georgius Calixtus ita Colloquio adeſt, atque ſi lon- „giſſimè abiiſſet: Nusquam enim in publico conſeſſu hactenus „comparuit; eò quod Lutherani Ubiquiſtæ, pro ſuo gregali virum „haud recognoſcant; Calviniani verò, ad quos civili convictu, & „forte etiam causâ religionis, majorem partem tranſit, niſi ab aliis „quoque Lutheri fecibus depuratum, intra adyta interiora ſua ad- „mittere non poſſint. vid. cit. lib. pag. 413. & Croc. Vind. part. 2. 698.

Miſerabilis & memorabilis caſus t. t. contigit in Saxonia N. N. cum *duabus puellis*, quæ, poſt plurimas & graviſſimas vexationes ad præſentiam *certæ cujusdam fœminæ*, ſæpius quoque tam publicè, quàm privatim, vel ad ſolius nominis (dictæ fœminæ) auditum, formidabilibus abreptæ paroxyſmis, triſtiſſimum & parentibus & aliis dedere ſpectaculum. Conſil. Theol. Wittenb. C. plur. pag. 17. 20.

Tragicum vitæ exitum, Octobri menſe, ſortitus eſt *Mierſa Tachius*, Perſici Regni Cancellarius, octoginta annorum ſenex, ob imprudentiam in oratione reſponſoria, præſente Rege, Arabico Legato data. Sic enim compellavit Arabem: *Veſtræ Celſitudinis adventus eſt nobis gratiſſimus; quicquid V. C. petierit, id concedemus; Ideò de favore noſtro non dubitare debet*, &c. atque in toto ſermone nunquam *Majeſtatem Regiam* nominavit, ſed quaſi ex ſua loqueretur autoritate, vocula *NOS*, uſus fuit: quæ Cancellarii Imprudentia vel arrogantia, adeò *Regem* irâ accendit, ut manu acinacem tangeret, aſpiciens ducem Ganigangh, indicans ei, ut Mierſam obtruncaret illicò; hic verò, cùm non ſtatim ſententiam Regis probè cognoſceret, ſequenti demum die, expreſſo Regis mandato certior factus de voluntate, matutino tempore cum aliquot aliis Proceribus, & ſtipatus miniſtrorum turbâ, properavit ad ædes Cancellarii, hujus *caput amputari curavit, & corpus in fruſta diſſecari.* Varen. in append. deſcript. Regni Japon. pag. 281.

Crembſæ in Auſtria, menſe Novembri, cùm Sveci eſſent occu-

cupati in ducenda nova quadam foſſa, verſus montem civitatis in invenere *ſceleton Gigantis* alicujus incredibilis magnitudinis; ſolum enim cranium æquabat latitudine menſam rotundam, oſſa brachialia craſſitudinem corporis in alio viro mediocri tantum non ſuperabant, ſinguli dentes aliquot librarum pondus tenebant. Zeil. ep. l. 2. 729.

Kocbera, flumen agri Halenſis ac Hoënloici, tum per aliquot horas aridum exhibuit fundum. *Uratislaviæ*, *grando* ultra duodecies mille Imperialium æſtimatas comminuit feneſtras. *Eislebiæ*, ducentæ octogintaque ædes, & ſeptuaginta horrea *conflagrarunt*; *Villanæ* ter mille domus; *Conſtantinopoli*, mille, cum decies quinquies mille tabernis mercatoriis, fanis ducentis, quatuor templis, triginta palatiis. *Baſileæ, venti* damnum ultra ducenta florenorum millia æſtimatum, intulere; quod idem ſenſit *Belgii Galliæque* ora Maritima. Calviſ. contin. Chron. 1023. pag.

Naturæ debitum ſolvit *Maria Jarſia*, *Gornacenſis*, illuſtri genere nata, ſub tutela Michaelis Montani, tantum profecit in literis, ut apud omnes paſſim eruditos in ſummo eſſet pretio. A Perronio, Bentivoglio, Cardinali Richelio, Carolo I. Duce Mantuano, Heinſio, Puteano &c. per literas ſalutata: Cum Anna Maria Schurmannia, frequens epiſtolarum habuit commercium; Baudio, Galliæ Siren, ac decima Muſa appellata. Obiit Lutetiæ an. 1645. ætat. 80. *Epitaphium* ei non nemo hoc poſuit: *Mariæ Jarſiæ, cognomine Gornacenſi, nulli viro notæ; nulli docto ignotæ: Quàm corpore ſterili, tam ingenio fœcundæ: Nec mortalium liberorum ſed librorum ſemper victurorum parenti*, Hofman Lex. A. 994. Roland. Mareſ. Epiſt. p. 103.

LIB. V. CAP. LVII.

Summaria.

Seculum inde à beata morte Megalandri Lutheri elapſum.

Quomodo ante obitum, obiiſſe pudendâ calumnia nunciatus fuerit?

Epitaphium, quod ad Viri meritiſſimi tumbam legitur.

Johannes Latermannus Eccleſiam & Academiam Regiomontanam turbare incipit.

Proteſtantes Hungarici executionem Pacis cum Rakocio initæ urgent.

In Cœlum evocantur Arnoldus Mengering, & Johannes Saubertus.

Parthenius II. Patr. Conſtant. in exilium agitur.

Cen-

C*Enteſimus* hic eſt *annus à B. LUTHEI morte*. Is enim anno ſupra milleſimum & quingenteſimum quadrageſimo ſexto, menſis Februarii die decimo Octavo, *Concordiæ* ſacro, vitam hanc miſerandam Islebiæ, in qua Urbe lucem primò aſpexerat, clauſit, & animo ad æternitatem per CHRISTUM benè ac fiducialiter compoſito, placidè obdormivit. Equidem anno 1545. atrociſſima ſparſa fuerat *calumnia*, per Papicolas in Italia præprimis, de Tragico Megalandri obitu: incidiſſe, mentiti ſunt, in morbum lethiferum, & invaleſcentibus doloribus, accepto benedicto pane & calice petiiſſe, ut corpus ſuum poſt mortem altari impoſitum adoraretur. Sed quam primùm ſepulchro mandatum fuerit, horibili ſtrepitu præſentes attonitos fuiſſe redditos, omnesque hoſtiam corporis JESU Chriſti, quam ipſe indignè acceperit, in aëre ſuſpenſam vidiſſe; ſequenti die horribiliori adhuc ſtrepitu audito, facto concurſu, plures ſepulchrum iterum aperuiſſe, cadaver autem non amplius inveniſſe, & non paucos Sulphureo fœtore in gravem conjectos fuiſſe morbum. Hanc nefariam fabulam *Lutherus*, adhuc in vivis exiſtens, cum autorum inſigni probro, confutavit, Poëta pio atque clariſſimo ad Papam ſuccinente:

Papa, quid ægroto ſua fata precare Luthero,
Nil, melius, vivat, ſeu moriatur, habes.
Is tua, dum vivit, peſtis te affligit & urit,
Mors tua tunc certè, cùm morietur, erit.
Dira lues peſtis, ſed mors eſt dirior illâ;
Elige nunc utrum, perfide Papa, velis.

Anno 1546 ætat. 63. dicto die, ante horam tertiam matutinam verè mortuus eſt, juſſuque Saxonici Electoris Johannis Friderici, quantum ad animæ in manus DEI reſignatæ exuvias Islebiâ Wittenbergam delatus, ibique in Templo Arci contiguo, ſplendidè magnificeque humatus eſt HERos ille MaRTINus LUTHERus, eruditione, fide, ſpe, pietate, felici laborum ſacrorum ſucceſſu, MAGNUS, pulcherrimo agmini ſummorum virorum, quos DEUS ad colligendam & inſtaurandam Eccleſiam miſit, jure meritoque annumerandus; Cujus benedictam memoriam, injuriâ temporis penè obſoleſcentem, hic paucis renovare, maximaque DEI beneficia, per tantum virum Eccleſiæ præſtita, cum aliis piis mentibus prædicare, operæ pretium duximus, eum in finem addentes deſcriptum

ſcriptum Carmen, quod Wittenbergæ in tabula ſupra laminam æneam, in qua laudatiſſimi Viri effigies, legitur:

Continet hic tumulus Martini membra Lutheri.
Noſſe ſat hoc fuerat: ſed tamen iſta lege.
Hîc prope Martini rurſus victura Lutheri
In parvo tumulo molliter oſſa cubant.
Quæ prius horrendis errorum preſſa tenebris,
Atque operum obſcura nube ſepulta fuit,
Hoc monſtrante iterum patefacta eſt gratia Chriſti,
Quæque DEO acceptos nos facit eſſe, fides.
Namque ſuperſtitio cùm regnum cæca teneret,
Et premeret longo dogmata vera ſitu,
Ille DEI afflatu monitus, Verboque vocatus,
Lucem Evangelii ſparſit in Orbe novam,
Inſtructusque tuba Paulinæ & fulmine linguæ,
Exploſo, cœpit vera docere, dolo.
Utque Agnum in media Baptiſta oſtendit eremo,
Qui pia pro populi victima labe foret;
Sic quoque monſtravit Te, maxime CHRISTE, Lutherus,
Cùm totus tenebris obrutus orbis erat;
Et Legis tabulæ, quas in Sinaide Moſes
Alliſas fregit rupe, propheta DEI,
Quid diſtent Evangelio, quod pectora ſanat,
Conſcia quæ culpæ terruit ira DEI.
Hoc prius amiſſum diſcrimen reddidit Orbi,
Eſſent ut Chriſti munera nota magis.
Arguit Auſonii fraudes atque impia regna
Pontificis, populo quæ nocuere DEI,
Pollutasque monens vitare Idola per aras,
Ad verum adduxit corda levata DEUM.
Magnanimusque, DEO curſum, ſervante, peregit,
Inſidias contra multiplicesque minas.
Tandem ex hac vita tranquilla morte vocatus,
Ardua propitio venit ad aſtra DEO.
Sentit ubi coram felicia gaudia Chriſto,
Veraque poſt obitum præmia vivus habet.
Grata DEO, tanto ſit pro doctore futura
Ætas, quæ Chriſti dogmata vera ſciet;

At-

Atque oret precibus, DEUS hanc, quam præbuit Orbi,
Lucem Evangelii ſervet ut ipſe ſui!

Vide cent. H. E. Oſiand. XVI. 369. Et *Memoriam Thaumaſiandri Lutheri renovatam* Johannis Friderici von der Straß/ Argentinenſis per tot. ubi ſiſtitur Lutherus natus, renatus, puer Scholaſticus, ſtudioſus adoleſcens, Monachus ſuperſtitioſus, Converſus, Profeſſor Academicus, Miniſter Eccleſiæ, Doctor Theologus, Heros, Maritus, bonus civis, vir bonus, Martyr, homo mortalis; ubique doctiſſimis commentariis & obſervationibus additis:

Ea tempeſtate, ſc. an. 1646. *Johannes Latermannus*, Calixti Helmeſtadienſis creatura, Regiomonti & Academiam & Eccleſiam, ſuis novitatibus non parum turbare cœpit. Sed homini periculosè novaturienti, maſculè *Cœleſtinus Myslenta* ſe oppoſuit, ore & calamo: hujus autem veſtigia dein Miniſtri quoque Tripolitani preſſerunt. Exercitationem Latermannianam, de qua inferius dicendum, D Feurbornius pomum Eridos vocat, à Diabolo in Academiam Regiomontanam & Eccleſiam projectum; cenſetque, meritò ipſius erroribus & Exercitationibus Dn. Tripolitanos contradixiſſe, Divinamque veritatem vindicaſſe, ac machinationibus iniquis reſtitiſſe; dolet etiam, D. Myslentæ Collegas (Drejerum, & Behmium juniorem) Latermanno in ſuis erroribus patrocinari. Ex Calov. ſyſtem. Theol. part. A. pag. 1177. ſeq.

Hungarici Status Evangelici, apud Ferdinandum tertium Regem ſuum, & Imperatorem Romanum, in Comitiis, de *firmanda pace* cum Tranſylvano nuper inita, cujus mentionem fecimus præcedent. cap. L. de Templorum ſuorum, à Papanis abreptorum, & ſacri cultus tamdiu impediti, maturanda reſtitutione, ut & Lc jolitarum dimiſſione, multum operis impendunt; quo ſucceſſu & effectu, dicetur alibi. vid. Rel. Francof. vernal. p. 74. 75. confer an. 1647.

Ad meliorem vitam interea temporis abiit *Arnoldus Mengering*, Theologiæ Doctor celebris; Superintendens & Canonicus Hallenſis benè meritus; aliquot utiliſſimis ſcriptis, maximam partem Germanicis, notus, inprimis autem *Scrutinio Conſcientiæ Catechetico*: de quo nondum edito, D. *Henricus Höpfnerus* jam an. 1632. die 18. Aprilis ad Autorem ſcripſerat: „ Teſtor ego DEUM, me & optare „ maximè, ut opus hoc utiliſſimum quàm maturrimè prodeat, & „ non etiam diligentiæ quippiam reliquum feciſſe, ut vobis gratifi- „ carer; at ſurdis narravi non fabulam, ſed veritatem &c. deinceps

an. 1635. Jan. 11. idem epiſtolæ ſuæ inſeruit ſequentia: „Semper „animo meo verſavi ſacrum hoc votum, lucem ut vel tandem aſpi- „ceret veſtrum ſcrutinium, quod malefidus N. tam diu remoratus „eſt. Id ſi cognovero ſub prelo eſſe, magno mihi gaudio fuerit &c. Alius non infimi vir ſubſellii, Mengeringum ad operis publicationem ſolicitavit hiſce verſiculis:

- - - - Fac, quæſo, remittas
Scrutinium nobis, vir Veneeande, brevi,
Scrinio ut in noſtri teneamus pectoris imo.

Micræl. H. E. lib. 3. pag. 520, Scrutin. ipſ. an. 1642. edit. præfat. a. ult. & 6. pl.

Accidit etiam, ſub initium Novembris, *Joh. Sauberti*, Eccleſiaſtis Noribergenſis primarii, properus obitus, beatiſſimus tamen, atque uti à fidis teſtibus perſcriptum, inter Angelicos intuitus. Præter Biblia ſummariis adornata, Antiſchmalzium; Examen Melanchthonis; Miracula Auguſtanæ Confeſſionis contra Nihuſium; Curſum Simeonis; Præſervativum ſpirituale, & alia, poſteritati conſecravit. Ejus etiam eſſe dicitur Epiſtola illa egregia, qua ſub nomine *Juſti Baræi* Antuerpiani, ad Abrahamum Scultetum, Majeſtas Omnipræſentiæ, Carni CHRISTI communicata, doctè aſſeritur. Micræl. cit. lib. 539. Selen. Auguſtal. J. V. Andr. pag. 187.

De novo *Græcorum Patriarcha Conſtantinopolitano* ſcribit Allatius: „Dicunt, Cyrillum Lucarim Calvino adhæſiſſe; quem ſequitur, qui „nunc præeſt, *Parthenius alter*. Lucaris ab ipſis Græcis, tanquam „malè ſentiens, rejectus eſt, & hæreticorum pœnis ſubactus; de „Parthenio compeſcendo jam omnem movent lapidem. Hæc ille. Nec longa intercesſit mora, quin removeretur à ſede Parthenius; Cùm enim Peſceſium, quod ingens, & ipſorum culpâ Græcorum ad ſexaginta Imperialium millia adſcendere ſcribitur, Turcis parata pecuniâ ſolvere non poſſet, in exilium ejectus eſt, in quo etiam non parvo tempore vixit; quis interea munere Patriarchali functus fuerit non conſtare nobis, liberrimè fatemur. Hilar. in Chron. Cyprii, 485.

LIB. II. CAP. LVIII.

Summaria.

Caſtro, Hetruriæ urbs primaria, ab Innocent. X. funditùs everſa.

Affectus Innocentii hujus in ſuos Nepotes.

Bar-

Barbarini N. N. Cardinales in priſtinam ab eo gratiam recepti.
Joh. Caſim. Poloniæ Princeps, cur factus Ex-Jeſuita.
De Jeſuitis deſertoribus, Societatisque proditoribus, de Lojolitarum item Theologia Morali J. V. A. judicium.
In Inſula S. Chriſtophori, locum Capucinorum Jeſuitæ occupant.

INnocentius X. Papa, ſe Innocentem tyrannidis & violentiæ prædeceſſorum egregio, ſcilicet, manifeſtum dedit exemplo; dum Hetruriæ urbem Primariam & Epiſcopalem *CASTRO*, Duci Parmæ antea ſubjectam, elegantem ac munitam, *funditùs everti atque deleri juſſit*, ejus Epiſcopatu Aculam tranſlato. Hofm. in Lex. Univerſ. A. 397.

Idem circa hoc tempus, *Maidachinum Nepotem*, omnium ſtolidiſſimum, animo & corpore deformem, adhuc etiam adoleſcentem, Cardinalitiâ purpurâ, volente *Donna Olympia*, donaſſe dicitur; *Camillum Pamphilium* autem, rerum omnium ignariſſimum, ad Cardinalis Patroni tamen dignitatem promotum, eò quod hac dignitate infirmitatis conſcientiâ ſe abdicaret, unà cum nova nupta de Roſſano, devotum Pontificiis diris, Româ relegaſſe. Heidegger hiſt. papat. pag. 395. ſeq.

Romæ autem *Franciſcus* & *Antonius Cardinales Barbarini*, & Urbani VIII. Pontificis Nepotes, cùm, mota contra eos controverſia in res ſub patruo Papa geſtas, in Galliam profugiſſent, Avenionem revocati, & in priſtinam gratiam dignitatemque repoſiti ſunt. Ep. hiſt. Turſ. ap. 2. 89.

Johannes Caſimirus, Poloniæ Regis Uladislai frater, ante biennium equidem (& quod excurrit) Societati Lojolicæ nomen dederat, inde numero Romanæ Eccleſiæ Cardinalium adſcriptus; verùm *Regiæ Serenitatis* titulo fruſtratus, *Ordinem ſacrum dereliquit*. Calviſ. contin. 1024.

Lutetiâ nuncium venit in Germaniam, ad Aulam inprimis Guelferbytanam, *Jeſuitas* quatuor, *deſerta Societate ſua*, alium Ordinem prætuliſſe, promittentes, ſe *Arcana Sodalitatis* hactenus abſcondita, quibus ſtabiliendo Societatem ſuam, Orbi Chriſtiano imponere non deſinant, in lucem edituros, eorumque fallacias prodituros. Quod cùm è Principibus Guelferbytanis *D Joh. Valentino Andreæ* perſcripſiſſet unus, hic aptè reſpondit: „ Quæ de Jeſuitis „ deſertoribus, & ſuæ Societatis proditoribus addidiſti, in mentem

„ revocâre dicterium: Malum tunc eſſe peſſimum, cùm bonum ſi-
„ mulet. Jam ante Orbi tot tragicis actibus proditum eſt, hanc So-
„ cietatem ſub Religionis & literarum larva, omnium Aularum ac
„ propemodum hominum exploratores, Regnorum concuſſores, &
„ ſanguinolentæ Scenæ Actores intimos eſſe, ad eamque iniquita-
„ tis magnitudinem excreviſſe, quæ tam orbis Capitibus, quam ipſi
„ Pontifici formidanda ſit, non niſi mole ſua evertenda. Sed reſerve-
„ tur hæc potius gloria Chriſto, fortaſſis cum totius mundi periodo
„ & interitu. vid. Selenian. Auguſtal. pag. 162. 164.

Cùm ex eadem Aula, nominato doctori transmiſſum fuiſſet exemplar *Theologiæ Moralis Lojolicæ*, reſcripſit hunc in modum:
„ Moralem Theologiam Jeſuitarum, ut primum acceperam, perle-
„ gi, jam ante per partes cognitam, at nunc brevi faſciculo com-
„ prehenſam; Quàm verò ſuaviter in ſinum rident, perfrictæ fron-
„ tis homines, ad has chartas, ſueti totum in ſe provocare Mundum,
„ ſuiſque præſtigiis verſutiisque eludere? Aliis armis atque facibus
„ Herculeis contra hanc Hydram multiplicem opus eſt. Nec enim
„ Papa in ſinu nocentiores ſerpentes metuendos habet; Neque Ca-
„ tholici hirudines inſatiabiliores; Nec Evangelici cunicularios in-
„ timiores; Nec Orbis terrarum furias infenſiores. Ac mihi ex
„ cunctis, quas legere contigit contra hunc infeſtum humano ge-
„ neri Ordinem, accuſationibus planè perſvaſum eſt, prima ejus
„ mobilia eſſe Theologiâ Atheos; Philoſophiâ Necromantas; Lite-
„ ratura corruptores; politia turbatores; Oeconomiâ impoſtores;
„ Commerciorumque omnium peſtes; cunctis mortalibus dete-
„ ſtandos ac vitandos! At noſtro fit vitio, ut dum Religionem propè
„ omnem cum literis ac moribus bonis proſcribimus, illi pietatis,
„ eruditionis, & modeſtiæ larvâ incultis mentibus imponant, aliud-
„ que agentes, ſua agant, ſcilicet ad hanc omnibus Ordinibus for-
„ midabilem molem, & quaſi Equum Trojanum ſe extollant, Ilium
„ poſthac everſurum. Hoc ergò rectiùs facis, inclute Princeps, qui
„ cum florentiſſimis fratribus, magni Patris æmulus, cum Religione,
„ probitate, & literatura connubium inis, tanquam Gorgianum
„ ſcutum omnibus larvis, planis cuniculisque feliciter opponendum.
J. V. A. in Epiſt. A. pag. 174.

In Americæ Septentionalis *Inſula* quæ à *S. Chriſtophoro* nomen habet, ac una eſt ex Antillis (hinc ab anno 1628. ſub Gallorum & Anglorum dominio) *expulſis fratribus Capucinis*, hoc tempore *Lojo-*
lica

lica Societas in locum *ſucceſſit*, ibique magnificum Collegium erexit, Henrico du Viviero ibi primo Rectore conſtituto. Rocheſort in deſcript. Antill. pag. 87.

LIB. V. CAP. LIX.

Summaria.

Gymnaſium Bredanum inclareſcit.

Præfecti cujusdam Calviniani protervia in Concionat. Luth. publica.

Adverſus Amyraldiſtas & Hypotheticos Calvinianos, Theologorum Leidenſium Cenſura.

Directorium cultus publici à Parlamento Anglicano vulgatum.

Wilhelmus Prin, antè infamia notatus, nunc Parlamentarius.

Calvinianorum quoque Religio in Inſula Chriſtophori propagata.

Unde Inſulæ nomen?

AB eo tempore inclaruit *Gymnaſium Bredanum* perilluſtre, fundatum pariter ac dotatum à Principe familia Arauſicana. Nomen accepit à Brabantiæ urbe Breda, in ditione Principis Uranienſis, ſub Hollandis tamen. Polana domus ex empto illam tenuit olim; Inde Naſſovia Engelberti matrimonio, cujus Henricus pronepos, munimenta foſſasque addidit, ac nobiliſſimam Arcem, præſidio ſimul, & oſtentui. Ab Heraugerio, auſpiciis Mauritii Principis egregio ſtratagemate capta eſt anno 1590. In Spinolæ manus, nono obſidionis menſe, pervenit an. 1624. ſed recuperata fortiter an. 1637. poſtquam duos menſes indefeſsè oppugnata fuiſſet. Matth. in Theatr. hiſtor. & Hofm. in Lex. univerſ.

In diſtrictu Halberſtadienſi N. N. *Præfectus Calvino-Politicus*, eò inſolentiæ protervix que tum proceſſit, ut *Concionatori Lutherano*, qui (debitis admonitionum gradibus antea, ſed fruſtra, obſervatis) acriori & ſpecialiori Elencho erga illum uſus fuerat, *publicè*, de S. Cathedra loquenti, *trina vice contradiceret*, ſummo cum contemptu Eccleſiaſtici Miniſterii, nec minori totius cœtûs ſcandalo. Re ad Königsmarkium, qui nomine Suecorum & jure belli t. t. Epiſcopatum tenebat, ſubmiſsè delata, ſine mora Præfecto mulcta centum florenorum ad pias cauſas irrogata eſt, quibus haud cunctanter ſolutis, *publicam deprecationem* addere deberet; ſolidè ſententiam ap-

probante Collegio Theologorum Wittenbergenſium Academico, ut videre licet in Conſil. part. 3. pag. 22.

Adverſus *Amyraldiſtas & Hypotheticos Calvinianos*; docentes: „Redemptorem obtuliſſe ſe ex æquo pro omnibus ſacrificium, & „ſalutem, quam à Patre acceperit communicandam, deſtinatam „fuiſſe ex æquo omnibus, dummodo in omnibus æqualis ſit ne„ceſſaria ad eam recipiendam diſpoſitio; Et, Chriſti mortem ſub fidei conditione ex æquo ad omnes pertinere &c. Calendis Januar. 1646. *Theologi Leidenſes, Polyander, Rivetus, ac Triglandius* in literis ad *Spanhemium*, talem egére cenſuram: „Illud mirari ſubit, quod viri „eruditi, quos ab ingenio & judicio deſtitui nemo facilè credat, „viri cætera *(Calviniſtis)* orthodoxi, ut qui efficaciam gratiæ ſub„jectivæ particularem agnoſcunt, & abſolutam ad ſalutem Electio„nem unà nobiſcum docent, univerſalem DEI Patris miſeratio„nem, ac Filii redemptionem, ſtatuere & urgere ſuſtineant. Spe„ciosè quidem prætenditur gloria Patris & Filii, in univerſali illa „miſeratione & redemptione, ſimul cum univerſali bono omnium „hominum perditorum, modò Redemptionem iſtam fide ample„ctantur: Verùm, quæ mentis noſtræ eſt hebetudo, quomodo vel „hæc vel illa, vel in utraque & DEI gloria, & poſſibilis omnibus in „univerſum hominibus Redemptionis applicatio, aſſeri ac defen„di poſſit, ſtante illa particulari Electione, & Spiritus S. in ſpeciali „vocatione efficaci gratia, videre hactenus non poſſumus. Quæ „enim gloria ad Deum redibit ex univerſali Patris miſeratione, ac „Filii redemptione, non accedente Spiritus Sancti efficace appli„catione? Excruciat nos, quod tale quid moliri, quid dicimus, „moliri, imò apertè profiteri audimus quosdam è fratribus noſtris „in Eccleſiis Gallicanis. Et quidem jure meritiſſimo id nos ex„cruciat, tùm quod veritas una ex parte in ſe labefactetur, & ex al„tera parte ſuggillanda adverſariis propinetur; tùm quod ſenten„tiarum diſcrepantiâ unitatis vinculum paulatim diſſolvatur &c. Ex Deduct. ſolid. Wittenberg. Calvin. Error. eſſe fundament. pag. 279. 287. pl.

Usque & usque turbulentior *Eccleſiarum in Anglia Status* evaſit, indies auctis falſarum Religionum involucris, & ſtultæ Rationis partubus monſtroſis ac horribilibus. Tantis malis conſulturum Parlamentum, præterito anno conſtituit, hoc autem vulgavit cultus publici *Directorium*. Id verò, quàm non ſatisfecerit bonorum ani-

morum exſpectationi, & ipſarum rerum turbatarum neceſſitati, vel ex eo faciliimè conjectari poteſt, quod nullas omninò precum formulas continuerit, ne quidem Orationis Dominicæ, ſed modum duntaxat, methodum, & orandi regulas, taliter qualiter præſcripſerit. vid. Hornbek. in ſum. Controverſ. pag. 796.

Ad illam diſpoſitionem de ſacro cultu publico, inter alios, Parlamentum videbatur inſtigaſſe *Wilhelmus Prin*, Advocatus Londinenſis, de quo ſupra lib. IV. cap. LII. Is ante novennium, ob famoſos libellos contra dignitatem Epiſcopalem, præcipuè contra Archiepiſcopum Cantuarienſem, Laudum, divulgatos infami ligatus palo, aurium reſectione multatus fuit. Sed locum deinde *in Parlamento* nactus, poſtquam adjuverat ſuis conſiliis, ut Archiepiſcopus modò dictus ad mortem condemnaretur, magnam ſibi autoritatem conciliavit; porrò librum, Statui iſtius temporis valdè pernicioſum edidit, in quo omnem poteſtatem Regi ademit & Parlamento adſcripſit. Claſen. de Relig. Polit. 144.

Sub hæc, in *Inſula Chriſtophori*, juxta Pontificiæ religionis Doctores, & Reformati Anglicani exercitio, ſuorum ſacrorum quieto gaudebant, magis magisque numero aucti; cultum gerebant more Anglorum, qui vixerant ſub Eliſabetha, & Jacobo, R. R. modoque conſimili diſciplinam Chriſtianam adminiſtrabant. Inſulæ, *S. Chriſtophori* nomen, olim à *Chriſtophoro Columbo*, regionum Americanarum inventore, impoſitum legimus, partim ob ſui nominis memoriam ad poſteros transmittendam; partim ob magni & excelſi montis (qui navigantibus maritimis primò in conſpectum venit) aliqualem cum figura Chriſtophori, prout à pictoribus exhiberi ſolet, ſimilitudinem. Quemadmodum enim pictores, S. Chriſtophorum repræſentant ſub forma proceri alicujus viri, Salvatorem puerulum ſuper humeros portantis; Ita mons iſte, verſus cacumen monticulum quaſi ſuper axillas geſtat, & adventantium oculis oſtendit. Rochefort. in deſcript. Antill. pag. 71. Hofm. A. 832.

LIB. V. CAP. LX.

Summaria.

Thomæ Eduardi querimonia de deformatione Eccleſiæ Anglicanæ.

Concionum, deliramentorum, blaſphemiarumque, qui-

bus

buis Anabaptiſtæ & Fanatici Angliam contaminabant, aliquot ſpecimina:
V. G. in Marshalio, Attawey, Cateſio, & Cozenio.

INtuitu *Status Religionis* horum temporum *in Anglia*, *Thomas Eduardus* ita quiritatur: „ Nulla hæreſis, blaſphemia, confuſio eſt, quæ non vel inveniatur in Anglia, vel oriatur. „ Reformatio ab uno „ extremo ad aliud collapſa eſt; A Scylla in Charybdin ventum; „ pro Papalibus innovationibus, ſuperſtitionibus, ac tyrannide Prælatorum, damnandæ hæreſes, horribiles blaſphemiæ, Libertiniſmus, tremendaque Anarchia eſt. Non ablata mala, ſed aucta; „ DIABOLO PEJOR SPIRITUS SUCCESSIT; cœpta Reformatio in deformationem erit. Jam & ipſam abnegant Scripturam, „ ac tam enormis OMNIUM RELIGIONUM libertas propugnatur, ut etiam blaſphemiæ & Atheiſmus includantur. Claſen. Relig. Pol. 486. ex Ed. Gangr.

E. G. *Marshal*, homo ex plebe, in præſentia civium quorundam Londinenſium aſſeverare ſuſtinuit, *Apoſtolum Paulum*, quum ad Romanos ſcriberet, conqueſtus de corpore mortis, Novitium fuiſſe, nec intellexiſſe Chriſtum in promiſſionibus; &, ſe melius intelligere myſterium DEI in Chriſto, quàm Paulum. *De Scripturis*, dicebat, non aliud exiſtimandum, quàm de aliis ſcriptis humanis; quemlibet pro ſuo ingenio & judicio ſcripſiſſe. Tum dixit: Scriptura eſt vitulus aureus, circa quem ſaltatis. Idem, eſſe *infernum* negavit, & omnes ſalvandos ſtatuit, ſive boni, ſive mali; imò omnes omninò creaturas, quæ ſe ad Deum convertant; Infernum nihil aliud eſſe, niſi terrores legis in hac vita; *Scripturam* eſſe plenam Contradictionum. Illicitum *ullam creaturam occidere*, quia habeat vitam à Deo, Horn. H. E. pag. 481.

Multa verò, fanatica mulier, una ex Concionatricibus, cui nomen *Attawey*, de novo Spiritus S. ſeculo & Regno inſtante, blaterabat: „ Sub Lege Patrem, ſub Evangelio Filium regnaſſe; jam „ Patrem & Filium reſignaturos Imperium, ac Spiritui tradituros „ in ultimis Mundi temporibus, ubi omnis impietas exulare debeat, veraque ſanctitas & juſtitia, quæ ante lapſum viguerat, reſtitui, magnam inter copiam rerum, concordiam & felicitatem in „ terrâ novâ, novâque Hieroſolyma. Hæc ipſa jactabat *ſui corporis immortalitatem*, & futuram fœcunditatem in Hieroſolyma; ubi Chriſto ſit obviam itura, viſibiliter cum eo tunc unienda. Hujusmodi

modi commentis faſcinabat virum quendam, *Jenney* appellatum, ut legitima uxore deſerta iſti adhæreret, mox etiam, æquè ac *Attawe*, gloriaretur de privilegio immortalitatis, & ſanctitatis dono tali, quali Chriſtus, cùm in carne vitam degeret ſuper terram, præditus fuerit. Eadem, amaſio ſuo literas, à neſcio quo Propheta ſibi tranſmiſſas, oſtendebat, monitorias nempe, ut Hieroſolymam tenderet, comitante ipſam Jannéo, qui Concionator ibi ſit futurus, & ad nova ſanctæ civitatis incrementa haud parùm collaturus, quando de cœlo deſcenſuri Abraham, Iſaac, Jacob, ſanctiſſimi Patriarchæ, in medio ſui populi habitaverint. Porrò, Prophetam iſtum, cujus oſtendiſſet epiſtolam, ſub finem æſtatis properè venturum formidabili potentia inſtructum, & majora, quàm ipſe Chriſtus fecerit, miracula patraturum; minimè tamen pro peccatis hominum, quò ſalvi fierent, moriturum, ut ille. Longum etiam catalogum, pergameno inſcriptum, & multis magniſque, ſcilicet, myſteriis refertum, Simplicio ſuo tradebat; eique tandem ac aliis perſuadebat, multas naves Tarſi adventuras, per quas Europæi ſancti Hieroſolymam deportentur: Parato igitur opus eſſe ad abitum; quotquot enim tunc ad gentem Patriarchalem non acceſſuri ſint mortales, exciſum iri de populo DEI. Schwarmgeiſter-Br. in append. p. 172. 174. ſeq.

Cateſius (vulgo *Cats*) ejusque unà ſocii *Anabaptiſtici*, Eſſexiam, aliasque provincias peragrabant, paſſim ad communionem Sectæ ſuæ invitantes incolas, baptiſantes & ſubmergentes multos: „Anti„Chriſti ordo eſt, clamabant, primò baptiſare, dein docere, tertiò „credere; Chriſti verò docere, credere, baptiſare. Pædobaptiſmum variis modis exagitabant, nunc felem, velut infans baptiſandus eſſet faſciis involvendo, & convocando vicinos ad baptiſmum; quibus collectis, repente quis contra Pædobaptiſmum concionari occipiebat. Multas vetulas, media hyeme fluminibus ſubmergebant cum vitæ periculo; quin eo modo pluſculas extinguebant. De nocte juvenculas ex ædibus paternis abductas, rebaptiſabant. Si quis contra eos ſcribebat, eum ſtatim omnibus calumniis proſcindebant. Horn. H. E. pag. 476.

Quidam *Cozenius* eò blaſphemiarum devenit Rocheſtriæ in Cantio, ut diceret: *Jeſum Chriſtum* (ignoſce relationi, Sanctiſſime JESU) *eſſe Spurium; Et, ſi nunc eſſet in terra, ob multa, quæ olim egeris, pudore ſuffuſum iri.* Cum hæc idoneis teſtibus probata fuiſſent, in

 car-

carcerem conjectus eſt equidem, ſed iterum ſine pœna dimiſſus, tumque peſſimorum hominum, qui ex urbe confluebant, receptor factus. Honor. Regg. de Stat. Eccleſ. Britan. pag. 99. Eduard. part. I. 213.

LIB. V. CAP. LXI.

Summaria.

Diſputatio Latermanniana, pomum Eridos in Academiam Regiomontanam projectum.

Litibus inde natis cum Helmeſtadienſes Theologi, tum alii plures, diverſimodè tamen, implicati.

Caroli primi, Angliæ Regis, cum Henrico Marchione Worceſtriæ, diſputatio.

Sorbonæ Pariſienſis diſceptationes de Capite Eccleſiæ; Et Arnaldi, de communi Pontificatu Petri & Pauli.

Certamina Sorbonæ cum Jeſuitis alia.

Theologia Moralis Lojolitarum impugnata.

Tractatus Anti-Wigelianus ab Hornbekio exhibitus.

Oſtermanni Libellus de Regimine, Coloniæ combuſtus publicè.

Jacobi Heinlini Sol Temporum productus.

TUnc temporis *Regiomonti Diſputatio*, Autore & Reſpondente, *Johanne Latermanno*, provectioris ætatis Magiſtro, poſtea Doctore Theologo, de Prædeſtinatione habita, ſub *Johannis Bohemi*, Profeſſoris ibidem primarii præſidio; cui venerando ſeni, ſuâ Cenſurâ impudenter impoſuit filius, ut errores, in ea contenti, demum in publico conflictu Theologis orthodoxis rem ritè examinantibus innoteſcerent; palpum & Synergiſtis, & Calvinianis, & aliis ab Evangelica veritate deflectentibus, obtrudente Latermanno, cumque ipſi *Formulam Concordiæ* adverſari audiret, clamante: *Quid mihi cum Formulâ Concordiæ?* D. Cœleſtinus Myslenta P. P. Templi Cathedralis Paſtor & Collegii Sambienſis Aſſeſſor, ſeptem aliis Eccleſiæ Regiomontanæ Miniſtris planè plenèque ſuffragantibus, diſputationem iſtam primùm viva voce, cùm haberetur publicè, ut compluribus novitatibus refertam, acriter oppugnavit; Orthodoxa deinde paſſim per Germaniam Theologorum Collegia, ad quæ provocatum fuerat, ſcriptis Cenſuris confoderunt. Sed quum eam nihilominus præter Latermannum, Extraordinarii Academiæ Regiomontanæ Profeſſores, *D. Michael Behm*, & *D. Chriſtianus Drejerus*, defenderent, per annos aliquot inſequentes infeliciſſimæ turbæ

bæ dictam Academiam exercuerunt. Joh. Kromaj. indic. hiſt. cont. pag. 456. Dialyſ. Apolog. Hülſem. probl. Cal. p. 8.

Hauſerat ſua dogmata *Latermannus*, Helmæſtadii à *D. Calixto*, Theologo autoritatis apud ſuos primariæ. Unde factum, ut *Helmſtadienſes* quoque his certaminibus implicarentur, & in diu jam ſuſpectos apertæ caſtigationes expedirentur. Nam & *Conradus Hornejus* phraſin ab Eccleſiis noſtris dudum in Georgio Majore damnatam: *bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem æternam*, denuò incruſtabat: Et *Georgius* ille *Calixtus*, tùm *S. S. Trinitatis Myſterium è ſolo V. T. ſolide probari vel evinci poſſe*, tùm *Patribus ejus temporis DEI Filium in propria hypoſtaſi apparuiſſe*, negabat. Neuter verò videbatur adverſus Pontificios, Calvinianos, aliosque Sectarios ſatis zeli habere. In eos itaque Dd. Jacobus Wellerus, Dresdæ; Johannes Hülſemannus, Lipſiæ; Abraham Calovius, & Johannes Scharfius, Wittenbergæ; Argentorati Dorſcheus, alii alibi graviſſimè ſcripſerunt; in Calixtum præcipuè. Nam Horneanam controverſiam mors autoris, qui proximo triennio fato functus eſt, celerius abrupit. Calixtus autem, in cujus libris compluſcula minus ſana notabantur, ad annum usque 1656. ſuperfuit. Joh. Krom. contin. Indic. H. E. cit. loc. & Hieron. Kromaj H. E. pag. 651.

Ipſe *Rex Angliæ Carolus I.* ad Raglani caſtrum, *cum Marchione Worceſtriæ Henrico, diſputavit*; editaque deinceps diſputatio à Thoma Baylie, Theol. Doct. ſub titulo: Certamen religioſorum, Anglicè. Actum ibi de variis graviſſimisque fidei articulis, ex tempore primùm, imò noctu, dein ſcripto, & promptè accuratèque hinc inde reſponſum, ut non ſeculares, ſed exercitatos Theologos dixeris. Hornbek. in S. C. pag. 283.

Sorbona Pariſienſis diſceptavit: An *unum* duntaxat *Eccleſiæ Caput* eſſe debeat, puta viſibile, penes quod unicè conſiſtat infallibilis & irrefragabilis poteſtas? An verò plura poſſint exiſtere unius ejusdemque poteſtatis ac influentiæ in S. Eccleſiæ corpus? Inprimis de *communi Pontificatu Petri & Pauli*, ab *Arnaldo* aliisque Janſeniſtis, adverſus Petavium & ſocios, vehementer concertatum. Peculiares iſta de materia vulgatos libros, *Innocentius X.* Papa Romanus aliquot Cardinalibus examinandos dedit, nec aliud potuit, quàm poſt eorum, aliorumque Unctorum conglobata murmura, *brutum* eniti *fulmen*, & hæreticos inſano proclamare labio, qui ſine ſubordinatione & ſubjectione Pauli ad Petrum, in poteſtate ſuprema,

dictos libros ſuſciperent. Calviſ. contin. Chronol. 1024. Scherzer. Syſtem Theol. 683. pag.

In *Lojolitas* de neceſſitate muneris Epiſcopalis, de Confirmationis & Chriſmatis natura & virtute, aliiſque pluribus, gravis detonuit ejusdem *Sorbonæ*, & cleri Cenſura; quam cùm Societatis illius homines petulantiſſimis cavillis arrodere conati eſſent, ex Sorbonæ Theologis prodiit, ſub *Aurelii* nomine, qui faventibus omnibus illarum partium bonis, eos ita retudit, ut cleri plauſum meruerit. Is enim viri, his certaminibus immortui, labores ſummo excepit favore, atque omnia de cauſa hac opera in unum congeſta, luculentisque elogiis ornata, typis excudi curavit, adſcriptis in fronte libri, Ampliſſimi Ordinis in ultimo ſuo conventu, Lutetiæ an. 1646. habito, factis tota ea de re decretis. Rumetſch. in Collat. Concil. Nicæni ac Trident. 33. Crocius, in Vindic. Anti-Bec. part. I. pag. 641.

Inter eos, qui novorum in Eccleſia Romana *Caſuiſtarum* quos vocant, & *Jeſuitarum* inprimis licentiæ, qua *Moralium diſciplinam* miſerè depravabant, primi ſeſe oppoſuerunt, quidam fuit, Anonymus tum quidem, ſed quem *Eſclapezium*, natione Hiſpanum, fuiſſe non nemo poſtea docuit, evulgato Lovanii anno 1646. opuſculo, quo Jeſuitarum illa moralis doctrina improbabilitatis, temeritatis & erroris publicè arguebatur. Ac initio quidem negligi generoſo quaſi contemptu libellus viſus fuit, donec auctis inter Janſeniſtas & Jeſuitas odiis, recudi ſæpiuſculè cœpit, ac in varias transfundi linguas, ſpargique per omnem Chriſtianum Orbem. Vid. Act. Erud. Lipſ. an. 1690. pag. 313. confer 1660. quæ de Amadei Guimenii opuſculo habentur.

Adverſus Wigelianam Theologiam, quam Valentinus Miſnenſis cudit, miram, inſulſam, quin improbam, jam olim ſcripſere nonnulli magnis & operoſis tractatibus; At hoc ipſo etiam anno *Johannes Hornbekius*, Theologus Ultrajectino-Calvinianus, brevem de paradoxis & heterodoxis Weigelianis tractatum, dedit ad Eccleſiaſten Amſtelodamenſem, Johannem Rulicium; ubi è ſcriptis Valentini hominem, miraque ejus dogmata, ſatis aptè expreſſit; Summam verò dein exhibuit, in ſecunda Editione ſummæ Controverſiarum Religionis, à pag. 398. uſque ad 438. ubi, non pœnitebit, vide.

Oſtermanni, neſcio cujus profeſſionis & ſtatûs Viri, libellus

quem

quem *de REGIMINE* inſcripſerat, Coloniæ Agrippinæ, Ferdinandi Electoris atque Archiepiſcopi juſſu, in area publica Vulcano traditus & *combuſtus eſt*. Quod, an ob læſum Præſulem, an ipſum Vejovem Tyberinum, an ob cauſas fortè politicas factum, quia nobis non conſtat, B. L. apud alios inquirere non gravetur. Calviſ. contin. Chronol. pag. 1024.

Sed hîc non omittendum opus Chronologicum *Johan. Jacobi Heinlini*, Theologi Würtenbergici. Is, poſt Clavem Chronologiæ Myſticæ, ut vocatur, an. 164?. præmiſſam, tanquam diluculum hujus veritatis, jam *Solem Temporum* exoriri faciebat, five Myſticam Chronologiam, qua trium hujus Mundi ſeculorum tempora, per genuinam Sabbathicorum & Jubilæorum annorum hactenus incognitam formam, myſticumque Septenarium, in HEBDOMADAS diſtributa, extra dubitationis aliam ponantur, eorumque HARMONIA hucusque tacita vindicetur è ſilentio. Hevrema (inventum) illud hecatombe dignum viſum, & cum applauſu quorundam artificum exceptum, quo ſeipſum Autor, ut in aliis alios, ſuperaſſe judicarunt; licet interim non extremæ caveæ Chronologi, ſubtiliorem, quàm ſolidiorem conatum illum eſſe putarint. His annumerandus omninò H. K. Doctor & Profeſſor Lipſienſis, qui de iſthoc opere ita diſſerebat: „ Cùm ſupremam ferè manum ſtudio „ Chronologico putabamus impoſitam, ut ſemper dies poſterior „ plus affert, quàm prior: Supervenit novum inventum, ſuperiori- „ bus temporibus prorſus incognitum, per Septenarii multiplica- „ tiones quadratas & cubicas dubiorum omnium ſolutionem, fa- „ ſtigiumque & coronam hujus ſtudii promittens. Unde ſcriptum „ hac de re in ſalivam publicam emiſſum, *Solem temporum*, tenebras „ reſiduas in Chronologia diſcutientem, Autor indigitat. Funda- „ mentum prima fronte ſi ſpectes, dubio procul, quid Chronolo- „ gia cum iſtis multiplicationibus quadratis & cubicis commune „ habeat, miraberis: At, ſi numerum ſeptenarium aliàs ſacrum, in „ diebus Creationis ac die Sabbathi obvium, ſi numerum eundem „ in annis Sabbathicis, Jubilæis, ſeptuaginta ſeptimanis annorum „ occurrentem, ſi multiplicationem quadratam in annis Sabbathi- „ cis & Jubilæis ex inſtituto Divino gnaviter obſervandam videbis, „ admirationis quadantenus deſines. Accedit, quod calculus no- „ væ hujus Chronologiæ tàm prope cum Scaligeriano, ſi myſticos „ annos ad civiles reducas, congruat, & eventibus notabilioribus

„ tàm prope poſſit applicari, ut, ſi non Theosdoton cum autore
„ ſtatuere velis, aliquid tamen in receſſu habere perſuaderi queas.
„ Tam certus eſt de Divina inſtitutione ac ſuggeſtione Autor, Theo-
„ logus alias celebri loco conſtitutus, & in omni ſcibili, Mathema-
„ tico præſertim, verſatus, ut ad libri combuſtionem publicam, ſi
„ res aliter ſeſe habeat, provocet. Inventum quidem, ut ſunt ple-
„ raque, fortuitum fatetur, ex conſideratione numeri ſeptenarii &
„ multiplicationis quadratæ in annis Sabbathicis & Jubilæis natum,
„ ſed cùm non ſine labore inſigni calculum myſticum cum Scali-
„ geriano contulerit, & ad notabiles in Scripturis eventus accom-
„ modaverit, tantam deprehendiſſe harmoniam, ut ab ipſo DEO
„ profectum nullatenus dubitaverit, & propemodum iſtud Archi-
„ medéum, ἕυρηκα, ἕυρηκα, ingeminaverit. Fundamentum totius hu-
„ jus Chronologiæ Myſticæ ſeptimana prima Creationis eſt, quæ,
„ ut rebus omnibus aliis originem dedit, ita ſeculorum ac tempo-
„ rum omnium latus, ſive radix Autori ponitur. Ex hac radice,
„ ſeptenario in ſe ducto, numerus quadratus dierum 49. Autori
„ menſis myſticus, naſcitur. E ſeptem talibus menſibus myſticis
„ annus myſticus 343. diebus conſtans, numerus cubicus, reſultat.
„ Tales ac tantos annos in Sabbathicis & Jubilæis, non vel ſolares,
„ vel lunares, vel mixtos, ex inſtitutione Divina dari, perſuaſum
„ ſibi habet Heinlinus. Solis inſtar, unde nomen facit operi ſuo,
„ ſibi affulſiſſe dicit annum excidii Templi primi, quem non Sab-
„ bathicum duntaxat, ut alii, ſed ſimul Jubilæum invenerit, à civi-
„ libus annis Scaligeri vix unius anni ſpatio diſcrepantem, quam
„ tamen differentiolam in tanto temporis ſpatio per diſtinctionem
„ annorum completorum & inchoatorum tolli poſſe, arbitratur.
„ Hac artificioſiſſima & exquiſitiſſima per progreſſionem Arithme-
„ ticam ac Geometricam temporum ſtructura id ſibi conſecutus
„ videtur, ut ne unicus quidem dies ſic poſititius porrò in ſeriem
„ Chronologicam introduci, nec ullus genuinus ejici poſſit, quin
„ totum ædificium ſubrueretur, ac ita præciſè deſignari queat, non
„ tantùm quot hebdomades, quot dies, ſed etiam quot horæ & mo-
„ menta præterfluxerint ab incunabulis Mundi ad præſentia tem-
„ pora, &c. Verùm enimverò, utut jucundas & profundas haſce
„ ſpeculationes nauci non faciamus, cur tamen calculum ſuſpen-
„ damus, aut etiam denegemus, rationibus movemur haud nul-
„ lis &c. Ita D. Kromayerus in Polymathia Theologica, p. 498. ſeqq.

LIB.

LIB. V. CAP. LXII.

Summaria.

Pacis Germanicæ negotium, lento cum ſucceſſu tractatum.

Suecorum in Germania, Wrangelio Ductore, expeditiones.

Dunkerka in Gallorum poteſtatem redacta.

Regiæ partes in Anglia penitùs collapſæ.

Bellum Turcicum contra Venetos continuatum.

Nuptiæ Hiſpanicæ, Polonicæ, Oenipontanæ, & Brandenburgicæ.

Funera in domibus Parmenſi, Leuchtenbergenſi, & Schwarzenburgica.

EX Aula magni cujusdam Principis Germaniæ, Jun. 9. ſcriptum fuit: *Spes Pacis inſtar Solis, tecto nubibus cœlo; nunc enim elucet, nunc obſcuratur; Ubi autem deſinit humanum, Divinum incipit auxilium!* Penultimo anni menſe, cùm aliquandiu utriusque Religionis Ordines commercio abſtinuiſſent, hortante *Trautmansdorfio* ad intermiſſa negotia redierunt; & quia mutuis *libellorum concertationibus* nihil profici apparebat, per delectos ab utraque parte *Colloquiis* rem tentare placuit. Sed parum de Statuum Germaniæ Controverſiis actum, donec ſatisfactio tàm Suecorum, quàm Gallorum pleniſſimè peracta. Burgold. Rer. Imp. A. 141. pag. Andr. Selen. 161.

Interea *Sueci*, captis in Thuringia hybernis, ductore *Wrangelio*, tranmiſſo apud Huxterum Viſurgi, varia Weſtphaliæ loca occupant; Inde in Haſſiam, contra Cæſareos ducunt, hisque prælium detrectantibus, irruptione in Moguntinenſem agrum ſimulata, in Franconiam divertunt; Hinc Nördlingâ nullo negotio capta, ſubactaque Donawerda, Danubium tranſeunt. Jamque expugnata Rainâ, tranſitum in Bavariam aperuerant, ac totius exercitus viribus Auguſtæ Vindelicorum, haud procul Raina, imminebant, cùm Cæſareani ex Auſtria militaribus copiis aucti, transmiſſo apud Ratisbonam Danubio in tempore ſupervenere. Ita Auguſta diſcrimini exempta eſt, & Sueci in Sueviam, Helvetiosque receſſere. Tſchimmern, in cont. Sleid. de 4. Mon. lib. 3. 451.

Cæterùm *Galli*, univerſas prope vires hoc anno *uni Belgio* immittentes, Cortracum, & alia loca ſibi ſubjiciunt; ipſamque *Dunquerckam*, quod Caput expeditionis fuerat, obſident. Is munitiſſimus

mus Flandriæ portus eſt, ac ſolus propemodum, ex quo rem maritimam Hiſpani gerebant. Inerat quatuor ferè millium præſidium, ſed cùm numero militum (quorum ſanguini minimè parcebat) Anguienſis Dux, tùm omnibus ad oppugnandum neceſſariis prævaleret, urbem, honeſtis conditionibus, tandem in poteſtatem redegit. Turſell. hiſt. append. 2. pag. 88.

In Anglia, Regiæ partes non tùm per gradus, ſed uno impetu collapſæ ſunt; perpetuæ Parlamenti victoriæ, urbium expugnationes, proſper ubique armorum curſus. Quicquid reſtabat Regi militum, æſtivo tempore compulſum fuit in extremum Cornubiæ angulum; & ibi quinque equitum millia in deditionem accepta, deditum Oxonium, cùm paulo ante obſidionem Rex, mutato habitu, & ſub ſervi perſona, in caſtra Scotorum evaſiſſet, & ab illis Novocaſtrum abductus fuiſſet. Ultimum Regis præſidium *Pendennis*, Caſtellum Cornubiæ firmiſſimum, circa medium Auguſti deditum; eoque toti bello finis impoſitus, & ad majorem Tragœdiam, ac totius regni converſionem (propemodum everſionem) perventum eſt. Horn. Orb. Imp. 352.

Adverſus Venetos ſervet bellum Turcicum; hinc tremor populorum in Dalmatia, Muſulmannis *Novigradum* occupantibus, *Zaram* tentantibus, infeſtantibus pariter *Sebenicum*, aliiſque in locis hoſtiliter graſſantibus, non tamen impunè, ob damna, quibus hic & ibi viciſſim affecti. In Candia, res ambiguè progrediebantur, Mirabellio quidem à Venetis obtento, mille verò & ſexcentis militibus, cum Thalaſſiarcha & annona amiſſis, quod damnum quatuor millionum pretio fuit æſtimatum; contrà felix ad munimenta Dardanelli conflictus & pugna. Wagner. in limin. Geneal. 359.

Maria Anna, Imperatoris Ferdinandi III. filia, Decemb. 22. an. 1634. nata, *Philippo Balthaſari Hiſpaniarum Principi* ſedecim annorum, deſponſata tunc fuit; verùm ipſo ante nuptias puerilibus populis extincto, *Patri* ejusdem *Philipp IV.* Regi, elocata eſt. Notit. Procer. Imhof. pag. 16. Turſell. contin. app. 2. 88.

Nuptias tunc celebravit ultimas, *Uladislaus IV. Poloniæ Rex*, cum Aloyſia Maria de Gonzago & Mantua; quæ deinceps *Johanni Caſimiro Regis fratri nupſit.* Ferdinandus autem Carolus, *Archidux Oenipontanus*, in Matrimonium accepit, Annam Medicæam. *Fridericus Guilielmus, Marchio Brandenburgicus*, & R. Imp. Septemvir, Ludovicam Henriettam Naſſoviam, &c. Relat. Francof. Vern. E ult. Calviſ. 1024.

Vi-

Vivere deſierunt *Odoardus Farneſius*, *Parmæ ac Placentiæ Dux*, relictis quatuor liberis, quorum natu Major, Ranucius, anno ætatis decimo ſexto, patri ſucceſſit: *Maximilianus Adamus*, *Leuchtenbergenſis Landgravius*, per cujus obitum ſtirps defecit; Landgraviatum Bavariæ Dux obtinuit, puta Maximilianus, eumque filio juniori Maximiliano Philippo aſſignavit. Turſell. app. 1. 88. pag. Horn. orb, pol. 282.

Eodem anno fatis conceſſerunt, *Ludovicus Guntherus*, Comes Schwarzenburgius, relicto filio Alberto Antonio, Rudolſtadii Domino: Et, Georgius Ludovicus, ex Linea Erkingeriana ultimus, Eques aurei Velleris, & Generalis in finibus Vinidorum; hæredem ſcripſit Johannem Adolphum, Agnatum Schwarzenburgium, cui vivus adhuc avita bona in Franconia, per ceſſionem ſcriptam tradidit, in cæterorum propinquorum, uti conquerebantur, præjudicium. Notit. Procer. Imper. 1076. & 855.

LIB. V. CAP. LXIII.

Summaria.

Aquæ ſalubres Hornhuſanæ.
Inſignis magnitudinis Balæna.
Exundationes & incendia.
De facultate, colendi DEUM in loco quondam idololatriæ deſtinato, reſponſio conveniens.
Lanius Auſtriacus, exemplum fortitudinis, pugnandi contra Turcas.
Obitus Marthæ Marchinæ, Virginis eruditæ.
Edictum Brandenburgicum, de ſontium in furcam actorum cadaveribus terræ mandandis.

EA tempeſtate in pago *Hornhauſen*, inter Halberſtadium & Aſcherslebiam, multi diverſis in locis *fontes* erupere, tanta vi *ſalubrium aquarum*, ut locus ille, gliſcente, ut fit, in majus fama, multorum mox millium, omnis ætatis generisque & conditionis hominum adventu celebrari cœperit. Admiranda ſunt, quæ de virtute iſtorum fontium memorabantur, ut nullum ferè morbi genus extiterit, quod non hîc remedium invenerit. Verùm *J. V. A.* acerrimi vir judicii, cùm ad eum talia perſcriberentur, ſapienter omninò reſpondit: „ Jucundiſſimæ lectionis fuerunt literæ, quæ Hornhu-„ſani ſalutiferi fontis famam apud nos dubiam confirmarunt,

tit *Lanius Auſtriacus*, qui à Turcis prædonibus in proprio domicilio circumdatus ac infeſtatus, ſe ſuaque tam diu defendit fortiter, donec *hoſtium quadraginta* ſclopetariis globis trajeciſſet; pulvere autem pyrio tandem deficiente, victus à multitudine latronum, & minutim conciſus eſt. Zeiler part. 2. epiſt. 730.

Ordinis, non dignitatis ratione huc locata, *Martha Marchina*, Neapolitana Virgo, à parentibus admodum juvencula Romam deducta, Saponibus conficiendis totam familiam ſuſtentavit; interim Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ literaturæ ſtudens, laudabilem in quolibet harum linguarum idiomate cognitionem acquiſivit, multos etiam elegantes verſus compoſuit, ac demum hoc anno, ætatis quadrageſimo ſexto, vitam finiit. Hofm. Lex. univ. A. pag. 1001.

Conſuetudine receptum eſt, ut ſuſpenſorum & rotâ *punitorum cadavera*, in patibulo & rota *inſepulta* relinquantur. Sed quicquid ſit de conſuetudine, admonendos tamen cenſuit Brunnemannus JC. & rogandos Principes, ut abolita iſta conſuetudine, ſepulturæ tradi jubeant corpora damnatorum; quia id juſſerit ipſe Deus glorioſiſſimus. Et, quamvis hanc DEI ordinationem, ad *legem forenſem* pertinere non negaret, ſecurius tamen facere Principes, & conſcientiæ ſuæ melius conſulere putavit, quando ſuas leges, ad forenſes ſive Moſaicas accommodent, in legibus enim iſtis Deum voluntatem ſuam declaraſſe; præſertim cùm *Ratio Moralis* addita ſit, *ut non polluas terram tuam, quam JEHOVA, Deus tuus tibi dat in poſſesſionem.* Et ſanè deforme hoc eſſe ſpectaculum, JCtus dicit; nec ullam poſſe tantam ſceleris immanitatem eſſe, ob quam Humanitatis obliviſci debeamus; ipſa certè patibula, & erectas rotas, homines dehortari à ſceleribus. *Rectiſſimè igitur*, concludit, *ac laudabiliter anno circiter 1646. Elector Brandenburgicus omnia punitorum cadavera à furcis deponi juſſit.* Et optandum, ut conſtitutio generalis promulgaretur, ne in poſterum cadavera quorumcunque punitorum in furca aut rota pernoctent, vel relinquantur, ſed ſepulturæ tradantur. Joh. Brunnem. tract. Jurid. de Inquiſit. Proceſſ. cap. X. pag. 235.

LIB. V. CAP. LXIV.

Summaria.

I. Cur quidam Principes, Civitates, ac Theologi A. C. Formulæ Concordiæ non ſubſcripſerint?

Symboli autoritatem liber ille, in Holſatia Regia conſequitur.

Statûs quæſtio Weiſſenburgenſibus, cum Relig. Evang. periculo, movetur.

Ferdinandus III. quomodo circa negotium Religionis erga Evangelicos Hungariæ mentem ſuam declararit?

Conſilium de aperienda Moſcovitis Græcæ Latinæque literaturæ Schola initum.

Coſſacci, ob turbatam per Jeſuitas Religionem, à Polonis ad Moſcovitas, magno numero deficiunt.

Mortalitatem exuunt Johannes Hermannus, & Paulus Jeniſchius.

CAlvinianæ genti ſic eſt uſu receptum, ut nobis *Concordiæ Formulam in ſpecie ſic dictam,* toto pectore amplectentibus, objiciant: Multos Principes, Civitates, ac Theologos Lutheranos, e. g. Daniæ Regem, Holſatiæ Duces, Haſſiæ Landgravios, Pomeraniæ item & Saxo-Lauenburgii, nec non Boruſſiæ Dominos, Magdeburgenſem quoque, Spirenſem, Francofurtenſem, & Wormatienſem Reſpublicas F. C. ſubſcriptionem recuſaſſe olim; & jam nunc recuſare, quia ipſis dogmatum Calvinianorum condemnatio ſemper diſplicuerit, atque doctrinam F. C. iidem improbarint. Sed ullum Regem, Ducem, Civitatem, vel Theologum ſincerè Lutheranum, dogmatum Calvinianorum propriè talium, impugnationem & rejectionem aut eorum, quæ in F. C. continentur, profeſſionem, ûnquam vel uſquam improbaſſe, ac eapropter ſubſcriptionem recuſaſſe, tam falſum eſt, quàm quod falſiſſimum. *Quorundam* Statuum, Ordinum ac Theologorum Auguſtanæ Confeſſioni ſincerè addictorum *ſubſcriptio F. C.* quà *Symboli* loco accipi debet, *intermiſſa*, non quod alieni eſſent ab ejus doctrina, verùm, quòd in Symbolicis Eccleſiæ Lutheranæ libris, ipſo vivente Luthero editis, acquieſcere mallent, quàm ad plurium introductionem publicum conſenſum præbere; quod alii aliis nihil quaſi præjudicare, aut eorundem ſubſcriptiones anticipare vellent; quod ſubſcriptionem non tam detrectarent, quàm in commodius tempus differrent; quod ſuæ laudi & exiſtimationi haud parùm detrahi putarent, ſi ſemet obſtringerent ad quandam dogmatum & loquutionum Formulam, cujus Suevo-Würtembergici dicerentur primas duxiſſe lineas; quòd inſuper omiſſæ ſubſcriptionis, F. C. alias, forſan merè politicas (in quas curioſius non licet inquirere) rationes haberent; Interim:

rim *doctrinam* in ſe, ore & corde probantes, talesque ſuis Eccleſiis Miniſtros præficientes, qui hanc eandem approbarent, ac profiterentur publicè. vid. Ludov. Liebhart. hiſt. Proteſt. & Calvin. pag. 51. ſeqq.

Certè in *Holſatia Dano-Regia*, hoc ipſo anno *Concordiæ Formula* eam, quam per ſeptuaginta hactenus annos obtinere non poterat, per Divinam gratiam conſequuta eſt *autoritatem*; Ejusque axiopiſton teſtimonium perhibet, qui præclariſſimè hac in parte meritus de Holſatiæ Eccleſiis, *D. Stephanus Kloz*, Provinciæ Superintendens Generalis, in literis ad Myslentam, Profeſſorem Regiomontanum Jul. 2. exaratis: „ Ego, cùm Illuſtriſſ. Principi Friderico, jam in his „ provinciis Reg. Majeſt. locum tenenti, id negotium, & in qui„ busdam religionis articulis diſſidium noſtratium humilimè ape„ ruiſſem, hoc impetravi, ut in poſterum nemo Candidatorum „ Miniſterii, niſi Formulæ Concordiæ in omnibus ſubſcripſerit, ad „ publicum officium in Regiis Eccleſiis admitti debeat, &c. Calov. in Syſtem. Theol. A. 1154. pag. Dannhauer. in Salve Reform. 797. Nec dubitamus, quin plures è ſupra dictorum locorum Magiſtratibus, idem cum Holſatiæ Domino facturi eſſent, modò plures haberemus Klozios, iisdem pari ſtudio, parilem aperturam facientes.

Weiſſenburgum, urbs Imperialis eſt, veterum Sebuſianorum ſedes, ad Luteram amnem in radicibus montis Vogeſi, vulgò Cron-Weiſſenburg / & Weiſſenburg am Waßgau. Ampliſſima quondam à Dagoberto Francorum Rege accepit privilegia, habuitque olim Cœnobium ſatis magnificum, in honorem SS. Trinitatis, ab eodem Rege extructum; Cujus Abbas à Carolo IV. Imperatore, Abbas Cathedræ Imperialis & Princeps factus eſt. Huic diu civitas ſubfuit; Poſtea Cœnobio in Sacerdotum Collegium commutato, ac Nemetum Præſuli ſubjecto à Carolo V. & Paulo III., Civitas Imperio Romano vindicata fuit. Ei hoc anno *STATUS quæſtionem* movit Elector Trevirenſis, qui etiam Spirenſis Epiſcopus erat, & Præpoſitus Weiſſenburgenſis; At fruſtra movit, ac propoſitum (quod proculdubio non tantùm ad labefactationem libertatis politicæ, ſed inprimis ad Evangelicæ Religionis everſionem tendebat) neutiquam attigit. Hofman. Lex. univ. part. 2. pag. 573. Imhof. Notit. Procer. 205.

Ferdinandus III. Rex & Imperator, occaſione Pacis cum Georgio Racozio, quoad *punctum Religionis in Ungaria*, clementiſſimè

 men-

mentem ſuam declaravit hunc in modum: „ Quantum ad nego-
„ tium Religionis in genere, articuli Pacificationis Viennenſis de
„ ann. 1606. & 1608. denuò repetiti & confirmati, poſthac ſalvi ac
„ inviolati maneant, nimirum ut omnes & ſinguli Status ac Ordi-
„ nes intra Regni ambitum exiſtentes, libero ſacrorum ſuorum ex-
„ ercitio fruantur, non modò Magnates, Nobiles, Milites, verùm
„ etiam cives, plebeji ac ruſtici, ſic, ut in ſua Religione Confeſſio-
„ neque nusquam & nunquam turbentur, vide lib. 1. cap XXXVI.
„ & L. plur. Quæſtiones circa gravamina negotium Religionis &
„ occupationis Templorum concernentes, tàm quæ an. 1638 ex-
„ hibita ſunt, quàm pòſt ſubſecuta, in proximè celebranda Diæta,
„ ob Regni tranquilliorem permanſionem, unionemque animorum,
„ vel amicabili Dominorum Regnicolarum compoſitione ſopian-
„ tur, vel autoritate Regia complanentur, cum ſatisfactione Evan-
„ gelicorum: Ac pro quibus templorum uſus determinabitur, con-
„ ſtituatur quoque proventus Parochiarum, quòd ad eosdem per-
„ tineat, nec ultra occupationes Templorum fiant. Ea autem Tem-
„ pla, quæ in diſturbiorum tempore utrinque occupata fuerunt,
„ ſtatim poſt permutationem Diplomatum prædictis Evangelicis
„ reſtituantur, prout etiam Catholicis. Gravamina autem futuris
„ quoque temporibus in eodem negotio Religionis emergentia,
„ tàm Catholicorum, quàm Evangelicæ Religionis hominum; Nec
„ minus alia gravamina utriusque partis, in ſingulis diætis (comi-
„ tiis) Rex componet absque Evangelicorum injuria, Heidegger.
in Hiſt. Papat. pag. 478. & 485. confer an. 1645. 1646.

Quàm rudes literarum & artium liberalium ſint, conſequenter etiam rerum fidei ac Religionis, *Moſcowitæ*, vel exinde patet, quod nulli hactenus niſi ſuæ operam linguæ dederint, ſic facultatem legendi & ſcrutandi aliorum ſcripta ſibimet ipſis præſcindentes. ideò ad corrigendam ruditatem illam nimis craſſam, hoc anno Magnus Dux *Alexius Michalovicius* & Eccleſiarcha *Joſephus*, Conſilium iniere ſaluberrimum de erigenda *Schola & Græcæ & Latinæ literaturæ*, juventuti deinceps implantandæ; quod effectui datum eſſe, Germanis an. 1653. innotuit. Olear. in Itiner. Moſcow. Perſic. lib. 3. pag. 280. Oppenbuſch. Exercitat. Hiſtorico-Theol. de Relig. Moſcowit. 29. 30.

Per idem tempus *Ruſſia Nigra*, Polonorum Regno ſubjecta, ſenſit motus, deditque vehementes, ob turbatam à Lojolitis Reli-
gio-

gionem. Ejus incolæ *Coſſaci* ſunt, Regi Poloniæ quidem ſubditi, ſed ſingularibus privilegiis gaudentes, & *Religioni Græcæ* maximam partem addicti. Cùm autem *Uladislaus* Clero Romano nimis indulgeret, ac *Lojolitæ* Ruſſis templa ſua eriperent, & in ſacris obeundis eos variis modis impedirent, iſti magno numero ad Moſchum defecerunt. Atque hinc famoſæ turbæ, in Polonia & Ruſſia exortæ, Turcis etiam ac Tartaris patentiſſimæ veluti fores apertæ. Feller. ad Horn. Orb. Imp. num. 144. ipſeque Horn. 398. ibid.

Ad beatiorem vitam tranſiit *Johannes Hermannus*, Eccleſiæ Köbenenſis in Sileſia fideliſſimus Antiſtes, qui doctrinarum abundantiam pericopis Evangeliorum Dominicalium & Feſtivalium contentam diſerta promptitudine, ad inſignem Lectorum ædificationem, collectam, vernaculo ſermone gregi fidelium per Germaniam exhibuit. Hosque *ſanctos labores* ut exteris Nationibus (in Dania præſertim, & Suecia) Germanicæ linguæ ignaris communicaret, in latinum ſat commodè tranſtulit M. *Johannes Bremerus*, Lubeccenſis, tùm S. Theologiæ Studioſus, poſtea Flensburgenſium Eccleſiaſtes, tandem Daniæ & Norwegiæ Regis Concionator Aulicus. Utiliſſimis etiam explicationibus hiſtoriæ Paſſionis Jeſu Chriſti generatim, deinde ſpeciatim in monte Oliveti, & Heptalogo in Cruce, aliisque ſacris homiliis, idem Hermannus Eccleſiæ Chriſtianæ ſe commendavit. Scriver im Seelen-Sch. IV. 145. D. Nicol. Hunn. in Præfat. in verſion. Brem. pl.

Diem quoque ſupremum clauſit, *Paulus Jeniſchius*, longævus Senex nonageſimi ætatis ſuæ medietatem emenſus, Antverpiæ an. 1558. natus. Vir varia literarum & linguarum, raraque Muſicæ peritia excultus, Autor *Theſauri Animarum*, non inglorius, cujus tamen invidiam, & alienæ culpæ pœnam, *Exilium* amplius *quinquagenarium* tulit, perpetua animi tranquillitate, & corporis valetudine firma cum Orexi, & ſuavi ſomno uſus, ſacris ſtudiis, Muſicis recreamentis, mechanicisque exercitiis ad hoc ætatis ſe produxit, novendecim liberorum pater, quorum quatuor ſuperſtites reliquit. Vir fortunam ut pridem ſatis munificam, ita pòſt tenacem expertus, cui ſubinde tamen, ut viveret, ac famam tueretur, pertinaci & infatigabili ſtudio atque labore extorſit, foris quàm domi conſpectior. J. V. A. in Selen. Auguſtal. pag. 127.

LIB.

LIB. V. CAP. LXV.

Summaria.

Ferdin. III. Imp. Feſtum immaculatæ Conceptionis Mariæ vovet.

Dogma conceptionis iſtius in Viennenſi aliisque Academ. Pontif. juratò recipiendum.

Dominicanorum & Franciſcanorum æmulationes circa uſum Roſarii Mariani.

Pes, beneficio Antonii de Padua miraculoſo ſervatus.

Angeli Petriccæ gloriatio ad P. R. de opera ſua, qua Calviniſmus Conſtantinopoli ſit profligatus.

Fama de Zeilani Rege Baptizato.

Incolarum Zeilan traditiones de Adamo; Eorumque Religio.

Sedi Moguntinæ novus Archiepiſcopus obtingit.

IMperator *Ferdinandus III.* vovet *Feſtum immaculatæ Conceptionis B. Virginis Mariæ*, cui ſe, ſua, ſuos in tutelam committit. Hinc deinde factum, ut *Viennæ*, nolentes volentes *Academiæ* Profeſſores juratò ſeſe obligarent ad aſſerendam *Deiparæ Immaculatam Conceptionem*; cautumque peculiari ſtatuto, ut nemo in poſterum ad gradum Baccalaureatûs, Magiſterii vel Doctoratus, aut alibi promotus in aliquam Facultatem, recipiatur, nec ad profeſſuram, vel Conſeſſum Conſiſtorii admittatur, niſi juraverit ſe velle tenere & aſſerere immaculatam ipſius (Mariæ) conceptionem, donec aliter à ſede Apoſtolica fuerit definitum. Parili modo *Græcii* res acta, *Ingolſtadii*, aliisque in locis. D. Scherz. Syſt. Theol. pag. 152. Lütſch im Moral. Abriß deß Verderbnus-Baums/ 56.

Et hoc idem eſt, quod jam olim fecerunt *aliæ Pontificiorum Academiæ, ut Moguntina, Colonienſis, Pariſina, Salmanticenſis*, &c. quæ ſeſe *juratas Immaculatæ* appellant. Certè *Surius* refert, quod in Academia *Moguntina*, nulli promoveantur Theologiæ Doctores, niſi juramento interpoſito, ſe immaculatam Virginis conceptionem credere affirment. *Salmeron* ſcribit, quod in Academia *Pariſiorum*, nullus Magiſtri titulo in Theologia dignus habeatur, qui non prius juris jurandi religione ſe adſtrinxerit ad hoc Virginis privilegium tuendum & propugnandum. Caniſius, idem in Hiſpaniæ Academiis uſitatum eſſe teſtatur. Quid ergò mirum, ſi ex Theologis Lutheranorum, unus aut alter pronunciavit, *in Eccleſia Romana pro fidei articulo hanc ſententiam haberi?* Gerhard. L. C. tom. 2, de pecc. Orig. paragr. 112. confer. an. 1622. & 1661.

Mul-

Multum eo tempore in Aula Pontificis R. pollebant *Prædicantium* ſeu *Dominicanorum* Ordinis Monachi, plurimumque lucri ex *Roſario Mariæ Virginis* capiebant. Inde moti Latiales *Franciſcani*, ut eodem reticulo piſcarentur, minoris Roſarii novam ſocietatem, in honorem ſui Patris *Franciſci* conflabant, ſucceſſu & commodo haud contemnendo; proque confirmatione Ordinis, ac devotarum animarum, iſto Roſario utentium, largas petebant Indulgentias, Innocentii X. bulla peculiari confirmandas, & obtinebant. Dominicani autem Franciſcanorum lucello invidentes, per Magnum Aulæ Magiſtrum, ſuæ Fraternitatis virum, brevi pòſt, contrario diplomate novitiam ſodalitatem reprimebant, ſibi ſolis fructus Roſarii vendicantes. *En tibi bullas Papæ Romani bulla Typerinâ viliores!* Papæ! Refert *Joh. Samſon*, Franciſcanus Breslavienſis converſus, in Sermon. Revocator. pag. 82. ſeq. & fatetur, actionem iſtam, ſui diſceſſus à communione Romanenſium, non minimam fuiſſe cauſam.

Inter Miracula *Antonii de Padua*, quorum gloriâ hodienum coruſcare inter Pontificios dicitur, ſequens præcipuè referunt: „Cùm „anno 1647. Turca Sabinecum obſidione cingeret, Marcheſius „Fridericus Mirogli, Pontificis Innocentii X. copiarum auxilia„rium Venetis miſſarum Præfectus, globo per dextram ita peritus „eſt tibiam, ut contuſis oſſibus, ſeptuaginta diebus ipſe peſſimè „haberet. Eo usque res devenerat, ut toti corpori conſulendo, „ab omnibus Medicis & Chirurgis reſectio pedis ſuaderetur; quid „hic generoſus ageret miles? nulla ſupereſſe humano modo adhi„benda remedia cognoſcens, ad S. Antonium ſe convertit, eidem„que pedem offerre argenteum vovet. Voto mox potitur ſuo, „illa ipſa enim nocte, qua evoluta pes reſecandus erat, apparet ei „Antonius, imaginem ſui præſentans ipſi: hoc, dicens, catapla„ſma applica, & convaleſces. Poſtquam diſparuerat Antonius, „Mirogli vocato ad ſe Capitaneo, Carolo Bacarone, quod viderat, „& audierat, referens, ut Imaginem illam, juxta S. Antonii man„datum, luxato & peſſimè affecto pedi applicaret, rogavit; Vix i„cuncula pedem attigerat, plenè ſibi reſtitutus è grabato proſilit, „ſtat pariter, & ambulat. Recenſet M. Georgius Denzel, ex Franciſco pacifico Beutgen in diſput. de Canoniſ. & cult. S. S. Pontif. oppoſ. theſ. X. & XXI. meritò tandem in hæc verba definens: „Penes Autorem ſi fides non eſt relinquenda, quis non dicat, diabo-

„licas fuiſſe præſtigias? Contactum illius Imaginis, ob ſacrificium „argenteum oblatæ, tantam habuiſſe virtutem & efficaciam, credat „Judæus Apella! pl. vid. an. 1678.

Angelus Petricca, olim Vicarius Patriarchalis Conſtantinopolitanus, a Præſule Tyberino conſtitutus, in opere anno 1647. edito Romæ, ſub inſcriptione: TURRIS DAVIDIS, in dedicatione ad Innocentium X. ſcribit: „Confeci, Pater Beatiſſime, opus de Militante ac Triumphante Eccleſia, adverſus hujus temporis hæreticos, ea occaſione inchoatum, quia in Conſtantinopolitana urbe „Calviniſtarum fraus, quæ propagari cœperat, me cooperante profligata fuit, atque fugata, ut ex ſolenni, ac Synodali Anathematiſmo ibidem contra eos edito, & ex Catholicæ fidei profeſſione, „ab ejusdem urbis Antiſtite emiſſa, & ad ſedem Apoſtolicam directa, palam omnibus apparuit. Idem, in Epiſtola ad Lectorem: „Hujus operis, dicit, ratio duplex eſt, optime Lector. Gerente „enim me vices Patriarchæ in urbe Conſtantinopoli, Calviniſtæ, „cum Græcorum Patriarcha, Cyrillo Lucari, unionem quandam „circa religionem confixerant, eamque ſuperioribus annis typis „editam, per multas Europæ provincias promulgaverant. Quod „cum Apoſtolicæ ſedis Antiſtes cognoviſſet, tale fœdus, verè diabolicum diſſolvendum, ac diruendum veritatis gladio, præcepit: „Et quod juſtè mandavit, tandem obtinuit; expulſus namque fuit „à Patriarchali ſede, juſſu Turcarum Tyranni, Lucaris, ac juſto „DEI judicio præter expectationem in mare præcipitatus, dedit „ſui ſceleris digniſſimas pœnas. Aſſumptus proin immediatè fuit „in Thronum Cyrillus Berrhoenſis, impiæ Calvini doctrinæ infenſiſſimus, Schiſmaticus tamen Apoſtolicæ ſedi inobediens, & conſuetis Græcorum erroribus infectus. DEO autem adjuvante, poſt „aliqua Colloquia, ſchiſma, me ſuadente, & enixim rogante, dimiſit, fidem Catholicam profeſſus eſt, illamque literis exaratam, „Sanctiſſimo Dn. Urbano VIII. per certos Apocriſarios direxit, „ſcriptis literis ad illum, obedientia, reverentia, ac animi ſubjectione plenis. D. Vejel, in Defenſ. Exercitat. de Eccleſ. Græcan. pag. 102. ſeq. quæ ad ſupplendam & illuſtrandam hiſtoriam, de qua an. 1638. atque 1639. actum pl. facere poſſunt.

Eodem, *Zeiloni* (Ceilani) Regem *Wa.d Madale* baptiſatum, dictumque *Theodoſium* fama tulit; vera an falſa, adhuc incertum. Succeſſerat Fimalæ filio, *Suriada*, quem etiam Chriſto nomen dediſſe,

diſſe, ferunt, poſt Baptiſmum à Portugallis collatum, *Johann de Auſtria* appellatum. Eſt autem *Zeilan* Inſula Indiæ Orientalis, è regione Promontorii Commorini, quod Calecutium Regnum claudit, ſita, nec lato mari disjuncta. In ea mons præcelſus caput inter adjacentes alios longè effert, *Pico de Adam*, ſeu Adami cacumen vocant incolæ, in quo Adamum credunt conditum. Hujus è ſummo faſtigio collis aſſurgit, dulces velut ex umbilico & perennes aquas effundens. Juxta ſilex viſitur, impreſſo hominis veſtigio, longitudine duarum ſpithamarum; & hoc ferunt ab Adamo relictum poſteris monumentum, cùm illic in cœlum aſcenderet. Sed & ſpelunca propè oſtenditur, in quâ lapſum ſuum diu defleverit generis humani parens. Opinio ea per Orientem ita omnium occupavit animos, ut Saraceni, paganique, ſacris peregrinationibus locum frequentent. Et quoniam neque pedibus acceſſus eſt, neque manibus licet adrepere, ita arduus in cœlum minatur collis iſte, ſcalis catenisque adjuti conſcendunt, ſua quisque crimina in ſacra illa ſpecu deploraturi. Inſulam Arabes *Tenarizim* appellant, quaſi dicant, omnis jucunditatis promptuarium, uti Damaſcenus *Paradiſum*, vel ad verbum, *Terram deliciarum*: „ Cætera, ut fabuloſa, „ mittimus, ait præclari nominis Theologus; hoc prudenter, quod „ flendi materiam quæſituri Ceylani, triſtiſſimum Adami lapſum, „ & primæ beatitudinis jacturam, ſibi ante oculos ſtatuerint. Ea „ de cauſa enim Adamum jam expulſum in lachrymarum vallem, „ juſſit DEUS è regione paradiſi agere, ut priſtinam vitam dolore „ carentem, in memoriam revocans, odio peccatum perſequere„ tur, tanquam laborioſæ hujus, & ærumnoſæ vitæ autorem, ut verba Theodoreti habent in Geneſin. vid. Horn. Orb. imper. 457. & Urſin. Analect. ſacr. 209. pag.

Quantum ad *Religionem* gentilium *Ceilonenſium*, hinc inde *Pagodes* ſtruxerunt, in quibus deaſtros ſuos, horribili figura formatos, Divino honore & victimis colunt. Morbo (aliove malo) implicati, ad dæmonem confugiunt; *JAKA* idolo fornaceo nomen eſt; Viri ſtaturam æquat; Vultu nigro & horribili, larvato quaſi, interdum cornuto, fingitur; ſedes ejus in Angulo quodam eſt, aut ſub tectum etiam reclinatur. Chriſtian. Hofm. in Conſ. & diſſenſ rel. profan. cum Chriſt. lit. L. 3. T. 1. confer Mandelsl. itin. Oriental. per Olear. ed. 143. ſeqq.

Sed interea mortem obiit *Anshelmus Caſimirus Wamboldius ab Umſtatt*,

ſatt, Archiepiſcopus *Moguntinus*, Imperiique ſeptemvir, & Archi Cancellarius per Germaniam; Cui dein ſuffectus eſt *Johannes Philippus à Schönborn*, Epiſcopus Herbipolenſis, Franconiæ Dux. Turſell. app. 1. hiſt. Ep. 91. & Notit. procer. 1364.

LIB. V. CAP. LXVI.

Summaria.

Controverſia Juliacenſis inter El. Brandeb. & Pr. Neoburg. recrudeſcit.

Familia Sileſio-Münſterbergica extincta. Religio Reformata exulare incipit.

Iſti Ducatui David Pareus ſuos natales debuit.

Comitiſſa Wiedenſis J. E. Calviniana hactenus, Pontificiis accedit.

Dogmata de poteſtate Epiſcoporum, Angliæ Regi à Taylorio ſuggeſta.

Monita Ultrajectina, quomodo Status Fœderati, reſpectu Religionis cum Hiſpanis paciſci debeant?

QUum an. 1647. *litigia* inter Electorem Brandenburgenſem, atque Ducem palatino-Neoburgicum, *in cauſa Juliacenſi* recrudeſcerent, ita ut Elector copias militares in Ducatum Bergenſem immitteret, renovatum per Burgsdorfium prius pactum (anni 1630.) diviſorium in decem annos, ea tamen conditione, ut Elector totum Ravensburgium Comitatum teneret, circaque templa & Eccleſiaſtica bona, norma an. 1609. circa exercitium autem Religionis an. 1612. obſervaretur. Sed cùm poſtea Oſnabrugæ & Monaſterii pacis Univerſalis rationes inirentur, dato pro Canone Exercitii Religionis an. 1624. nova mox orta controverſia. Burgold. not. rer. Imper. A. 523. pl. vid. ſub an. 1651.

Extinctâ, per mortem Caroli Friderici, *Ducum Sileſiæ de Münſterberg & Frankenſtein* familiâ, ditio ad Archiducalem domum Auſtriacam, & ex gratia Ferdinandi III. ad *Johannem Wikardum Principem Aurspergenſem* devoluta fuit; magno *Reformatorum* utriusque partis damno, ſi non totali exterminio. Imhof. notit. procer. pag. 822.

Prædictum *Frankenſteinium*, natalis locus *Davidis Parei* fuit, Profeſſoris Theologiæ Calvinianæ famigerabilis in Heidelberga, qui, à parentibus Lutheranis profatus, quomodo per præceptorem Frankenſteinenſem, Philippiſtam & Calvinianum, Sacramentariæ gen-

gentis erroribus fuerit infectus, legere eſt in curſu vitæ Pareanæ, Tom. I. oper. Exeget. deſcripto præfixoque ab initio.

Tunc temporis *Juliana Erneſtina*, *Friderici Comitis in Wied & Runkel*, *Iſenburgii Dynaſtæ*, ex Maria Juliana Leiningenſi *filia* hactenus Calviniſtarum ſacris addicta, *tranſiit ad Romanam Religionem*, Canoniſſis Thorenſibus adſcripta. Notit. procer. pag. 1480. ſeq.

In Anglia, licet *Caroli primi* res ubique procumberent, *Jeremias Taylorius* tamen Regi *dogmata* ſuggerebat parum utilia, nempe: „Chriſtum primò gubernationem Eccleſiæ Apoſtolis commiſiſſe, „ac dediſſe eis poteſtatem ſucceſſores in Apoſtolatu inſtituendi, „Hanc verò ſucceſſionem Epiſcopos habere, quum Apoſtolus & „Epiſcopus planè idem ſit, nomine, perſona & officio. Hinc illis „competere jus Ordinationis, confirmationis. Præſertim Epiſco„pos in Apoſtolatum S. Petri ſuccedere. Ut quidem tales ſint au„toritate Divina, & Epiſcopalis ordo eandem habeat autoritatem „cum articulis, quæ generaliter creduntur. Porrò Epiſcopos alte„rius eſſe Ordinis, quàm ſunt presbyteri; cùm polleant autoritate „& jurisdictione, ac debeatur ipſis à Clericis & Laicis univerſalis „obedientia; maximè quia ſint judices cleri & Laicorum in ſpiri„tualibus. Nulli presbytero licere, munere ſuo fungi ſine Epiſco„pali conceſſione. Bona Eccleſiaſtica, diſpenſationi Epiſcoporum „relicta eſſe. Presbyteros non poſſe abeſſe à ſua diœceſi, ſine Epi„ſcopi venia. Poſſe Epiſcopum, unum clericum alteri præferre. „In Conciliis Epiſcopos non tantùm habere jus voti. Clericorum „perſonas ad Epiſcopos pertinere, ut proprias. Summopere ne„ceſſarium eſſe Epiſcopatum; ut quidem ſint Schiſmatici, qui ſe „ab Epiſcopis ſeparant, imò hæretici. Denique Epiſcopos eſſe „maximo in honore habendos ab Eccleſia; poſſe obire munera ſe„cularia, ac demandare poſſe conſequenter ſuam poteſtatem aliis „cum delegatione & ſubſtitutione. ſic Jeremias Taylorius. Et illa quidem ſunt jura, quæ plerumque ſibi, ſed poſt Jacobi primi tempora, palàm Epiſcopi vel arrogabant vel uſurpabant. Atqui hæc duriora videbantur, quàm ut ferri poſſent à Calvino-Reformatis; & hinc ferè omnia illa mala, quæ diu Angliam afflixerunt; ſiquidem tale jugum conſcientiis imponi, ſummè iniquum Presbyterianı exiſtimabant; Unde mox queſtus, lites, crimina ipſis intentata ceu Non-Conformiſtis, uti appellabantur, Schiſmaticis, Donatiſtis, imò perduellibus, incitato Regis animo in eos, qui Autho-

 ritati

ritati Apoſtolicæ, & Regni legibus non parerent. Leideker, in contin. hiſt. Eccleſ. Horn pag. 71. ſeq.

Peculiaria *Ultrajectinorum Conſcientiariorum monita*, ad fœderatarum Belgii provinciarum Magiſtratus; *Qua conditione cum Hiſpano, de aliorum à Calvini pietate cultuum exercitio paciſci eos oporteat?* Qualia à Zelandis etiam procurarunt: Exhibita Jan. 21. an. 1647. Statibus Generalibus fœderati Belgii, typoque exſcripta Batavo, cum Epigraphe: *Hinc inclarescere Religionis puritatem ſub tractatibus pacis cum Hiſpano, Magiſtratui Batavo cordi fuiſſe vel maximè. &c.* D. Hülſemannus recenſet ſequentibus omninò verbis: „ Cauſantur, „ Inſtructioni Legatis Batavorum ad paciſcendum cum Hiſpano, „ creditæ, præcipuum deeſſe requiſitum; de Religionis Reformatæ „ DOMINIO in Ducatu Boſcoducenſi, & Marchionatu Bergenſi. „ Neque enim Religionis Reformatæ conſervationem ac defenſionem in eo conſiſtere, ut gaudeat exercitio libero, & immuni à „ directis impedimentis, turbationibus, ac periculis; ſed in hoc „ eſſe ſitam: ut omnes aliæ ſectæ, quas pro Zizaniis & contagio „ Religionis Reformatæ, unde pernicies huic metuenda tandem ſit, „ meritò habeant, ſubigantur & reprimantur, nullo favore ſubleventur, nulla autoritate publica recipiantur, tanquam COLLA- „ TERALES Religioni Dominæ. Hoc enim temperamentum, „ quod Hiſpani quidem rogaverant, & Batavi Legatis ſuis, ut con- „ ſentirent, impertiviſſe videbantur, ſi ulla ratione admittatur, ni- „ hil aliud fore exſpectandum, quàm ut per æquiparationem plu- „ rium in eadem provincia Religionum, Reformata Religio, anima „ & Palladium Reipublicæ Batavicæ, animam propediem exhalet. Sic Ultrajectini. Quid obtinuerint, acta ſequentis anni docebunt. Ex Hülſem. præfat. in dialyſ. problem. Calixt. de Myſt. Trin. pag. 59. 60.

LIB. V. CAP. LXVII.

Summaria.

Gerræ Fanatici cujusdam Quærentis vanæ ac impiæ.
Tum precum, tum Catechiſmorum formulæ à Browniſtis impugnatæ.
Judaiſantes in Anglia reperti.
Attaweyæ phantaſmata de duplici Mundo.
Caſpari Barlæi obitus.

Er-

ERburii, quidam è ſecta *Quærentium* concionando garriebat: Paulò pòſt DEUM Apoſtolicos Viros excitaturum, qui extraordinarium concionandi donum habituri ſint; Atque tunc ſequuturam Romæ ruinam. Loquebatur contra collectionem Eccleſiarum, dicens: Debere eos exſpectare adventum Spiritûs, ut Apoſtoli fecerint. Sicut enim Iſraëlitæ in deſerto habuerint mel & manna, ſed non Circumciſionem, neque Paſcha; Sic nos habere dulces conſolationes multas, colloquia, preces, ſed non Miniſterium & Sacramenta. Tandem collapſa Româ, fore novum cultum, novam terram, novam Jeruſalem. Blaterabat porrò: Scripturam eſſe incertam, & non poſſe nos ei fidem noſtram ſuperſtruere; quia tot ejus diſcrepantia ſint exemplaria. Horn. ref. in H. E. pag. 480.

Bruniſtarum & *Independentium* turba, quasvis *certas & præſcriptas precandi formulas*, adeoque ipſam *Orationem Dominicam*, quaſi minimè adhibendas, tolerandasve, impugnabant; contendentes, omninò ſuperſtitioſum & Antichriſtianum eſſe, talibus uti, ſaltem neceſſitatis opinione, ac in cœtibus Eccleſiaſtico-publicis: datamque à Chriſto Orationem, quæ ab initialibus *Pater noſter* vocari ſolet, non ut precandi eſſet formula conſtans & ordinaria, communiter & frequenter uſurpanda; ſed ut pro Exemplari ſolùm inſerviret, doceretque, quomodo & qua methodo precationes noſtras componere ac inſtituere debeamus? Hornbek. in ſum. Controv. de Bruniſt. lib. 10. p. m. 793. pl.

In eodem æſtimio *Browniſtis* fuere *Catechiſmorum formulæ*, ſymbolum, quod Apoſtolicum vulgo dicitur; Cantiones Eccleſiaſticæ, quæ omnia eliminanda cenſuere, ut apocrypha, tenendumque ſolum & unicum DEI verbum. Utque nonnulli *Orationem Dominicam* æquè DEO exoſam eſſe, ac Judæis carnem ſuillam, blaſphemabant; Ita uſum præſcriptarum Liturgiarum eſſe Idololatriam, & omnes, qui iis utantur, damnatum iri, blaterabant. Hornb. cit. lib. 799. Edward in Gangr. 1. 65. pl.

Judaiſantes quoque tunc temporis Anglia non paucos habuit, exempli gratiâ, in ditione Cholceſtriæ & Walliſiæ, ubi fuerunt inventi, qui clauſis feneſtris Judaicum Sabbathum celebrare cœperunt, urgere Circumciſionem, & Moſaicarum legum ac rituum obſervationem, Proſelytosque hîc & ibi facere. Horn. H. E. 480. Schwarmg. Br. Anh. 1. 17. 186. pag.

Attawey.i, de qua præcedente anno dictum, *duplicem* finxit

Mun-

Mundum, Eſavi unum, alterum verò *Jacobi*. Priorem, ajebat, modernum eſſe, in qua nunc vitam agant homines, poſteriorem, qui brevi ſit futurus, omnique creaturæ ſalutem & felicitatem allaturus multijugam. De hoc Jacobi mundo, proximè inſignem Prophetam plura ex profeſſo prædicaturum, ita quidem, ut licet omnibus in univerſum ſalutem addicat, longè majorem tamen illis annunciet, qui vitam hactenus piam & ſanctam, quàm qui vanam ac profanam duxerint. Schwarmgeiſter-Brut im Anhang / pag. 176. ex Thom. Edward.

Sublunaribus, nî fallimur, hoc tempore valedixit *Caſparus Barlæus*, Orator & Poëta Batavus, cuivis Antiquorum comparandus, ex Heroicis, Elegiis, aliisque in ſalivam publicam emiſſis, notus. Quantum verò ad Religionem, Chamæleonte, quod ajunt, mutabilior fuit; quippe, qui Calvino-Reformatis primùm adhæſiſſe viſus, dein ad Arminianos tranſiit, porrò Socinianorum veſtigia legit, ultimò Judæis tàm propè acceſſit, ut hos diverſa licet ſapientes, cum Chriſtianis unum colere DEUM, eique, dummodo piè viverent, placere affirmaret, ac propterea Menaſſi Ben-Iſraël, recutito Amſtelodamenſi, vitam & ſalutem polliceretur æternam, in vulgato Epigrammate, Problematibus Rabbinicis de Creatione præfixo, ubi in talia deſinebat verba: *Hæc FIDEI VOX SUMMA meæ eſt; hæc crede Menaſſe; Sic ego Chriſtiades, ſic eris Abramides!* Cui infelici Poëtæ Nicolaus Vedelius duos libros oppoſuit de *DEO Synagogæ*, hominemque confutavit. D. Müller Hamb. Atheiſ. dev. 29. 46. Calov. Syſt. Theol. A. 780. pag.

LIB. V. CAP. LXVIII.

Summaria.

Presbyterianorum & Anti-Presbyterianorum in Anglia diſceptationes mutuæ, de Regimine Eccleſiaſtico.

Johannes Latermannus diſputationem ſuam vexatam defendere ſuſtinet, debita ideò cenſurâ notatus.

Chriſtiani Drejeri heterodoxia in ſeriam reprehenſionem incurrit.

Jean d'Eſpagne, Orationem Dominicam, contra contemptum Anglicanum Apologetico vindicat.

Pacificationem Oſnabrugo-Monaſterienſem Erneſtus de Euſebiis ſufflaminare ſatagit.

Pennaliſmus, unà cum invaleſcente Monomachia, ex Univerſitate Tubingenſi proſcriptus.

De

DE *Synodo Londinenſi*, ac deputatione Parlamenti ad eam, ob componendas controverſias ſuper regimine Eccleſiaſtico exortas & hactenus agitatas, dictum an. 1643. cap. 40. & anno 1644. c. 45. Cùm verò minus feliciter ſaluberrimum illud opus proceſſiſſet, ſequente anno variis Collationibus inſtitutis, *AntiPresbyteriani*, ſive independentes & Congregationales meliores, in Confeſſione fidei conſenſum ſuum cum Eccleſiis Anglo-Reformatis teſtabantur; ſed variarum ſententiarum de Regimine deſperantes compoſitionem, tolerari petebant: quod alii non concedendum rati, variis ſcriptis diu certarunt coram Deputatis Parlamenti, & Synodi, nullo tandem eventu. Poſt biennii ferè ſpatium, *Anti-Synodales*, coram Parlamento ſuper *tribus* potiſſimum Synodi *propoſitionibus* diſputarunt: quarum *prima* concernebat regimen presbyteriale; *altera* ſubordinationem congregationum; *tertia*, poteſtatem particularis cœtus in ordinando. *De illo*, Synodi propoſitio erat, quod Scriptura declaret, plures particulares Congregationes poſſe eſſe ſub uno regimine presbyteriali. *De iſta*, Synodicas congregationes variorum eſſe generum, Provinciales, Nationales, Oecumenicas; dein, licere, & cum verbo DEI congruere, ut ſit ſubordinatio conventuum, Congregationalis, Claſſici, Provincialis, & Nationalis, ad regimen Eccleſiæ. *Denique* hæc erat propoſitio tertia, omninò requiri, ne ſingularis Congregatio, quæ aptè aſſociari poteſt, ſibi arroget omnem & ſolam poteſtatem Ordinationis. Has propoſitiones variis rationibus à Synodo confirmatas, AntiSynodales aliis impugnabant, adque priores reſpondebant. Quod ſemel iterumque aliis inſtantiis & reſponſionibus tum ab hac, tum ab illa parte reciprocatum, quæ diſtinctis ſcriptis comprehenſa omnia, juſſu Parlamenti edita fuerunt, atque ad unum & alterum annum protracta: Unde factum, ut quo plùs diſputatum, eò longiùs diſceſſum; & quò contentionis plùs, eò mali diviſionisque plus datum fuerit. Hornbek. in S. C. lib. 10. pag. 784.

Johannes Latermannus, Diſputationem ſuam de Prædeſtinatione, ſup. cap. LXIII. allegatam, non modò defendit, ſed etiam erroribus auxit in *Corollariis* Diſput. pro Loco Profeſſ. de Invocatione Sanctorum ſubjectis, & à D. *Hülſemanno* ita exceptis, ut ſcriberet: *Corollaria hæc, niſi emendentur, vel ab illorum defenſione deſiſtatur, ac promittatur deſiſtentia, non poterit ſe liberare Autor à ſuſpicione DELIBERATÆ HETERODOXIÆ, neque reperiet veniam juvenilis erroris*: ita

Hülſeman. Subjecit *Calovius* deinceps: „ At nuſpiam emenda-
„ vit ea Latermannus, nec à defenſione illorum deſiſtere ſe velle „
„ unquam promiſit, imò contra interdictum diſtrahi eadem fecit,
„ & in ipſa præfationis coronide propugnavit. Ergò reus manſit,
„ procul dubio, deliberatæ heterodoxias &c. Inde querela *D. Wil-*
„ *helmi Lyſeri:* „ Quem turbæ illæ à Latermanno in Religionis ne-
„ gotio excitatæ non movent, næ is lapideo corde præditus ſit, o-
„ mnique pietate careat, neceſſum eſt. Quàm gravis autori ali-
„ quando coram DEO reddenda erit ratio! Eccleſiæ verò Luthera-
„ næ in Boruſſia irreparabile interim damnum infligitur. Fontem
„ & originem mali in Academia Julia aggreſſi ſumus occaſione ac-
„ cepta ex diſputatione Hornejana, & humaniſſimis literis, ne li-
„ mites publicarum confeſſionum moveantur, rogavimus. Sed
„ quàm duris reſponſis tria integra Collegia ſint excepta, ſcribi vix
poteſt. Ex Calov. Syſt. Theol. A. 1185. 1174.

Chriſtianus Drejerus, ut Pontificiis palpum obtruderet, eò us-
que progreſſus eſt, in Diſp. AntiPap. 21. ut aſſereret: quod Chriſtus
in prima Cœna ſeu Eucharistia creaverit ac ordinaverit Apoſtolos
in Sacerdotes ac Sacrificos, & Presbyteros, vi verborum: *hoc facite*,
quem tamen errorem per typum divulgari non permiſit *D. Myslen-
ta*, recuſata ſubſcriptione anno 1647. Nov. 8. *D. Jacobus Martini*,
Senior Theol. Facult. in Acad. Wittenb. uti errores Latermanni,
aliorumque Novatorum, atro Carbone notavit; Ita de Drejero ad
Amicum ſcripſit: „ Miramur perverſum Novelli iſtius Theologi
„ Regiomontani Drejeri judicium: Sed illi ſunt fructus Helmæſta-
„ dienſes, qui ſtatim ab initio & fundatione iſtius Academiæ, Or-
„ thodoxæ Eccleſiæ MAGIS NOCUERUNT, quàm profuerunt.
„ DEUS iſti Viro juveni, & omnibus ejus aſſeclis det meliorem
„ mentem, conſervetque ſuam Eccleſiam! Noſtro autem loco nos
„ vigilabimus, ac faciemus pro viribus, quod poſſumus. Idem ref.
ibid. pag. 1068. 1173.

Ob mirandum *Orationis Dominicæ* contemptum, & rariſſimum
ejus (apud multos) uſum in Anglia, quidam Autor Gallicanus, &
ſuæ Nationis Eccleſiaſtes, *Jean d'Eſpagne*, Apologeticum ſcriptum
pro ea, Gallico & Anglico Idiomate publicavit, atque Browniſta-
rum Objectiones confutavit, ut videre eſt in appendice hiſtorico
der Schwarmgeiſter-Brut / pag. 163. Et ſubjicitur, in allegatione
dicti libelli: Hiſce temporibus eò rem deveniſſe in urbe Regia Lon-
di-

dinenſi, ut multæ honeſtiſſimarum loci Matronarum, cùm ſuos infantes recens natos Baptiſmate S. initiari vellent, ejusmodi Myſtarum, qui recitarent *Pater noſter*, vix compotes fieri potuerint.

Inter libellos componendæ Paci Oſnabrugo-Monaſterienſi adverſos, prodiit *Judicium Theologicum* perſonati cujusdam *Erneſti de Euſebiis*, quo enixè laboravit probare: „ Pacem, qualem Proteſtantes deſiderabant, ſecundum ſe illicitam eſſe; quia Pax ejusmodi tùm directè, tùm indirectè hæreſi cooperetur; Creatori ac „ veræ Religioni injuriam inferat; cauſa ſit perditionis animarum; „ uſurpatio ſit pacis non competentis; repugnet officio & juramento Cæſaris, Satuumque Catholicorum, præprimis Epiſcoporum; „ fruſtratoria, ipſoque bello periculoſior ſit; ſitque magis inordinata mendacio; Eccleſiæ DEI, ſummorum Pontificum, S. Patrum, „ ac veterum Doctorum ſuffragio deſtituatur, atque damnetur; „ quæ ſigillatim demonſtrare ſategit. Mox illius Judicii Theologici *Vehiculum* ſucceſſit, & *Inſtrumenti Pacis ponderatio*. Reſponderunt ad iſthoc Judicium Euſebianum, ex ipſis Pontificiis Abbas *Caramuel*, qui arcanis conſultationibus multis magno bono in lucem productis, præterea opinione variæ doctrinæ, & autoritate cumprimis fidem ſibi idoneam fecit: Ex Lutheranis, tùm *D. Tobias Waguerus*; tùm *D. Johannes Georgius Dorſcheus*; *D. Hermannus Conringius*, & alii, Tenebrionem confutarunt, & confoderunt feliciter, adque ſilentium & ruborem compulerunt. Heideg. in hiſtor. Papat. pag. 403. conf. ipſ. tract.

Rector, Pro-Cancellarius, ac Senatus Academiæ Tubingenſis, expreſſo typis programmate, tabulæque nigræ affixo, in tetras actiones *Per ſonaliticas Monomachiam invaleſcentem, Enſiferorum & ocreatorum Studioſorum vanitatem*, inter alia ſic invecti: „ Quid ſupremi omnium „ Judicis atque Rectoris iræ exacuendæ aptius, quàm ſi laxatis diſſolutæ juventutis frenis, ruptis licentiæ & ebrietatis aggeribus, „ pietatis doctrinæque ſeminaria, in nequitiæ vivaria & officinas „ degenerent? Hæccine vita Academica; nocturno certare mero, „ certare diurno, atque diem nocti, noctemque æquare diei? Et, „ propter leviſſimas quascunque offenſiunculas, ad Monomachias „ ac duella ſe invicem invitare, ac periculum facere, uter citius alterius animam elidere, & orco oppignorare poſſit, certo diaboli „ lucro, æterno congredientium vel periculo vel damno! Certè non „ Hieroſolymis fuiſſe, ſed Hieroſolymis benè vixiſſe laus eſt; Ita

„ nec in Academiis fuiſſe, ſed benè vixiſſe, commendandum &c.
„ Nos igitur nolumus, neque per conſcientiam aut officium poſ-
„ ſumus, irrepentibus vitiis laxare fibulam, ſed ne Divina Majeſtas
„ gravius lædatur, aut calamitates Germaniam urgentes, & Acade-
„ micorum quoque non minùs, quàm cæterorum Statuum, flagi-
„ tiis oriundæ, augeſcant, aut Reſpublica denique ſive Chriſtiana,
„ ſive literaria majus detrimentum capiat, feriò decrevimus, hoc
„ Aconitum in ipſa, quod ajunt herba ſuffocare, ac Reipublicæ no-
„ ſtræ Scholaſticæ Navim hac ſaburra maturè exonerare. Com-
„ meſſationes ergò, & helluationes quaſcunque, ſive initiatorias,
„ ſive profectitias, ſive alio ſchemate veſtitas, & quæ certaminum
„ horum pediſſequæ ſunt, clamores, tumultuationes nocturnas,
„ choraularum item ac fiducinum erraticorum intemperies, ſub
„ pœna Carceris feriò prohibemus &c. Cæterum, ut in difficiliori-
„ bus morbis curandis, acrioribus remediis utendum, & Poëta In-
„ dice, immedicabile vulnus enſe recidendum eſt, ne pars ſincera
„ trahatur; Ita nos adverſus Barbariem ac Tyrannidem iſtam Aca-
„ demicam, Pennaliſmum inprimis, Monomachiarum item ac duel-
„ lorum inſaniam, horumque ſive Autores, ſive Fautores velut ul-
„ cera chironia, excluſionibus & relegationibus repurgabimus, ut
„ quos veluti deſperatos, legum & edictorum emplaſtra non ſa-
„ nant, ſecures abſcindant. Verùm enimverò cùm hodie benè mul-
„ ti, ac heri aut nudius tertius ferulæ ſubducti Tyrones etiam no-
„ vitii, vix nucibus relictis, in veſtitu à veteri modeſtia & gravitate
„ pudendum faciant divortium, dum non tantùm exautorato pal-
„ lio verecundiam, illam minoris ætatis purpuram denudant ultrò,
„ ac frontem confuſis tonſoris artificio crinibus, & velut in gradus
„ fractis operosè obumbrant, devenuſtantque; ſed & undiquaque
„ comptuli, quaſi novi muſteique de Schola Equites, auriti potius,
„ quàm aurati ſemper, gladiisque & calcaribus armati circum com-
„ pita errent; Anippos iſtos & pedeſtres Equites in ordinem co-
„ gendos meritò cenſemus, ac non Enſium ſaltem jactura, ſed aliis
„ ac ſeverioribus pœnis, pro arbitrio Rectoris ac Senatus licentiam
„ gladiatoriam iſtam ſuffibulare, priſcumque ſapientiæ & honeſta-
„ tis habitum, tanquam ab exilio revocare decrevimus. Quorſum
„ enim aut cui bono tandem licentia iſta militaris in non militibus?
„ Sapientiæ palæſtra eſt Academia, non arena gladiatorum. Stilis,
„ non pilis, in militia hac togata res agitur. Si conflictus amant

„ ju-

„ juvenes noſtri, in auditoriis concurrant; Argumenta ſtringant, „ non gladios; barbariem jugulent, non homines; veritati militent, „ non iræ, aut ambitioni. Hac in arena vincent, ſed ſine ſanguine, „ quamvis non ſine gloria! Quid ocreis opus aut calcaribus? Ca„ piti ſtimulos aptent, non pedibus. Certè ſuppellex literaria non „ ocreis paratur, aut calcaribus inauratis, non enſibus lateri accin„ ctis, non capillorum luxuriantium cirris, in humeros molliter „ defluentibus, non choreis aut tripudiis, ſolita huic ætati laſciviâ, „ non denique mero titubantium graſſationibus & ſcintillante fer„ ri attritu ad platearum ſtrata, tanquam ſi Hannibal eſſet ad por„ tas; ſed precibus, ſed vigiliis, ſed diſputationum incruentis con„ flictibus, diſſertationum exercitiis, ſtudio denique pertinaci & „ labore infracto. Quibus ſi pietas, modeſtia, humilitas, ſocian„ tur, DEO benedicente, ex inſtitutione bona Boni Adoleſcentes, „ meliores Juvenes, optimi exiſtent Viri, talis denique tantusque „ docentium ac diſcentium in Eccleſiam & Rempublicam redun„ dabit fructus, cujus ſenſum circumferemus in via, magnitudi„ nem experiemur in patria. Hæc, ne ulla prætexi poſſit ignoran„ tia, publicè ſignificanda duximus, Bonorum omnium Patroni a„ mantiſſimi, Lurconum contra, Helluonum & graſſatorum vin„ dices ſeveriſſimi futuri; Valete! Propoſ. Tubingæ ad Nicrum, 21. Sept. an. 1647.

LIB. V. CAP. LXIX.

Summaria.

Proteſtantes, negotium pacificatorium acriter urgent.

Wrangelii, Bavarorum, atque Cæſareaoorum expeditiones.

Leopoldus Wilhelmus, Auſtriacus, in pacis tractationem cum Unitis Belgis conſentit.

Vinarienſes Equites veterani, à Turrenio deficientes, à Königsmarkio recipiuntur.

Seditio Neapolitana, per Thomam Anjellum concitata.

Angliæ Rex Carolus I. à Scotis tandem Anglis traditus.

Nuptiæ Frid. Caſim. Hanovii; & Camilli Pamphilii, Cardinalis abdicati.

Deceſſus Henrici Friderici, Principis Orangii; & Georgii Alberti, Comitis Erpacenſis.

PEr Colloquia & Convivia crebra tunc *Germaniæ pax* haud parum promota. Cumque iſthoc negotium *Proteſtantes* maximè urgerent, illi menſe Novembri Plenipotentiarios Cæſaris, nempe Comitem de Lamberg, Volmarum, & Crane adeuntes, palam Romano-Catholicorum moras in puncto gravaminum Eccleſiaſticorum incuſarunt; per ſe non ſtare, quo minus pax mutuo coaleſcat; Papicolas eſſe in mora. *Reſponſum* tulere modeſtum & placidum: Verum eſſe ac manere vulgi verbum: Sat citò, ſi ſat Benè! Firmam pacem, ſine longiori mora conſtitui vix poſſe. Burg. Not. ver Imper. A. 143. pag.

Interim *Wrangelius*, occupatis faucibus Brigantinis, & ipſo Brigantio, dein Minavia Inſulâ, mox ad obſidendum Lindavium, etſi media hyeme, animum adjecit, poſt duorum menſium autem obſidionem fruſtraneam, derepente movit in Franconiam, & Bohemiam, ibique Suinfurtum, hic Egram ſibi ſubjecit; Cùm verò Cæſar mox omnes opponeret vires, ipſeque rebus neceſſariis non ſatis inſtructus eſſet, in Miſniam receſſit, agrum Halberſtadienſem, Haſſiam. Turſell. app. 2. hiſt. 90.

Viciſſim *Bavarus*, ruptis induciis cum Wrangelius initis, Memmingam; *Cæſareani* Iglaviam recuperabant; Lambojus Windeccam in Ducatu Montenſi, mox Monodurum in agro Juliacenſi. *Melander*, dictus *Holsapfel*, Marpurgum expugnavit quidem, ſed cùm ſine arce, ab hoſtibus acerrimè defenſa, retineri non poſſet, Urbem ſpoliatam iterum deſeruit. Turſell. cont. pag. 90.

In Belgio, novus Gubernator *Leopoldus Wilhelmus*, *Archidux Auſtriæ*, partes Hiſpanicas pro virili tuetur; ſed quoniam Iberi, bello cum Portugallis diſtinebantur, in *armiſtitium*, & *Pacis tractationem* inter Hiſpanos & Unitos Batavos, conſentit; eò quod horum res paſſim in majus quotidiè viderat hactenus aſſurgere. Calviſ. Chron. cont. 1025.

Vinarienſis exercitûs veterani Equites, à *Turenio* duce offenſi, depoſito palam obſequio, reverentiaque, à Galliis diſcedunt; in Cæſaris partes transfugium non ſemel, exacerbati minantur; ſed eos tandem *Köningsmarkius*, bimeſtri ſtipendio placatos, excipit, ſuis uniendos copiis. Tſchimern, in contin. Sleidan. de 4. Monarch. lib. 3. pag. 456.

Neapoli quoque ingens orta *ſeditio*, quæ magnis cladibus illud Regnum involvit; occaſio leviſſima. Quidam piſcator, cui nomen

Thomas

Thomas Anjellus, orta fortè rixa in foro inter Regios miniſtros, & fœminam plebejam, neſcio quid vendentem, concitato tumultu ſeſe totius populi Neapolitani ducem conſtituit, tanta Majeſtate, ut vix ullus Monarcha majori reverentiâ cultus fuerit à ſubditis, quàm ipſe ab ingenti multitudine Neapolitanorum. Solo nutu ac geſtu centum millia hominum componere admirabili omnium ſilentio poterat. Multa patraſſe dicitur vix credibilia, niſi recens fama, & eorum, qui interfuerant, adſeveratio iſta credere cogeret. Anjellus in delirium lapſus, decimo tumultus die, à Nobilibus aliquot interfectus eſt; ſublato tamen autore, non ſtatim turbæ quieverunt, paulatim in civile bellum converſæ. Horn. Orb. Imp. 591. Turſell. ap. 2. 92.

Angliæ Rex Carolus I. Poſt quam ab Anglis ad *Scotos* effugiſſet, ac de priſtina ſeu conſtantia ſeu pertinacia erga presbyterianos, nihil, captivus licet, remitteret, iſtorum animos in tantum à ſe abalienavit, ut Regem, accepta ingenti pecuniâ *Anglis traderent*; qui ſub initia in liberiori cuſtodia, paulò poſt arctiori conſtrictus fuit Horn. Orb. Imper. 353.

Fridericus Caſimirus, Hanoviæ Comes, qui anno 1623. auram vitalem hauſerat, an. 1647. connubio ſibi junxit Sibillam Chriſtianam, Johannis Georgii Principis Anhaltini filiam, Philippi verò Mauritii Comitis Hanovio-Münzenbergici viduam; è qua tamen ſobolem non vidit. *Camillus Pamphilius*, Cardinalis abdicatus, cum Olympia, Roſſani Principis Aldobrandini gnata, nuptias celebravit. Notit. procer. Germ. 966. Calviſ. Chronol. 10: 5.

Sed mortem obiere *Henricus Fridericus, Naſſovius Princeps Orangius*, Imperator militaris Holandicus, Wilhelmi pater; & *Georgius Albertus, Comes Erpacenſis*, ad quem ſolum familiæ propago redierat, multorum liberorum Genitor. Turſell ap. 2. hiſt. 91. Imhof. Notit. procer. 1316.

LIB. V. CAP. LXX.

Summaria.

Silentii, prudentia non obſtante, noxii exemplum.
Gravida, miſerè trucidata, ſervatis quos utero gerebat; pueris gemellis.
A ſponſo ſponſæ ſclopeto temerè enecata.
Pueri ſeptennis diſputatio admiranda.

Panis

Panis averſatio ſingularis.

Sponſa vilioris fortunæ, ex ducentis virginibus à Magno Moſcoviæ Duce electa.

Jubilæum Adami Burgeri matrimoniale.

Mors Bonaventuræ Cavalerii. Notabilia quædam alia.

QUod etiam *prudenter ſiluiſſe, nonnunquam nocere poſſit*, notabile exemplum ſiſtit N. N. ſeq. verbis: Magnus Magni Pr. Conſil. ad Civitatem N. ſcripſerat: „Domini! Ex mandato Ser. Pr. proxi„ma nocte adero, & quidem hora prima poſt medium noctis, hortumque N. ingrediar collatum vobiſcum res, bonum publicum, „veſtræque Civitatis concernentes; expectabo igitur à vobis depu„tatos, loco, & horâ nominata; ita tamen, ut res in ſummo ſecre„to maneat. Fido vobis, veſtræque fidelitati, & ſum vobis addictus. His literis (ob inimicum, quo civitas tenebatur præſidium) conſternatus Conſul, unum ac alterum è ſenatoribus, quaſi ad prandium venire juſſit, iisque legendas præbuit literas, duosque in deputatos elegit: Verùm, priusquam civitatem egreſſi fuerant, unus illorum repetitis ædibus uxori ſuæ rem patefecit, cauſamque futuræ per noctem abſentiæ aperuit, remonſtrato ſimul inevitabili vitæ fortunarumque periculo, ſi ulli mortalium ipſa quidquam manifeſtarit. Prudentiſſimè ſilens alter, quaſi animo deambulandi cum ſocio urbem egrediebatur, Pr. intentioni, communitatis nomine ſatisfacturus: quid fit? portis jam occluſis, hocque marito domi nullateuus comparente, impatiens mulier circuire civitatem, ac tandem ex vigilibus ipſis, an maritum ſuum egredi, an & redire vidiſſent? percunctari cœpit: Improvida hujus conjugis ſolicitudo recordari faciebat vigiles, egreſſos fuiſſe duos, non verò rediiſſe ſenatores; Oriebatur inde ſuſpicio, è ſuſpicione timor, è timore tumultus, quo motus Gubernator peditum cohortem exploratum emiſit, qua & in horto deliberantes, fugati partim, partim capti, aliique plures ad ſummas vitæ facultatumque anguſtias redacti ſunt: Tam verum eſt, etiam prudenter ſiluiſſe, quandoque nocere poſſe! Tam verum actiones noſtras hodie ſoli prudentiæ amplius non committi, ſed tunc demum benefactas dici poſſe, cùm fortunam ſimul fautricem habuerimus &c. Wilh. Ignat. Schütz tract. de recta ſilendi ratione, pag. 108. ſeq.

Göppinga t. t. tragicum quoque caſum experta! *Mulierem gravidam*, cùm ſe partui vicinam ſentiret, cupido inceſſit, priusquam de-

dolores partus ſentiret, potu fontis acidi, qui ibi percelebris eſt, ſe reficere, ad quem egreſſa, obvium habuit ex peditibus Turrenii graſſatorem unum, qui nihil irritatus, ſcelerata libidine innocentem *ſclopeto caput transverberavit:* forte ſupervenit alius miles ex equitibus, qui rei indignitate motus, fuga dilapſum latronem inſecutus, in vepretis deprehenſum retraxit, ducique ſiſtit. Interea loci Chirurgus N. palpitantis adhuc matris uterum ſecuit; *gemellosq; pueros ſalvos* extraxit, qui ambo, ipſo Duce fide jubente, ſacro luſtrico tincti ſunt, latroni gula fracta eſt. Selen. Auguſtal. J.V.A.pag. 361.

Ibidem *ſponſus* quidam, unus è ſaltuariis, dum ex ſylva domum cum ſclopeto redierat, *ſponſam* obiter inviſurus, cum aliis puellis ludentem reperit, ſclopetoque poſt januam repoſito, ſimul colludit. Pòſt memor, ſclopetum adhuc onuſtum, & ad ictum paratum eſſe, nequid damni daret, pinnam intenſam laxare contendit, ſimulque in ſponſam per laſciviam ictum intendit, ac digito errante in faciem ſponſæ, ſclopetum minutis quàm multis globulis exonerat, & momento miſeram invitiſſimus *enecat*, fuga ſibi dein trepidus conſulit, in certum in militiam, aut quo abierit. J. V. A. ibid. pag. 299.

Miraculi loco habitus fuit *puer ſeptennis*, Jacobus Martini, Modenâ Oriundus, qui Romæ in conſeſſu undecim Cardinalium, multorumque Prælatorum, *poſitiònes* Theologicas, Juridicas, Medicas, Mathematicas, & Philoſophicas, *diſputando* magna laude *defendit.* Calviſ. Chronol. 1025. Zeiler epiſt. tom. 2. 731.

Heilbronnæ Suevorum fuit *puer* duodecim annorum, *qui nullum edebat panem*, ſaltem domeſticum & vulgarem; An id ex Antipathia quadam, aſſumptave conſuetudine ac ſingularitate factum, nobis, qui hominem novimus, Cantoris *Mindereri* filium, non conſtat. Sed nec alia hujusmodi exempla deſunt. Sanè celebris Theologus Lipſienſis teſtatur, ſibi notam fuiſſe Matronam Nobilem, quæ nullum panem guſtare potuerit, nullum odorare. Idem, ex Brugerino meminit alicujus ruſtici Normandici, qui neque panes, neque carnes unquam ederit; porrò virginis exemplum, honeſtiſſimæ familiæ, adducit, ſedecim annos natæ, quæ ne micam panis tolerare, guſtando aut odorando potuerit. D. Pfeiffer in præfat. Luther. ante Luther. pag. 52.

Eo tempore Magnus Moſcoviæ Dux, *Alexius Michaëlowis*, *è ducentis virginibus* unam in Tori ſociam accipere debuit, voluit:

Omnibus ergò probè conſpectis, *filiam ſatrapæ minoris Ordinis & fortunæ*, præter omnium exſpectationem *elegit*; Cognita re, paupercula ſtupore abrepta in deliquium animi cecidit, unde ab invidis tanquam Epileptica per ora hominum traducta fuit. Zeil. epiſt. II. 730.

Sed Stutgardiæ, in Ducatu Würtembergico, *Adamus Burger*, cum ſua conjuge Barbara Angerina, quam abhinc annis novem & quadraginta Jul. 16. duxerat, *Matrimonii ſui Jubilæum diem feſtum & ſolennem habuit*; quo de Johannes Valentinus Andreæ, Ducis Eberhardi III. Concionator Aulicus, die 13. ad Principem Guelferbytanum ita ſcripſit: „ Vegetius noſter Burgerus Jubilæo ſuo, memo„rabili ſpectaculo, egregiè defunctus eſt, alacri inter Principis He„ri mei Legatum, & me, medio inceſſu, vultuque læto conſpicuus, „nec minor Sponſæ vivacitas, orisque decor apparuit, honorabili „ex utroque ſexu conductu eos proſequente. Sermonem ad fre„quentiſſimam concionem habuit Cathedralis Eccleſiæ Stutgar„dianæ Antiſtes Schüelinus, Canitiemque in via juſtitiæ acquiſi„tam ex proverbiorum libro Salomonis, coronavit, grateſque lon„gævi matrimonii publicas ſolvit; Præiverunt huic, & ſequuti ſunt „eum Symphoniaci concentus, nec populi plauſus defuit. Burge„rus ille *Meditam*, ut vocant, egit, vir ſupputandi artibus, & pin„gendis eleganter literis inclytus, ac de juventute ſatis præclarè „meritus, utpote qui per annos 51. Diſcipulos 11624. inſtruxit. Ex Val. Andr. Selen. Auguſtal. pag. 271. 274.

Mortem obiit Bononiæ, *Bonaventura Cavalerius*, in Cœnobio S. Mariæ de Maſcarella, cujus perpetuus prior erat, beneficio Brevis Apoſtolici, ab Urbano VIII. intercedente Cardinali Julio Sacchetto, cùm Legatum Sedis Romanæ, Bononiæ ageret, impetrati, ut quiete ſua tranquillè frueretur, nec alieno ſubeſſet arbitratui. Ordinis fuit Jeſuatorum, Geometra-Mathematicus inſignis, ex diſtinctis tractatibus Orbi erudito benè notus. Vide Act. Erud. Lipſ. de an. 1691. pag. 556. 558. ſq.

Inter cætera notatu digna numeramus: Viſam *Flensburgi* navem bellicam in aëre; ad *majorem Glogaviam* exercitus confligentes in cœlo; *Conſtantinopoli* delapſum grandinem tripondium; *Bremam* incendio miſerè deformatam; *Turrim Arcis Tubingenſis*, in oppugnatione Turreniana per cuniculatios vi pulveris pyrii ſubrutam. Calviſ. Chron. pag. 1025. Schwel. 438.

LIB.

LIB. V. CAP. LXXI.

Summaria.

Pax Germaniæ deſideratiſſima Oſnabrugi concluditur.
Subſcriptione & Ratificatione munitur.
Quid rebus Proteſtantium iſta Pacificatione acceſſerit, atque deceſſerit?
Joh. Fridericus, Wirtemb. Princeps in Illuſtre Collegium Tubingenſe introductus.
Johann Samſonis, Monachi Franciſcani converſio.
Hinc relatio de impoſtura Jeſuitæ Poſonienſis.
Obitus Joh. Bohemi, Theologi Regiomontani.

ANno ſupra milleſimum ſexcenteſimum quadrageſimo octavo, *negotium reſtituendæ Pacis in Germania* incaleſcere, & maximè fervere cœpit, ita ut conventus & colloquia ſingulis diebus, ne Dominico quidem excepto, horis ante- & pomeridianis, usque ad octavam aut nonam veſpertinam, celebrarentur. Tandem die Julii 17. hor. 9. antemer. Electorum, Principum ac Statuum Legati, in *Curia Oſnabrugenſi* comparentes, omnes inde in domum Cæſareanorum Legatorum ſe contulerunt, ibique in ſpatioſo cœnaculo Cæſarei, ac Suecici ad ſeparatam menſam; Electorum, Principum ac Statuum Legati (quibus juxta diverſas Curias & Collegia ſingulis ſingulæ menſæ erant adornatæ) omnes, ordine quisque ſuo conſedére. Dum itaque ſummo ſilentio arrectisque auribus attenti ſunt, Plenipotentiarius Cæſareus, VOLMAR, Inſtrumenti Pacis Cæſareo-Suecici articulos conceptos clara voce omnibus prælegit, ubi, dum Legati auſcultando ſua exemplaria diligenter conferunt, nonnullæ correcturæ inſtituuntur; hisque peractis, Legati mutuo prævia gratulatione, dextras, fidei ſinceræ ſignum, jungentes ſtipulabantur, tranſactionem, uti prælecta erat, ratam ac immutabilem manſuram. Tantæ molis erat Germanam condere Pacem! Non defuere quidem, qui Pacem ita pactam, pro rata & grata nolebant accipere, verùm eò non obſtante pacifici per Majora prævalebant.

Denique *ſalutaris Germaniæ Pacis Inſtrumentum* (Palladium illud, atque arx Imperii inexpugnabilis) eodem hoc anno die $\frac{14}{24}$ Octobris, à S. Romani Imperii Deputatorum Extraordinariorum, & aliorum Electorum, Principum ac Statuum Legatis Plenipotentiariis *ſubſcriptum*, eorundemque ſigillis munitum. Dein $\frac{1}{11}$ Dec. *Ratifica-*

ficationes Cæſarea & Suecica Monaſterii à hora nona matutina, uſque ad quartam pomeridianam invicem collatæ ſunt; Collationem *permutatio Ratificationum* (die quidem 8. Febr. an. 1649.) excepit; Pacis oſculum & mutuæ complexiones inter partes, Ratificationes de manu in manum tradentes, inſequutæ, ac tormentis undique exploſis, dulcis Harmonia, eleganter à Muſicis in D. Lamberti turri adornata, Pacis Germanicæ lætitiam abundè ſignificavit; Mox etiam DEO Ter Opt. Max. pro Pace clementer conceſſa ſolennes actæ ſunt gratiæ. Hoc modo Intereſſe Imperii publicum, per triginta annos ſæviente Bellona neglectum, rurſus ex orco quaſi in lucem reductum. Burgold. Notit. Rer. Imp. part. I. 144. 147. in tale votum deſinens: „ DEUM ſupplex veneror, ut Pacem illam poſt „ plurimorum annorum lamentabile bellum benignè reſtitutam „ Germaniæ, perpetuam, aut, ſi id peccata noſtra prohibeant, ſaltem diuturnam velit efficere; quo Concordia inter Germanos, „ quando Divinarum (eheu!) non licet, humanarum tamen rerum, „ ſemotis affectuum & errorum nebulis, ſincerè ac prudenter omnium amore reviteſcat, floreat atque perennet. Det quoque „ ſummus noſter Servator, DEUS DEO natus, ut porrò civili concordia emollitis partium animis, amor quoque inſtilletur pacis in „ domo DEI conſtituendæ, quo una, ſacro ipſius verbo monſtrata, „ viâ incedentes, unumque DEUM unâ lege omnibus litigiis con„ ſopitis venerantes, æternæ felicitatis beatitudinem, diſſimili fulgore pares, adipiſcamur!

Religionis tunc ea *Libertas* eſſe juſſa eſt in Imperio Romano-Germanico, qualis Paſſavii & Auguſtæ Vindelicorum ſuperiori ſeculo conceſſa erat. Edictum Cæſaris Ferdinandi ſecundi an. 1629. promulgatum, de quo ſupra lib. 3. cap. 64. vid. ſublatum, ſtatutumque, ut haberet ſibi quæque pars de *Bonis Eccleſiaſticis*, quod habuiſſet an. 1624. ineunte. Quod idem de *publico Religionis cujusque exercitio* capiendum. In eo tamen deterioris conditionis Proteſtantium, quos vocant, res, quàm ante bellum, factæ ſunt, quod *Bohemis*, Auſtriisque, omnis Libertas Evangelicæ Religionis adempta, nec *Sileſiis* plenè conceſſa, denique Superior Palatinatus Pontificiis penitus eſt vendicatus. Magna verò ex parte RESERVATUM illud ECCLESIASTICUM fuit ſublatum, Epiſcopatibus cæteriſque Eccleſiæ Romanæ juribus in perpetuum, nulla repetendi facultate, alienatis. Hiſtor. Eccleſ. Gothan. Compend. pag. 807.

807. Tſchimmern, in continuat. Sleid. de 4. Monarch. lib. 3. 473. ſeqq.

Quamprimum dictæ Pacis certa ſpes affulſerat, continuò *Tubingæ* facta eſt *Illuſtris Collegii*, quod viginti annorum ſpatio clauſum erat, reſtitutio & *inauguratio nova*, fauſto nominis ominoſi Principis *Johannis Friderici*, primogeniti Ducis EBERHARDI III. ingreſſus fauſto, inquam, & pacifero ingreſſu; mox enim Arcis montanæ ac præſidii Gallicani, Turrenio tradente, maturior quàm ex lege debebatur, evacuatio ſubſequuta, & Nobilium Adoleſcentum ſatis frequens acceſſio: Eo enim fine fundatum & introductum, ab inclutis Würtembergiæ Ducibus Athenæum hoc, ut inibi flos iſte juventutis in bonis literis erudiretur; Conſtitutumque, ut in poſterum Provinciæ Duces, filios ſuos ſtudiis aptos, in illud mitterent, qui deinde in memoriam Fundatoris primas, præ cæteris quocunque titulo eminentibus incolis, tanquam honorarii Præſides obtinerent. Heſental. Orat. in fun. Princip. Joh. Frider. hab. pag. 12. 14. Lanſ. in Mantiſſ. Conſultation. 645. 647.

Johannes Samſon, Ordinis Franciſci Monachus, poſtquam per annos quatuor & viginti celeberrimis in locis Germaniæ, ut Treviri, Monaſterii, Coloniæ, Viennæ, ac tandem Breslaviæ, fidem Romano-Catholicam fervidè propugnaſſet, cumq; D. Anania Webero, Auguſtanæ Confeſſionis Theologo, per triennium è cathedra controvertiſſet, victus tandem vi veritatis Evangelicæ, relicta Pontificiorum Communione, Lutheranorum cœtui ſe aggregavit, ſolenni facta Profeſſione, in urbe Sileſiorum Glogavia magna. vid. conc. revocator. an. 1650. Stutg. typ. Kaut. expr. plur. ubi prænominatus ex-Monachus, inter alia notatu digna memorat: Suo tempore Poſonii (Presburgi) *Lojolitam* fuiſſe, jactantem, vi meritorum ſuorum ſe tantam Divinæ Majeſtatis gratiam obtinuiſſe, ut ſibi miſſificanti pro demortuo, manifeſtum detur ſignum, an defuncti anima in cœlo ſit, nec ne? Si in cœlo, aureum globulum deſuper cadere in Altaris ornatum; Sin autem in orco detineatur, tùm candelabra moveri loco, & everti, candelas ardentes lumine ſuo privari & extingui. Hinc factum, ut plurimi primariæ dignitatis homines de animabus agnatorum ſoliciti, quo in ſtatu eſſent, per literis ſtylo Dorico ſcriptas pictasque, apud Patrem illum Lojolicum explorare conſueverint. Eamque impoſturam, Pater Samſon haud minimam ſui diſceſſus cauſam ſubminiſtraſſe, perhibet. Vid. l. c. pag. 60.

Ad vitam & communionem beatorum tranſiit *Johannes Bohemus*, D. Theologus Regiomontanus, Aulæ Concionator, ac Profeſſor Theologiæ primarius, Chronologus inſignis, acer adverſus Calvinianorum & Novatorum ſtrophas Chriſti pugil. Diſputationes de Evangelicis promiſſionibus edidit, Collegiumque Anti-Rathmannianum, ac de Servo Arbitrio. Alius fuit Martinus Bohemus, Eccleſiaſtes Laubanus in Luſatia, Spectaculo Paſſionis J. C. Theologica contemplatione Hominis, Calendario Eccleſiaſtico, & plurimis homiliis notus. Micræl. lib. 3. hiſt. Eccl. pag. 466.

LIB. V. CAP. LXXII.

Summaria.

Bambergæ Academia fundatur.
Capitulum Leodienſe, Hujum transfertur.
Proteſtatio Fabii Chiſii, Nuncii Papalis, adverſus Pacem Oſnabrugenſem.
Innocentii decimi Bulla feralis contra eandem.
Mors Wilhelmi Lajmormanni, Jeſuitæ.
An conducat, in conſultationibus politicis opera Clericorum uti?
Danielis Claſenii judicium.

BAmbergæ, Melchior Epiſcopus; hujus anni menſe Septembri, publico ſtudioſæ Juventutis Romano-Catholicæ bono, novam *Academiam* plurimis privilegiis decoratam conſtituit, referente Boxhorn. Chronol. continuat. pag. 177. Eſt autem Bamberga urbs Franconiæ, quæ & *Babenberga* olim (à Baba Othonis III. Imp. filia) nominabatur, colli impoſita, ab Imperatore Henrico II. qui magnificum hic templum, eluendis peccatis an. 1007. condidit, ad Sedis Epiſcopalis dignitatem, & primum quidem ab Eberhardo, Henrici Cancellario ibi obtentam, evecta. Suntque eximia Bambergenſis Epiſcopi privilegia & jura, de quibus alibi. vid. Hofm. Lex. A. 249. Imhof. Not. Procer. 177. pag.

Ferdinandus, Wilhelmi Bavariæ Ducis filius, Archiepiſcopus & Elector Colonienſis, *Capitulum Leodienſe t. t. Hujum tranſtulit.* Occaſio & cauſa facti, ſic ſe habet: Anno 1636. cœpere graves metus Leodienſes, initio ex Conſulum electione oborti. Ad hos proſperè ſedandos, eò miſſi ab Hiſpanis Marchio Ledanus, ab Imperatore Hadomarius Naſſoviæ Comes; nil autem effectum. Idcircò Elector,

ctor, qui etiam Leodienſem Epiſcopatum tenuit, rebus componendis ipſe ad urbem acceſſit; ſed à Conſulibus, & plebe, nonnullis Canonicis eorum tuentibus cauſam, repulſus eſt: Hinc igitur iſta Capituli translocatio. Spener. in Geneal. pag. 99.

Adverſus Pacem, in duabus Weſtphaliæ urbibus Oſnabruga & Monaſterio concludendam; & concluſam, FABIUS CHISIUS Romanæ Sedis Nuncius (poſt Papa, Alexandri VII. nomine inſignitus) geminam *proteſtationem*, uno menſe Octobri verbis valdè inſolentibus & amarulentis editam, Statuum Imperii Legatis obtulit, profeſſus inter alia: „ Seſe omnem etiam pulviſculum de pedi„bus excutere, qui commune quicquam habere poſſit vel cum mi„nimo S. Sedis præjudicio; Et promptum ſe exhibere, pro illa Sede, ad vitam & ſanguinem profundendum! Scilicet, ſicut Apoſtoli, mundo prædicaturi, pulverem pedum excutere adverſus eos, qui Chriſto obedire detrectarent, ac in teſtimonium de Salvatore, ſanguinem etiam fundere juſſi ſunt: Ita pro Hero ſuo, Papa Romano, idem factitandum Fabius cenſuit; quaſi tantundem eſſet Papæ Regnum & Regnum DEI, Chriſtum & Papam prædicare. Heidegg. Hiſt. Papat. pag. 400.

Concluſa Pace, mox Ipſius INNOCENTII X. fulmen planè horrendum, quale vix ab Orbe condito auditum fuerat, ſupervenit. *Bullæ* feralis & infauſtæ titulus ita habet: *Sanctiſſimi Domini N. D. Innocentii Divinâ providentiâ Papæ declaratio Nullitatis articulorum nuperæ Pacis Germaniæ; Religioni Catholicæ, Sedi Apoſtolicæ, Eccleſiis, aliisque locis piis, ac perſonis Juribusque Eccleſiaſticis quomodolibet Præjudicialium.* Ibi Principibus Romanæ Religionis crimini datum: „ Quod ea Pace, inter alia, Bona Eccleſiaſtica, aliaque ab hæreticis „ occupata, illis, eorumque Succeſſoribus in perpetuum addican„tur; hæreticis Auguſtanæ, ut vocent, Confeſſionis liberum ſuæ „ hæreſeos exercitium in plerisque locis, & locorum pro ædifican„dis ad hunc effectum templis aſſignatio, permittatur; ipſique cum „ Catholicis ad publica munia & officia, ac ad nonnullos Archie„piſcopatus, aliasque dignitates & beneficia Eccleſiaſtica, precum„que Primariarum, Ferdinando in Imperatorem electo à Sede A„poſtolica conceſſarum, participationem admittantur; Annatæ, „ jura Palli, confirmationes, Menſes Papales, & hujusmodi Jura ac „ Reſervationes, in Bonis Eccleſiaſticis dictæ Confeſſionis Augu„ſtanæ excludantur; Confirmationes electionum, ſeu poſtulatio-

num

„ num prætenſorum Archiepiſcoporum, aut Prælatorum ejusdem
„ Confeſſionis, poteſtati ſeculari attribuantur; plures Archiepiſco-
„ patus, Epiſcopatus, Monaſteria, Balliva, Commendæ, Canonica-
„ tus, & alia beneficia, bonaque Eccleſiaſtica, Principibus hæreticis,
„ eorumque hæredibus, etiam ſublata denominatione Eccleſiaſtica,
„ in feudum perpetuum ſub ſecularis Dignitatis titulo concedan-
„ tur; contra hujusmodi Pacem, ullumve ejus articulum, nulla jura
„ Canonica vel Civilia, communia, ſpecialia, Conciliorum decreta,
„ religioſorum Ordinum regulas, juramenta aut concordata cum
„ Romanis Pontificibus, ullave alia Statuta, ſive Eccleſiaſtica, ſive
„ Politica, decreta, diſpenſationes, abſolutiones, aut alias exceptio-
„ nes, audiri vel admitti debere, diſponatur; Septem Electorum Im-
„ perii numerus, olim Apoſtolica autoritate præfinitus, ſine Sedis
„ præfatæ beneplacito augeatur, & Electoratus octavus in favorem
„ Caroli Ludovici, Comitis Palatini, hæretici inſtituatur; aliaque
„ multa, quæ pudeat referre, orthodoxæ religioni, Sedique præfatæ
„ ac Romanæ, & inferioribus Eccleſiis, cæterisque præmiſſis ſum-
„ moperè præjudicialia & damnoſa decernantur: Quibus omnibus
„ initiò nominatus Innocentius, ex Apoſtolicæ poteſtatis plenitu-
„ dine contradicat, atque decreta illa, & ſimilia, etiam ipſo jure
„ nulla, invalida, irrita, injuſta, damnata, reprobata, inania, viribus
„ & effectu vana omninò fuiſſe, eſſe, ac in perpetuo fore; nemi-
„ nemque ad illorum, & cujuslibet eorum, etiamſi juramento val-
„ lata ſint, obſervantiam teneri: Neque ex illis cuiquam aliquod
„ jus, vel actionem, titulumve coloratum, vel cauſam præſcribendi,
„ quamvis longiſſimi forte ac immemorabilis temporis poſſeſſio,
„ etiam circa ullam interpellationem aut interruptionem, ſubſe-
„ quatur, acquiſitum fuiſſe, nec eſſe, minusve ullo tempore acquiri,
„ & competere poſſe: Neque illa ullum Statum facere, vel feciſſe:
„ Et perinde, ac ſi non emanaſſent, pro non extantibus, & non fa-
„ ctis haberi debere perpetuo, decernat, declaretque &c. ibid.
pag. 401.

Calviſio teſte, in continuatione pag. 1027. hoc anno vivere deſiit *Guilielmus Laimormannus*, quondam Imperatoris Ferdinandi ſecundi Confeſſionarius Gallo-Belgicus, Ordinis Lojolici, tantæ vir æſtimationis, ut cor Cæſaris, dum vivebat, in manu & ſub nutu ſuo habere, diceretur, ejusque conſilia & monitoria tàm in Rebus Politicis, quàm Eccleſiaſticis, omnia alia prævalerent. *Hunc Patronum*
qui

qui habuit, ſuas res in Aula Cæſaris tutò agere potuit, Burgoldenſis in rer. Imper. part. I. pag. 297. ſcribit; ſubjiciens, alicubi Caraffam ingenuè fateri: Etiam Romano-Catholicos, ardentibus Laimormanni conſiliis & ſuggeſtionibus, queis Miniſtros Cæſaris inſtruere ante ſententiæ dictionem ſolitus fuerit, offenſos, nomenclaturâ *turbatoris pacis* ipſum dehoneſtare, non dubitaſſe. Confer. Hogel. Gamal. pag. 193. ſeq.

Intuitu Laimormani, Clerico Politici, ab animo impetrare meo non poſſum, quin D. C. verba hîc adſcribam: „Solent cordati „Politici, ſtatum reipublicæ benè perpendentes conſulere; Melius „& reg & conſervari poſſe ſubditos, quorum Principes non toti „pendent è Clericorum conſiliis, quippe quibus non rarò timidi „efficiuntur, ſemper de habenda Conſcientiæ ratione admoniti, ne „audeant illud præſtare, quod ipſi quidém noverint utile, ſuæque „Reipublicæ ſalutare eſſe: reclamant namque Religioſuli conſilia„rii, eſſe id contra Religionem, contra emolumentum Eccleſiæ, „contra præſtitum jusjurandum. Atqui vanis hiſce deliramentis „effaſcinantur, ut ſæpè iis dent locum, non ſine ſui ſuorumque „incommodis. Ego licet nolim (pergit Cl.) à lateribus Principum „arceri Clericos, quod iſtorum ſacris admonitionibus ab iniquis „actionibus retrahi, & ad ſanctarum virtutum ſtudia frequenter „incitari queant: non poſſum tamen, quo minus iſtorum opinio„nibus meum accomodem aſſenſum, qui in conſultationibus po„liticis, ut & in civilibus legationibus, Clericorum operâ utendum „non eſſe ſtatuunt. Gualdus ſcribit: aliquando ab Imperatore „Monachum ad *Wallenſteinium* fuiſſe miſſum, ut de arduis cum „ipſo communicaret; at Fridlandiæ Ducem iſtum Legatum noluiſſe „admittere, ſed ipſi per Miniſtros indicaſſe: ſi veniſſet ad prædi„candum Evangelium, lubenti animo iſtius concionem ſe audi„turum eſſe; quia verò cuperet de rebus, quæ ſuæ non eſſent pro„feſſionis, loqui, poſſe eum eadem redire via ad ſuos, per quam „modò profectus eſſet. Ita *Daniel Claſſen*, de Religione politica cap. 9. pag. 166. ſeq.

LIB. V. CAP. LXXIII.

Summaria.

Inauguratio Scholæ Harvicenæ in Anglia.

Quoad punctum Religionis, à Batavis pax inita cum Hiſpanis, quomodo?

Lutheranorum conditio in Belgio Fœderato, ejusque ratio.
Calviniani; pace Religioſa hactenus excluſi.
Sed iidem ad beneficii hujus participationem per Tranſactionem Oſnabrugo-Monaſterienſem admiſſi, caute tamen.
Quomodo in eadem Conventione Calviniani à Lutheranis diſcreti?

HOc anno, *Inauguratio* facta *Scholæ Harvicenæ* in Anglia. Ei Academiæ nomen impertit Matthiæ Theatrum hiſtoricum continuatum; ſed longè infra celebritatem Academiarum, quæ Oxonii & Cantabrigiæ habentur, Harvici Schola extat. Aliàs Harvicum inter Angliæ oppida non ultimum obtinet locum; quippe munitum eſt, cum portu percapaci, in Eſſexia, in ora Oceani Germanici, ubi Stura fluvius in eum ſe exonerat, prope confinia Suffolciæ. vid. Hofm. Lex. Univerſ. A. pag. 736.

Qua ratione fœderatarum Belgii Provinciarum ſupremo Magiſtratui cum Hiſpanis, de aliorum à Calvini pietate cultuum exercitio, paciſcendum eſſe voluerint Ultrajectini atque Zelandi Conſcientiarii, ſupra dictum, cap. LXVIII. Et hoc quidem obtinuit rigidiorum Calvinianorum iſte Zelus, ut *in conditionibus pacis inter Hiſpanorum Regem & Batavos Ordines* die 30. Jan. initis Artic. 3. quo tractus Boſcoducenſis, Marchionatus Bergenſis, Breda, Trajectum ad Moſam, aliaque loca Batavis ceduntur, *ne Conſcientiæ quidem Libertas legatur*; ſed omnia abſolutè ceſſa ſint juri Superioritatis, territorii ac Independentiæ Batavicæ. D. Hülſem. in dialyſ. Apolog. probl. Calixt. præf. pag. 60.

Atque hæc Status ratio in cauſa eſt, quod poſtea, tametſi à primis illius Status incunabulis cum *Auguſtanæ Confeſſionis ſociis*, ac ſeorſim cum civitate *Wœrdana* contractum fuerit, ſub pari & per omnia æquali poteſtate & immunitate Exercitii utriusque Religionis, Lutheranæ & Calvinianæ (quod authenticis tabulis oſtendi poteſt) nihilominus iſta conventio irritata, & Confeſſionis Auguſtanæ exercitium ad meram eamque precariam, totaque die revo„candam *Tolerantiam*, per Univerſam Bataviam redactum eſt: *Lutheranorum templa* item & oratoria publica, nulla immunitate fruuntur (qua Judæorum tamen & Anabaptiſtarum conventicula gaudent) ſed in tabulis publicis, loco & conditione privatarum ædium, ſub Caji & Seji nominibus conſignata leguntur, realibus ac perſonalibus oneribus quotidiè gravantur, neque ære ad tripli exceſſum

ceſſum Magiſtratibus oblato, redemptio iſtius ſervitutis hactenus potuit impetrari: Ne videlicet in libertatem ſe unquam vindicent diſſidentes; neque ad præſcriptionis beneficium provocare aliquando poſſint oratoria Martiniſtarum; ſed pro arbitrio ſuperiorum, ejectionem & proſcriptionem in ſingulos dies metuere habeant. Verba ſunt Hülſemanni Lipſienſis Theologi, pag. 61. citat. dialyſ.

Superiori ſeculo, nimirum an. 1555. non multum abfuit, quin *Calviniſtæ* in Comitiis Auguſtanis publicè eſſent proſcripti. Quippe *pacificatio Religionis* ita inter Pontificios & Lutheranos t. t. conſtituta, ut Zvvingliani diſertis verbis excluderentur. Sic enim inter reliqua habet pacificationis formula: *Qui non ſunt alterutrius Religionis* (vel Pontificiæ, vel Auguſtanæ Confeſſionis) *hac in pace non comprehendantur.* Deinde *Fridericus tertius Elector Palatinus*, eò quod Calviniſtico dogmati nimium eſſet addictus, pace religionis excluſus eſt. Cùm enim Imperator *Maximilianus* 2. an. 1566. ex Electoribus & Principibus Evangelicis seriò quæreret, num Electorem Palatinum Calviniſmo addictum, ſub pacificatione Religionis vellent comprehendi; Et, an ſentirent Religionem, ab Electore Palatino introductam, eſſe Aug. Conf. conformem? reſpondére Principes: „ Electoris Palatini Religionem cum Aug. Conf. non conſentire, & hac de cauſa eundem, ſub titulo ac prætextu Auguſtanæ Confeſſionis, pace Religionis comprehendi non poſſe; interim tamen nolle ſe, vel Palatinum, vel alios in Religione diſſentientes, ob religionis diverſitatem in diſcrimen vitæ aut fortunarum conjici. Cumque defuncto Electore Saxonico Chriſtiano I. mandato *Friderici Wilhelmi* Ducis ac Adminiſtratoris, Calviniſmi reliquiæ è Saxonia & Miſnia anno 1592. expurgarentur, prodierunt an. 1594. ejusdem juſſu, *motivæ ſeu cauſæ, ob quas Lutherani cum Calvinianis in Religionis negotio contra Pontificios arma conjungere nec poſſint, nec debeant*; quæ à Conſiliariis tam Eccleſiaſticis quàm Politicis congeſtæ, & in Comitiis Auguſtanis, Imperii Statibus Orthodoxis oblatæ, ac probatæ ſunt: Cui quidem ſcripto deinceps Pareus in Irenico ſuo multa objecit, ſed fruſtra, ſicut ex Irenico verè Chriſtiano Hutteri pag. 123. & ſeqq. clarius pateſcit. confer Liebhart. in br. & ſuccincta Proteſt. & Calvin. hiſt. pag. 46.

Tandem verò Calviniani an. 1648. obtinuerunt, ut *in Transactione Oſnabrugo-Monaſterienſi in pacis quoque beneficium ſint admiſſi.* Cautè

„tantibus vel nominantibus Comunitatibus ſunt Religionis, vel hoc „deficiente eo loco quem ipſæ Comunitates elegerint) examinandos „& ordinandos, atque à Principe vel Domino poſtea ſine recuſatione „confirmandos. Sin autem aliqua Communitas, eveniente mutatio„nis caſu Domini ſui Religionem amplexa, petierit ſuo ſumptu „exercitium, cui Princeps vel Dominus addictus eſt, liberum eſto, „ſine reliquorum præjudicio, ei illud indulgere, à ſucceſſoribus non „auferendum. At Conſiſtoriales, ſacrorum Viſitatores, Profeſſo„res Scholarum & Academiarum, Theologiæ & Philoſophiæ, non „niſi eidem Religioni addicti ſint, quæ hoc tempore quolibet in „loco recepta eſt. Sicut autem ſupra dicta omnia de mutationibus „futuris intelligenda ſunt; Ita juribus Principum Anhaltinorum, „& Similium, nullum afferant præjudicium. Sed præter Religio„nes ſupra nominatas, nulla alia in S. Imperio Romano recipiatur „vel toleretur. Hactenus Inſtrumentum pacis. An autem tenor hujus articuli a Calvinianis exactè hucusque ubivis ſit obſervatus? id aliis judicandum relinquimus.

Interim probè notanda ſunt Lipſienſis Theologi verba: „In„ſtrumentum pacis publicæ, Monaſterii & Oſnabrugi confectum, „Eos (puta Calvinianos) ac eorum in fide Conſanguineos, non „minus à Societate Confeſſionis Auguſtanæ ſequeſtrat, quàm par„tem Romanenſem; etſi in alio quodam tertio, utrisque illos æqui„parat, NON TANQUAM AUGUSTANÆ CONFESSIONIS, „SED TANQUAM BENEFICIORUM PACIS PUBLICÆ PAR„TICIPES. *D. Hülſem.* in dial. Apolog. probl. Calixt. pag. 143. Quod *Johannes Hornbekius*, Batavus Ultrajectinus, diffiteri non audet, ſcribens: „Haud veriti fuere noſtri variis in Imperii Comitiis, „ſub Auguſtana Confeſſione, ejusque ſociis comprehendi, quando „de Religionis negotio cum proteſtantibus actum; quamvis ME„LIUS in articulis nuperæ pacis an. 1648. SEORSIM ab aliis, & „proprio nomine veniamus, TRESQUE RELIGIONES exſertè „nominentur. in Sum. Controv. pag. 634.

LIB. V. CAP. LXXIV.

Summaria.

Johannes Latermannus, promovendo trium Religionum Syncretiſmo omnem induſtriam adhibet.

Utri Religione ſyncretiſtica Libri ſymbolici penitus exautorentur?

Bartholomæi Prævoſtii, Arminiani, ſtudia conciliatoria.
Studioſi Dantiſcani, Variſque Suecici jactatæ Viſiones, & vana prognoſtica.
Johann Keylii impoſtura, quomodo detecta, & vindicata?

TUnc temporis *D. Johannes Latermannus*, in publicis prælectionibus Regiomontanis, communes cum M. Antonio propugnavit hypotheſes, atque non tantùm Religionem Lutheranam, ſed & Calvinianam ac Pontificiam (quas ab hæreſi, erroribusque fundamentalibus liberas pronunciabat) eſſe modos colendi DEUM, juxta Revelationes Divinas præſcriptos, aſſeruit; ſubinde ſtatuens, ſuadensque, prænominatis Religionibus addictos, omninò Communionem Eccleſiaſticam colere invicèm debere ceu fratres; quippe qui communem habeant Chriſtianam fidem in Symbolo Apoſtolico comprehenſam, idque ſenſu Apoſtolico accipiant & explicent, „&c. At enim nova hæc *Religio Syncretiſtica* non modo illis, quæ „ſæpius è *libris* noſtris *Symbolicis* hactenus adducta ſunt, è diame„tro contraria eſt, ſcribit magni nominis Theologus, ſed ipſos li„bros Symbolicos, Auguſtanam Confeſſionem, Apologiam, „Smalkaldicos articulos, Formulam Concordiæ, ac ſimiliter Cor„pus Julium & Prutenicum funditùs evertit, ac de faſtigio ſuæ au„toritatis deturbat. Cùm enim libri iſti ſymbolici ad id compoſiti „ſint, ut Religio γνησίως Lutherana, à Calviniana & Papiſtica di„ſcriminetur, illa ſincerè propagetur, hujus utriusque errores, „ceu fundamenta fidei ac ſalutis evertentes vitentur, proſcriban„tur ac damnentur; Nova iſta Religione, in nullo horum Symbo„licorum ſcriptorum tradita, Calvinianos ac Pontificios ab hæreſi, „& erroribus fundamentalibus abſolvente, eoque nomine fraterni„tatem ipſorum affectante, nec minus è Calvinianis ac Pontificiis „Confeſſionibus quàm noſtris exſtruenda, libros ſymbolicos peni„tus exautorari ac proſcribi, qui non videt, eum profectò nihil vi„dere, imò Tireſia cæciorem eſſe, oportet. Verba ſunt B. Calovii in Syſtem. Theol. A. pag 1030. 1034. pl.

Cæterùm pro conſtituenda Eccleſiâ Chriſtiani nominis Quodlibetica, tunc inter alios maſculè laboravit *Bartholomæus Prævoſtius*, Remonſtrantium Amſtelodamenſium Antiſtes. Inde in Concione ſuper Pſal. 122. an. 1648. habita, publicè hunc in modum diſſeruit: „Optandum foret, ut qui publica Templa & munera occu„pant, in ſua confeſſione doctrinæ, ceremoniis, aliisque, ſe intra

„pri-

„ primorum Chriſtianorum ac Apoſtolorum ſimplicitatem & generalitatem continerent, qui una concione aliquot millia hominum ad Chriſti fidem adduxerunt, aut in duodecim illis Catholicæ fidei articulis Apoſtolico ſymbolo comprehenſis acquieſcerent, ac in aliorum Conſcientias dominium non uſurparent, adeò, ut omnes abſque animæ offenſione publicos illos cœtus frequentare, & ibi inter ſe Eucharíſtiam celebrare poſſent. Addit Prævoſtius, poſtquam de adhibenda moderatione Miniſtros admonuit; hac ratione pax in una eademque Eccleſia per Paſtores, utut ſententiis inter ſe mutuo diſcrepantes, ex uno eademque ſuggeſtu, ad eundem populum, negotium Religionis & ſcripturæ tractantem, ſalva ſingulis prophetandi libertate, citra metum Schiſmatis conſervari imò etiam amiſſa reſtitui poſſe videtur; Atque teſtatur: ſeſe illud ad communem omnium Chriſtianorum unionem & reconciliationem obſervate ſtudere. Ubi tamen Pontificios non includit, ſed ſaltem de eorum reconciliatione loquitur, ut verba ipſius expreſsè habent, qui à papatu ſeceſſerunt, ſolamque ſcripturam pro regula fidei agnoſcunt. Calov. in Conſiderat. Arminian. pag. 302.

Dantiſci pauperculus quidam *Studioſus*, neſcio cujus nominis, coram loci Magiſtratu, & Eccleſiæ Miniſterio, ſingulares jactavit *Raptus & viſiones*, magnasque auſus eſt prædicere Statûs mutationes, quas jejunio ſupernaturali, *ſcilicet!* confirmare præſumpſit, per plateas totius Urbis, *væ! væ Dantiſco!* jam jam proclamaturus, niſi hominis fanatici temeritatem, Superiorum Autoritas in tempore ſtitiſſet. Ex hæred. Latom. relat. Francof. XXVII. pag. 92.

Ejusmodi *vates* Entheus, qualem ſe venditarat, eadem propemodum tempeſtate, *Svecico Regno* triſtia dedit prognoſtica, de magnis calamitatibus propediem adventuris, eoque progreſſus eſt audaciæ, ut affixas Reginæ literas loco moveret, protervè diſcerptas, facto Divinam revelationem prætendens; Carceri autem incluſus, ſtoliditatem ſuam faſſus, ab incepto deſtitit; pòſt navi deportatus Stokholm à Lubecam, hominum quorumvis deriſui & Ludibrio ſeſe expoſuit. vid. citat. Relat. Francof. pag. 93.

Maximè verò notandus heic eſt *Johannes Keyl*, Vinitor Gerſinga-Wirtembergicus, de quo J. V. A. ad Principem Guelferbytanum die 9. Martii anno 1648. ſequentia perſcripſit: „Occupat nos totos homo quidam J. K. G. apparitionem Angelicam audacter jactans, „ etſi

„etſi cum ſacris literis parum convenientem; plurimorum tamen „ſententias in partes diſtrahentem. Nos in veritate facti indagan„da adhuc verſamur, quæ vacillare videtur. Illud plauſibile eſt, „quod pœnitentiam ſeriam, morumque emendationem urget, „quam ipſa malorum moles, ſævaque cervicibus imminens tem„peſtas, imperare poſſet, niſi occalluiſſemus. Accedunt varia pro„digia, quæ unquam impune viſa ſunt, & noſtri excidii ante am„bulones fuiſſe, triſtes meminimus. At nobis interea hoc animo „ſedet, probandos ſpiritus, an ex DEO ſint, atque ad Lydium „verbi lapidem; cùm ſatan in lucis Angelum transformatus fallat, „& vel vera dicendo mentiatur, bonaque jubendo, nequitur agat! „præſtatque ad Gamalielis conſilium, moram aliquam judicio no„ſtro interponere. vid. Selen. Auguſtal. Andr. pag. 422.

Ejusdem Theologi verba, April. 12. exarata, hæc fuerunt ipſiſſima. „Interim fabula Keyliana, propemodum tota denudata, „in ludibrium abiit. Nam cùm homo ſubinde exploratus, parum „ſibi conſtaret, conjectus in carcerem, ac minis territus, vacillare „cœpit, tandemque piam, quam ſit commentus, fraudem, quaſi „fateri, atque deprecari, nondum tamen omnem impoſturæ ordi„nem explicare, qui per quæſtionem jam extorquendus videtur, „cùm aliam poſt aliam præſtigiarum telam, vir minimè ſimplex, „texerit. Dici non poteſt, quot, quibusque viris, nedum mu„lieribus fucum fecerit, quorum in utramque partem digladiatio„nes in riſum publicum, & ruborem intimum haud dubio abibunt. „Id unum verò mihi dolet, Satanæ hinc paratum eſſe luſum, ubi „& pœnitentiæ tam neceſſariæ illudat, ac diſſolutionem morum, „rediture Paci unicè obſtantem provehat, quo nobis nihil eſt no„centius. Verbo quidem Divino nil eſt ad curandam ſalutem no„ſtram certius, apparitionibus verò nihil lubricius. Nemo ta„men ſaniorum Theologorum Angelicum Miniſterium, ſi DEO „ita videatur, in commodum noſtrum, hodienum penitùs excluſit. Selen. Auguſt. 425. pag

Brevius rem iſtam omnem complexus eſt Melchior Sylveſter Eckardus, hoc modo: „Publicè notum eſt, non tantùm in Ger„mania ſed in aliis quoque Regnis, in quæ devenit fama, quàm „periculosè nuper in hoc Ducatu ſimplex homo, vinitor, nec arare „nec natare doctus, mentitus fuerit: Angelum monitorem à ſe „non ſemel viſum, qui pœnitentiæ præconem & futurorum Vatem,

„vi-

„ vitibus ſanguifluis, ad confirmandum dicta, in vinea oſtenſis, e-
„ gerit: qui (Vinitor) tandem ob veteratorias artes ac fraudes, queis
„ perquam improbè multis impoſuit, publicâ fuſtigatione & relega-
„ tione prophetiam ſuam clauſit. Quid non efficiet verſutus Blatero,
„ dolis inſtructus & arte Pelasga, ſi pro ſtipite habitus Mundum
„ ludificare poteſt? Ekard. in Chriſtian. religioſ. pag. 77. confer
Schwel. Chronic. 491.

LIB. V. CAP. LXXV

Summaria.

Zacharias Hogelius Gamalielem ſuum, ſive librum de Romæ AntiChriſtianæ excidio corporali;

Romanus Hay, Hortum Cruſianum, de Bon. Eccleſ. Proteſtantibus ereptorum, partitione conſcriptum.

Et Jacobus Goar, G. C. Curopolatæ de Magnæ Eccleſiæ & Aulæ Conſtantinopolitanæ Officiis Tractatum, edunt.

De Eccleſiæ illius officiis plura quædam notatu digna.

HOc anno publicatus eſt, menſe Novembri, libellus *Zachariæ Hogelii*, Erfurtenſis Eccleſiaſtæ, titulo: Der weiſe *Gamaliel*; quo ſibi probandum ſumpſit: Romam eſſe Meretricem Babylonicam, à Johanne Theologo in Apocalypſi deſcriptam & pictam; eamque brevi, per Status Germaniæ Proteſtantes, inprimis per Suecicum exercitum, corporaliter perdendam ac deſolandam; Tunc demum exoptatam pacem ſecuturam; contrà Pacificationem Oſnabrugo-Monaſterienſem haud fore firmam ac diuturnam, &c. *Johannem Warnerum*, hactenus de eadem urbis Septicollis appropinquante panoletria blaterantem, in cœlum usque extollens, tanquam à Deo extraordinariè miſſum Prophetam, imò ipſiſſimum Angelum, quem D. Johannes viderit in Sole ſtantem, audiveritque clara voce clamantem: Venite, & congregamini ad Cœnam DEI magnam, ut manducetis carnes Regum, & carnes Tribunorum, & carnes fortium &c. de quibus B. L. judicium committimus, ſaltem relinquimus, totum. vid. tractat. pag. 1. ſeq. & 33. 39. pl. 80. ſeqq.

In conſpectum Orbis eruditi quoque venit *Hortus Cruſianus, Johannis Cruſii è Societate Jeſu, Bremenſis, Eclipſi ſive deliquio Aſtri inextincti, ſpeculi loco oppoſitus autore R. P. F. Romano Hay, Ordinis Benedicti, Imperialis Monaſterii Ochſenhuſani in Suevia Presbytero Theo*

Hhh hhhh logo,

logo, Francofurti anno 1648. Publica quidem autoritate; uti fertur, iſte liber, Coloniæ etiam impreſſus, prohiberi debuit, ne *hæreticis* tot Papiſtica Sacra, *ſcil.* innoteſcerent, verùm tenebris involvi non potuit. Quinquennio pòſt, huic ſcripto demum oppoſita fuit, *Aulæ Eccleſiaſticæ & Horti Cruſiani* (ſic dicta) *ſubverſio, ſive: R. P. F. Romani Hay, aliorumque commentorum diſcuſſio, autore R. P. Joh. Cruſio.* Acerrimæ concertationi occaſionem præbuit: *Aſtrum inextinctum Romani Hay, ſive Jus agendi antiquorum Religioſorum Ordinum, pro recipiendis ſuis Monaſteriis (quæ nonnulli extincta fuiſſe dicebant) & Bonis Eccleſiaſticis per Cæſ. Majeſt. Edictum generale, vel jus belli reſtituendis: è S. Canonibus, eorumque interpretibus, luculenter demonſtratum.* Clarius dicam: Occaſio & cauſa fuit litis, de partiendis Bonis Eccleſiaſticis, per Edictum Ferdinandi II. an. 1629. perque Ligiſtarum arma Proteſtantibus ereptis; Religioſis Regularibus, ea Veteri Ordinum Jure; Lojolitis autem, Papæ Romani conceſſione (magnam partem) ſibi poſcentibus. Hotting. hiſt. Eccleſ. part. V. pag. 500. conferantur, quæ diximus libr. IV. cap. II.

Tunc etiam *Jacobus Goar*, Ordinis Dominicani Monachus, & Miſſionarius in Orientem (in quo totum quoque octennium contrivit) *Georgii Codini Curopalatæ, de Magnæ Eccleſiæ & Aulæ Conſtantinopolitanæ officiis tractatum*, nonnullis acceſſionibus locupletatum, cum ſuis & Jacobi Gretſeri annotationibus, ejusdemque Gretſeri opere de Imaginibus Chriſti, manu non factis, in publicum emiſit. Ita perhibent Acta Eruditorum Lipſienſium de menſe Octob. 1685. 237. Ideò cùm ſupra, lib. V. cap. XXXVI. de *magna Eccleſia Conſtantinopolitana* quædam dixerimus, occaſione hac, de *iſtius Eccleſiæ Officialibus & Officiis* nonnulla in medium proferemus: „Quando *ſupremus Antiſtes* Patriarchalia exercet, ipſi aſſident, adſtantve, „dextra ex parte: Magnus Oeconomus, Magnus Sacellanus, Ma„gnus Sceuophylax, Chartophylax, Sacellarius, Protonotarius, Ca„ſtrenſis, Referendarius, Logotheta, Commentariorum Scriptor, „Protecdicus, Hieromnemon, Qui à genibus, Hypomnematogra„phus, Magiſter. E ſiniſtra: Protopapas, Deutereuon, Præfectus „Eccleſiis, Exarchus, Ecdici duo, Domeſtici duo, Laoſynactæ duo, „duo Primicerii, Protopſalta, Deputatus. *Magnus Oeconomus*, men„ſæ adſtat, cum Patriarcha Sacrum facit; cætera, redituum & ex„penſarum Epiſcopalium rationem habet, ac reliquæ ſupellectilis „& poſſeſſionum curam gerit, notatque res omnes, quæ ad Epi-

ſco-

„ ſcopatum veniunt, bisque in Anno Antiſtiti rerum adminiſtrata-
„ rum rationem reddit. Judiciis quoque inſervit; Et à morte Epi-
„ ſcopi, quoad alius ſuffectus fuerit, Epiſcopatus res omnes admi-
„ niſtrat, primusque ſuffragium eligendo Epiſcopo dat, quæque
„ aliis ex Epiſcopatu ſuggerenda ſunt, diſtribuit. *Magnus Sacella-
„ nus*, etiam prope menſam ſtat, judiciis operam navat, ac promo-
„ vendum ad Sacerdotium defert. *Magnus Scenophylax*, cùm Sa-
„ crum Antiſtes facit, locum ante Scenophylacium occupat, &, ſi
„ quid ex eo opus fuerit, ſive vas, ſive liber, ſive candelæ, ſive ve-
„ ſtis, ſive aliud, exhibet, cujus ipſe curam gerit, ut & ejus, in quo
„ ſupellex Eccleſiæ conſervatur: Sub ejusdem etiam cura ſunt Ec-
„ cleſiæ, Præſulibus orbatæ, ac res earum ſacræ omnes; Judiciis in-
„ cumbit, utque ſua quivis in Eccleſia habeat, procurat. *Charto-
„ phylax*, in ſacra Communione dicit: Sacerdotes, accedite; & ſuf-
„ fragia pro Epiſcopo ad Antiſtites defert, ac perſonam induens
„ Antiſtitis, in omnibus cauſis ſententiam dicit; recognoſcit Ma-
„ trimoniales omnes controverſias. *Protonotarius* in Eccleſia, An-
„ tiſtiti miniſtrat, tenens atramentarium, ante ipſum, &, ſi quid
„ ſcripto fuerit opus, ſcribit; Scribit præterea Ordinationes, Manu-
„ miſſiones, Edicta, & ſimilia. *Referendarius*, mittitur ad Principes
„ & in dignitate conſtitutos viros, quibus omnia ſignificat, quæ-
„ cunque juſſerit Antiſtes. *Logotheta*, habet in facultate ſigillum
„ Antiſtitis, quo Epiſtolas ſignat. *Hypomnematographus*, ſuffragia
„ Epiſcoporum notat, ſcribitque quicquid illi præceperit Antiſtes.
„ *Protecdicus* ex perſona Antiſtitis, cauſas, ſed parvi momenti, quæ
„ ad Epiſcopum pertinent, cum duobus Ecdicis audit, ac decernit.
„ *Hipomimneſcon*, ſupplicationes & monita accipit, quæ in Eccleſia
„ deferuntur, atque Antiſtiti ſuggerit. *Protopapas*, cum Antiſtes
„ Miſſam celebrat, ſuper omnes Eccleſiæ Principes locum habet,
„ atque in ſacra Miſſa Antiſtiti ſacram communionem impertitur.
„ *Deuterevon*, cum abeſt Protopapas, ipſe locum illius occupat.
„ *Præfectus Eccleſiis*, notat Antimenſia & Stavropegia. *Exarchus*
„ quærit, ſi cauſa in Eccleſia judicata eſt, an rectè judicata? *Ecdici
„ duo*, cum Protecdico cauſas non ita graves diſcernunt. *Laoſyna-
„ ctæ*, Diaconos congregant, & intonant, nequis ex ipſis abſit: Con-
„ vocant & Principes & populum in Eccleſiam. *Primi erii* locum
„ habent ſuper Diaconos, & cum Protopſalte conjuncta *Protopſal-
„ ta*, in medio Eccleſiæ ſtat, & cantum exorditur; eum ſequuntur

„Domeſtici & Primicerii. *Deputatus*, Principes ad Antiſtitem ac„ceſſit, ſemovetque populum in platea, ne viam impediat, &c. Hæc officia ſunt atque dignitates Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ; à qua etiam in alias Metropoles & Epiſcopatus, ſi non omnia, ſaltem majore ſui parte, ac ut loci amplitudo patitur, influxerunt. Refert, ex Allatio potiſſimum, Henr. Hilar. in Chron. Cypr. append. a ult.

LIB. V. CAP. LXXVI.

Summaria.

Expeditiones Wrangelii in Bavaria, & Königsmarkii in Bohemia.

Lamboji fortuna in Weſtphalia & Haſſia.

Res Hiſpano-Gallicæ, Polonicæ, & Moſcoviticæ.

Motus civiles in Gallia.

Provinciarum aliquot Anglicarum, & Scotorum, conatus pro liberando Rege Carolo infeliciter ſuſcepti.

Conſpirationes contra Philippum IV. Hiſpaniæ Regem.

Litigia de Marpurgo aliisque inter utramque Domum Haſſiacam tandem compoſita.

Pax inter Hiſpanos & Belgas Fœderatos ſancita.

Pax item Germaniæ reddita.

Nuptiæ Ferdinandi III. Imperat. & Philippi IV. Hiſpan. Regis, nec non Georgii, Wirtembergico-Mompelgartenſis.

Deceſſus Chriſtiani IV. Daniæ Regis; & Uladislai IV. Poloniæ.

Item, Friderici, Ducis Brunſvicenſis; atque Ulrici, Friſiæ Comitis.

Ibrahimi, Turcarum Sultani, ſtrangulatio.

QUamvis hic annus, compoſita tandem Belgica & Germanica Pace ſit memorabilis, priores tamen ipſius menſes crudeli adhuc bello & infeſtis armis perſonuere. Etenim *Wrangelius* ex agro Brunovicenſi ac Mindenſi, nondum finita hyeme, iterum *Bavariam* petiit, fruſtraque renitentibus Gronsfeldio & Melandro, eodem loco quo Rex olim Guſtavus Adolphus, Lycum fluvium transmiſit; Inde ſtatim expugnata *Friſingâ*, & ſuperatâ Iſarâ, nullo prohibente, totius propemodum Bavariæ potitus eſt, ubi paſſim triſtia militiæ ſuæ veſtigia reliquit. Turſell. contin. app. c. 93.

Sub idem tempus *Coningsmarkius*, cæſo apud Auguſtam Melandro, aliis Holtisapfelio, dum per Superiorem Palatinatum variis ſubinde irruptionibus *Bohemiam* infeſtarat, *Arcem Regiam Pra-*

gen-

genſem, cum parva, ut vocant, urbe, per inſidias intercepit, opulenta præter ſpem prædâ, & magno illuſtrium captivorum numero potitus. Mox Wittenbergii copiis è Sileſia auctus, ad ſubigendam quoque *Majorem Pragæ partem* animum adjecit, fruſtra tamen, licet ſummis eam viribus oppugnaret, ipſo Carolo Guſtavo, Palatino, qui Generaliſſimi nomine in Germaniam venerat, Duce. Obſeſſos enim & propria virtus, & pacis concluſæ nuncius, diſcrimini exemit; Ut adeò *Praga, quæ initium dederat bello tricennali, finem etiam eidem imponeret.* Burgold. part. 1. pag. 136. not. rer. Imp.

Dum hæc in Bavaria Bohemiaque gerebantur, Cæſareanorum in Weſtphalia ductor *Lambojus*, apud Gieſecam, Erneſtum Haſſiæ Landgravium, Geiſio, ſuppetias laturum fudit equidem, & captivum duxit; at movens deinde in Haſſos, apud Grevenbrugam, vertente fortunâ, fuſus eſt, peditatu ferè omni, ac tormentis undecim amiſſis; refecto tamen celeriter exercitu, paulo ſupra Noveſium caſtra caſtris iterum oppoſuit. Tſchimmern, in cont, Sleid. de 4. Monarch. lib. 3. pag. 464.

Interea recruduit *bellum Hiſpano-Gallicum*, in Belgio, Picardia, & Catalaunia, vario Marte geſtum. *Polonia* per Coſſacos, Tartarosque ingenti motu concuſſa, cujus mala incrementum ſumſerunt ex propriis Polonorum diſſidiis, qui de novo Rege creando diſceptantes, communem repellere hoſtem vel noluerunt, vel non potuerunt. Horrendus in urbe *Moſcua* tumultus oriebatur, cui ſedando nullum inveniri potuit remedium, quàm vita & ſanguis illorum, qui populum nimiis tributis oneraſſe credebantur. vid. Calviſ. Chron. 1026. Horn. Orb. Imp. 399. Olear. Itiner. Moſcovita-Perſ. lib. 3, 252. pl.

Eadem tempeſtate *Gallia civilium diſcordiarum turbis* fluctuare cœpit, ob malè adminiſtratam Rempublicam, & impoſtorum, ut vocabantur, gravitatem; propterea cùm Rex, Regina Mater, Julius Mazarinus, & quotquot regiarum partium erant, Pariſiis ad S. Germanum profugiſſent, res ad arma pervenere, quæ tamen brevi à malè contentis, promiſſorum largitate delinitis, depoſita, donec majores motus Princeps Condæus, & complices cierent. Turſell. ap. 2, hiſt. 96.

Maximè omnium in *Britannia* turbatum eſt inteſtinis diſſidiis ad ſummum deductis. Cùm enim *Wallia, Cantium, Eſſexia, & Septentrionales provinciæ* ſimul *pro liberando Rege* conſpirarent, illisque

opprimendis, Parlamenti Anglicani exercitus occuparetur, interea *Scoti* (indigna Regis tractatione commoti) cum triginta millium exercitu, Duce Hamiltonio, in Angliam irrumpebant. Sed continuò victi, fruſtraneam navarunt operam, novem ſuorum millibus occiſis, totidem captis, & reliquis ad fugam compulſis. Igitur ab eo tempore cum *Carolo Stuarto*, non amplius ut cum Rege, verùm ut cum *captivo* actum fuit. Horn. Orb. Imper. 354.

Adverſus *Hiſpaniæ Regem Philippum IV.* gravis acta ſubinde *Conſpiratio*, eò periculoſior, quod magnis autoribus nitebatur. Capti ex primoribus quidam, Carolus de Padiglia, Petrus de Sylva, & alii, dignisque tanto ſcelere ſupplicus affecti ſunt. Calviſ. Chron. cont. 1026. Turſ. app. 2. 96.

Cæterum inter *Haſſiæ Landgravios utriusque Lineæ*, arbitro Erneſto Pio, Duce Saxo-Gothano, diuturna *litigia de Marpurgo & aliis*, plenaria tranſactione, quam Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ confirmatiorem effecit, *compoſita ſunt*; ita, ut inferior Comitatus Catimelibocenſis, qui per pactum anni 1627. à Caſſellenſibus ad Darmſtadienſes delatus erat, Caſſellenſibus reſtitueretur, hique ex Haſſiæ Principatu ſuperiore quadrantem, cum Marpurgo, acciperent; reliquum dodrantem Darmſtadienſes obtinerent, atque in compenſationem Marpurgi, ſexaginta florenorum millia ſumerent, quæ omnia etiam ad effectum perducta ſunt. Imhof. Not. Procer. pag. 539.

Sub initium hujus anni, *poſt bellum octoginta annorum inter Hiſpanos & Belgas Confœderatos pax æterna fuit inita*; qua Hiſpanus omni prætenſioni renunciavit in perpetuum, iſtamque Rempublicam pro libera, & à ſolo DEO dependente, agnovit. Fœderatarum autem Provinciarum Ordo & nomina ſunt: *Geldria, Hollandia, Zeelandia, Ultrajectum, Friſia, Tranſiſulania, Gröninga & Omlandia.* Hinc ſeptem ſagittæ, uno vinculo colligatæ, Inſignia hujus Reipublicæ exhibent. Horn. in Orb. pol. 149. 164.

Tandem & ſub finem anni, *Pax Imperii Romano-Germanici* coaluit, ut jam ſupra dictum eſt. Mox ab armis ceſſatum, perque Bohemiam, Auſtriam, & vicinas provincias, miles Cæſareus; Suedicus autem in reliquos Circulos per hoſpitia diſpoſitus, ac ſuſtentatus provincialium tributis, donec ea, quæ ſuper Pace conventa, communi omnium conſilio effecta fuerint. Turſell. cit. loc. pag. ult.

Per idem tempus *Imperator Ferdinandus III.* ducta *Maria Leopol-*

poldina, Duce Oenipontana, ad ſecundas tranſivit nuptias. Filia ipſius, Maria Anna, *Regi Hiſpaniæ* deſponſata, illuc per Italiam contendit. *Georgius Würtembergiæ Dux, Comes Montiſpelicardi*, Harburgi habitans, duxit uxorem Annam Coligniam, Caſparis Ducis de Chaſtillon, Galliæ Mareſchalli, ex Anna Polignacia, gnatam, quæ haud exiguas in Gallia poſſeſſiones ei attulit. Ibid. Turſell. pag. 96. Spener. Syllog. 193. Imhof. 521.

Sed vivere deſierunt *Chriſtianus IV. Daniæ Rex, & Norwegiæ*, in cujus locum ſucceſſit filius Fridericus, qui Regnum hæreditarium fecit: Item *Uladislaus IV. Polonorum Rex*, quem excepit frater ejus Johannes Caſimirus, qui Regnum turbatiſſimum & acceſſit, & reliquit. Stratem. Theatr. hiſt. 1143.

Ultimum quoque diem obierunt, *Fridericus, Dux Brunovicenſis*, Dannebergico-Cellenſis lineæ, Coadjutor Epiſcopatus Razenburgenſis, & Capituli Bremenſis Præpoſitus; aliquot liberos ex uxore non legitima, Eliſabetha Stendichia procreavit: Item, *Ulricus Friſiæ Comes*, qui perviginti annos, turbidiſſimis temporibus, tranſmiſſas ad ſe ditiones fortiter prudenterque rexit. Notit. Procer. pag. 477. 834.

Ibrahim, Turcarum Sultanus; qui bellum Venetis propter Candiam movit, eò quod malè rem gereret, & Imperio uxorum obnoxius eſſet, à ſuis ſtrangulatus fuit, Succeſſorem habens Mahometem IV. puerum decennem, filium. Horn. Orb. polit. pag. 439.

LIB. V. CAP. LXXVII.

Summaria.

Memorandum de fœmina Eſslingenſi; item, de Deizeſavienſi:

Prognoſticum de hoc anno: Prodigioſa quædam.

Stralesundi, Bacchanalia celebrari permittentis, calamitas ex horrenda tempeſtate.

Fatum ſupremum Eduardi Herberti, Baronis de Cherburi.

„HOc anno, circiter, *Eſslingæ vinitoris cujusdam conjux* ſpontè fa„tebatur, ſe, dum è ſylva domum regrederetur, à viro, qui ve„natorem repræſentârit, compreſſam fuiſſe, cujus alterum pedem „poſt actum obſervarit non juſtum eſſe, tanto dehinc adverſus „maritum odio inflammata, ut parum abfuerit, quin cum cultro

trans-

„ transfodiſſet: Orationem præterea Dominicam orare amplius aut „ noluit, aut non potuit, præeuntibus etiam Eccleſiæ Miniſtris; „ tandem ſub ſpondam in cubiculo tàm arctè ſe abſcondiderat, ut „ vix amplius prorepſerit; torvum videbant oculi, funeſta erant o„ mnia. Quid ad hæc Magiſtratus? neque carceri miſeram incluſit, „ nec Torturæ ſubjecit eam, nec ad ſupplicium rapuit; Sed conſilio „ à Juridica Facultate Tubingenſi quæ pro Melancholica eam ha„ bebat, accepto, Miniſterio Eccleſiaſtico informandam reliquit, „ donec ad priſtinum mentis ſtatum rediit, iis ſignis pœnitentiæ „ datis, quibus diffidere charitas prohibuit. D. Wagn. tract. Inquiſ. in Orac. Sibyll. 71.

Idem aliud exemplum ſubjicit, non omninò diſſimile: „ *Delſiſoviæ*, inquiens, circa ea ipſa tempora erat *fœmina*, quæ mihi „ (Wagnero Eccleſiaſtæ) faſſa, imò conqueſta fuit, quod ſibi tàm „ importunus eſſet diabolus, ut nuſpiam ab eo miſſa fieri potuerit; „ Comitari ſe, ajebat, nebulonem ſi in templum ingrediatur; Co„ mitari, ſi templo egrediatur, etiam ſi in rus eat, atque tàm clarè „ ſecum loqui, ut miraretur, quod alii, qui juxta ſe eſſent, id non „ audirent: quæſitæ, num fidem ei ſpoponderit? & neganti, Con„ ſilium dedi, ut inprimis familiarem ſibi redderet cantionem: Gott „ der Vatter wohn uns bey/ und laß uns nicht verderben! Item petitio„ nem ſextam Orationis Dominicæ, Et ne nos inducas in tenta„ tionem. Quæſivi ex ea ulterius, utrum juſto tempore fluerent, „ quæ mulieribus menſtrua ſunt? nam ex oculorum torvitate aliiſ„ que ſignis auguratus ſum hujus rhevmatis obſtructionem, & ex „ obſtructione hæc pathemata ipſa, erat quippe fœmina inter tri„ ginta & quadraginta annos media, plethoricæ inſuper conſtitu„ tionis; cumque reſponderet, dudum emanſiſſe omnia, ablegavi „ eam ad Medicum, monuique ut ejus conſilio obſequeretur, ad„ dito ſolatio, omnia in melius verſura; quod eventus, ſolatio re„ ſpondens, docuit; dum ſectis ex conſilio Medici venis & aperta „ per medicamenta naturæ via, & corporis & mentis valetudini fe„ liciter fuit reſtituta. Hucusque D. Wagn. ibid.

D. Johann-Balthaſar Schuppius, in Lucidore refert: ante quinquennium ipſi celebrem Germaniæ Principem *prognoſticon* quoddam exhibuiſſe, à viro Würtembergico ante ducentos annos conditum, hujus tenoris: *Anno 1648. fiet pax univerſalis in Germania, & Aquila ſe conjunget cum turribus Hiſpaniæ, atque Gallum diſcerpent. Sed*

væ tibi Venetia, væ vobis Rebuspublicis, quia corruetis! Quid habendum de hujusmodi vaticiniis, & quæ arcana politica iis aliquando ſubſint, prudentiores judicent. Schupp. Scriptorum ſuorum pag. 287. ed. in for. 8.

Prodigii loco tunc habitum: Exoticas aves ad *confluentias Moſellæ & Rheni* ſub verſperam trans Galliæ ripam redire, quaſi excurſione facta. *Lubecæ*, portam ſponte patefactam. *Malchiniæ Megapolitanæ* VÆ ter repetitum, ingruente tempeſtate; Ex vicino lacu piſces in aridam ejectos, vel plauſtris avehendos. Contin. Chron. Calviſ. 1027.

Menſis Febr. 14. die, *Stralſundum* in Pomerania *horrendam tempeſtatem* experiebatur, ac turbinum tremendam vim, læſis & collapſis inde pluſculis ædificiis, tàm ſacris, quàm civilibus, publicis non minus, ac privatis; dejectis inſimul & evulſis arboribus quamplurimis; magnoque numero oppreſſis & occiſis hominibus ac jumentis, eo ipſo tempore, quo *Bacchanalia* celebrabantur ab hominibus maleſanis, cùm paſſionalia J. C. meditanda fuiſſent. Unde meritò, quicquid ejus tempeſtatis & inſecutæ calamitatis erat, pro exemplo Divinæ indignationis, adverſus maleferiatorum inſaniam, habitum. Recenſet M. Zacharias Rottman, Paſtor Nicolaitico-Stralſundinus, in Explicat. Pſ. 104. pag. 99. pl.

Mortuus eſt Auguſto menſe, *Eduardus Herbertus, Baro de Cherbury*, Magnæ Britanniæ Regum Conſiliarius bellicus, cætera vir doctiſſimus. Is, dum vivebat, ſollicitus *de Salute Gentilium*, altius in eorum Religionem inquiſivit; quamvis autem intentum, quo collimare videbatur, ſalvos nempe factos eſſe Gentiles absq; Chriſto, non obtinuerit; ſuum tamen ſtudium in evolvendis Gentilium monumentis Orbi erudito approbavit. Ex Act. Erud. Lipſ. de an. 1690. pag. 270. & præf. tract. D. Wölfflin. de Obligatione cred. in Chriſtum. Aliàs *Owenus* in Epigr. 19. ad Arbell. Stuart. ita ad Herbertum:

Te verſus laudare meos mihi fama ſuſurrat,
O par ſi poſſem laudibus eſſe tuis!
Qui tenues tanto Muſas dignaris honore,
Dignus es à Muſa Tu meliore cani!

LIB. V. CAP. LXXVIII.

Summaria.

Auguſta Vindelicorum ex parte Lutheranorum in integrum reſtituta.

Heidenhemium Præconem V. D. orthodoxum recipit.

Redduntur Eberhardo III. Monaſteria, Præpoſituræ, omniaque Bona Eccleſiaſtica, ſuperioribus annis erepta.

Egra, ratione Sacrorum Bohemiæ ſortem gemebunda ſubit.

Reſtitutio Donawerdæ fruſtra urgetur.

Academia Gieſſena inſtauratur.

Patriarchæ Hieroſolymitani Poiſie, iter Moſcoviticum.

Myſtarum Palæſtinæ Religio, quæ?

A. C. Abbatis Cathariniani in monte Sinai, peregrinatio in Germaniam.

De Statu Monaſterii S. Catharinæ.

Fortuna nobiliſſimarum in Græcia familiarum tenuis & contempta.

Quare Monaſterio in honorem B. Virginis extructo, nomen à S. Catharina.

Beata exodus Wilhelmi Lyſeri: Jacobi Martini: Johannis Quiſtorpii.

BEneficio Pacificationis Oſnabrugo-Monaſterienſis *Auguſta Vindelicorum*, ex parte Lutheranorum in integrum hoc anno *reſtituta*, inter Civitates Imperii mixtæ Religionis, *prima*. Cùm anno 1629. decretorium illud Edictum Ferdinandi ſecundi, de reſtituendis Bonis Eccleſiaſticis in manus Pontificiorum, prodiret, ſtatim Auguſto menſe Auguſtæ Vindelicorum Reformationis factum fuit initium, vid. lib. .. cap. 64. pl. Ea igitur Civitas ut omnium *primò*, tanquam Cor Evangelicæ Confeſſionis & Religionis, in priſtinam libertatem, qua gaviſa fuit anno 1624. reduceretur, Proteſtantici Status enixè laborarunt. Burgold. notit. rer. Imp. pag. 54. 56. part. 3.

Heidenhemium à Clero Pontificio multis annis devexatum & preſſum, recepit eodem anno *Præconem Verbi Divini*, Auguſtanæ Confeſſioni cæteriſque Lutheranorum ſymbolicis libris addictiſſimum: nempe *Chriſtophorum Lindenmajerum*, & eundem ceu Angelum DEI, ſumma cum lætitia excepit. *Omnia* quoque *Ducatus Würtembergici Monaſteria*, ut Bebenhuſium, Maulbronna, Anhuſium, Lorch, Adelberg, Denkendorf, Hirſovia, Blaubyrum, Herbrech-

brechtinga, Murhardum, Alberſpacum, San-Georgii, Königsbrenn/ Herrenalb/ &c. *Collegiatæ* item *Eccleſiæ & Præpoſituræ*, quæ ſunt Stutgardiæ, Tubingæ, Herrenbergæ, Göppingæ, Bꝛknangi &c. *Bonaque DEO & Sacris deſtinata*, ſuperioribus autem annis erepta *Eberhardo Duci reddita ſunt.* Lindem. Leichpr. lit. E. Schwel. Chron. 495.

Sic etiam alibi paſſim Evangelici ad priſtina rediere Jura & Privilegia ſacra. *Civitas* tamen *Egrana*, olim Imperio Germanico incorporata, ſed per modum hypothecæ Regno Bohemiæ obſtricta, licet inſtantiſſimè petierit, ut (quia non eſſet membrum Boëmiæ, & *oppignoratio facta ſalvis juribus ac privilegiis*, tùm Politicis, tùm *Eccleſiaſticis præcipuè*) ſaltem in Statum anni 1624 reſtitueretur, nihil, aut parum certè obtinuit. Suntque plurimi, qui Caſum de Civitate Egra ægerrimum putant, cui tanquam deſperato, etiam Hippocrates medicinam adhibere vetet. Burgoldenſ. cit. lib. part. 2. pag. 116. 119.

Nec in cauſa reſtitutionis *Donawerdanæ Civitatis*, quæ an. 1607. inſolito præproperoque proceſſu in Maximiliani, Bavariæ Ducis manus, ob executionem Banni Cæſarei, pervenerat, mox Evangelicæ Religionis libertate privata, quidquam à Proteſtantibus promoveri potuit. Quoties enim reſtitutionem hanc, jam olim à Rudolpho II. promiſſam, urgebant Lutherani, toties reſpondebant Papani: „ Imperatorem, ut Bavaro poſſeſſionem hujus Urbis relin-„ quat, ex præſcripto Ordinationis f. ctæ Executionis teneri, do-„ nec de expenſis (à nemine exolvendis) ipſi ſatisfactum eſſet. Idem autor ibid. pag. 66. ſeq.

Cæterùm *Georgius, Haſſiæ Darmſtattinæ partis Landgravius*, poſtquam tenore tranſactionis, de qua dictum ſupra, *Marpurgum* Caſſellenſibus ceſſiſſet, continuo *Academiam Gieſſenam*, convocatis ea propter Viris ad obeundas functiones Profeſſorias omnium Facultatum aptiſſimis, *iterum inſtauravit.* Continuat. Chronol. Boxhorn. pag. 178.

Tùm ex Palæſtina *in Moſcoviam venit Poiſie, Patriarcha Hieroſolymitanus*, comitantibus eum nonnullis Græcis, quorum ipſe Religionem profitebatur, ſecum afferens, ut ajebat, fruſta quædam de terra ſepulchri Dominici (quod aliàs in Petra exciſum fuiſſe D. Matthæus ſcribit) & conſecratam ex Jordane aquam, atque plura ejus generis, donariorum loco Europæis offerenda. Honoratiſſimè Vir Venerandus non tantùm ab Eccleſiarcha Moſcovitico, ſed

etiam ab ipſo Magno Duce exceptus & habitus eſt, remuneratus ducatis plus quinquaginta millibus; quæ tamen omnia, cùm ad ſuos reverteretur, ipſi à Turcis adempta, referente Oleario, in Itin. Moſcov. Perſ. lib. 3. 279. *Græcæ* autem *Religioni ſummos Palæſtinæ Myſtas addictos hactenus fuiſſe, & eſſe*, ſatis perſpici poteſt ex literis C. J. Hildebrandi, Bahnenſis Pomeranorum Paſtoris ac Præpoſiti, ad Henricum Hilarium transmiſſis Guelpherbytum, quibus teſtatur, ſe, cùm aliquot pòſt annis in comitatu Legati Suecici in urbe Byzantina fuerit, ibi ſedem luſtraſſe ſummi Græcorum Antiſtitis, ac uno eodemque tempore & Conſtantinopolitanum, & Hieroſolymitanum Patriarcham (ut fidei homopſephos) in feſto Viſitationis Mariæ celebrando, Coronas ex auro & gemmis in capitibus geſtantes, vidiſſe, &c. Hilar. in Chron. Cypr. append. 8. 11.

Iisdem, atque adeò Partheniorum temporibus, in Germaniam adventabat *Anaſtaſius Comnenus*, Abbas ac Epiſcopus *Monaſterii S. Catharinæ*, ſiti in radicibus *montis Sinai*, ſtipem collecturus. Ardebat bellum Turcarum cum Venetis in Candia; cumque in more habeant Turcæ, ut gravioris alicujus belli tempore, gravia quoque à ſubditis tributa exigant, ipſis quoque Græcorum Monaſteriis tunc minimè parcitur; quod pluribus oſtendit Epiſtola *Eugenii*, ejusdem Monaſterii ſuperiori ſeculo Abbatis, ad Maximilianum II Imperatorem ac Archiducem Auſtriæ (à Domo enim Auſtriaca, & Rege Hiſpaniarum, certos quot annis Monachi Sinaitæ habent reditus ac penſiones, veluti quoque Magnus Moſcoviæ Dux iis unum thalerorum mille liberaliter quotannis mittere ſolet) multis querelis plena, & apud Cruſium in libro tertio Turco-Græciæ reperiunda. Præterque difficultatem illam, magnas pecuniæ ſummas belli tempore Turcis contribuendi, quotidianam ferè hanc Monachi Sinaitæ moleſtiam habent, quod ab Arabibus infeſtentur.

Erat autem *Anaſtaſius Abbas* è familia Imperatoria *Comnena*. Nobiles enim ejusmodi Græcorum familiæ hodie vivunt, ut poſſunt, cum Græcis nullum amplius ſit Imperium. Cui earum ſtatui congruit illud Busbequii, in Epiſtolis de itinere ſuo Conſtantinopolitano, ſcribentis: „ Vidi aliquot in locis Cantacuzenorum & Pa„læologorum, Imperatorii generis reliquias, contemptius inter „ Turcas degentes, quàm vixit olim Dionyſius Corinthi; hinc adeò „ fit, ut nobiliſſimi inter Græcos viri Eccleſiaſtica etiam munia at„ que officia minimè averſentur. Viri docti merebatur nomen *Anaſtaſius*

ſtaſius ille, & gravis, linguæ etiam antiquæ, quam pauci Græcorum hodie tenent, periti. *Halam Saxoniæ* cùm appuliſſet, inter alios viros eruditos *Gueinzium*, florentiſſimi tum temporis Gymnaſii Moderatorem benè meritum ſalutavit & allocutus eſt; cumque in numeroſiſſimam, quam hic poſſidebat, eum duxiſſet Bibliothecam, admiratus Anaſtaſius tantam librorum copiam, exclamavit: *Vah! hic tantum eſt librorum, quantum non reperitur in univerſa Græcia.* Halâ Quedlam advolebat; Inde Helmſtadium, Brunsvigam, Guelpherbytum &c. petebat, ſuperiorem hinc Germaniam inviſurus.

Quantum ad *Monaſterium* ipſum, cui Anaſtaſius Comnenus præfuit, Procopius ſcribit: Montem Sina Monachi colunt, quorum „ vita ſedula meditatio Mortis eſt, ſolitudine ſibi gratiſſima liberius „ perfruuntur. Hiſce Monachis, poſtquam nihil habuit Juſtinia„ nus Rex, quod optarent (nempe humana omnia contemnentes, „ nihil poſſidere, non curare corpora, nulla ſe oblectari ſtudebant.) „ Templum extruxit, exſtructumque DEI genitrici conſecravit, „ ut hic jam liceat ipſis preces effundere, obire ſacra, & vitam dege„ re. Templum iſtud non in montis ambitu ædificavit, ſed infer„ nè ad radices; Nam in vertice homo pernoctare non poteſt, pro„ pter aſſiduos ſtrepitus & fragores, aliaque tericulamenta quædam „ diviniora, quæ nocturnis horis illic exaudiuntur, humanam men„ tem & ſenſum percellentia. Ita in *Beatæ Mariæ* Deiparæ honorem, iſtud initio exſtructum eſſe Monaſterium, ex Procopio percepimus; hodie verò Monaſterium *S. Catharinæ* appellatur. Unde Cruſius, de Sinaitis Monachis, eorumque Monaſterio: „ In montis Sinai „ Monaſterio centum viginti circiter Monachi degunt; in quod ex „ monte S. Catharinæ, ejus corpus metu Arabum translatum eſt, „ cujus adhuc ambæ manus integræ; prope chorum Templi, re„ ſtant. vide Henr. Hilar. comment. in Cypr. Chron. pag. 486. 490. pl.

Ad meliorem vitam transmigrarunt: *Wilhelmus Lyſerus*, Brunovicenſis, Polycarpi filius, D. Theologus Eccleſiæ Torgenſis Superintendens, ac dein per annos quinque & viginti Wittenbergenſis Profeſſor Theologiæ meritiſſimus. Edidit ſummarium Theologiæ; Trifolium veræ Religionis in V. T. Diſputationes in Evangelia Dominicalia; neceſſariam duarum accuſationum Papiſticarum depulſionem; obiit Feb. 8. 1649. ætat. 57. Micr. hiſt. Eccl. lib. 3. 514. pag.

D. Jacobus Martini, Saxo-Halberſtadienſis, primùm Gymnaſii Neidenſis Rector, poſtea per annos XXVI. Theologiæ Profeſſor; obiit Academiæ Senior, atque Præpoſitus Templi omnium Sanctorum, die 30. Maji, ætat. an. 79. præter plures libros Philoſophicos, tractatum de tribus Elohim, contra Enjedinum, Goslavium, & ſocios Photinianæ ſectæ, Judaiſantes item ac ſemi-Judaiſantes, ſcripſit; De cauſa item peccati per accidens; Speculum Rationis contra Schlingium, in quæſtione de notitia DEI naturali; Partitiones Theologicas; diſputationes de Meſſia; Vindicias Eccleſiæ Lutheranæ, contra Valerianum Magnum, de abſurdis Conſequentiis, & Regula credendi; Anti-Becanum; Anti-Maſſonium, &c. Ex Catal. Theol. Wittenb. præfation. Conſil. eorund. annex.

D. Johannes Quiſtorpius, Roſtochienſis, in Academia Patria Profeſſor Theologus, & Eccleſ. Superintend. In publicam lucem emiſit Annotationes breves in omnes libros Biblicos; Commentarios analyticos in pleraſque Pauli Epiſtolas; tractatum de peccato Originali; de Conſcientia, &c. ſucceſſorem habuit Johannem Georgium Dorſcheum, Argentinâ evocatum; An tamen immediatum, non ſatis novimus. Micræl. lib. 3. 534. funeral. Dannh. lit. F. 2.

LIB. V. CAP. LXXIX.

Summaria.

Leodium ab Epiſcopo ſuo, Electore Colonienſi, ad obſequia adigitur.

Archiepiſcopus Mechlinienſis Papæ autoritatem, in cauſa Janſeniana agnoſcere, nequicquam detrectat.

Ferdinandus III. Evangelicis Hungaricis promiſſa fideliter ſervat.

Luſitaniæ Rex eorum, quæ à Papa petit, nihil obtinet.

Titulus Patriarchæ Hieroſol. cum titulo R. Pontif. comparatus.

Jeſuitæ, Comitatu Lippenſi ægrè migrant.

Hildeſiâ cedere coguntur Capuccini.

Martinus Stridonius, imminentis excidii Turcici vanum Vatem agit.

FErdinandus *Archiepiſcopus & Elector Colonienſis*, eò quod præterito anno, cùm *Leodium* ingredi vellet, repulſam tuliſſet, jam per Spartium, Circuli Weſtphalici copiis inſtructum. Leodienſes, dum Gallica ſubſidia ſperabant, *ad deditionem cogit*; ac triumphabundus in-

ingreditur, poſtquam ſatis factum eſſet unius alteriusve Conſulis ſupplicio. Comitiaque à Tribubus plebejis ad ſenatum, cum aliqua moderatione transfert. Frequentes autem *ſeditiones*, quibus turbida & factioſa civium ingenia Urbem Præſulesque exagitarunt hactenus, anſam præbuerunt hodierno Epiſcopo, ut ſequenti anno Caſtrum (*Citatelle* vocant) extrueret, ac Urbis cervicibus tanquam jugum quoddam imponeret. Spener in ſyll. geneal. 99. Imhof. Not. procer. 234. pag.

Quanquam aliquot abhinc annis Romani Pontifices permultis *Brevibus*, uti vocant, tùm Archiepiſcopos, tum Gubernatores Belgii concitarint, ut opprimerent non ſolùm libros, ſed etiam aſſertores *Janſeniani dogmatis*; *Archiepiſcopus Mechlinienſis* tamen, Belgii Hiſpanici Primas an. 1649. declarationem edidit, quare hac in parte Romano Pontifici parere nolit, allata inter alias rationes, de cauſæ hujus initio, progreſſu, ac meritis, etiam hac: „Non deſunt, „qui Bullas Pontificias, etiam in materia fidei & doctrinæ, licitè „ſuſpendi poſſe exiſtiment. Ratio Driedonis, inquiens, hæc eſt: „Etiam in his, quæ ad fidem ſpectant, ut omninò recta credenda „ſit Pontificia deciſio, multa requiri; hæc verò Pontificem omittere, „& proprio ſenſui propriæque prudentiæ inniti poſſe. Sed pervicit vis major, & Janſenianorum cauſam in eum conjecit Statum, qui paſſim querimonias & planctus ipſis expreſſit, ut ſuo dicetur loco. Hülſem. in diatrib. Schol. de aux. gr. pag. 312. Dorſch. de grat. contr. Ferrium, pag. 26. ſeq.

Ferdinandus tertius, Hungarorum Rex & Romanorum Imperator, quum *Poſonii* Comitiis publicis intereſſet, *Clerus* equidem Regni *Pontificius gravamina Catholicorum*, quos vocant, *adverſus Evangelicos* hinc ab an. 1603. ſæpius agitata, maximoperè repetiit; ſed optimus Monarcha nullo modo ſe commoveri paſſus eſt, ut à conceſſis iſtorum privilegiis recederet. Calviſ. in Chron. contin. 1028.

Luſitaniæ Rex t. t. apud Pontificem agebat, *de Legato ſuo recipiendo, & Eccleſiis vacantibus conſtituendis*; vulgato propterea libro, id juris ſibi ſumendum, ni Papa medeatur. „Initio Eccleſiæ Chri„ſtianæ, aſſerebat, clerum & populum per communia ſuffragia „Epiſcopos aliosque Antiſtites elegiſſe; poſtea Imperatores, Re„ges, Principes, ac Magiſtratus reliquos id juris nactos eſſe, & „exercuiſſe, conſenſu ac voluntate reliquorum corporis Myſtici „membrorum; ab Imperatoribus & Regibus ad Papas deveniſſe

„ſacro-

„ſacrorum officiorum conſtitutionem; eaque in re ſi deſides ipſi „ſint ac negligentes, uſurpationem priſtini juris ad Reges & Prin„cipes recidere. At enim nihil obtinuit Luſitanus, prius illud porrò ſuſpendente, hoc non indulgente Papâ. Calviſ. contin. 1028, ſeq. Urſin. in diſcrim. Relig. 84. pag.

Bernardus Vettweis, Ordinis F. F. Minorum Regul. obſerv. Recollect. Provinciali Colon. in ſummaria demonſtratione Schiſmatis & hæreſis Græcorum, ex Bernardini Surii pragmatica de an. 1649. *titulum Hieroſolymitani Patriarchæ* refert, & exprimit hiſce verbis: *Euthymius, DEI gratiâ beatiſſimus pater ac Patriarcha, Paſtor paſtorum, ſummus Pontifex Univerſalis in ſancta civitate Jeruſalem, totaque Palæſtina, Syria, Arabia, &c.* „Subjicitque Vettweis, reliquos quoque „Orientis Patriarchas, utpote Conſtantinopolitanum, Antioche„num, & Alexandrinum, arroganter ſimiles titulos uſurpare, „ceu Schiſmaticos & hæreticos, atque cùm nolint verum Eccleſiæ „Caput, ac Paſtorem Chriſti Vicarium agnoſcere (qui nunquam „tales ſibi titulos vendicet, verùm ſe *ſervum ſervorum DEI*, ex lau„dabili humilitate, juxtaque morem antiquum ſcribat) ſubinde „teneri confirmationem ſuam, à Turcarum Imperatore ingenti „pretio redimere. Hucusque Monachus Colonienſis, Theologiæ Lector, qualem ſe ſcribit, Jubilatus, ac Seraphici Ordinis totius definitor Generalis: Quid exin colligere geſtierit, adverſus Lutheri & Calvini Sectatores, at proprio Eccleſiæ R. incommodo, vid. ap. Vejelium D. Ulmenſ. in defenſ. Exerc. de Eccleſ. Græc. pag. 96. ſeq.

Cùm ea tempeſtate *Lojolica Societas*, vi Pacificationis Monaſterienſis, *Comitatu Lippenſi*, quem an. 1626. intraverat, menſe Martio cedere deberet, ea ſe audacter oppoſuit Executoribus Inſtrumenti Pacis, prætendens, non occaſione præteriti belli, ſed ex Legato ſeu Teſtamento Hermanni Comitis, eò ſe deveniſſe; neutiquam igitur per Inſtrumentum illud Pacis teneri, loco ſe moveſe &c. Reſponſum verò, Teſtamentum illud tanquam legem privatam, jus Imperii publicum haud infringere poſſe, aut imminuere; præſertim quia notæ ſint fraudes ac doli, quibus iſti expilatores Lojolici hæreditates & legata ad ſe trahere ſoleant. Burgold. Not. Rer. Imp. B. 49. pag.

Contumaciores fuêre *Capuccini Hildeſienſes*. In numero reſtituendorum Circuli Saxon. Infer. fuit etiam Epiſcopatus atque Civitas

vitas Hildeſienſis in Ducatu Brunovicenſi, quoad reſtitutionem nimirum libertatis Conſcientiæ, Religionis Auguſtanæ Confeſſionis Exercitii, & uſurpationi annexorum jurium, præſertim denegati hucusque Conſiſtorii (quum Receſſus de an. 164:. inter Epiſcopum Hildeſ. ac Duces Brunſvic. magnam partem ſit ſublatus) obtentaque propemodum illa Reſtitutio, excepto puncto Capuccinos concernente, cujus controverſiam, quàm fieri poteſt breviter, hîc annectere lubet. Quum reſtitutio dictæ Civitatis in tractatu Pacis decreta fuiſſet, menſe Novembri 1649. Princeps Auguſtus, Adminiſtrator Magdeburgicus, Executor Pacificationis quoad hoc punctum, Commiſſarios miſit Hildeſiam, & Capuccinis per Senatum injunxit, ut, quoniam ipſi an. 1624. Congregationis poſſeſſione non ſint gaviſi, migrarent inde, ac ſpontè exirent. Id verò ſtatim, nomine fratrum, Pater Guardianus negavit ſe facturum, donec Epiſcopus, & Elector Colonienſis juberet; ſubjiciens, omninò ſodalitatem in poſſeſſione Congregationis fuiſſe an. 1624. manſuram igitur in ea, minimè ceſſuram. At enim civibus aliquot honeſtiſſimis contrarium teſtantibus, Commiſſarii, vigore Inſtrumenti Pacis, ipſimet Capuccinis emigrationem injunxerunt; iſti denuò abnuere omnia, rem omnem ad ſuperiores ſuos rejicere. Proin cùm ſpontè nollent exire Cucullati, die 29. Novemb. Commiſſarii militibus mandarunt Executionem, quæ tamen in ſequentem diem dilata. Tùm verò huic actui Secretarius Electoris Colonienſis intervenit, & Exceptionem illegitimitatis (ita liceat cum JCtis loqui) oppoſuit; Non enim Auguſtum Adminiſtratorem Magdeburgicum, ſed Moguntinum Archiepiſcopum, atque Ducem Auguſtum Brunſvicenſem, eſſe pro Executoribus declaratos, multa ſimul injurioſa adjiciens, cum proteſtatione. Cùm itaque Capuccini ſe nullo modo accommodarent, monitisque Commiſſariorum nullum darent locum, illi, Commiſſione ſua ſcripta iterum repetita, militibus de novo mandarunt, ut Cuculligeros, qui ſpontè nollent exire, manu injecta extraherent, neminem tamen in corpore læderent, quod factum. Et ita Capuccini, die Sabbathi ante Dom. I. Advent. inter hor. duodec. & prim. ex Congregatione (ſcilicet B. Mariæ) id eſt, ex Collegio S. Hieronymi, & urbe Hildeſia, per portam, quæ ab aggere nomen habet (*Dammthor*) usque ad viam publicam per milites ducti. Unde, quàm difficilis Executio Pacificationis Weſtphalicæ fuerit, colligere datur. Sed nec

intra has difficultates ſtetit illa Hildeſio-Capucciniana controverſia, ut alibi dicetur. vid. pl. Burgoldenſ. ad Inſtrum. Pacif. Oſnabrugo-Monaſt. part. 2. pag. 49. confer an. 1643. & 1655.

Martinus Stridonius circa hoc tempus fatis conceſſit, ex Clero Pragenſi, neſcio cujus Ordinis aut Societatis homo, nominis inter ſuos non incelebris; vitam enim ejus vigeſimo quarto poſt exceſſum anno, ſtudiosè deſcriptam, ac æneis expreſſam typis, in publicam lucem emiſerunt Pragæ, teſtati: Virum *de Turcici Imperii excidio* clarè & cum exultatione ſpiritus locutum eſſe, brevi, ut verba habent, inchoandam ipſius ruinam; ideoque Societatem eo nomine hortatum ad Græcæ linguæ ſtudium, quod eſſent Conſtantinopoli Chriſtianam doctrinam aliquando explicaturi ,. &c. Sed vaticinii vanitatem experientia prodidit. Ex Act. Erud. Lipſ. de an. 1691. pag. 385.

LIB. V. CAP. LXXX.

Summaria.

Electori Brandenburgico Pomerania citerior compenſatur.

Haſſiæ Caſſellanæ Landgravio, quæ per Pacem Weſtphalicam obtigerint?

In Virginia, Fides Chriſtiana cum inſigni ſucceſſu propagatur.

Fato fungitur Fridericus Spanhemius.

Electori Brandenburgico, ejusque Domui, *pro citeriore Pomerania* Suecis conceſſa, compenſationis & æquivalentiæ nomine, ab Imperatore & Imperii Statibus, aſſignatus fuit *Epiſcopatus Halberſtadienſis*, cum appertinentibus, titulo Principatus & jure feudi perpetui, cum Seſſione & voto; Salva tamen Religione, ſalvoque contractu antehac ratione Bonorum Eccleſiaſticorum cum Capitularibus inito, ab Archiduce & Epiſcopo Leopoldo Wilhelmo. In Epiſcopatus hujus *Præpoſituram* prætendebat quidem Cardinalis de Harrach, quaſi in beneficium an. 1623. Electori Moguntino, dein ipſi à Papa collato; ſed fruſtra. Quoniam ex generali regula anno 1624. in omnibus beneficiis Eccleſiaſticis ratione poſſeſſorii naturalis judicandum; eo autem tempore non Pontificii, ſed Evangelici, nempe modernus Daniæ Rex Fridericus III. in naturali Præpoſituræ iſtius poſſeſſione fuit; Ac denique Papalis collatio beneficiorum,

rum, in bonis Statuum Evangelicorum (*utriusque partis*) locum non habet. Burgold. ad Inſtrum. Pac. part. 3. pag. 113. p[l].

Eidem conſimiliter traditus *Mindenſis Epiſcopatus*, cujus decimo anni menſe per ſuos Miniſtros, Petershagæ, quæ olim Epiſcopi ſedes fuit, & Hausbergæ (quem Comitatum Otto III. ultimus Comes von Bergen an. 1392. mortuus, Epiſcopatui Mindenſi donarat) poſſeſſionem apprehendit. Notandum verò hìc eſt, Brandenburgicum tàm in Epiſcopatu *Mindano*, quàm *Halberſtadienſi*, Canonicatus non poſſe, de jure ſaltem, extinguere; ſecus in *Caminenſi*. Idem, de Not. Rer. Imp. cit. part. 114.

Haud minus conceſſa dicto Electori, *Magdeburgenſis Archiepiſcopatûs Exſpectantia* in caſum vacantiæ, Religione quæ an. 1624. ibi viguit, & adhuc vigebat, ſemper ſalva, ſalvis pariter Urbis juribus ac privilegiis. Et hoc exemplum Expectativæ ſimul ab Imperatore, & Statibus approbatum; Aliàs enim Exſpectativa ab Imperatore, ut Domino feudi, ſolet promitti conditione, ſi ad ipſum feudum redierit. Tſchimmern, Contin. Sleid. de 4. Monarch. lib. 3. 485.

Verùm *Landgravius Haſſiæ, Caſſellenſis Lineæ*, per eundem tractatum Weſtphalicum, *Abbatiam Hirsfeldenſem*, jusque directi & utilis dominii *Præfecturarum Schaumburg, Bukenburg, Saxenhagen, & Stadhagen*; demum ex Abbatia Fuldenſi, Archiepiſc. & Epiſcopatibus Moguntinenſi, Colonienſi, Paderbornenſi, ac Monaſterienſi 600000. Imperial. obtinuit. Atque tum *Hirsfeldenſis Abbatia*, inter Principales quondam ſecunda, in Principatum ſecularem, conſtituendæ Pacis ergò, autoritate omnium Imperii Ordinum converſa, & Landgravio, lege Imperialis feudi conceſſa. Spener. in Geneal. pag. 222. Imhof. Not. Procer. 310.

In Anglia nova, ſeu *Virginia*, Americæ provinciâ, *non pauci ex barbaris* hoc tempore *ad amplectendam fidem Chriſtianam animos inclinarunt*, eaque propter ab *Hiacome*, de quo ſup. lib. V. cap XXXVIII. mentionem injecimus, informari petiverunt, cui etiam petito iſte pro poſſe & noſſe fideliter ſatisfecit, benedicente DEO, non ſine ingenti fructu. Schwarmgeiſter-Brut/ pag. 221. ſeq.

Mortem oppetiit *Fridericus Spanhemius*, Arch.-Palatinus, Wigandi, Rectoris Scholæ Ambergenſis gnatus, Calvinianæ Theologiæ in Schola Genevenſi primùm, deinde Lugduno-Batavenſi Doctor celebris, ac editis ſcriptis inclytus; inter quæ Dubia Evan-

gelica, Exercitationes de gratia univerſali, Miles Suecicus, eminent. Obiit an. ætat. 49. *Pater filii cognominis*, initiò Heidelbergæ, tùm poſteà Leidæ Profeſſoris, qui & ipſe de publico, inter ſuos potiſſimum, benè meritus, clarique nominis famam adeptus eſt. Hofman. Lex. A. 665. B. 377.

LIB. V. CAP. LXXXI.

Summaria.

Adami Stevarti Portentiloquia.
Sectarum in Anglia, ſub fautore Cronwellio, ſtupendæ fœcunditas.
Earundem dogmata potiora.
Torrentii cujusdam Epicuriſmus.

EO tempore *Adamus Stevartus*, Leidenſis Philoſophus, inter alia paradoxa quàm plurima, docere & propugnare ſuſtinuit ſequentia: „ Poſſe Virginem, quæ talis maneat mente & corpore, per „ incubum dæmonem imprægnari; Adamum fuiſſe centum anno„ rum quum crearetur; potuiſſe fieri, ut Chriſtus liberis operam „ daret, ac generaret filios, & hos non fuiſſe filios DEI futuros; poſſe „ ex concubitu hominis & vaccæ, naſci verum hominem, &, qui „ vel peccato originali careat, nec dicere debeat, Mater mea me „ concepit in peccato; nullam dari inſitam DEI notitiam; Habi„ tualem Conſcientiam nulli naturaliter ineſſe; Chriſtum & Ada„ mum ante lapſum potuiſſe per vires ſuas naturaliter ſine ullo ha„ bitu Deum noſſe, ac ſine difficultate non eſſe Atheos; i. e. ut ipſe „ poſtea periculoſum hoc & intricatum axioma videtur explicare, „ Chriſtum ac Adamum potuiſſe quidem Atheos fieri, ſed non tàm „ facilè ac hodiè homines corrupti & peccatores. Sam. Mareſ. in fœder. Belg. alloq. ad paſtor. * * *

In *Anglia*, cùm nefando parricidio Rex cecidiſſet, *Independentes*, jam ante potentes, quæ olim optabant & moliebantur, majorem, ſi non maximam libertatem & potentiam nacti, jam efficere geſtiebant. Et ſicut antea ſub ipſorum appellatione varia Sectarum, hæreſeon, ſchiſmatumque nomina & genera delituere, quaſi ſub umbra opaca & patula ſanctæ Independentiæ recubantia; ita poſt à medio ſublatum Regem liberius, imò liberrimè iſtis graſſari permiſſum eſt. Eodem enim anno, cùm Rex Independentium

Cron-

Cronwellus, Angliæ Tyrannus, ex Anglia in Hiberniam cum exercitu ſolveret, non prius vela facere ſuſtinuit, quàm per Socium Rebellionis & parricidii complicem, Edicto Parlamenti *omnibus Sectis hæreſeon & ſchiſmatum*, quibus tum ſcatebat Britannia, *profeſſionem publicam ac liberam Irreligionis ſuæ* dari curaverat. Hinc factum, ut, cùm cuilibet ad dona exercenda prodire liceret, hique fanatici extra Verbum DEI delirarent, vel ambitione, vel levitate, vel ſuperſtitione aliqua accedente, usque & usque aut novæ prodirent Sectæ, aut priſtinæ majori numero graſſarentur, e. gr. Anabaptiſtæ, Quærentes, Chiliaſtæ, Judaiſantes, Ariani, Antinomi, Antiſcripturiani, Ranteri, Lovellerii, Quakeri, alii plures. Zentgrav. in Colluv. Quak. pag. 9. Hiſt. Gothan. 811.

E *centum & octoginta iſtius temporis diverſarum Sectarum opinionibus*, hæ propemodum ſunt peſſimæ. „ Scripturam non poſſe dici „ Verbum DEI, ſed eſſe literam mortuam, nec majoris fidei, quàm „ humana ſcripta, & inventionem humanam. Scripturam eſſe opus „ merè humanum, non verò in conſcientia præſcriptum. Chriſtum „ non eſſe mortuum pro ullius infidelitate, eumque tantùm è me„ dio ſublatum pro peccatis præteritis, antequam Evangelium ſit „ revelatum. Gentiles, qui nunquam de Chriſto quicquam au„ dierint, nihilominus Evangelium habere. Chriſtum pro nemi„ ne vitam & ſalutem acquiſiviſſe, ne quidem pro Electis. Homi„ nes poſſe ſine Chriſto ſalvari; etiam Ethnicos, ſi Deum pro mo„ dulo ſuo colant, quanquam nihil de Chriſto noverint. Spiritum „ DEI non habitare, nec operari in ullis; non eſſe alium Spiritum, „ qui operetur, niſi noſtrum proprium. Si quis per Spiritum ſciat, „ ſe eſſe in Statu gratiæ, etiamſi cædem committat, vel ebrietatem, „ aliave mala, Deum tamen non videre peccata in eo. Adami pec„ catum nemini imputari, nec quenquam propter id puniri. Poſſe „ naturalem hominem ea facere, quibus gratiam Deus annexuit; „ ac homines, ſi pro extremo virium quærant gratiam, inventuros „ eam. Fidelium non eſſe proſpicere, ne peccent; DEO proſpi„ ciendum, ſi velit. Deum æquè amare ſuos propter bona, malave „ opera; tàm peccantes, quàm benè agentes; neque meliorem æſti„ mare quenquam propter bona, deteriorem propter mala. Animas „ hominum eſſe mortales, ſicuti brutorum, ac interire cum corpo„ re. Corpora fidelium non reſurrectura eadem; Sed animas habi„ turas alia corpora, vel per creationem, vel per productionem è

„ materia; Infantes planè non reſurrecturos. Non eſſe infernum, „ niſi in hac terra; & hunc infernum eſſe legales terrores in homi- „ num conſcientiis. In articulis fidei nil eſſe certò ſtatuendum, & „ credendum, ſed habere omnes debere libertatem Conſcientiæ & „ Prophetiæ. Fœdus cum Abrahamo initum, nil ſpirituale habuiſſe. „ Baptiſmum non eſſe ſigillum gratiæ; Pœdobaptiſmum eſſe ille- „ gitimum ac Antichriſtianum; æquè licitum eſſe baptiſare felem „ vel canem, quàm infantem fidelium; & æquè licitum eſſe trans- „ gredi unum ex decem præceptis, quàm baptiſare infantem. Ju- „ daicum Sabbathum hodieque obſervandum eſſe. Cuilibet, etiam „ ex fœminis, licitum prædicare Evangelium. Illicitum eſſe S Cœ- „ nam accipere, & precari, ubi ſunt impii. Chriſtianos non teneri „ conſtanter die qualibet orare, ſtato tempore, mane, veſperi; ſed „ cùm Spiritus movet eos; ac, etiamſi multis ſeptimanis non ſen- „ tiant inſtinctum, tamen non orandum eſſe. Sacras cantiones at- „ que pſalmos Davidis, non eſſe canendos, ac Idololatriam eſſe, uti „ precibus præſcriptis. Magiſtratui nihil negotii eſſe debere cum „ Religione & Rebus Eccleſiaſticis; ſed civilia tantùm ei curanda. „ Licitum eſſe viro uxorem dimittere propter aliquod vitium & „ accidens, virumque in ea re ſummum Judicem eſſe. Non poſſe „ conſiſtere cum bonitate DEI, damnare ſuas creaturas in æternum. „ Fidem non eſſe ſupernaturale quid; & credere quidquam abſq; „ ratione, ſtultorum eſſe. Nullum jam eſſe in Inferno, nec fore „ usque ad diem judicii, quia Deus non primò puniat, deinde ju- „ dicet. Legis transgreſſionem non puniri æterno igne, &c. Ex Georgii Hornii hiſtor. Eccleſiaſtica, *Dan. Claſen.* in Rel. polit. pag. 495. qui ſubjicit: „ Profectò bella Religio! Nunquid Diabolus ali- „ quid pejus excogitare potuiſſet? O miſeros illos mortales, qui „ delirantium opinionibus implentur, iisque tàm firmiter credunt, „ quantum alii ne quidem veritati, qui eam tamen puram & in- „ corruptam habent. Certè dolendum eſt, tàm pulchrum regnum „ tot monſtris deformari. Citò autem creverunt iſtæ hæreſes, & „ inſtar luxùriantis herbæ propullularunt: Quod ideò factum eſt, „ quia, qui in Parlamento ſunt, iſtis opinionibus dementantur; „ unde tolerantur hæretici iſti, qui quoq; indies novas Sectas pro- „ ducunt. Hucusque Claſenius.

In Hollandia quidam *Torrentius*, artis pictoriæ peritus, extitit, qui conſtanter aſſerere, & ſimplicibus ac voluptatibus deditis ho-

minibus frequenter inculcare ſolebat: Infernum nihil aliud eſſe, quàm variis in hoc Mundo miſeriis exerceri; Cœlum nihil, quàm hîc voluptates carnis explere, ac in deliciis vivere. Poſt aliquot annorum toleratos carceres, liberatus in Angliam trajecit; hinc autem reverſus an. 1649. impiam efflavit animam, infelix! quid infernus, ex vero procul dubio ſtatim expertus, damno ſuo nunquam finiendo, dolore minuendo nunquam! D. Müller, Hamburg. in Atheiſ. devict. pag. 29.

LIB. V. CAP. LXXXII.

Summaria.

Conventus Anabaptiſtarum Harlemenſis.
Diſceptatio Voëtii & Mareſii de Objecto Prædeſtinationis.
Moſis Amyraldi cum N. N. inita concordia.
De Saxoniæ Electoris, ejusque Theologorum literis, neoteriſmos Calixti & complicum concernentibus.
Quid inter Calixtum & Scharffium ea occaſione actum?
Henricus Nicolai, à Miniſt. Eccleſ. Gedan. confutatus.
Diſputatio Scholaſtica de Providentia Divina, à Sam. Retorſ. edita.
Theſaurus Philologicus Joh. Henrici Hottingeri publicatus.

H*Arlemii, Anabaptiſtarum* habitus celebris *Conventus*, ubi ex omnibus provinciis atque cœtibus numeroſæ iſtius Sectæ coiverunt, ex Hollandia nempe Auſtrali, Seelandia, Nort-Hollandia, Ultrajectina, Flandria, Tranſiſulania, varii; Synodusque in annum ſequentem Amſterodamum conſcripta. In iſto Conventu *Podonipſiam* (Lotionem pedum) ad exemplum Chriſti, confirmare & commendare cœtibus, & quidem non aliter, quàm ſi Sacramentum eſſet, quo erudiamur, ita Chriſtum animas noſtras ſuo ſanguine abluiſſe, ab omni peccatorum macula, & ſordibus. Inde verò manifeſtum evadit, in Belgio fœderato ſupra modum eſſe felices Anabaptiſtas, quod ne quidem rogato Superiorum conſenſu, ſuo arbitrio de anno in annum inducunt, aguntque Synodos, prout ipſis viſum eſt; Cùm Lutheranæ res Religionis ibidem valdè ſint conciſæ & reſtrictæ, ut ſupra dictum cap. LXXIII. vid. Hornbek. Sum. Controv. 366. ſeq. & 369. ſeq.

Sicuti Pontificiorum, licet inter ſe diſſidentium, *Concilium Tridentinum*; ita Calvinianorum aſylum eſt *Synodus Dordracena*, qua San-

Sanctiorem, Auguſtiorem, & melius ordinatam, nulla retrò ſecula à tempore Apoſtolorum vidiſſe ſcribit Mareſius. Nec tamen ipſi Calviniani de Synodi mente certi ſunt, ut patet ex controverſia *de Objecto Prædeſtinationis*, An videlicet ſit homo creabilis & indefinitè præſcitus, an verò creatus &c. Prius, peculiari diſputatione defendit, an. 1649. in Acad. Ultraject. *Gisbertus Voëtius*: Et, hanc ſententiam non damnaſſe Synodũ Dordracenam, ſuffragio Fr. Gomari & Suyt-Hollandiæ Legatorum in ipſa Synodo, probavit. Contra verò *Samuel Mareſius* in Academia Grõningana, operoſis hiſce theſibus Anti-Synodicis, ut vocat Voëtianas, oppoſuit anno 1650. Apologiam trimembrem pro deciſione Synodi, eamq; contrariam ſententiam definiviſſe contendit, ad Walæum, Academiam Grõningenſem, Theologos Leidenſes, Alezianam Synodum, Andream Rivetum, judicia particularia tàm exterorum, quàm Provincialium, ipſum denique Voëtium provocans. Rumetſch in collat. Concil. Nicæn. & Trident. pag. 35.

Moſes autem *Amyraldus*, Calvinianus Univerſaliſta hypotheticus, de quo præced. cap. LII. cùm intercedente Tarentino Principe, inter ipſum ab una parte, & *Wilhelmum Rivetum ac Philippum Vincentium* ab altera, die 16. Octob. *Concordia* conſtitueretur, promiſit, ſe deinceps diligenter & exactè inſtiturum decretis ac deciſionibus Nationalium Synodorum, nec viva voce aut ſcripto de contoverſis materiis porrò diſputaturum. Deduct. Witt. Theol. Calvin. in F. fundam. errare, contra Rintel. & Syncretiſt. pag. 290.

Notatu perquam dignæ ſunt *literæ Saxonici Electoris*, ad Brunovicenſes & Lunæburgenſes Duces, die 16. Jun. exaratæ, *de variis Helmæſtadienſium* (conſequenter etiam Regiomontanorum quorundam) *in rebus fidei novitatibus deponendis, fugiendis*, quarum ſummam exhibet Calovius in Syſt. Theol. A. pag. 1177. 1211. ſeqq. Ejusdem etiam Electoris autoritate *Lipſienſes, Wittenbergenſes, ac Jenenſes Theologi*, Calixtum & Complices monuerunt privatim, ut ab omni pruritu innovandi deſiſtant. Verùm enim verò tantùm abeſt, Novatores, optimi Electoris monitum Conſiliumque (nedum Saxonicorum Theologorum) optimè interpretatos, ut potius *Calixtus* monitoriam illam epiſtolam, in literis ad Wittenbergenſes, diris convitiis proſciderit. *Principes* etiam *Brunovicenſes*, cùm injunxiſſent ſuis Theologis, ut de controverſis articulis dilucidius ſententiam exponerent; *Calixtus* in diſſertatione de SS. Trinitatis Myſterio, & apparitione

ritione Filii Dei, item, *Reſponſo ad literas Electorales* expedire cauſam aggreſſus eſt: Sed *Johannes Scharfius*, Theologus Wittebergenſis, in publico Programmate, quo Quenſtedii t. t. doctorandi lectionem primam, an. 1649. Dom. Trin. XVI. intimabat, eam Calixti declamationem caſtigavit. *Calixtus* autem Programma Programmati oppoſuit, quo miſſis realibus in neglectam à Scharfio Latinitatem ſarcaſticè invectus eſt; cui tamen reſponſione ac defenſione ſua iſte mox obviam venit. Hartnak. in contin. H. E. Micræl. cap. de diſſid. Helmeſtad.

Sub idem tempus *Miniſterium Eccleſiaſticum Gedanenſe*, HENR. NICOLAI, Profeſſoris Logici Dantiſcani, profana de omnibus ferè articulis fidei & religionis Chriſtianæ dogmata, per ſcripta Viri tùm Philoſophica, tùm Theologica, peculiaribus artibus in Europæo Orbe diſſeminata, brevi ac nervoſo ſcripto, per theſin atque antitheſin adornato, perſtrinxit atque confutavit, ſub titulo: *Poſitiones Reverendi Miniſterii Gedanenſis, adverſus opinationes M. Henrici Nicolai, Prof. Log. Dant. an. 1649. eidem propoſitæ.* Eas lubenter jam præcedente capite exhibuiſſemus, metuentes autem ne ſimus prolixiores, quàm fert inſtituti noſtri ratio, in alium locum reſervabimus, Vide Vindicias D. Calovii, Conſiderationes Arminianiſmi, Exercitat. Apolog. Henr. Nicol. oppoſ. lit. H. 2. ſeqq. confer. 1658.

Samuel Retorfortis, acuti Vir ingenii, ſed rigidus Calviniſta, in lucem publicam tunc emiſit, *Scholaſticam Diſputationem* ſuam *de Divina Providentia* quoad ſumma rerum capita, variis Prælectionibus in Academia Scotiæ Andreapolitana Theologiæ Candidatis traditam, in qua de Dominio DEI, operoſa ipſius actione circa peccatum, concurſu primæ cauſæ, ac prædeterminatione, contenditur ac decertatur. Ibi inter plura ſuæ gentis injurioſa in Deum aſſerta, toto cap. XIX. defendere denuò conatur ipſiſſimam Zwinglii blaſphemiam: „Deum ipſius illius individui actûs, qui in diabolis & „hominibus eſt ſecundum ſe peccatum, eſſe agens principale, nec „tamen contaminari à peccato, quia reſpectu primæ cauſæ nullum ſit peccatum in Mundo, nullaque deformitas, ſed tantùm „reſpectu creaturarum; quam rationem ex Thoma Bradwardino, quondam Archiepiſcopo Cantuarienſi allegat, cujus meminimus an. 1618. cap. XLV. Idem Retorfortis cap. ſui tract. XXVII. conatur oſtendere: „Deum non implicari ſocietate ſcelerum, etiamſi „in bonas & malas actiones indifferenter ac principaliter influat;

„ quia reſpectu DEI nullum detur peccatum, quicquid agat. Judicium aliis relinquimus omne, in hiſtorica relatione acquieſcentes. Vid. D. Hülſem. de auxil. grat. pag. 314 333.

Majori laude dignus habetur, *Johannis Henrici Hottingeri*, Helvetico-Tigurini Theologi, *Theſaurus Philologicus*, ſeu *Clavis Scripturæ*; qua quicquid ferè Orientalium, Hebræorum maximè & Arabum, habent monumenta de Religione, ejusque variis ſpeciebus, Judaiſmo, Samaritaniſmo, Muhammediſmo, Gentiliſmo; de Theologia & Theologis; verbo DEI agrapho & engrapho; variis Bibliorum exemplaribus; Fontium Hebræorum integritate; Scripturæ Accidentibus, partibus, diſtinctionibus, ſenſu & commentariis: de Thargumim ſeu Paraphraſibus Chaldaicis, Syriacis, Arabicis, Perſicis, Samaritanis, Græcis & Latinis; de Maſora & Cabbala; de ſingulorum Veteris Teſtamenti librorum, Canonicorum atque Apocryphorum autoritate in genere, de Lege autem, Prophetis & Prophetiis in ſpecie: breviter ac aphoriſtice ita reſeratur, & aperitur, ut multiplex inde ad Philologiæ ac Theologiæ Studioſos fructus redundare poſſit; Indicibus Cippis Viri doctiſſimi Hebraicis, lit. A. 2. ubi Elenchus Scriptorum ipſius habetur.

LIB. V. CAP. LXXXIII.

Summaria.

Imperatoris, & Stat. Imp. Legati Noribergam ſe conferunt.

Carolo Ludovico Palatino Palatinatus inferior reſtituitur, & in ejus gratiam Electoratus octavus erigitur.

Quid per Pacificationem reportarint in Germania Sueci? Quid Galli?

Wirtembergiæ Dux, & alii complures, amiſſa recuperant.

Carolus Guſtavus Bipontinus, Princeps Suecici Regni Hæreditarius deſignatur.

Conditiones Pacis inter Polonos & Coſaccos initæ.

Cladem navalem Turcæ à Venetis accipiunt memorabilem.

Nuptiæ Polonicæ, Soliſbacenſes, Haſſiacæ, & Mantuanæ.

Funera quædam illuſtria.

IMperatoris, & Statuum Imp. R. aliarumque partium *Legati* Monaſterio & Oſnabruga, Weſtphaliæ celeberrimis Urbibus, *Noribergam ſe conferunt*, in locum Cæſaris Aulæ propinquiorem, ut majori ſolen-

ſolennitate ac frequentia Pacis articulos confirmarent, eorumque commodam exequutionem promoverent. Calviſ.cont. Chron. 1027.

Superioribus annis *Fridericus V. Comes Palatinus Rheni, & Elector*, Coronam Bohemicam à Proceribus Regni, vetus Imperium faſtidientibus, & novum Regem, novum Statum, novam Rempublicam affectantibus, ſibi delatam, uxoris Regiæ ſuorumque ſtimulis accenſus, acceptavit; Anno autem noſtri ſeculi vigeſimo, menſe Novemb. pugna decretoria, in conſpectu urbis Pragæ, collatis cum Cæſareis Bavaricisque copiis, ſignis, commiſsâ victus, non regno tantùm adventitio, ſed & paulò pòſt avitis ditionibus exutus, ab Imper. Ferd. II. proſcriptus, & Electorali Dignitate mulctatus eſt. In pacis dein Weſtphalicæ Pactis, pars avitarum poſſeſſionum, nempe *inferior Palatinatus*, *ejus filio Carolo Ludovico*, reſtitutus eſt; Superior autem cum Electoratu, in Bavaricam Domum tranſiit; Inſtituto tamen in gratiam Palatinæ familiæ, & publicæ tranquillitatis ergò, *Electoratu octavo*, ſub Archi-Theſaurarii Imperii titulo; ſed ea lege, ut extincta linea Wilhelmiano-Bavarica, res omnis in priſtinum Statum redigatur. Imhof. Not. Procer. 131. &Burgold. Notit. Rer. Imp. A. 433.

Coronæ Suedicæ conceſſa in perpetuum ab Imperatore & Imperio, *Pomerania citerior*, unâ cum *Stetino*, & *Inſula Rugia, Garzia, Dammino, Golzaviaque*, ſub conditione promiſſi, ut maſculina Domûs Brandenburgicæ linea deficiente, ulterior etiam Pomeraniæ pars ad Suecos pertineat; Nec minùs *Civitas portusq; Wiſmarienſis, cum Epiſcopatibus Bremenſi & Verdenſi Secularisatis*, additâ *Præfectura Wildesbuſiana*: Sed hæc omnia ſub Jure ac nomine Imperialis Feudi, ac præſtandi eapropter conſueti feudalis juramenti. Tſchimmern in contin. Sleid. de 4. Monarch lib. 3. pag. 482. ſeq Chron. Boxhorn. contin. ed. 2. 176.

Galliæ Rex obtinuit, in perpetuum quoque, non modò *Briſacum, & jus præſidii Philippoburgici*, ſed etiam *Landgraviatum Superioris & Inferioris Alſatiæ, Suntgoviam, atque Præfecturam decem Civitatum Imperii Alſaticarum*, nempe Hagenoæ, Colmariæ, Schletſtadii, Weiſſenburgi, Landaviæ, Obernhemii, Roshemii, Monaſterii in Valle S. Georgii, Kaiſersbergæ, atque Thüringhemii; expreſſa tamen cum conditione, ne ullum, à Baſilea usque ad Philippoburgum, novum Caſtrum aut Fortalitium prope Rhenum extruat. Iidem auctor. citat. libr. pag. 495. 176.

Würtembergiæ Duci, præter Monaſteria & Eccleſiaſtica bona, de quibus jam ſupra dictum, reſtitutæ ſunt Weinſpergenſis, Neoſtadienſis, Mekmühlenſis, aliæque Dynaſtiæ, Caſtra, urbes, omnia, quorum ante bellum tricennale Dominus audiit, cum plenis juribus ac privilegiis. Id verò beneficii non tantùm Würtembergiæ Duci, ſed & *aliis Principibus, Comitibus, Statibus ac Ordinibus* pluribus contigit, qui maximam partem ad res ſuas (immobiles puta) queis præterito bello deſtituti fuerant, rediere, aut per æquivalentia ſatisfactiones accepere. Burgold. Notit. Rer. Imp. part. I. diſc. XXIX. & ſeqq. part. III. diſc. XIV. ſeqq. Tſchimm d. l. 469. 486. ſeqq.

Carolus Guſtavus, Johannis Caſimiri Ducis Bipontini filius, Suedicæ militiæ aliquandiu in Germania Generaliſſimus, (antehac in Aula Guſtavi Magni, & Chriſtinæ Reginæ educatus, magnisque virtutum exemplis eruditus) poſtquam in Pacis cum Imperio à Suecis factæ executione, ſingularis prudentiæ, promptitudinis ac diligentiæ egregia edidiſſet documenta, dignus ſucceſſione Regni judicatus, a que *Princeps Regni Sueciæ hæreditarius*, ab Ordinibus in publicis Comitiis deſignatus eſt; quæ deſignatio ſequenti anno in Reginæ Chriſtinæ facta inauguratione, reddita confirmatior. Notit. Procer. pag. 385.

Inter *Poloniæ Regem & Coſſaccos*, his potiſſimum conditionibus *Pax* compoſita: „ ut privilegia Coſſaccorum antiqua confirmentur; „ numerus eorum ad XL. millia reduceretur, cujus indicem Præ„ fectus quotannis conficiat & Regi exhibeat; Græcorum Religio „ & Eccleſiæ bona eo in ſtatu permaneant, quo hucusque fuerint; „ atque Metropolita Kiowienſis, Græcæ addictus Eccleſiæ, in Co„ mitiis Regni Seſſionem ac Suffragia habeat; In Palatinatibus Kio„ vienſi, Braclavienſi, & Czernicovienſi, Rex omnes dignitates ac „ munia iis tantùm conferat, qui Religionem Ruſſorum profiteantur. Boxhorn. cont. Chronol. ed. 2, 178.

Sub hæc novus *Turcarum Sultanus Mahom. IV.* Ibraimi filius, validam *adverſus Venetos* miſerat *Claſſem*, ſed ab his malè exceptam. Ea enim apud Dardanellas elapſa, mox in portu Foggiano colliſa fuit, ubi urinatores, ab hoſte concluſi, ſuccidére rudentes, & incendia impulere: dicuntur tum periiſſe Turcicarum duæ & ſeptuaginta triremes, octodecim vaſtiores naves, onerariæ ſexaginta; Muſelmannorum 6000. capti, totidem occiſi; unde in furias actus Mehmetes, Soranzonio cum aliis mutavit purpuram in pullam, cate-

nas

nas multis injecit, flagra impegit, plures morti traditurus, niſi ab Oratore Gallicano eſſet mitigatus. Calviſ. Chronol. cont. 1028.

Nuptias celebrarunt: *Johannes Caſimirus, novus Poloniæ Rex*, cum defuncti fratris Uladislai quarti Vidua; *Chriſtianus Auguſtus, Princeps Solisbacenſis*, cum Amalia Naſſovia, Hermanni Wrangelii Suedici Ducis militaris Vidua; *Wilhelmus, Haſſiæ Landgravius*, cum Hedwige Sophia, Georgii Wilhelmi, Electoris Brandenburgici filia; *Carolus Gonzaga, Mantuæ Dux*, cùm Clara Iſabella, Leopoldi Archiducis Auſtriæ gnata. Not. Procer. pag. 21. 380. 542. Tſchimmern, 507.

Sed vivere deſierunt: *Johannes Ludovicus, Comes Palatinus Rheni, Solisacenſis lineæ. Martinizius Jaroslaus Borgitha, Bohemiæ Prorex*, olim ex feneſtra dejectus. *Simon Philippus, Lippiæ Comes* in florenti adhuc ætate, ſed, qui de familia haud optimè meritus; quippe quam longo ac moleſto implicuit litigio, dum ſuæ Matri, quæ ſecundis nuptiis Philippo Ludovico, Holſatiæ Duci Sunderburgenſi in manum convenerat, luculentam bonorum Allodialium, ad Comitatum Lippienſem pentinentium partem, contra familiæ pacta (prout Lippiæ Comites ajebant) & privilegia primogenituræ, legavit. Tſchimmern, 508. Calviſ. 1028. Not. Procer. 1398.

LIB. V. CAP. LXXXIV.

Summaria.

Pacis Cæſareo-Suecicæ ſumma, verſiculis memorabilibus incluſa.

Servientii, Plenipotentiarii Gallici vox, de Pace Oſnabrugenſi.

Ut Pax hæc Epiſcopo Oſnabrugenſi, & Chori Epiſcopo Hildeſienſi diſplicuerit?

De Lamma Tartarico, à Magno Tartarorum & Sinenſium Rege Homagium poſtulante.

Execrandum Parricidium, Carolo I. Magnæ Britanniæ Regi illatum.

De ejus occaſione duplici.

Regimen inæquale minusque temperatum, quàm autoritati imperantis noxium?

Obitus D. Cunradi Hornei.

SUmmam *Inſtrumenti pacis Cæſareo-Svecici*, non nemo hiſce verſiculis expreſſit:

Articulis ſeptem ac denis pax Svecica conſtat.
Primus Amicitiæ conjungit fœdere partes;

Præteriti immemores vult læſos eſſe *ſecundus*;
Priſtina reſtituit *ternus* ſua jura cuique;
Enumerat *quartus* ſpeciales reſtituendos.
In ſacris *quintus* conflata gravamina ſolvit:
Helvetiis *ſextus* dat Libertatis honorem:
Septimus in fœdus Calvinum pacis adoptat:
Jura politiæ Statibus *bis quartus* adumbrat.
Fori reſtituit veteris Commercia *nonus*;
Bellorum *decimus* partitur præmia Svecis;
Brandenburgiaco *undecimus* Pomerana reſarcit;
Meklenburgiacis *bis ſenus* adempta rependit;
Brunsvigium *decimi* demulcent munera *terni*.
Dat Confeſſori *decimus* ſolatia *quartus*.
Haſſum *ter quino* placant & Clerus & Haſſus.
Arma *bis octonus* ſiſtit pacemque reducit:
Septimus hanc firmat *decimus* redditque perennem!

Burgold. Notit. rer. Imper. A. 149. pag.

Præclara fuit in Male-contentos ob concluſam pacem iſtam Comitis *Servientii*, Regis Galliæ plenipotentiarii vox, qui, cùm omnia eſſent facta, transactaque, cum hoc voto finivit: *Faveat DEUS conatibus noſtris, ac diſperdatur, qui cupit bellum!* Quanquam deinde Idem ille Servientius, Religioſo cuidam de conciliata pace congratulanti reſponderit: *Imò, pater, habetis pacem, ſed nimirum non niſi ſecundum potentiam Interpretantium validam ac firmam.* Idem ibid. 145.

Inter eos autem, qui Romanum Vejovem adorant, & ejus inquieto crudelique ſpiritu agitantur, non pauci vehementer huic paci reluctati ſunt, præſertim *Epiſcopus Oſnabrugenſis*, cum ſeptendecim ſuis complicibus, qui pacem ita pactam, pro rata & grata nunquam agnoſcere voluerunt. Famaque tenet, *Chori Epiſcopum Hildeſienſem*, ſibi tunc peculiare ſignaculum confici curaſſe, cujus apoſphragiſma fuerit ſerpens, oleæ folium ore gerens, cum hac Epigraphe: *Angeli pacis amarè flebunt!* Idem, pag. 145.

Lamma Tartaricus (rerum ſacrarum apud Barbaros iſtos primus & ſummus Antiſtes, forſan Pontificem Romanum æmulaturus) à *Magno Tartarorum, ac Sinenſium Rege poſtulavit Homagium*, ſed non obtinuit; Actum illum ſufflaminante *Jeſuita Schallio*, in Aula Pekingenſi t. t. vitam degente, qui ſvaſit, ut homagii præſtandi loco,

co, protomyſtam tantùm ad Audientiam honorificentius invitari curaret, admitteretque, dein oblatis muneribus exhilaratum, cum apprecatione felicis reditûs ad ſuos iterum ablegaret. Ex Er. Franciſc. Sineſiſch Luſt-und Statsgarten. pag. 1660. pl.

CAROLUS I, Magnæ Britanniæ Rex, poſtquam in cuſtodia detentus aliquandiu fuerat, contra omnium gentium inſtituta à ſuismet ſubditis rebellibus, turbatæ pacis tam Eccleſiaſticæ quàm politicæ accuſatus; mox, cùm ad objecta coram novo Tribunali reſpondere, judicesque illos agnoſcere dedignaretur, feſtinatâ ſententia, tanquam tyrannus & hoſtis patriæ, ad ſupplicium capitis damnatus, exutusque publico edicto omni Regio honore, titulisque, tandem ſub finem Januarii, in ferale theatrum, quod ante palatium Regium extruxerant Rebelles, productus, atque à duobus larvatis lictoribus *ſecuri percuſſus eſt*. Tunc Regia gubernandi ratio ſtatim ſublata, edictumque ſub mortis pœna, ne de ea reducenda ageretur, ſumma rei à ſuperiore domo Parlamenti, ad Inferiorem delata, è qua electi quadraginta viri, *Concilium Status* dicti, quorum Princeps *Oliverius Cromwell*. Fractum Sigillum Regium, inſignia Stuarticæ Familiæ dejecta, & cuſa moneta nova, hoc titulo: RESPUBLICA ANGLICANA. Boxhorn. chron. ed. 2. 177.

Veriſſimè G. H. dixit: „Sub Jacobo I. Angliam fumare cœ„piſſe, ſed ſub Carolo in apertum ignem erupiſſe, non niſi Regio „ſanguine exſtinguendum! Cauſa non Conjugium tantùm erat, ſed & ſtudium Novitatis in Religione: Duxerat enim Carolus Henriettam, Galliæ Regis Ludovici XIII. ſororem, in Matrimonium, cumq; ea Pontificios homines plurimos in Angliā tranſtulerat. Tum ut arctius tria regna ſua confirmaret, ceremonias in Anglia uſitatas, in Scotia quoque recipi ac obſervari volebat, jubebat. Decretis hiſce conſtanter à Puritanis reclamatum eſt, cumque ſeveris hi pœnis ad obſervationem Regiorum decretorum adigerentur, Conjuratio facta, quæ in apertum poſtea bellum erupit, & in immane illud Regicidium deſiit; quanquam jure perpetratum Johannes Miltonus, contra Claudium Salmaſium fruſtra & perperam defenſavit. Horn. Orb. Imper. cum Not. Feller. pag. 338. & 334.

Olim Veſpaſianus interrogabat Apollonium, quid Neroni Ruinæ fuiſſet? Reſponſum egregia prudentia plenum erat: *Nero citharam perite pulſare & accomodare noverat; At in imperando chordas interdum nimium diſtendebat, interdum eas nimium relaxabat.* Atque certiſſi-

tiſſimum eſt, nil autoritatem æquè deſtruere, ac inæqualem, & quaſi ſubſultoriam atque intempeſtivam potentiæ alternationem, nunc rigidius intenſæ, nunc laxius remiſſæ; *Imperii Temperaturam ſervare, res ardua eſt, & rara*; ſcribit Franciſcus Baco Verulamius in ſermonibus fidelibus Ethico-Politicis, ſerm. XIX. Applicatio ad Carolum Stuartum facilis eſt &c.

Menſe Sept. vivis exceſſit *Conradus Horneius* D. Helmſtadienſis & Profeſſor Theol. Tractatum de Scriptura edidit, Locos Communes, ac diſputationes non ineruditas; ob phraſes autem, quibus ſchiſma de neceſſitate B. operum ad ſalutem renovari videbatur, cenſuris D. Rothmanni, D. Majoris, D. Hülſemanni, D. Calovii, aliorumque notatus. Indic. hiſt. Eccleſ. Kromaj. p. 489. Micræl. H. E. 503.

Sic DEI gratia humilimè celebrandâ, priorem inſtituti noſtri periodum abſolvimus.

BENEVOLE LECTOR.

EST quod in Libri proœmio locum ſuum per incuriam Typothetæ amiſit, neque tamen, de eo quin monearis vel poſtliminiò, prætereundum videtur. Nempe, cùm ſtadium quod emetiri Tecum quadantenus tentavimus, per ſe ſit ſpatioſiſſimum, ne mireris, ſi vel ad Memorabilia homogenea aut parallela priorum Seculorum, vel ad obſervationes hiſtoricas, aut etiam Dogmaticas digreſſi, Te paululum quandoque morati ſumus: Fecimus id nunquam temere, ſed ubi res lucem inde mutuari haud negligendam viſa, aut quando aliàs Tibi non ingratum fore, perſuaſum habuimus. Breves autem, nec uſque adeò frequentes nos fuiſſe in deflectendo à via nobis propoſita, matureque ſemper in eam rediiſſe, ipſe non diffiteberis. Quod ſi pro candore Tuo benignè fueris operam interpretatus noſtram, hujus nos eò minus pœnitebit, qui, commoda Tibi ut evadat, animitus precamur. Vale in DOMINO, ac fave.

INDEX

INDEX
PRÆCIPUORUM AUTORUM.
quorum
In colligendis hiſce Memorabilibus uſura ſuppetiit.

A.

Abelini (*Joh. Philippi*) *Theatrum Europæum, ab an. 1618. ad 1629. in fol. ed. Francof. 1630.*
Alardus (*Lampertus*) *de Calamitatibus Hiobiticis. Jenæ. 1649. in 4.*
Albrechti (*Georgii*) *Hierarchia Politica.* Nördlingen. 1648. 4.
Hierarchia Oeconomica. Nürnberg. 1649. 4.
Litania. Francof. 1655. 4.
Tuba Noviſſima. Nördlingen. 1645. 4.
Conciones de Cœna Domini. Ulm. 1656. 4.
Fluch ABC. Onoltzbach. 1654. 12.
Andreæ (*Joh. Valentini*) *Subſidia Rei Chriſtianæ & Literariæ. Tubingæ. 1642. 12.*
Summa Doctrinæ Chriſtianæ tergemina. Lunæb. 1644. in 12.
Seleniana Auguſtalia. Ulmæ. 1649. 12.
Andreiſch-und Grüningeriſches Geſchlecht-Büchl. Stutg. 1644. 12.
Fama Andreana refloreſcens, Argent. 12. 1630.
Kurtze Kirchen-Hiſtoria/ aus Oſiandriſchen Centurien gezogen/ und fortgeführet biß *A. 1618.* Straßb. 1630. 12.
Angeli (*Chriſtophori*) *Libellus de Statu & Ritibus Eccleſiæ Græcæ, cum Notis Georgii Fhelavii. Francof. 1655. 12.*

Anonyma Scripta.

Anzeiger der denckwürdigſten Kriegs- und anderer Händel im R. R. und angrentzenden Ländern. von Anno 1618. biß 1660. 8.
Bedencken eines Chriſtlichen Lehrers über etliche Strittigkeiten Chur-Sächſiſcher und Helmſtettiſcher Theol. 1662. 4.
Bienen-Korb Römiſcher Kirchen. *Cujus autor detectus Philippus Marnixius de Aldegonde. 8.*
Colloquium Ratisponenſe de Norma Doctrinæ & Judice Controverſiarum. Lavingæ. 1602. 4.
Compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, in uſum Gymnaſii Gothani compoſitum. Francof. & Lipſ. 1689. 8.
Dillingiſcher Kälber-Artzt/ der das Kalb ins Auge geſchlagen. 1629. 4.

Diſſertatio Monitoria an *Matthiam* Hoe / wegen der Schrifften / ſo er wider *Calviniſtas* &c. 1616. 12.

Dordrechtana Synodus de V. Capp. in Eccleſ. Belg. controverſis. Dordrecht. 1619. 4.

Ejusd. Synodi. Acta. Hanov. 1620. 4.

Epitome Rerum Germanicarum ab A. 1617. ad 1643 geſtarum. 12.

Erläuterung der vermeinten dunckelen *Præfation* beſcheidenlicher Antwort / weiland auff die treuhertzige Vermahnung der Pfältzer abgeben/ darinn der Würtenbergiſchen *Theologen* Unſchuld ans Liecht gebracht wird/ in 4. 1652.

Floſculi Blaſphemiarum Jeſuiticar. ex trib. Concion. ſuper beatificatione Ignatii Lojolæ habitis, decerpti; unà cum Sorbonæ Pariſienſis Cenſura. 1612. 4.

Fürſtellung der *Procedur Cœleſtini Myslentæ* mit abgelebtem Cörper *Michaëlis* Böhmen. Königsberg. 1650. 4.

Gloria immaculatè conceptæ Mariæ Virginis, centum Eccleſiæ teſtimoniis & Anagrammatibus ſtabilita. Colon. Agripp. 1662. 12.

Manuale Juridico-Theologicum, ex Rationali Canonico Joh. Bapt. Viviani, JCti Rom. tranſumptum, in 12.

Orbis Lumen, & Atlantis juga tecta retecta. Oder/ Entdeckung und Beſchreibung der gantzen Welt. Franckfurt. 1656. 8.

Pietas Francica, ſeu Francorum Regum in Eccleſiam & ſummos Pontifices merita &c. 1662. 4.

Philoſophia Saluſtiana. Von der Teutſchen *SALUS.* 1664. 12.

Relation von der Stadt Augſpurg/ Evangeliſchen Theils/ erbärmlichen Zuſtand A. 1628. 1629. 4.

Rettung der *Motiven*/ warumb die Lutheriſche beurlaubte *Theologi* zu Marpurg/ zwey Heſſiſche *Synodal*-Abſchied/ und ſo genante Verbeſſerungs-Puncten nicht unterſchreiben wollen. Gieſſen. 1606. 4.

Neue Schwarmgeiſter-Brut/ von Quackern / Rantern/ Robins-Sect. 1661. 8.

Taxa Cancellariæ Apoſtolicæ, notis illuſtrata per L. Bank. Franeqn. 1651. 8.

Theatrum Electionis & Coronationis Romano-Cæſareæ. Francofurt. 1657. 4.

Turcarum Artes & Arma, quibus Transſylvaniam & Hungariam ſubegêre. 4.

Tur-

Turco-Papiſmus, Guilielmi Giffordi Calvino-Turciſmo oppoſitus. Londini. 1604. 8.

Türcken Trutz/ Gottes Schutz/ in 4. 1661.

Wunderbahrliche Propheceyung eines Siebenbürgiſchen Propheten. Hermanſtatt. 1630. 4.

Göttliches Wunder-Buch von Offenbahrungen und bedencklichen Reden *Ponitovskiæ, puellæ Cotbuſanæ*, und *Benignæ* Königin. 1630. 4.

Arminii (*Jacobi*) *Diſputationes Theol. cum Oratione P. Bertii de ejus vita & obitu. Lugd. Bat.* 1614. 8.

Arnoldi (*Nicolai*) *Refutatio Catechiſmi Racovlani Maj. Franeq.* 1654. 4.

Arthi (*Gothardi*) *Mercurius Gallo-Belgicus ſuccenturiatus.* 1601. & *ſeqq. usque ad* 1623. *Francof.* 8.

Artopæi (*Joh. Chriſtoph.*) *Diatribe de vera ætate AntiChriſti.* 1665. 12.

S. Aurelii Auguſtini *de Doctrina Chriſtiana Libri IV. cum Præfat. G. Calixti.*

B.

Baconi de Verulamio (*Franciſci*) *Sermones Fideles Ethici, Politici, Oeconomici. Amſtel.* 1685. 12.

Bakii (*Reinhardi*) *Expoſitiones Evangeliorum. Lubec.* 1650. 1651. 4.

Balde (*Jacobi*) *Jeſuitæ, de Vanitate Mundi, Poëma. Monachii.* 1638. 12.

Balduini (*Friderici*) *Caſus Conſcientiæ. Francof.* 1654. 4.

Oratio Panegyrica de Synodo Evangelicorum Generali. Witteberg. 1614. 4.

Commentarii in omnes Epiſtolas Pauli. Francof. 1655. *fol.*

Barclaji (*Johannis*) *Satyricon. Amſtelod.* 1629. 16.

Baudii (*Dominici*) *Epiſtolæ. Lugd. Batav.* 1650. 12.

Bebelii (*Balthaſaris*) *Repulſa Appellationis Joh. Duræi ad Tribunal J. C. adverſus accuſationes Dannhauerianas.* 1666. 8.

Becani (*Martini*) *Opera. Mogunt.* 1630. *fol.*

Becken (Joh. Jacob) Lutherthumb vor dem Luther. Nürnb. 1643. 4.

Beerii (*Johannis*) *Luxenburgenſis, Conculcatio Papiſmi, ſive Oratio Revocatoria. Tubingæ.* 1654. 4.

Bembellonæ (*Antonii*) *Tempeſtivum Suſcitabulum pro Principibus. Serveſtæ.* 1602. 4.

Bertrams (*Caſpari*) kleine Sächſiſche Chronica, von Sachen unter Chur-Fürſt *Joh. Georg. I.* 1657. 4.

B[illegible]nchi (*Johannis*) *Catechiſmus Pſalmodicus. Francof.* 1657. 4.

Bindeli (*Chriſtophori*) *Sophiſta Polycephalos. Tub.* 1614. 4.

Theologia Scholaſtica. Tub. 1614. 4.
Theſes de Bonis Eccleſiæ. Tub. 1615. 8.
Tr. de Cauſis Peſtis. Tub. 1611. 8.
Von Bircken (Sigmunds) Chur- und Fürſtl. Sächſiſcher Helden-Saal. Nürnb. 1677. 12.
Blumii (*Nicolai*) Leich-Predigt/ *D. Nicolao Crellio* gehalten. *Tub.* 1602. 4.
Boemii (*Johannis*) *Mores, Leges, Ritus omnium Gentium.* 1591. 12.
Böhmiſcher Stände *ſub Utraque*, andere *Apologia*, in 4. 1619.
Botſacci (*Johannis*) *Contradictiones Pontificiæ. Witteb.* 1624. 8.
Boxhornii (*Zuerii*) *Chronologia per Danielem Hartnaccium contin. edit.* 1. & 2. *in fol.*
Brerewood (*Edoardi*) *Scrutinium Religionum & Lingg. Francof.* 1679. 12.
Brigels (*Matthiæ*) Friedens-Predigt/ gehalten A. 1649. 4.
Brunnemanni (*Johannis*) *Tractatus de Proceſſu tum Criminali Inquiſitorio, tum Civili. Francof. ad Oder.* 1666. 4.
Bucholzeri (*Abrahami*) *Index Chronologicus, Görlizii.* 1599. 8.
Burgoldenſis (*Philippi Andreæ*) *Notitia Rerum illuſtrium Imper. R. G. tripartita, ſive Diſcurſus ad Inſtrumentum Pacis Oſnabrugo-Monaſterienſis.* 1669. 4.
Burii (*Johannis*) *Motiven*/ den Exulanten gutes zu thun. 1680. 4.

C.

Calixti (*Georgii*) *Diſſ. XV. de præcip. Chriſt. Relig. capitibus. Helmæſtad.* 1658. 4.
Tract. de Conjugio Clericorum. Francof. 1653. 4.
Exercitatio de Autoritate S. Scripturæ & numero Libror. Canon. Vet. Teſt. Helmſt. 1654. 4.
Diſſertationes de Veritate unicæ Religionis Chriſt. & autorit. Antiquit. Eccleſiaſticæ. Ibid 1658. 4.
Orationes tres de Pontifice Rom. 1658. 4.
Expoſitio Hiſtoriæ Joſephi. Helmſt. 1643. 4.
Colloquium Hemelsburgenſe cum Jeſuita N. de primo principio & jud. Rel. Orthod. 1657. 4.
Calovii (*Abrahami*) *Syſtema Theolog. Witteb.* 1655. 4.
Conſideratio Arminianiſmi. Witteb. 1657. 4.
Conſiderationis Arminianiſmi Vindiciæ contra Henr. Nicolai. Witteb. 1653. 4.
Judicium Theolog. ſuper Orat. Chriſtiani Dreieri de Syncretiſmo. 1653. *Witteb.* 4.
Calviſii (*Sethi*) *Opus Chronologicum, cum continuat. Francof.* 1685. *fol.*

Carpzovii

Carpzovii (*Ioh. Bened.*) Evangeliſches Danck-Opffer / bey dem Gedächtnis-Feſt deß hundert-jährigen Religion-Friedens im H. R. Leipzig. 1655. 4.

Celli (*Erhardi*) *Imagines Profeſſorum Tubingenſium, elogiis illuſtratæ.* Tub. 1596. 4.

Chemnitii (*Chriſtiani*) *Collegium Theologicum in Form. Concord.* Jen. 1661. 4.

Chemnitii (*Martini*) *Harmonia Evangeliſtarum, à Polyc. Lyſero continuata, & per Joh. Gerhardum abſoluta.* Francof. 1652. fol.

Claſenii (*Danielis*) *de Religione Politica Liber Unus,* Magdeb. 1655. 8.

Cluveri (*Johannis*) *Epitome Hiſtoriarum totius Mundi, uſq; ad A.* 1633. 4.

Cluverii (*Philippi*) *Introductio in univerſam Geograph.* Lugd. Bat. 1641.

Chriſtiani (*Davidis*) *Diſputatio Inaug. de Pontificis R. Infall. Romanæ Eccleſiæ Principatu & SS. Canoniſatione.* Gieſſæ. 1652. 4.

Crameri (*Danielis*) Bericht von *Colloquio* und *Poſt-Colloquio* zu Regenſpurg. Leipzig. 1602. 4.

Sana Doctrina de Prædeſtinatione. Stetini. 1611. 8.

Creidii (*Hartmanni*) *Nôſſe me & nôſſe Te; ex Evangel. Dominic.* geläutert. Franckfurt. 1658. 4.

Crocii (*Johannis*) *Anti-Becanus.* Caſſell. 1643. 4.

Vindicatio Anti-Becani. Marpurg. 1654. 4. maj.

Cudſemii (*Petri*) *libellus de deſperata Calvini cauſa.* Mogunt. 1609. 8.

Cyprii (*Philippi*) *Chronicon Eccleſiæ Græc. cum commentar. & notis Henrici Hilarii.* Lipſ. 1681. 8.

D.

Dannhaueri (*Joh. Cunradi*) *Hodoſophia Chriſtiana, auctior.* Argent. 1666. 8.

Antichriſtoſophia, ſeu Revelatio AntiChriſtianiſmi. ib. 1640. 8.

Deuteronomium, ſ. Collegium Decalogicum. ib. 4.

Gamaliel [illegible] *Teuto.* ib. 1665. 4.

Myſterium [illegible] *detecti & proſcripti.* ibid. 1648. 4.

Diſſert. [illegible] *de Flagelli Turcici Fatique luce.* 1664. 4.

Chr[illegible] *Primus.* 1646. 4.

Catechiſmus-[illegible] Straßburg. 1642. ſeqq. 4.

Scheid-[illegible] Brief / uber das vom T. beſeſſene Adel Jungfraul. 1667. 8.

Gorgias Leontinus Sophiſta, in Valeriano Magno Mediolanenſi redivivus. 1652. 4.

Hermeneutica Sacra. 1654. 8.
Hodomoria Spiritûs Papæi, 1653. 8.
Hodomoria Spiritus Calviniani, detecti & examinati. 1654. 8.
Illex & Obex Pacis Eccleſiarum Sanctæ. 1666. 8.
Polemoſophia, ſ. Dialectica Sacra. 1648. 8.
PræAdamita Utis, ſ. Fabula primorum hominum ante Adamum conditorum exploſa. 1656. 8.
Reformirtes *Salve* und Fridens-Gruß/auf die Probe geſtellet. 1658. 8.
Decumani (*Johannis*) *Jeſuitæ*, Erwegung der zwo Lyſeriſchen Predigten zu Prage gehalten. Ingolſtatt. 1608. 4.
Dieterici (*Cunradi*) *Inſtitutiones Catecheticæ. Ulmæ* 1640. 8.
Breviarium Hiſtoricum. Gieſſæ. 1652. 8.
Dorſchei (*Joh. Georgii*) *Interpellatio neceſſaria ad Meditationes Jacobi Triglandii de Voluntate DEI & Scientia Media Argent.* 1645. 4.
Theologia Zachariana. Francof. 1653. 4.
Pentadecas Diſſertationum Theologicarum. Argent. 1654. 4.
Anticriſis Theologica, Judicio Erneſti de Euſebiis oppoſita, ſuper Pace Weſtphal. 1648. 4.
Tractatus de Gratia, cont. Ferrium Calvin. Roſtoch. 1660. 4.
Kircherus Devius, ſ. Hodegeticus Catholicus. Argent. 1645. 12.
Admirandorum JESU Septenarius, Hamb. 1645. 12.
Singularium Angelicorum Septenarius. Argent. 1645. 12.
Heptas Diſſertationum Hiſtorico-Theologicarum. Roſtoch. 1660. 12.
Dunte (*Ludovici*) *Caſus Conſcientiæ. Erfurti.* 1648. 4.

E.

Ekhardi (*Melch. Sylveſt.*) *Chriſtianus Religioſus. Ulmæ.* 1651. 8.
Genuinus Chriſtianiſmus. ibid. 1651. 8.
Theologiæ Studioſus. ib.
Paſtor Conſcientioſus. ibid. 1653.
De Euſebiis (*Erneſti*) *Judicium Theologicum de Pace, quam Proteſtantes deſiderabant.* 1647. 4.
Vehiculum Judicii.

F.

Fechtii (*Johannis*) *Diſquiſitio de Eccleſia Judaica. Argent.* 1662. 4.
Foreri (*Laurentii*) *Symbolum Catholicum (i. e. Pontificium) collatum cum Symbolo Apoſtolico. Dillingæ.* 1622. 4.
Symbolum Lutheranum, collatum cum Symbolo Apoſtolico. Dillingæ, 1622. 4.

Uber-

Uberſchlag über den Starenſichtigen von Sächſiſchen *Prædicanten* übel geheylten Augapffel. *ibid.* 1629. 4.
Manuale Lutheranorum. ibid 1628. 8.
Par Nobile Fratrum, Thumminus ac Zeemann. ib. 1628. 12.
Færſteri (*Johannis*) *Theſaurus Catecheticus. Wittenb.* 1614. 4.
Franciſci (*Eraſmi*) Luſtige Schaubühne von allerhand *Curioſitäten* Nürnb. 1674. 8.
Gegenſtral der Morgenröthe Göttlicher Warheit / wider das Sterngleiſſende Bömiſche Irrliecht. Nürnb. 1685. 12.
Oſt und Weſt-Indianiſcher / wie auch Sineſiſcher Stats- und Luſtgart. *ibid.* 1668. *fol.*
Franzii (*Wolfgangi*) *Tractatus de Interpretatione Scripturæ S. Witteb.* 1634. 4.
Diſpp. in Aug. Confeſſ. & Articc. Abuſuum. ib. 1611. 4.
Oratio de Jeſuitarum cruentis Machinationibus. ib. 1612. 4.
Schola Sacrificiorum Patriarchalium. 1654. 4.
Fridliebii (*Friderici Henrici*) *Theologia Exegetica, ſive Obſervationes Biblicæ, cum Auctariis Hiſtoricis. Francoſ.* 1660. *fol.*
Fritſchii (*Abaſveri*) *Tract. de Peccatis Miniſtrorum Principis. Jenæ.* 1674. 8.
Frœreiſenii (*Iſaaci*) *Vindiciæ, quibus Lutherus ab immani odio, contemptu & ignorantia Sanioris Philoſophiæ immunis aſſeritur, cont. criminationes Jeſuitæ Rœſtii. Jenæ.* 1619. 4.

G.

Geilfuſii (*Johannis*) *Diſſertatio de moderno Eccleſiarum Statu in toto Terrarum Orbe. Tub.* 1618. 4.
Gerhardi (*Johannis*) *Confeſſio Catholica. Jenæ.* 1634. *ſeq.* 4.
Loci Theologici, cum Exegeſi. Jenæ. 1610. *ſeqq.* 4.
Diſputationum pro Gloria DEI partes tres. ib. 1657. 4.
Annotationes in Evangeliſtam Matthæum, analectis Filii auctæ. ib. 1663. 4.
Chiliaſmi Fundamenta deſtructa. ib. 1667. 4.
Annotationes in Apocalypſin. ib. 1643. 4.
Theologiæ Studioſus. ib. 1653. 8.
Gerlachii (*Stephani*) Conſtantinopolitaniſche Reysbeſchreibung. 1674. *fol. Francoſ.*
Geſneri (*Salomonis*) *Papiſmi Calvinianorum dogmatici & practici, duabus Diſpp. propoſiti. Francoſ.* 1598. 4.

Gieſſen-

Gieſſenſium *Theologorum Diſputationes de præcipuis Religionis controverſiis. Gieſſæ. 1610. ſeqq. 8.*

Gobathi (*Georgii*) *Vindiciæ Theologicæ, cont. nonnullos J Ctos, pro Theologis, Scribentibus de Materiis, alterutro Jure comprehenſis. Frib. Helvet. 1654. 8.*

Gœbelii (*Job Cunradi*) *Conciones in Articulos Aug. Conf. Francof. 1654. fol.*

A Goës (*Damiani*) *Fides, Religio, & Mores Æthiopum. 1591. 12.*

Gottfrieds (*Joh. Ludov.*) Hiſtoriſche Chronica / nach denen IV. *Monarchien* geſtellet biß 1618. Franckef. 1630. 4.

Gramondi (*Gabr. Barth.*) *Hiſtoria Gallicana, ab exceſſu Henrici IV. Mogunt. 1673. 8.*

Graueri (*Alberti*) *Libellus de Unica & ſimplici Veritate. Jenæ. 1665. 4.*

Abſurda abſurdorum abſurdiſſima Calviniſtica Abſ. ib. 1612. 4

Harmonia præcipuor. Calvin. & Photin. ib. 1613. 4.

Diſſertatio Theologica & Scholaſtica de Satisfactione Chriſti, Photinianis oppoſita.

Centuria Quæſtionum illuſtrium. Jen. 1614. 8.

H.

Hafenrefferi (*Matthiæ*) *Oratio Funebris in Obitum Joh. Georg. Sigwarti Tub. 1619. 4.*

Oratio Funebris in Obitum Stephani Gerlachii. Tub. 1614. 4.

Oratio, habita in funere Andreæ Oſiandri. Tub. 1617. 4.

Leichtpredigt / *D.* Jacob Heilbrunnern gehalten. 1618. 4.

Hamburgenſis *Miniſterii Tr.* vom Quacker-Greuel. Hamb. 1661. 8.

Hafenmülleri (*Eliæ*) *Hiſtoria Jeſuitica. Francof. 1593. 4.*

Heideggeri (*Joh. Henrici*) *Hiſtoria Papatûs. Amſtelod. 1684. 4.*

Heilbrunneri (*Jacobi*) *Synopſis Doctrinæ Calvinianæ altera. Laningæ. 1595. 4.*

Uncatholiſches Pabſtumb. *ibid. 1609. fol.*

Heinlini (*Joh. Jacobi*) *Muri Babylonîs deſtructi. Tub. 1654. 12.*

Herbergeri (*Valerii*) Hertzpoſtill. Leipzig. 1613. *fol.*

Herrenſchmids (*Jacobi Ad.*) Cantzel-*Diſcurs* von Gottes Mauß-Regiment. Nürnb. 1661. 4.

Herwarti (*Henrici Philippi*) *Introductio ad Lectionem Biblicam, cum Supplemento ad Scrutinium Philologicum Glaſſianum. Francof. & Jenæ. 1677. 8.*

Heſenthaleri (*Magni*) *Oratio Funebris Memoriæ Principis Joh. Friderici Wirtemb. dicata. Stutg. 1659. 4.*

Hiemeri (*Joh. Henrici*) *Oratio Theologica de Divinitate Jeſu Chriſti, furoribus & calumniis Hæreticorum oppoſita. Tub. 1615. 4.*

Bruderſchafft unſerer L. Frauen Raidt in deß H. R. Statt Schlet-ſtatt. *Tübing. 1617. 8.*

Himmelii (*Johannis*) *Tractatus de natura vera & religioſa Invocationis. Jenæ 1624. 8.*

Hofmanni (*Chriſtiani*) *Conſenſus ac Diſſenſus Religionum Profanarum cum Chriſtiana in lucem productus. Jenæ. 1667. 4.*

Hofmanni (*Joh. Jacobi*) *Lexicon Univerſale. Baſileæ. 1677. fol.*

Hogels (*Zachariæ*) Weiſer Gamaliel/ in *Prognoſti*ſchem *Diſcurs* vom Oſnabrückiſchen Frieden. Erfurt. 1648. 12.

Hornbekii (*Johann*) *Summa Controverſiarum. Colbergæ. 1676. 8.*

Hornii (*Georgii*) *Hiſtoria Eccleſiaſtica, cum Notis & obſervationibus Leydekeri. Lugd. Bat. 1687. 12.*

Orbis Imperans, cum Notis Joach. Felleri. Francof. & Lipſ. 1677. 12.

Orbis Politicus, cum animadverſionibus Ottonis Menckenii. Ibid. 1685. 12.

Hottingeri (*Joh. Henrici*) *Hiſtoria Orientalis. Tiguri. 1660. 4.*

Cippi Hebraici, ſ. Hæbræorum Monumenta. Heidelb. 1662. 8.

Hiſtoria Eccleſiaſtica. Hanov. ac Tigur. 1655. ſeqq. 8.

Topographia Eccleſiaſtica Orientalis. Heidelbergæ. 1662. 8.

Hülſemanni (*Johannis*) *Diatribe Scholaſtica de Auxiliis Gratiæ. Lipſ. 1655. 4.*

Vindiciæ S. Scripturæ per loca Claſſica Syſtematis Theologici. Lipſ. 1679. 4.

Dialyſis Apologetica Problematis Calixtini de Myſterio SS. Trin. Lipſ. 1650. 4.

Diſputatio de Præſcriptione, an. ſc. Opinio quædam mentis de dogmatibus Theol. finito temporis tractu poſſit præſcribi? Ib. 1646. 4.

Manuale Confeſſionis Auguſtanæ, vindicans eam contra Jeſ. Hagerum Witteb. 1653. 8.

Calviniſmus [cum Lutheraniſmo] irreconciliabilis. Witteb. 1644. 8.

Hunnii (*Nicolai*) *Diaſcepſis Theologica de Fundamentali Diſſenſu Doctrinæ Luth. & Calvin. Lub. 1626. 8.*

Pellis ovina, Eccleſiæ Pontificiæ detracta. Lub. 1637. 8.

Hutteri (*Leonhardi*) *Concordia Concors, Hoſpiniani convitiis oppoſita. Witteb. 1622. 4.*

Explicatio Libri Chriſtianæ Concordiæ. Witteb. ed. quart. 8.

Irenicum verè Chriſtianum, Pareo oppoſitum. ib. 1618.
Calviniſta Aulico-Politicus. ib. 1610. 8.
Calviniſta Aulico-Politicus alter. ib. 1614. 8.
Threnologia, de vita, obitu, & rebus geſtis Ægidii Hunnii. Tub. &c. an. 1604.

I.

Jacobi I. *Magnæ Britanniæ Regis Doron Baſilicon, ſeu Inſtitutio Regia, ad Filium primogenitum Henricum, Walliæ Principem. Hanoviæ, 1604. 8.*
Jenenſium *Proſcriptio Pennaliſmi. 1661. fol.*
Imhofii (*Jacobi Wilhelmi*) *Notitia Procerum Imperii Romano-Germanici. Tub. 1684. 8.*
Ejuſdem Notitiæ Supplementum. 1688. 8.
R. Joſephi (*Pauli*) *Poſnanienſis*, getaufften Juden/ Beweiß/ *Jeſum Virg. Mar. Fil. eſſe promiſſum Meſſiam.* Nürnb. 1612. 8.
Junii (*Melchioris*) *Orationum Tomi duo. Argent.* 1611. 8.

K.

Kempii (*Martini*) *Diſſertatio de Statu Armeniæ Eccleſiaſtico & Politico. Jen. 1665. 4.*
Kißlings (Johann) Chriſtl. Lebens-und Sterbens-Kunſt. 8.
Königs (*Georgii*) *Caſus Conſcientiæ, ex capp. Catech. Altorf. 1654. 4.*
Kleſchii (*Danielis*) *Schema Septem Candelabrorum Aſiaticorum in Apoc.* 1691. *for. Reg.*
Kurtzer Entwurff oder Außzug deß entdeckten Geheimnisſes vom Thier mit zweyen Hörnern/ *Apoc. 13, 11. ſeq.* 1691. 4.
Kromayeri (*Hieronymi*) *Eccleſia in Politia, i. e. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Centuriæ XVI. cum dimid. XVII. Lipſ.* 1666. 4.
Theologia Poſitivo-Polemica. Lipſ. 1671. 4.
Polymathia Theologica. Lipſ. 1669. 4.
Scrutinium Religionum. Francof. & Lipſ. 1681. 4.
Loci Anti-Syncretiſtici, quibus acceſſere Tractatus de Libertiniſmo credendi, Religione Prudentum, &c. Lipſ. 1683. 4.
Kromayeri (*Johannis*) *Epitome Libri Concordiæ, una cum Indiculo Hiſtoriæ Eccleſ. Lipſ.* 1663. 12.

L.

Lælii (*Jacobi*) fünff Predigten vom geiſtlichen Hunger und Durſt / zu S. Peter in der Aw gehalten. Leipz. 1611. 4.
Lanſii (*Thomæ*) *Conſultatio de Principatu inter Provincias Europæ. Tub.* 1655. 8.

Mau-

Mantiſſa Conſultationum & Orationum. Tub. 1656. 8.

Laſſenii (*Johannis*) Hiſtoriſche Erörterung von der Quacker-Secte. Hamburg. 1661. 8.

Liebharti (*Ludovici*) *brevis & ſuccincta Proteſtantium Auguſtanæ Confeſſionis, & Calvino-Reformatorum Hiſtoria.* 1671. 4.

Lipſienſium *ſtudio congeſta Acta Eruditorum.* 1682. *ſeqq.* 4.

Litſichii (*Ottonis*) gründlicher und moraliſcher Abriß deß Baums deß Verderbens/ i. e. Päbſtlichen Glaubens/ *Tub.* 1660. in 12.

Lundorpii (*Mich. Caſp.*) *Continuatio Hiſtoriæ Sleidani de Statu Religionis & Reip. usque ad Ann.* 1609. 8.

Lyſeri (*Polycarpi*) zwo Predigten zu Prage gehalten/ von deß Menſchen Rechtfertigung/ und guten Wercken. 1607. 4.

Vindiciæ, calumniis Irenici Pareani oppoſitæ, in Quæſt. An Syncretiſmus in rebus fidei cum Calvinianis coli poſſit? Et, num in politica converſatione Pontificii illis præferendi? Lipſ. 1616. 4.

Lyſeri (*Wilhelmi*) *Neceſſaria Depulſio duarum accuſationum graviſſimarum contra Lutheranos, dicentes, Papam Rom. eſſe AntiChriſtum.* 1628. 12.

M.

Von Mandelslow (Joh. Albrechts) Morgenländiſche Reyſe-Beſchreibung/ durch *Olearium* heraus-gegeben. 1658. *fol. min.*

Mansfeldenſium *Theologorum*, Widerlegung deß Keckiſchen Buchs (von widerholtem *Huberianiſmo*) Leipz. 1611. 8.

Mareſii (*Rolandi*) *Epiſtolarum Philologicarum libri duo. Lipſ. & Francof.* 1687. 12.

Mareſii (*Samuelis*) *Fœderatum Belgium Orthodoxum. Gröning.* 1652. 4.

Diſſertatiuncula Hiſtorico-Theologica de Waldenſibus. 1660. 4.

Martini (*Jacobi*) *libri tres de tribus Elohim, Judæis & ſemi-Judaiſantibus oppoſiti. Witteb.* 1619. 8.

Exercitationes Metaphyſicæ. 1608. 8.

Vindiciæ Eccleſiæ Lutheranæ, cont. Valeriani Magni abſurdas conſeq. de Regula credendi. Witteb. 1631. 8.

Mauritii (*Erici*) *Diſſertatio Jurid. de Receſſibus Imp. Tub.* 1664. 4.

Diſſ. de Denunciatione Sagarum, Reſp. inauguraliter Chriſtoph. Danrero. Tub. 1664. 4.

Megiſeri (*Hieronymi*) *Inſtitutiones Linguæ Turcicæ.* 1612. 8.

Meiſneri (*Balthaſaris*) *brevis Conſideratio Theologiæ Photinianæ. Witteb.* 1619. 8.

Philoſophia Sobria. Witteb. 1619. *ſeqq.* 8.
Meiſneri *(Johannis) Faſciculus Diſp. Theolog. Witteb.* 1660. 4.
Vindicatio Artic. V. Aug. Confeſſ. Witteb. 1650. 4.
Majeſtas Scripturæ S. ibid. 1653. 4.
Mengeringii *(Arnoldi) Scrutinium Conſcientiæ Catecheticum. Altenburg.* 1642. 4.
Menzeri *(Balthaſaris) Defenſio contra Criminationes (quas vocat) Luc. Oſiandri, Melch. Nicolai, Th. Thummii in Controverſia de Exinanitione Chriſti. Gieſſæ,* 1624. 4.
Exegeſis Aug. Confeſſionis. Marpurg. 1625. 12.
Meſſenii *(Johannis) Chronicum Epiſcoporum Suetiæ. Lipſ.* 1685. 12.
Micrælii *(Johannis) Syntagma Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Stetin.* 1660. 8.
Miræi *(Auberti) Notitia Epiſcopatuum per totum Orbem. Antwerp.* 1613. 8.
Mœbii *(Georgii) Tractatus Philologico-Theologicus de Oraculorum Ethnicorum Origine, Propagatione, Duratione. Lipſ.* 1660. 4.
Moguntinenſium *Jeſuitarum Animadverſiones in Crocii Anti-Becanum. Mogunt.* 1647. 4.
Mülleri *(Johannis) Atheiſmus devictus.* Hamburg. 1672. 4.
Gründliche Antwort auff der Papiſten Einwürffe wider die Lutheriſche Kirchen. *Ibid.* 1631. 12.
Lutherus defenſus. 1658. 8.
Defenſio Lutheri defenſi. cont. Jeſuit. Carol. von Creutzen.

N.

Neuhofs *(Johannis)* Sineſiſche Reyß-Beſchreibung. Amſterd. 1666. 4.
Nicolai *(Melchioris) Compendium didacticum & elenchticum aphoriſmis incluſum, Ulmæ in* 8. 1655.
Beantwortung deß Brandenburgiſchen Warheit-Spiegels/ und der *Apologiæ* deſſelben, *Tub.* 1643. 4.
Symbolum Lutheranum ab impoſturis & calumniis Foreri vindicatum Tub. 1624. 4.
Jubar Veritatis, ſive Operæ pretium ad Manupretium Foreri. ibid. 1652. 4.
Umbellæ Somnium Jeſuitico-Forerianum, oppoſito Cœleſtis Veritatis jubare diſcuſſum. Stutg. 1652. 4.
Reformator Germaniæ Lutherus, à VII. characteribus Foreri vindicatus. Tub. 1668. 4.
Conſideratio Theologica IV. Quæſtionum de profundiſſima Exinanitione Chriſti. ed. alt. Tub. 1672. 4.

Erdbidems-Predigt/ in Stutgart gehalten. 1655. 4.

Nicolai (*Philippi*) *Commentariorum de Regno Chriſti libri duo. Francbſ.* 1597. 8.

Noldii (*Chriſtiani*) *Leges diſtinguendi. Francof.* 1676. 12.

Nuberi (*Georgii*) *Conciones Meteoricæ. Ulmæ.* 1661. 4.

O.

Olearii (*Adami*) Reyß-Beſchreibung der kundbaren Holſteiniſchen Geſandtſchafft nach Moſcau und Perſien. *Ed. III. Sleſwig.* 1663. fol.

Oppenbuſchii (*Michaelis*) *Diſſ. de Religione Moſcovitarum. Argent.* 1677. 4.

Oſiandri (*Andreæ*) *Diſpp. ex Libro Concordiæ in Theſes redacto. Francof.* 1611. 8.

Diſſertatio de Fuga Peſtis. Tub. 1611. 8.

Inquiſitio Catholica de tractandis Hæreticis, Inquiſitioni Hiſpanicæ oppoſita, Reſpond. Fr. Arnoldo. Tub. 1609. 4.

Oratio de Vita & Obitu Johannis Magiri. Tub. 1614. 4.

Papa non Papa. Francof. 1610. 12.

Oſiandri (*Joh. Adami*) *Obſervationes in libros Hugonis Grotii de Jure Belli & Pacis. Tub.* 1671. 8.

Syſtema Theologicum. Tub. 1679. 4.

Exercitationes de Notitia DEI innata, inſita, acquiſita, Naturali, &c. 1657. 4.

Chronotaxis Hiſtorica, Patriarcharum, Regum, Imperatorum, Conciliorum, Patrum, Scholaſticorum &c. Tub. 1673. *fol.*

Diſp. de Canoniſatione & Cultu Sanctorũ, Reſp. M. Denzelio. 1678. 4.

Janſeniſmi Specimen. Tub. 1667. 4.

Diſſ. de Jubilæis Hebræorum, Chriſtianorum, & Academiarum. ibid. 1677. 4.

Diſp. de Miraculis, Reſp. M. Joh. Lud. Schaubeckero, 1682. 4.

Exercitationes Thummianæ. 1664. 4.

Oſiandri (*Lucæ*) *Epit. Hiſt. Eccleſ. Cent. XVI. Tub.* 1593. 4.

Abriß und Muſter deß trefflichen Kleinods/ welches die Jeſuiten zu Durlach erfochten. *ib.* 1614. 4.

Oweni (*Johannis*) *Epigrammata. Amſtelod.* 1644. 16.

P.

Parei (*Davidis*) *Opera Theologica Exegetica. Genevæ,* 1642. 1650. *fol.*

Oratio de Pace & Unione Eccleſiarum Evangelicarum. Heidelbergæ. 1616. 4.

Pererii (*Benedicti*) *Commentar. in Proph. Danielem. Antuerp.* 1594. 8.
Pezoldi (*Martini*) Chriſtliche Schnee-Gedancken. *Jenæ*. 1624. 8.
Pfeifferi (*Augusti*) *Panſophia Moſaica è Geneſi. Lipſ.* 1685. 12.
Lutherthumb vor Luthern. *Pirnæ*. 1685. 12.
Piſcatoris (*Johannis*) *Reſponſio ad Apologeticum Petri Bertii de Prædeſtinatione. Herborn.* 1615. 4.
Platinæ (*Barthol.*) *Hiſtoria, de Vitis Pontificum R. cum Supplemento Onuphrii, Cicarellæ, & Bzovii. Colon. Agripp.* 1626. 4.
Pufendorfii (*Samuelis*) *Introductio ad cognitionem Statuum in Europa.* 1682. 8.
Ejusdem Introductionis Continuatio, quoad Regnum Sueciæ. 1683.
Pulcii (*Andreæ*) *Diſſertatio Hiſtorico-Didactica de Diluvio Thuringiaco. Jenæ.* 1613. 4.

R.

Raithii (*Balthaſaris*) *Specimen Collegii Biblici ad magnum Opus Buxtorfii, Hebræo-Chaldæo-Rabbinico-Maſoreticum, ex Obadia repræſent. Tub.* 1658. 4.
Errorum Aquilegium, ſ. Diſp. exhibens primum Falſum præcipuarum Religionum heterodoxarum noſtri temporis. 1654. 4.
Diſſertationes duæ de Poteſtate Magiſtratus circa Eccleſiam. Tub. 1656. 4.
Diatribe Hiſtorico-Theologica de Indicibus Expurgatoriis Inquiſitorum atque Cenſorum Regni Pontificii. 1658. 4.
Hagiolatria Pontificia everſa & proſcripta. 1656. 4.
Epitome Islamiſmi Turcico-Muhammedici. 1664.
Vadum Thalmudicum; quoad priora capita tentatum. 1658. 4.
Chriſtophorus Zellerus, ſuprema laudatione celebratus. 1669. 4.
Rangonis (*Cunr. Tiburtii*) *Tr.* von der neuen Quäkerey in der neuen *Quietiſterey*/ ſo von Michael *Molinos* erreget. Franckfurt und Leipzig. 1688. 12.
Rechenbergii (*Adami*) *Biga Diſſertationum de maleſana & ſana Curioſitate in Theologia. Lipſ.* 1675. 4.
Remonſtrantium *ſ. Arminianorum, Epiſtola ad exterarum Eccleſ. Reformat. Dd. Epiſtolæ delegatorum Claſſis Walachriæ oppoſita. Lugd. Bat.* 1617. 4.
Riveti (*Andreæ*) *Catholicus Orthodoxus, Bailii Catholico Papiſtæ oppoſitus. Lugd. Bat.* 1630. 4.
Ræberi (*Pauli*) *Arcus Triumphalis*, bey Begräbniſſen ſiegreicher Chriſten aufgerichtet. Franckf. 1657. 4.

Cen-

Centuria Funeralium ſingularis. ib. 1662. 4.
Rochefort's Beſchreibung der Inſulen *Antillen in America.* Franckfurt. 1668. 12.
Rohanii *Trutina Statuum Europæ, ſ. Principum Chriſtiani Orbis Intereſſe. Lugd. Ba. 1645. 12.*
Von Roſſet *(Francisci)* Wunderliche und Traurige Geſchichten / durch *Mart. Zeill.* verteutſcht und vermehret. Ulm. 1648. 8
Rettmanns *(Zachariæ)* Außlegung deß 104. Pſalm. Stralſund. 1650. 4.
Rumetſchii *(Joh Chriſtoph.) Collatio Concilii Nicæni primi & Synodi Tridentinæ. Tub. 1655. 4.*

S.

Sächſiſcher *Theologorum,* Nothwendige Vertheidigung deß N. R. Evangeliſcher Stände Augapffels. Leipzig. 1629. 8.
Sadi deß Perſiſchen Poeten *Guliſtan, cum Præfat. Wilh. Schikardi. Tub.* 1636. 12.
Samſonis *(Johann.) converſi Franciſcani Revocations*-Predigt/ zu Groß-Glogau gehalten. 1648. zu Stutgart nachgedruckt. A. 1650.
Schadæi *(Oſeæ) Continuatio Hiſtor. Sleid. de Statu Relig. & Polit. usque ad A. 1620. Argent. 1625. fol.*
Scherzeri *(Joh. Adami) Syſtema Theologicum. Lipſ. 1680. 4.*
Schlüſſelburgii *(Cunradi) lib. IV. Theologiæ Calviniſtar. Francof. 1610. 4.*
Schmidii *(Johannis)* Almoſen-Predigten. Straßb. 1638. 4.
Ernſtliches Red,ten deß Propheten Samuels mit dem Iſraelitiſchen Volck. *ibid.* 1653. 4.
Schmidii *ac Dorſchei Diſſertationes de Auguſtanæ Confeſſionis nomine, occaſione, autoribus, oblatione, & conſequentibus. Argent. 1630. 4.*
Schopperi *(Jacobi, junioris) Oratio de vita & obitu Patris Jacobi. 1605. 4.*
Oratio de vita & obitu Hochmanni. 1605. 4.
Schuppii *(Balthaſ.)* Teutſche Schrifften. 8.
Volumen Orationum. Francof. 1659. 12.
Schwelini *(Narciſſi)* Kleine Würtenbergiſche *Chronica.* Stutg. 1660. 8.
Sigwarti *(Joh. Georgii) Admonitio Chriſtiana de Irenico Parei. Tubingæ. 1616. 4.*
Reſponſio ad Orationem Parei de Pace & Unione Eccleſiarum Evangelicarum. Tub. 1617. 4.
Siricii *(Michaelis) Diſquiſitio de Religione Moſcovitarum. Gieſſæ. 1661. 4.*
Speneri *(Phil. Jacobi) Sylloge Genealogico-Hiſtorica præcipuarum Familiarum German. Francof. 1668. 8.*

Stelk-

Stölzlins (*Bonifacii*) Geiſtlicher Adler-Stein. Ulm. 1652. 8.
Von der Straß (*Joh. Friderici*) *Memoria Thaumaſiandri Lutheri renovata. Argent.* 1661. 4.
Stratemanni (*Wilhelmi*) *Theatrum Hiſtoricum. Jenæ.* 1656. 12.

T.

Taufreri (*Johannis*) *Diſputationes Apologeticæ de abſoluto Electionis Decreto, Joh. Piſcatori oppoſitæ. Argent.* 1616. 4.
Thuani (*Jacobi Auguſti*) *Hiſtoriæ ſui temporis, ab an.* 1543. *uſque ad* 1607. *in fol.*
Thummii (*Theodori*) *Querela & Medela Chriſtiana de Fame. Tub.* 1622. 4.
Decalogus, in quo Virtutes & vitia proponuntur, ib. 1626. 4.
Errores Menzeri & Feuerbornii, Reſp. Zellero. Tub. 1625. 4.
Diſquiſitio Theologica de Jubilæo Antichriſtiano, & Indulgentiis. 1625. 4.
Scultetus Iconoclaſtes. Tub. 1620. 4.
Impietas Wigeliana. 1622. 4.
Tſchimmern (*Gabrielis*) vermehrter *Sleidanus* von den 4. Monarchien. *Jenæ* 1659. 12.
Tubingenſium *Eberhardina altero Jubilæo Felix.* 1677. *fol.*
Turſellini (*Horatii*) *Epitome Hiſtoriarum ab Orbe condito uſque ad A.* 1595. *cum Continuat. uſque ad A.* 1649. *Colon.* 8.

U. V.

Varenii (*Bernhardi*) *Deſcriptio Regni & Relig. Japon. cum quibusdam aliis, affinis materiæ. Amſtelod.* 1649. 16.
Vejelii (*Eliæ*) *Exercitatio Hiſtorico-Theologica de Eccleſia Græc. Argent.* 1666. 4.
Ejusdem Exercitationis Defenſio cont. Allatium. Francof. 1666. 4.
Velthemii (*Valentini*) *Inſtitutiones Metaphyſicæ. Jenæ.* 1630. 8.
Urſini (*Joh. Henrici*) *Novus Prometheus, Præ-Adamitarum Plaſtes, ad Caucaſum relegatus & religatus. Francof.* 1656. 12.
Analectorum Sacrorum Libri VI. ib. 1658. 8.
Hiſtoriſcher und Theologiſcher Bericht von Unterſcheid der Religionen. Nürnb. 1663. 8.
Item, allgemeine Päbſtliche Religions-Scrupel. Nürnb. 1664. 8.
Abgenöthigte Rettung Evangeliſcher Kirchen / wieder Bernhard Neuhäuſer / Dom-Predigern zu Regenſpurg. 1662. 8.

W.

Wagneri (*Tobiæ*) *Inſtitutiones Hiſtoricæ. Ulmæ.* 1653. 8.

Bre-

Breviarium totius Orbis Geographicum. ib. 1653. 8.
Limina Genealogica in præcipuas Magnatum Europæ Familias: ib. 1653. 8.
Manuductio Polemica, Diſpp. XXII. de S. Scriptura instituta. Tub. 1657. 8.
Evangeliſche *Theologia Patrum.* Tub. 1647. 8.
Evangeliſche *Cenſur* und Widerlegung der *Motiven Beſoldi*, die ihn zum Abfall vermöcht haben ſollen. Ib. 1640. 8.
Diatribe de Perſona CHRISTI, cum annexa Oratione de incarnatione Filii DEI. ib. 1654. 4.
Diatribe de ſubſiſtentia Eccleſiæ N. T. ſub incommodis. ib. 1673. 4.
Septena Specimina Stellionatuum Wangnereccianorum. ib. 1655. 4.
*Caſual-*Predigten. Stutg. 1658. 4.
Wagneri *Aſtrologia Genethliaca deſtructa.* Tub. 1656. 4.
Inquiſitio in Acta Henotica. Tub. 1664. 4.
Inquiſitio in oracula Sibyllarum de Chriſto. ib. 1664. 4.
Examen Elencticum Atheiſmi Speculativi. ib. 1677. 4.
Judicium Propempticum de Scriptis Jac. Böhmen / *dicti Philoſophi Teutonici.* ib. 1679. 4.
Memoria Danielis Hizleri reſuſcitata. ib. 1661. 4.
Memoria Job. Ulr. Pregizeri. ib. 1659. 4.
Vita Melchioris Nicolai. ib. 1662. fol.
Türcken-Büchlein. Ulm. 1664. 8.
Waldſchmidts (*Bernhardi*) *Pythoniſſa Endorea, i.e.* Hexen-und Geſpenſt-Predigten. Franckfurt. 1660. 4.
Waltheri (*Michaëlis*) *Quadragena Miſcellaneorum Theologicorum.* Ulmæ. 1648. 4.
Centuria Miſcellaneorum Th. Ulmæ. 1646. 4.
Diſſertationes duæ, de Immortalitate Animæ & prætenſa Ethnicorum Salute. Witteb. 1657. 4.
Warners (*Joh.*) Beſchreibung ſeiner *Viſionen.* 1638. 4.
Weinheimers (*Adami*) Cometen-Predigt. Stutg. 1654. 12.
Welleri (*Jacobi*). *Annotationes in Epiſtolam ad Romanos.* Brunsvigæ. 1654. 4.
Wendelini (*Marci Frid.*) *Syſtema Theologiæ Chriſtianæ Majus.* Caſſell. 1656. 4.
Exercitationes vindices, pro Theol. Chriſt. Joh. Gerhardo oppoſitæ. ib. 1652. 4.

Wigandi (*Johannis*) *Tractatus de Perſecutione & Exiliis piorum, Martyriis item & Pſeudomartyriis. Francof.* 1580. 8.
Wilderſinii (*Bernhardi*) *Anti-Wagnereccius, i. e. Apologeticus pro Traduce, Tub.* 4. 1660.
Winckelmanni (*Joh.*) *Oratio Funebris, de vita & obitu Chriſtophori Helvici. Gieſſæ.* 1618. 4.
Wirtenbergenſium (*Theologorum*) Calviniſche Scheinzeichen/ opponirt denen ſo genannten Siegzeichen der Heidelberger. *Tubingæ.* 1618. 8.
Per eosdem Theologos Wirtemb. *Edita Acta Menzeriana, Tub.* 1625. 4.
Wirtenbergiſche *Cynoſura Eccleſiaſtica.* Stutg. 1658. 8.
Lands-Ordnung. Stutg. 1661. 12.
Wittebergenſium (*Theologorum*) *Conſilia.* 1664. *fol.*
Gründlicher Beweiß / das der *Calviniſten* Irthüme den Grund des Glaubens betreffen. Wittenb. 1664. 4.
Wolfii (*Johannis*) *Lectiones Memorabiles. Laningæ.* 1600. *fol.*
Wölflini (*Chriſtophori*) *Heptas Exercitationum ſacrarum de obligatione credendi in Chriſtum. Tub.* 1664. 4.

Z.

Zapfii (*Gothofredi*) *Ariſtoteles ad Cornæum reſcribens. Jenæ:* 1660. 4.
Zeamanni (*Georgii*) *Apologia*, auß der Veſtung Ehrenberg an Ertz-Hertzog *Leopolden* zu Oeſterreich abgegeben. 1629. 4.
Tractatio Theologica & Scholaſtica de Colloquio Ratisponenſi, Relationis Hunnianæ veritatem demonſtrans. Witteb. 1603. 4.
Zeillers (*Martini*) Sendſchreiben. *Marp.* 1656. 4.
Zentgravii (*Joh. Joachimi*) *delineata Colluvies Quakerorum. Argent.* 1665. 4.

Tantum de hiſce: alios quoſdam autores nunc omiſſos, ad indiculum ſecundæ partis Memorabilium reſervamus.

INDEX II.
PERSONARUM ET LOCORUM.

A.

ABbotus, Robertus, confutat Jeſuitarum apologetas in cauſa conſpirationis pulverariæ. 328.
Aboënſis Academiæ natales. 964.
Abyſſinia Patriarcham nacta ex Jeſuitis. 607. *hujus inſolentia.* 790.
in Abyſſinia res Pontificiorum ut creverint ac decreverint. 789. *ſeq.*
Abyſſinia Papatus expulſus. 837.
Abyſſiniæ Rex, Suſneus, Papæ R. ſe ſubmittit. 127. 607.
Abyſſiniæ Regis, Claudii, Confeſſio. 798.
Acontius, Jacobus, Puritanis annumeratus. 244. *ejus principium ſyncretiſticum.* 955.
de Adamo, Ceilanenſium traditio. 1127.
Adriana Fraxinea. 79.
de Adriano VI. Papa R. Ultrajecti nato, Inſcriptio profana. 883.
Æthiopia. vid. ſupra Abyſſinia.
Aſſelmannus, Johannes. 604.
Agobardi Tractatus de Picturis & Imaginibus. 114.
Aichſtettenſis Epiſcopatus elogium peculiare. 902.
Ainſwort, Henricus, Separatiſta. 41.
Aizingerus, Michaël, pro mortuo habitus, è ſepulcro vivus ad ſuos redit. 335.
Alanus, Wilhelmus, autor Seminarii Romani Nationis Anglicæ. 9.
Alani de Rupe familiaritas cum B. Virgine. 687.
Alarachiam occupat Philippus III. Hiſpaniæ Rex. 247.
Alba Regalis Turcis erepta. 26. *à Turcis iterum expugnata.* 45.
Albanus Dux, promiſſorum fidem ſervare neſciens. 474.
Albini, Franciſci, converſio. 854.
Alciatus, Joh. Paulus, Anti-Trinitarius. 272.
Albitius, Antonius, ob libros orthodoxos in Italiam tranſmiſſos, Romam citatur. 651.
Alcibiades, ludimagiſtrum Homero deſtitutum, alapa multat. 329.
Alcmariæ Remonſtrantes & Contra-Remonſtrantes primùm in ſeparatos cœtus eunt. 264.
Alcmariana Synodus. 934.
Aldringeri expeditiones. 825. *fata ſuprema.* 847.
Aldrovandi, Ulyſſis, Hiſtoria Animalium. 121.
Alenconienſis Synodus. 910.
Alepienſis Baſſæ rebellis cum Sultano Turcico reconciliatio. 193.
Alexandrini Patriarchæ Legatio ad Clementem VIII. P. R. conficta. Meletii *literæ.* 44. *an is poteſtati Pontificis R. ſeſe ſubjecerit? ib. ſeq.* Cyrilli Lucaris *epiſtola ad Utenbogardum.* 329. *ad Georgium*

Abbotum, Archiepiſcopum Cantuarienſem. 397. *ſeq. ejus Titulus. ibid.*

Allatii (Leonis) gloriatio de Poſſevino. 260. *diſſenſus ab Arcudio de Eccleſia Græca.* 754. *libri de perpetua Orientalis & Occidentalis Eccleſiarum conſenſione, quàm vani?* 1092.

Alſaticum bellum. 245.

Altenburgo-Saxonici Ducis, Friderici Wilhelmi, mors & encomium. 32.

Altingius, Menſo. 291. *Henricus. ib.* & 1063. *Johan. Piſcatoris errori favet.* 61.

Altorfi aperitur Academia. 579.

Aly, quantæ autoritatis apud Perſas. 913.

In Amboina Inſula quis cultus tum Chriſtianorum, tum Ethnicorum. 368.

Am Ende/ *Georgii, blaſphemiæ de S. Cœnæ uſu ſub utraque.* 459.

in America Chriſtianiſmus per Puritanos latè propagatus. 907.

in Americam delati Independentes. 485. 748. 863.

in Americam navigare tentant Holland. 194. 548.

Ameſius, Guilielmus, Puritanus. 244. *ejus collationes cum Robinſonio, Separatiſta.* 485. *Synodum Dordracenam vindicat.* 489.

Amlingius, Wolfgangus, Principatum Anhaltinum Calviniſmo injicit. 90. *Chriſtum etiam ſecundum Divinitatem Patre minorem ait.* 90. *ejus Colloquium cum Alberto Grauero. ib. obit.* 131.

Amsdorfii obſervatio de periodis lucis Evangelicæ. 2.

Amſtelodamenſis tumultus. 415.

Amyraldus, Moſes, Hypotheticus. 292. 516. *propria Vineta cædit.* 996. *ſeq. ejus dogma de prædicatione & fide duplici.* 841. *ſeq. declaratio facta in Synodo Alenconienſi.* 910. *impoſitum ei ſilentium.* 1084. *conf. p.* 1106. *quid in ſancita cum Guiliel. Riveto concordia promiſerit?* 1180.

Ancræi domus ac theſauri diripiuntur. 415. *ejus exitium horrendum.* 442.

Andegavienſis Epiſcopi conatus in abolendo Miſſalis recepti uſu fruſtraneus. 35. *ſeq.*

Andreæ, Johannes. 5.

Andreæ, Johann-Valentini, judicium de Libris Arndii. 516. *ſeq. opera in inſtauratione ſanctioris diſciplinæ Eccleſiaſticæ.* 986. 1007. *Arca Noæ.* 1022. *ſq. judicium de Jeſuitis deſertoribus, ac Theologia Morali Lojolitica.* 1103. *ſeq.*

P. *Andreæ, Jeſuitæ Bohemi, concio.* 202.

Angelæ Brixianæ oſſa Coloniam deportata. 947.

Angelus, Chriſtophorus, Græcus. 191. *de ejus Enchiridio Græco. ib.*

Angli Guianam, Americæ regionem, tentant. 219. *Inſulam Nieves in America occupant, & laudabiliter adminiſtrant.* 703.

Anglorum contentiones de Regimine Eccleſiaſtico. 1061.
Anglorum Navigatio in Virginiam. 194.
Anglorum & Batavorum diſſidium in Java. 443.
Anglorum & *Gallorum ſimultas.* 661. 691.
Anglorum & *Scotorum diſſidium ob Ceremonias quasdam Eccleſiaſticas.* 457.
Anglos *inter & Hiſpanos* Pax *coit.* 117. *judicium de ea. ib.*
Anglos *Virginia excluſos volunt Hiſpani.* 304.
Anglia *omnium Sectarum colluvies.* 1084. *ſeq.* 1108. *ex quibus cauſis?* 1085. 1176.
Anglia & *Scotia Magnæ Britanniæ nomine concreſcunt.* 69.
in Anglia *Pontificii liberum Religionis ſuæ exercitium fruſtrà petunt.* 55. *ſeq.*
Anglia *Clerici Pontificii omnes proſcribuntur.* 82. 232. 612.
Anglia *introductione rituum papiſſantium vehementer turbata.* 927.
in Anglia *quot Papicolæ tempore Regis Jacobi I. non obſtantibus Regiis interdictis, numerati?* 288.
Anglia *Nova ſeu Americana.* 907.
Angliæ *damna ex inundatione.* 170.
Angliæ *deſtinata à Pontificiis Regina, Iſabella Clara Eugenia, Hiſpaniæ Infans.* 56.
Angliæ *occupationem Gallo non minus, ac Hiſpano, ſuadere vult Clemens VIII, P. R.* 81.
Angliæ Principi, Carolo, ut Sponſa Gallicana pro Hiſpana obtigerit. 588. 588. 623. *quibus conditionibus.* 634. *ſq.*
Angliæ Regina, Eliſabetha, *quò uſque Papiſmum Regno ſuo profligârit?* 58. *ejus duo principia politica.* 117. *mors & encomium.* 69.
Angliæ Rex, Jacobus I. *Reginæ Eliſabethæ ſuccedit.* 69. *juſtitiam temperat miſericordiâ.* 56. *Epiſcoporum* Anglicanorum *partes amplectitur.* 59. *de Puritanis.* 64. 243. *de* Pontificiis & Eccleſia Rom. 64. *Conſcientiæ vim facere non vult. ib. ſq. de Laicis in* Papatu. 65. *de Clericis Pontificiis. ib. de Pontificis primatu. ib. Ceremonias Eccleſiæ* Anglicanæ, & *Epiſcopos, in Scotiam introducere tentat.* 131. *Patrini officio unà cum Papa* R. *fungi deprecatur. ib. Juramentum fidelitatis à ſubditis Romano-Catholicis exigit.* 158. & *contra Bullas Papales rationibus defendit.* 167. *Belgas Fœd. de vitando Conr. Vorſtio monet.* 211. *invehitur in opinionem Reinhaldi Scott de Magia & Sagis.* 213. *quid ſuaſerit Belgii Fœd. Ordinibus in cauſa Schiſmatis* Arminiani? 320. *quò id motore ſecundum Contra-Remonſtrantes?* 321. *oppignorata à Belgis Fœd. reſtituit iisdem bona fide.* 415. *reprehendit Nobiles, ruri vivere nolentes.* 416. *ejus Confeſſio.* 59. *ſq. Oratio de Religione.* 64. Δῶρον Βασιλικόν. 67. *Co-*

vocatio ſolennibus, ob luem peſtiferam, minuta. 72. *Ira in Ferdinandum II. Imper.* 623. *obitus.* 647. *factæ contra eum Conſpirationes.* 56. 83. 105. 117. *ſeq. Primogenitus ejus, Henricus, quomodo è medio ſublatus dicatur?* 304.

Angliæ Rex, Carolus I. *quomodò regimen auſpicatus?* 635. *ſq. Conjugis Clericos & famulitium Angliâ excedere jubet.* 661. *Bellum ſuſcipit contra Scotos.* 951. *iis pacem juxta conditiones, quas ipſi petunt, concedit.* 972. *Parlamentum Anglicanum reſtituit. ib. quid ei magnam apud populũ invidiam conflârit?* 992. *perículoſiſſimis turbis involvitur.* 1016. *bello deinde civili aperto.* 1025. *prælio ſuperatur à Fairfaxio.* 1095. *diſputat cum Marchione Worceſtriæ de capitibus fidei.* 1111. *ubique Parlamento ſuccumbit.* 1116. *à Scotis tandem Anglis traditur.* 1139. *eum liberare Provinciæ aliquot* Anglicanæ & *Scoti infeliciter tentant.* 1161. *ſq. execrando parricidio tollitur.* 1187.

Angliæ Nationis Seminarium Romanum. 9.

Anglicana Confeſſio vetus confirmata. 65. 82.

Anglicanæ Eccleſiæ Status ſub Epiſcopis. 839. 861. *ſub Eliſabetha & Jacobo I.* 1038.

Anglicanæ Eccleſiæ Status periclitatur. 634. *ex Religionis libertate, in licentiam degenerante, quantum vitium ceperit?* 1038. 1043. 1108. 1176. *ſq.*

Anglicanam Hierarchiam Scoti improbant. 59. *ſubire adiguntur.* 264.

in Anglicanam Eccleſiam poteſtas ſuprema Regi vendicatur. 82.

Anglicanarum Ceremoniarum articuli controverſi quinque. 410. *conſ. p.* 839. 861. 927. *ſeq.*

Anglicani belli civilis periodi tres. 1049. 1071.

Anglicani Epiſcopi reformati priores, quales? 59. *quàm faſtuoſi ſubſequentes? ib.*

ab Anglicano Parlamento publicatum Directorium cultûs publici. 1106.

Anglicanorum Epiſcoporum & Presbyterorum diſſidium. 58. *ſq.*

Angola, Quilonge, Rex Africanus, LXXII. annos regimini præeſt. 982.

per Anhaltinam Principem, Annam Mariam, Ducatus Lignicenſis Calviniſmo tentatur. 14.

Anhaltinum Principatum quis præcipuè Calviniſmo infecerit? 90.

Anhaltinus Princeps, Joh. Erneſtus. 47. Joachimus Erneſtus, *à quonam perſuaſus, Libri Concordiæ ſubſcriptionem recuſârit?* 90. Chriſtianus, *Statuum Imperii Proteſtantium ad Imp. Rudolphum II. Legatus.* 217. *proſcriptus.* 546. *in gratiam receptus, fatoque functus.* 757. Ludovicus, *Societatis Frugiferæ autor.* 443. Johan-

hannes, ditioni Serveſtanæ Religiouem Lutheranam reſtituit. 1054.
Anjellus, Thomas, ſtupendæ ſeditionis Neapolitanæ autor. 1138. ſq.
Aniconiconiorum familia in Moſcovia. 168.
Annæbergenſis conflagratio. 97.
ab Antenore Stirpem Palatinam deducit Johannes I. Dux Bipontinus. 84.
de Antillis. 683. 858.
Antonii, Monachorum Patriarchæ, epiſtolæ. 1000.
Antonii de Padua beneficio pes miraculosè ſervatus. 1125.
Apolloniæ Schreierinæ inedia memorabilis. 48.
ab Aquaviva, Claudii, decretum, Jeſuitis modum exponendi Gratiam DEI ſufficientem & efficacem præſcribens. 314 ſeq. deſcriptio morborum Societatis Jeſuiticæ moralium. 412.
Aquiſgranenſes Motus. 251. ſeq.
Aquiſgranenſis Canonicus, Imperator Rom. in coronatione. 506.
Aquiſgranenſium Evangelicorum fata. 251. 336. 389. 394.
Araca, à Siamenſi Rege fruſtrà obſeſſa. 894.
Arcudio, Petro, de Eccleſia Græca cum Leone Allatio non benè convenit. 753. ſq.
Aretinus, Petrus atheus. 238. ſq.
Argentoratenſes Capitulares Evangelici durum experiuntur Senatum Imperialem Aulicum. 34. eorum diſſidiū. 50. ad Argentoratenſes Edictum Imperatorium in cauſa ſacra. 674. 718. eorum reſponſio. 718.
Argentoratenſia Agenda Eccleſiaſtica à Bentero impugnata. 66. à Joh. Pappo vindicata. ib.
Argentoratenſis Epiſcopatus, litis materia & belli inter Joh. Georgium Brandenburgicum & Carolum Lotharingum. 50. 73. induciæ inter hos æmulos. 73.
Argentoratenſis Epiſcopus, Leopoldus Auſtriacus. 154.
Argentorato imminens periculum ex Papatu. 172.
De Armenis. 80. de eorum Patriarcha, Davide, ſe unà cum VI. Epiſcopis & omni populo Papæ R. ſubmittente. 154. de Confeſſione illis attributa. 844. de eorum ſtatu Eccleſiaſtico, in Perſia imprimis. 899. de eorum Doctrina. 800. illos inter & Græcos quantum verſetur odium. 901. An Papæ R. Jurisdictionem œcumenicam agnoſcant? 902. ſq.
Arminius, Jacobus, quibusdam per anagr. Vani Orbis Amicus. 61. ab Utenbogardo Curatoribus Academiæ Leidenſis quanto ſtudio & quo ſucceſſu commendatus? ib. ſq. novaturiens, fruſtra monetur. 112. in eum, ejusque auditores, inquiritur. 113. actiones ejus contra Gomarum ſuſceptæ. 181. 188. 213. ſq. riſu argumentum ſolvit. 190. quæ ejus doctrina? 209. ſq.
qua

qua occaſione illam ſit amplexus? ib. *obit.* 298. *cum Socinianis conſpiraſſe ſcribitur à Pareo.* 324.
Arnaldus de Petri & Pauli Pontificatu communi. 1111.
Arndius, Johannes. 387. *obit.* 530. *Libri ejus de genuino, Chriſtianiſmo, & Phraſes in illis.* 387. 516. *de iis judicia nonnullorum Theologorum.* 594. *Libellus ejus precationum in igne illæſus.* 625.
Arras expugnatur à Gallis. 980.
Arſcotanus Dux ultimus, Carolus, obit. 306. *ejus Genealogia inde ab Adamo deducta.* ib.
Artomedes, Sebaſtianus. 32.
Auguſta Vindel. à Sueciæ Rege G. A. *in integrum reſtituta.* 784. *ſq.*
Auguſtæ Vind. Evangelici miſerandum Statum ſubeunt. 716. 853. *cultum Divinum ſub dio celebrant.* 853 *priſtinam libertatem recipiunt.* 1166. *in Auguſtam Vind. cum ingenti orthodoxorum periculo autoritate Imperatoria inquiritur.* 694. *ſq.*
ab Auguſtanæ Urbis reformatione Pontificia, Confeſſionis Auguſtanæ ſunus non dependet. 716.
Auguſtani Epiſcopi, Henrici, proteſtatio contra ineundam pacem, Evangelicorum rebus proficuam. 985.
Auguſtanorum Epiſcoporum controverſia cum Cœnobio S. Ulrici. 988.
Auguſtanum Miniſterium Evangelicum accuſandi & premendi quam occaſionem ſumſerint Pontificii? 672.
Auguſti Imp. inſtitutum de curſu nunciorum publico. 1077.
Auguſtini Opera à Corn. Janſenio decies lecta. 926.
Avignionenſis inundatio. 419.
Auleander, Paulus crypto-Calvinianus. 405.
Auriacus Princeps, Mauritius, *Graviam expugnat.* 46. *Emericum invadit.* 36?. *Synodi Nationalis convocationem ſeriò promovet.* 431. *Machinationes Arminianas reprimit.* 455. *ſq. inſidiæ ei ſtructæ.* 601. *obit.* 648, *ſuſpicio Belgarum de eo.* ib. Philippus Wilhelmus, *XXVIII. annos in cuſtodia Hiſpanica detentus.* 469. Henricus Fridericus *in tædium à Spinola conjectus, ſubitò in Belgium regreditur.* 521. *erga Arminianos mitior Mauritio.* 638. *obit.* 1139. Wilhelmus, *Caroli I. Angl. R. gener.* 1006. *quanto vitæ periculo defunctus?* 1074.
Auſtraſiæ Regnum ſpe devorat Carolus, Lotharingiæ Dux. 848.
Auſtriæ Archidux, Albertus, *Oſtendam obſidet.* 46. *obit.* 549. Leopoldus IV. *Epiſcopus Argentinenſis.* 154. *Pragam tentat.* 273. *chorum toro mutat.* 624. *obit.* 788. Matthias, *Auſtriacis Statibus confirmationem liberi Religionis Evangelicæ exercitii negat, juramentum fidelitatis nihilominus ab illis exigens.* 173.

Hun-

Hungaris libertatem Religionis confirmat & extendit. 174. cum inter & Imp. Rudolphum II. diſſidium; 193. quomodò Auſtriis libertatem Religionis conceſſerit? 198. 223. Pragæ, privilegiorum confirmatione Bohemis promiſsâ, coronatur. 273. ſq. ejus nuptiæ. 275. Ferdinandus II. bello petitur à Venetis. 390. in Bohemiæ Regem eligitur & coronatur. 426. 441. quomodò Bohemis juràrit? 452. cum Venetis pacem ſancit. 442. 468. ad ſucceſſionem in Regno Hungarico pertingit, certis conditionibus promiſſis. 467. (v. pl. inf. in voc. Ferdinandus II.) Ferdinandus III. in Regem Hungariæ eligitur. 647. Leopoldus V. quæ geſſerit. 980.

Auſtriæ inferioris Status quibus conditionibus Ferdinando II. juramentum fidelitatis præſtare voluerint. 475.

Auſtriæ ſuperioris Ordines fœdus ineunt cum Bohemis. 475. fœderi renunciare à Maximiliano Bavaro coguntur. 520. ſq.

Auſtriæ Statum plebejum libertate Sacrorum Evangelicorum privat Matthias Imp. 368.

Auſtriæ calamitas. 101. 520. 521.

Auſtriacæ Domus res feliciſſimæ, à Gallis in difficultates conjici cœptæ. 712.

Auſtriacæ Eccleſiæ Status. 173. 198. 223. ſq. 368. 568. 528. 553. 602. contra Auſtriacam Domum conſcium Fœdus Magnum. 606.

Auſtriaci motus. 173. 628. ſeq. 652. ſq.

B.

Babylonia, pomum Eridos inter Turcas & Perſas. 937. à Turcis capta. 959.

Baccmeiſterus, Lucas, Senior. 175. junior. 341.

Baknangæ quid factum cum Job. Magiro, adhuc puero, Hiſpanis complacente. 342.

Baconus, Franciſcus, Baro Verulamius. 671.

Badenſis Marchio, Jacobus, commodè decedit. 85. Erneſtus Fridericus, ſubditos ad amplectendam Religionem Calvinianam adigere conatur. 15. commodè item obit. 85. Eduardus Fortunatus, quibus difficultatibus ditionem filiosque ſuos implicârit. 553. Georgius Fridericus, Colloquium Durlacenſe inſtituit. 325. Marchionatum ſuperiorem ſibi vendicare, & cauſam Palatinam tueri conatur. 574. à Tillio clade multatur. 572. obit. exul. 938.

Badenſis Marchioniſſa, Catharina Urſula, pia & erudita. 222.

Bailii, Guilielmi, Catholicus Bapiſta. 216.

Bailii, Ludovici, Praxis Pietatis. 139.

Bakius de conculcante caput ſerpentinum. 243.

Balduinus, Fridericus, de Calviniſmo. 12. in Jeſuitas, qui Colloquio

Ratiſponenſi interfuerunt. 20. *de toties commendata Lutheranorum & Calvinianorum Synodo Generali.* 360. *controverſiam agitat cum Henr. Boëtio de cauſa reſurrectionis Impiorum.* 326. *ſq. obiit.* 675.

Balingenſis conflagratio. 470.

Bambergæ fundatur Academia. 1146.

Bambergenſe incendium. 250.

Bannes, Dominicus, Moliniſtarum adverſarius. 137. *ejus cum Joh. Calvino concordia.* 746.

Bannierii, Johannis, expeditiones. 891. *ſq.* 915. 937. 958. 980. 1002. *elogium.* 893. *nuptiæ. ib. obitus.* 1002.

Baræus, Juſtus, quis? 1102.

in Barbadoſiana Inſula plantatur ab Anglis Eccleſia Chriſtiana. 682.

Barcinonenſis Inundatio. 443.

Barclaii, Guilielmi, controverſia cum Bellarmino de poteſtate Papæ in Principes. 59.

Barclaji, Johannis, diſcurſus de controverſia Venetos inter & Paulum V.P.R. 151.

Barlæi, Caſparis, Epigramma minùs Chriſtianum, ad Menaſſen Ben Iſraël. 975. *Religio & obitus.* 1132.

Barneſeldius, Johannes, Belgium turbat. 431. *in cuſtodiam datur.* 456. *capite plectitur.* 499. 648.

Baronius, Cæſar, Philippi Nerii pullus. 289. *caſtigatur a Cyrillo Lucari, Patriarcha Alexandr.* 330. *cur non Papa evaſerit.* 103. 154. *ejus Annales Eccleſiaſtici.* 24. 154. 228. *quomodò hos vindicare conatus fuerit cont. Hiſpanos.* 229. *priora volumina in Italicum tranſlata à Card. Tarugio.* 180. *ad. Baronii ſepulchrum tumultuari vult Card. Tarugius.* 180.

Barrenſis Ducatus, materia belli Gallo-Lotharingici. 756.

Barrovius, Henricus, Separatiſta, 41.

Baſcaja, fortitudine & conſtantiâ Mulierum ſervata. 442.

Baſilea, quomodo à jurisdictione Epiſcopi Baſileenſis ſe liberaverit? 404. *Templum concedit Hugonotis Gallicanis. ib.*

Baſileenſium, Marpurgenſium & Heidelbergenſium Calvinianorum diſſidium. 107.

Baſilovitii conatus in occupanda Moſcovia. 94.

Baſtwikii, Johannis, invectiva in Epiſcopos Anglicanos. 839. 861. *pœna ſevera.* 906.

Bataviæ Novæ primordia. 47. 496. *incrementa.* 574. *defenſio.* 871.

Battorii, Sigiſmundi, Princ. Tranſſylv. bellum adverſus Domum Auſtriacam. 26. *reconciliatio cum illa.* 46. *& receptio in numerum Ordinū Bohemiæ.* 94. *ejus obitus.* 333.

Battorius, Gabriel, Princeps Tranſſylvaniæ evadit. 193. *cladem accipit à Walachis.* 275. *Forgatſium fugat. ib. Sultano Achmeti minùs acceptus.* 303. *in Saxones Daciæ crudeliſſimus.* 309. *ſq.*

Battus, Bartholomæus. 831. *Abrahamus.* ib.
Bavariæ Ducatui antiquitùs annexum Electoratum ſcribit Gewaldus. 414.
Bavariæ Dux, Wilhelmus, *vitam claudit in Monaſterio Carthuſiano.* 609. Maximilianus, *quomodo Donawerdam ſui juris fecerit?* 149. *Archiepiſcopum Salisburgenſem capit,* 256. *de Imperatorio faſtigio quid ſenſerit?* 440. *Bohemos per calumniam delatos acriter increpat.* 460. *copias producit,* 520. *Cæſari apertè militat. ib. ſeq. Victoriam à Bohemis reportat.* 521. *ad dignitatem Electoralem evehitur.* 597. *à Saxone aliisque* Principp. Proteſt. *pro Electore agnoſcitur.* 623. *Cæſaris filiam in torum accipit.* 871.
Bavarus Princeps, Erneſtus, Archiepiſcopus Colonienſis. 11.
Baudius, Dominicus. 335.
Bearnia, quomodò ad Papiſmum retracta. 181. 379. 430. *ſq. Galliæ unitur.* 428. *invita.* 430. *expeditione Ludovici XIII. ſubitaneâ opprimitur.* 510. *ſqq. Bello Galliæ inteſtino occaſionem præbet.* 537. 542. *ſors ejus miſeranda in epitome.* 510. *ſq.*
Becanus, *Martinus, de DEO Calviniſtarum.* 186, *de Prædeſtinatione & Gratia Converſionis.* 138. *de Gratia efficaci.* 315. *ejus obitus.* 609.
Bedæi de la Gormanderie Jus Regum. 299. *ſq.*
Bedellus, Guilielmus, quàm patienter in perſecutione Hiberna deceſſerit, etiam ab hoſtibus in pretio habitus. 1017. *ut expeditè numerum Beſtiæ Apocalypticæ ex inſcriptione Paulo V. facta eruerit. ib.*
Bedemarii, Alphonſi, Legati, Hiſpani, immane ſcelus in Venetos. 468. *ſecuta nihilominus cooptatio in Collegium Cardinalium. ib.*
Behemius, Michaël. 1110. *Johannes.* 1146.
Bekius, Elias, violenter circumciſus. 918.
Belgarum Fœdd. coloniæ in India Orientali. 219. *commercia per Turciam libera.* 275. *ſucceſſus in Japonia. ib. lites cum Anglis in Java.* 443.
Belgas Fœdd. inter & Hiſpanos de Induciis pangendis tractatur. 167. 194. *Pax con.* 1138. 1162.
Belgicarum Negotiationum fructus ſacri. 538. *fortuna in Regno Siamico, Borneano & Japonico.* 848. *ſeq.*
Belgis Fœdd., quæ oppignoraverant Anglis, reſtituuntur. 415. *ab Archiduce Alberto obedientia fruſtrà inculcatur.* 549.
à Belgis Fœdd. detectæ in utraque India Inſulæ. 417. *illatum in Japonia nomini Chriſtiano probrum.* 908. *conf. p.* 1013. *quæ ratio habita Religionis in Tractatibus Pacis cum Hiſpano?* 1130. 1150.
Belgium nidus Hæreticorum. 483.
Belgium Fœd. tentat Socinismus.

270. in bellum civile propè trahit cauſa Arminiana. 431. 456. quid illud Hiſpaniæ Regi rebellare fecerit? 474.
in Belgio Fœderato quæ conditio Lutheranorum? 1150.
Belgioſa. 101.
à Beliſariis derivatum Velſerorum genus. 365.
Bembellona, Antonius, contra Sal. Geſnerum. 14. ſeq.
Bellarminus, Robertus, cur non Papa evaſerit? 103. Martâ, paraſito Papali, modeſtior. ib. ejus Opus, antequam in lucem prodierat, à Wittakero refutatum. 109. ſententia ejus de Prædeſtinatione & Gratia Converſionis. 138. controverſia cum Barclajo de poteſtate Papæ in Principes. 159. 230. Liber de Poteſtate Pontificis à Parlamento Pariſienſi prohibitus. 230. Votum in caſum, ſi fortè Papa evaſurus eſſet. 345. obitus, & elogia domeſtica. 534. de ejus patientia 535. quomodò tormenta gehennæ deprecatus. 535. animæ dimidium B. Virgini legat. ib. nullius mendacii conſcius. 536.
Benadaula, ſenſum Muhammedanorum de Religione Chriſtiana ſcripto explicat. 300. ſeq.
Benearnia. vid. ſup. Bearnia.
Benedictus de Benedictis, turpis gnatho Pauli V. P. R. 210.
Bentivoglius, Cardinalis, metu, ne Papa fiat, extinctus. 1060.
Bergius, Cunradus. 102.
Bergius, Johannes, quàm fraternum in Lutheranos animum geſſerit. 797. 816. ejus diſputatio cum Calovio, & conteſtatio de Fraternitate inter ſuos & Lutheranos. 796. definitionem Reprobationis Calvinianam communiorem ipſe improbat. 997.
Berka, Adamus; de cultu Evangelico apud Imp. Rudolphum II. accuſatus. 54.
Berka, Sbinko, perſecutor Evangelicorum. 51.
in Bermuda Inſula Status Anglorum Eccleſiaſticus per Independentes mirè immutatus. 997. ſq.
Bernardinus Senenſis. 891.
Berneggerus, Matthias. 984 ejus Proavlion Tubæ Pacis. 493
Bernenſes paratum à Pontificiis periculum ingens declinant. 60. à Sabaudo in judicium Cameræ Spirenſis vocati, quid per Legatos reſpondiſſe dicantur. 303.
Berolinenſis tumultus, ex Reformatione Calviniana ortus. 377. ſeq.
Bertius, Petrus, de Prædeſtinatione ſupralapſaria, cum inſtituto Tiberii conferenda. 358. 385. ſeq. ex Arminiano fit Pontificius. 534. quo præcipuè motus. argumento? 725. obit. ib.
Berullus, Cardinalis Gallicanus, fundator Oratorii Jeſu. 288. 316. 378.
Beſoldi, Chriſtophori, apoſtaſia. 854. Motiva, quibus eam defendere conatus eſt, à T. Wagneto confutata. 868. in Theſauro ejus Practica

ſtico Ed. II. & III. injuria Theod. Thummio facta. ib.

Beſoldi, Godfredi, error de Proceſſione Spiritûs S. à Chriſto. 886.

Bethlemius Gabor ad occupandam Daciam inſtruitur milite Turcico. 303. turbas ciet in Dacia. 362. cum Bohemis conſpirat, & Ferdinando II in Hungaria Auſtriacq; negotium faceſſit. 495. 521. 547. 598. 669. obit, Ferdinandi II. primogenitum inſigni legato proſecutus. 733. Priſciani contemptor. 735. ſeq.

Beumlerus, Marcus, Jac. Heibrunneri antagoniſta. 264.

Beuter, Philippus Michaël, Agenda Eccleſiaſtica Argentoratenſia conviitiis onerat. 66. refutatur à Job. Pappo. ib. Vid. & p. 226.

Beza, Theodorus. 108. de Notis ejus in N. T. ib.

Biberaci, cùm aleret præſidiarios Hiſpanos, quid contigerit cum Caroli V. Confeſſionario. 343.

Bidembachius Felix. 311. Balthaſar, à Jacobo Andreæ Doctor creatus Pariſiis. ib.

Bikenius, Joh. Adamus, Elector Moguntinus. 57

Bindlerus, Chriſtophorus. 397.

Binii, Severini, collectio Conciliorum. 140.

Bipontinæ nuptiæ. 304. 363.

ad Bipontinam Domum quomodò devoluta Corona Suecica. 363.

Bipontinus Dux, Johannes I. Calvinianis accedit. 84. Johannes II. obit. 862. ut & Fridericus Caſimirus. 1096.

Bironiæ Dux, Carolus Gontaldus, capite plexus. 47.

Blandrata, Georgius, AntiTrinitarius verſipellis. 272.

Blumii, Nicolai, miniſterium in liberando Studioſo ab obſeſſione diabolica corporali. 48.

Bobienſis Comes, Hannibal Grimaldus, capite plexus. 445.

Bocharti, Samuelis, Colloquium cum Franc. Veronio. 706.

Bodecherus, Nicolaus, Arminianorum antagoniſta. 776.

Bodinus, Johannes, de Mauritio Saxone, ejusque expeditione, & Alberto Brandenburgico. 439.

Bœhmii, Jacobi, ecſtaſes. 238. Aurora. ib. & 323. obitus. 616.

Bœhmiani floſculi. 323. ſq.

Boëtius, Henricus, impios quoq; virtute Reſurrectionis Chriſti reſurrecturos ſtatuit. 132. 326.

Bogermannus, Johannes, Synodi Dordracenæ Præſes. 461. quantum in Synodo extulerit Job. Piſcatorem. 497.

Bohemi Utraquiſtæ libertatem ſacrorum obtinent per Literas Majeſtatis Rudolphinas. 198. periclitantur iterum illa. 369. ideò ſuppliciter conqueruntur. ib. magis magisque à Pontificiis premuntur. 421.

Bohemi, præcipiti furore imperium Auſtriacum excutere audent. 468. Ferdinandi II. promiſſis fidem habere

bere nolunt. 474. ei Regnum abrogant. 495. Fridericum V. Electorem Palatinum in Regem eligunt. ibid. monentur, à Theologis Wittenbergenſibus, de Calviniſmo fugiendo. 518. ab Electoribus, de obedientia Ferdinando II. præſtanda. 520. Friderici Palatini primogenitum ejusdem in Regno ſucceſſorem declarant. 523. purioris Religionis exercitio orbantur. 602.

Bohemia in IV. Epiſcopatus diſpeſcitur. 740.

Bohemiâ expelluntur Jeſuitæ. 452.

Bohemiæ Ordinibus annumerari petenti Bathorio, Transſylvaniæ Principi, annuitur. 94.

Bohemiæ Rex, Matthias, Privilegiorum confirmationem pollicitus, coronatur. 173. Ferdinandus II. qua conditione, vivo Matthia, coronatus? 441.

Bohemicæ Eccleſiæ Status. 38. 51. 148. 198. ſqq. 207. ſq. 254. 368. ſq. 421. ſeq. 446. 552. 580. 602. 740.

Bohemici belli occaſio & cauſæ. 446. ſeq.

in Bohemicos Fratres Edictum Rudolphi II. 38. quomodo ii in Confeſſionis negotio ſe geſſerint? ibid. quomodo Statibus orthodoxis impoſuerint? 208.

Bohemus Martinus. 1146.

Bohlii, Samuelis, ſententiæ peculiares. 943. ſq. 952. ſq.

Boltonus, Separatiſta. 41.

Bonifacii VIII. ſepulchrum reſeratum. 106. ejus vita & mors in compendio. 106.

Borgeſius, Cornelius, de Regeneratione baptiſmali à Gisberto Voëtio notatus. 730.

Borrhomæo, Carolo, Sanctorum honores deſtinati. 77.

Borrius, Adamus. 262.

Bornholmia Danis cedit. 274.

Boruſſia Joh. Sigiſmundo El. Brandenb. obtingit. 274. vaſtationem Polonicam ære redimit. 332. Marchionibus Brandenb. de novo confertur. 467.

Boſius, Abbas Gallicanus, in Papæ autoritatem liberè concionatus, quid Romæ ſit expertus? 288.

Botskaius, Stephanus, preſſis in Pannonia Daciaq; Proteſtantibus auxilium fert. 74. 101. Neobuſium Hungariæ expugnat. 119. Evangelicis in Hungaria æquam pacem impetrat. 124.

Boulduccius, Jacobus, de Monachatu Patriarcharum V. T. 663.

Bournaultus, Martinus, de B. Virgine, ſola Gratiæ cauſa. 211.

Boyſius, Clemens. 214.

Brandwardinus, Thomas, de DEI Concurſu. 458.

Brahe, Tycho. 29. Rudolpho II. Imp. nimium acceptus. 302. ejus prognoſticon de Chriſtiano IV. Daniæ Rege. 1070. de Petro Gallo. 1075.

Brandenburgicæ Reformationis Calvinianæ initia. 157. progreſſus. 348. 371. 377. ſq.

Brandenburgici Calviniani de eradicando e Marchia Lutheraniſmo conſilia agunt. 791.
Brandenburgicæ Domui, quomodo Pomerania citerior compenſata? 1174. ſq.
Brandenburgici Marchionis, Joh. Georgii, lis cum Carolo Lotharingo de Epiſcopatu Argentoratenſi. 50. proſcriptio. 546. obitus. 624.
de Brandenburgico Marchione Alberto Bodinus. 439.
Brandenburgicorum Eccleſiæ Miniſtrorum obligatio Religioſa. 31.
Brandenburgicorum Marchionum nova infeudatio Pruſica. 467.
ad Brandenb. Electoratum devolvitur Comitatus Viertadanus 218.
Brandenburgicus Elector, Joachimus Fridericus Gymnaſium erigit in valle Joachimica. 147. Reverſales ejus de non recedendo à Confeſſione Aug. invariata. 31. à Pelargo ſeducitur. 194. obit. ib. Joh. Sigiſmundus, Boruſſiam accipit. 274. Calvinianis accedit, nulla ratione habita religioſæ, qua ſe prius obſtrinxerat, obligationis. 378. obit. 496. Georgius Wilhelmus, decedit. 987.
Brandenburg. Marchio Chriſtianus Wilhelmus ab Imp. Ferdinando II. proſcribitur. 699. captus, ad ſacra Romanenſia pertrahitur. 785. ſq. de Speculo Veritatis, quod ejus nomine editū. 786. 888.
Breda ab Hiſpanis expugnata. 646. ejus fata alia, & Gymnaſium. 1105.
Brema inter Civitates Imperii Liberas recepta. 1002. ſq. incendio deformatur. 1142.
Bremenſem concertationem, de Merito Chriſti univerſali, quomodo ſopierit Magiſtratus? 970. ſq.
Bremenſes Theologi apud Calvinianos Batavos malam gratiam ineunt. 927. 934. 998. 1015.
Bremenſis Archiepiſcopatus Friderico, Chriſtiani IV. Daniæ Regis filio, cedit. 877.
Brentii, Samuelis Friderici, converſi Judæi, Libéris. 354.
Breslavia. V. Uratislavia.
Brenberga, materia litis inter Julium, Epiſc. Würzburg. & Ludovicum, Comitem Leonſteinium. 152.
Briela, Anglis oppignorata, Belgis reſtituitur. 415.
Brigenſis Dux, Joh. Chriſtianus, ad Calvinianos tranſit. 509. obit. 951.
Brigenſium Calvinianorum technæ per Æg. Hunnium diſſolutæ. 53.
in Brigiæ Ducatum Calviniſmus introducitur. 13.
Brigittæ Revelationes, Papatui parum honorificæ. 708.
Briſaco potitur Dux Vinarienſis. 936.
Briſtoliæ damna ex inundatione. 176.
Britannia. V. Anglia. Scotia.
Brochmandus, Caſpar Eraſmus, Speculo Veritatis Brandenburgico opponit Lychnum ſermonis Prophetici. 786.
Brockmanus, Henricus, cantiones

ſacras

ſacras in linguam Eſthonicam transfert. 898.
Brownius, Robertus, Separatiſta. 31.
Brugenſis Gualtherus. V. Gualtherus.
Briikmannus, Otto, legatus Holſaticus ad Regem Perſarum. 893. capite plexus. 984.
Brunavienſis Abbas, perſecutor Evangelicorum. 51. 55. 255.
Brünna Moraviæ fruſtrà tentata. 1094.
Brunsvicenſe bellum quomodò compoſitum. 390.
Brunsvicenſis Ducis, Chriſtiani, expeditiones. 547. 572. ſq. 597. & ſeq.
Brunsvicenſis Dux, Erneſtus 275. Erneſtus Senior. ib. Henricus Julius, in Epiſcopatu Halberſtadienſi confirmatus à Papa. 390. Grubenhagenſes ditiones Luneburgicis reſtituere juſſus. 441. Chriſtianus Senior. 808. Fridericus Ulricus 849. Julius Erneſtus. 893. Georgius. 1004. Fridericus. 1163.
Brunsviga fruſtrà obſeſſa à Duce Henrico Julio. 116. & Friderico Ulrico. 390.
Bucanus, Guilielmus, refutat Job. Piſcatoris errorem de Obedientia Chriſti activa. 61.
Buceri, Paſtoris Veriani, liber de Gubernatione Eccleſiæ, in indignationem Regis Angl. Jacobi I, incurrit. 465.
Budemveiſſium ab Archiduce Leopoldo occupatum. 273.
Budiſſina Luſatiæ à Joh. Georgio I. Elect. Sax. expugnata 521.
Bukingami faſtigium. 636 confoſſio. 714.
Buquoji expeditio in Bohemos. 473. votum. 479. victoria de Mansfeldio. 494. fatum ſupremum. 547.
Burdigalæ orta contentio inter Senatum Urbis & Cardinalem Surdiſium. 35. 401.
Burgeſius, Barthol. Pauli V. P. R. filium ſe jectans ad ſupremum ſupplicium rapitur. 177. epitaphium ejus. ib.
Burgeſius de Ceremoniis Eccl. Anglic. 410.
Burghammer, Daniel, filiam parit. 28.
Buſbequii, Augerii, Colloquium de Religione cum Ruſtano Turca. 974 facultas ingrediendi Templum Sophiæ Conſtantinopolitanum, à Turcis impetrata. 1035.
Buſcherus, Statius, Theologos Helmſtadienſes crypto-Papiſmi arguit. 954.
Buſſius, Cæſar. 155.
Buxtehudæ, concio Paſtoris in Sagas habita, cœlitus mirandum in modum approbatur. 392.
Buxtorffii, Joh. ſenioris, Opus Biblicum, Hebræo-Chaldæo-Rabbinico-Maſoreticū. 464. obitus. 724.
Bzovii, Abrahami, Annales Eccleſiaſtici. 464. nugæ de Papæ Rom. Majeſtate. 492. deſcriptio expeditionis in Bearnenſes à Ludovico XIII. ſuſceptæ. 511. gratulatio ad

Imp.

Imp. Ferdinandum II. inſolens. 720.

C.

Cacodæmon, Carteſianus. 111.
Cæſaris, Johannis, Calviniſtæ Dantiſcani, controverſia cum Calovio. 1076.
Caiſunga Sinenſium urbs magnifica, per imprudentiam aquis miſerrimè merſa & everſa. 1029.
Calaminus, Petrus, crypto-Calvinianus 405.
Calderonii felicitas caſu miſerrimo terminata. 551.
Calixtus, Georgius, de omnipræſentia Christi Hominis. 265. 458. ejus Colloquium cum P. Auguſtino, Jeſuita Hildeſienſi, de primo Fidei principio. 356. Calviniſmi inſimulatur. 458. ad Profeſſionem Francofurtanam vocatur. ibid. ſuadet Lutheranis fraternitatem cum Calvinianis colendam. 459. ejus Epitome Theol. quos errores contineat. 517. de ejus heterodoxia querelæ Theologorum orthodoxorum. 593. Epitomen Theol. emendare renuit. 613. Johan. Duræi ſtudia irenica commendat. 840. de ſervanda forma ſanorum verborum à Theologis orthodoxis amicè monetur. 973. Höpfnero ſuccenſet. 996. Syncretiſmum trium Religionum, Luth. Pont. & Calvin. urgere incipit. 1064. qua gratia apud Moguntinos? 1069. apud Orthodoxos? 1075. ſq. qualem ſe geſſerit in Colloquio Thorunienſi? 1090. cur in illo à Theologis Boruſſis reprobatus? 1069. cur locum in eo nullum obtinuerit? 1097. de aliquot ejus erroribus & antagoniſtis. 1111. inter ipſum & Joh. Scharfium quid actum? 1181.
Calixti, Friderici Ulrici, obſervatio de jurandi formula Turcica. 62.
Calmariam Dani occupant. 274. Suecis reddunt. 331.
Calovii, Abrahami, Diſputatio cum Joh. Bergio. 976. Oratio valedictoria Regiomonti habita. 1044. controverſia cũ Joh. Cæſare. 1076.
Calva, hoſpitium præbet Academiæ Tubingenſi. 342. in cineres redigitur. 851.
Calvinus, Johannes, de G. Blandrata monet Polonos. 272.
de Calvini autoritate in Anglia. 182. apud Jac. Arminium. 190.
de Calvini & Calviniſtarum DEO. 186.
Calvinus Veteracaſſrenſis. 16.
de Cambry, Johanna, erudita. 963.
Camero, Johannes, Hypotheticus. 292. ejus collatio cum Dan. Tileno. 516. de ſilentio ei impoſito. 1084. obit. 1084.
Campanella, Thomas, de ſervandis pactis & promiſſis. 474. 836. de Menſium ac Dierum denominatione. 836. ejus liberatio è captivitate diuturna. ib. ejus Atheiſmus Triumphatus. 887. Monitorem qualem habuerit? 887. Linguarum Hebrææ & Græcæ oſor. 948.
Campianus, Edmundus. 231.

Campidonum. 479.
Canadanorũ infideliũ converſio. 969.
Candalius Comes, ex Pontificio Calvinianus, ex Calviniano iterum Pontificius. 405.
Candia belli Turco-Veneti ſedes. 1116.
Candidius, Georgius, Evangelii Præco in Inſula Formoſa. 747.
Candidus, Pantaleon, Johannem I. Ducem Bipontinum ad Calviniſmum ſeducit. 84. *quomodo Libro Concordiæ ſubſcripſerit?* 184.
Canea Turcis cedit. 1095.
Canizia fruſtra obſeſſa. 26.
Cantabrigiæ Novæ, ſeu Americanæ, Academia. 907.
Cantacrucia, Caroli Lotharingi amaſia. 856.
Cantamirii Tartarici ſeceſſus in Moldaviam infauſtus. 916.
Canus Melchior. 77.
Capitelius Andreas, de anamarteſia Mar. Virg. 665.
Caramuel Pacificationem Oſnabrugenſem vindicat. 1135.
Carinthia Evangelium proſcribitur. 3.8.
de Carmelo monte Ordo Equeſtris. 197.
Carniolia Evangelio orbatur. 3.8.
Carolum V. Imp. ad ſolum Chriſti meritum ablegare, qua occaſione ejus Confeſſionarius didicerit? 343.
Cartwrigthus, Thomas. 60.
Caryophilus, Matthias. 777.
Caſauboni, Iſaaci, Exercitationes contra Baronium prodeunt. 361.
Caſelius Johannes. 335.
Caſſander de Bradwardini libro 458. *quantæ autoritatis apud Pontificios.* 1069.
Caſſoviæ ſubit Religio mutationem ſubitaneam 51. *ſq. perſecutionem patiuntur Evangelici.* 74. 123. *ſq.*
Caſtaneus, Henricus Ludovicus. 858.
Caſtrieraldenſe Colloquium. 460.
Caſtro, Urbs, ab Innocentio X. funditus everſa. 1103.
de Caſtro, Matthæum, ut Jeſuitarum invidia exercuerit. 1058.
Catalonica inundatio. 443.
Catalonii ad Gallos deficiunt. 980.
S. Catharinæ Monaſterium Sinaiticum. 1168. *ſq.*
de Catharinæ Senenſis ſtigmatibus pingendis controverſia. 102. *ipſa fabula ib.*
Cavalerius, Bonaventura. 736 *obit.* 1142.
Cavellus, Hieronymus, Raymundi Lullii vindex. 92.
Caulius, Philippus. 577.
Cayeri Colloquium cum Molinæo. 42.
Ceylan Inſulæ, ſitus, traditio, conſuetudo, Religio. 1127.
Ceilani Regis, Fimalæ, relapſus in idololatriam. 95.
de Ceilano Rege baptizato. 1126.
Celſus. 116.
Cerqueira, Ludovicus, Jeſuita, Japoniæ Epiſcopus 347.
Ceva, Urbs, inundatione perit. 249. *ſeq.*
de Chaldei Patriarchæ legatione ad Papam Rom. quæ cum ſubmiſſione facta jactatur 173.
de Chamieri ſcriptis Tob. Wagnerus. 216.

216. de ejus obitu lugubri. 538.
Chaſtelli, Johannis, parricidium, in Henricum IV. Galliæ Regem intentatum. 105.
de la Chaſtre, Claudius, ſex Galliæ Regum felix Miniſter. 393. ſq.
Chevalier, Hincmannus, Origenianus. 40.
in China, quæ autoritas Riccii & Pantojæ, Jeſuitarum? 232. *quomodò Jeſuitæ ſuis attraxerit perſecutionem?* 376. *familiam Regiam Taimingganam ut miſeranda ſors terminarit?* 1071.
Chinenſes Monarchæ Vanliens, Thaichangus, atque Thienkius. 523.
Chineſes prædicatione Chriſti crucifixi offenduntur. 376.
in Chinenſi aula prodit Jeſuitæ Matthæi Riccii opus de Religione Chriſtiana 67.
Chinenſi Imperio, quomodò potiti Tartari Niuchenſes. 416. 523. 757 1096.
Chinenſis Tabula, Præconū Chriſtianorum omnia comprehendens. 633.
Chinenſium converſio pro medio converſionis Japonenſium habita 814.
Chorejius, Geſſus doctiſſimus 1009.
Chriſtianopolin Sueci occupant, ſtratagemate uſi. 274.
Chriſtophori Inſula. 1107. *Status Eccleſiæ in ea plantatæ.* ib.
Chytræi, Davidis, Orationem de Statu Eccleſiarum in toto terrarum orbe refutare fruſtrà conatus Ant. Poſſevinus. 260.
Clarii Bonarſcii Carmina Mariolatrica, 114.
Claſenius, Daniel de Hollandia. 483.
Claudiopoli Jeſuitæ reſtituuntur. 55. *ſuſpendio adjudicantur.* 400.
Clemens, Jacobus, Regicida, elogio Jeſuitico ornatus. 230.
Clemens VIII. Papa Rom. 7. *de Juramento hæreticis præſtito.* 81. *controverſiam de Auxiliis Gratiæ Divinæ definire non audet.* 137. 256. *quomodò Sixti V. emendationem Verſionis Bibl. Vulgatæ revocârit.* 7. 138. 240. ſq. *an Coptas in naſſam ſuam pertraxerit?* 330. *obit.* 10. *ejus perfidia.* ib. *indulgentiæ.* 54 *Bulla contra Anti-Trinitarios.* 62.
Clerici machinæ clandeſtinæ in Regem Angliæ Jacobum I. 105.
Cleſelius, Melchior, perſecutor Evangelicorum. 51. *Paci Hungaricæ, Evangelicis proficuæ, fruſtrà ſe opponit.* 124 *Galerum Cardinalitium adipiſcitur.* 399. *Dan. Hiſlero potum venenatum in ſalutem Cæſaris propinat.* ib. *in cuſtodiam Tyrolenſem ab Archiducibus datur.* 453. *obit.* 745.
Clewizius, Wilhelmus, Fridericum III. Elect. Palat. ad Calviniſmum ſeducit 235.
Clivenſem agrum vaſtant Hiſpani. 117.
Clivia. vid. Juliacum.
Cluentius, Johannes. 724.
Cluverius, Philippus. 589.
Cluverius, Johannes. 589. 812.
Coburgenſis Gymnaſii Fundator, Joh. Caſimirus, Saxoniæ Dux, obit. 826.

Coletus, Michael, Fabricio, crypto-Calviniano Dantiſcano, larvam detrahit. 122. 130.
Colmaria, libertatem Religionis orthodoxæ recipiens, operâ D. Job. Schmidii utitur, ægrè ferentibus Baſileenſibus. 783. *ſq.*
Coloniæ Agrippinæ, quis prima Chriſtianiſmi fundamenta jeciſſe dicatur? 172. *Cives Evangelici perſecutionem patiuntur.* 34. 122. 289 *ſeq. diſſipantur.* 172. *edicto ſeveriſſimo cultus orthodoxus illis prohibetur.* 223. *Mülhemii iis paratur ſedes, at fruſtra.* 280.
Coloniæ ad Spream Ceremonias aliquot Lutheranas aboleri facit Pelargus. 157.
Colonienſis Archiepiſcopus Gebhardus Truchſeſſius. 11. 279. Erneſtus Bavarus. ib. hujus obitus. 304.
Colonienſis Elector cont. Wilhelmum Comitem Witgenſteinenſem. 100.
Colonitii expeditio Hungarica. 69.
Combadaxi Japonici ſomnus. 759. ſq.
Comenii Amoſi error de Anima Mundi. 818.
Comnenus, Anaſtaſius, Abbas. 1168.
Concordiæ Terra inventa. 471.
Confutius. 232.
de Congiani Regis legatione ad Papam Rom. quæ cum ſubmiſſione facta jactatur. 178.
Conringius, Hermannus, de Epiſcopis Germaniæ. 153.
per Conſtantiam, Conſtantini M. ſororem, quid effecerit Presbyter Arianus. 884.
Conſtantinopolis non vi, ſed ex deditione, occupata. 192.
Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Officia & Officiales. 1158. ſq.
Conſtantinopolitani Chriſtiani, Græcæ Religioni addicti, quomodò Templis penè orbati fuerint? 70.
Conſtantinopolitanum incendiũ. 416. 1098.
Conſtantinopolitanus Patriarcha, Marcus Xylocarabes nefariè deturbatus 833. Simeon Simoniacè evectus, & maturè dejectus. ibid. Dionyſius arte muliebri in Sedem promotus. 834. Neophytus Athenarum. 32. 175. Raphaël Methymnæ. 74. an hic Pontificiis faverit? ib. Cyrillus Lucaris. 175. 531. Jeremias Tranus, ſeu Lariſſæus, cui cum Theologis Tubingenſibus commercium literarium & religioſum interceſſit. 282. Timotheus, malis artibus in Sedem evectus. 312. veneno ſublatus. 530. Cyrillus Contari. 944. Parthenius I. 965. deturbatus. 1079. Parthenius II. Calvinizans. ib.
Conſtantinus M. Symbolum Nicænum nullo modo convelli patitur. 707.
Copernicus, Nicolaus. 223.
Coplæus, Antonius, deſignatus executor factæ contra Jacobum I. Angliæ Regem, conſpirationis. 56.
Coptus an ſuæ fidei fecerit Clemens VIII. P. R.? 330.
Cordubæ, Gonſalvi, expeditiones. 546. 573.

Coornherti, Theodori, paradoxum. 749. 771. literatura ſerior. 771. vox extrema de Prædeſtinatione. 772.
Cornelius à Lapide de ſententia Jeſuitarum rigidiorum, quantum ad Prædeſtinationem & Gratiam Converſionis. 138. de martyrio & miraculo Garnetti, ob conjurationem pulverariam ſupplicium paſſi. 142. ejus in perorando contra Antipapæos pietas impia. 582. ſeq. prædictio de ruina regni Turcici. 772. obitus. 905.
Corvinus, Joh. Arnoldus. 262.
Coſmus, Italus, atheus. 383.
Coſſacorum nefaria petulantia. 520. defectio ad Moſcovitas, cujus cauſa Jeſuitæ. 1123. reconciliatio cum Polonis. 1184.
Cottonus, Johannes, non-Conformiſta Anglicanus, Separatiſmi promotor. 863. ſq. quàm fœcundi ejus errores? 864. ſq.
Cottonus, Petrus, Jeſuita quæ ex cacodæmone, puellam obſidente, diſcere voluerit? 79. nomine Societatis examinatur à Parlamento Pariſienſi de poteſtate Regis & Papæ. 656. ſq. animi dolore mortem ſibi contrahit. 658. arcanorum revelatio, quomodò ei facta. ibid.
Covet, Jacobus. 184.
Cracovienſium Pontificiorum violentia in Evangelicos. 123. 853. Academicorum lites cum Jeſuitis. 666.
Cradelius, Philippus, quomodò peſte correptus? 650.
Crameri, Andreæ, diſceptatio cum Evenio de Genere Theologiæ. 706.
Cramerus, Daniel, de Declaratione Sam. Huberi. 86. ſq. ejus Epiſtola graviſſima ad apoſtatam Chriſtophorū Pelargum. 339. obit. 675.
Crellius, Johannes. 89. obit. 1020. Nicolaus, Cancellarius Saxonicus, ultimum ſupplicium luit. 26. 32. Paulus. 1020.
Criechingenſium Baronum controverſia cum Comitibus Leonſteiniis. 140. cooptatio in ordinem Comitum Imperii. 441.
Critopulus Metrophanes, quo fine miſſus à Patriarcha Cyrillo Lucari in Germaniam? 604. ejus Confeſſio de Capite Eccleſiæ. 605. 878. Joh. Friderici, Ducis Würtenb. erga illum clementia. 605.
Crocio, Johanni, Papam R. vocanti AntiChriſtum, Jeſuitæ Moguntini vehementer ſuccenſent. 792.
Crocius, Ludovicus, Hypotheticus. 516. 927.
Croji Duces, Carolus Philippus, Erneſtus, & Erneſtus Bogislaus. 522.
Crojorum Ducum Genealogia, inde ab Adamo deducta. 306.
Cronbergius, Joh. Suicardus, Elector Moguntinus. 57.
Croſnovienſius à Pontificiis miſerè tractatus. 254.
Cruſii Johannis, Jeſuitæ, certamen de Bonis Eccleſ. 1157 ſq.
Cruſius, Martinus. 171. ejus opera in

in commercio Tubingenſium cum Græcis religioſo. 281.
Cruſius, Philippus, Legatus Holſatinus ad Regem Perſarum. 893.
Cudſemius, Samuel, (poſteà Petrus) tranſit ad Pontificios. 182. ſq. Jac. Arminio, quid opponuerit? 190.
Curienſis Epiſcopus priſtino juri Circuli reſtitutus. 1026.
Cuykius, Henricus, Epiſcopus Ruremond. contra Sacerdotum Concubinas. 42.
Cyrillus Contari, Metropolita Berrhoënſis. 811. ejus in Eccleſiam Cptanam perfidia & ſacrilegium. ib. Cyrillum Lucarin iterata vice Patriarchatu deturbat. 878. 923. Patriarchatu Cptano potitus, Urbano VIII. P. R. ſe ſubmittit. 941. Unde capitale ejus odium in Lucarin? 945. ejus improbitas, & ſupplicium. ib. ſq. literæ ad eum ab Urbano VIII. perſcriptæ. 946.
Cyrillus Lucaris, Patriarcha Alexandrinus. 329. ejus epiſtola ad Uten bogardum. ib. ad Georgium Abbotum, Archiep. Cantuarienſem. 397. ad Antonium Legerum. 531. ejus Titulus. 397. evadit Patriarcha Cptanus. 531. Calvinianis addictus. ib. in Rhodum relegatus, Sedi tamen dein reſtituitur. 555. 604. 878. eius Confeſſio pro Eccleſiarum Orientalium univerſarum Confeſſione vano ſtudio vendita. 763. ſq. 821. 1020. quantum Perſceſium dependere coactus? 832. Baſſæ Turcici autoritate crudelitati Pontificiæ ſubducitur. 878. tandem calumniis Pontificiorum miſere ſuccumbit. 922.

D.

de Daciæ Principibus conſtituendis Matthias Imp. cum Achmete Turcico tranſigit. 362.
in Dacia quam crudelem tyrannidem exercuerit Gabriel Battorius. 309. ſq.
in Dacia natæ Turbæ 362.
Delingus de Cometa A. 1618. viſo. 470.
Dalburgia grandæva generationem quintam videt. 11.
Dalburgius, Wolfgangus, Elector Moguntinus 11. Dietherus. ib.
Dalleus, Johannes, Hypotheticus. 292.
Damaſi Pontificale. 43.
Daniæ Regis Chriſtiani IV. curæ pro ſubditis. 32. ei juramentum dicunt Hamburgenſes. 68. cur contra Carolum IX. Sueciæ Regem bellum ſuſceperit? 256. Calmariam, Bornholmiam & Oelandiam occupat. 274 pacem init cum Suecorum Rege. 331. 1094 ejus contentio cum Erneſto Schaumburgico. 547. expeditiones in inferiori Saxonia 668. 689. ſq. cura ſacra de emendatione Diſciplinæ Eccleſiaſticæ. 719. inopino bello petitur à Suecis. 1076. Copiis Circuli Saxoniæ inferioris præficitur. 646. obit. 1163.
Daniam emiſſarii Pontificii fruſtrà tentant. 554.

Danicæ Eccleſiæ Status. 32.
Danicus Princeps, Johannes, Magni Moſcorum Ducis gener. 47.
ex *Daniele diſputare qui & quare renuant Judæi?* 298.
Dannhauerus, Joh. Cunradus, de Judæorum baptiſatione & converſione. 101. *de Reformatorum nomine, quod Calviniani ſibi vendicant* 318. *de Irenico Pareano.* 359. *ſq. de Calvinianorum laboribus in procurando Syncretiſmo.* 840. *de Franc. Gomari Lyra Davidica.* 912. *Francofurtum ad Mœnum vocatur.* 1055.
Dankertus, Sebaſtian, de incolis Amboinæ. 683.
Dantiſci Calviniſmum inſtillare conatur Fabricius. 122. 129. *ſq.*
Dantiſcum à Suecorum Rege G. A. fruſtrà tentatum. 646. 711. *quid moleſtiarum contraxerit ex receptione Calvinianorum.* 1076.
Darmſtadienſium Theologorum Neceſſaria Deductio de Lutheranorum & Calvinianorum diſſenſu fundamentali. 729. *Deductio Fundamentalis contra Calvinianos.* 889.
Davenantii, Johannis, ſpes exigua de obtinendo Lutheranorum & Calvinianorum conſenſu pleno. 360. 868. *obitus.* 973.
David Georgius. v. Georgius.
Decumanus, Johannes, Apoſtata & Jeſuita, Polyc. Lyſeri Conciones Pragenſes allatrat. 148.
Dekerus, Cunradus, de Joh. VIII. Papiſſa. 299. *obit.* 512.
Delphenſium Mulierum tumultus. 415.
Delrio, Martinus. 179. *quomodò ſtudia ſua ſit redorſus?* 180.
Demetrius, Czarius Moſoviæ Scenicus infelix. 118. *(v. pl. in Voc. Moſcoviæ.)*
Dieriæ, fanaticæ, partus monſtroſus. 864.
Dietericus, Cunradus. 943.
Dietrichſteinius, Franciſcus, de Jeſuitarum opera in docendo. 788. *obit.* 881.
de Dieu, Johannes. 427. *Ludovicus.* 973.
Dillingenſium JCtorum conatus cont. Pacem Religionis. 730.
Dœrptana Academia fundatur. 629. *Solenniter introducitur.* 763.
Dominicus de Jeſu Maria, Carmelita Hiſpanus, quid præſtiterit in prælio Pragenſi? 507. *Ludovicum XIII. Galliæ Regem ad perſecutionem Hugonotarum impellit.* 533. *obit.* 745.
de Dominis, Marci Antonii, tranſitus ad Calvinianos. 404 *liber de Rep. Chriſtiana Syncretiſticus.* 413. *pronunciatum de differentia inter Eccleſiam Pontificiã & Calvinianam.* 431. *ſq. de Abr. Bzovii adulatione, Papam extollente.* 452. *ejus relapſus ad Pontificios.* 558. *ſq. fata ſuprema.* 609. *ſq.*
Domitianus, DEUS dici vult. 210.
Donawerda, quomodò libertatem Eccleſiaſticam atque Civilem amiſerit,

ſerit, & Pontificia evaſerit? 148. & ſq.
in Donawerdana cauſa quid actum? 217. 223. 274. 308. 1167.
Dordracena Synodus. 461. ejus proceſſus iniquus. 487. ſqq.
Dordracenſis juvenis ſomnium auſpicatum. 498.
Dormalius, Henricus, de diverſarum Religionum aſſeclis. 1037.
Dorſcheus, Georgius, de Synodo Dordracena. 490. ejus conſilium de Unione Collegiorum Sacrorum. 503. 1077. judicium de conſilio Nicolai Hunnii. 1046.
Douſa, Janus. 97.
Draco, Franciſcus circuitione totius Orbis clarus. 28.
Drejerus, Chriſtianus. 1069. 1110. 1134.
Drexelius, Hieremias, de trutinandis actionibus. 418. de Angelorum auxilio, cui accepta ſit ferenda Victoria Pragenſis. 508. obit. 925.
Drielenburgius, Vincentius. 185.
Druſius, Johannes. 405. quantæ eruditionis fuerit filius ejus, puer adhuc. ib. ſq.
Dudithius, Andreas, de Concilio Tridentino. 183.
Dunkerka Gallis cedit. 1115. ſq.
Duræus, Johannes, de Fundamento Fidei. 953. ejus conatus Irenici. 839. ſq. 999. de his judicium Theologorum Saxonicorum. 867. Archiepiſcopi Suecici. 925. univerſi Cleri Suecici. 933. Theologorum Hafnienſium. 906. 949. Amyraldi, eorum ſufflaminationem Riveto & Spanhemio imputantis. 950. ſq. de ejus ingratitudine. 954.
Durandi ſententia de Concurſu Divino. 891.
Durlacenſe Colloquium. 325. ſq.

E.

Eckardus, Henricus. 604.
Ederi, Georgii, calumnias cont. Evangelicos editas, quomodò caſtigarit Imp. Maximilianus II. 267. ſq.
ab Effern, Henricus. 402. Daniel. 412.
Effernorum genus. 402.
Eggenbergius Joh. Ulricus, ad Principale faſtigium evectus. 598.
Egra, ratione Sacrorum, Bohemiæ ſortem gemebunda ſubit. 1167.
Ehrenbreitſtein, Gallis extortum. 915.
Eiſenbeiſs, Johannes cædes, in uxore gravida, VI. liberis & ancilla commiſſas, quali ſupplicio luerit? 145.
Eislebienſis conflagratio. 1098.
Elbingenſibus lis mota ab Epiſcopo Warmienſi de Templo Parochiali. 395. Templum illud ereptum 449.
Elwangenſis Abbatiæ transmutatio in Præpoſituram. 966.
Embda, à Fœd. Belgis cont. Ennonem, Friſiæ Orient. Comitem, defenſa. 46.
Emmius, Ubbo. 638.
Enguienſis Ducis expeditiones. 1049. 1070.

En-

Eniedinus, Georgius. 89.
Entringer, Johannes, *fœcundæ familiæ conditor*. 6.
Epiſcopius, Simon. 262. *ad obeundam in Acad. Leidenſi Profeſſionem Theologicam vocatur*. 291. *de Eraſmi Roterod. jocis Grynæus*. 432.
Erbermannus, Vitus, *Jeſuita, de Bibliis Vinarienſibus*. 976.
Erpacenſis Comes, Georgius. 119. *Georgius Albertus*. ib. *obit* 1139.
Erpenii, *Thomæ*, *Verſio Novi Teſtamenti Arabica*. 413. *conamina ejus alia, fato interverſa*. 645.
Erphordiæ habentur Nuptiæ lugubres. 221.
Erphordienſis Campana. 121.
Eſclapezius de Theologia Morali Jeſuitarum. 1112.
Eſdiguerius, Galliæ Conneſtabilis, *qua occaſione ludicra ex Hugonota factus Papiſta*. 661. ſq.
d' *Eſtagne*, Johannes, *Orationem Dominicam vindicat à contemptu*. 1134.
Eſſexius Comes, *capite plexus*. 26.
Eudæmonis, *Andreæ*, *Apologia pro Garnetto & Jeſuitis in cauſa conjurationis pulverariæ*. 328.
Evenii diſputatio cum Andrea Cramero de genere Theologiæ. 706.
Evenius, *Sigiſmundus*. 707.
de *Euſebiis*, *Erneſtus*. *Pacificationem Oſnabrugenſem impugnat*. 1135.

F.

Faber, *Antonius*. 610.
Fabritio, Crypto-Calviniano *Dantiſcano, larvam detrahit Michaël Coletus*. 122. *Fabritius ille cum Fabro Epheſino, Alexandro, collatus*. 129.
Fabritius, *Jacobus*, *Viſionibus patrocinatur*. 1041. *à Theologis Wittebergenſibus fideliter monetur*. ib.
Fairfaxius, *Thomas*, *Angliæ Regem Carolum I. prælio memorabili ſuperat*. 1095.
Familiſtarum Secta. 88.
Fava, *Franciſcus*, *impoſtor famoſiſſimus*. 196. ſq.
Fechtius, *Johannes*, *de Arte nova Gonteriana*. 326.
Ferdinandi, *Caſtellæ Regis*, *Sancti*, *canoniſatio lenta*. 722.
Ferdinandus I. Imp. privilegia Bohemorum combuſta novis diplomatibus reſtituit & auget. 474. ſeq. *cur in purgatorio adhucdum ſudare à Monacho prædicatus*? 758.
Ferdinandus II. Clementi VIII. executionem Fœderis Sancti promittit. 8. *ejus vota & fervor adverſus antipapæos*. 3. 480. 914. *bellum parans contra hos, à Paulo V. Papa ſuppetias obtinet*. 480. *in Imperatorem Rom., ipſius etiam Electoris Palatini ſuffragio, eligitur & coronatur*. 494. *à Paulo V. Indultum Primariarũ Precum impetrat*. 504. *ejus nuptiæ ſecundæ*. 574. *numerus ad altiora faſtigia uno anno ab ipſo evectorum inſignis*. 670. *ejus Edictum de reſtitutione Bonorum Eccleſiaſticorum*.

715. 719. *Zelus in compulſione ad ſacra Romanenſia.* 720. 812. *æquanimitas in omni fortuna.* 733. *exercitus, ſubſidiis ingentibus auctii.* 788. 612. *Epiſtola de Pace Pragenſi.* 858. *obitus.* 914 *quomodo de acceſſu ad Pontificios gratulatus Tieffenbachio.* 914. (*vid. pl. ſup. in voc. Auſtria.*)

Ferdinandi III. Nuptiæ primæ. 780. *ſecundæ.* 1162. *expeditiones.* 847. *ſq. electio in Romanorum Regem, & inauguratio.* 893. *auſpicia Imperatoria* 915. *ſummum vitæ periculum.* 1074. *Declaratio de Religionis negotio, ad Status Hungaros.* 1122. *votum de Feſto immaculatæ Conceptionis Mariæ.* 1124. *conſtantia in ſervanda Proteſtantibus Hungaris fide.* 1171.

Feri, Johannis, Commentarii. 215. *ſq.*

Feriæ Dux, Wallenſteinii æmulus inglorius. 825. *ejus crudelitas in Valtelinos.* 512.

Ferranæ Inſulæ admirandum. 850.

Ferraria Patrimonio Petri addita. 7.

Ferrarius, Philippus. 671.

Ferrii, Pauli, Scholaſticus, quem vocat, orthodoxus. 413. 746.

Fezana Academia Muhammedanorum. 301.

Finkius, Caſparus. 826.

Firlejus, Johannes. 724.

Fiſcherus, Samuel. 5.

Flacii, Matthiæ, Catalogus *Teſtium Veritatis.* 222.

Fleckenſteinenſis Comes, Georgius. 1072.

Fliſſinga, Anglis oppignorata, Belgis reſtituitur. 415.

Fliſſingenſium ſors in Inſulis Tabago & S. Trinitatis. 703.

Florentinus Dux. v. Hetruriæ Dux.

Forerus, Laurentius, de Joh. Wolfii Memorabilibus. 297. *ejus Bellum Ubiquiſticum.* 138. 918. 620. 686. *encomium Franciſci.* 191. *deciſio Controverſiæ de Bibliis Clementinis & Sixtinis.* 24. *ſeq. quale Symbolum Lutheranis affinxerit?* 567. *ejus Lutherus Thaumaturgus.* 596. *VII. Characteres Luthero affticti.* 666. *Par nobile Fratrum.* 704. *calumnia de Symbolo, nec non de definitione Prædicantis Lutherani.* 706. *Manuale.* 708. Uberſchlag. 730.

Forgatſianæ expeditionis in Tranſſylvania cataſtrophe. 275.

in Formoſa Inſula Chriſtianiſmus plantatus. 747.

Förſterus, Johannes, Aurobachius. 311. *Auguſtanus ib. hujus monitum de Rabbinis Judæorum.* ib.

Forſtnerus de Privilegiis Subditorum 475.

Foſcarini, Antonii, Nobilis Veneti, innocentia poſt mortem glorioſa. 576.

Foxius, Puritanus. 244.

Franc-Armeni, qui? 80. 903.

Franci, populis Orientis quinam dicantur? 80.

de Franciſco Zeæmannus & Forerus. 191.

Francobergam tempeſtas affligit. 170.

Frau-

Francofurti ad Mœnum ob Judæorum licentiam nimiam diſſidium oritur inter Cives & Senatum. 303. atrox porrò tumultus. 361. Judæi inde pulſi ſolenniter eò iterum introducuntur. 414.

Francofurtenſis Oderanæ Facultatis Theologicæ judicium de Confeſſione Auguſt. invariata & varia à. 815 an ex propria illius ſententia cum veritate congruat? 816.

Francofurtum ad Oderam à Suecorum Rege G. A. expugnatum. 778.

Franconiæ Dux, Epiſcopus Würzburgenſis. 152. ſq.

Franconici Circuli Status tractationem Pacis urgent. 1072.

Franequeræ Studioſi quidam libellum Socini divulgare audent. 270.

Franckenthalium fruſtrà tentatum. 546.

Frankii, Sebaſtiani errores. 749.

Franzii, Wolfgangi Diſputatio cum Judæo erudito. 297. ſq. judicium de prognoſticis Aſtrologicis. 322. obitus. 697.

Fratres Bohemici. v. Bohemici Fratres.

Frauenſtadienſe præſepe Chriſti. 100.

Fraxinea, Hadriana. 79.

Freherus, Marquardus. 43. 365. 414.

Freudenſtadii natales. 30

Freyberga Miſniæ, à Torſtenſohnio fruſtrà tentata. 1048.

Fridenſtein, arx, nata ex Grimmenſtein. 1051.

Fridericoſtadium Holſatiæ ab Arminianis conditum. 549.

Fridonius, Azarias, conſtituitur Archiepiſcopus Nexivanienſis. 80.

Friſiæ Occidentalis Gubernator, Guilielmus Ludovicus Naſſovius, quas curas in cauſa ſchiſmatis Arminiani adhibuerit? 319. obit. 523.

Friſiæ Occid. Ordines heterodoxiam Supralapſariorum publicato decreto improbant. 340. eidem decreto in Synodo Dordracena iterum derogant. 350.

Friſiam Occident. tentat Socinismus. 270. in ea ſerpit ſecta Wekenvalleſiana. 1042.

Friſiæ Orient. Comes, Enno, Embdanis cum damno ſuo moleſtus. 46. Ulricus, obit. 1163.

Friſiam Orient. depopulatur Mansfeldius. 573.

Frœreiſenius, Iſaacus, B. Lutherum quoad ſcientiam ſanioris Philoſophiæ vindicat. 451.

Fuldenſe incendium. 419.

Fürſtenbergius, Theodorus, Epiſcopus Paderbornenſis, Evangelicorum perſecutor. 74. Wilhelmus, Judicii Imperialis Aulici Præſes. 469. Ego. 872.

G.

Gabriel Sionita. 890.

Galaſſii expeditiones. 871. 891. 1071.

Galatæ reſtituuntur Jeſuitæ. 78. ſq.

Galilæus de Galilæis ſeverum cenſorem habet Urbanum VIII. 1057. ſq.

Galli quid in Germania per Pacificationem Oſnabrugenſem reportaverint? 1182.

in Gallia res Hugonotarum florent. 60. *Concilii Tridentini promulgatio fruſtrà urgetur.* 127. 372. *ſq. orta ſeditio ſedatur.* 362. 1161. *bellum civile recrudeſcit.* 391. 415. *novum oritur.* 537. 1004. *duella ſeverius probiberi, graviſſima oratione petit Montis peſſulani Epiſcopus, at fructu tunc quidem exiguo.* 392.

in Galliæ Reges & Eccleſias Bulla Cœnæ Dominicæ evidenter injuria. 679.

Galliæ Rex, Ludovicus IX. *canoniſatus.* 428. Henricus IV. *à Clemente VIII. P.R. conatu irrito excommunicatus.* 7. *Jeſuitis reditum in Galliam petentibus, quid & prima & altera vice reſponderit?* 9. 55. *quare articulus de Papa Antichriſto, Confeſſioni Hugonotarum inſertus, ei diſplicuerit?* 66. *pacem, Hugonotis conceſſam, contra petitionem Cleri Pontificii prorogat.* 85. *à Joh. Chaſtello parricidium in eum intentatur.* 105. *Valetudinarium pro Militibus truncatis, & Cameram Charitatis Chriſtianæ, erigit.* 141. *quantum Gratiæ indulſerit Jeſuitis?* 154. *Ordinem Equ. de Monte Carmelo inſtituit.* 197. *blaſphemias edicto ſevero probibet.* 204. *nefariè interficitur.* 245. *quare?* 246. *uxor prior, Margareta Valeſia, ab eo repudiata.* 391. *quo potiſſimum ſeductore factus Pontificus?* 454. *quid eum in fide Pontificià confirmarit?* ib. *ſq.* Ludovicus XIII. *quinquennis demum baptizatur.* 131. *Regni habenas capeſſit.* 362. *Edictum Henrici IV. in blaſphemos renovat.* 364. *votum ſuum de pellendis Regno hæreticis ad Hugonotarum petitum declarat.* 378. (*v. p.* 510.) *ejus nuptiæ.* 391. *inter Ferdinandum II. Imp. & Fridericum Palatinum, neutrius parte electà, medium ſe gerit.* 495. *cum Matre armis contendere parat, iterumque ceſſat.* 496. *expeditione ſubitaneâ Regionem Bearnenſem opprimit.* 510. *ſq. quâ pompâ Lutetiam ingreſſus?* 599. *de juvandis Principibus fidei non Romanæ dubius hæret.* 617. *res Domûs Auſtriacæ feliciſſimas in difficultates conjicere incipit.* 712. *Lotharingiæ Ducem aggreditur.* 756. *ſq. cont. Domum Auſtriacam & Hiſpanam à Papa excitatur.* 767. *Fratrem armatum vincit.* 802. *Cæſari & Hiſpano bellum palam denunciat.* 870. *obit.* 1050. Ludovicus XIV. *naſcitur.* 937. *mammarum roſor.* 939.

Galliam Cæſareani invadunt irrito conatu. 892.

Gallicana Eccleſia antiquior de Imaginibus. 114.

Gallicani Deiſtæ. 795.

Gallicanis Synodis aſtutè immiſcetur Concilium Tridentinum. 373. *ſq.*

Gallis cedunt Inſulæ S. Martini, S. Luciæ, & Guadalupia, 858. *eorum progreſſus in Catalannia & Lotharingia,* 1095.

Gal-

Gallorum & Anglorum ſimultas. 661. 691.
Gallus, Petrus, dux Claſſiarius, ſeptuagenario major, capite plexus. 1075.
Gap. 61. 65.
Garcæus, crypto-Calvinianus. 529.
de la Gardie, Jacobus, Novogardiam expugnat. 277.
Garnettus, Henricus, Jeſuita, autorum Conſpirationis pulverariæ primarius. 118. *ſupplicium ejus, ſupremum.* 141. *ſq. martyrium & miraculum aſſerta ei à Sodalibus.* 142. *ejus defenſio confutata.* 528. *propria confeſſio. ib. Canoniſationis honores eidem propemodum decreti.* 557.
Gebhardi, Comitis Truchſeſſii, Archiepiſcopi Colonienſis *fata.* 11.
Gedanum. v. Dantiſcum.
Gedikius, Simon. 338. 341.
Gelenius, Ægidius, de Materno, quòd fuerit viduæ Nainiticæ filius, & Coloniæ *Agripp. Apoſtolus.* 172.
Geneva à Sabaudo per inſidias fruſtraneas tentata. 46. *imminens ei periculum ex Papatu.* 172.
ad Genevenſis Eccleſiæ modum reformari Anglorum multi deſiderant. 82.
Gentilis, Valentinus, Anti-Trinitarius. 272.
Genua à Paulo V. Papa R. ad obſequium compulſa. 104. *à* Carolo *Emanuele II. Sabaudo vexata.* 647.
Genuæ martyrium ſubit Lutheranus Germanus. 174.
Georgianorum Principes. 5. *Terra & Religio.* 347. *natio, à Jeſuitis turpiter decepta. ib.*
Georgii, Davidis, inſania blaſphema. 407.
Gerani Miniſterii Eccl. acta in cauſa Gottliebii Heilandi. 514. *ſq.*
de Gergani, Zachariæ, Epiſcopi Artenſis in Peloponeſo, conſenſu cum Evangelicis. 285. *de ejus* Catechiſmo. 776. *ſq.*
Gerhardus, Johannes, de Joh. VIII. Papiſſa. 299. *de Harmonia Calvinianorum & Photinianorum.* 327. *de Arndio.* 517. *ejus Meditationes Sacræ.* 139. Confeſſio Catholica. 242. 845. *examinat aſſertiones Gottliebii Heilandi* Chiliaſticas. 515. *Harmoniæ Evangeliſtarum* Chemnitio-*Lyſerianæ* continuationem *ſuſcipit.* 543. *Pacis Pragenſis juſtitiam vindicat.* 865. *obit.* 899.
Gerlachii, Stephani, parens & fratres Anabaptiſtæ. 162. *obitus & elogium.* 381. *circa quos articulos imprimis excelluerit. ib.*
de S. Germani & Ignatii Lojolæ die feſto controverſia Gallicana. 1057.
Germani quo loco habeantur ab Hungaris. 331.
Germania gemebunda. 711. *tantùm non ſubjugata penitus, feliciter reſpirat.* 785.
Geroldseccius Comes, *Jacobus cum vita familiam finit.* 849.

Gerſonis Chriſtiani, lib. de Talmude. 271.
de Geſneri, Cunradi, Hiſtoria Animalium. 121.
Geſnerus, Salomo. 101. *de Calvinianorum artibus & Calviniſmo.* 14. 156 *quomodò ei S. Cœnam Crypto-Calvinianus adminiſtrarit?* 102.
Gieſenius Menzero, præſentiam DEI & Chriſti per operationem definienti, ſe opponit. 411. *duros & iniquos experitur Calvinianos.* 586.
Gieſſenſis Academia naſcitur 98. *Privilegia ſua nanciſcitur.* 146. *inauguratur ſolenniter.* 147. *ejus Rector primus, Job Georgius, Holſatiæ Dux.* 147. *Profeſſores primi. ib. Marpurgum transfertur.* 630. *in propria ſede iterum inſtauratur.* 1167.
Giffordus, Guilielmus, Proteſtantibus Turciſmum affingit 92.
Gilger, Nicolaus, Reip. Noricæ Syndicus, capite plexus. 122.
Giniæus calumniæ crimen condignâ pœnâ luit. 443.
Gleichenſium Comitum familia exareſcens, occaſio litium. 960.
Glöcklerus, Johannes. 577.
Glückſtadium à Tillio fruſtrà obſeſſum. 710.
Guaninonius, Hippolytus, quos titulos tribuat Mariæ Deiparæ. 242.
Gneſnenſis conflagratio. 334.
Goæ in India, quàm ſplendidè vivant Jeſuitæ. 948.
Jacobus Goar. 1158.
Goclenius, Rudolphus, Joh. Piſcatoris errori favet. 61. *obit.* 278.
Godmannus, Puritanis annumeratus. 244.
Godwinus, Thomas, Separatiſta. 864. *ejus Antiquitates Hebraicæ & Græcæ commendatæ.* 1016.
Göppingæ adoleſcentulus à diabolo deceptus, ejus poteſtati eripitur. 276. *ſq.*
Goffredus, Ludovicus, Magus famoſiſſimus, combuſtus. 277.
Gomari, Franciſci, actiones contra Arminium ſuſceptæ. 181. 188. *ſq.* 213. *ſq. Lyra Davidis.* 912. *obitus.* 994.
Gondius, Petrus, Cardinalis. 402 454.
Gonterii diſputatio cum Molinæo. 214. *cum Wegelino.* 325. *methodus diſputandi nova.* 326. *à Luca Oſiandro exploſa.* 358. *à Walenburgiis interpolata.* 1093.
Gonzaga, Carolus, Princ. Nivernius, Ordinem Equ. de Sancta Militia, hæreticis oppoſitum inſtituit. 479.
Gordonus Huntlæus, Jacobus, autoritatem & ſufficientiam Textus Ebræi impugnat. 300. *obit.* 991.
Gothanum incendium. 1118.
P. Gondæ conceſſio de Transſubſtantiatione. 189.
Græcarum Familiarum nobiliſſimæ quàm tenui ſorte utantur. 1168.
Græcorum Templa, quomodo comparata? 30. 31. *Status ſub Sultano Turcico.* 102.
Gramondus de Jubilæo Lutherano, ipſoque Luthero. 424.

Grave-

Cramerus, Albertus, Eilhardum Lubinum refutat. 110. *ejus Colloquium cum Wolfgang. Amlingio.* 90. *Diſſertationes de Satisfactione Chriſti.* 214. *ſq. Harmonia Errorum Calvinianorum & Photinianorum.* 327. *functiones & obitus.* 423.

Gravia expugnata. 46.

Gregorius M. quam corruptè à Pontificiis editus? 644.

Gregorius XV. Papa R. quid ſub initium ſui Pontificatus ſuſceperit? 533. *acerrimus in Hugonotas.* ib. *decedit.* 583.

Gregorii Protoſyncelli Synopſis dogmatum Eccleſiæ Græcæ. 869.

Gretseri Jacobi, vox blaſphema. 22. 680. *paradoxa blaſphema de Flagellatione ſpontanea.* 132.

Grevinchovius, Nicolaus. 262.

Grœningenſis Academia erigitur. 351

Grœningenſium primus Doctor Calvinianus. 291.

Grœnlandia à Mercatoribus Danis fruſtrà tentata. 896.

Grolla ab Hollandis expugnata. 647.

Gronbergenſi Eccleſiæ moleſtus Senator crypto-Calvinianus. 396.

Grosglogovienſis Ducatus Reformatio Pontificia. 700.

Grotius Hugo, de Baronii Annalibus. 155. *ejus opera in impetrandis literis Jacobi I. Angliæ R. ad Ordd. Fœd. Belg. Tolerantiam Arminianorum ſuadentibus.* 321. *conſilium quo Belgium Fœder. turbaſſe reputatus.* 431. *cuſtodia.* 456. *uxor admodum fida.* 549. *obitus.* 1087. *religio.* 1088.

Grubenhagenſes ditiones à Brunſvic. Duce Henrico Julio occupatæ per ſententiam Cæſaris Luneburgicis cedunt. 441.

Grüningerus, Eraſmus pater. 335. *Eraſmus filius, Præpoſitus Stutg.* 786 *Joſua.* 805.

Grynæi, Joh. Jacobi, dolus. 235. *Diſputatio Heidelbergenſis.* 236. *obitus.* 432. *dicterium de Eraſmi jocis.* 432.

Guadagnoli, Philippi, Apologia pro Religione Chriſtiana, Ahmedi Perſæ oppoſita. 912.

Gualtherus Brugenſis moriens ſchedâ provocat à Papa ad Concilium, & inde ad judicium extremum. 81. *lis de ſepulchro ejus aperto.* ib.

Guiana, Americæ regio, ab Anglis tentatur. 219.

Guiſii Ducis duellum cum Luxio. 305.

Guravienſibus Exulibus Lutheranis moleſti Calviniſtæ Liſſani. 860.

H.

Habeſſinia. v. Abyſſinia.

Hadriana Fraxinea. 79.

Haſenreffero, Matthiæ, Montedeglius, Comes erraticus, turpiter imponit. 120. *ejus monitum de Calviniſmo.* 244. *ſpes de fructu commercii religioſi Tubingenſes inter & Græcos.* 285. *elogium & obitus.* 470.

Hafnienſes Theologi, quid requiſiverint à Joh. Duræo, Syncretiſmi proco. 906. 949.

Hagerl. Balth. *Jeſuitæ, inſolentia caſtigata.* 752.
Hagienſis Collatio. 262.
Haji, Romani, *Aſtrum inextinctum.* 890.
Hakeri, Jacobi, diſceptatio cum Andrea Urciano de Prædeſtinatione. 463.
Hakwirdius, Perſa eruditus, convertitur. 964. *ſq.*
Hala Sax. Leopoldo *Wilhelmo Auſtriaco tradita.* 739.
Halberſtadienſi Epiſcopatui præficitur idem Leop. *Wilhelmus Auſtr.* 653.
Hallus, Joſephus de Italia. 486. *de Urbani VIII. epichærekakia.* 703.
Haly, quantæ autoritatis apud Perſas 913.
Hamburgenſes juramentum dicunt Chriſtiano IV. Daniæ Regi. 68. *Holſatiæ Duci.* 467.
Hamburgum pro Civitate Imperiali Libera declaratum. 467. *nata ei controverſia cum Daniæ Rege, quæ brevi compoſita.* 756.
Hammelia expugnata. 825.
Hammelenſium puerorum hiſtoria an vera? 828. *ſq.*
Hamptecurtana Congregatio. 59. *Synodus?* 410.
Hanovia ab obſidione liberata. 892.
Hanovienſis Comes, Joh. Erneſtus. 1027.
Harlemenſis Synodus. 934.
Harlemi natæ turbæ Eccleſiaſticæ quoad vocationem Paſtorum. 380.
Harpprechtus, Johannes. 563.
Harvicenæ Scholæ in Anglia inauguratio. 1150.
Haſſiacæ Nuptiæ. 363.
Haſſiacarum Domuum, Caſſellanæ ac Darmſtadinæ, tranſactio, novumque dein diſſidium. 690. *conventio finalis, Inſtrumento Pacis Oſnabrugenſis confirmata.* 1162.
Haſſiæ Caſſellanæ Landgravio quænam per Pacem Oſnabrugenſem obtigerint? 1175.
Haſſiæ Caſſellanæ Landgravius, Mauritius, *Tumultum Marpurgenſem ſedat.* 99. *obit.* 793. *ejus, adhucdum quadriennis reſponſum de verbis Inſtitutionis Cœnæ memorabile. ib. ſq.* Wilhelmus, *quæ geſſerit?* 892. *obit.* 916.
Haſſiæ Caſſellanæ Reformatio Calviniana. 156.
Haſſiæ Darmſtadinæ Landgravius, Ludovicus IV. *obit.* 75. Ludovicus V. *Academiæ Gieſſenæ conditor.* 98. 146. *Scholas publico elogio ornat.* 147. *Wezlariæ jus ſuum armata manu aſſerit.* 133. *obit.* 670.
Haſſiæ Princeps, Otto, *ſclopeto improvidè arrepto miſerè interemitur.* 444. Fridericus, *ad Pontificios tranſit.* 879. Philippus *in balneo interit.* 1050.
Hauberus, Johannes. 503.
Hauſerus, Matthias. 816.
Haverleæ in Brabantia quid oſtendatur memorabile? 306.
Hay, Romani, *labores atq; certamina de Bonis Eccleſiaſticis.* 1157. *ſq.*

Hayne

Hayne, Thomas, Syncretiſmi proceſſus. 955.
Hazfeldii, Melchioris, expeditiones. 892. 937.
Hazfeldiis confertur Dominium Roſenbergenſe. 789.
Heerbrandi, Jacobi, Compendium Theol. græcè verſum & Conſtantinopolin transmiſſum. 282.
Heidelberga à Tillio expugnatur, 573.
Heidelbergæ natum diſſidium inter Academiam & Miniſterium Palatinatûs Eccleſiaſticum. 58.
Heidelbergenſe Jubilæum. 429.
Heidelbergenſes inter atque Tubingenſes Theologos reciprocata Scripta. 113. ſq.
Heidelbergenſis Facultatis Theologicæ judicium de Joh. Piſcatore. 83.
Heidelbergenſium, Baſileenſium & Marpurgenſium Calvinianorum diſſidium. 107.
Heidenheimenſis Scholæ natales. 225.
Heidenhemium Præconem V. D. Evangelicum ſumma cum lætitia recipit. 1165.
Heilandus, Gottliebius, quis. 514.
Heilbrunnerus, Jacobus, Johannis I, Ducis Bipontini Concionator Aulicus, quare dimiſſus? 84. *Marcum Beumlerum confutat.* 264. *Neoburgo pulſus, à Wirtenbergiæ Duce honorificè excipitur.* 367. *ejus Colloquium cum Jeſuita Jac. Kellero.* 384. *obit.* 450.
Heilbrunnerus, Philippus. 397.
Heilsbrunnenſe Gymnaſium. 52.
Heinii, Petri, Archithalaſſi Belgarum Fœd. victoria navalis ampliſſima valdèque opima. 711.
Heinlini, Johan Jacobi, Sol Temporum. 1113.
Heinſius, Daniel, de Barbariſmis, Textui N. T. Græco affictis. 931.
Held, Adolphus, crypto-Calviniſmus. 877.
Helffenſteinenſium Comitum familia extincta 690. *Comitatus quomodò diviſus?* ib. ſq.
Heliogabalus. 983.
Helmſtadienſes Theologos Statius Buſcherus crypto-Papiſmi arguit. 954. *Theologi complures cenſura publicâ notant.* 1111.
Helvetii artificis fatum dolendum, quod apud Perſas ſubiit. 917.
Helvicus, Chriſtophorus. 423.
Hemelsburgenſe Colloquium. 356.
Hemskirchii, Jacobi. Mors victorioſa. 167.
Herbergerus, Valerius. 100. *Zacharias.* ib.
Herbertus, Eduardus. 1165.
Herbipolis. v. Würzburg.
Herbornenſia Biblia. 438.
Heriſtallium ab Epiſcopo Paderbornenſi redimitur. 179.
Hermannus, Johannes. 761. *obit.* 1123.
Hernalſen e Templum Lutheranis reſtituitur. 201.
Hernalſenſis Dynaſtia luce Evangelii orbatur. 628.
Herodis Deitas commentitia juſto judicio punita. 211.

Heshuſius, Tilemannus, Clewizio Calviniano ſe opponit. 235. de Omnipræſentia Chriſti Hominis, quid ſenſerit? 265.
Hetruriæ M. Dux, Ferdinandus Medices. 219. Coſmus I. 220. quomodò hic in filium fratricidam animadverterit? ib.
Heurnius Indorum præco. 748.
Hieroſolymam verſus à fanaticis quibusdam Anglicanis, quare ſuſceptum iter? 1086.
Hieroſolymitani Patriarchæ, Poiſie, iter Moſcoviticum. 1167. ejus Religio. 1168. atque Titulus. 1172.
Hildeſiâ cedere ut adacti fuerint Capuccini. 1172. ſq.
de Hildeſienſi Epiſcopatu ſententia contra Domum Brunſvicenſem lata. 718 eum Domus hæc penè totũ amittit per tranſactionem. 1030. hiſtoria Diœceſeos in nucleo. ib. ſq. & 1036.
Himmelius, Johannes, in Jeſuitas, qui Colloquio Ratisponenſi interfuerunt. 20. obit. 1010.
Hippolſteinenſem ditionem Palatino-Neoburgicam Papiſmꝰ tentat. 366. ſq. occupat. 1054.
Hirnius, Hieronymus, turbator Eccleſiæ Lutheranæ Roterodamenſis. 614.
Hiſpani in favorem Papæ R. Turcas excitant contra Venetos. 126.
Hiſpania expelluntur Mauri. 247.
in Hiſpania Eccleſia Evangelica inviſibilis. 342. conf. p. ſq.
Hiſpaniæ Infans, Iſabella Clara Eugenia. v. Iſabella.
Hiſpaniæ Regis Philippi III. Edictum contra Card. Baronium. 228. poſtulatum apud Angliæ Regem Jacobum I. de vitanda Virginia. 304. mors. 548. Philippi IV. periculum ex Conſpiratione contra ipſum concitata. 1162.
Hiſpaniæ Regi ſuggeſtum conſilium ſalutare. 496.
Hiſpanorum literæ ſecretæ. 73. irruptio in ditionem Clivenſem & Colonienſem. 117. conſilia adverſus Papam. 767. ſævitia in Indos. 935.
Hiſpanos inter & Anglos pax coit. 117. judicium de ea. ib.
Hiſpanos inter & Fœderatos Belgas de Induciis pangendis tractatur. 167. 194.
Hizlerus, Daniel, Reformator Prioratûs Reichenbacenſis Evangelicus. 29. Linzium Auſtriæ vocatur. 223. ſq. quid laboris ei creârint Jeſuitæ? 224. ei potum venenatum in ſanitatem Cæſaris propinat Cardinalis Cleſelius. 399. innocens in carcerem truditur, atque inde ægrè dimittitur. 528. ſq. cum cœtu Evangelico in exilium pellitur. 602. iterum exilium ſubit, & in eo obit. 855.
Hobernfeld, Andreas, Fanaticus. 567.
Hobſoni, Pauli, Anabaptiſtæ, conſio. 1087.
Hochburgii, Chriſtiani, criminationes in Miniſterium Eccleſiaſticum. 1065.
Hochmannus, Johannes, JCtus, opi-

mi Stipendii literarii Fundator. 53.

Hoë, Matthias, Bohemos monet de Spiritu Calviniano. 482. *Johann. Bergium refutat.* 797.

Hœninger, Michaël, Rector Scholæ Oringanæ. 918.

Hœpfnerus, Henricus, G. Calixtum fruſtrà monet. 995. *ſq. obit.* 1010. *judicium ejus de Mengeringii Scrutinio Conſcientiæ Catechetico.* 1101.

Hœpfnerus, Johannes. 1010.

Hofmannus, Daniel, errorem de pugna inter Philoſophiam ac Theologiam retractat. 23. *error ejus de Chriſti Hominis Multipræſentia.* 265.

Hogelius, Johannis Warneri, Viſioniſtæ, patronus. 888. 1044. 1157.

Hogerbertius, Rumoldus, Belgium Fœd. turbat. 431. *in cuſtodiam datur.* 456.

in *Hohenloici Comitatûs Tractum Schillingsfürſterſem irrepit Calviniſmus.* 872.

Hohenloicus Comes, Philippus. 143. *Philippus Erneſtus.* 712. *Georgius Fridericus junior.* 872. *Crato.* 1004.

HohenTwiel à Sparrio fruſtrà tentatur. 1003.

Hoickius, Henricus, Miniſtrorum Eccleſiæ Lutheranorum perſecutor, juſtum DEI judicium experitur. 813.

Hollandi, *ex Inſulis Moluccis primarias occupant.* 143. *illatum ab illis in Japonia nomini Chriſtiano probrum.* 908. *conf. p.* 1013. *eorum propera abſceſſio, unde in proverbium tranſierit?* 521.

Hollandia *nidus hæreticorum.* 483. *tentatur à Socinismo.* 270.

Hollandiæ *Ordines heterodoxiam Supralapſariorum decretô publicato improbant.* 349. *eidem decreto in Synodo Dordracena iterum derogant.* 350.

in *Holſatia Regia Symboli autoritatem conſequitur Liber Concordiæ.* 1121.

Holſatiæ Dux, Johan. Adolphus, *Calvinianis favet.* 206. *obit.* 396. Fridericus, *ſplendidam Legationem ad Regem Perſarum adornat.* 893. *quomodò illa admiſſa.* 915. & *compenſata.* 960. Alexander Henricus, *Eccleſiaſtis filiam ducit uxorem.* 1072. *ad Pontificios tranſit. ib.*

Homero deſtitutus ludimagiſter, ab Alcibiade alapa multatur. 329.

Hommius, Feſtus. 262. *ejus diſceptatio cum Cunrado Vorſtio.* 263. *collatio cum Utenbogardo.* 319. *Specimen Controverſiarum Belgicarum.* 465.

de *Hornbachiana Abbatia.* 702.

Hornbek, Johannes, de ſcriptis polemicis. 181. *de Fratribus Roſeæ Crucis.* 433. *contra Matth. Hoë & Lucam Oſiandrum jun.* 482. *de Cyrillo Lucari & Berrhoënſi, nec non Parthenio, Patriarchis Conſtantinopolitanis.* 1022. *confutat Weigelium.* 1112.

in commercio Tubingenſium cum Græcis religioſo. 281.
Cruſius, Philippus, Legatus Holſatinus ad Regem Perſarum. 893.
Cudſemius, Samuel, (poſteà Petrus) tranſit ad Pontificios. 182. ſq. Jac. Arminio, quid oppoſuerit? 190.
Curienſis Epiſcopus priſtino juri Circuli reſtitutus. 1026.
Cuykius, Henricus, Epiſcopus Ruremond. contra Sacerdotum Concubinas. 42.
Cyrillus Contari, Metropolita Berrhoënſis. 811. ejus in Eccleſiam Cptanam perfidia & ſacrilegium. ib. Cyrillum Lucarin iterata vice Patriarchatu deturbat. 878. 923. Patriarchatu Cptano potitus, Urbano VIII. P. R. ſe ſubmittit. 941. Unde capitale ejus odium in Lucarin? 945. ejus improbitas, & ſupplicium. ib. ſq. literæ ad eum ab Urbano VIII. perſcriptæ. 946.
Cyrillus Lucaris, Patriarcha Alexandrinus. 329. ejus epiſtola ad Uitenbogardum. ib. ad Georgium Abbotum, Archiep. Cantuarienſem. 397. ad Antonium Legerum. 531. ejus Titulus. 397. evadit Patriarcha Cptanus. 531. Calvinianis addictus. ib. in Rhodum relegatus, Sedi tamen dein reſtituitur. 555. 604. 878. ejus Confeſſio pro Eccleſiarum Orientalium univerſarum Confeſſione vano ſtudio vendita. 763. ſq. 821. 1020. quantum Peſceſium dependere coactus? 832. Baſſæ Turcici autoritate crudelitati Pontificiæ ſubducitur. 878. tandem calumniis Pontificiorum miſerè ſuccumbit. 922.

D.

de Daciæ Principibus conſtituendis Matthias Imp. cum Achmete Turcico tranſigit. 362.
in Dacia quam crudelem tyrannidem exercuerit Gabriel Battorius. 309. ſq.
in Dacia natæ Turbæ 362.
Delingus de Cometa A. 1618. viſo. 470.
Dalburgia grandæva generationem quintam videt. 11.
Dalburgius, Wolfgangus, Elector Moguntinus 11. Dietherus. ib.
Dallæus, Johannes, Hypotheticus. 292.
Damaſi Pontificale. 43.
Daniæ Regis Chriſtiani IV. curæ pro ſubditis. 32. ei juramentum dicunt Hamburgenſes. 68. cur contra Carolum IX. Sueciæ Regem bellum ſuſceperit? 256. Calmariam, Bornholmiam & Oelandiam occupat. 274 pacem init cum Suecorum Rege. 331. 1094 ejus contentio cum Erneſto Schaumburgico. 547. expeditiones in inferiori Saxonia 668. 689. ſq. cura ſacra de emendatione Diſciplinæ Eccleſiaſticæ. 719. inopino bello petitur à Suecis. 1070. Copiis Circuli Saxoniæ inferioris præficitur. 646. obit. 1163.
Daniam emiſſarii Pontificii fruſtrà tentant. 554.

Da-

Danicæ Eccleſiæ Status. 32.
Danicus Princeps, Johannes, Magni Moſcorum Ducis gener. 47.
ex Daniele diſputare qui & quare renuant Judæi? 298.
Dannhauerus, Joh. Cunradus, *de Judæorum baptiſatione & converſione.* 101. *de Reformatorum nomine, quod* Calviniani *ſibi vendicant* 318. *de Irenico Pareano.* 359. *ſq. de* Calvinianorum *laboribus in procurando Syncretiſmo.* 840. *de Franc. Gomari Lyra Davidica.* 912. *Francofurtum ad Mœnum vocatur.* 1055.
Dankertus. Sebaſtian, de incolis Amboinæ. 683.
Dantiſci Calviniſmum *inſtillare conatur Fabricius.* 122. 129. *ſq.*
Dantiſcum à Suecorum Rege G. A. fruſtrà tentatum. 646. 711. *quid moleſtiarum contraxerit ex receptione Calvinianorum.* 1076.
Darmſtadienſium Theologorum Neceſſaria Deductio de Lutheranorum & Calvinianorum *diſſenſu fundamentali.* 729. *Deductio Fundamentalis contra* Calvinianos. 889.
Davenantii, Johannis, ſpes exigua de obtinendo Lutheranorum & Calvinianorum *conſenſu pleno.* 362. 868. *obitus.* 973.
David Georgius. v. Georgius.
Decumanus. Johannes, Apoſtata & Jeſuita, Polyc. Lyſeri Conciones *Pragenſes allatrat.* 148.
Dekerus, Cunradus, de Joh. VIII. Papiſſa. 299. *obit.* 512.
Delphenſium Mulierum tumultus. 415.
Delrio, Martinus. 179. *quomodò ſtudia ſua ſit redorſus?* 180.
Demetrius. Czarius Moſoviæ Scenicus infelix. 118. (*v. pl. in Voc. Moſcoviæ.*)
Dieriæ, fanaticæ, partus monſtroſus. 864.
Dietericus. Cunradus. 943.
Dietrichſteinius, Franciſcus. de Jeſuitarum opera in docendo. 788. *obit.* 881.
de Dieu, Johannes. 427. *Ludovicus.* 973.
Dillingenſium JCtorum conatus cont. Pacem Religionis. 730.
Dœrptana Academia fundatur. 629. *Solenniter introducitur.* 763.
Dominicus de Jeſu Maria, Carmelita Hiſpanus. quid præſtiterit in prælio Pragenſi? 507. *Ludovicum XIII. Galliæ Regem ad perſecutionem Hugonotarum impellit.* 533. *obit.* 745.
de Dominis, Marci Antonii, tranſitus ad Calvinianos. 404 *liber de Rep. Chriſtiana Syncretiſticus.* 413. *pronunciatum de differentia inter Eccleſiam Pontificiã &* Calvinianam. 431. *ſq. de Abr. Bzovii adulatione, Papam extollente.* 492. *ejus relapſus ad Pontificios.* 558. *ſq. fata ſuprema.* 609. *ſq.*
Domitianus, DEUS dici vult. 210.
Donawerda, quomodò libertatem Eccleſiaſticam atque Civilem amiſerit.

ſerit, & Pontificia evaſerit? 148. & ſq.
in Donawerdana cauſa quid actum? 217. 223. 274. 308. 1167.
Dordracena Synodus. 461. ejus proceſſus iniquus. 487. ſqq.
Dordracenſis juvenis ſomnium auſpicatum. 498.
Dormalius, Henricus, de diverſarum Religionum aſſeclis. 1037.
Dorſcheus, Georgius, de Synodo Dordracena. 490. ejus conſilium de Unione Collegiorum Sacrorum. 503. 1077. judicium de conſilio Nicolai Hunnii. 1046.
Douſa, Janus. 97.
Draco, Franciſcus circuitione totius Orbis clarus. 28.
Drejerus, Chriſtianus. 1069. 1110. 1134.
Drexelius, Hieremias, de trutinandis actionibus. 418. de Angelorum auxilio, cui accepta ſit ferenda Victoria Pragenſis. 508. obit. 925.
Drielenburgius, Vincentius. 185.
Druſius, Johannes. 405. quantæ eruditionis fuerit filius ejus, puer adhuc. ib. ſq.
Duditbius, Andreas, de Concilio Tridentino. 183.
Dunkerka Gallis cedit. 1115. ſq.
Duræus, Johannes, de Fundamento Fidei. 993. ejus conatus Irenici. 839. ſq. 999. de his judicium Theologorum Saxonicorum. 867. Archiepiſcopi Suecici. 925. univerſi Cleri Suecici. 933. Theologorum Hafnienſium. 906. 949. Amyraldi, eorum ſufflaminationem Riveto & Spanhemio imputantis. 950. ſq. de ejus ingratitudine. 954.
Durandi ſententia de Concurſu Divino. 891.
Durlacenſe Colloquium. 325. ſq.

E.

Eckardus, Henricus. 604.
Ederi, Georgii, calumnias cont. Evangelicos editas, quomodò caſtigarit Imp. Maximilianus II. 267. ſq.
ab Eſſern, Henricus. 402. Daniel. 412.
Eſſernorum genus. 402.
Eggenbergius Joh. Ulricus, ad Principale faſtigium evectus. 598.
Egra, ratione Sacrorum, Bohemiæ ſortem gemebunda ſubit. 1167.
Ehrenbreitſtein, Gallis extortum. 915.
Eiſenbeiſs, Johannes cædes, in uxore gravida, VI. liberis & ancilla commiſſas, quali ſupplicio luerit? 145.
Eislebienſis conflagratio. 1098.
Elbingenſibus lis mota ab Epiſcopo Warmienſi de Templo Parochiali. 395. Templum illud ereptum 449.
Elwangenſis Abbatiæ transmutatio in Præpoſituram. 966.
Embda, à Fœd. Belgis cont. Ennonem, Friſiæ Orient. Comitem, defenſa. 46.
Emmius, Ubbo. 638.
Enguienſis Ducis expeditiones. 1049. 1070.

Eniedinus, Georgius. 89.
Entringer, Johannes, fœcundæ familiæ conditor. 6.
Epiſcopius, Simon. 262. *ad obeundam in Acad. Leidenſi Profeſſionem Theologicam vocatur.* 291.
de Eraſmi Roterod. jocis Grynæus. 432.
Erbermannus, Vitus, Jeſuita, de Bibliis Vinarienſibus. 976.
Erpacenſis Comes, *Georgius.* 119. *Georgius Albertus. ib. obit* 1139.
Erpenii, Thomæ, Verſio Novi Teſtamenti Arabica. 413. *conamina ejus alia, fato interverſa.* 645.
Erphordiæ habentur Nuptiæ lugubres. 221.
Erphordienſis Campana. 121.
Eſclapezius de Theologia Morali Jeſuitarum. 1112.
Eſdiguerius, Galliæ Conneſtabilis, qua occaſione ludicra ex Hugonotta factus Papiſta. 661. *ſq.*
d'Eſpagne, Johannes, Orationem Dominicam vindicat à contemptu. 1134.
Eſſexius Comes, *capite plexus.* 26.
Eudæmonis, Andreæ, Apologia pro Garnetto & Jeſuitis in cauſa conjurationis pulverariæ. 328.
Evenii diſputatio cum Andrea Cramero *de genere Theologiæ.* 706.
Evenius, Sigismundus. 707.
de Euſebiis, Erneſtus. Pacificationem Oſnabrugenſem impugnat. 1135.

F.

Faber, Antonius. 610.
Fabritio, Crypto-Calviniano *Dantiſcano, larvam detrahit Michaël Coletus.* 122. *Fabritius ille cum Fabro Epheſino, Alexandro, collatus.* 129.
Fabritius, Jacobus, Viſionibus patrocinatur. 1041. *à Theologis Wittebergenſibus fideliter monetur. ib.*
Fairfaxius, Thomas, Angliæ Regem Carolum I. prælio memorabili ſuperat. 1095.
Familiſtarum Secta. 88.
Fava, Franciſcus, impoſtor famoſiſſimus. 196. *ſq.*
Fechtius, Johannes, de Arte nova Gonteriana. 326.
Ferdinandi, Caſtellæ Regis, Sancti, canoniſatio lenta. 722.
Ferdinandus I. Imp. privilegia Bohemorum combuſta novis diplomatibus reſtituit & auget. 474. *ſeq. cur in purgatorio adhucdum ſudare à Monacho prædicatus?* 758.
Ferdinandus II. *Clementi VIII. executionem Fœderis Sancti promittit.* 8. *ejus vota & fervor adverſus antipapæos.* 3. 482. 914. *bellum parans contra hos, à Paulo V. Papa ſuppetias obtinet.* 480. *in Imperatorem Rom., ipſius etiam Electoris Palatini ſuffragio, eligitur & coronatur.* 494. *à Paulo V. Indultum Primariarũ Precum impetrat.* 504. *ejus nuptiæ ſecundæ.* 574. *numerus ad altiora faſtigia uno anno ab ipſo evectorum inſignis.* 670. *ejus Edictum de reſtitutione Bonorum Eccleſiaſticorum.* 715.

715. 719. *Zelus in compulſione ad ſacra Romanenſia.* 720. 812. *æquanimitas in omni fortuna.* 733. *exercitus, ſubſidiis ingentibus auxili.* 788. 612. *Epiſtola de Pace Pragenſi.* 858. *obitus.* 914 *quomodo de acceſſu ad Pontificios gratulatus Tieffenbachio.* 914. (*vid. pl. ſup. in voc. Auſtriæ.*)

Ferdinandi III. Nuptiæ primæ. 780. *ſecundæ.* 1162. *expeditiones.* 847. *ſq. electio in Romanorum Regem, & inauguratio.* 893. *auſpicia Imperatoria* 915. *ſummum vitæ periculum.* 1074. *Declaratio de Religionis negotio, ad Status Hungaros.* 1122. *votum de Feſto immaculatæ Conceptionis Mariæ.* 1124. *conſtantia in ſervanda Proteſtantibus Hungaris fide.* 1171.

Feri, Johannis, Commentarii. 215. *ſq.*

Feriæ Dux, Wallenſteinii æmulus inglorius. 825. *ejus crudelitas in Valtelinos.* 512.

Ferranæ Inſulæ admirandum. 850.

Ferraria Patrimonio Petri addita. 7.

Ferrarius, Philippus. 671.

Ferrii, Pauli, Scholaſticus, quem vocat, orthodoxus. 413. 746.

Fezana Academia Muhammedanorum. 301.

Finkius, Caſparus. 826.

Firlejus, Johannes. 724.

Fiſcherus, Samuel. 5.

Flacii, Matthiæ, Catalogus *Teſtium Veritatis.* 222.

Fleckenſteinenſis Comes, *Georgius.* 1072.

Fliſſinga, Anglis oppignorata, Belgis reſtituitur. 415.

Fliſſingenſium ſors in Inſulis Tabago & S. Trinitatis. 703.

Florentinus Dux. v. Hetruriæ Dux.

Forerus, Laurentius, de Joh. Wolfii Memorabilibus. 297. *ejus Bellum Ubiquiſticum.* 138. 518. 620. 686. *encomium Franciſci.* 191. *deciſio* Controverſiæ *de Bibliis* Clementinis *& Sixtinis.* 24. *ſeq. quale Symbolum Lutheranis affinxerit?* 567. *ejus Lutherus Thaumaturgus.* 596. *VII,* Characteres *Luthero affecti.* 666. *Par nobile Fratrum.* 704. *calumnia de Symbolo, nec non de definitione Prædicantis Lutherani.* 706. *Manuale.* 708. Uberſchlag. 730.

Forgatſianæ expeditionis in Tranſſylvania cataſtrophe. 275.

in Formoſa *Inſula Chriſtianiſmus plantatus.* 747.

Förſterus, Johannes, Aurobachius. 311. *Auguſtanus ib. hujus monitum de Rabbinis Judæorum. ib.*

Forſtnerus de Privilegiis *Subditorum* 475.

Foſcarini, Antonii, Nobilis Veneti, innocentia poſt mortem glorioſa. 576.

Foxius, Puritanus. 244.

Franc-Armeni, qui? 80. 903.

Franci, populis Orientis quinam dicantur? 80.

de Franciſco Zeemannus & Forerus. 191.

Francobergam tempeſtas affligit. 170.

Frau-

Francofurti ad Mœnum ob Judæorum licentiam nimiam diſſidium oritur inter Cives *&* Senatum. 503. *atrox porrò tumultus.* 361. *Judæi inde pulſi ſolenniter eò iterum introducuntur.* 414.

Francofurtenſis Oderanæ Facultatis Theologicæ judicium de Confeſſione Auguſt. invariata & varia à. 815 *an ex propria illius ſententia cum veritate congruat?* 816.

Francofurtum ad Oderam à Suecorum Rege G. A. expugnatum. 778.

Franconiæ Dux, Epiſcopus Würzburgenſis. 152.*ſq.*

Franconici Circuli Status tractationem Pacis urgent. 1072.

Franequeræ Studioſi quidam libellum Socini divulgare audent. 270.

Franckenthalium fruſtrà tentatum. 546.

Frankii, Sebaſtiani errores. 749.

Franzii, Wolfgangi Diſputatio cum Judæo erudito. 297. *ſq. judicium de prognoſticis Aſtrologicis.* 322. *obitus.* 697.

Fratres Bohemici. v. Bohemici Fratres.

Frane ſtadienſe præſepe Chriſti. 100.

Fraxinea, Hadriana. 79.

Freberus, Marquardus. 43. 365. 414.

Freudenſtadii natales. 30

Freyberga Miſniæ, à Torſtenſohnio fruſtrà tentata. 1048.

Fridenſtein, arx, nata ex Grimmenſtein. 1051.

Fridericoſtadium Holſatiæ ab Arminianis conditum. 549.

Fridonius, Azarias, conſtituitur Archiepiſcopus Nexivanienſis. 80.

Friſiæ Occidentalis Gubernator, Guilielmus Ludovicus Naſſovius, quas curas in cauſa ſchiſmatis Arminiani adhibuerit? 319. *obit.* 523.

Friſiæ Occid. Ordines heterodoxiam Supralapſariorum publicato decreto improbant. 340. *eidem decreto in Synodo Dordracena iterum derogant.* 350.

Friſiam Occident. tentat Socinismus. 270. *in ea ſerpit ſecta Wekemalleſiana.* 1042.

Friſiæ Orient. Comes, Enno, Embdanis cum damno ſuo moleſtus. 46. *Ulricus, obit.* 1163.

Friſiam Orient. depopulatur Mansfeldius. 573.

Frœreiſenius, Iſaacus, B. Lutherum quoad ſcientiam ſanioris Philoſophiæ vindicat. 451.

Fuldenſe incendium. 419.

Fürſtenbergius, Theodorus, Epiſcopus Paderbornenſis, Evangelicorum perſecutor. 74. *Wilhelmus, Judicii Imperialis Aulici Præſes.* 469. *Ego.* 872.

G.

Gabriel Sionita. 890.

Galaſſii expeditiones. 871 891. 1071.

Galatæ reſtituuntur Jeſuitæ. 78. *ſq.*

Galilæus de Galilæis ſeverum cenſorem habet Urbanum VIII. 1057. *ſq.*

Galli quid in Germania per Pacificationem Oſnabrugenſem reportarint? 1182.

in Gallia res Hugonotarum florent. 60. *Concilii Tridentini promulgatio fruſtra urgetur.* 127. 372. *ſq. orta ſeditio ſedatur.* 362. 1161. *bellum civile recrudeſcit.* 391. 415. *novum oritur.* 537. 1004. *duella ſeverius probiberi, graviſſima oratione petit Montis peſſulani Epiſcopus, at fructu tunc quidem exiguo.* 392.

in Galliæ Reges & Eccleſias Bulla Cœnæ Dominicæ evidenter injuria. 679.

Galliæ Rex, Ludovicus IX. *canoniſatus.* 428. Henricus IV. *à Clemente VIII. P.R. conatu irrito excommunicatus.* 7. *Jeſuitis reditum in Galliam petentibus, quid & prima & altera vice reſponderit?* 9. 55. *quare articulus de Papa Antichriſto, Confeſſioni Hugonotarum inſertus, ei diſplicuerit?* 66. *pacem, Hugonotis conceſſam, contra petitionem Cleri Pontificii prorogat.* 85. *à Job. Chaſtello parricidium in eum intentatur.* 105. *Valetudinarium pro Militibus truncatis, & Cameram Charitatis Chriſtianæ, erigit.* 141. *quantum Gratiæ indulſerit Jeſuitis?* 154. *Ordinem Equ. de Monte Carmelo inſtituit.* 197. *blaſphemias edicto ſevero probibet.* 204. *nefariè interficitur.* 245. *quare?* 246. *uxor prior, Margareta Valeſia, ab eo repudiata.* 391. *quo potiſſimum ſeductore factus Pontificus?* 454. *quid eum in fide Pontificia confirmarit? ib. ſq.* Ludovicus XIII. *quinquennis demum baptizatur.* 131. *Regni habenas capeſſit.* 362. *Edictum Henrici IV. in blaſphemos renovat.* 364. *votum ſuum de pellendis Regno hæreticis ad Hugonotarum petitum declarat.* 378. (v. p. 510.) *ejus nuptiæ.* 391. *inter Ferdinandum II. Imp. & Fridericum Palatinum, neutrius parte electâ, medium ſe gerit.* 495. *cum Matre armis contendere parat, iterumque ceſſat.* 496, *expeditione ſubitaneâ Regionem Bearnenſem opprimit.* 510. *ſq. quâ pompâ Lutetiam ingreſſus?* 599. *de juvandis Principibus fidei non-Romanæ dubius hæret.* 617. *res Domus Auſtriacæ feliciſſimas in difficultates conjicere incipit.* 712. *Lotharingiæ Ducem aggreditur.* 756. *ſq. cont. Domum Auſtriacam & Hiſpanam à Papa excitatur.* 767. *Fratrem armatum vincit.* 802. *Cæſari & Hiſpano bellum palam denunciat.* 870. *obit.* 1050. Ludovicus XIV. *naſcitur.* 937. *mammarum roſor.* 939.

Galliam Cæſareani invadunt irrito conatu. 892.

Gallicana Eccleſia antiquior de Imaginibus. 114.

Gallicani Deiſtæ. 795.

Gallicanis Synodis aſtutè immiſcetur Concilium Tridentinum. 373. *ſq.*

Gallis cedunt Inſulæ S. Martini, S. Luciæ, & Guadalupia, 858. *eorum progreſſus in Catalaunia & Lotharingia,* 1095.

Gallorum & Anglorum ſimultas. 661. 691.
Gallus, Petrus, dux Claſſiarius, ſeptuagenario major, capite plexus. 1075.
Gap. 61. 65.
Garcæus, crypto-Calvinianus. 529.
de la Gardie, Jacobus, Novogardiam expugnat. 277.
Garnettus, Henricus, Jeſuita, autorum Conſpirationis pulverariæ primarius. 118. *ſupplicium ejus ſupremum.* 141. *ſq. martyrium & miraculum aſſerta ei à Sodalibus.* 142. *ejus defenſio confutata.* 528. *propria confeſſio. ib. Canoniſationis honores eidem propemodum decreti.* 557.
Gebhardi, Comitis Truchſeſſii, Ar*chiepiſcopi* Colonienſis *fata.* 11.
Gedanum. v. Dantiſcum.
Gedikius, Simon. 338. 341.
Gelenius, Ægidius, de Materno, quòd fuerit viduæ Nainiticæ filius, & Coloniæ *Agripp. Apoſtolus.* 172.
Geneva à Sabaudo per inſidias fruſtraneas tentata. 46. *imminens ei periculum ex Papatu.* 172.
ad Genevenſis Eccleſiæ modum reformari Anglorum multi deſiderant. 82.
Gentilis, Valentinus, Anti-Trinitarius. 272.
Genua à Paulo V. Papa R. ad obſequium compulſa. 104. *à* Carolo *Emanuele II. Sabaudo* vexata. 647.
Genuæ martyrium ſubit Lutheranus Germanus. 174.
Georgianorum Principes. 5. *Terra & Religio.* 347. *natio, à Jeſuitis turpiter decepta. ib.*
Georgii, Davidis, inſania blaſphema. 407.
Gerani Miniſterii Eccl. acta in cauſa Gottliebii Heilandi. 514. *ſq.*
de Gergani, Zachariæ, Epiſcopi Artenſis in Peloponeſo, conſenſu cum Evangelicis. 285. *de ejus* Cate*chiſmo.* 776. *ſq.*
Gerhardus, Johannes, de Joh. VIII. Papiſſa. 299. *de Harmonia Calvinianorum & Photinianorum.* 327. *de Arndio.* 517. *ejus Meditationes Sacræ.* 139. *Confeſſio Catholica.* 242. 845. *examinat aſſertiones Gottliebii Heilandi Chiliaſticas.* 515. *Harmoniæ Evangeliſtarum Chemnitio-Lyſerianæ continuationem ſuſcipit.* 543. *Pacis Pragenſis juſtitiam vindicat.* 865. *obit.* 899.
Gerlachii, Stephani, parens & fratres Anabaptiſtæ. 162. *obitus & elogium.* 381. *circa quos articulos imprimis excelluerit. ib.*
de S. Germani & Ignatii Lojolæ die feſto controverſia Gallicana. 1057.
Germani quo loco habeantur ab Hungaris. 331.
Germania gemebunda. 711. *tantùm non ſubjugata penitus, feliciter reſpirat.* 785.
Geroldseccius Comes, *Jacobus cum vita familiam finit.* 849.

Gerſonis Chriſtiani, lib. de Talmude. 271.

de Geſneri, Cunradi, Hiſtoria Animalium. 121.

Geſnerus, Salomo. 101. *de Calvinianorum artibus & Calviniſmo.* 14. 156 *quomodò ei S. Cœnam Crypto-Calvinianus adminiſtrarit?* 102.

Gieſenius Menzero, præſentiam DEI & Chriſti per operationem definienti, ſe opponit. 411. *duros & iniquos experitur Calvinianos.* 586.

Gieſſenſis Academia naſcitur 98. *Privilegia ſua nanciſcitur.* 146. *inauguratur ſolenniter.* 147. *ejus Rector primus, Job Georgius, Holſatiæ Dux.* 147. *Profeſſores primi.* ib. *Marpurgum transfertur.* 630. *in propria ſede iterum inſtauratur.* 1167.

Giffordus, Guilielmus, Proteſtantibus Turciſmum affingit. 92.

Gilger, Nicolaus, Reip. Noricæ Syndicus, capite plexus. 122.

Giniæus calumniæ crimen condignâ pœnâ luit. 444.

Gleichenſium Comitum familia exareſcens, occaſio litium. 960.

Glöcklerus, Johannes. 577.

Glückſtadium à Tillio fruſtrà obſeſſum. 710.

Gnaninonius, Hippolytus, quos titulos tribuat Mariæ Deiparæ. 242.

Gneſnenſis conflagratio. 334.

Goæ in India, quàm ſplendidè vivant Jeſuitæ. 948.

Jacobus Goar. 1158.

Goclenius, Rudolphus, Job. Piſcatoris errori favet. 61. *obit.* 278.

Godmannus, Puritanis annumeratus. 244.

Godwinus, Thomas, Separatiſta. 864. *ejus Antiquitates Hebraicæ & Græcæ commendatæ.* 1016.

Göppingæ adoleſcentulus à diabolo deceptus, ejus poteſtati eripitur. 276. *ſq.*

Goffredus, Ludovicus, Magus famoſiſſimus, combuſtus. 277.

Gomari, Franciſci, actiones contra Arminium ſuſceptæ. 181. 188. *ſq.* 213. *ſq. Lyra Davidis.* 912. *obitus.* 994.

Gondi⁹, Petrus, Cardinalis. 402. 454.

Gonterii diſputatio cum Molinæo. 214. *cum Wegelino.* 325. *methodus diſputandi nova.* 326. *à Luca Oſiandro exploſa.* 358. *à Walenburgiis interpolata.* 1093.

Gonzaga, Carolus, Princ. Nivernius, Ordinem Equ. de Sancta Militia, hæreticis oppoſitum inſtituit. 479.

Gordonius Huntlæus, Jacobus, autoritatem & ſufficientiam Textus Ebræi impugnat. 300. *obit.* 991.

Gothanum incendium. 1118.

P. Goudæ conceſſio de Transſubſtantiatione. 189.

Græcarum Familiarum nobiliſſimæ quàm tenui ſorte utantur. 1168.

Græcorum Templa, quomodo comparata? 30. 31. *Status ſub Sultano Turcico.* 192.

Gramondus de Jubilæo Lutherano, ipſoque Luthero. 424.

Grane-

Cramerus, Albertus, Eilhardum Lubinum refutat. 110. ejus Colloquium cum Wolfgang. Amlingio. 90. Diſſertationes de Satisfactione Chriſti. 214. ſq. Harmonia Errorum Calvinianorum & Photinianorum. 327. functiones & obitus. 423.
Gravia expugnata. 46.
Gregorius M. quam corruptè à Pontificiis editus? 644.
Gregorius XV. Papa R. quid ſub initium ſui Pontificatus ſuſceperit? 533. acerrimus in Hugonotas. ib. decedit. 583.
Gregorii Protoſyncelli Synopſis dogmatum Eccleſiæ Græcæ. 869.
Gretſeri Jacobi, vox blaſphema. 22. 680. paradoxa blaſphema de Flagellatione ſpontanea. 132.
Grevinchovius, Nicolaus. 262.
Grœningenſis Academia erigitur. 351
Grœningenſium primus Doctor Calvinianus. 291.
Grœnlandia à Mercatoribus Danis fruſtrà tentata. 896.
Grolla ab Hollandis expugnata. 647.
Gronbergenſi Eccleſiæ moleſtus Senator crypto-Calvinianus. 396.
Grosglogovienſis Ducatus Reformatio Pontificia. 700.
Grotius Hugo, de Baronii Annalibus. 155. ejus opera in impetrandis literis Jacobi I. Angliæ R. ad Ordd. Fœd. Belg. Tolerantiam Arminianorum ſuadentibus. 321. conſilium quo Belgium Fœder. turbaſſe reputatus. 431. cuſtodia. 456. uxor admodum fida. 549. obitus. 1087. religio. 1088.
Grubenhagenſes ditiones à Brunſvic. Duce Henrico Julio occupatæ per ſententiam Cæſaris Luneburgicis cedunt. 441.
Grüningerus, Eraſmus pater. 335. Eraſmus filius, Præpoſitus Stutg. 786 Joſua. 805.
Grynæi, Joh. Jacobi, dolus. 235. Diſputatio Heidelbergenſis. 236. obitus. 432. dicterium de Eraſmi jocis. 432.
Guadagnoli, Philippi, Apologia pro Religione Chriſtiana, Ahmedi Perſæ oppoſita. 912.
Gualtherus Brugenſis moriens ſchedâ provocat à Papa ad Concilium, & inde ad judicium extremum. 81. lis de ſepulcbro ejus aperto. ib.
Guiana, Americæ regio, ab Anglis tentatur. 219.
Guiſii Ducis duellum cum Luxio. 305.
Guravienſibus Exulibus Lutheranis moleſti Calviniſtæ Liſſani. 860.

H.

Habeſſinia. v. Abyſſinia.
Hadriana Fraxinea. 79.
Haſenreffero, Matthiæ, Montedoglius, Comes erraticus, turpiter imponit. 120. ejus monitum de Calviniſmo. 244. ſpes de fructu commercii religioſi Tubingenſes inter & Græcos. 285. elogium & obitus. 470.
Hafnienſes Theologi, quid requiſiverint à Joh. Duræo, Syncretiſmi proco. 906. 949.

Hageri. Balth. Jeſuitæ, inſolentia caſtigata. 752.
Hagienſis Collatio. 262.
Haji, Romani, Aſtrum inextinctum. 890.
Hakeri, Jacobi, diſceptatio cum Andrea Urciano de Prædeſtinatione. 463.
Hakwirdius, Perſa eruditus, convertitur. 964. ſq.
Hala Sax. Leopoldo Wilhelmo Auſtriaco tradita. 739.
Halberſtadienſi Epiſcopatui præficitur idem Leop. Wilhelmus Auſtr. 653.
Hallus, Joſephus de Italia. 486. de Urbani VIII. epichærekakia. 703.
Haly, quantæ autoritatis apud Perſas 913.
Hamburgenſes juramentum dicunt Chriſtiano IV. Daniæ Regi. 68. Holſatiæ Duci. 467.
Hamburgum pro Civitate Imperiali Libera declaratum. 467. nata ei controverſia cum Daniæ Rege, quæ brevi compoſita. 756.
Hammelia expugnata. 825.
Hammelenſium puerorum hiſtoria an vera? 828. ſq.
Hamptecurtana Congregatio. 59. Synodus? 410.
Hanovia ab obſidione liberata. 892.
Hanovienſis Comes, Joh. Erneſtus. 1017.
Harlemenſis Synodus. 934.
Harlemi natæ turbæ Eccleſiaſticæ quoad vocationem Paſtorum. 380.
Harpprechtus, Johannes. 563.
Harvicenæ Scholæ in Anglia inauguratio. 1150.
Haſſiacæ Nuptiæ. 363.
Haſſiacarum Domuum, Caſſellanæ ac Darmſtadinæ, tranſactio, novumque dein diſſidium. 690. conventio finalis, Inſtrumento Pacis Oſnabrugenſis confirmata. 1162.
Haſſiæ Caſſellanæ Landgravio quænam per Pacem Oſnabrugenſem obtigerint? 1175.
Haſſiæ Caſſellanæ Landgravius, Mauritius, Tumultum Marpurgenſem ſedat. 99. obit. 793. ejus, adhucdum quadriennis reſponſum de verbis Inſtitutionis Cœnæ memorabile ib. ſq. Wilhelmus, quæ geſſerit? 892. obit. 916.
Haſſiæ Caſſellanæ Reformatio Calviniana. 156.
Haſſiæ Darmſtadinæ Landgravius, Ludovicus IV. obit. 75. Ludovicus V. Academiæ Gieſſenæ conditor. 98. 146. Scholas publico elogio ornat. 147. Wezlariæ jus ſuum armata manu aſſerit. 133. obit. 670.
Haſſiæ Princeps, Otto, ſclopeto improvidè arrepto miſerè interemitur. 444. Fridericus, ad Pontificios tranſit. 879. Philippus in balneo interit. 1050.
Hauberus, Johannes. 503.
Hauſerus, Matthias. 816.
Haverleæ in Brabantia quid oſtendatur memorabile? 306.
Hay, Romani, labores atq; certamina de Bonis Eccleſiaſticis. 1157. ſq.

Hayne

Hayne, Thomas, Syncretiſmi procus. 955.
Hazfeldii, Melchioris, expeditiones. 892. 937.
Hazfeldiis confertur Dominium Roſenbergenſe. 789.
Heerbrandi, Jacobi, Compendium Theol. græce verſum & Conſtantinopolin tranſmiſſum. 282.
Heidelberga à Tillio expugnatur. 573.
Heidelbergæ natum diſſidium inter Academiam & Miniſterium Palatinatûs Eccleſiaſticum. 58.
Heidelbergenſe Jubilæum. 429.
Heidelbergenſes inter atque Tubingenſes Theologos reciprocata Scripta. 113. ſq.
Heidelbergenſis Facultatis Theologicæ judicium de Joh. Piſcatore. 83.
Heidelbergenſium, Baſileenſium & Marpurgenſium Calvinianorum diſſidium. 107.
Heidenhemenſis Scholæ natales. 225.
Heidenhemium Præconem V. D. Evangelicum ſumma cum lætitia recipit. 1165.
Heilandus, Gottliebius, quis? 514.
Heilbrunnerus, Jacobus, Johannis I. Ducis Bipontini Concionator Aulicus, quare dimiſſus? 84. Marcum Beumlerum confutat. 264. Neoburgo pulſus, à Wirtenbergiæ Duce honorificè excipitur. 367. ejus Colloquium cum Jeſuita Jac. Kellero. 384. obit. 450.
Heilbrunnerus, Philippus. 397.
Heilsbrunnenſe Gymnaſium. 52.
Heinii, Petri, Archithalaſſi Belgarum Fœd. victoria navalis ampliſſima valdèque opima. 711.
Heinlini, Johan Jacobi, Sol Temporum. 1113.
Heinſius, Daniel, de Barbariſmis, Textui N. T. Græco affictis. 941.
Held, Adolphus, crypto-Calvinianus. 877.
Helffenſteinenſium Comitum familia extincta. 690. Comitatus quomodo diviſus? ib. ſq.
Heliogabalus. 983.
Helmſtadienſes Theologos Statius Buſcherus crypto-Papiſmi arguit. 954. Theologi complures cenſurâ publicâ notant. 1111.
Helvetii artificis fatum dolendum, quod apud Perſas ſubiit. 917.
Helvicus, Chriſtophorus. 423.
Hemelsburgenſe Colloquium. 356.
Hemskirchii, Jacobi, Mors victorioſa. 167.
Herbergerus, Valerius. 100. Zacharias. ib.
Herbertus, Eduardus. 1165.
Herbipolis. v. Würzburg.
Herbornenſia Biblia. 438.
Heriſtallium ab Epiſcopo Paderbornenſi redimitur. 179.
Hermannus, Johannes. 761. obit. 1123.
Hernalſenſe Templum Lutheranis reſtituitur. 201.
Hernalſenſis Dynaſtia luce Evangelii orbatur. 628.
Herodis Deitas commentitia juſto judicio punita. 211.

Heshuſius, Tilemannus, Clewizio Calviniano ſe opponit. 235. de Omnipræſentia Chriſti Hominis, quid ſenſerit? 265.
Hetruriæ M. Dux, Ferdinandus Medices. 219. Coſmus I. 220. quomodò hic in filium fratricidam animadverterit? ib.
Heurnius Indorum præco. 748.
Hieroſolymam verſus à fanaticis quibusdam Anglicanis, quare ſuſceptum iter? 1086.
Hieroſolymitani Patriarchæ, Poiſie, iter Moſcoviticum. 1167. ejus Religio. 1168. atque Titulus. 1172.
Hildeſiâ cedere ut adacti fuerint Capuccini. 1172. ſq.
de Hildeſienſi Epiſcopatu ſententia contra Domum Brunſvicenſem lata. 718 eum Domus hæc penè totū amittit per tranſactionem. 1030. hiſtoria Diœceſeos in nucleo. ib. ſq. & 1036.
Himmelius, Johannes, in Jeſuitas, qui Colloquio Ratisponenſi interfuerunt. 20. obit. 1010.
Hippolſteinenſem ditionem Palatino-Neoburgicam Papiſmus tentat. 366. ſq. occupat. 1054.
Hirnius, Hieronymus, turbator Eccleſiæ Lutheranæ Roterodamenſis. 614.
Hiſpani in favorem Papæ R. Turcas excitant contra Venetos. 126.
Hiſpania expelluntur Mauri. 247. in Hiſpania Eccleſia Evangelica inviſibilis. 342. conſ. p. ſq.
Hiſpaniæ Infans, Iſabella Clara Eugenia. v. Iſabella.
Hiſpaniæ Regis Philippi III. Edictum contra Card. Baronium. 228. poſtulatum apud Angliæ Regem Jacobum I. de vitanda Virginia. 304. mors. 548. Philippi IV. periculum ex Conſpiratione contra ipſum concitata. 1162.
Hiſpaniæ Regi ſuggeſtum conſilium ſalutare. 496.
Hiſpanorum literæ ſecretæ. 73. irruptio in ditionem Clivenſem & Colonienſem. 117. conſilia adverſus Papam. 767. ſævitia in Indos. 935.
Hiſpanos inter & Anglos pax coit. 117. judicium de ea. ib.
Hiſpanos inter & Fœderatos Belgas de Induciis pangendis tractatur. 167. 194.
Hizlerus, Daniel, Reformator Prioratûs Reichenbacenſis Evangelicus. 29. Linzium Auſtriæ vocatur. 223. ſq. quid laboris ei creârint Jeſuitæ? 224. ei potum venenatum inſanitatem Cæſaris propinat Cardinalis Cleſelius. 399. innocens in carcerem truditur, atque inde ægrè dimittitur. 528. ſq. cum cœtu Evangelico in exilium pellitur. 602. iterum exilium ſubit, & in eo obit. 855.
Hobernfeld, Andreas, Fanaticus. 567.
Hobſoni, Pauli, Anabaptiſtæ, concio. 1087.
Hochburgii, Chriſtiani, criminationes in Miniſterium Eccleſiaſticum. 1065.
Hochmannus, Johannes, JCtus, opi-

mi Stipendii literarii Fundator. 83.

Hoë, Matthias, Bohemos monet de Spiritu Calviniano. 482. *Johann. Bergium refutat.* 797.

Hœninger, Michaël, Rector Scholæ Oringanæ. 918.

Hœpfnerus, Henricus, G. Calixtum ſruſtrà monet. 995. *ſq. obit.* 1010. *judicium ejus de Mengeringii Scrutinio Conſcientiæ Catechetico.* 1101.

Hœpfnerus, Johannes. 1010.

Hoſmannus, Daniel, errorem de pugna inter Philoſophiam ac Theologiam retractat. 23. *error ejus de Chriſti Hominis Multipræſentia.* 265.

Hogelius, Johannis Warneri, Viſioniſtæ, patronus. 888. 1044. 1157.

Hogerbertius, Rumoldus, Belgium Fœd. turbat. 431. *in cuſtodiam datur.* 456.

in Hohenloici Comitatûs Tractum Schillingsfürſterſem irrepit Calviniſmus. 872.

Hohenloicus Comes, Philippus. 143. *Philippus Erneſtus.* 712. *Georgius Fridericus junior.* 872. *Crato.* 1004.

HohenTwiel à Sparrio fruſtrà tentatur. 1003.

Hoickius, Henricus, Miniſtrorum Eccleſiæ Lutheranorum perſecutor, juſtum DEI judicium experitur. 813.

Hollandi, *ex Inſulis Moluccis primarias occupant.* 143. *illatum ab illis in Japonia nomini Chriſtiano probrum.* 908. *conſ. p.* 1013. *eorum propera abſceſſio, unde in proverbium tranſierit?* 521.

Hollandia *nidus hæreticorum.* 483. *tentatur à Sociniſmo.* 270.

Hollandiæ *Ordines heterodoxiam Supralapſariorum decretô publicato improbant.* 349. *eidem decreto in Synodo Dordracena iterum derogant.* 350.

in Holſatia Regia Symboli autoritatem conſequitur Liber Concordiæ. 1121.

Holſatiæ Dux, Johan. Adolphus, *Calvinianis favet.* 206. *obit.* 396. Fridericus, *ſplendidam Legationem ad Regem Perſarum adornat.* 893. *quomodò illa admiſſa.* 915. *& compenſata.* 960. Alexander Henricus, *Eccleſiaſtis filiam ducit uxorem.* 1072. *ad Pontificios tranſit. ib.*

Homero deſtitutus ludimagiſter, ab Alcibiade alapa multatur. 329.

Hommius, Feſtus. 262. *ejus diſceptatio cum Cunrado Vorſtio.* 263. *collatio cum Utenbogardo.* 319. *Specimen Controverſiarum Belgicarum.* 465.

de Hornbachiana Abbatia. 702.

Hornbek, Johannes, de ſcriptis polemicis. 181. *de Fratribus Roſeæ Crucis.* 433. *contra Matth. Hoë & Lucam Oſiandrum jun.* 482. *de Cyrillo Lucari & Berrhoënſi, nec non Parthenio, Patriarchis Conſtantinopolitanis.* 1022. *confutat Weigelium.* 1112.

Horne us, Cunradus, de ſervanda forma ſanorum verborum a Theologis orthodoxis amicè monetur. 973. *Wilh. Lyſero quid reſponderit?* 974. *ejus error de Bonis Operibus.* 1131. *obit.* 1188.

Hornhuſani Fontes. 825. 1117.

Hornius, Georgius, de Synodo Dordracena. 490.

Hortenſius, Martinus. 984.

Hoſpiniani, Rudolphi, Concordia Diſcors. 264.

Hottingerus, *Joh.* Henricus, *de Pentateucho Samaritano* 1068. *Theſaurum Philologicum edit.* 1182.

Huberinus, *Thomas, diſciplinæ ſuæ alumnum Joachimum Fridericum, Electorem Brandenburgicum gratum experitur.* 194.

Huberus, *Samuel, errorem ſuum incruſtat.* 86 *ſq. de ejus declaratione Dan. Cramerus. ib. hyperaſpiſten habet Joh. Keckium.* 236. *ſq.* 240. 270.

Hujum *transfertur Capitulum Leodienſe.* 1146. *ſq.*

Hulla, *prima belli civilis Anglicani materia.* 1025.

Hülſemanni, *Johannis, Manuale Confeſſionis Auguſtanæ, Balthaſ.* Hagero, *Jeſuitæ, oppoſitum.* 752. *ſeq. Calviniſmus irreconciliabilis.* 1060.

Hungari *Germanos Luporum loco habent.* 331. *qua conditione Germanos in propugnacula ſua admiſerint? ib. iis libertatem Religionis, juxta Aug. & Helvet. Confeſſionem exercendæ, confirmat & extendit Matthias Auſtriacus.* 174.

Hungari *Pontificii contra libertatem Religionis Evangelicæ acerrimè proteſtantur.* 924.

Hungaria *pacem lucratur.* 1079.

Hungaria *proſcribuntur Jeſuitæ.* 477. *conſ. p.* 1079.

in Hungaria *ſuſceptæ expeditiones Bethlemi Gaboris. v. Bethlemius. perſecutionem patiuntur Proteſtantes.* 100. 101.

in Hungaria *ſuperiori Calviniſmus ſe diffundit.* 15.

Hungariæ *ſuperioris incolæ Proteſtantes libertatem conſcientiæ ab Imperatore certo pretio redimunt.* 739. *ſq.*

Hungariæ *Regi, Johanni, quo juramento ſe obſtrinxerit Solymannus Turcicus?* 63.

Hungariæ *Regnum quibus conditionibus obtinuerit Ferdinandus II. Auſtriacus?* 467.

Hungariæ *Rex declaratur & coronatur Ferdinandus III.* 647. *ut* Hungaris *Proteſtantibus promiſſa fideliter ſervârit.* 1171.

Hungariæ *veteris amplitudo.* 193.

Hungariam *Imp. Rudolpho II. Archidux Matthias extorquet.* 193.

Hungarica *Comitia minus fructuoſa.* 331.

Hungaricæ *Eccleſiæ Status pacatus.* 124. 174. 1122. *afflictus.* 766.

Hungarorum *Proteſtantium Gravamina.* 1055. *conſ. p.* 1101.

Hunnii, Ægidii, opera in repurgando Electoratu Saxonico. 32. 52. Ducatu item Lignicenſi & Brigenſi. 53. mors ejus. 52. ſq.
Hunnius, Nicolaus, de Synodo Dordracena, & illa, quam Calviniani à Lutheranis expetunt. 488. ſeq. liber ejus de Apoſtaſia Eccleſiæ Romanæ. 776. ejus obitus. 1032. & Conſilium de Collegio Theologorum exercitatiſſimorum. ib. 1045.
Huraltus, Paulus, Archiepiſcopus Arelatenſis, ſuſceptum Sacerdotis ſpurciſſimi patrocinium propria ignominiâ luit. 10.
Hutchinſoniæ, monſtroſè inſanientis fœminæ, triginta monſtroſi partus, ſimul excluſi. 864. errores monſtroſi. 908. exodus. 999. aſſeclæ. 1019.
Hutteri, Leonhardi, Concordia Concors. 164. Refutatio Irenici Pareani. 359. Merita & obitus. 397.
Hyberniâ Clerici Pontificii omnes proſcribuntur. 82. 612.
Hyberniæ Regnum affectat Urbanus VIII. P. R. 996.
Hybernorum Pontificiorum in anti-Papæos furor ſtupendus. 990. 992. ſeq.

I.

Jacatra Hollandis cedit, quæ Nova dein Batavia 496.
Jægerndorffenſis Pr. Joh. Georgius proſcriptus. 546.
Janeſii, Thomæ, Bellum Papale. 138.
Janſenius, Cornelius, Epiſcopus Gandavenſis. 926. Epiſcopus Yprenſis. 925. ſq. hujus Auguſtinus, à Jeſuitis vapulans. 977. damnatus ab Urbano VIII. 988. ſq. ab Innocentio X. qui eum etiam ejurari juſſit. 1081.
in Janſeniana cauſa quid egerint Belgæ Regii? 1011 imprimis Archiepiſcopus Mechlinienſis. 1171.
Japonenſes Martyres. 57. 609. 745. cum Japonenſibus commercandi libertatem Luſitani iteratâ vice fruſtra quærunt. 904.
Japonenſis Martyris apoſtaſia, pœnitentia, & in ſuſtinendo novo cruciatu conſtantia. 814.
Japonenſis Perſecutio Chriſtianorum. 56. 57. 127. 289. 376. 428. 455. 360. 608. 659. 680. 701. 722. 747. 790. ſq. Specimen ejus inauditum & maximè ſtupendum. 734.
Japonenſium Chriſtianorum inſtitutio. 127.
Japonenſium odium in Chriſtianos implacabile. 1012. ejus cauſa inveſtigata. 1013. ſq.
Japonenſium Regum noviſſimorum ſeries. 377.
Japonenſium Rex crudeliſſimus Combosamma. 443. obit. 781.
Japoniâ exire jubentur Jeſuitæ. 347. Hiſpani & Luſitani quicunque 880.
in Japonia XXXVII. millia Chriſtianorum unâ ſtrage necantur. 925.
Japoniæ Epiſcopus, Lud. Cerqueira, Jeſuita. 347.

Japoniæ Heres Fidery, Throno deturbatur ab ipſo Tutore. 169. ab eodem unà cum Regia comburitur. 417.
Japoniæ Imperium Tayko, miles gregarius, mira celeritate occupat. 27. ſibiipſi Divinos bonores decernit. 169.
Japonicæ Linguæ grammatica prodit, cum Dictionario. 798.
ad Japonicas regiones adeundas Urbanus VIII. cujuscunque Ordinis Religioſos bullâ excitat. 813.
Japonicus Legatus Ordines Fœderati Belgii ſalutat Hagæ. 275.
Jarſia, Maria, Virgo erudita. 1098.
Java, Inſula, Compendium Orbis. 496.
in Java diſſidium oritur inter Anglos & Batavos. 443.
Ignatius Lojola. v. Lojola.
Jenæ, Pennaliſmus proſcriptus. 579. denuò invaleſcit, aliquantiſper tamen reprimitur. 1053.
Jenenſis Academia turbata à Methiſtis. 408. à Studioſis regnum Chiliaſticum ſomniantibus. 513.
Jeniſchius, Paulus. 1123.
Jeſſenius, Johannes, capite plexus. 537. ejusdem vatidicus gryphus, à Ferdin. ſolutus. ibid.
Iglavia à Comite Turrenſi intercepta. 475.
Illiſchaſius, Stephanus, Hungariæ Palatinus. 232.
Imbertus, Johannes, ſacerdos Arelatenſis, puerum ſtupro contaminat. 10.
Indiâ nationes, præter ſuam, omnes excludere laborant Hiſpani. 304. in Indiæ utraq; Inſulæ detectæ. 417.
ex India Orientali Principum filii Chriſtianæ inſtitutionis ergo in Hollandiam delati. 538.
in Indiam Occidentalem tendentium Navigationum origo. 194. 548.
in Indiam Orientalem navigantis Societatis origo. 45. ſucceſſus. 219.
Indicarum Navigationum causâ induciæ Hiſpano-Belgicæ impeditæ. 194.
Indis Hiſpani tyrannide ſua etiam cœlum Chriſtianorum reddiderunt execrabile. 935.
Indorum Magnus Mogul. v. Mogul.
Ingolſtadienſes diſputationes de Bibliis Sixtinis. 240. ſq.
Ingolſtadium à Suecorum Rege G. A. fruſtrà tentatum. 801.
Innocentii X. P. R. electio. 1058. inauguratio. 1059. 1073. Sævitia in Urbem Caſtro. 1103. affectus in ſuos Nepotes. ib. & in Cardinales Barberinos. ib.
Joachimicæ Vallis Gymnaſium fundatur à Joachimo Friderico, Electore Brandenb. 147.
Joachimici Thaleri. 148.
Jodocus, Andreas. 405.
Johannæ Balanæ inedia memorabilis. 48.
Johannæ Papiſſæ hiſtoria à Jeſuitis, in editione Pontificalis Damaſiani, inſigni fraude omiſſa. 43. ejus veritas Pariſiis aſſerta. 299. de ea notandum. 835. ſq.

de Johanne Apoſtolo opinio Quæſtioniſtarum Anglicanorum. 1018.
Johannis XXII. P.R. indulgentia. 54.
Johanniti Ordinis Præfectus non ſine controverſia evadit Fridericus, Haſſiæ Landgravius. 879. Territoria hujus Ordinis quò devoluta? 218.
Jonſon, Franciſcus, Separatiſta. 41.
Joſephus, Mariæ Sponſus, à Gregorio XV. P. R. canoniſatus. 558.
Jonſa, Franciſcus, Cardinalis literarum expers. 393.
Iſabella Clara Eugenia, Hiſpaniæ Infans, deſtinata à Pontificiis Angliæ Regina. 56. ejus vota in obſidione Oſtendana concepta. 36. 56. donarium, quod Mariæ Lauretanæ ex voto miſit. 205. obit. 826.
Iſenburgii Comites quò anguſtiarum redacti? 871. cum Domo Darmſtadina tranſigunt. 1026.
Italia juxta Joſephum Hallum diabolorum patria. 486.
Judæ proditoris ſalutem quinam aſſeruerint. 909.
Juliacenſes & Clivenſes ditiones à Brandenburgico & Neoburgico junctim regendæ ſuſcipiuntur. 245. diſſidii toti Germaniæ funeſti pabulum. 362. de iis diploma Inveſtituræ obtinet Chriſtianus II. El. Sax. 248. Elector autem Brandenburgicus & Princeps Neoburgicus inter ſe tranſigunt. 731. novas lites agunt. 1128.
Juliacenſis Ducatus Miniſterio Evangelico orbatur. 696.
Juliacenſis Dux Joh. Guilielmus obit. 218. nata inde controverſia ampliſſima. 218.
Juliana Morella, puella erudita. 164.
Junius, Franciſcus. 39. ejus & Imman. Tremellii Verſio V. T. Latina. ib. ſeq. qualis quantusque Theologus Joſ. Scaligero. 61.
Junius, Robertus, Evangelii præco in Inſula Formoſa. 747.
Juſtiniani Imp. gloriatio de Sophiæ Baſilica, Templum Salomoneum ſuperante. 1035.
Izenhovianus caſus ſingularis. 713.

K.

Kahl, Juſtus, à Calvinianis ad Pontificios tranſit. 15.
Kapfenetenſis fons memorabilis. 804.
Kargius, Johannes Obedientiam Chriſti activam Juſtificatione excludit. 61.
Kauffbyra. 34. Motus ibi per Monachos excitati. 34.
Kayſerswerth occupatur ab Hiſpanis. 117.
Keckermannus, Bartholomæus. 210.
Keckius, Johannes, errorem Huberianum de Electione Univerſali incruſtat. 236. ſeq. 240. excommunicatur. 270.
Kellerus, Jacobus, Lutheranis læſum facit. 344.
Keslerus, Andreas, de Bello Ubiquiſtico, contra Forerum. 519. ejus obitus. 1032.
Keylii, Johannis, impoſtura. 1155.
Kircheri, Johannis, apoſtaſia. 941. ſq.
Kirſtenius, Petrus. 984.

K[illegible]ga ad Epiſcopum Wurtzbur[illegible] devolvitur, cum Religionis Evangelicæ jactura. 718.

Kienckii. Nobilis, ſeductio Jeſuitica, Romæ facta, valdè memorabilis. 133. apoſtaſia manifeſta non obſtante confuſione Jeſuitæ in Colloquio, ipſius gratiâ inſtituto. 357.

Kluzius, Stephanus. 1121.

Kniphuſiani a Comite Oldenburgico libertatem Religionis Calvinianæ obtinent. 612.

in Kniphuſianum Dominium immittitur Anton. Güntherus, Comes Oldenburgicus. 823.

Kocheræ admirandum. 1098.

Königsmarkii expeditiones. 1024. 1048. 1094. 1160. tres filii ſimul eodem fulmine tacti. 1075. affectus erga Miniſterium Evangelicum. 1105.

Köningiæ, Benignæ, ecſtaſes. 726.ſq.

Krakewiz, Bartholdus de more, quem Calviniani tenent adverſus Theologos Lutheranos. 15.

Kromayerus, Hieronymus, de Haſenrefferi Templo Ezechielitico. 476. ſq. de Heinlini Sole Temporum. 1113.

Kromayerus, Johannes. 1032.

L.

Labacenſe præſidium Auſtriacum in gratiam Bohemorum abductum. 475.

Lambojus profligatur. 1024. ejus infortuna in Weſtphalia & Haſſia. 1161.

Lamius, Sebaſtianus, Calviniſta. 15. 223.

Landsbergii, Franciſci, Colloquium cum P. Gonda. 189.

Langleus, Joh. Maximilianus, in Colloquio Franciſcum Verronum ad ſilentium redigit. 461.

Lanſius, Thomas, de Baronii Annalibus. 155. de Fraternitate, Lutheranis oblata à Calvinianis. 158. de Jubilæis Pontificiis. 425. de Jeſuitarum GRATIS. 667.

à Lapide, Cornelius, v. Cornelius.

Laſena, Petrus. 881.

Latermannus, Johannes, turbarum Regiomontanarũ autor. 1101. 1110. errores ſuos defendere & augere ſuſtinet. 1133. Syncretiſmo promovendo incumbit. 1154.

Laub, Petrus, crypto-Calvinianus, 396. & Libertinus. 407.

Laudus, Guilielmus, Archiepiſcopus Cantuarienſis. 635. 906. carceri datur. 991. ſq. ſecuri percutitur. 1062.

Lauenburgicæ Domus fœcunditas admiranda intra ſemiſeculum ad extremam orbitatem redacta. 496. ſeqq.

Lauenburgico Principi, Erneſto Ludovico, lingua liberior exitialis. 524.

Lauenburgicus Dux, Franciſcus Carolus, captivus, ad Pontificios deficit. 744.

Launoji, Johannis, Tractatus de Concurſu DEI. 891.

Laymermanni, Pauli, Jeſuitæ, de impetrato Edicto Ferdinandino, quoad B.E. gloriatio. 742. ejus apud

Imp. Ferdin. II. autoritas. 1148. *ſq. obitus. ib.*

S. Lazari Ordo Equeſtris. 197.

de Lazaro dormiente commentaturus, ex voto ipſe obdormit Polycarpus Lyſerus. 227.

Ledenbergius, Ægidius, Belgium Fœd. turbat. 431. *conſilia Ultrajectina confitetur.* 456.

Lehmanni, Chriſtophori, ſtudio edita Acta publica & originalia de Pace Religionis. 820.

Leiningenſis Comes ad amplectenda ſacra Pontificia allicitur. 286.

Leo XI. Papa Scenicus. 103. *cum Leone Myſtico, Chriſto, comparari ſe patitur, ib.*

Leodienſis Conſulis trucidatio, ut à plebe vindicata. 917.

Leodienſis Reformatio Belgica. 838.

R. Leonis de Modena libellus de Ceremoniis Judæorum hodiernis. 935.

Leodienſe Capitulum quare Hujum fuerit translatum? 1146. *ſeq.*

Leodium ab Epiſcopo ſuo, Electore Colonienſi, ad obſequia adigitur. 1170.

Leonſteiniis Comitibus Epiſcopus Würzburgenſis Werthemium eripere fruſtrà tentat. 140. *ſeq.*

Leonſteinio Comiti, Ludovico, arma intentat Julius, Epiſcopus Würzburgenſis. 152.

Leonſteiniorum Comitum lineæ Evangelica & Pontificia. 276.

Leonſteinius Comes Ludovicus obit. 276. *it. Chriſtophorus Ludovicus.* 469. *Georgius Ludovicus.* 826. *Johannes Theodoricus.* 1072.

Lerinenſe Cœnobium ab Hiſpanis vaſtatum. 857. *ſq.*

Lerneus Cardinalis. 454.

Lesdiguerius. 430.

Leſna multos exulum Proteſtantium benignè recipit. 761.

Leſſius, Leonhardus, de Gratia efficaci. 315. *ejus autoritas apud JCtos.* 586.

Leuchtenbergenſis Landgravius ultimus, Maximilianus Adamus, obit. 1117.

Leuchterus, Henricus. 99.

Leydekkerus, Melchior, de Th. Bradwardini libro. 458. *de Synodo Dordracena.* 490.

Liebenwaldenſis conflagratio. 851.

Liechtenſteinii Comites, Religione Evangelica commutata cum Pontificia, ad excelſa faſtigia evecti. 174.

Ligneus, Lamoraldus, ad dignitatem Principalem elevatus. 47.

Lignicenſes Nuptiæ. 363.

Lignicenſium Calvinianorum technæ per Ægid. Hunnium diſſolutæ. 53.

Lignitii & Brigiæ Dux, Joachimus Fridericus, in ditiones ſuas Calviniſmum introducere conatur. 13. *ſq. obit.* 47.

à Limborgh, Philippus pro Religione revelata contra naturalem pugnat. 979.

Limburgenſe Colloquium. 820.

Limburgenſis Reformatio Belgica. 838.

Lindavia à Wrangelio fruſtrà tentata. 1138.

Lindavienſes motus. 629.
Lindavienſis controverſia de Advocatia Abbatiæ. 695.
Lingæ damna ex tempeſtate ſæviente. 170.
Linzenſes Auſtriæ, quomodo exceperint & foverint Paſtorem Hizlerum. 224.
Lippiæ Comes, Simon Philipp⁹. 1185.
Lippenſi Comitatu ut ægre migrârint Jeſuitæ. 1172.
Lipſia memoriam acceptæ lucis Evangelicæ ſecularem celebrat. 941.
Lipſiæ parentes, pecuniæ amore capti, proprium filium, ignotum licet, jugulant. 498.
Lipſienſis Academia Jubilæum ſecundum celebrat. 201. *qua occaſione fundata?* 202.
Lipſienſe Colloquium inter Theologos quosdam Lutheranos & Calvinianos. 769. *ſq.* 773. *ſqq.*
Lipſienſe prælium. 779. 1025.
Lipſius, Juſtus. 128. *ejus inconſtantia in Religionis negotio. ib.*
Liſſa multos exulum Evangelicorum ſuſcipit. 761. *moleſtiæ iis ibidem à Calvinianis exhibitæ.* 860.
Livoni arborum cultores. 874.
Livonica fames. 48.
Livonicæ Eccleſiæ Status. 35. 898.
Livonici ritus ſepulchrales. 850.
Livonicum bellum. 26. 46.
Lobechius, David. 53.
Lobkowizius, Wilhelmus, de cultu Evangelico ap. Imp. Rudolphum II. accuſatus. 54. *Zdenko Adalbertus, Principum ordini adſcriptus.* 623. *Wenceslaus Euſebius, in Senatum Principum admiſſus.* 1002.
Lobelius, Johannes, Archiepiſcopus Pragenſis, conceſſo Jure Collaturæ abutitur in damnum Utraquiſtarum inenarrabile. 446.
Lojola, Ignatius, id nominis infans adhuc ſibi ipſe imponit. 781. *ejus Canoniſatio dilata.* 77. *expedita.* 557. 585. *ejus Miracula Moſaicis & Apoſtolicis prælata.* 258. *Mores, quos intueri DEO ex ſingulari gratia conceſſum blaſphematur. ib. ſq. transformatio in Filium DEI.* 259. *de ejus vita & morte libellus fabuloſiſſimus.* 569. *de ejus Miraculis.* 585. *de ejus reliquiis & imagine, quantâ virtute polleant in liberandis obſeſſis.* 677.
Lojelus, Valentinus, Rector Scholæ Stetinenſis ſemiſecularis. 692.
Londinenſis Synodus. 64. 82. 1043. *ei contradicunt Puritani.* 82.
Loravius, Georgius, Præceptor Scholæ Heidemenſis. 225.
Loſanna, Sabaudo à Bernenſibus ademta. 303.
Lotharinga, Ludovica Margareta, Princeps erudita. 519.
Lotharingiæ Dux, Carolus III. *obit.* 195. Carolus IV. *ditionibus ſuis à Gallo exuitur.* 756. *ſq.* 826. *Victoriâ Nerolingenſi quàm factus inſolens.* 848. *jus ſuum Fratri Cardinali,* Nicolao Franciſco, *ſtatum haud adeò feliciter mutanti,* tra-

tradit. 856. ſq. ejus divortium amores vagi, novumque cum Cantacrucia conjugium. 856. Provinciam ſuam ingreſſus, multorum expectationem fallit. 870.
Lotharingus Cardinalis, Carolus, bellum infert Joh. Georgio Brandenburgico, ob Epiſcopatum Argentoratenſem. 50. obit. 154.
Lubecæ porta ſponte patefacta. 1165.
Lubeccenſes Epiſcopi. 830.
Lubini, Eilhardi, error. 109.
Lublinenſis Synodus. 297.
Lucca à Paulo V. P. R. ad obſequium compulſa. 104.
Luccenſis Maria, Abbatiſſa Trebnizenſis, Lutheranis accedit. 224. ſq.
Lucianus Samoſatenus à canibus diſcerptus ac devoratus. 388.
Ludovici IX. Galliæ Regis, dies, Gallis feriatus. 428.
Lugduni Batavorum Academiam condere, quis ſuaſerit? 97.
de Lullio, Raymundo, controverſia inter Abrah. Bzovium alioſque & Hieronymum Cavellum. 92.
Lunæburgenſis Dux, Georgius, Suecorum ſocius. 800. Wilhelmus. 1027.
Luſatia utraque quomodò ab Elect. Sax. Joh. Georgio I. ſubacta. 521. eidem ab Imp. Ferdinando II. conceditur. 598.
Luſitania. v. Portugallia.
Luſtnaviæ, prope Tubingam, Paſtoris munere functus Philippus Heilbrunnerus. 397.
Lutherus, Martinus, Papapatum aggreſſus. 419 ſq. in effigie combuſtus Romæ. 500. Jus Canonicum & Papæ Decretum publicè ſtammis dat. ib. ob id in Comitiis proximis à nemine accuſatus aut reprehenſus. 501. Wormatiæ confeſſionem ſuam edit. 526. à Joh. Müllero defenditur. 845. ejus miraculum. 596. eidem imputata per calumniam ignorantia linguæ Philoſophiæ. 451. & aſſecti, à Forero ſeptem Characteres. 666. ejus obitus. 1099. calumnia de illo. ibid. Epitaphium. 1100.
Luxii duellum cum Duce Guiſio. 305.
Luynæus ante obitum ab omnibus penè deſertus. 551. ipſe & fratres, trium Regum ſchemate repræſentati. 444.
Lüzenſe prælium. 802.
Lyſerus, Polycarpus, & ſenior & junior, de ſocietate Lutheranorum cum Pontificiis & Calvinianis. 37. ſenior, Pacis Hungaricæ juſtitiam vindicat contra Card. Cleſelium. 124. ſq. Conciones ejus Pragenſes, à Jeſuita Decumano allatratæ. 148. à Bohemis Evangelicis ad tempus expetitus. 201. quàm piè & placide obierit. 227. ejus obſervatio de doctrina Calviniana. 931. ſq.
Lyſerus, Wilhelmus. 1169.

M.

Macao, urbis, damnum ex defectu negotiationis Japonicæ. 904.
Mæſtlinus, Michaël. 783. 1058.
Maffæus, Joh. Petrus. 57.

Magdeburgenſe excidium. 778. *ſq. præſagia de eo.* 758. *ſq* 781. *ſq.*

Magdeburgenſem Eccleſiam quomodo Joh. Werdenhagen & Petrus Probſtius turbarint? 614.

de Magdeburgenſi Archiepiſcopatu controverſia Saxonico-Auſtriaca. 699. *ejus compoſitio plenaria.* 919.

de Magdeburgenſi Archiepiſcopo Norberto. 654.

Magdeburgenſis ancilla, petulantia veſpillonum enormi in lethum præcipitata. 650.

Maginus, Joh. Antonius. 736.

Magirus, Johannes, Præpoſitus Stutgard. 341. *in pueritia Hiſpaniæ deſtinatus.* 342.

Mahometes. v. Muhammedes.

Mejer, Jacobus. 97.

Malacca expugnatur à Fœdd. Belgis. 980. *ſq.*

Malaccanæ urbis, gentis, ac linguæ, origo & natura. 539.

in Malagetta coloniæ Francicæ, Luſitanæ, aliæque. 896.

Mamphraſius, Wolfgangus, Calviniſmo in Sileſia invaleſcenti neceſſariam admonitionem opponit. 318.

Mandelslovii gratia apud Perſarum Regem. 915. *ſeq. peregrinationes & fatalis meta.* 940. 1075.

Mannhemium, omine non fauſto à Friderico IV. El. Pal. extructum. 141. *Tillio deditur.* 573.

Mansfeldenſes Theologi, Keckium, Huberi hyperaſpiſten refutant. 237. *ſq.* 240.

Mansfeldiæ Comes, Petrus Erneſtus. 95. *Carolus. ib. Erneſtus, Pilſenam expugnat.* 473. *proſcribitur. ib. quanto ſtudio militarit Friderico Palatino.* 546. 572. *ſeq. Friſiam Orientalem depopulatur.* 573. *profligatur à Buquojo.* 494. *à Wallenſteinio.* 668. *extinguitur. ib.*

Mantuæ Ducatum occupat Carolus Nivernius. 691. *bello inde conſequente. ib.* 712. 732. *ſq. obit.* 916.

Mantuæ Dux, Vincentius, *inſtituit Ordinem Equeſt. Sanguinis Jeſu, deque Sancto Tabernaculo.* 179. *obit.* 304. Ferdinandus, *bellum gerit cum Sabaudo.* 390. 362. 442. *pacem cum eo ſancit.* 468. *conſtituitur Imperii Vicarius per Italiam.* 623.

de Marca, Petrus, injuriam Bullæ Cœnæ Dominicæ in Reges & Eccleſias Gall. diluere fruſtrà laborat. 679.

Marchina, Martha, Virgo erudita. 1119.

Marcus Antonius de Dominis. v. de Dominis.

Mareſius, Rolandus, de Plinii, Geſneri, & Aldrovandi Hiſtoria Animalium. 121.

Mareſius, Samuel, Reformator Leodienſis ac Limburgenſis. 838. *ejus conſilium de Academiis Belgicis.* 351. *elogium Synodo Dordracenæ tributum.* 490. *diſceptatio cum Giſberto Voëtio de Objecto Prædeſtinationis.* 1180.

Margareta Valeſia, Princeps erudita, à marito Henrico IV. Galliæ

Rege repudiata. 391. *ſeq ejus nuptiæ Laniena Pariſienſi funeſtatæ. ibid.*

Marglußa Sileſiæ, precibus devotis ab incendio mirè ſervata. 307.

Mariana, Johannes, de Jure, quo Principes, in hæreſeos notam incurrentes, à ſubditis è medio tolli poſſint. 115. 229. *ejus liber de Regis Inſtitutione ad infamem rogum damnatus.* 229. *recuditur Privilegiis & Approbationibus munitus.* 268.

Mariani, Angeli, dogma de ſalute æterna ſine Chriſto conſequenda. 887.

Marianus, Johannes, de Rep. Chriſtiana & Boni Principis CAPITE. 388.

Marii Imperium breviſſimum. 103.

Marilliana, Ludovica, Monialis erudita. 723.

Marnixius, Philippus. 104.

Marocci Rex, Sidan, felici expeditione fungitur in Mauritania 304. *conf. p.* 961.

Marpurgenſe Jubilæum Academicum. 673.

Marpurgenſis Reformatio Calviniana. 75. 98. *ſq.* 106.

Marpurgenſium, Heidelbergenſium & Baſileenſium Calvinianorum diſſidium. 107.

Marpurgum Domui Darmſtadinæ adjudicatum. 578. *eò transfertur Academia Gieſſenſis.* 630. *in prædam cedit.* 1138.

Marquemontius, Dionyſius, Simon. 659.

Marſilius, Johannes Venetus, de Librorum, Patriſticorum imprimis, corruptione Pontificia. 138. *ſq.*

Marta, paraſitus Papalis, Bellarminum in adulatione oppugnat. 103.

Martini, Cornelius. 356.

Martini, Jacobus, Notitiam Dei naturalem defendit contra Schillingium. 490. *Valerianum M. confutat.* 796. *obit.* 1170.

Martinius, Matthias. 703.

Maſtrilii, Marcelli, martyrium ſpontaneum. 903. *ſq.*

Matelifii navigatio in Indiam Orientalem. 219.

Maternus, juxta Gelenium Viduæ Nainiticæ filius, & Coloniæ Agripp. Apoſtolus. 172.

Matthefius, Johannes. 148.

Matthias Imp. coronatur. 302. *de conſtituendis Daciæ Principibus cum Achmete Turcico tranſigit.* 362. *plebejo Statui in Auſtria libertate Sacrorum Evangelicorum interdicit.* 368. *obit.* 473. 494. *(v. Auſtria.)*

in Mauritania de Regno inter ſe contendunt Sceriphii. 304.

Maurorũ ex Hiſpania expulſio. 247.

S. Maurus in Gallia quid? 535. *ſq.*

Mayle, Matthias, Jeſuita, D. Paulum frivolè reprehendit. 185. *ſq.*

Maximilianus II. Imp. quomodo Ederi calumnias, contra Lutheranos editas caſtigarit? 267. *ſq.*

S. Maximini Abbatia gravem experitur Electorem Trevirenſem. 723. *ſeq. priſtino privilegio reſtituitur.* 987.

Mazarinus, Julius, Cardinalis, Miniſterium Franciæ primarium obit. 1050.
Mediolanenſem agrum vaſtat Sabaudus. 442.
Mejerus, Juſtus, Caſp. Scioppii Claſſicum confutat. 595.
Meiſneri, Balthaſaris, Conſultatio Catholica. 595. *obitus.* 653.
Meiſneri, Euſebii, Fanatici, ſomnia. 749.
Meiſnerus, Johannes, de Puritanis. 243. *ſeq.*
Meklenburgæ Güſtrovienſis Dux, Guſtav⁹ Adolphus, *invita Matre Calviniana, in Religione Lutherana educatur.* 808.
Pater ipſius, Johan. Albertus, *à conjuge ad Calviniſmum amplectendum ſeductus, cum periculo ditionis quoque una in heterodoxiam abripiendæ.* 884. *obit.* 893.
Meklenburgici Ducis, Ulrici, encomium & mors. 52.
Melanchthon Calviniſmi in Palatinatum introducendi occaſionem præbet. 235.
Meletius. v. Alexandrin. Patriarch.
Menaſſis Ben Iſraël Epitome Talmudica. 822.
Mendoza, Franciſcus, de cultoribus Mariæ indamnabilibus. 796.
Mengering, Arnoldus. 739. *obit.* 1101. *de ejus Scrutinio Conſcientiæ Catechetico. ib. ſq.*
Menno Simonis. 566. 688.
Mennoniſtarum errores. 566. 688.
Menzerus, Balthaſar. 99. *de anno* 1613. 321. *de Bibliis Toſſanianis.* 438. *de G. Calixti Epitome Theol.* 517. *ejus Theſis de Præſentia Chriſti.* 163. *in controverſiam incurrit.* 410. *ſq.* 436. *ſq. de ea cum Tubingenſibus acre certamen ſubit.* 492. *obit.* 675.
Mercii victoria & clades. 1095.
Mercurii Triſmegiſti commentũ. 819.
Merſennus, Marinus, de Atheis Gallicanis. 591. *ſq.*
Merula, Paulus. 171.
Methenii, Ezechielis, Fanatici, phantaſmata. 353.
Methiſtarum ſomnia. 407. *ſq.*
Mexicum inundatione deletum. 895.
Middelburgi in Zeelandia vexillum Separatiſmi erectum. 41.
Milvius, Andreas, ob Satyram in Epiſcopos Anglicanos editam carceri datus. 208.
Mina Guineæ à Fœd. Belgis cum inſigni Hiſpanorum damno occupata. 915.
Mindonius, Ignatius. 75.
Miræus, Johannes. 261. *Aubertus. ib. hujus notitia Epiſcopatuum.* 328. *fraus, qua Sigeberti Chronicon corrupit. ib. ſq.*
Miſnia, orthodoxiæ reſtituta. 2. *per Val. Weigelium turbata.* 271.
Mogul Indoſtanus, Acbar, inſignis Magus. 144. *uxori caput amputatum iterum aptat. ibid. Selimus, quid de Chriſto ſenſerit?* 168.
Mogul Indoſtanus trutina ponderatur. 418. *filiam in torum aſſumit.* 691.

Moguntini Jeſuitæ qua gratia rependerint conatus G. Calixti irenicos. 1069. *conf. p.* 1097.

Moguntinus Elector, Wolfgangus Dalburgius. 11. *Joh. Adamus à Biken.* 57. *Joh. Snikardus à Cronberg.* 57. 670. *Georgius Fridericus Greiffenklau à Volrath.* 670. *Anshelmus Caſimirus Wambold ab Umbſtad.* 745. *Joh. Philippus à Schönborn.* 1128.

Molina, Ludovicus, Jeſuita, controverſiam de Auxiliis Gratiæ Divinæ acerrimam excitat. 136. *quomodo Gratiam efficacem exponat.* 315.

Molinæus, Petrus, quomodo baptizaſſe narretur à Cudſemio. 159. *ejus Colloquium cum Cayero.* 42. *cum Gonterio.* 214. *Synodum Dordracenam vindicat.* 489.

Molinoſii præluſores. 591.

Molshemiana Schola Jeſuitica. 451.

Molshemii, quomodo Nobilis, diabolo devinctus, ad liberationem pertigiſſe narretur. 305.

Moltherus, Johannes, Generationem Filii Dei & proceſſionem Spiritus S. dicit metaphoricam. 486.

ex Moluccis Inſulis primarias occupant Hollandi. 143.

Mommorantius, Henricus, Galliæ Conneſtabilis, etiam primorum in literis elementorum rudis. 363. *moribundus Capuccini habitu indutus.* 364.

Mommorantius in Regem ſuum infeliciter armatus, 802. 806.

Monachium à Suecorum Rege G. A. occupatum. 801.

Monaſterii Eifaliæ Evangelici à Pontificiis obruti. 254.

Monaſterii & Oſnabrugæ tractata Pacificatio. v. Oſnabruga.

Montalbani obſidio Dan. Chamiero fatalis. 538.

Montedoglius, Comes erraticus, Haſenreffero turpiter imponit. 120.

Montenſis Ducatus Miniſterio Evangelico orbatur. 696. *v. Juliacenſes ditiones.*

Montisferratenſis Principatus belli Sabaudo-Mantuani materia. 362.

Montispeligardi Templum extruitur, & Collegium. 30. *Dan. Toſſanus Calviniſmi ſemina tecte ſpargere audet.* 39. *qui incolarum hactenus erant Calviniani, Religionem Lutheranam amplectuntur.* 829.

Moravia vaſtatur. 101. 520. *in eam commigrant Anabaptiſtarum haud pauci.* 162. *ad Unionem adigitur.* 475. *ſq. proſcribit Jeſuitas.* 477. *orbatur luce Evangelica.* 552. 602.

Morella, Juliana, puella erudita. 164.

Morelles, Coſmæ, Colloquium cum Clemente Boyſio. 214.

Morinus, Johannes, de Pentateucho Samaritano. 1068.

Mornæi, Philippi, Colloquium cum Perronio. 24. 454. 588. *liber de Euchariſtia, ab ipſo defenſus.* 24. *gloriatio de eo, quòd à Lutheranis, quibus tamen quoad complura* ad-

adverſetur, refutatus non ſit. 25. quomodo Henricum IV. Galliæ Regem in fide Papæa præter intentionem confirmarit. 455. ejus obitus & elogium. 588.

Moſaicis miraculis miracula Ignatii Lojolæ prælata. 258.

Moſes, Zeklerorum Dux, profligatur. 45. ſq.

Moſcovia turbas civiles conſilio Lanii eluctata. 332.

in Moſcovia Tabaco per fiſtulas uti prohibitum. 851.

Moſcoviæ Campana. 121.

Moſcoviæ Czarius, Boriſius Gudenovius, quomodo Medicinæ Doctorem crearit? 48. interimitur. 121.

Moſcoviæ Czarius evadit Baſilius Zuskius. 143. à Sigiſmundo III. Poloniæ Rege capitur. 246.

Moſcoviæ Czarius legitur Michaël Federowizius. 332. armis petitur à Pſeudo-Demetrii II. vidua. 362. hoſtem item habet Guſtavum Adolphum, Suecorum Regem. 362. cum hoc pacem ſancit. 391. obit. 1096 Alexius Michaëlovizius de Græcæ & Latinæ Literaturæ Schola erigenda conſilii init. 1112. minoris fortunæ virginem, è ducentis aliis, ſponſam legit. 1141. ſq.

Moſcoviæ Czarius Scenicus infelix, Demetrius. 118. ejus oratio memoratu digna. ib. in ipſis nuptiis obtruncatur. 143.

Moſcoviæ Czarius de Papa R. 260.

Moſcoviam occupare conatur Baſilovizius. 94. Pontificiam reddere fruſtrà laborat Anton. Poſſevinus. 260.

Moſcovica Corona Uladislao Poloniæ Principi decernitur. 247. abrogatur. 275.

Moſcovicæ Religionis delineatio. 809. ſeq.

Moſcovici Czarii gener, Johannes, Princeps Danus. 47.

Moſcovici Czarii filiam ambit Woldemarus, Chriſtiani IV. Daniæ Regis filius naturalis. 1050. quo ſucceſſu? 1068.

Moſcovici Patriarchæ dignitas & poteſtas. 832.

Moſcovicus Patriarcha miro ſortis favore electus. 831.

Moſcovici Monachi, cum Paſtore orthodoxo frequentius de Religione colloquuti, periculum. 808.

Moſcovitæ à Polonis impetuntur. 219. debellantur. 824. ut abominentur Pontificios? 559. proſelytos rebaptizant. 564.

Moſcovitica Legatio ad Polonos in cauſa Demetriana. 168. ad Holſatiæ Gottorpienſis Ducem. 960.

Moſcuæ, Urbis, direptio & combuſtio. 303. incendium. 851. tumultus. 1161.

Movii, Caſparis, errores. 684. ſq.

Muhammedes III. Turcarum Sultanus in uxorem & primogenitum crudelis. 70.

Muhammedis, Impoſtoris famoſi, ſepulchrum ubi? 759. Teſtamentum in favorem Chriſtianorum compoſitum.

ſitum. 935. prognoſticon de Legis ſuæ duratione. 953.
Muleus Hametes Ben Abdalla, Impoſtor Mauritanus victus. 304.
Mülhemii Evangelicis Colonienſibus paratur ſedes, at fruſtra. 280. ſq.
Mülhemii deſtructio. 336. 389.
Mülhuſianus Conventus Electorum. 520.
Mülleri, Johannis, Lutherus defenſus. 845. Judaiſmus. 1044.
Mundus Attaveyæ duplex, Eſavi & Jacobi. 1108. 1131.
Münſterbergicorum in Sileſia Ducum Familiâ extinctâ, Ducatus quoad Religionem quoque mutationem ſubit. 1128.
Münſterus Vortlageanus, Johannes, Holſatiam Calvinianam reddere molitur. 206. ſeq.
Muſculus, Caſpar, à ſcelerato auditore necatus. 170.
Muſculus, Wolfgangus, de facultate DEI peccata abſque ſatisfactione remittendi. 215.
Mylius, Georgius. 150.
Myslenta, Cœleſtinus. 685.

N.

Nachiegalius divulgator libri de tribus ſummis Impoſtoribus Mundi. 354.
Nagelii, Pauli, phantaſmata. 513.
Nainiticæ Viduæ filius, quis juxta Geleniumv? 172.
Nannetenſe Edictum. 60. confirmatum. 234. 378. 562. 703. 1038.
Naſſoviæ Dillenburgicæ Comes, Johannes, Lutheraniſne, an Calvinianis annumerandus? 131. ejus curæ in cauſa Joh. Piſcatoris. 83.
Naſſoviæ Sigenſis Comes, Johannes, obit. 599. Johannes ejus primogenitus ad Pontificios tranſit. ib.
Natolius, Juſtus, Neutraliſta. 110. ſeq.
Navarræa, Catharina, Hugonotis addicta, odore chirothecarum venenatarum extincta. 85.
Neapolitana ſeditio à Thoma Anjello excitata. 1138. ſq.
Neapolitanæ decimæ Pontifici R. negatæ. 36.
Neapolitani Gymnaſii Inſcriptio. 882.
Necevanienſes Armeni. 80.
Neoburgenſe Colloquium. 85.
Neoburgicum Ducatum Papiſmus occupat. 366. 398.
Neoburgicus Dux, Wolfg. Wilhelmus, quomodo factus Pontificius? 332. 337. fratribus gravis. 367. ob ejus defectionem Philippus Ludovicus, Pater, mœrore conſumptus. 332. 337. 363. hujus elogium. ib.
Neobuſium Hungariæ à Botskajo expugnatum. 119.
Neophyti, Hieromonachi, Synopſis. 709. 869.
Neoſtadienſia Biblia. 438.
Nerii, Philippi Oratorium confirmatum. 288. ſq.
Neubaueri, Andreæ, Jeſuitæ, concio de Religione Lutherana, ejusque privilegiis. 286.
Neuſerus, Adamus, de Calviniſmo. 932.

Nexivanienſis Armeni. 80.
Nicæa, terræ motu concuſſa, corruit. 717.
Nicæni II. Concilii confirmatio, an Gallis placuerit? 114.
Nicænum Symbolum Conſtantinus M. nullo modo convelli patitur. 707.
Nicolai Imago à Ruſſo fruſtrà in auxilium vocata. 277.
Nicolai. Henricus. 88. *ejus Irenicum de differentiis Religionum conciliandis.* 1093. *confutatur à Miniſterio Gedanenſi.* 1181.
Nicolai, Melchior, Symbolum Lutheranum vindicat. 621. *ſomnium ejus memorabile.* 666. *ingenti periculo defungitur.* 876. *Speculum Brandenburgicum conterit.* 888. *ſeq.*
Nicolai, Philippus. 175. *ejus vaticinium.* 628.
Nihuſius, Bartholdus, Apoſtata. 265. *ejus novum paradoxum de Sanctorum defunctorum vita in exuviis.* 351. 352.
Nili origo. 471.
Niſſenſibus in Sileſia liberum Religionis Evangelicæ exercitium conceſſum. 255.
Nivernius, Carolus Gonzaga, Ordinem Equitum de Sancta Militia, hæreticis oppoſitum, inſtituit. 479.
Nördlingenſe prælium. 830. 847.
de Norberto, Archiepiſcopo Magdeburgenſi. 654.
Noribergæ quis primus Evangelium purè prædicarit? 856.
Noribergenſis Conventus Electorum. 274. *Statuum Correſpondentium ſ. Unitorum.* 495. *Plenipotentiariorum Pacis ad executionem facilius promovendæ cauſâ inſtitutus.* 1182.
Noribergenſis Peſtis. 806.
Northemii obſidio. 690.
Norwegia. 32.
Noſtradami, Michaëlis, *vaticinia.* 626.
Nova Anglia. 907.
Nova Cantabrigia. 907.
Novogardiæ expugnatio Suecica maximè memorabilis. 277. *ſq.*
Nürtingènſis Laniena. 831.
Nusdorffi in Auſtria obſervatum in cœlo oſtentum. 418.

O.

Oelandia Danis cedit. 274.
Olearius, Joh. Adamus. 893.
Olevianus, Caſpar, Obedientiam Chriſti activam Juſtificatione excludit. 61.
Oliverius, Admiralis, circuitione totius Orbis clarus. 28.
Olomutii Torſtenſohnius inſigni theſauro potitur. 1048.
Olympia, Innocentii X. Papæ fratria & amaſia. 1058.
Onoldinæ Nuptiæ. 363.
Onoldinus Marchio, Georgius Fridericus, Gymnaſii Heilsbrunnenſis Fundator. 52. *Joachimus Erneſtus, à Spinola ſæpius elujus.* 521. *obit.* 648.
Oppelienſi Eccleſiæ moleſtus Paſtor crypto-Calvinianus. 395.
Ordo Johanniticus. v. Johanniticus.

Origenes contra Celſum. 116.
Ormus Luſitanis erepta à Perſis. 574.
Ortenburgicorum Comitum ſtirps in Carinthia exareſcit. 981.
Oſiander, Andreas jun. 422. ejus Papa non-Papa. 242.
Oſiander, Lucas ſen. 75.
Oſiander, Lucas jun. methodum diſputandi Gonterianam confutat. 358. de Calvinianis. 482. de Sculteto Alheo. 509. Arndii libros de vero Chriſtianiſmo impugnat. 594. in ſuggeſtu à ſicario invaditur. 876. ſq. obit. 920. de ejus zelo in vindicanda orthodoxia. ib.
Oſnabrugæ & Monaſterii tractata Pacificatio generalis Germanica. 1048. 1055. 1072. 1094. 1115. 1138. 1143. 1162.
Oſnabrugenſe incendium. 334.
Oſnabrugenſis Epiſcopatus Paſtores Evangelicos nanciſcitur. 830. ejus fata. ib.
ab Oſſa, Rudolphus. 711.
Oſſatii conflagratio. 419.
Oſſatus, Arnoldus, Cardinalis Gallicanus, quibus gradibus ab infima ſorte ad eminentiam pertigerit? 80.
Oſtenda obſeſſa. 26. 46. triennali obſidione fatigata, Hiſpanis deditione cedit. 93.
pro Oſtendanæ Obſidionis felici ſucceſſu vota Iſabellæ Claræ Eugeniæ, Infantis Hiſpan. 36. 56. aliorum. 56.
Oſtendana Lues. 72.
Oſtermanni liber de Regimine, publicè combuſtus. 1112. ſq.
Oſtorodus, Chriſtophorus. 89.
Oſtrorogius Comes, Jacobus, ædes ſuas Fratribus Bohemis ad exercendum cultum religioſum concedit. 884. quomodo illæ exuſtæ à Pontificiis, & Fratres diſſipati. ib.
Otto, Julius Conradus, Judæus converſus & Profeſſor Altorfinus. 101.
Outermann, Jacobus, Anabaptiſta. 111.
Oxenſtirnii cura. 848.

P.

Paderbornenſe incendium. 419.
Paderbornenſes Evangelici opprimuntur ab Epiſcopo, Theodoro Furſtenbergio. 74. proſcribuntur. 421.
Paderbornenſi Scholæ privilegia Academica collata. 393.
Paderbornenſis Conſul Evangelicus, Martyr. 74.
Paderbornenſis Epiſcopus Heriſtallium redimit. 179.
Palatinæ ſtirpis deductio ab Antenore. 84.
Palatinatui antiquitus annexus Electoratus defenditur à Marquardo Frebero. 414.
Palatinatum invadit Ambroſius Spinola. 521.
Palatinatum, quomodo Calviniſmus occuparit? hiſtoria in ſynopſi. 234. ſqq. conf. p. 432. quomodo per Papiſmum inde pulſus? 660. 702.
Palatini Electoratus Adminiſtrator, Joh. Caſimirus, Calviniſmi propagator indefeſſus. 234. ſq.
Palatinus Comes, Fridericus Henricus, patris Friderici V. Electoris

in Regno Bohemiæ ſucceſſor declaratur. 523. miſerè ſuffocatur. 735. Carolus Ludovicus cum Fratre Ruperto ab Hazfeldio profligatur. 937. à Gallis diuturnâ cuſtodiâ detinetur. 959.

Palatinus Elector, Fridericus IV. UNIONIS autor. 82. Mannhemii conditor. 141. Fridericus V. Regimen auſpicatur. 361. ſuffragio ipſe Ferdinandi II. electionem in Imperatorem R. juvat. 494. in Regem Bohemiæ eligitur, & coronatur. 495. ea de re judicia politica. 524. monetur ab Electoribus de Corona Ferdinando II. reddenda. 520. Pragâ fugit. 522. proſcribitur. 546. Principis infelicis exemplum. 597. eidem Ferdinandum II. reconciliare Daniæ Angliæque Reges fruſtrà tentant. 546. ſq. conatus in eo juvando irriti. 572. oblatæ reſtitutionis conditiones averſatur. 611. ſq. reſtitutionem iterum fruſtrà quærit. 681. obit. 793. Carolus Ludovicus Palatinatum inferiorem recipit, ipſiusque gratiâ Electoratus octavus erigitur. 1183.

Pamphilii, in Papam electi, nomen ab adulatore blaſphemè expoſitum. 1060.

Pancinorola, Octavius, de Prælio Pragenſi. 507.

Pantaleon, Candidus. v. Candidus.

Pantoja, Didacus. 232.

Pappenhemii Comes, Maximilianus, Teſtamento agnatos lædit. 960.

Pappus, Johannes, Agenda Eccleſiaſtica Argentoratenſia vindicat. 66. obit. 226. vindicatur cont. Hornbekium. ib.

Paracelſi, Theophraſti, vaticinium. 302.

Pareus, David, ad propagationem Calviniſmi in Sileſia multum confert. 14. de Theologis Lutheranis, qui Colloquio Ratiſponenſi interfuerunt. 21. de ſocietate Lutheranorum cum Pontificiis & Calvinianis. 38. Joh. Piſcatoris errori favet. 61. ejus charitas erga Dd. orthodoxos. 130. ſq. de tollendis ex Eccleſia nominibus Lutheranorum & Calvinianorum. 163. quo exemplo urſerit Syncretiſmum inter Lutheranos & Calvinianos. 207. Irenicum ſuum edit. 359. & vindicat. 411. ejus labor in Jubilæo Heidelbergenſi. 429. obit. 564. quomodo evaſerit Calvinianus. ib. ſq. ejus Commentarii in Epiſt. ad Roman. Oxoniæ publicè combuſti. 570.

Pariſienſis Academia Jeſuitis locum dare, & facultatem omnes artes atque ſcientias docendi iis permittere cogitur. 453.

Pariſienſis Curiæ ſententia in Jeſuitas. 9.

Parkeri collationes cum Joh. Robenſonio Separatiſta. 485.

Parmenſis Dux, Edoardus Farneſius, bellum gerit cum Papa Rom. 1011. obit. 1117.

Parrius, Bartholomæus, Nexivanienſis Archiepiſcopus. 80.

Par-

Parſimonius, Johannes, Obedientiam Chriſti activam Juſtificatione excludit. 61.

Parthenius I. Patriarcha Conſtantinopolitanus. 965. *Confeſſionem Cyrilli Lucaris damnat & proſcribit, Jeremiæ confirmat.* 987. 1020. *ſq. ſede deturbatur.* 1079. *Parthenius II. Calvinizans. ibid. in exilium agitur.* 1102.

de *Paſſavienſi Tranſactione Pontificii cum Bodino.* 439.

Paſſeratii, Johannis, voluntas extrema, ne manes ipſius indoctis carminibus onerentur. 48.

Paulus Apoſtolus à Matthia Mayle *Jeſuita frivolè reprehenſus.* 185. *ut & à Marshalio, Fanatico.* 1108.

Pauli IV. Bulla contra AntiTrinitarios. 62.

Paulus V. Vice-Deus ſalutatur. 103. 210. *Papa characteriſatus.* 104. 1017. *Luccam & Genuam ad obſequium compellit.* 104. *Venetos aggreditur. ib. iræ ejus in Venetos.* 125. *ſq.* 151. *Excommunicationem, qua illos læſerat, citra eorum ſubmiſſionem revocare adigitur.* 126. *definitionem controverſiæ de Auxiliis Gratiæ Divinæ, Moliniſtis adverſam publicare non audet.* 137. 256. *ſq. vetat, Juramentum fidelitatis Jacobo I. Angliæ Regi à ſubditis Pontificiis præſtari.* 158. *B. Virgini Sacellum extruit magnificentiſſimum.* 209. 316. *de Auxiliis Gratiæ Divinæ quicquam edi vetat.* 257. *in B. Virginis honorem coloſſum ingentem erigit.* 344. *Mariam in peccatis conceptam, publicè doceri prohibet.* 400. *Ferdinando II. bellum contra Proteſtantes molienti ſuppetias fert.* 480. *eidem Indultum Primariarum Precum largitur.* 504. *ſq. obit.* 532. *quanti Thomam Aquinatem æſtimarit?* 532.

Pauli V. filium ſe jactans Barthol. Burgeſius ad ſupremum ſupplicium rapitur. 177. *epitaphium ejus. ib.*

Paulo V. acclamatum VIVE! borribilis vox excipit, atque tumultus pluribus fatalis. 178. *ſq.*

Pegu, Indiæ Regnum, ſtupendo modo devaſtatum. 28.

Pekingenſes Campanæ. 121.

Pelargus, Chriſtophorus, viam parat ad Reformationem Marchiæ Brandenburgicæ Calvinianam. 156. *ſq. ad Calvinianos ipſe deficit.* 338. *ſq. fruſtrà monetur à Schlüſſelburgio.* 338. *& à Dan. Cramero.* 339. *Compendium ſuum reformatum edit.* 438. *quomodo à Suecorum Rege G. A. in occupatione Francofurtenſi habitus?* 769. *obit.* 840.

Penafortius, Raymundus, Sanctis annumeratus. 8.

Peræ, loco è regione Bizantii ſito, reſtituuntur Jeſuitæ. 78. *ſq.*

Perkinſus, Guilielmus. 40. *Puritanis annumeratus.* 244.

Perronius, Jacobus Davius, Philippi Mornæi adverſarius. 24. 588. *ejus vita & mors.* 454. *quantum Papæ tribuerit?* 455.

Perſæ Turcis Tauriſium eripiunt. 95. Turcas clade afficiunt. 247.

Perſarum Rex conjunctionem armorum Hiſpanicorum cum ſuis, contra Turcas expetit. 167. reverſum ex Aula Turcica Legatum ſuum quomodo exceperit, quomodo item Turcicum Conſtantinopolin remiſerit? 332.

Perſarum Rex Abas. 733. ſeq. Seſi. 1004. ſq.

ad Perſarum Regem ab Imp. Rudolpho II. miſſi Legati in itinere pereunt. 46.

ad Perſarum Regem Seſi adornata Legatio Holſatica. 893. quomodo admiſſa? 915. & compenſata. 960.

Perſarum ac Turcarum ſchiſma. 913.

Perſici Cancellarii imprudentia, ſeveriſſimo ſupplicio expiata. 1097.

Perſonius, Robertus, quomodo ex Calviniano Jeſuita factus? 231. ejus conatus nefarii. ib.

Perthenſis Synodus. 410. 457.

Peruvia, à Batavis fruſtra tentata. 1071.

Petrei, Theodori, Catalogus Hæreticorum nugaciſſimus. 704.

Petriccæ, Angeli, gloriatio de opera ſua, qua Calviniſmus Conſtantinopoli ſit profligatus. 1126.

Petricovienſis conflagratio. 969.

de Petro Apoſtolo Meletius, Patriarcha Alexandrinus. 44.

Petronii Domus celebris. 550.

Peucerus, Caſpar. 38. ſq. cum Luciano Samoſateno comparatus. 388.

à Peyn, Auguſtinus jun., ad Antitrinitarios deficit. 140.

Pezelius, Chriſtophorus. 86.

Philippiburgum ad Rhenum, ex Udenhemio natum. 466. ab Electore Palatino Friderico V. deſtruitur. ib. ſq. Gallis traditur. 848. à Bambergio intercipitur. 870. à Gallis recuperatur. 1070.

Philippus Cyprius, Chronici Eccleſ. Græc. autor. 1022.

Philippus Melanchthon. v. Melanchthon.

in Piccardos Edictum Rudolphi II. 38. quomodo ii in Confeſſionis negotio ſe geſſerint? 38. à Pontificiis ſupprimuntur. 51. eorum conjunctio cum Evangelicis doloſa. 207.

Piemenii, Antonii, regio detecta. 1026.

Pierius, Urbanus, crypto-Calvinianus perjurus. 405.

Pilſena à Mansfeldio expugnata. 473. conf. p. 480.

Pineda, Johannes, de novis fidei articulis in Eccleſ. R. 665.

Piſcator, Johannes, de Libris Apocryphis. 24. de autoritate Polani & Wittakeri. 91. de Fractione Panis in S. Cœna. 107. Obedientiam Chriſti activam Juſtificatione excludit. 61. 83. quos erroris hujus ſocios habeat? ib. damnatur à Calvinianis Gallis & Anglis. 83. quæ cum eo de iſta re alias quoque tractata fuerint? ib. contro verſiam de Prædeſtinatione agit cum Bertio. 358. 385. ejus phraſes duriores rejicere Synodus Dordracena non vult. 497. ejus faſtus. 636. ſq. & obitus. ib.

Piſtorius, Johannes, Apoſtata. 180.
Pitiſcus, Bartholomæus. 58.
de Plinii Hiſtoria Animalium. 121.
Plurium, abſciſſa rupes obruit ac delet. 470.
Podolia à Tartaris vaſtata. 331.
Polanus, *Amandus, refutat Job. Piſcatoris errorem de obedientia Chriſti activa.* 61. *de ejus autoritate Piſcator.* 91. *obit.* 236.
Pollionis Romani vitra. 410.
Poloni Tartaris inſignem cladem infligunt. 624. 733. 848.
Poloni Antipapani Religionis libertatem armis aſſerere parant. 141.
Polonia ab ipſis Polonis vaſtata. 332. 334. *ingenti motu concuſſa.* 1161.
Poloniæ Clerici Papales Proteſtantium oppreſſionem moliuntur. 153.
Poloniæ Princeps, Job. Caſimirus, fit Jeſuita. 1036. *ſq. Ex Jeſuita.* 1103.
Poloniæ Principi Uladislao Corona Moſcovica decernitur. 247. *abrogatur.* 275.
Poloniæ Rex, Sigismundus III. *quomodo Regnum Sueciæ hæreditarium amiſerit?* 4. *in Proteſtantes Livonos durus.* 35. *ei Sueciæ Regnum iterata vice abrogatur.* 94. *in expeditione Moſcovica felix.* 246. *Job. Sigismundo, Elect. Brandenburgico, Boruſſiam confert.* 274. *Moſcoviam Urbem diripit & comburit.* 303. *Inducias à Suecis petit & obtinet.* 332. *in Moſcovitas infeliciter movet.* 442. *à parricida ſauciatur.* 525. *obit.* 801. Uladislaus IV. *Moſcos feliciter debellat.* 824. *nuptias celebrat.* 916. *obit.* 1163.
Polonorum bellum contra Suecos. 26. 46. *contra Moſcovitas.* 219. 275. *eorum clades in Walachia.* 522. *diſcordia Suecis commoda.* 141. *Ordo Equeſtris, Melitenſi non abſimilis.* 179. *Victoria de Turcis reportata.* 848. *Pax inita cum Coſſaccis.* 1184.
Polyander, Johannes, vocationi Sim. Epiſcopii reluctatur. 291.
Pomelus, Gabriel, magnâ fiduciâ Papam R. ſtatuit AntiChriſtum. 92.
Pomerania in provinciæ Suecicæ formam redacta. 958.
Pomeraniæ Dux, Barnimus, *moritur.* 70. Bogislaus XIV. *Dux ultimus.* 391. *ejus nuptiæ. ib. obitus.* 916. Ulricus, *obit.* 575.
Pomeraniæ Ducis, Philippi, *ordinatio aulica ſatis pia.* 417. *virtutes & obitus.* 468.
Pomeraniæ Dux, lin. Wolgaſtenſis, Philippus Julius, *obit.* 648.
Ponitovskiæ, Chriſtinæ, viſiones & vaticinia. 727.
Portugallenſes novũ ſibi Regem conſtituunt. 980.
Portugallenſis Legatus, ut Regius, excipitur ab Urbano VIII. P. R. non ſine offenſione Hiſpanorũ. 1012.
Portugalliæ Rex, Johannes, quibus provinciis mature potitus? 1026. *eorum, quæ à Papa petit, nihil obtinet.* 1171. *ſq.*
Portugalliæ Rex perſonatus, Sebaſtianus, miſere perit. 27.

Poſna-

Paſnanienſis, Petri, Deciſiones Theol. Speculativæ & Practicæ ex mente Scoti. 731.
Poſnanienſium Papiſtarum violentia in Evangelicos. 35. 123.
Poſonii Templum Evangelicum conſecratur. 920.
Poſonium occupat Bethlemius Gabor. 495.
Potoſi mons, totus ferè argenteus. 1071.
Pozæ, Joh. Baptiſtæ, Jeſuitæ, libri à Papa damnati, tanquam hæreſibus infecti. 766.
Prætorius, Elias, quis? 1065.
Prævoſtii, Bartholomæi, Arminiani, ſtudia conciliatoria. 1154. ſq.
Praga ab Archiduce Leopoldo tentata. 273. bello tricennalli, cui initium dederat, finem quoque imponit. 1161.
Pragâ proſcribuntur Lutherani. 532.
Pragæ Templum Salvatoris Lutheranum inauguratur. 337.
Pragæ facta Miniſtrorum Cæſareorum defeneſtratio. 408. ſuſcepta Iconomachia Calviniana. 483.
Pragenſe Gymnaſium Jeſuitis ab Imp. Matthia conceſſum, & privilegiis Academicis dotatum. 399.
Pragenſe prælium. 507. ſq. 521.
Pragenſia Templa Evangelicorum. 554.
Pragenſis Academia Utraquiſtis reſtituta. 199. mater quaſi Academiæ Lipſienſis. 202.
Pragenſis Archiepiſcopi methodus Utraquiſtas premendi. 446. ſq.
Pragenſis Pacificatio. 853. 858. de ejus juſtitia judicium Theologicũ. 865. de ejus occaſione & ſucceſſu. 869. ſq.
Pregizeri, Joh. Ulrici, periculũ. 876.
Prin, Wilhelmus, ad aurium amputationem, quare condemnatus? 906. factus Parlamentarius, quid ſuſceperit? 1107.
Priſciani contemptor, Gabriel Bethlemius. 735. ſq.
Prudentius ad blaſphemias Marcionitarum. 568.
Pruſſia. v. Boruſſia.
Puccius, Franciſcus. 794. nova ejus progenies. 795.
Puteanus, Erycius, de Cometa An. 1618. viſo. 471. ejus Statera Belli & Pacis. 821.
Putſchius, Elias, Vir jam celebris, demum Depoſitionis ritum Lipſiæ ſubit. 27.

Q.

Quarquare Artabas, Georgianorum Princeps, in confeſſione fidei Chriſtianæ perſeverans. 5.
Quiſtorpius, Johannes. 1170.

R.

Rackoſiani. 124. 141. 153. 168.
Racovienſis Catechiſmus minor. 115. major. 187.
de Rada, Johannis, volumen de Controverſiis inter Thomam & Scotum. 519.
Radzivilius, Janus. 124. Chriſtophorus. 972.
Rainoldus, Johannes, confert cum

Joh. Piſcatore. 83. ejus Colloquium cum Harto Jeſuita. 109.
Raithius, Balthaſar, de Miraculo ſtramineo Garnettiano. 142. ſq.
Rakozius, Georgius I. Tranſſylvaniæ Princeps. 780. Hungariam ſuperiorem, ob ſacra Evangelicorum cohibita, invadit. 786. in Hungaria libertatem religionis purioris iterum armis vindicare audet. 1055.
Rakozius, Sigiſmundus, Tranſſylvaniæ Princeps evadit. 167. Principatum abdicat. 193.
Ramæus, Præfectus militum crudelis, capite plexus. 335.
Ramiſtica docendi ratio Wittebergâ proſcribitur. 66.
Ramportius, Jacobus, de Carmelitarum privilegio, quantum ad Purgatorium. 24.
Rathmanni, Hermanni, errores. 614. 684. 704.
Ratispona potitur Ferdinandus III. Auſtriacus. 847.
Ratisponæ Templum SS. Trinitatis ab Evangelicis extructum. 673.
Ratisponam tempeſtas horrenda affligit. 626.
Ratisponenſe Colloquium. 16.
Ratisponenſia Comitia. 68. 192. 331. 755. 980.
Rava à Turcis capta, & à Perſis recuperatâ intercedente memorabili prælio. 871.
Ravaillac, Franciſcus, Regicida. 245. quid eum ad ſcelus tantum permoverit? 246.
Rebullius, apoſtata, mirabili judicio Divino ſupplicium luit. 375.
Reginaldus, Guilielmus, edit Calvino-Turciſmum. 92.
Regiomontanæ Academiæ Jubilæum. 1053. turbæ, à Latermanno excitatæ. 1110.
Reichenbacenſis Prioratus Reformatio Evangelica. 29.
Reichenovianæ Abbatiæ opes. 1085.
Reihingii, Jacobi, Jeſuitæ, opera in retrahendo ad Papiſmum Ducatu Neoburgico. 366. Converſio memorabilis. 527 Retractationes. 528. teſtimonium de contemptu Scripturæ Jeſuitico. 595. obitus. 697.
Reuſnerus, Bartholomæus, de Jure Canonico. 501.
Rhetorfortis, Bradwardini veſtigia calcat. 458. 1181.
Riccii, Matthæi Jeſuitæ, Opus de Religione Chriſtiana, in aula Chinenſi editum. 67. autoritas in China. 232.
Richard, Georgius, Neopropheta. 1041. 1043.
Richelii, Cardinalis, Religio. 591. autoritas ſuprema. 626. conſilium de obſidenda Rupella. 682. Methodus diſputandi. 989. obitus. 1027. morituri obteſtatio maximè temeraria. 1029.
Richerius, Edmundus diſputationi de Papæ Superioritate ſupra Concilia reſiſtit. 265. ſeq. ejus parrheſia de Papæ Poteſtate Monarchica. 288. liber ejus de Superioritate Conci-

lii, quam ſortem expertus? 296. ſeq. ad palinodiam adactus. 721. quæ alias ſcripſerit. 745. obit. 84. Papæ paraſitis ut inviſus fuerit? 814.

Riga a' Suecis fruſtrà tentata. 46. 119. liberata. 219. expugnata. 522.

Rintelii fundata Schola Illuſtris. 281. aperta Academia. 526.

Rittbergenſis Comes, Johannes, Epiſcopum Paderbornenſem juvat, Evangelicorum perſecutorem. 74.

Rittershuſius, Cunradus. 335.

Rivetus, Andreas, de Bezæ Notis in N. T. 108. de Agobardi Tractatu, Picturas & Imagines concernente. 114. de Obedientia cœca Jeſuitica. 161. ejus Catholicus Orthodoxus. 216. de eo Tobias Wagnerus. ib. judicium de controverſia Amyraldina. 843. conteſtatur, ſe conatus Johan. Duræi Irenicos non juviſſe. 951.

Roales, Franciſcus, in Pozam, & Ordinem Jeſuitarum. 766.

Robinſon, Johannes, Bruniſtarum ſoboles, Independentum plaſtes. 484.

Röſtius, Petrus, Luthero-maſtyx. 451.

Roma Triumphans, ſpectaculo exhibita. 1073.

de Romæ excidio corporali vaticinia. 567. 841. Zachar. Hogelii liber. 1157.

de Roma Sanctitate teſtificantia Lupanaria. 261.

Romanus Canonicus, fit Imperator R. in coronatione. 506.

Roſeæ Crucis fratres innoteſcunt. 295. de fratribus iſtis. pl. 381. ſq. 423. 484. judicium Theol. Leid. 639.

Roſencreuzius, Chriſtianus, qualis? 381. ſq.

Roſtochienſes Theologi in cauſa Eccleſiarum Transſylvaniæ, à Calviniſmo tentatarum, ſincerum Reſponſum exhibent. 310.

Rosweidii, Eliberti, inſtitutum & promiſſum vaſtum, at vanum. 165. Diſſertatio de ſervanda hæreticis fide. 244. obitus. 722.

Rotenburgenſis Conventus Statuum ſuperioris Germaniæ Unitorū. 274.

Roterodamenſem Eccleſiam Lutheranam, quomodo turbarit Hieron. Hirnius. 614.

Rotomagenſe Colloquium. 460.

Rottſtock, Gabriel, crypto-Calvinianus, Eccleſiæ Gronbergenſi virus dogmatum ſuorum libro peculiari ſuggerere tentat. 396. excommunicatur. ib.

Rotwila, à Gallis cum eorum damno occupata, & mox à Cæſareis recepta. 1048.

Rubenius, Petrus Paulus, Pictor inſignis. 984.

Rudolphi II. Imp. Edictum in Piccardos. 38. Literæ Majeſtatis, pro libero ſacrorum exercitio, à Bohemis Utraquiſtis uſurpando. 198. ſq. Mortem ejus quæ omina præſagierint? 276. quàm piè ſe ad beatam emigrationem compoſuerit? ib. placidè obit. 301. quid in eo deſideratum? 302.

Run-

Rungius, David. 76.
de Rupe, Alani, familiaritas cum B. Virgine. 687.
Rupellenſis Synodus. 163. *Obſidio.* 682. 691. *ſubjugatio.* 702.
de Rupellenſi Obſidione Inſcriptio memorabilis. 713.
Rupifortius, Raymundus, Sanctis annumeratus. 8.
Rupiſulcandius, Franciſcus. 1083.
Ruſſia. v. Moſcovia.
Rußwormii, Chriſtophori, victoria memorabilis, de Turcis reportata. 26. *immane facinus, & ſupplicium.* 119.

S.

Sabaudiæ Ducis controverſia cum Bernenſibus. 303. *bellum cum Duce Mantuano.* 362. 390. 442. *pacificatio ſecuta.* 468.
Sabaudiæ Dux, Carolus Emanuel I., *Genevam per inſidias fruſtra tentat.* 46. *Waldenſes perſequitur.* 562. *obit.* 757. *quam tectus fuerit? ib.* Victor Amadeus *titulum Celſitudinis Regiæ requirit.* 824. *obit.* 916. Carolus Emanuel II. *tutelam controverſam ſubit.* 938. *Genuenſibus bellum infert.* 647.
Sabinus, Georgius, primus Academiæ Regiomontanæ Rector. 1053.
Saleſius, Franciſcus. 560.
Salianus, Jacobus, de Prælio Pragenſi. 507.
Salisburgenſis Archiepiſcopus, à Bavariæ Duce captus, dignitati ſuæ quomodo renunciarit? 256.
Salisburgenſis Archiepiſcopus, Marcus Sitticus, obit. 481.
Salisburgenſis Schola Benedictina privilegiis Academicis potitur. 427.
Salmanticenſis Academia. 77.
Salmenſis Comes, Philippus Otto, ad Principale faſtigium evectus. 598.
Salmurienſes Hypothetici à Synodo Dordracena ad communia Calvinianorum dogmata revocati. 910. *ſeq.*
Salmurienſia Comitia Hugonotarũ. 240.
de Samaritano Pentateucho, Hottingeri & Morini controverſia. 1068.
Samſonis, Johannis, Monachi Franciſcani, converſio. 1145.
Samojedia per Legatum ſuum egregie commendata. 1051.
Sanchezii, Thomæ, Diſp. impudicæ de Conjugio. 165.
Santarelli, Antonii, Tractatus de Poteſtate Summi Pontificis. 643. 656. *ſq. condemnatio, facta ob dolum in corrumpendis verbis Apoſtolicis.* 657.
Sarwerdam, cum annexis Lotharingia abſorbet. 731. *ſq.*
Saubertus, Johannes. 1102.
Saxo-Gothanus Dux, Erneſtus, *Biblia Vinarienſia adornari curat.* 965.
Saxones Daciæ, crudeliſſimum experiuntur Gabr. Bathorium, 309. *ſq. quomodo magnam partem facti ſint Calviniani?* 310.

Saxoniæ Diœceſibus aliquot Eccleſiaſticis illata vis Pontificia. 696.
Saxoniæ Dux Auguſtus *ad Adminiſtrationem Archiepiſcopatus Magdeburgenſis poſtulatur, Imp. Ferdinando II. contradicente.* 699. *Ferdinando III. approbante.* 919.
Saxoniæ Elector, Fridericus Bellicoſus, *Fundator Academiæ Lipſienſis.* 202. Fridericus Sapiens, *Fundator Academiæ Wittebergenſis.* 31. Johannes, *an ſub vitæ finem doctrinam Lutheranam damnarit?* 166. Mauritius, *qualis Licentiatus Bodino?* 439. Chriſtianus II. 2. *ejus Clementia erga exules Evangelicos Carinthios.* 50. & *Bohemos.* 369. *contra eum facta conſpiratio.* 69. *conceſſum ei Inveſtituræ diploma de Ducatibus Juliaci, Cliviæ & Montium.* 248. *obit.* 275. Joh. Georgius I. *conjugium init cum Sibylla Eliſabetha Würtenbergica.* 95. *Vicarium agit Imperii.* 302. *Coronam Bohemicam capere rennit.* 491. *ejus expeditio Luſatica.* 521. *ad Würtenbergiæ Ducem literas dat, controverſiam Theologorum Gieſſenſium ac Tubingenſium concernentes.* 569. *ab Imp. Ferdinando II. utramq; Luſatiam obtinet.* 598. *fœdus init cum Suecorum Rege G. Ad.* 779. *pro Sileſiis Evangelicis fruſtra intercedit apud Imp.* 853. *cum Imper. pacificationem Pragenſem init.* 853. *ad Duces Brunſvicenſes literas de Theologorum Helmſtadienſium neoteriſmis vitandis perſcribit.* 1180.
Saxoniæ Electorum zelus in vindicanda Confeſſione Auguſtana. 707.
Saxonicæ Eccleſiæ Status. 2. 32. 39.
Saxonici Electoratus Adminiſtrator, Fridericus Wilhelmus, *Provinciam à Calviniſmo repurgat.* 2. 3. *ejus mors & encomium.* 32.
Saxonicorum Theologorum Deciſio controverſiæ Gieſſenſes inter & Würtenbergicos agitatæ. 593. 617. *ſententia de erroribus Rathmanni.* 704. *judicium de conatibus Johann. Duræi Syncretiſticis.* 867. *Epiſtola Monitoria ad G. Calixtum & complices.* 1180.
Saynenſes lites. 99. 100. 880.
Saynenſis Comes Henricus. 99.
Scaligeri, Juſti Joſephi, judicium de Franc. Junio. 61. *de Bezæ Notis in N. Teſt.* 108. *obitus & elogium.* 222.
Scarpius, Johannes, refutat Joh. Piſcatoris errorem de Obedientia Chriſti activa. 61.
Sceriphii in Mauritania de Regno inter ſe contendunt. 304.
Schæferus, Michaël. 175.
Schæfferus, Zacharias. 983.
Scherer, Georgius, Jeſuita; jactata mortui reſuſcitatione nefariè luſurus, ſucceſſu turpiter deſtitutus. 91.
Scharfii, Johannis, certamen cum G. Calixto. 1181.

Schar-

Schargæ, Petri, Jeſuitæ, conſilium bellicum adverſus Lutheranos. 10. ejus expuitio in Lutheranos. ibid. conſ. p. 254.
Schaumburgicæ ditiones, Comitum familiâ extinctâ, variam diviſionem ſubeunt. 963.
Schaumburgicus Comes, Erneſtus, Fundator Scholæ Illuſtris & Academiæ Rintelenſis 281. titulo Principis & Comitis Holſatiæ abſtinere, à Chriſtiano IV. Daniæ Rege cogitur. 548. obit. 575.
Schenkianum propugnaculum Belgæ Fœd. maximo rerum ſuarum detrimento amittunt. 870.
Schikardus, Wilhelmus. 827. obit. 896.
Schillingius, Wenceslaus, notitiam Dei naturalem negat. 490.
Schilterus, Zacharias. 76.
Schlettſtadienſis Fraternitas Dominæ de Raidt. 399. ſq.
Schleupnerus, Chriſtophorus. 856. Dominicus. ib.
Schlichtingius, Jonas 89. ejus conatus in pingendo Socinismo. 1019.
Schlikius, Caſparus. 536. Joachimus Andreas, capite plexus. 536.
Schlüſſelburgii, Cunradi, epiſtola ad Chriſtoph. Pelargum. 338. 437. obitus. 450.
Schmidii, Eraſmi, pietas & induſtria ſingularis. 918.
Schmidii, Johannis, operâ utitur Colmaria, libertatem Religionis Evangelicæ recipiens, ægre ferentibus Baſileenſibus. 783. ſq.
Schmukius, Vincentius. 697.
Schochwicenſe Colloquium inter Albertum Grauerum & Wolfg. Amlingium. 90.
Schönberg, Ulricus, Magiſter Philoſophiæ cœcus. 714.
Schönbergenſem Eccleſiam in Moravia Diacono orthodoxo orbat Paſtor crypto-Calvinianus. 396.
Schönfeldius, Georgius. 99.
Schötterlinus, Wolfgangus, Conſul Argent. grandævus generationem quartam videt. 306.
Scholirius, Petrus, Satyricus. 874.
Schonerus, Valentinus 99. 291.
Schopperi ſen. Colloquium cum Caroli V. Confeſſionario admodum fructuoſum. 343.
Schorndorffenſis conflagratio. 851.
Schraderus, Johannes, de Imaginis Divinæ reliquiis diſceptat cum Jacobo Martini. 490.
Schröderus, Johannes. 530.
Schulkemii, Adolphi, Tractatus, manu carnificis combuſtus. 316.
Schuppii, Balthaſaris, apologus de cauſa peccati Deo imputata. 497.
Schurmannia, Anna Maria. 882. 1098.
Schwarzenburgii Comitis, Chriſtiani Güntheri, pietas. 1096. Ludovici Güntheri & Georgii Ludovici obitus. 1117.
Schwebelius, Henricus, Johannem I. Ducem Bipontinum ad Calviniſmum ſeducit. 84.
Scioppii, Gaſpari, Claſſicum Belli Sacri. 493. à Juſto Mejero refuta-

tatum. 595. de *ejus infamia, apoſtaſia, latebris &c.* 754. *ſq.*

Scoti Hierarchiam Anglicanam improbant. 59. 208. *ſubire adiguntur.* 264. 410. *iterum rejiciunt.* 934. *quare Liturgiam Anglicanam, etiam purgatam, admittere noluerint?* 928. *ſq. bello petuntur à Rege Carolo I.* 951. *cum exercitu ſatis ordinato in Angliam properant.* 971. *pacem juxta conditiones ab ipſis petitas obtinent.* 972.

Scotia turbatur per Epiſcopos. 291. *eos invita recipit.* 410. *iterum tollere parat.* 906. *deponit.* 934.

Scotia & Anglia Magnæ Britanniæ nomine concreſcunt. 69.

Scotiæ Clerici Pontificii omnes proſcribuntur. 82.

in Scotiam Rex Jacobus ceremonias Eccleſiæ Anglicanæ, & Epiſcopos, introducere tentat. 131.

Scoticæ Eccleſiæ qua ratione ſortem Anglicanis meliorem ſervarint? 1039.

Scotorum conjuratio. 928.

Scotorum & Anglorum diſſidium ob ceremonias quaſdam Eccleſiaſticas. 457.

Scotus B, Virginem immaculatè conceptam aſſerit. 400.

Scotus, Reinhaldus, Magiam nullam eſſe, nullasque Sagas dari, contendit. 212.

Scribanii, Caroli, Carmina Mariolatrica. 114.

Scultetus, Abrahamus, Joh. Piſcatoris errori favet. 61. *fraternitatem Lutheranis diu offerens, quid reſponſi a Theologis Tubingenſibus retulerit?* 403. *Lutheranos, velint nolint, Fratres habere vult.* 430. *immodicum Syncretiſmi ineundi ſtudium ad Pontificios quoque extendit.* 509. *ejus conatus in præſcribenda Palatinatui nova doctrinæ formula.* 58. *conſilium de Scriptis Polemicis in Senatu Eccleſiaſtico Heidelbergenſi propoſitum.* 180. *ſq. Iconoclaſia.* 483. *obitus.* 613.

Scultetus, Bartholomæus. 365.

Sebaſtianus, Ambroſius. 15.

Sebaſtianus, Portugalliæ Rex perſonatus, miſerè perit. 27.

Sedanenſis Pr. Henricus, quomodo Principatu ſuo exutus? 1003.

Sedani, Academiam erigere Jeſuitæ fruſtrà conantur. 127.

Seidelius, Martinus, Semi-Judaiſmi incruſtator. 89. 434. *ſq.*

Sempronienſium Evangelicorum dura conditio. 853.

ad Sendomirienſem conventionem Lutherani in Polonia non adſtricti. 861.

Senonenſis Synodus. 296. *ſq.*

Serrani, Matthæi, vox temeraria. 94.

Serveſtano Gymnaſio præficitur M. F. Wendelinus. 291.

Sevilienſium Illuminatorum ſecta in Hiſp. 590. *Molinoſio præluſiſſe dicitur. ib.*

Siamenſis Rex, quomodo riſum temera-

rarium in concubinis ultus? 524. *Aracanam obſidionem fruſtra ſuſcipit.* 894.
Siamici *Reges amicitiam ſuam offerunt Hollandis.* 219.
Siberi *prognoſticon de diſcipulo Nic.* Crellio. 26.
de Sibyllinis *Carminibus.* 165.
de Sicilia *Baronius in damnum ſuum commentatus.* 103. 154. 228. *controverſia de ea inter Papam & Regem Hiſpaniæ.* 229.
Sidan, *Rex Marocci. v. Marocci Rex.*
Siega, *aliquantiſper Papæa, Calviniſmum recipit.* 1083.
Sigeberti *Chronicon ab Aub. Miræo corruptum.* 328. *ſeq.*
Sigwartus, *Joh. Georgius, de Elencho nominali &c.* 206. *Irenicum Parei confutat.* 359. *ab eo iniquè exagitatur.* 411. *ſq. obit.* 449.
Sileſia *proſcribuntur Jeſuitæ.* 477.
in Sileſia *Calviniſmus paſſim ſe diffundit.* 14. *Proteſtantes durum experiuntur Epiſcopum Uratiſlavienſem.* 375. 421. *Evangelici malè paſſim habentur.* 449. *perſecutionem patiuntur.* 696. 700. 853. 924.
Sileſii *quomodo imperium Ferdinandi II. deprecati?* 476. *quomodo eidem juramentum fidelitatis præſtiterint?* 529.
Sileſiis *libertas exercendæ religionis Evangelicæ conceſſa.* 155.
Silhonis *opinio de infantibus abſque baptiſmo decedentibus.* 662.
Sinaiticum *Monaſterium S. Catharinæ.* 1168. *ſq.*
Sinenſia. *v.* Chinenſia.
Siſſeci *fluvius vertitur in ſanguinem.* 471.
Sixti *V. Papæ R. emendatio Verſionis Bibl. Vulgatæ à Clemente VIII. revocata.* 7. 138. 240. *ſeq.*
Slatii, *Henrici, & ſociorum conſpiratio detecta & vindicata.* 601.
Sluſa, *Hiſpanis erepta à Fœd. Belgis, Oſtendæ jacturam compenſat.* 94.
Smalcaldica *ditio à Calviniſmo tentata.* 106. *Lutheranam Religionem liberius iterum exercet.* 673. *ſq.*
Smalzius, *Valentinus.* 89. *eo accurante prodit Catechiſmus Racovienſis minor.* 115. *& major, quem Academiæ Wittebergenſi inſcribit.* 187. *Socinismum ſummo ſtudio propagare laborat.* 296.
Smetius, *Henricus.* 365.
Smolenski *obſidio.* 219. 246. *expugnatio.* 275. *repetitio inſolens.* 780.
Smutius, *Adrianus.* 661.
Socinus, *Fauſtus.* 88. *ejus dogmata. ib. ſeq. diſcipuli.* 89. *libellus, quo ad ſuum cœtum invitat Evangelicos.* 269.
Solymanni *Turcici juramentum.* 63.
Sommerſetiæ *damna ex inundatione.* 170.
Sommerus, *Johannes.* 89.
Sophiæ *Templum Conſtantinopolitanum.* 1033.
Soræ *in* Seelandia *aperitur Academia.* 579.

Span-

Spangenbergius, Cyriacus. 76.
Spanhemius, Fridericus, antihypotheticus. 516. 843. conteſtatur, ſe conatus Joh. Duræi irenicos non juviſſe. 951. obit. 1175.
Sparrius Caſtrum HobenTwiel fruſtranea obſidione tentat. 1003.
de Spina, Petrus. 565. Johannes. ib.
Spinolæ expeditiones contra Evangelicos Aquisgranenſes, Mülhemenſes, & Veſalienſes. 336. 362. in Palatinatu. 521. reditus in Belgium Regium. 546.
Spondanus, Henricus, apoſtata. 66. obit. 1037.
Stadenſem Eccleſiam turbat Miniſter crypto-Calvinianus. 877.
Stadlerus, Rudolphus, quàm dolendum fatum ſubierit ap. Perſas. 917.
Staffordus, Thomas, Hyberniæ Pro-Rex, capite plexus. 992.
Staffortenſis Liber. 13. ejus refutatio Saxonica & Würtenbergica. 44.
Stalii, Henrici, opera in emendando Statu Eccleſiæ Livonicæ, 898.
Stegmannus, Joſua. 741.
Steinizii Præpoſitus, Jacobus, in Evangelicos injurius. 139.
Stetinenſes Conſules Collegæ tres, inſigniter longævi. 250. ſq.
Stevartus, Adamus, ab Eccleſia Sedanenſi ſolenniter excommunicatus. 746. ejus Abſurda. 750.
Stichius, Joachimus, quomodo Geſnero S. Cœnam adminiſtrarit. 102.
Stifelius, Eſaias, Fanaticus. 87. 589. 664.
Stiria Evangelio orbatur. 3. 8. eâ ejecti Evangelici quomodo à Friderico Duce Würtenb. excepti? (30.
Stiriæ calamitas. 101.
Stralesunda à Wallenſteinio fruſtra obſeſſa. 711. fœdus init cum Sueciæ Rege G. A. ib. Bacchanalia celebrari permittens, quàm horrendam tempeſtatem experta? 1165.
Stralesundenſis Conſulis reſponſio ad Wallenſteinii minas arguta. 713.
Straßbergæ, ut ſingularis DEI favor libertatem exercendæ Religionis Evangelicæ ſervarit? 760.
Stridonius, Martinus, vates de imminente Imperii Turcici excidio vanus. 1174.
Strigelius, Victorinus. 34. de ejus obitu memorabili. 49.
Strigonium à Turcis occupatum. 119.
Sturmius, Caſparus. 99.
Sturmius, Johannes, Rector Argentinenſis Calvinianus. 226. 526.
Suarez, Franciſcus, declarationem Clementis VIII. de confeſſione abſentis per literas, non admittenda, eludit. 33. ſententia ejus de Prædeſtinatione & Gratia Converſionis. 138. de Principe non-Pontificio per ipſos ſubditos perimendo. 345.
Suavis, Petri, Hiſtoria Concil. Trid. cujus auſpiciis Latinè reddita? 404.
de Succa, Maria, Linguam Latinam intra ſemeſtre addiſcit. 672.
Sueci Danum inopino bello petunt. 1070 per ſtratagema Chriſtianopolin occupant. 274. eorum commo-

modum ex diſcordia Polonorum. 141. pax cum Danis. 331. 1094. fœdus cum hiſce. 442. quid in Germania per Pacificationem Oſnabrugenſem reportarint? 1183.

Suecia, quomodo facta Lutherana, taliſque perſtiterit? 4. 674. à Calviniſmo tentata. 157.

in Suecia quid reſponſum Joh. Duræo, Syncretiſmi proco? 905. 933. ſq.

Sueciæ Corona, quomodo devoluta ad Domum Bipontinam? 363.

Sueciæ Princeps Hæreditaria, Chriſtina 94. Princeps Hæreditarius, Carolus Guſtavus, Bipontinus. 1184.

Sueciæ Regis, Guſtavi, diſpoſitio Teſtamentaria de Religione. 157.

Sueciæ Regno Carolus, Sudermaniæ Dux, quomodo potitus? 4. quomodo illud eidem confirmatum, & Sigiſmundo Polono iterata vice abrogatum? 94.

Sueciæ Rex, Johannes III. fidem orthodoxam profeſſus. 4. Carolus IX. Rigam fruſtra obſidet. 119. coronatur. 168. bello petitur à Chriſtiano IV. Daniæ Rege. 246. obit. 275. Guſtavus Adolphus regimen auſpicatur. 255. bellum gerit cum Czario Moſcovico. 262. pacem cum eo pangit. 311. Rigam expugnat. 522. nuptias celebrat cum Maria Eleonora Brandenburgica. ib. tutelam & opem offert exulibus Evangelicis è Germania. 697. Dantiſco fruſtrà tentato fœdus init cum Straleſunda. 711. movet in Germaniam 7 6. fœdus cum Gallo ſancit. 778. & cum Saxone. 779. ejus curæ religioſæ. 255. 604. expeditiones in Boruſſia. 646. 669. præcipue in reliqua Germania. 779. 800. ſq. mors victorioſa 802. quid poſt Deum ei debeatur? 807.

Sueciam ad communionem Papatûs reducere conatur Poſſevinus. 260.

Sueci exercitus fortuna & progreſſus in Germania. 825. 915.

Suecici Regni adminiſtratio, quomodo adornata poſt fata Guſtavi Adolphi? 824.

Suecorum 6000. Novogardiam 10000. Ruſſorum præſidio munitam, aperto Marte expugnant. 277. ſq.

Suecos adoriuntur Poloni. 219.

Sueigenſis Fons ſalutaris. 71. ſq.

Suevicæ mulieris polytokia ſimultanea. 71.

Suffrenus, Jacobus. 991.

Suicerus, Joh. Caſparus, inclareſcit. 1038.

Sulzbacenſem ditionem Palatino-Neoburgicam Papiſmus tentat. 366. occupat. 1054.

Sulzbacenſis Princeps, Auguſtus, obit. 786. ejus & filiorum fata. ib.

Surdiſius, Cardinalis, excommunicationem temerariam revocare cogitur. 25. patibuli reum violenter liberat, unde nova ei cum Senatu Burdigalenſi controverſia. 40[illegible]. ſq.

Sutlivius. 92.

Sylva Ducis a Pr. Auriaco expugnata. 732.

Syrorum Chriſtianorum libri Sacri ab Erpenio editi. 645.

T.

Tampierii expeditio in Bohemos. 473. votum. 479. expeditio in Moravos. 494. caſus extremus. 521.

Tanneri, Jeſuitæ, ſententia de Prædeſtinatione & Gratia Converſionis. 138. de Gratia efficaci. 315. de Papæ autoritate & eminentia. 656.

Tarnovius, Paulus. 811. Johannes. 812.

Tartari Niuchenſes, quomodo Imperio Chinenſi potiti? 416. 523. 757. 1096.

Tartari Podoliam vaſtant. 332. cladem à Polonis accipiunt, Turcis verò inſtigunt. 624. à Polonis iterum profligantur. 733. 848.

Tartariæ Niuchenſis Rex, Thienzungus. 892. Zungthew. 894.

Tartaricæ puellæ duæ, Gottorpii baptizatæ. 1009.

Tartaricorum ſacrorum Antiſtes à Tartarorum ac Sinenſium Rege homagium poſtulat. 1186.

Tartaricum bellum de ſucceſſione Regia. 247. ſq.

Tarugius, Franciſcus Maria. 180.

Taubmannus, Fridericus, de Patrum ſcriptis, per Pontificios corruptis. 139. obit. 278.

Taufrerus, Johannes. 423. Theologiæ jam Profeſſor, Lauream Philoſophorum primam & ſecundam ſuſcipit. ib. & 525.

Taurinus, Johannes, Rector Scholæ Oringanæ ſemiſecularis. 918.

Tauriſium Turcis ereptum a Perſis. 95.

Tayko, miles gregarius, Japoniæ Imperium mira celeritate occupat. 27.

Taylorii, Jeremiæ, dogmata de poteſtate Epiſcoporum, Regi Angliæ Carolo I. ſuggeſta. 1129.

Terra Concordiæ inventa. 471.

Teſchinenſis in Sileſia Dux, Adamus Wenceslaus. 469. Fridericus Wilhelmus, Lineæ ultimus. ib.

Teſtardus, Paulus, Hypotheticus. 292. 910.

Teſtafort, Johannes. 665.

Tettelbachius obit. 1055.

Texeda, Fernandus, de lectione S. Scripturæ Pontificiis prohibita. 622.

Thanfeldia, Eliſabetha, erudita. 963.

Tholoſæ comburitur Jul. Cæſ. Vaninus. 486.

Thomas Aquinas B. Virginem immaculatè conceptam negat. 400. quanti æſtimatus à Papa Paulo V. 532.

Thorunii Jeſuitæ Scholam ac Templum affectant. 123. ibidem habita Synodus, inſtitutum item Colloquium Charitativum. 123. 934. 1089.

Thuanus, Jac. Auguſtus, quando obierit? 278. 445. Jeſuitas vehementer offendit. 445. à Job. Baptiſta Gallo calumniis oneratur, a Curia Pariſienſi defenditur. 1001.

Thum-

Thummius, Theodorus, contra Scultetum Iconoclaſten. 483. *de Jubilæis Romanis.* 631. *cuſtodiam ſubiit.* 696. *ſeq. qua de cauſa?* 740. *ejus peritia diſputandi ſingularis, & obitus. ib. ei facta in Theſauro Beſoldi Practico (edit. II. & III.) injuria.* 868.

Thuringiaca fames. 1005.

Thuringiacum diluvium. 333.

cum Tiberii facto collata Prædeſtinatio abſoluta. 358. 385. *ſq.*

Tieffenbachio, Rudolpho, quomodo de acceſſu ad Pontificios Ferdinandus II. Imp. gratulatus? 914.

Tilenus, Daniel, Jacobum Arminium refutat. 292. *refutationem retractat.* 293. *ejus collatio cum Job. Camerone.* 516.

Tillii expeditiones. 572. *ſq.* 668. 710. 778. *ſeq.* 646. *fatum ſupremum.* 800.

Toletus, Franciſcus, primus è Jeſuitis in Collegium Cardinalium cooptatus. 7.

Torrentius, ex Epicuri grege porcus. 1178.

Torſtenſohnii expeditiones. 1024. 1048. 1070. 1071. 1094.

Tortus, Matthæus, Jeſuitarum Apologeta. 328.

Toſſanus, Daniel 39 *ejus votum de Miniſtris Eccl. Lutheranis.* 457.

Toſſanus, Paulus, Biblia e Lutheri verſione Germanica edit, Gloſſis Calvinianis ubique contaminata. 438. *Lutheranis admodum infenſus.* 457.

Trajectum. v. Ultrajectum.

in Tranſſylvania Calviniſmus ſe diffundit. 15. 319.

Tranſſylvaniæ Princeps, Sigiſmundus Battorius, Bohemiæ Ordinibus ex voto annumeratur. 94. *Sigiſmundus Rakozius.* 167. *Gabriel Battorius.* 193. *quàm crudelem Tyrannidem exercuerit?* 309. *v. plura ſub v. Rakozius; Battorius; Bethlemius.*

Trautmansdorffius, Maximilianus, quomodo Imperatoris nomine Pacis Oſnabrugenſis negotium tractarit? 1072.

Trebnizenſis Abbatiſſa Lutheranis accedit. 224. *quare?* 225. *ejus petitum. ib.*

Trelcatius, Lucas. 159.

Tremellii, Immanuelis, & Franc. Junii Verſio V. T. Latina. 39. *ſq.*

Trevirenſis Elector, Lotharius. 586.

Trevirenſis Elector, Philippus Chriſtophorus, Galli patrocinio ſe ſubmittit. 800. *captivus abducitur.* 870. *liber dimiſſus, gravis diſſidii autor.* 1081.

Trevirenſis Elector contra Wilhelmum, Comitem Witgenſteinenſem. 100.

Trevirenſis Electoris controverſia cum Abbate S. Maximini. 743. *ſq.*

Treviris nocturno aſtu capta. 870.

Tridentini Concilii promulgatio in Gallia fruſtra urgetur. 127. 372. *ſq.* *de Tridentino Concilio Andreas Dudithius.* 183. *Henricus II. & Carolus IX. Galliæ Reges.* 373.

Tridentinum Concilium, quare à Proteſtantibus rejiciatur? 373. *aſtutè Synodis miſcetur. ib.*

Triglandius, Jacobus, Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ decreto Supralapſariis adverſo ſeſe opponit. 350.

Trium Regum figura repræſentati Luynæus ac duo ejus fratres. 436.

Trompii, Martini, victoriæ navales. 959.

Troppavia Sileſiæ à militibus Pontificiis contra datam fidem igne deleta. 150.

Troſtius, Martinus, Novum Teſtamentum Syriacum edit. 543.

Trovilluvius cornutus. 49.

Truchſeſſii Comitis, Gebhardi, ArchiEpiſcopi Colonienſis fata. 11.

Tubingæ Collegium Illuſtre, omine pacifero, iterum aperitur. 1145.

Tubingenſe Collegium Philoſophicum de fundamentis trivialibus non ſolide poſitis. 466.

Tubingenſes inter & Heidelbergenſes Theologos reciprocata ſcripta. 113.

Tubingenſes Theologi, quid reſponderint Sculteto de fraternitate Lutheranorum & Calvinianorum? 403. *quomodo concertationi de Omnipræſentia & Operatione exinaniti Chriſti Hominis implicati?* 490. *ſq.*

Tubingenſis Academia propter peſtem ſecedit Calvam. 342. *Pennaliſmum & monomachias proſcribit.* 1135.

Tubingenſis Comes, Cunradus Wilhelmus, familiam terminat. 760.

Tubingenſium commercium religioſum cum Patriarcha Conſtantinopolitano. 281 *ſq. qua intentione ſuſceptum?* 285.

Tunetana Academia Muhammedanorum. 301.

Turcæ magni faciunt Scripturam S. 62. *de Chriſto, quid ſentiant? ib.* Strigonium occupant. 119. *ab Hiſpanis contra Venetos, quo fine excitati?* 126. *Hungariam vexant.* 303. *incendiarios mittunt in Germaniam.* 306. *Polonos memorabili clade fundunt.* 522.

Turcarum clades. 247. 416. 548. 848. 871. 1184. *omninò memorabilis.* 26. *eorum potentia, unde creverit?* 247.

Turcarum & Perſarum ſchiſma. 913.

Turcarum Sultanum, quid ad pacem cum Chriſtianis ineundam permoverit? 69.

Turcarum Sultanus Muhammedes III. *in uxorem & primogenitum crudelis.* 70. Achmetes I. 95. *inducias vicennales cum Imp. Matthia renovat.* 390. *ſq.* Oſmannus II. 416. *pacem à Polonis petit.* 548. *miſerè perimitur.* 574. Amurathes IV. *crapulâ ſuffocatur.* 981. Ibrahimus I. *quibus Pacis bellique negotiis regimen auſpicatus?* 1004. *bellum contra Venetos gerit, & Caneam ſubigit.* 1095. 1116. *ſtrangulatur.* 1163.

Turcarum Sultani Amurathis IV. frater Pontificius. 837.

Tur-

Turcia intra XVI. menſes tres Sultanos videt. 599.
de Turcici Regni ruina prædictio Cornelii à Lapide. 772. *Martini Stridonii.* 1174.
Turenius ab equitibus Vinarienſibus veteranis deſeritur. 1138. *ejus clades & victoria.* 1095.
Turrenſis Comes in Auſtriam movet. 473. *Viennam terret.* 494. *Bohemiam repetit. ib.*
Turſo, Georgius, Hungariæ Palatinus. 223.
prope Tuttlingam Galli à Cæſareis obruti. 1048. *conf. p.* 1070.

U. V.

Ucondonus, Juſtus, Regiæ dignitatis proſelytus Japonicus. 347.
Ultrajecti Academia aperitur. 882.
Ultrajectinæ machinationes periculoſæ. 456. *repreſſæ. ib.*
Ultrajectinorum curæ de Religionis Calvinianæ dominio. 1130.
Ultrajectinus Canon Eccleſiaſticus de Prædeſtinatione, Arminianis acceptus. 289. *ſq.*
Ungersdorffii Gratulatio de A.C. ad Status Auſtriæ Evangelicos. 266.
Ungnadii, Davidis, zelus in promovenda Religione Evangelica. 5.
Upſalienſis Academia Regi Guſtavo Adolpho curæ eſt ſtatim ſub auſpicia ſuſcepti Regiminis. 255.
Uratislaviæ feneſtris illatum grandine damnum quanti æſtimatum. 1098.
Uratislaviam incendiarii quinquies fruſtrà tentant. 306.
Uratislavienſis Epiſcopus, Carolus Auſtriacus, in Anti-Papanos durus. 395. 421. *obit.* 480.
Uratislavienſis Tumultus. 173.
Urbanus VIII. Papa, aliàs eruditus, Theologiæ autem rudis, quomodo electus? 584. *ut effuſè ſit lætatus de ſubjugatione Rupellæ.* 703. *potentiæ Hiſpanæ & Auſtriacæ perquam infenſus.* 766. *ſeq. exterius pacificus, animo nil niſi bella volutat.* 902. *literæ ejus ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, Cyrillum Contarinum, perſcriptæ.* 945. *ſq. Amneſtiam, Ratiſponæ concluſam, arietat.* 985. *Hyberniæ Regnum affectat.* 990.
Urbini Ducatus ad Patrimonium Petri accedit. 658.
Urbini Dux, Franciſcus Maria, de Principe, quòd fidem ſervare non teneatur. 81.
Urciani, Andreæ, diſceptatio cum Jacobo Hakero de Cauſa Prædeſtinationis. 463.
Urielis, Ebræi, querela de Judæorum libertate inter Chriſtianos. 978. *ejuſdem vita & fata. ib. ſq.*
Urſinus, Nicolaus, crypto-Calvinianus. 395.
Urſinus, Zacharias, obedientiam Chriſti activam Juſtificatione excludit. 61. *ejus vox de termino* Præſentiæ *in negotio S. Cœnæ.* 58.
Urſulinarum Congregatio. 947.
Uſſelingius, Johannes autor Navigationum Hollandicarum in Indiam Occidentalem. 194.

Uſſerii. Jacobi, prædictio de Laniena Hyberna. 990.

Utenbogardus, Johannes, Jac. Arminii patronus. 61. *Collationi Hagienſi intereſt.* 262. *de Socinianiſmo ſuſpectus.* 270. *Tolerantiæ in ditione Ultrajectina adoptatæ pararius.* 290. *ejus Collatio cum Feſto Hommio.* 319. *ei ſcribit Patriarcha Alexandrinus, Cyrillus Lucaris.* 329. *decretum Ordinum Hollandiæ & Weſtfriſiæ, Supralapſariis adverſum, vindicat.* 350. *Belgium turbat.* 431.

Vaëkii, Alardi, conatus irenicus. 1065.

Veræi, Cancellarii Gallicani, æquanimitas. 417.

Valeriani Magni conatus convincendi hæreticos de veritate Eccleſiæ Rom. 753. *confutatus à Jac. Martini.* 796. *cur is in adipiſcenda dignitate Cardinalitia à Jeſuitis impeditus?* 766.

Valeſia Margareta. v. Margareta.

de Valle Telina lis inter Hiſpanum, Gallum, & Papam R. 624.

Valliſii Helveti paratum a Pontificiis periculum ingens declinant 60.

Vallonum nefaria petulantia. 520.

Valtelinorum perſecutio atrociſſima. 512. 524.

Vaninus, Jul. Cæſar, atheus. 383. 459. *comburitur.* 486. *de ejus bufone.* 487.

Vapingenſis Synodus. 60. 65. *de errore Joh. Piſcatoris.* 61. 83.

Varadinenſis Terræ motus. 71.

Varenius, Auguſtus. 943. *ſq.*

Vargaſii, Alphonſi, Relatio de Stratagematis Jeſuitarum politicis. 1023. *ſq.*

Vechierus, Hieronymus, de excidio Romæ. 567.

Vedelius, Nicolaus, Arminianorum antagoniſta. 776. *ejus diſputatio de Epiſcopatu Conſtantini M.* 927. *lib. de DEO Synagogæ.* 975.

Vejelius, Elias, Poſſevini & Allatii impoſturas detegit. 260.

Velſerorum genus illuſtre, & à Beliſariis derivatum. 365.

Velſerus, Marcus. 365.

Venatoris. Adolphi, Arminiani, Theologia. 439.

Veneti à Paulo V. P. R. laceſſiti, quomodo ſe geſſerint? 104. *ſeq.* 125. *ſeq. conſpirationem ſtupendam feliciter evitant.* 467. *leniſſimi in autorem. ib. Jeſuitas etiam ad petitionem Ludovici XIII. Galliæ Regis recipere renuunt.* 560. *victoriam navalem de Turcis reportant inſignem.* 1184.

Venetorum bellum cum Ferdinando Auſtriaco. 390. 442. *inſecuta pacificatio.* 468. *bellum cum Turcis.* 1095. 1116.

Venetorum Patriarcha Romam ad examen fruſtra à Paulo V. poſtulatus. 178.

Veronii, Franciſci, methodus diſputandi nova. 642. *à Walenburgiis interpolata.* 1093. *Colloquium cum Sam. Bocharto.* 706.

Verulamius de Amore. 171. *de Atheiſ.* 592.
Veſalia quid ratione cultus Evangelici, & alias, ab Hiſpanis paſſa? 337. *quomodo exercitio Religionis purioris publico orbata?* 692. *ab An iaco occupata.* 732.
Vetteri, Cunradi, gloriatio de victoria Jeſuitica, Durlaci reportata. 358.
Vezeſianum Colloquium. 461.
Viennam Auſtriæ terret Comes Turrenſis. 494. *Bethlemius Gabor.* 495.
Viennenſe Jubilæum. 507.
Vierra lanus Comitatus ad Electoratum Brandenburgicum devolutus. 218.
Vieta, Franciſcus, Mathematicus inſignis. 72.
Vietor, Jeremias. 202.
Villalpandus, Johannes Baptiſta. 180.
Vilnenſis conflagratio. 250.
Vinarienſe diluvium. 333.
Vinarienſis Ducis, Bernhardi, expeditiones. 847. *ſq.* 870. 892. 915. 936. *mors repentina.* 959.
Virginia à Chriſtianis Europeis habitari incipit. 194 *eâ ut Angli cedant, poſtulat Philippus III. Hiſpaniæ Rex.* 304. *in illâ cœtum erigunt Independentes.* 864. *& Fides Chriſtiana propagatur cum inſigni ſucceſſu.* 1175.
Virginianæ Regionis & Religionis deſcriptio. 1042.
Virginianorum conſpiratio contra Chriſtianos Anglos. 612.
Vitelleſcus, Mutius. 1082.
Vives, Ludovicus, de Venturorum Prædictionibus. 1042.
Vivis, Alphonſi, Ducis Hiſpani, cum Schoppero, Concionatore Evangelico Biberacenſi, converſatio. 343.
Voëtius, Gisbertus, Baptiſmi efficaciam in regeneratione producenda impugnat. 730. *theſes ejus de objecto Prædeſtinationis refutat Sam. Mareſius.* 1180.
Volkelius, Johannes. 89.
Vorſtius, Cunradus, Jacobi Arminii ſucceſſor deſignatus. 211. *de eo Jacobus I. Angliæ Rex, atq; Theologi Heidelbergenſes. ib. ejus errores.* 212. *contra ejus vocationem Lugdunenſem nituntur Gomariſtæ.* 362. *ejus apologia.* 263. *diſceptatio cum Feſto Hommio. ib. Leida Goudam transfertur. ib. à Socinianis Racoviam vocatur.* 270.
Voyſinus, de B. Virgine liberè locutus, a Surſeenſibus ultimo ſupplicio afficitur. 177.

W.

Wagneri, Georgii, Conſulis Eßlingenſis, peritia Theologica. 897.
Wagnerus, Tobias, de Chamieri & Andr. Riveti ſcriptis. 216. *Motiva Beſoldiana confutat.* 868. *de Chriſtiano Hochburgio.* 1065. *qualem ei Retorſionem Abbates aliquot Pontificii per Notarium inſinuarint?* 1074.

Waib-

Waiblingenſis conflagratio. 851.
Walachiæ Præſides non niſi Chriſtiani. 548.
Walachiæ Principis, Gratiani, fata. 522.
Walachiæ Principis Hieronymi vidua Domui Auſtriacæ fida. 103.
Waldenſes perſecutionem incurrunt. 792.
Walenburgiorum Fratrum Methodus Nova Auguſtiniana. 1093.
Wallenſteinius Monachum, Legati Cæſarei munere fungentem, admittere non vult. 1149. *ejus apoſtaſia* 846. *expeditiones.* 646. 668. 669. *ſq.* 801. 825. *conatus marini.* 710. *ſævitia in ſuos milites.* 824. *ſeq. fortuna ſecunda.* 710. *impedita.* 711. *proſtrata.* 847.
Wallersdorffianum incendium. 1118.
Waltherus, Michaël, de Reformatorum nomine, quod Calviniani ſibi vendicant. 328. *de Bibliis Vinarienſibus.* 965. 976.
Warnerus, Fridericus, Calviniſmo in Sileſia invaleſcenti neceſſariam admonitionem opponit. 318.
Warneri, Johannis, Viſiones. 726. 888. 930.
Watſoni machinæ clandeſtinæ in Regem Angliæ Jacobum I. 105.
Webbei, Anabaptiſtæ, blaſphemiæ de S. Scriptura. 1087.
Wegelini, Thomæ, Colloquium cum Gonterio, Jeſuita. 325.
Wejeri, Matthiæ, paradoxa à Mercurii Triſmegiſti commentis non aliena. 819.
Weigelius Valentinus. 40. 271. *ejus dogmata cum aliis fanaticis communia.* 293. *peculiaria.* 294. *confutatur ab Hyrabeccio.* 1112.
Weiſſenburgenſibus quæſtio Status movetur cum exercendæ Religionis Evangelicæ periculo. 1121.
Weiſſenſteinum Livoniæ Suecis cedit. 168.
Weiſius, Johannes, Fanaticus. 841.
Wickewaltesii abſurdum de ſalute proditoris Judæ. 909. *ſecta ejus, in Friſia Occident. ſerpens latius.* 1042.
Wellingius, Henricus. 525.
Welſerus. v. Velſerus.
Wendelinus, Marcus Fridericus, Gymnaſio Serveſtano præficitur. 291. *Gratiam DEI univerſalem ex Jul. Cæſ. Vanino oppugnat.* 384. *Theologiam ſuam Chriſtianam edit.* 846.
Werthemium Epiſcopus Würzburgenſis Comitibus Leonſteiniis eripere fruſtra tentat. 140. *ſq.*
Weſener, Gebhardus, Chiliaſta. 514.
Weſtfriſia. v. Friſia Occid.
Wezlariæ Ludovicus, Haſſiæ Landgravius, jus ſuum armata manu aſſerit. 331.
Wichordus, Liborius, Conſul Paderbornenſis Evangelicus, Martyr. 74.
Wiclefus, Puritanis annumeratus. 244.
Widerholdius Caſtrum HohenTwiel fortiſſimè defendit. 1003.

Wid-

Widmanſtadii, Joh. Alberti, operâ Novum Teſtamentum Syriacum primitus prodit. 543.
Wiedana Comitiſſa, Juliana Erneſtina, ex Calviniana fit Pontificia. 1129.
Wigandi, Johannis, obſervatio de periodis lucis Evangelicæ. 1. 2.
Wildbadianum incendium. 1118.
Wimpenenſe prælium. 572.
Windeccii, Joh. Pauli, deliberatio & prognoſticon contra Lutheranos, 67. 977.
Winenda, magnorum Theologorum Patria. 787.
Winkelmannus, Johannes. 99. *Balthaſ. Menzero, præſentiam DEI & Chriſti per operationem definienti, ſe opponit.* 411. 436. *obit.* 653.
Würtenbergiæ Ducatus, in priſtinum habitum reducitur. 25. *qua occaſione Reformationem orthodoxam ſubierit?* 852. *tentatur ab Anabaptiſmo.* 161. *ſq. affligitur lue peſtifera.* 250. *in ejus Bona Eccleſiaſtica Monachi & Moniales gregatim involant.* 739. *inde iterum emigrant.* 760. *in quantas calamitates poſt prælium Nördlingenſe inciderit?* 847. *quot hominum intra ſeptennium varia internecione in eo ab ſumpti?* 1005.
Würtenbergiæ Dux, Fridericus, *blandis pollicitationibus à Papa R. fruſtra tentatus.* 2. *quomodo Jubilæo Romano interfuerit?* 8. *ejus clementia erga exules Stirios.* 30. *& mandatum de Anabaptiſtis.* 162. *in Ordinem Equitum Periſcelidis cooptatur.* 71. *obit.* 195. *ut impudenter Calviniſmus ei affictus?* ib. Johan. Fridericus, *nuptias celebrat.* 221. *ejus clementia erga Metrophanem Critopulum, Græcum.* 605. *ſeq. obit.* 712. Eberhardus III. *regimen auſpicatur.* 823. *exulat.* 853. *avitis ditionibus reſtituitur magnam partem.* 936. *in ſolidum.* 1166. 1184. *pius ejus pro orthodoxia Evangelica zelus.* 889.
Würtenbergiæ Princeps, Magnus, *in prælio Wimpenenſi occumbit.* 575. Fridericus Achilles *obit.* 780. *item* Julius Fridericus. 871. Fridericus, *nullis, opimis licet, promiſſis ad apoſtaſiam permoveri poteſt.* 897.
Würtenbergicæ Eccleſiæ Status. 2. *quàm afflictus poſt prælium Nördlingenſe?* 830. 875.
Würtenbergicæ Scholæ Clauſtrales. 226.
Witgenſteinenſis Comes, Wilhelmus. 99.
Wittakerus, Guilielmus. 109. *Puritanis annumeratus.* 244. *de ejus autoritate Joh. Piſcator.* 91.
Witteberga docendi rationem Ramiſticam proſcribit. 66. *memoriam cremati à B. Luthero Juris Canonici ſecularem celebrat.* 501.
Wittebergenſis Academiæ Jubilæum. 31.
Wittebergenſis Studioſus ab obſeſſio-

ne diabolica corporali liberatus. 48.

Wittebergenſium Theologorum Paræneſis ad Studioſos Theologiæ de frequentiori & accuratiori S. Bibliorum lectione obeunda. 462. Admonitio de Calviniſmo fugiendo, ad Bohemos, eorumque ſocios perſcripta. 518. Admonitio ad Bohemos, aliosq; Evangelii causâ afflictos. 642. Cenſura, quâ notarunt Rathmannum. 684. Judicium de Barbariſmis Textui N. T. Græco affictis. 931. Admonitio ad Jac. Fabricium, jactatas Neoprophetarum Viſiones defendentem. 1041.

Wölflinus, Georgius, in Templo Nürtingenſi trucidatus. 830.

Woldemarus, Daniæ Regis Chriſtiani IV. filius naturalis, Czarii Moſcovici filiam ambit. 1050. cum Patriarcha Joſepho de Religione diſputat. 1068. quo eventu? ibid. è cuſtodia dimittitur. 1096.

Wolfenbütelium expugnatum. 690. denuò, ſed fruſtra, obſeſſum. 1004.

Wolfii, Ambroſii, Hiſtoria Auguſt. Confeſſionis mendax. 341.

Wolfius, Johannes, de Joh. VIII. Papiſſa 299. de eo Forerus. ib.

Wolfsbachius, Nicolaus, ad pedes Nuncii Papalis proſtratus, ſubitò expirat. 145.

Wollini deflagratio. 714.

Wormatiæ ortus ob Judæorum nequitiam tumultus. 390. in ejus autores executio. 441.

Wottonus, Henricus, diſputandi pruritum abominatus. 961.

Wrangelii expeditiones. 1094. 1115. 1138. 1160.

Wrigter, Clemens, Anti-Scripturiſta. 1042.

Wülferi, Johannis, animadverſiones in duorum Judæorum amœbæa. 355.

Würzburgenſis Conventus Ligiſtarum. 495.

Würzburgenſis Epiſcopus, Dux Franconiæ. 152. ſq.

Würzburgenſis Epiſcopus, Julius, Comitibus Leonſteiniis Werthemium eripere fruſtrà tentat. 140. ſq. contra Comitem Leonſteinium Ludovicum arma capit. 152. obit. 428.

X. Z.

Xaverii, Franciſci, canoniſatio. 557. 585. miracula. 585. Templum ei conſecratum. 677.

Zeæmannus, Georgius, de forma Dialectica Jeſuitarum. 19. ſq. de Franciſco. 191. ob libellum anti-Papæum anonymum, innocens in periculoſam inquiſitionem incurrit. 367. calumniis obruitur à Pontificiis. 422. Speculum Miraculorum Pontificiorum edit. 479. 621. Zæſchlinum experitur vehementer infeſtum. 643. Ebrnbergam captivus deducitur. 696. 921. obit. 921.

Zeberzidovius, Nicolaus. 123.

Zebi, Sal. Judæi, Theriaca Judaica. 355.

Zeilan. v. Ceilan.

Zek.

Zeklerorum Dux, Moſes, profligatus. 45. *ſq.*
Zentgravius de cauſis turbarum Anglicanarum. 1063.
Zeravitziana Synodus. 409.
Zerotinius, Carolus. 885.
Ziſcæ cineres à Pontificiis fruſtra quæſiti. 982.
Zœſchlinus, Johannes, apoſtata, Zeamanni perſecutor. 643.
Zolleranus Comes, Johannes Georgius, ad Principale faſtigium evectus. 598. *Eitel Fridericus, Cardinalis, obit.* 634.
Zweybrücken/ *v. Bipontina Domus.*
Zwickerus, Daniel. 89. 795.

Conſtitueramus equidem, tertium quoque, Rerum ſcil. ſive Materiarum, Indicem, jam prope concinnatum, annectere, ſed mora omni per inſtantes Nundinas Francofurtenſes excluſi vetâmur, Tempore tamen ſuo eundem σ. Θ. exhibere non ſuperſedebimus: cùm interim ejus vice Summaria, ſingulis Libri capitibus præmiſſa, uſui quodammodo eſſe queant.

F I N I S.

Errata Typographica.

Horum, quod ſanè dolemus, haud pauca irrepſerunt. Potiora ſequenti ratione emendare, Lector Benevole, majorem in modum rogatus, ne graveris. Lege igitur in Epiſt. Dedicat. fac. pen. l. 14. demiſſiſſimè. p. 3. 26. Jeſuit. p. 7. 12. magnō. l. 24. correptos. p. 8. 15. literas. p. 9. l. 24. Bembell. p. 15. l. 2. A. 80. l. 4. ſcripſit. l. 5. Allotrioepiſcopias. p. 16. l. 11. Veteracaſtrenſem. l. 29. fuſius. p. 17. l. 7. quamque. p. 18. l. 23. inter eos. p. 22. l. 29. denegare. l. 30. Jeſuiticæ. p. 23. l. 12. querebatur. p. 46. l. 10. Archidux. l. 6. à fin. vocatis. p. 47. l. 4. à fin. Incidenter (occaſione relationis de Kaufbyra p. 34.) recenſitus Victorini Strigelii obitus. p. 48. l. 27. Johannam. l. 28. Apolloniam. p. 50. l. 10. Hochmannus. p. 57. l. 4. à fin. Hugonotarum. p. 60. l. pen. requiſita. p. 68. l. 21. quòd licet omnium. p. 78. l. 2. ac. p. 84. 11. diligentia, inde ab. p. 86. l. 6. detentus. p. 90. l. 32. hic. p. 105. l. 12. habitarant. p. 107. l. 18. non carni Chriſti. p. 114. l. 25. Clarius. p. 122. l. 22. 23. perſuadere. p. 124. l. 20. ſingulos. l. 5. à fin. directa. p. 127. l. 2. proſcriptis. p. 133. l. 24. pervertendo. p. 136. l. 11. Hodeget. p. 137. l. 12. (. tum. p. 149. l. 5. ſacra. l. 11. cantantium. p. 151. l. 29. faſce. p. 153. 20. Myſta. p. 156. l. 6. hac. p. 174. l. 25. Guntaccarus. p. 176. l. 29. Paderb. p. 179. l. 6. pauci. p. 180. l. 5. à fin. Pantaleonis. p. 187. l. 8. oper. omn. Becan. l. ult. anniv. Nativ. Dom. p. 191. l. 16. viderunt. p. 197. l. 11. à fin. militaris. p. 199. l. 9. adhibitis. p. 201. l. 8. quas. p. 205. l. pen. vita. p. 208. à fin. Baſileæ. p. 212. l. 11. à fin. Apoſtolus. p. 216. l. 5. à fin. potenter. p. 218. l. 22. inde Palatino-Neoburgico. p. 221. l. 7. à fin. ſeu. p. 223. l. ult. Epiſcopiæ. p. 228. l. 11. Rei Pontificiæ: p. 241. l. 21. Clementinæ. p. 243. l. 10. demiſſiſſimè. p. 246. l. 7. à fin Sigismundo. p. 247. l. 16. Cluveri. p. 255. l. 12. à fin. ſua. p. 256. l. 9. Quodque Papam. p. 261. l. 3. millia. p. 263. l. 12. Scripturæ S. p. 278. l. 5. 6. deles Conradus Ritterſhuſius, Juriſconſultus & Philologus Altorffinus celebris.

lebris. p. 284. l. 20. lege Cyprii 424. pag. 291. l. 13. Serveſtano. p. 292. l. 10. à fin. miſſam. p. 296. l. 9. addentes, quòd. p. 325. l. 27. Eccleſiaſten. p. 326. l. 15. Bindero in Sophiſta. 330. l. 9. quia. p. 340. ult. ac miſellas. p. 344. l. 6. Lutheranis dictus. p. 346. l. 5. itidem. p. 351. l. 19. collactaneorum. p. 361. l. 17. 18. Regimen electorale auſpicatus. p. 367. l. 12. abhinc. p. 371. l 27. pellexerat. p. 373. l. 4. aliis expoſitas. p. 374. l. 13. libertatum. p. 381. l. 6. à fin. cum. p. 388. l. ult. ac eas. p. 394. l. 9. Parochiali. p. 403. l. 22. Marci Antonii de Dominis. p. 413. l. 3. pertinentium curas. p. 414. l. 16. & Regni. p. 417. l. 20. Indoſtanus. p. 418. l. 13. voluiſſe. p. 4 4. l. 21. dele: 12. p. 429 l. 12. lege: &. p. 430. l. 23. & Gallos. p 438. l. 25. eluct. p. 457. l 24. & ſeqq. totumque adeò paragraphum, refer ad Lib. II. cap. LXVI. p. 724. pag. 480. l. 11. à fin. Ej. p. 482. l. 7. à fin. emanent. p. 487. l. 1. quodcunque. p. 519. l. 18. addat. p. 535. l. 3. in ſecularibus. p. 542. l. 10. Chemnitio-Lyſerianæ continuatio. p. 544. l. ult. qui nos docent. p. 556. l. 24. dele: iterum. p. 567. l. 5. lege: Rex F. P. lin. 13. ſuum. p. 571. l. 34. Hœchſtum. p. 572. l. antep. Höchſtum. p. 575. l. 20. condignè compenſatum. p. 577. l. 5. à fin. profligando. 585. l. 6. perfectionis. 588. l. 10. à fin. Davius. p. 590. l. 13. æterno. p. 598. l. 4. jungeretur. p. 602. l. 7. & Moravia. p. 610. l. 4. Floræ. p. 611. l. 8. 1585. pag. 654. l 11. Hierom. p. 662. l. 26. quidam. p. 663. l. 21. angelus. l. 5. à fin. Moſaica. p. 666. l. 7. à fin. obturandum. p. 668. antep. Daniæ Regis. p. 693. l. 24. Auguſtam. p. 694. l. 18. videbatur. p. 699. l. 26. obtentam. p. 709. l. 6. à fin. tentat. p. 721. l. penult. renovaretur. p. 740. l. 15. diſertus. p. 760. l. 21. univerſarum. p. 767. l. 14. accidentalem. p. 770. 771. 772. ad latus inſcriptionis. 1631. p. 770. l. 6. ſuaveolente. p. 773. l. 4. prædictionem. p 575. l. 16. convicta. p. 788. l. 16. ſerò. p. 808. l. 1. Epit. p. 813. l. 4. cujuscunque. p. 820. ad latus inſcriptionis: 1633. p. 822. l. 17. Eſt autem. l. proantepen. Ex hoc. p. 850. ad lat. inſcript. 1634. p. 852. l. 21. Albini. l. antepen. Cadami. p. 853. l. 3. ſed ob hoſtilem. p. 864. l. 4. à fin. Maximillam. p. 885. l. 9. Conſtantio. p. 891. l. 3. à fin. Pragenſem initam. p. 902. l. 3. à fin. œcumenicam. p. 903. l. 6. eum. l. 5. conſcendit. p. 918. l. 9. à fin. eam. p. 923. l. 13. ſedem. p. 1001. l. 24. Myſt. p. 1030. l. 22. paulo altius. p. 1034. l. 15. mutationem. p. 1038. l. 10. Jacobi I. p. 1041. l. ult. ac Defenſorem. p. 1042. l. 14. Friſia Occidentali. p. 1050. l. 26. arx. p. 1062. l. 25. Cantuar. l. 28. acerrimus. p. 1063. l. 24. ſæviiſſent. p. 1068. l. 4. Irene p 1070. l. 12. Fleckenſteinenſis. p. 1075. l. 26. Hunniano ſuccenturiatum. p. 1078. l. 10. à fin. conferamus. p. 1089. l. 28. Wallenburgii. p. 1093. l. 28. peperit. p. 1108. l. 12. exit. p. 1113. l. 14. aleam. p. 1126. l. 18. confinxerant. l. 8. à fin. Apocriſiarios. p. 1136. l. 9. comeſſationes. p. 1138. l. 19. Wrangelio. p. 1141. l. 8. à fin. odorari. p. 1145. l. 5. reſeratio. p. 1147. l. antepen. Pallii. p. 1163. l. ult. cum cultro. p. 1169. l. 1. advolabat. p. 1185. l. 22. memorialibus. in Ind. P. & L. voc. Alexandrini, poſt vocem conficta, adde num. pag. 7. voc. Baronii, l. tumulari, voc. Brandward. l. Bradwardinus. voc. Johanniti, leg. Johannitici. voc. Lojelus, l. Lolejus. voc. Loravius, l. Heidenhemenſis. voc. Nexivani, l. Nexivanienſes. voc. Paſnanienſ. l. Poſnanienſis.

Cætera benevolentiæ Tuæ, veniam, ubicunque ea opus, haud negaturæ, commiſſa ſunto.

A01 1469355

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google